





ANNALES ECCLESIASTICI FRANCORUM,

Auctore CAROLO LE COINTE Trecensi, Congreg. Oratorii D. N. JESU CHRISTI Presbytero.

TOMUS SEXTUS.



PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. LXXVI.





CHRISTIANISSIMO

LUDOVICO XIV

FRANCORUM

NAVARRÆQUE

REGI.



NNO Regni Tui trigesimo-tertio, REX CHRISTIANISSIME, *feliciter in lucem prodit sextus operis à me suscepti Tomus, qui Gesta Caroli Magni per annos tres ac triginta post susceptam Fran-*

corum Monarchiam complectitur. Intra ſpatium illorum annorum Carolus Gentes vicit, de quibus Tua quoque Majeſtas triumphavit. Idcircò temperare non potui, quin crebrò mentem à Carolinis temporibus ad ætatem noſtram revocarem, cùm totus Tuis in Laudibus, REX AUGUSTISSIME, *mihi viderer verſari.*

Carolus inſigne ſibi nomen per Germaniam, per Hiſpaniam, per Italiam comparavit; nobiliſſimas Tibi Palmas eædem obtulerunt Provinciæ. Qui Carolinarum Ditionum remotiſſimus limes erat Arabo, Tuis intumuit Tropheis, & Chriſtiani Nominis hoſtes in fugam à Tuis Mili-

tibus actos absorpsit. Carolinis Legionibus Citerior tantùm Hispania, Tuis Vlterior etiam patuit. Siciliam aggredi statuit aliquando Carolus, at aliò sua statim vertit consilia; Te verò Messana Propugnatorem veneratur, Expugnatorem miratur Augusta, Triumphatorem reliqua pertimescit Insula, Victoriosum vicina reformidat Calabria. Carolus in Germania nonnullas Arces, in Italia Ticinum, in Hispania Pompelonem obsedit. Quis illas Arces, quis Ticinum, quis Pompelonem audeat comparare cum Trajecto ad Mosam, cum Vesontione, cum Dola, ne quid repetam de munitissimis Vrbibus ad Rhenum & ad Isalam, quas à me

commemoratas memini, cùm Tua Tricennalia celebrarem? Obsidium Ticini penè annuum fuit, Trajectense verò tredecim dierum, paríque celeritate confecta Vesontionense & Dolense. O præclaram, LUDOVICE, Tuos inter Triumphos ac Carolinos disparilitatem!

Tunc Carolus intra Regiones paterno Regno finitimas se continuit, &, quia navibus apparatúque classico carebat, toto illo tempore nihil extra continentem Europæ tentavit; quin & vereri non semel visus est, ne maritimæ Francorum Vrbes inopinato barbârarum Gentium appulsu damnum paterentur. Timorem omnem, REX INVICTISSIME, pro-

-cul à Regni Tui litoribus eliminasti, ipsámque Africam metu, Asiam fama, victoriis Americam, universum Orbem admiratione complevisti. Si posterioribus seculis reperti sunt, qui bellum in Asia gestum à Carolo scriberent, hos in amplificandis ejus Laudibus reos adulationis arguo. Prost[illegible]nt magno numero cùm Annalistæ [illegible]um Biographi, qui Vitam, & A[illegible]a Caroli, literis accuratissimè comm[illegible]endarunt, altum autem apud utro[illegible]ue de mota in Asiam expeditione [illegible] silentium. Quæ vero de Te dic[illegible], Rex Victoriosissime, pal[illegible]m Afri prædicant & Asiatici, [illegible] nec Europæi diffitentur populi, qu[illegible]s in America vel è suis ejecisti

Stationibus, vel temerè lacessitus procul à Tuis repulisti. Certè in utroque Orbe nullus est, qui tot tantarúmque rerum magnitudine stupefactus, hodiernis etiam temporibus non asserat verissimum Te Rege, quod antiquissimus Encomiastes coram Cæsare pronuntiavit [a], nihil esse clausum Francis, quò navigiis pateret accessus.

[a] Eumenius in Panegyrico Constantii Cæs.

Inter Romanorum acclamationes Carolus non Magnus modò sed etiam Pacificus jure cognominatus est. Animo semper ad Pacem propenso fuit, & quamvis assiduis penè bellis occuparetur, nullum nisi provocatus ac læsus aut suscepit aut unquam redintegravit. Multæ res sunt,

LUDOVICE MAGNE, quæ Te Pacificum quoque comprobant, eoque Titulo Te Carolo præferendum suadent. Licèt adhuc minorennis & longo difficilique bello implicitus esses, Pacificatorem Te vidit Italia, norunt & Orbis Arctoi partes ultimæ, nec per [illegible] Te stetit quin & propior experiret[illegible]r Britannia. Missis Legationibus, [illegible] concordiam inter Summum Pontificem, ac Rempublicam Venetam, [illegible] Ducésque Hetruriæ, Mutinæ, & P[illegible]rmæ, renovasti; motus compositi [illegible]i Sueciam inter ac Daniam exor[illegible]os; utinam & Britanni faciles Tuis [illegible] hortationibus aures adhibuissent [illegible] com[illegible], domesticos eorum tumultus [illegible]escuisses, & quæ secutura præ-

videbas avertisses mala. Majorennis Pacem eodem quo priùs zelo per exteras regiones instaurandam curasti. Testes, Italiam, Britanniam, Sueciam, Daniam, rursum appello cum Polonia Fœderatóque Belgio. Directis per universam fermè Europam Oratoribus, Poloniam Sueciæ, Sueciam iterum Daniæ reconciliasti; néve quies Italiæ turbaretur, author fuisti Sabaudiæ Duci & Januensibus, ut depositis armis in amicitiam simul redirent; maximo quoque studio nisus es impedire, ne quod inter Britannos Fœderatíque Belgii Provincias jurgium erat, in apertum diuturnúmque bellum converteretur. Quid dicam de Pace,

quam ipse cum Cæsare multisque Regibus iniisti? Victor, instar Caroli, conditiones dedisti semper, accepisti numquam. Eas autem imposuisti leges, quæ Te Victoriarum Tuarum oblitum, magisque Pacifici quam Bellatoris cognomento delectatum ostendunt.

In [illegible] Monasteriensi conventu, Pacem [illegible] Cæsari Germaniæque reddidisti. Sciun[illegible] omnes, quis rerum Germanicar[illegible] status tunc esset. Terrorem latiss[illegible]è circumferebas; Tuos Exercitus [illegible] nulla vis à progressu retardare pote[illegible]at, Regiis arcuisti Jussionibus; &, [illegible]t omnis Germania deinceps Pacific[illegible] Te renuntiaret, complures Ar[illegible]s, Vrbes ac Dynastias Tibi

tum ſubditas ſponte ceſſiſti, ratus Tibi glorioſius fore, ſi Principibus atque etiam Electoribus procuraretur Avitorum recuperatio bonorum, quàm ſi Tuum latioribus Regnum ſpatiis ampliaretur. Quietâ pòſt Germaniâ, non ſemel Arbitrum Te præbuiſti, ut Paternas Avitáſque Ditiones amicè Fratres Agnatíque partirentur, quorumlibet diſſidiorum cauſis amputatis, ne Pax, quam Germanicæ Nationi tantis laboribus pepereras, vel leviſſimo tumultu violaretur.

Altero conventu ad Pyrenæos montes habito, bellum extinxiſti, quod Franciam inter & Hiſpaniam ab annis flagrabat viginti-quinque.

Jam annus agebatur decimus-septimus, ex quo simul & regnare & Pacifici cognomen ambire cœperas. Eodem enim anno, quo Regium assumpsisti Titulum, Pacificatorios in Westphaliam Oratores misisti. Nihil illic ab eis omissum, ut Europæ quies [illegible]restitueretur, votorúmque compos [illegible]imprimìs fieres. Tam pios conat[illegible] elusit hostis, bellúmque protractu[illegible]us falsâ se recreavit spe, quam minor[illegible]nnis ætas Tua per aliquot annos [illegible]cumque fovit. Soluto conventu, [illegible] qui pro sancienda pace fuerat inde[illegible]tus, Hispanos animo ab ea esse av[illegible] satissimo semel atque iterum probas[illegible]i, Summo Pontifice Serenatúque Ve[illegible]to, quorum studio negotium ex

utriusque partis consensu pactóque promovendum erat, syncerissimum in Te consilium collaudantibus. Tot nondum contentus indiciis aliud excogitasti, quod certè non satis è Tua Dignitate visus esses exhibere, nisi quæcumque publicæ tranquillitatis conciliandæ gratiâ suscipiebas, honorificentissima Tuæ Majestati duxisses. Sedatis Regni discordiis, cùm Exercitus Tui per Belgium, per Hispaniam, per Italiam, victores circumducebantur, auctóque Sociorum numero rei per easdem disjunctissimas Provincias meliùs adhuc gerendæ spem maximam faciebant, sponte Oratorem acturum de Pace Madritum usque direxisti. Vana fuit

haec Legatio. Bellum ardentioribus adhuc animis aliquandiu gestum est. Ventum tandem ad concordiam, quae Te non minùs, quàm anteà, Pacificum celebravit. Civitates quamplurimas in Hispania, in Italia, in Belgio, & in Comitatu Burgundico subegeras, omnes retinere noluisti, licèt illas aequissimo jure partas haud ignorares; tanto dispendio Pacem ab hoste redimi non es passus, eique multas Vrbes, quae vi coactae deditionem fecerant, reddidisti cùm in Hispania & Italia, tum in Belgio & Comitatu Burgundico, ut tot adeóque dissitae Regiones, quae Magnum Te pridem victae senserant, Pacificum quoque Te propalarent.

Ne bellum ex ſimultatibus adhuc obſcuris inter Francos & Anglos oriretur, prohibuit Carolus, *partim diſſimulando, partim procraſtinando. Ægerrimè tuliſti,* Rex Pacifice, *Tibi non eandem ac Carolo ſortem extitiſſe. Doluiſti Pacificatoriæ Legationis irritas fuiſſe hortationes, & in ipſo bello non tam hoſti bellare, quàm Gentium anteà Tibi Fœderatarum ſaluti tranquillitatíque viſus es conſulere. Quæ paulò pòſt inita ſunt Pacis conditiones, palàm manifeſtarunt eâ Te occaſione, quæ Tuis Americam Victoriis aperiebat, uſum eſſe, non ambitiosè ut Regnum dilatares, ſed prudenter ut captis Inſulis in novo*

Orbe, qui Carolo posterisque Francorum Regibus per multas ætates incognitus mansit, illic etiam Te simul & Triumphis assuetum & Pacis cupidissimum commonstrares.

Enata tunc & alterius belli causa cum Hispaniarum Rege. Ne quis illam [illegible] Te, Rex Invictissime, avidi[illegible]s arreptam criminaretur, in expost[illegible]lationibus sesquiannum frustrà con[illegible]sumpsisti. Quod amicè tanto tem[illegible]poris spatio Tibi reddi sæpè rogave[illegible]s, armis tandem invitò repetere coactus es. Ut ante bellum, sic & in [illegible] bello, Pacis fuisti per studiosus [illegible] &, ut ea faciliùs restitueretur [illegible] in medio Victoriarum cursu Tu[illegible] ipse Trophæis, quod nullus vi-

facere potuisset, spontaneâ voluntate modum imposuisti, totâque mox Europâ mirante pactus es Te redditurum integram Sequanorum Provinciam, de qua gloriosissimè Triumphum nuper egeras. Omnes id propter publicam tranquillitatem à Te factum crediderunt. Plerique alteram excogitarunt rationem Tuâ Majestate non indignam, ut Gentes, quibuscum remissè sic agebas, servatâ rerum præteritarum memoriâ virtutem, quâ Tibi resisterent, agnoscerent sibi defuisse, deforéque si bellum aliquando recrudesceret. Iidem certè Sequani sortem illam experti, ceteris hodie mirabili sunt exemplo.

In Carolo Magno & Pacifico singularis illuxit Pietas, quâ se non tantùm Regem Francorum, sed etiam devotum Sanctæ Ecclesiæ Defensorem humilémque Adjutorem dixit [a], suámque diligentiam Episcopis cooperari testatus est [b], ut plebes firmâ fide & infatigabili perseverantiâ intra paternas Sanctiones se continerent. Hanc Pietatem in Te, REX CHRISTIANISSIME, Summi Pontifices, Tuorúmque Regnorum suspexerunt Episcopi. Sæpè Cooperatorem suum utrique Te laudarunt, quia cum illis, quotiescumque res poposcit, in partem sollicitudinis venisti, seu quid sancitum à Præsulibus Tuarum Ditionum,

[a] Ego Karolus, gratiâ Dei ejusque misericordiâ donante, Rex & Rector Regni Francorum, & devotus Sanctæ Ecclesiæ Defensor, humilisque Adjutor. Præfat. lib. 1. Capitular.

[b] Magna devotione studio admonendi & adhortandi sunt, & compellendi, ut firmâ fide & infatigabili perseverantiâ intra paternas Sanctiones se contineant. In quo opere studio certissimè sciat Sanctitas vestra nostram vobis cooperari diligentiam. Ibid.

ſeu quid judicio Sedis Apoſtolicæ definitum fuit. Pontificia Diplomata frequente Senatu publicè coram Te legi præcepiſti, ipſáque autographa juſſiſti in Regalibus Archivis aſſervari, ut ex hoc illuſtri monumento notum fiat poſteris maximâ Te diligentia Romanis Pontificibus & Epiſcopis Tuorum Regnorum inſtar Caroli cooperatum eſſe in populis intra paternas Sanctiones *continendis.*

Inſigni quoque gloriæ cedit Carolo, quòd primus è Francorum Regibus publicas Scholas inſtituit, & Studia, quæ deliteſcebant in Epiſcopiis ac Monaſteriis, ubi Clerici & Monachi privatim erudiebantur

tur, in publicum eduxit, atque in præcipuas Franciæ civitates necnon & in Regium Palatium evocavit, adscitis ex Anglia Româque viris doctrinâ conspicuis, quos & singulari benevolentiâ prosecutus est & Regali munificentiâ locupletavit. Franciam, REX AUGUSTISSIME, nactus es scientiorem, florentissimis instructam Academiis, & in quolibet eruditionis genere celeberrimis viris abundantem. Ea tamen Regni felicitas non fuit impedimento, quominùs in fovendis Studiis Carolo Te præstantiorem ostenderes. Publicis in Scholis, nec Studia remisisti, nec à sana receptâque doctrina quid alienum passus es doceri, adeóque illa

rum famæ decoríque consuluisti, ut quarum Institutor Carolus, Protector haud minore cum gloria suspiciaris. At alia Te res Carolo multùm anteponit. Carolinam Liberalitatem præter Francos experti sunt tantùm exteri, qui relicto natali solo in Franciam migrarunt, Tuam autem illi etiam experiuntur, quos amor patriæ in remotissimis Europæ partibus retinet. Viros enim Literatos amas, ubicumque terrarum degant, eósque muneribus afficis, ut olim Augustus ingenia seculi sui omnibus modis fovit [a]. *In consortium tot illustrium virorum adlectus à Tua Majestate, ne videar ingratus, sive, ut utar Alcuini*

[a] Sueton. lib. 2. c. 89.

[redacted]erbis ad Carolum[a], [redacted]e sit in me:
[redacted] estræ Bonitatis Largitio inanis,
[redacted]entis, cui Deus Optimus Maximus
[redacted]gulari Te providentiâ Monar-
[redacted] præposuit, Ecclesiasticos An-
nales quantacumque possum dili-
gentia[redacted] conscribo. Sextam hanc ope-
ris [redacted]tem eâdem Te quâ priores
amplec[redacted]urum Benignitate confido.
Fiduc[redacted]am auget ipsa materia. Nihil
enim convenientius à me fieri po-
test, [redacted]uàm ut LUDOVICO MA-
GN[redacted] CAROLUM MAGNUM
offer[redacted]m; imò cùm suscepta Sanc-
ta [redacted]Ecclesiæ Defensio Te PIISSI-
M[redacted]M, AUGUSTUM Regii
fu[redacted]ptus quibus ingenia seculi Tui
fo[redacted]s, MAGNUM Gentes devic-

tæ, PACIFICUM *Pax in ipso bello semper optata comprobet, nihil æquius obversatur, quàm ut quibus Romani* [a] *Carolum anno administrati Regni trigesimo-tertio prosecuti sunt acclamationibus, ego quoque Te anno Regni Tui trigesimo-tertio prosequar.* LUDOVICO PIISSIMO, AUGUSTO, A DEO CORONATO, MAGNO, PACIFICO, VITA ET VICTORIA.

[a] *Anastas. in Leone III.*

CHRISTIANISS. MAJESTATI TUÆ

Devotissimus ac fidelissimus Cliens & Subditus,
CAROLUS LE COINTE, Congregationis Oratorij D. N. JESU CHRISTI Presbyter.

Lutetiæ Parisiorum,
anno 1676.



ANNALES ECCLESIASTICI FRANCORUM.



VETUS Poëta Saxonicus, quem Reinerus Reineccius Steinhemius è locupletissima Celsissimi Ducis Brunsvicensis Bibliotheca Wolfebutellensi * primus evulgavit, opus edidit in quinque divisum libros de Caroli Magni Gestis, ex quo Francorum Monarchiam obtinuit, idque post Carolomanni fratris obitum, vertente anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo, contigisse testatus est his Versibus, qui lucubrationis initium faciunt. I.

* de Wolfenbutel.

Salvator mundi postquàm de Virgine nasci
Dignatus nostri se corporis induit artus,
Evolvit septingentos rota temporis annos,
Et decies septem. sed & annus penè peractus
Insuper unus erat, cùm jure Monarchia Regni
Francorum Carolo divinitus est data Magno.
Nam Carolomannus frater decesserat ejus
Præsentis jam supremis propè partibus anni.

Sextum hunc Annalium Tomum ab eadem ordimur *Caroli* Monarchia. Ne verò quidpiam videatur ad firmandam Chronologiam desiderari, duplicem Characterem Chronologicum annis ejusdem Caroli proximè sequentibus præfigemus, ut duas distinguamus epochas, quarum prior à morte Pippini patris, posterior ab obitu Carolomanni fratris petatur. II.

AN. CH. 772. CAROLI R. 4.

ANNUS CHRISTI 772. CAROLI R. 4. 1.

CONVENTUS WORMAT.

ANNO Christi septingentesimo septuagesimo-secundo, qui quartus à morte Pippini, primus ab obitu Carolomanni numeratur, Carolus in Haristallio Pascha celebravit quarto Kalendas Aprilis, generalem Francorum Conventum apud Wormatiam congregavit, collectóque exercitu in Saxoniam primâ vice movit. Hæc Annalista Loiselianus, cui Tilianus & alii suffragantur. Cùm autem ex Heristallio Wormatiam contenderet, apud Theodonis villam mense Maio Regium integræ immunitatis Præceptum Laureshamensi Cœnobio sic concessit. *Karolus Dei gratiâ Rex Francorum, vir illuster, omnibus fidelibus nostris tam præsentibus quàm & futuris. Cùm recta petitio Sacerdotum pro opportunitatibus locorum sanctorum pertinens ad aures Clementiæ nostræ processerit, talem decet obauditam, vel effectu in Dei nomine mancipatam, unde æterni retributoris veniam mereamur adipisci, & eos delectet pro stabilitate Regni nostri jugiter exorare, vel in omni parte erga nostrum fideliter assistere. Igitur cognoscat Magnitudo seu Utilitas vestra, quòd nos ad Monasterium, quod dicitur Lauresham, quod est constructum in honore beatorum Apostolorum Petri & Pauli vel ceterorum Sanctorum, & ubi pretiosus Domnus & Sanctus præclarus Martyr NaZarius in corpore requiescit, & in virtute fulgescit, & venerabilis vir Gundelandus Abbo unà cum norma Monachorum præesse videtur, infra pagum Rhenensem, super fluuium Wisgoz, integram immunitatem, ejus merito compellente, plenâ & integrâ gratiâ, pro mercedis nostræ augmento, vel pro ejus quiete aut successorum, visi fuimus concessisse. Quapropter hoc Præceptum specialiùs decernimus ordinandum, quod in perpetuum volumus esse mansurum, ut neque vos, neque juniores seu successores vestrì, nec quislibet de Judiciaria potestate accinctus, in curtis vel villis ipsius Monasterii aut Ecclesiæ suæ aspicientes, in quibuslibet pagis atque territoriis, tam quod præsenti tempore videtur possidere, vel dominicare, quàm quod adhuc ex munere Regum seu Reginarum, seu quod pro collata populi, vel de comparato, vel de quolibet adtractu augmentare, vel immeliorare seu adtrahere potuerint, ad causas audiendum, vel freda undique exactandum, nec fidejussores tollendum, nec mansiones aut paratas faciendum, nec ad homines suos tam ingenuos quàm & servientes seu accolas ipsius Monasterii distringendum, nec ullas redhibitiones publicas requirendum, nec exactandum quod ad partem fisci nostri exinde redhibetur, penitus ingredi Judiciaria potestas, aut Missi nostri discurrentes non præsumant. Sed omnes villas suas sub immunitatis nomine cum omnibus fredis, aut conjectas, seu publicas redhibitiones concessas, omnia (sicut superiùs comprehensum est) tam ipse Abbas quàm & successores sui in Dei nomine valeant possidere vel dominari, ut nullus quislibet de fidelibus nostris tam præsentibus quàm & futuris, huc, quod nos pro nostra mercede vel pro stabilitate (Deo adjuvante) Regni Francorum ad ipsam casam Dei indulsimus, ullo unquam tempore vel quolibet ingenio irrumpere videatur, sed (sicut superiùs meminimus) nostris & futuris temporibus absque ulla contrarietate partibus prædicti Monasterii volumus in omnibus esse conservatum atque indultum. Et ut hæc Auctoritas firmior habeatur, & per tempora meliùs conservetur, manu propriâ subter decrevimus roborare, & de annulo nostro sigillari præcepimus. Signum Karoli Gloriosissimi Regis. Rado ad vicem Rindberti recognovi. Datum in mense Maio, anno quarto Regni nostri. Actum Theodone villâ, Palatio publico, feliciter.*[a]

PRÆCEPTUM PRO MON. LAURESHAM.

[a] Chron. Lauresh.

Huchaldus, quibus olim moribus & institutis viverent Saxones, priscis temporibus, in vita Sancti Lebuini hic exponit. In Saxonum gente, prisci temporibus, ne- que summo cælestique Regi, cuius tenerat notitia, ut digna cultui ejus exhiberetur ve- neratio, neque terreno alicujus Regis ditioni & honorificentia, cujus vege- retur providentia, corrigeretur censura, defenderetur industria, sed erat gens ipsa, sicut & nunc usque consistit, ordine tripartito divisa. Sunt denique ibi, qui illorum lingua Edlingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lassi dicuntur, quod in La- tina sonat lingua, Nobiles, Ingenui, atque Serviles. Pro suo verò libitu, con- silio quoque, ut sibi videbatur, prudenti, singulis pagis Principes præerant sin- guli. Statuto quoque tempore anni semel ex singulis pagis, atque ex iisdem or- dinibus tripartitis, singillatim viri duodecim electi, & in unum collecti, in media Saxonia secus flumen Wiseram, & locum Markelo nuncupatum, exerce- bant generale Concilium, tractantes, sancientes, & propalantes communis commoda utilitatis, juxta placitum statuta à se legis. Sed &, si fortè belli terreret exitium, si pacis arrideret gaudium, consulebant ad hæc quid sibi foret agendum.

AN. CH. 772. CAROLI R. 4.

II. Mores et Instituta Saxonum

Ad illum Saxonum Conventum profectus hoc anno Lebuinus seu Lufwinus Presbyter, de quo sic idem Auctor. Sciens imminere conven- tum, Christi miles Lebuinus, destinavit animo se illuc iturum, quò aut Regi suo acquireret copiosum fidelis exercitus numerum, aut fortiter contra hostes di- micans gloriosum victoriæ suæ reportaret triumphum. Interim tamen contigit divertisse ad domum cujusdam illustris ac potentis viri, nomine Folberti, cui inter plures, quos charos habebat, quibusque ipse charus erat, familiare præsta- bat curæ & obsequium. Qui eum maximo illum excipiens gaudio ait. Gratulor qui- dem, vir dilecte, opportunè te nunc advenisse, denique mihi pro te sollicito gra- tam exhibes tuam præsentiam. Sed quorsum tendas, mihi pandas velim. Cui vir Sanctus. Est, inquit, animus, supernâ juvante gratiâ, Concilium invise- re Saxonum. Ad quem ille. Cùm tua Sanctitate merito quamplurimos nostro- rum acceptum haberem, non ignoro quosdam tibi inimicari, & vitæ tuæ liben- ter insidiari. Unde rogo, ut, me audito, alorsum te vertas modò, vel do- mum redeas, vel tuum familiarem Davonem petas, quousque peracto Concilio interim ... nos quoque revises. Cumque hujusmodi sermonibus dissuadere conaretur, Athleta Christi Sancto quo agebatur Spiritu animatus constanter respondit. Non ... prœterire queo, sed neque audeo, quod ipse meus Rex Christus Jesus ... Deus & Dominus mihi agendum instituit, cujus prætergredi mandatum nefas ... esse perpendo. At ille, vita, inquit, tua timeo. Et vir Dei, Dominus, ait, ... adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Sic ejus firmatam perspi- ciens ... fidem, ... tandem acquievit. A prædicto Davone, quem Floc- bertus Lebuino familiarissimum ostendit, Daventria nomen derivat Huchaldus in eadem Sancti Lebuini vita, derivant & alii, quos Jacobus Revius allegat libro primo Historiæ Daventriensis seu Daventriæ illu- stratæ.

III. Lebuinus publicum Saxonum Conventum adit.

IV.

Quid autem Lebuinus in Saxonum Conventu peregerit, Huchaldus ita declarat. Instante tempore articulo, quo ipsius Concilij afforet concio, ad- fuit ... quorum ... cata undique secum agglomerata. Adest & bonus mi- les Lebuinus, ... ignavus vel desidiosus, sed ut strenuus & officiosus, lumbos ... veritate succinctus, loricâ justitiæ indutus, pedes in præparatione ... Evangelij pacis calceatus, scuto fidei protectus, galeâ salutis ca- put ... assumpto gladio spiritûs, quod est verbum Dei, armis justitiæ vir- tutisque ejus à dextris & à sinistris circumdatus. Et cùm his omnibus muni- retur intrinsecus, non tamen temperantia decorem ornamenta morum extrin- secus. Clericali ... schemate insignitus, Sacerdotali quoque infulâ deco- ratus, ac velut ... omnium præsignans fulgore vultûs. Crucis signum po- rtabat manibus, ... sui Regis antesignanus, necnon & Evangelium Christi, quod ... ore prædicabat, & opere exercebat, brachio quo- ...

AN. CH. 772. CAROLI R. 4.

que gestabat. Omnis itaque concionis illius multitudo, ex diversis partibus coacta, primò suorum proavorum servare contendit instituta, numinibus videlicet suis vota solvens ac sacrificia. Quæ cernens agi sacrilegis Lebuinus, Christi fortis Athleta, zelo zelatus pro Domino, ut olim Elias Propheta, in media illorum prorumpit agmina, & ex improviso vociferans exaltat vocem suam ut tuba, annuntians palàm & redarguens scelera eorum. Audite, inquit, omnes, audite me, & non tantùm me, quantùm eum, qui loquitur vobis per me. Mandata illius vobis perfero, cujus omnia sunt imperio atque judicio subjecta. Ad hæc cùm illi attoniti respexissent, adspectúmque viri & habitum mirantes conticuissent, ille præfatus sic institit. Auscultate, attendite, & scitote, quia Dominus creator cæli, & terræ, maris, & omnium, quæ in eis sunt, ipse solus unus & verus est Deus. Ipse fecit nos, & non ipsi; neque est alius præter eum. Simulacbra, quæ Deos esse putatis, quósque à diabolo decepti venerando colitis, aurum, vel argentum, æs, lapis, aut lignum sunt, non vivunt, non moventur, neque sentiunt, opera enim hominum sunt, nec cuiquam alii, nec sibi possunt auxiliari. Ergo Deus solus bonus, solus justus, cujus misericordia & veritas manet in æternum, condolens tam miserabili vos dæmonum seductos errore, hac me præcepit fungi Legatione, ne vetusti pœnitentes erroris ad eum convertamini rectâ & syncerâ fide, cujus creati estis bonitate. In ipso denique vos & nos omnes vivimus, movemur & sumus. Si illum fideliter agnoscentes, pœnitentiam egeritis, & baptizati in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti fueritis, & mandata ejus obedienter servaveritis, ipse vos ab omnibus servabit malis, & concedens tranquillitatem pacis dabit hic jucundari temporalibus copiis, & in futura vita omnibus æternaliter perfrui bonis. Si autem præcepta ejus saluberrima nihil feceritis, & iniqui cordis errorem corrigere nolueritis, scitote quia patiemini judicium pœna gravioris de contempta admonitione ejus benignitatis. Ecce enim ex sententia oris ejus, quæ est immutabilis, prænuncio vobis, quia nisi his monitis obtemperaveritis, jam celerrimè veniet vobis malum inopinatæ tribulationis. Præordinavit namque Rex cælorum omniúmque seculorum, Regem fortem, prudentem, & acerrimum, non de longinquo, sed de proximo, instar torrentis rapidissimi, properantem ad emolliendam duri cordis vestri ferocitatem, & comprimendam rigidæ cervicis contumaciam. Qui vehementi impetu vestram aggrediens regionem, gladiis, vastitate, incendio, & exterminio cuncta depopulabitur, & ut vindex iræ Dei, quem semper exacerbastis, vos quidem partim mucrone concidens perimet, partim egestate tabescere faciet, partim perpetui exilii mœrore consumet. Conjuges vestras ac liberos passim ad serviendum distribuet, & si qui residui fuerint, ignominiosos suo dominio subjugabit, ut & de vobis jamdudum jure prædictum videri possit. [Et pauci facti sunt, & vexati sunt à tribulatione malorum & dolore.] Talia beato viro Prophetali spiritu præconante, illi dæmoniaco bacchantes spiritu, pleni furoris & insaniæ, perstrepunt undique clamore confuso. En ecce adest seductor ille, sacrorum nostrorum & totius inimicus patriæ, æquum est, ut debitas sumat suo sanguine pœnas. Tum verò ex proximis sepibus palos rapiunt, detruncant, & exacuunt, ut velut assolet fieri lapidibus, sic eum illis sudibus perimerent. Sed taliter inardescente adversùs virum Sanctum furore malignantium, Deus suorum protecto[r] fidelium protexit illum sub velamento alarum suarum. Denique sicut ipse D[o]minus Jesus olim à perfidis Judæis ad supercilium montis ad præcipitandu[m] perductus, sua virtutis potentiâ transiens, per medium illorum ibat illæs[us]: sic & iste famulus suus ejusdem Domini sui munimine circumseptus, per m[e]dium se necare cupientium & ipse transiit intactus. Inter ipsos tamen q[uidam] fuerant sanæ mentis, quorum corda Deus tetigerat, qui hæc fieri [in] Sanctum Dei omnimodis prohibebant. Quorum unus cæteris honoratior, [no]mine Buto, stans in eminentiori loco ita protestatus est. O viri, qui cun[que] adestis cordati, auribus percipite verba oris mei. Frequenter ad nos quar[...]

EGREGIE CONCIONATUR.

NISI FIANT CHRISTIANI, CLADEM IIS PRÆDICIT A BELLICOSO REGE IMMINERE.

EX EORUM MANIBUS ELABITUR ILLÆSUS

dam gentium, Nortmannorum, Sclavorum, ac Frisonum venerunt Legati, quos more solito cum pace suscepimus, verba Legationis diligenter tractavimus, & honorificè ad eos muneribus ad propria remisimus. Et essi nunc Legatum summi Dei, deferentem vobis mandata vitæ ac nostra salutis, non solùm sprevistis & contemptus est à vobis, sed etiam infectatus injuriis, & penè subire discrimen mortis. Quam vero sit potens, qui illum destinavit patenter ostendit, cùm de manibus vestris tam potenter & mirabiliter eripuit. Unde & ea qua comminando vobis prophetavit, futura sive ventura procul dubio experiemini nimium vera, dum ea judicio Dei sui, qui tam potens est, nobis fuerint illata. Hoc quasi ejusmodi redargutione ac potiùs terroris sermonibus perculsus aliquantulùm est immansuetus eorum animus, & communi decreverunt consensione, ne à quoquam impeteretur ille Dei nuncius, sed quocunque vellet ire, absque ulla læsione pergeret securus.

AN. CH. 772. CAROLI R. 4.

Daventriam reversus est, eodémque fermè tempore, uti prædixerat, non de longinquo, sed de proximo, Rex fortis, prudens, & acerrimus, irrupit in Saxoniam, Carolus videlicet Francorum Rex potentissimus ac bellicosissimus, de quo Nazarianus Annalista sic ad hunc annum scribit. DCCLXXII. *Franci in Saxonia cum Karolo Rege eorum.* Alii superaddunt alia non omittenda. Petavianus hæc habet. *Domnus Rex Karolus pervexit in Saxoniam, & conquisivit Eresburgo, & pervenit ad locum, qui dicitur Ermensul, & succendit ea loca.* Celebre fuit apud Saxones idolum, dictum *Irmensul, Irmansul, Ermensul, & Hermensul* quasi Hermesul, de quo sic Spelmannus ex Munstero. *Mersburgi phanum & idolum, quod Irmensul appellavere, coluerunt. Ersberg dictus est mons in quo fanum illud stabat. Quidam interpretantur Mercurii statuam; is enim Hermes* [illegible] *Sed obtinuit Martis honor, ut nunc Mersborg vocitetur. Nonnulli Irmensul interpretantur statuam publicam. Conjici permittebant dictam* [illegible] *quasi commune perfugium, & asylum omnium, & Martem com*[illegible] [illegible] *qui in prælio dum vagatur incertus, diu dubius, quo pennas victoriam* [illegible] *vocant) præferens rosam, cujus in dextra signum militare (nostri vexillum* [illegible] *ita eventum præliorum, cujus breve momentum, & facilis* [illegible] *sortem facilè huc aut illuc inclinantem. In sinistra libram expendit, dubiam* [illegible] *irritatum bellatorum animum insinuans. Pectus inerme Ursum præ*[illegible] *ad fortia facta impetum monstrat. In clypeo Leo, qui bestiis imperat, floribus consito campo, quod nihil jucundius videri solet fortibus, quam in acie* [illegible] *ostendere.* Nihil hic ad Mercurium spectat. Martem sonant omnia, [illegible] montis, & fani nomen, totus idoli apparatus. Ideóque Spelmannus *Irmensul* de columna Martis potiùs quam Mercurii interpretatur. Non desunt, qui *Erminsul* columnam Mercurij dicant, quoniam Mercurium [illegible] Saxonicâ linguâ [illegible] columnam significat. At ut *Ermin* à Græco Ἑρμῆς seu [illegible] ita *Er* ab Ἄρης Martem, *Man* idiomate Saxonico *tutelam* seu [illegible] sicque *Er-man-sul* est *Martis columna tutelaris* seu [illegible] Nec est cur dubites *Er* pro Marte in idoli cognomine sumendum esse, cùm & in montis & in fani ubi colebatur nomine eadem veniat significatione, *Ersberg* enim idem est, ac *mons Martis*. Idolum ipsum [illegible] fano evertit Carolus, ut ex Annalista Petaviano jam observavimus. Idem negotium Tilianus paulò fusiùs ita describit. *Domnus Rex* [illegible] *abiit ad Wormatiam, & inde pervenit partibus Saxoniæ, primâ vice Eresburg Castrum Rex subcepit, & Ermensul usque pervenit, & ipsum fanum destruxit. Et fuit ibi magna siccitas, ita ut aqua deficeret in supradicto loco.* [illegible] *itaque Domino, medio die, cuncto exercitu quiescente, in quodam torrente* [illegible] *omnibus hominibus ignorantibus aqua largissima effusa* [illegible] Auctor quoque [illegible] Tiliano Loiselianus. *Domnus Carolus mitissimus*

V. DAVENTRIAM REDIT.

IRMINSUL IDOLUM DESTRUITUR.

CAROLI PRIMA IN SAXONIAM PROFECTIO.

AN. CH. 772. CAROLI R. 4.

Synodum tennit ad Warmatiam, & inde perrexit partibus Saxonia primâ vice. Heresburgum Castrum cepit, & ad Ermensul usque pervenit, & ipsum fanum destruxit, & aurum vel argentum, quod ibi reperit, abstulit. Et fuit siccitas magna, itant aqua deficeret in supradicto loco, ubi Ermensul stabat. Et dum voluit ibi duos aut tres praedictus Gloriosus Rex stare dies, fanum ipsum ad perdestruendum, & aquam non haberent, tunc subitò divina largiente gratiâ, mediâ die, cuncto exercitu quiescente, in quodam torrente omnibus hominibus ignorantibus aqua effusa sunt largissima, itant cunctus exercitus sufficienter haberet. Tunc super Wisoram fluuium venit suprascriptus Magnus Rex, & ibi cum Saxonibus Placitum habuit, & recepit obsides, & reversus est in Franciam. Laureshamensis ac Fuldensis, itémque incertus Auctor, & Monachus Egolismensis in vita Caroli Magni datos à Saxonibus obsides duodecim affirmant. Et Annalista Fuldensis Placitum habitum ait *juxta Visurgim* * *fluuium*, quem Laureshamensis & Bertinianus *Wiseram*, Metensis corruptè *Ysaram*, Loiselianus cum Monacho Egolismensi *Wisoram*, incertus Auctor *Wisaram*, Poeta Saxo *Wisuram* vocat. In notis autem ad hunc Poetam Reinerus Reineccius Stinhemius torrentem illum, in cujus concavitate maxima vis aquarum erupit, collocat in agro Padebornensi, obsevátque hodie nominari *der Bullerborn*.

* le Weser.

VI. Eginhardus in vita Caroli, postquàm disseruit de bello Aquitanico, quod ad annum Christi septingentesimum undeseptuagesimum retulimus, agit de Longobardico, eóque narrato sermonem sic ad Saxonicum convertit. *Post ejus*, nempe Longobardici, *finem*, *Saxonicum*, *quod quasi intermissum videbatur, repetitum est, quo nullum neque prolixius, neque atrocius, Francorúmque populo laboriosius susceptum est, quia Saxones, sicut omnes ferè Germaniam incolentes nationes, & naturâ feroces, & cultui dæmonum dediti, nostraque Religioni contrarii, neque divina, neque humana jura, vel polluere, vel transgredi, inhonestum arbitrabantur. Suberant & causæ, quæ quoti*[die pacem conturbare poterant, termini videlicet Francorum & illorum pe]... *ubique in plano contigui, præter pauca loca, in quibus vel sylva majore vel montium juga interjecta, utrorumque agros certo limite distermina*[...] *in quibus cædes & rapina & incendia vicissim fieri non cessabant. Qui*[...] *adeò Franci sunt irritati, ut non jam vicissitudinem reddere, sed aper*[...] *contra eos bellum suscipere dignum judicarent. Susceptum est ergo adve*[...] *eos bellum, quod magnâ utrinque animositate, tamen majori Saxonum q*[...] *Francorum damno, per continuos triginta-tres annos gerebatur.* Et [...] pòst hæc subjungit. *Plures eo bello tam ex nobilitate Francorum quà*[...] *xonum, & functi summis honoribus viri, consumpti sunt: tandémque tricesimo-tertio finitum est. Cùm interim tot ac tanta in diversis terrar*[...] *tibus bella contra Francos & exorta sint, & solertiâ Regis administra*[...] *meritò intuentibus in dubium venire possit, utrùm in eo aut laborum* [...] *tiam aut felicitatem potiùs mirari conveniat. Nam biennio, ante It*[...] *hoc bellum sumpsit exordium, & cùm sine intermissione gereretur,* [...] *men ex his, quæ alicubi erant gerenda, dimissum, aut ulla in* [...] *aquè operoso certamine cessatum est.*

VII. Error Eginhardi. Fallitur Eginhardus, cùm bellum Saxonicum susceptum ai[...] *ante Italicum*. Bellum Saxonicum hoc anno sumpsit exordium, [...] tero Longobardicum. Utrumque constat ex Annalibus Nazari[...] tavianis, Loiselianis, Laureshamensibus, Tilianis, Fuldensib[...] nianis, ac Metensibus, ex aliorum quoque Annalium fragme[...] riæ jussu Nibelungi scriptæ subjecto, necnon ex Poeta Saxo[...] vita Caroli cùm ab Auctore incerto tum à Monacho Egolism[...] ta. Initium quidem belli Longobardici in annum Christi sep[...] mum septuagesimum-quartum rejicit Auctor brevis Chronic[...] nysiani, sed ne biennium inter exordia bellorum Saxonici & Lo[...]

collocare videatur, initium belli Saxonici perperam in annum Christi septingentesimum septuagesimum-tertium hic differt. DCCLXXIII. *Karlus Rex bellum habuit contra Saxones in Heresburgo.* Totus error ex eo procedit, quòd Carolomanni Regis obitum, quem anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo referre debuit, anno postero sic consignavit. DCCLXXII. *Karlomannus obiit in Salmunciaco prid. Non. Decembris.* Constans est igitur omnium opinio, quòd anno proximo post inchoatum bellum Saxonicum, susceptum & Longobardicum, nec inter utriusque belli exordia intercessit biennium, ut Eginhardus suprà citatus falsò scribit. Ab eodem Eginhardo quantùm differant Annales Laureshamenses, quos ei perperam attribui Tomo superiore non semel monuimus, ex eo quoque patet, quòd Auctor illorum Annalium ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-secundum agit de bello Saxonico, de Longobardico ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-tertium. DCCLXXII. *Romæ Stephano Papâ defuncto, Adrianus in Pontificatum successit. Rex verò Karolus, congregato apud Wormaciam generali Conventu, Saxoniam bello aggredi statuit, eamque sine mora ingressus ferro & igne cuncta depopulatus, Eresburgum Castrum cepit, idolúmque, quod Irminsûl à Saxonibus vocabatur, evertit. In cujus destructione, cùm in eodem loco per triduum moraretur, contigit, ut propter continuam cœlo serenitatem exsiccatis omnibus illius loci rivis ac fontibus, aqua ad bibendum inveniri non posset. Sed ne diutiùs siti confectus laboraret exercitus, divinitus factum creditur, ut quadam die, cum juxta morem tempore meridiano cuncti quiescerent, propè montem, qui castris erat contiguus, tanta vis aquarum in concavitate cujusdem torrentis eruperit, ut exercitui cuncto sufficeret. Tunc Rex idolo destructo ad Wiseram fluvium accessit, ibique à Saxonibus XII obsides accepit. Inde in Franciam reversus.* Anno sequenti recitabimus textum eorumdem Annalium, in quo Caroli Regis in Italiam seu Longobardiam profectio narratur.

VIII. Poëta Saxonicus ad hunc annum, quo Carolus bellum adversùs Saxones primò gessit, situm Saxoniæ describit, Saxones in tres distinguit populos, eósque non uni Regi seu Dynastæ sed Ducibus, sive, ut alibi cum Beda locuti sumus [a], Satrapis subjicit, adeò multis, ut singuli pagi suos Duces seu Satrapas habeant. Ostphalos in Orientali parte collocat, in Occidentali Westphalos, Angarios inter utrosque, atque ut Saxonum gentem Francis versùs meridiem conterminam agnoscit, sic & eâ limitem versùs Septentrionem tribuit mare Balticum, quod improprio vocabulo licentiâque poëticâ Oceanum appellat.

SAXONES IN TRES POPULOS DISTINGUUNTUR.

Saxonum natura ferox, & pectora dura,
Ferre jugum Christi nondum dignata suave,
Dæmonico nimiùm fuerant errore subacta.
Christicolæ verò jam longo tempore Franci
Catholicam tenuere fidem, multisque per orbem
Jam dominabantur populis, quibus undique fulti
Præcipuè virtute Dei, quem ritè colebant,
Hanc unam poterant nimirum vincere gentem.
Quæ nec Rege fuit saltem sociata sub uno,
Ut se militiæ pariter defenderet usu,
Sed variis divisa modis plebs omnis, habebat
Quot pagos, tot penè Duces, velut unius artus
Corporis in diversa forent hinc inde revulsi.
Sed generalis habet populos divisio ternos,
Insignita quibus Saxonia floruit olim.
Nomina nunc remanent, virtus antiqua recessit.
Denique Westfalos vocitant in parte manentes

[a] Ad an. 695. n. 3.

AN. CH. 772. CAROLI R. 4.

Occidua, quorum non longè terminus amne
A Rheno distat. Regionem Solis ad ortum
Inhabitant Osterlingi, quos nomine quidam
Ostvalos alio vocitant, confinia quorum
Infestant conjuncta suis gens perfida Sclavi.
Inter prædictos mediâ regione morantur
Angarii, populus Saxonum tertius. Horum
Patria Francorum terris sociatur ab Austro,
Oceanóque eadem conjungitur ex Aquilone.
Hanc igitur Carolus statuit sibi subdere gentem.
Nec mora, cum totis Francorum viribus ipsam
Aggressus, latè ferro vastavit & igni.

IX. *Ecclesia Daventriensis destruitur.* Dum autem bellum feliciter à Carolo gerebatur, Westphali, qui Daventriæ proximi erant, Ecclesiam illic nuperrimè constructam igni succenderunt. *Cùm ad eam*, inquit Altfridus in vita Sancti Liudgeri, *populus ob viri Sancti*, Lebuini seu Liafwini, *doctrinam conflueret, Saxones, qui eo tempore paganis fuscabantur ritibus, in furorem conversi, collecto exercitu effugarunt Christianos ab illis locis* ad Orientalem Isalæ ripam sitis, *& Ecclesiam* Daventriæ *combusserunt igni. Tunc vir Domini Liofwinus reversus ad Abbatem*, id est, ad Gregorium Abbatem Ultrajectinum, *præstolabatur consolationem à Domino.* Huebaldus idem incendium Daventriensis Ecclesiæ non omisit in vita Sancti Lebuini. *Irruunt*, ait, *&, opposito igne, Ecclesiæ domum concremant, & quoscumque Christianos ibidem reperiunt, ab eodem loco insectando longiùs proturbant.* Et inferiùs. *Ecclesia ipsa ab eodem Sancto viro* Lebuino *& quibusdam fidelibus, ut jam diximus constructa, sed ab infidelibus exusta, iterúmque est reædificata*, debellatis videlicet Saxonibus à Carolo, cujus auditâ victoriâ Lebuinus seu Liafwinus mox Daventriam reversus, &, ut Altfridus in vita quoque Sancti Liudgeri testatur, *reædificavit Ecclesiam, quæ fuerat combusta, & more solito non cessabat documenta salutis impendere gregi, quoadusque Pastori summo dilectam redderet animam, & defunctus, in eadem est Ecclesia sepultus*, ut suo loco dicemus.

Reædificatur a Lebuino Presbytero.

X. Hoc eodem anno, qui Caroli Regis quartus numeratur, prima ejus in Saxoniam profectio notatur ab Ægile in vita Sancti Sturmionis Abbatis Fuldensis, & idem Sturmio propter operam in promovenda pòst conversione Saxonum egregiè navatam plurimùm commendatur. *Regnante feliciter Rege Karolo annos quatuor, Saxonum gens sæva & infestissima cunctis fuit, & paganis ritibus nimis dedita. Rex verò Karolus Domino semper devotus, cùm ipse Christianissimus esset, cogitare cœpit, qualiter gentem hanc Christo acquirere quivisset. Inito servorum Dei consilio poposcit, ut precibus Dominum votis suis annuere obtinerent. Congregato tam grandi exercitu, invocato Christi nomine, Saxoniam profectus est, assumptis universis Sacerdotibus, Abbatibus, Presbyteris, & omnibus Orthodoxis atque fidei cultoribus, ut gentem, quæ, ab initio mundi, Dæmonum vinculis fuerat obligata, doctrinis sacris mite & suave Christi jugum credendo subire fecissent. Quò cùm Rex pervenisset, partim bellis, partim suasionibus, partim etiam muneribus, maxima ex parte gentem illam ad fidem Christi convertit. Et post no[n] longum tempus totam provinciam illam in Parochias Episcopales divisit.* Di[…] recti priùs in Saxoniam viri Dei, qui populum edocerent baptizarént[…] que. Singularem prænominati Fuldensis Abbatis commendationem a[…] cipe. *Pars maxima beato Sturmi populi & terræ illius, ad procurandum co[…] mittitur. Suscepto igitur prædicationis officio, curam modis omnibus imp[…] dit, qualiter non parvum Domino populum acquireret. Sed temporibus in[…] hac opportunis, sacris eos sermonibus docens, ut idola & simulachra dere[…] querent, Christi fidem susciperent, Deorum suorum templa destruerent, l[…]*

Sturmius Abb. Fuld. erudit Saxones.

succider[…]

succiderent, sanctu quoque Basilicam adificarent. De novis Episcopatibus fusius ac commodius agemus infrà.

Carolus è Saxonia reversus est Haristallium. Lantfredo Abbati pro libertate Monasterii Sancti Germani Præceptum concessit tertio-decimo Kalend. Novembris, in Haristallio Palatio publico, anno quinto Regni jam inchoato, ut Joannes Mabillonius in observationibus prævius Translationi Sancti Germani Parisiensis Episcopi testatur a. In eodem quoque Palatio Natalem Domini celebravit, idque veteres Annalistæ, Loiselianus, Tilianus, aliique scribunt. CAROLI R. 4. XI. PRÆCEPTUM CAROLI R. PRO MON. S. GERMANI. a Tom. 3 Sec. 3. Benedict. p. 910. & seq.

Hoc anno, sexto Idus Julii, migravit in cælum Amalberga Virgo, de qua jam locuti sumus Tomo superiore b, cum Rodinus ejus frater è Caroli Regno Remos ad Carolomannum confugit. Vitam in novem ac viginti capitula distributam, sed multis fabulis incertisque narrationibus respersam exhibet Codex Bibliothecæ Rigotianæ visus à Luca Dacherio & Joanne Mabillonio, qui nonnulla publicarunt c eamméruntque fragmenta, hic à nobis haud omittenda, ne gesta Rodini gratis & absque fundamento videamur impugnasse. XII. ACTA S. AMALBERGÆ VIRGINIS EXAMINANTUR. b Tom. 5 Sec. 3. Benedict. hoc in die & seq.

Amalberga vitæ sumpsit exordia in pago Ardenna, in patrimonio villa Rodingi nuncupato, tempore quo divæ memoriæ Pippinus unà cum fratre Carlomanno honesté regebat in sceptra, id est, paulò post Caroli Majoris-domûs mortem, sive ineunte Carolomanni ac Pippini fratrum Majoratu, obiit enim anno Incarnationis Verbi septingentesimo septuagesimo-secundo, Indictione decimâ, vi Idus Julii, anno ætatis trigesimo-primo. XIII.

Ejus pater Christianus, mater verò Eva. Nec id alienum à vero videtur. At de eorumdem parentum genere non ita censemus, quoniam absque valida probatione commendantur tanquam è sanguine magnorum Regum Regumque & Principibus originem ducentes. Frustrà enim Amalberga beatissimis, Gertrudi, Aldegundi, atque Waldetrudi, propinquitate agnatione proxima fuisse, & Beggam amitam habuisse fertur. Gertrudis Abbatissa Nivigellensis obiit anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-nono; Aldegundis Abbatissa Melbodiensis è vita migravit anno Christi sexcentesimo octogesimo quarto; Waldetrudis Abbatissa Castrilocensis, Aldegundi sorori superstes, ad annum usque Christi sexcentesimum duodenonagesimum vixit; Begga, prædictæ Gertrudis soror, Pippini Haristallii mater, anno Christi sexcentesimo octogesimo-sexto vivere desiit. Iisdem autem temporibus floruit Amalberga, Pippini Landensis è sorore neptis, prælaudatarum Gertrudis & Beggæ consobrina, cujus obitus in annum Christi circiter sexcentesimum octogesimum-sextum incidit. Duas igitur Amalbergas distinguemus, Seniorem, Gertrudis Abbatissæ, Pippini videlicet Landensis è sorore neptem, consobrinam; Juniorem, Beggæ quæ Pippini Regis proavia fuit, & Carolomanno & Pippino Majoratum jam adeptis. Utramque Auctor, in quem incurrimus, simul confundit, licèt à senioris obitu ad junioris ortum anni effluxerint quinque circiter ac quinquaginta. Senior Amalberga Pippinum Haristallium Pippini Regis avum cognatione contingebat. Idem asserendum non potest, de cujus genere præter parentum nomina nihil legitur, quapropter ubi frater ejus Rodinus vocatur Regum sanguine, tanquam senioris prolis, commendatur. XIV.

Amalberga adhuc puella propriis manibus Oratoriolum in viridario paterno constituisse, puero ob furtum contracto sanitatem restituisse perhibetur. Hæc non impugnamus. Quæ proximè sequuntur, fabulosa sunt. Willebrordus, in ad Monasterium Afternarum sive Epternacum per Arduennam proficiscens, ad illustris Christiani domum divertisse, ac Amalbergam optimis monitis instruxisse memoratur, quibus accensa virgo tradita est beatæ Landradæ, quatenus eam sacris erudiret literis, virtutumque informaret exemplis. Obiit Willebrordus anno Christi septingentesimo XV.

AN. CH. 772. CAROLI R. 4.

quadragesimo-secundo, quo lucis usuram accepit junior Amalberga; multóque citiùs, anno videlicet Christi circiter sexcentesimo nonagesimo, decessit Landrada Belisiensis Abbatissa.

XVI. Fabulosa quoque sunt, quæ de Carolo Pippini Regis filio subjiciuntur. Amalbergam, licèt in Cœnobio Belisiensi degat, Carolo filio Rex Pippinus in uxorem expetit, renitentem Carolus adsumpto secum Rodino ipsius fratre invisit, & ad conjugii copulam frustrà conatur allicere, deinde ob interemptam *in contigua villa Gersbellia* bestiam, quæ prætereuntibus infesta erat, audacior factus rem eandem tanto molimine aggreditur, ut & virginem cogat *in Oratorium Dei Genitricis* confugere, & ipsius Ecclesiæ *fores confringere* velit, negotio tamen infecto in aulam patris sui revertitur, tunc autem *Andanam ad Beggam amitam suam* pergit Amalberga. Begga, quæ Pippini Landensis filia fuit, neutrius Amalbergæ dici potest amita, senior enim ejusdem Pippini neptis erat ex sorore, junior verò longè seriùs nata est, anno Christi septingentesimo quadragesimo-secundo. Begga, Caroli, qui nuptias Amalbergæ cupiisse dicitur, abavia fuit, puellare Monasterium Andanæ post obitum mariti construxit anno Christi sexcentesimo septuagesimo-quarto, annóque pòst duodecimo vitam clausit. Carolus anno Christi septingentesimo quadragesimo-septimo natus est, quintum ætatis annum agebat cùm Pippinus regnare cœpit, regnante eodem Pippino Himiltrudem sibi sociavit. Ergo Pippinus Rex nec Amalbergam, nec aliam quampiam optavit nurum habere, quæ in Monasterio vel apud Belisiam cum Abbatissa Landrada, vel apud Andanam cum Begga vidua degeret. Joannes Molanus [a] Carolum, qui tanto in Amalbergam amore abreptus fertur, interpretatur Carolum Majoremdomûs, cognomento pòst Martellum, cujus pater Pippinus Major-domus, à multis Rex quoque per adulationem dictus, anno Christi septingentesimo decimo-quarto interiit. At Amalberga, de qua quæstio movetur, pos[t] hujus Caroli mortem nata est, Carolomanno ac Pippino ipsius Caroli filiu[s] tum Majoribus-domûs, obiit enim anno Christi septingentesimo septuage[simo]-secundo, ætatis suæ tricesimo-primo inchoato.

[a] d. 10. Jul.

XVII. Prioribus fabulis aliæ subnectuntur etiam post Pippini Regis morte[m] cùm Carolus, cognomento pòst Magnus, Regno Francorum jam potitu[s] *Parentibus almæ virginis è medio factis, Hunrodus quidam in aula* Pippini Re[gis] *inter nobilissimos primus, relictam orphanam, quasi ex jure propinquitatis substitutione pupillari suscipiens in sua, in domum genitricis suæ Riq[...] invitam atque reluctantem* traducit, ut *opportunè filio Regis* eam tra[...] Pippino Rege mortuo, Francorum Optimates consilium de Caroli R[...] & Amalbergæ nuptiis ineunt, sed hæc à Rodino fratre submonita v[...] ad locum, cui *Acboim* vocabulum est, ubi venerabilis soror ejus mota[...] & velo capiti imposito fugam capessit, variísque miraculis in itinere [...] ter. Carolus ex Aquitanico adversùs Hunoldum bello reversus, Torna[...] pergit, & Amalbergam trans mare fugere meditantem, *in villa Matern[...] gi Brachatensis* delitescentem convenit. Verùm hæc à Waldulfo Presb[...] præmonita, in loci Oratorium Sancto Martino ab se positum con[...] quò Carolus *temerè* irrumpit, eíque *Martyrium*, hoc est, brachii la[...] nem, infert; Dominus verò sanitatem mox restituit. Carolus Valer[...] posteà proficiscitur, & in facti pœnam repentè febri torquetur, at [...] Fulrado cum muneribus ad Amalbergam *in villa Tempseca* degente[m] so pristinam valetudinem recuperat. Totam hanc fabulam destruunt [...] Caroli & Himiltrudis, celebratæ sunt enim regnante Pippino, &[...] trudis post ejusdem Pippini mortem superstes aliquot annos vixit [...] erat anno Christi septingentesimo sexagesimo-nono, cùm Carolus [...] noldo sive Hunaldo in Aquitania triumphavit. Supererat & ann[o] septingentesimo septuagesimo-primo, cùm idem Carolus generale[...]

corum Conventum ad Schaldim fluvium in villa Valentiana peregit. Ergo AN. CH.
Rodinus iram Caroli Regni haud incurrit eo quod Amalbergam tororem 772.
ex aedibus Humoldi clam subduxisset. CAROLI R. 4.

Denique Amalberga è vita migrat anno Incarnati Verbi septingentesimo XVIII.
septuagesimo-secundo, Traditione dormiâ, vt idus Julii, anno aetatis trigesimo-primo, sepelitur in Ecclesia, quam ipsa in honore Dei Genitricis construxit apud suî juris villam Temsecam, ponitúrque ad dexteram altaris. Hæc cum paucis ex præcedentis vera credimus. Inde vitam Sanctæ Amalbergæ, vel potiùs epitomen, fabulis amputatam, breviter accipe.

Amalberga nobilissimis parentibus Christiano & Evâ in pago Arduennensi, in patrimonio villa Rodingi nuncupato nata est ineunte anno Christi XIX.
septingentesimo quadragesimo-secundo, Carolomanno ac Pippino tum Majoribus-domûs. Adhuc puella propriis manibus Oratorium in viridario parentum construxit, puero in furti commissi pœnam contracto sanitatem restituit. Viro nubere recusavit, velo capiti imposito virginitatem Deo vovit, in villa Materna pagi Brachbatensis cum aliquot Monialibus degit, ibique Oratorium erexit sub nuncupatione Sancti Martini, degit & in villa sui juris Temseca nomine ad Schaldim, ibique Ecclesiam nomine beatissimæ Virginis ædificavit. Decessit in eadem villa sexto Idus Julias, anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo, cùm annum ætatis ageret tricesimum-primum; sepulta est in Ecclesia Dei Genitricis, positaque ad dexteram altaris. Pingi solet cum insignibus Abbatissæ & sturione pedibus supposito. Certè, dum in villa Materna morabatur, Sanctimoniales in suo habebat comitatu, quibuscum in Oratorio Sancti Martini divina officia persolvebat. Quod ad piscem sub pedibus appictum attinet, hujusmodi picturæ causa hæc affertur. Amalberga, cùm aliquando resideret in fundo Vilvort, advocans ancillam suam, jussit ut herbam, quam vulgò cressonium vocant, circa irrigua Sennæ fluminis decerperet. Quod cùm illa exequeretur, piscis immanissimus, quasi ad devorandum eam dato saltu emersit prope fluvium. Exclamanti ancillæ Amalberga imperavit, ut apprehenderet branceam seu brancheam ejus. Quod & factum est.

Decimoquarto Kalendas Februarii, quo die colitur à Rotomagensibus, obiit Remigius Archiepiscopus Rotomagensis hoc anno, sedit enim annos septendecim, ut Ordericus Vitalis [a] scribit, & teste Annalistâ Petaviano in anno DCCLV adeptus est Sedem Ecclesiæ Rotomagensis. Ei successit in Archiepiscopatum Mainardus seu Magenardus. XX. REMIGII ARCHIEP. ROTOMAGENS. OBIT. [a] Lib. [illegible]

Episcoporum Cenomannensium Chronologia non est adeò certa. In Catalogo, quem Petrus le Bret Doctor Theologus & Archidiaconus Ecclesiæ Cenomannensis Demochari [b] communicavit, post Sanctum Berarium, cujus obitum anno Christi sexcentesimo octogesimo-primo consignavimus, hoc ordine recensentur Episcopi Cenomannenses. XXI. [b] De Div. Miss. sanct. cap. [illegible] Episcopi Cenomannenses.

Herlemundus	ann. 9.
Odigus	2.
Gauslenus	10.
Herlemundus Secundus, annos 16.	menses 9. dies 18.
Merolus	10.
Joseph	ann. 9.
Franco Primus	ann. 22. menses 3. dies 8.
Franco Secundus	ann. 16. menses 5. dies 1.
S. Aldricus.	

Democharem ad verbum transcripsit Chenutius, transcripsit & Robertus. At hic ad Herlemundum Primum & Odigum duo monuit ex Codice Thuaneo, locum videlicet Aghberto Berarium inter & Herlemundum Primum dari, Odigumque post Herlemundum Secundum collocari, deinde quos Demochares Francones dixit, ipse Franconeses appellavit, & Francones XXII.

AN. CH. 772. CAROLI R. 4. Secundo præter annos completos inter appendicias mensium ac dierum non dies 5 sed 15 attribuit.

Severtius Democharis Indicem & calculos sequitur, excepto quòd Francori Primo non annos 22 sed 12 duntaxat assignat. Annos autem singulorum Episcoporum, quod præcitati Nomenclatores haud præstiterunt, ad

XXIII. Christianam Chronologiam revocare sic nititur.

S. Herlemundus, annis novem, perendéque obiit an. 697.
Odigus, annis duobus, & finiit an. 699.
Gausilenus seu Gansilen. an. 50. Vnde salutus est an. 749.
Herlemundus 2. an. 26. mensib. 9. dieb. 13. in Sede moriens an. 775.
Merolus, an. 30. Subitque vices natura an. 805.
Joseph, an. 9. deficiens an. 814.
Francor 1. an. 12. egressus an. 826.
Francor 2. an. 16. exiliens an. 842.
S. Aldricus.

XXIV. Hic Auctor anno Christi sexcentesimo duodenonagesimo Herlemundum Primum Berario, Francori Secundo Sanctum Aldricum anno Christi octingentesimo quadragesimo-secundo subrogat. In utroque fallitur. Herlemundus Primus, nec Berario proximè successit, nec Episcopatum anno Christi sexcentesimo duodenonagesimo suscepit; & Aldricus anno Christi octingentesimo tricesimo-secundo Pontifex est ordinatus.

XXV. Corvaisierus & Bondonnetus accuratiorem Catalogum texuerunt. Imprimis Berario Aiglibertum, Aigliberto suffecerunt Herlemundum Primum. Deinde Odigo post Herlemundum Secundum rejecto, Interpontificium agnoverunt ab obitu Herlemundi Primi, donec Gausilenus Episcopatum iniit. Denique observarunt Gausilenum, ut antè, sic & post Herlemundum sedisse, nec Infulas ante Gausileni mortem Odigo delatas esse, deposito enim Gausileno promotus est ad Episcopatum Herlemundus hujus nominis Secundus, eóque pòst è Cenomannia seu pulso, seu sponte discedente, Sedem rursum obtinuit Gausilenus, cui tandem mortuo subrogatus est Odigus.

XXVI. Eundem Catalogum retinent Sammarthani, sed à temporibus Hardoindi qui Berarium antecessit, ad ordinationem usque Aldrici, nullum Dominicæ Incarnationis annum consignant, nec etiam exponunt distinctè de Berario, de Aigliberto, de Herlemundo Primo, de Gausileno, de Herlemundo Secundo, & de Francone Primo, quot annos singuli sederint; de ceteris verò cum Democharе conveniunt, Hodigo enim annos duos, Merolo triginta, novem Josepho, Franconi Secundo sexdecim cum mensibus quinque diebúsque totidem assignant. Corvaisierus ab ordinatione Gausileni ad ejus obitum vult annos effluxisse ferè quinquaginta, è quibus ad Herlemundi Secundi Pontificatum novem pertinuerint; deinde Hodigo duos tribuit annos, Merolo sive Chorepiscopo sive Episcopo triginta, Josepho novem, duos & viginti cum tribus mensibus diebúsque totidem Franconi Primo, quem addit obiisse tertio Kalendas Februarias, anno Christi octingentesimo decimo-sexto, subditque Franconem Secundum è vita migrasse octavo Idus Novembres anno Christi octingentesimo tricesimo-secundo, postquàm Diœcesim annos sexdecim, menses quinque, diésque totidem gubernasset. Bondonnetus in suis adversùs Corvaisierum observationibus annos è solis Gausileni & Meroli Pontificatibus amputandos censet. In ejus sententiam imus, & Merolum decimo-quinto Kalendas Apriles anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto mortuum fatemur. Ab anno autem Christi septingentesimo quadragesimo-tertio quo Herlemundus Primus vitam clausit, ad annum Christi septingentesimum octogesimum-quartum, numerantur anni duntaxat unus & quadraginta, intra quorum spatium vacavit Episcopatus, sedit Gausilenus, cum Herlemundus Secundus annis novem,

AN. CH. 772. CAROLI R. 4.

XXVII.

Gausilenus ceterum, deinde Hodigus annis duobus, postremo Merolus. Ergo nec Gausilenus annis quinquaginta, nec Merolus triginta Pontificem se dixit. Id apud omnes in confesso est.

Obiit Gausilenus Carolo jam Rege. De anno tamen non liquet. Bondonnetus id eit contigisse vel anno Christi septingentesimo septuagesimo vel proximo, nos anno uno serius, quoniam ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo ad annum Christi septingentesimum octogesimum-quartum supersunt anni duodecim, quorum intercapedinem duos in Pontificatus ita distribuimus, ut in Episcopali Cathedra duos annos Hodigus, Merolus verò 10 non 30 sedeat, & totus error ex affinitate numerorum manasse videatur. Ab obitu autem Herlemundi Primi ad Gausileni usque mortem, secundùm nostros calculos, anni duntaxat undetriginta computantur, è quibus si novem ad circumscribendum Herlemundi Secundi Pontificatum rescideris, viginti tantùm supererunt, quorum pars una Interpontificium, altera Gausileni Præsulatum indicabit. Corvaserius, ubi tempus investigat, quo Gausilenus ordinatus est Episcopus, sibi non benè constat, nam capite decimo-sexto, cui nomen Gausileni præfigitur, eundem Gausilenum vult factum fuisse Episcopum, cùm Pippinus in Regem jam elevatus esset, & capite decimo-septimo, cui pro titulo nomen est Herlemundi Secundi, Gausilenum agnoscit Episcopum Pippino Regnum nondum adepto. Priorem opinionem amplexi sumus. In nostra igitur sententia Herlemundus Primus anno Christi septingentesimo quadragesimo-tertio migrat ex hac vita, vacat Episcopatus annis decem; Gausilenus Pippino jam Rege à Raginfrido Rotomagensi Metropolita consecratur Episcopus anno Christi septingentesimo quinquagesimo-tertio; Herlemundus Secundus Gausileno post biennium deposito subrogatur anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto, sedet annos novem, dimittit Episcopatum anno Christi septingentesimo sexagesimo-quarto; Gausilenus Sedem tum recuperat, anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto Attiniacense Placitum suâ subscriptione communit, obitque anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo, post Herlemundi Secundi abdicationem octavo. Hæc ad Chronologiam.

XXVIII.

Gausilenus apoplexi correptus vitam in pago * Silliaco terminavit. Inde autem delatus in Monasterium, cui nomen Cultura * Dei prope muros Cenomannenses, ibi sepulturam accepit. Superstes erat in vivis Merolus Chorepiscopus. Hic mortuo Gausileno vices Episcopales obire destitit. In Episcopatum autem successit Odigus sive Hodigus vel Hodingus, qui tunc erat in Comitatu Caroli Regis, & præ ceteris electus est, ut damna Diœcesi Cenomannensi per Gausilenum illata repararet. Cùm Gausilenus in Pontificali Cathedra sedere cœpit, florebant in Episcopatu Cenomannensi Monasteria sex ac triginta, quæ, cùm finem vivendi fecit, seu pristino splendore plurimùm deciderant, seu bonis eorum pervasis, Monachis in fugam actis. Abraham homo laicus, qui familiæ Gausileni præerat, Buxidum * insignem Abbatiam in pago Sagonensi occuparat, ejusdem herò è vita sublato in Aulam Regiam secessit, cum multis aliis fugitivis, recepitque in pagum Sagonensem, ne pœnas lueret, Regio se Comitatui subtraxit, ubi gravissimo statim morbo correptus interiit, atque in claustro Sagonensis Monasterii, quod pervaserat, sepultus est, ineunte Hodigi Pontificatu, de quo paulò post biennium dicemus. Hæc autem mutuati sumus ex Corvasiero, qui ex Bondonneto, qui vetera monumenta consuluerunt.

* le bourg de Sillé.

* la Coûture.

* Boussay, vel la Bouffelière dans le Sonnois.

XXIX.

E Monasteriis sex ac triginta, quæ sub antecessoribus Gausileni floruisse perhibentur, pleraque sub Meroveadis Regibus commemoravimus, Anisolam, Aurionem, Busogilum, Buxidum, Caladunum, Culturam Dei, Greslis, Pratum, Prisciacum, Soliccumum, Tillidum, Tuffiacum, Vandoperum,

AN. CH. 772. CAROLI R. 4. Monasterium Victorii, Monasterium Beatæ Mariæ, Monasterium Beati Petri ad Brigiam, Monasterium Beati Petri prope muros Cenomannenses, Monasterium Sancti Albini, Monasterium Sancti Germani, Monasterium Sancti Vincentii, Monasterium Sanctæ Scholasticæ; cetera nos latuerunt. Ex illis autem viginti, quorum meminimus, ut variæ sunt temporum vicissitudines, hodie superstant tantùm quinque, Pratum, Anisola, Cultura Dei, Aurio, & Monasterium Sancti Vincentii; primum est fœminarum, cetera virorum; omnia Benedictini Ordinis; at posterioribus sæculis erecta sunt alia, de quibus agemus suis locis, ut ordo rerum postulabit.

XXX. URSICINUS EPISC. CURIENS. OBIT. SUCCEDIT TELLO II. Tomo superiore [a], cùm subscriptiones Attiniacensi Placito subjectas examinaremus, vulgarem Curiensium Episcoporum Chronologiam emendavimus, atque per anteceſſum monuimus vitam Urſicini, ut Bucelinus aliquando censuit, ad hunc usque annum producendam esse. Decessit Ursicinus sexto Nonas Octobris, & anniversariâ memoriâ per totam Diœcesim celebratur. Successit in Episcopatum Tello Secundus, Vigilii, de quo suprà, nepos ex fratre Victore Rhætiæ Curiensis Præfecto. Supererat in vivis Adelbero Disertinensis Abbas, cujus successor Azo vitam finivit anno Christi septingentesimo septuagesimo-octavo. Lege Bucelinum in Rhætia sacra & prophana.

[a] Ad an. 765. n. 35.

XXXI. ABBATES FABARIENSES. Hoc eodem anno, quo Beatum Ursicinum Episcopum sibi ereptum Curiensis Ecclesia deflevit, in Curiensi quoque Diœcesi Monachi Fabarienses Athalbertum Abbatem è vita sublatum luxerunt. In administrationem Monasterii suffectus est Martianus Abbas, Augiensis olim Monachus, & *beato Ursicino Disertinensis Cœnobii Abbati, dein Curiensi Episcopo familiarissimus*. Lege eundem Bucelinum in Rhætia sacra & prophana, necnon in altera parte Monasteriologiæ Imperii Germanici.

XXXII. S. MAXIMINI. Bruschius in Chronologia Monasteriorum Germaniæ, Wernolphum hoc anno, sive, ut loquitur, *anno quarto Caroli Magni* Sam-Maximinianum Abbatem agnoscit. Id per anteceſſum Tomo superiore jam notavimus ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-sextum [b], quo superstitem in vivis Odilardum Abbatem probavimus ex Regio Pippini Diplomate. Series Abbatum apud illum Auctorem valdè perturbatur, Odilardo enim, qui *tempore Pipini Regis* præfuit, subjiciuntur Weomadus, Heberardus, Wernolphus, & quidem *Heberardus anno Christi 809, Wernolphus anno quarto Caroli Magni*. Weomadus autem Odilardum antecessit in Abbatiali munere, & Wernolphum Heberardo præponendum suadent Chronologici Characteres proximè descripti. In Gallia Christiana *Werinolphus* seu Wernolphus *ex Diplomate Caroli Magni Paderbonæ an. regni 40.* celebratur. Bucelinus in Monasteriologia Imperii Germanici, quamvis locum reticeat, ubi datum à Carolo Diploma, Werinolphum anno quadragesimo ejusdem Caroli Regis floruisse scribit, idque constare dicit ex ipsius Caroli Diplomate. *Werinolphus*, inquit, *vixit an. 40. tempore Regni Caroli Magni, quod ex hujus constat Diplomate*. Hunc fortè textum sic explicabis, ut regnante Carolo Magno Werinolphus annis quadraginta munus Abbatiale censeatur exercuisse. Talem dubio procul interpretationem hæc pati potest phrasis, *Werinolphus vixit an. 40. tempore Regni Caroli Magni*; sed id constare non existimamus ex ullo Caroli Diplomate. Regium Diploma, cujus mentionem Sammarthani & Bucelinus fecerunt, non aliud videtur ab eo, quod Miræus in Belgicis Diplomatibus [c] publicavit cum hac subscriptione. *Data mense Augusto, anno* X.... *Regni nostri. Acta Padrebrunnâ* * *fisco nostro super*..... *Signum Karoli gloriosissimi Regis*. Sana non est hæc subscriptio, quia pars Chronologicorum Characterum legi non potuit. Inde tamen edidicimus Diploma, quod Carolus Abbate Werinolpho petente conscripsit, datum fuisse Padreburnæ, mense Augusto, post annum Caroli Regis X, Christi DCCLXXVIII. Certè Carolus Rex, cujus annus XL cum anno

[b] Num. 1.

[c] Cap. 8.

* Paderborn.

Christi DCCCVIII per mensem Augustum convenit, illo anno Padrebunæ non degit, erat autem per eundem mensem Augustum anno Regni sui XXXI, Christi DCCXCIX. Diplomatis igitur subscriptio sic restituenda. *Data mense Augusto, anno XXXI Regni nostri.* Ipsum Diploma, ut à Mirxodit... est, ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-nonum describemus. Interim hic observa Sancti Maximini Monasterio Abbatem hoc anno Caroli Regis quarto ex Bruschio necnon anno ejusdem Caroli Regis tricesimo-primo sive anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono ex ipsius Caroli Diplomate præfuisse Werinolphum seu Wernolphum, cui locus Odilardum inter & Heberardum in San-Maximinianorum Abbatum Catalogo tribuendus. AN. CH. 772. CAROLI R. 4.

Obiit hoc anno in Atrebatensi Diœcesi Savericus Hasnoniensis Abbas, cui successit Geroldus, ut Vinchantius in Annalibus [a] Hannoniæ testatur. Locrius Sigibertum Abbatem Vedastini Præfecturam quadriennio circumscribit, additque Monachos Vedastinos ob persecutionum turbinem Abbate per integrum sexennium caruisse. Sigibertum hic Auctor Abbatem ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-septimum agnoscit. Integro quinquennio ab illa Chronologia discrepamus, anno enim Christi septingentesimo duodeseptuagesimo Sigibertum Adalrico suffecimus. Rationem totius controversiæ expositam habes Tomo priore. Quamcumque autem opinionem amplectaris, Sigiberti Præfecturam sive ab anno Christi septingentesimo sexagesimo-octavo sive quinquennio post ordiaris, illam quadriennio ne circumscribas. Non extat enim memoria persecutionis, quæ Vedastinum Abbatem per illa tempora subrogari prohibuerit. Existimamus igitur Sigibertum vixisse ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum-tertium, quo Radfridus apud Locrium fit Abbas, persecutionem, ut ille subdit, *turbine mundi subsidente.* Qua de re nos iterum ad illum annum disputabimus. XXXIII. HASNONIENSIS. [a] Lib. [illegible] VEDASTINI.

In Diœcesi Carnotensi Dodo Abbas, cùm annos duos ac viginti Monasterio Sancti Carauni præfuisset, obiit hoc anno. Successit Odo. Utriusque meminerunt Sammarthani in Gallia Christiana [b]. XXXIV. S. CARAUNI. [b] Tom. 4.

Quod attinet ad Romanos Pontifices, quorum tuitioni ac quieti Carolus exemplo Pippini Regis invigilavit, Stephanus Quartus Papa, cùm annos tres, *menses quinque, dies viginti-octo* sedisset, hoc anno Kalendis Februarii è vita discessit. *Cessavit Episcopatus dies octo.* Tum successit Hadrianus. Ceterùm factione Pauli Afiartæ, cùm Stephanus æger esset, Sergius Secundicerius pridem excæcatus è Cellario Lateranensi, ubi servabatur, eductus, plurimis confossus est vulneribus. Quod impium facinus ægerrimè post à tulit Hadrianus, & omnes eos, quibus Afiarta, Desiderio Regi Longobardorum obsecutus, iniquior fuerat, aut educi custodiis, aut ab exiliis revocari jussit. At paulò post gravissimum fuit ei cum eodem Rege dissidium. Erat Desiderius eo tempore Carolo propter repudiatam paulò ante filiam vehementer iratus. Itaque ultionis occasione libenter arreptâ, Gerbergam Carolomanni conjugem ejúsque filios in fidem suscepit, eósque ad veterem Carolomanni Regem per novum Pontificem consecrare Reges decrevit. Sic enim sperabat, ut compos voti factus, aut Carolum ab amicitia Pontificis alienaret, aut bello civili per eandem causam in Franciam concitato faciliùs Romam Italiámque subigeret. Verùm alienum Hadriani ingenium veritus, ipsum Papam sibi adjungendum, & quoquo pacto conciliandum putavit, cúmque Legatis missis pro renovando fœdere sollicitavit ad colloquium. Hadrianus non recusavit sancire pactionem fœderis, sed nuncios ad Desiderium se pro negotio transigendo missurum respondit. Desiderius hoc responso se delusum ratus exercitum transcendere jussit in Exarchatum & in Pentapolim duobus mensibus novi Pontificatûs needum exactis. Frequentes hinc inde susceptæ posteà Legationum XXXV. STEPHANUS IV. PP. obiit. Succedit HADRIANUS. DESIDERIO R. LONGOBARD. [illegible]

AN. CH. 772.
CAROLI R. 4.

irrito voto, quia Desiderius Hadrianum ad se volebat venire, ditionique Pontificiæ fraudulenter inhiabat; Hadrianus verò nolebat ejus fidei se credere, plurimásque civitates Apostolicæ Sedi reddi poscebat. Tandem Desiderius Pontificios Legatos gravibus cum minis dimisit, adjecitque se cum exercitu Romam venturum, atque Urbem hostiliter obsessurum. Hadrianus in tantis rerum angustiis positus Urbi, tanquam in extremo periculo, consulere studuit, ac portis præclusis eam muniri, & præsidiis majoribus aeque intentioribus custodiri præcepit, ac demùm Stephani exemplo Carolum Francorum Regem his de rebus docere atque adversùs Desiderium advocare decrevit. Petrum igitur navali itinere, ad evitandas terrestres Desiderii Regis insidias, in Franciam misit, significavítque Carolo Desiderium jampridem saluti & libertati Italiæ insidiatum, nunc oppidis Ecclesiæ occupatis ipsi etiam Romanæ Urbi extrema omnia minitari, hujus tam nefarii tamque impotentis conatûs causam haudquaquam obscuram esse, nimirum cogere se ad inungendos Carolomanni filios velle, quod quanti ipsius intersit, eum pro sua prudentia intelligere posse. Hæc pluribus Anastasius, quem consule in Hadriano. Petrus Massiliam appulit postero anno, ut suo loco dicemus.

OPEM CAROLI PER NUNCIUM IMPLORAT

XXXVI. Tilpinus Remensis Archiepiscopus, ut primo Carolomanni Regis anno, sic & Carolo Monarchiam Francorum adepto, statim Regia postulavit Præcepta, quibus antiqua confirmarentur. *Immunitatis quoque Praceptum*, inquit Flodoardus [a], *ab hoc etiam Rege* Carolo, *juxta pracedentium exemplaria Regum, Remensi Ecclesia idem Prasul* Tilpinus *impetravit. Item aliud Praceptum de militibus pagi Tardonensis, juxta cessionem germani sui Carlomanni Regis. Item de Chartis concrematis. Item de confirmatione traditionis prafati germani sui Regis, quâ Novilliacum & Bebrilliacum villas idem Rex ad Basilicam Sancti Remigii condonavit.* Lege quæ de Donationibus & Immunitatibus Ecclesiæ Remensi à Carolomanno Rege concessis ad annos Christi septingentesimum duodeseptuagesimum [b] & septingentesimum septuagesimum-primum [c] Tomo superiore dicta sunt. Præterea *Carolus Tilpino Pallium per Legatos & literas suas obtinuit ab Adriano Papa.* Id idem testatur Flodoardus, apud quem extant Adriani ad Tilpinum literæ post triennium describendæ [d] cum hoc initio. *Adrianus Episcopus, servus servorum Dei, Reverentissimo & Sanctissimo Confratri nostro Tilpino Ecclesia Remensis Archiepiscopo. Quia ad petitionem spiritalis filii nostri & Gloriosi Regis Francorum Caroli, prabente tibi bonum testimonium de sanctitate & doctrina Fulrado amabilissimo Abbate, Francia Archipresbytero, Pallium secundùm consuetudinem tibi transmisisse nos, cum Privilegio, ut Metropolis Ecclesia Remensis, in suo statu maneret, benè memoramus.*

[a] Lib. 2. c. 17.
REGIA PRÆCEPTA PRO ECCLESIA REMENSI.
[b] Nu. 55. 56.
[c] Num. 62.
[d] Ad an. 775. nu. 26. & seqq.

XXXVII Per hæc tempora regnabat apud Nordhanhumbros Alredus sive Aluchredus vel Alchred aut Alaehtat, de quo consule Simeonem Monachum in Historia Dunelmensis Ecclesiæ [e]. Eo Rege, patriam reliquit, & in Frisiam venit Willehadus Presbyter, cujus vitam conscripsit Anscharius Bremensis Archiepiscopus, redegit in epitomen Adamus Bremensis quoque Canonicus. Hi Scriptores de Chronologicis Characteribus inter se non conveniunt. Anscharius auctoritate superior est Adamo. Neuter annum determinatè notat, quo Willehadus Oceanum trajecit. Apud Anscharium, Willehadi patria, promotio ad Presbyteratum, & adventus in Frisiam sic perstringuntur. *Fuit vir venerabilis de gente Anglorum ex Nordhumbris, nomine Willehadus*, &c. *Acceptâ consecratione Presbyterii, audivit quòd Fresones atque Saxones, populi hactenus increduli atque pagani, relictâ idolorum culturâ, fidei Catholica quodammodo cupissent ambire ministeria, ac Baptismi sacramento vetustatis cuperent maculis emundari*, &c. *Accessit ergo ad Regem qui tunc temporis in gente Anglorum dominabatur, nomine Alachrat, petiitque ut ejus permissu atque licentiâ ad pradicandum verbum Domini patrias jam pradict*

[e] Lib. 2. c. 4.
WILLEHADUS PRESBYTER NORDANHUMB.
ANNUENTE ALREDO R.

dicta sibi adire licere. Quod comperto ejus sanctissimæ voluntati, convocato ad se Episcoporum aliorumque Dei servorum non minimo Conventu, illum omnibus ejus ferventissimam insinuavit devotionem, omniumque pari consensu (quippe quia & cunctis jam pridem ejusdem beati viri probabilis sanctitas fuit) cum superna commendatione gratiæ ad prædicta loca causâ prædicandi verbum Domini destinavit. Si fides est Adamo, post Passionem Sancti Bonifacii Willehadus & ipse Angligena, fervens amore Martyrii properavit a in Fresiam, prædicavitque tam Fresis quàm Saxonibus, post Martyrium Sancti Bonifacii, omnes annos viginti-quinque b. Sed hæc opinio stare non potest, quia Bonifacius anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto Martyrium subiit, & Willehadus in Frisiam primum venit Alredo Nordhanhumbrorum jam Rege, Alredus autem sive Alchredus Rex anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto regnare cœpit, idque Auctarium Epitomatæ Bedæ Historiæ subjectum sic docet. Anno septingentesimo sexagesimo-quinto Alchredus Rex susceptus est in Regnum.

AN. CH. 771. CAROLI R. 4.

a Lib. 1. c. 9.

b Ibid. l. c. 11.

Annuente igitur Alredo Rege, Willehadus peregrinationem libentissimo suscipiens animo, quantocius mare, quod erat adjacens, transmeavit, venitque in Fresiam ad locum, qui dicitur Dockyncyrca, quod est in pago Hostracha, ubi & Dominus noster Bonifacius Episcopus jam olim Martyrio coronatus fuerat. Ibi ergo cum per prædicationem memorati Martyris multi antea ad fidem instructi fuerant, cum magno ab eis est honore susceptus, ibique docens ea, quæ Dei sunt, multo tempore habitavit. Nam & plurimi nobilium infantes suos ipsi ad erudiendum ibidem tradiderunt, quos ille tam verbo doctrinæ, quàm exemplo piæ conversationis ad divinum jugiter incitabat amorem, multósque errantes olim à fide ad veram & catholicam revocavit scientiam, atque maximum lumen supernæ claritatis eodem in loco exhibuit, gentilium quoque quamplurimam catervam verbo sanctæ prædicationis instructam ibidem baptizavit. In hoc textu Anscharius Willehadum longè post Sancti Bonifacii Passionem in Frisiam profectum testatur, ejusdem enim Bonifacii ut jam olim Martyrio coronati meminit, ubi de Willehadi ex Oceanum appulsu loquitur. A Bonifacii Martyrio ad Principatum Alredi, decem effluxerunt anni. Alredo alii annos in Principatu novem, decem alii tribuunt. Cùm regnare desiit, degebat adhuc in Frisia Willehadus, illic enim moratus est ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum, quo peregrinationem in partes Saxoniæ suscepit.

XXXVIII. VENIT IN FRISIAM.

Tres Willehadi stationes in Frisia collocantur ab Anschario, prima ponitur in loco, ubi Bonifacius palmam Martyrii percepit, altera trans Lavicam fluvium collocatur apud Humarcham; tertia statuitur in pago, cui nomen Thrianta.

XXXIX. CONCIONATUR.

Bonifacius Martyrium passus est in loco, qui tunc dicebatur Dockinge & Dorcklinchirica seu Docyncyrca, nunc autem Doccumum c seu Dokomium insigne Leovardiensis d Diœcesis ad Burdonem amnem oppidum. Burdo e duas Frisiæ partes Ostergoam videlicet & Westergoam distinguebat. In Ostergoa, quam Anscharius Hostracham vocat, Martyrio coronatus est Bonifacius. Lege quæ superioribus Tomis f de prædictis Frisiæ partibus & Burdone fluvio scripta sunt.

XL. IN OSTERGOA.

c Dockum.

d de Lewarden.

e le Bordne.

f To. 4. n. 733. n. p. 6. 734. n. 11. Tom. 5. a. 755. n. 145.

Anscharius Willehadum ad alteram in Frisia stationem sic deducit. Inde verò progrediens Willehadus transiit fluvium Lauche, venitque ad locum qui dicitur Humarcha. Ostergoæ sive Hostrachæ limites duo constituebant fluvii, Lavica & Burdo, ille ad Orientem, hic ad Occasum. Lavica, olim Lauche & Labeki, nunc Lauwers, antiquis temporibus amnis profundus & magnis classibus navigabilis fuit, nam quicquid ferè palustrium aquarum ex Ostergoa vel è vicinis lacubus in Orientem se effundebat, id collectum deferebat in mare, sed penè jam exaruit, rivique nomen, antequàm in vadum exeat, vix hodie tuetur. Willehadus hunc amnem pertransiens, Humarcham ... Emmius scribit ... g

XLI. HUMARCHA.

g Lib. ...

Tomus VI. C

AN. CH. 772. CAROLI R. 4.

& in loco consedit, cui nomen Humarcha *. *Ibi*, teste Anschario, *barbaris cœpit nomen Domini prædicare, ac persuadere, ut, relictâ superstitione idolorum, veri Dei notitiam susciperent, quòd per sacri Baptismatis ablutionem peccatorum suorum veniam promereri potuissent, dicens insanum esse & vanum à lapidibus auxilium petere, & à simulachris mutis & surdis subsidii sperare solatium. Quo audito, gens fera & idololatriis nimiùm dedita, in ira magna pariter omnes excitati, stridebant dentibus in eum, dicentes non debere profanum longiùs vivere, imò reum esse mortis, qui tam sacrilega contra deos suos invictissimos proferre præsumpsisset eloquia. Quidam tamen inter eos saniori consilio suadebant ceteris, dicentes ignotam sibi hanc esse Religionis normam, utrùm ex divina sit voluntate proposita; virum quoque ipsum nulli prorsus obnoxium criminis; qua de re nec oportere eum tam dubia nece perire, verùm magis mittendam esse sortem, quò demonstraretur cælitus, an dignus esset interitu; sin aliàs ut dimitterent eum liberum, & ipsi in nullo penitus noxii probarentur. Factum est ergo uti persuaserant, ac secundùm morem gentilium missa est sors super eo, vivere an mori debuisset. Gubernante itaque divinâ providentiâ, sors mortis super eum cadere non potuit. Quapropter nec nocere illi in aliquo sunt ausi, sed inito consilio dimiserunt eum à se abire illæsum.* Sortium usum Germanis valdè familiarem fuisse testatur Tacitus in libello de situ, moribus & populis Germaniæ, sic. *Sortium consuetudo simplex. Virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputant, eósque notis quibusdam discretos super candidam vestem temerè ac fortuitu spargunt; mox si publicè consuletur, Sacerdos civitatis; sin privatim, ipse pater familiæ precatus deos, cælúmque suspiciens ter singulos tollit, sublatos secundùm impressam antè notam interpretatur.*

* Hucmerck.

XLII. ET IN DRENTIA.

Willehadus Humarchâ discedere coactus tertiam apud Frisios stationem elegit in Thrianta seu Trentonia. Quid autem illic ei contigerit, Anscharius in hunc modum docet. *Inde*, nempe Humarchâ, *transiens venit Thrianta, ibíque, dum prædicaret verbum Domini, plurima multitudo gentilium credidit, ac Baptismi sacramentum percepit. Quo in loco ipse diutiùs immorans, & non credentes instruere, etiam credulos in via veritatis tam verbis quàm & exemplis sedulus corroborare studebat, cœperúntque plurimi bonam vitam Magistri * ...... & errores gentilium odio habere, & Christianam, quam profitebantur, Religionem devotâ intentione venerari. Unde contigit, ut quidam discipulorum ejus, divino compuncti ardore, fana in morem gentilium circumquaque erecta cœpissent evertere, & ad nihilum, prout poterant, redigere. Quo facto, barbari, qui adhuc fortè increduli perstiterant, furore nimio succensi irruerunt super eos repentè cum impetu, volentes eos funditus interimere, ibíque Dei famulum fustibus cæsum multis admodùm plagis affecere. Quorum etiam unus evaginato gladio super servum Dei irruit, conatus ei caput abscidere. Verùm beatus vir ipso in tempore capsam cum sanctis Reliquiis in collo suspensam habebat, cúmque ictus ferientis super collum ejus decideret, corrigiam quidem capsæ præcidit, ipsum verò in nullo penitus vulnerare potuit. Quo miraculo pagani exterriti, ipsum ac socios ejus illæsos abire passi sunt, nec ulterius in aliquo ei molesti esse præsumpserunt.* Thrianta, seu Trentonia, vel Drenterlant, aut Drentia *, pars est hodiernæ Transisalaniæ *, ad Meridiem Lavicæ fluminis. In hac regiuncula Willehadus plebi doctrinam sanctæ prædicationis impendit, donec à Carolo Rege missus est in Saxoniam, ut ad annum Christi septingentesimum octogesimum ex eodem Anschario referemus.

* diligere.

* Drente.

* Overissel.

XLIII.

Tomo superiore [a] vulgatos emendavimus Autissiodorensium Episcoporum Indices, & Theodrannum suo post Hainmarum loco restituimus. Vixit Theodrannus ad initium usque Regni Carolini in Burgundia, id est, ad hunc usque annum, qui primus à Carolomanni Regis obitu numeratur. *Obiit autem III Non. Decemb. & sepultus est in Basilica S. Eusebii*, ut in Gestis Autissiodorensium Antistitum testatur Anonymus [b], qui de Mau-

[a] Ad ann. 748. nn. 82. 83.

[b] Cap. 28.

rimo ipsius Theodranni successore hæc posteà subjungit [a]. *Maurinus Episco-* AN. CH. 772.
pus sedit annos xxviii. fuit circa exordium Regni Caroli Magni, vir stre- CAROLI R. 4.
nuus, & facundâ urbanitate eloquentissimus, atque sanctitatis titulis admodùm
decoratus. Ferunt namque Prophetiæ spiritu nonnulla prædixisse, quæ mox rei
probavit eventus, & quamquam potestate seculari impar, multis tamen etiam po-
tentissimis dignitate se parem exhibuit. De hoc certissimè constat, quòd ingenio
& prudentiâ singulari res, ut dudum prædiximus, Ecclesiæ suæ abstractas, an-
nuente Magno Carolo, tunc Rege, posteà Imperatore, recuperaverit. De rebus
à Maurino præclarè gestis uberiorem infra sermonem habebimus. Chro-
nologiam hic tantùm observa. Ut enim Maurinus non ante hunc annum,
qui regnantis in Burgundia Caroli primus fuit, ita nec seriùs iniit Episco-
patum, quia sedit annos duodetriginta, nec vitam ultra annum Christi
octingentesimum prorogavit, ut ad illum annum ex eodem Auctore pro-
baturi sumus.

[a] Cap. 35.
MAURINUS EP. AUTISSIOD. RES ABLATAS ECCLESIÆ SUÆ RECUPERAT.

ANNUS CHRISTI 773. CAROLI R. 5. 2.

AN. CH. 773. CAROLI R. 5.

QUOD Annalista Laureshamensis de rebus anno Christi septingentesi- I.
mo septuagesimo-tertio gestis scripsit, id nos hoc loco recitaturos pol-
liciti sumus anno superiore, quo cœptum est bellum Saxonicum. Statim
promissis. En ipsissimus Auctoris textus. DCCLXXIII. *Adrianus Papa cùm*
insolentiam Desiderii Regis & Langobardorum ferre non posset, decrevit Lega- HADRIANUS PP. LEGATOS MITTIT AD CAROLUM R. FRANC.
tionem ad Karolum Regem Francorum mittere, eùmque, ut sibi atque Romanis
adversùs Langobardos opem ferret, rogare. Et quia id terreno itinere per Ita-
liam fieri non poterat, eum quem miserat Legatum, nomine Petrum, Romæ na-
vim conscendere, & Massiliam usque per mare, atque inde terreno itinere in
Franciam fecit pervenire. Qui cum ad Regem in Theodonis villa, ubi tunc hye-
maverat, pervenisset, & ei Legationis suæ causam aperuisset, eâdem quâ venerat
viâ Romam regressus est. Rex rebus, quæ inter Romanos ac Langobardos gere-
bantur, diligenti curâ pertractatâ, bellum sibi contra Langobardos pro defensio-
ne Romanorum suscipiendum ratus, cum toto Francorum exercitu Gebennam * [b] Genève.
Burgundiæ civitatem juxta Rhodanum sitam venit. Ibique de bello suscipiendo
deliberans, copias, quas secum adduxerat, divisit, & unam partem cum Bern-
hardo patruo suo per montem Jovis ire jussit, alteram ipse ducens per montem Ci-
nisium Italiam contendit, superatóque Alpium jugo Desiderium Regem frustrà sibi
resistere conantem citra congressum fugavit, Ticinóque inclusum obsedit, & in
oppugnatione civitatis, quia difficilis erat, totum hyberni temporis spatium mol-
te moliendo consumpsit. Hunc autem textum, ut apud Auctorem reverà
subjicitur, alteri proximè subjunge, quem anno priore descripsimus. Ex
illa textuum connexione liquet Eginhardum, qui bellum Saxonicum à
Carolo susceptum biennio ante Longobardicum in ejus vita contendit,
nec illo loco rectè scribere, nec eundem esse cum præcitato Laureshamen-
sium Annalium Auctore.

Carolus hyemem egit in Theodonis villa, Petrum Hadriani Papæ Mis- II.
sum ibi suscepit, in Haristallio Pascha celebravit. Hæc ita leguntur apud
Annalistas, Loiselianum, Tilianum, Bertinianum, ac Metensem. Quid in-
terim gesserit in Italia Desiderius Longobardorum Rex, audi ex Anastasio.
Dum per nullam occasionis versutiam potuisset isdem malignus Desiderius persua-
dere antefatum sanctissimum Pontificem ad se cum deducendum, ut antefati
Tomus F I.

AN. CH. 772. CAROLI R. 5.

Carolomanni filios Reges unxisset, & ipsum almificum Pontificem à charitate & dilectione sæpefati Christianissimi Caroli Magni Regis separare voluisset. Tunc pertinaciâ & audaciâ egressus à suo Palatio cum Adalgiso proprio filio & exercitu Longobardorum, deferens secum & uxorem & filios sæpedicti quondam Carolomanni, necnon & Aotcharium, qui ad eum, ut dictum est, fugam arripuerant, hic verò Romam properare nitebatur sine scientia antedicti Pontificis, dirigens suos Missos, scilicet prænominatum Andream Referendarium, & alios duos ex suis Judicibus, ejus adventum denunciantes. Quibus Romam conjungentibus præsentatísque Apostolicis obtutibus tale eis reddidit responsum. Quòd nisi, ut jam ille promisit, reddiderit Beato Petro civitates illas, quas sub meo tempore abstulit, & plenariam parti nostræ fecerit justitiam, nullo modo sit illi necesse fatigationem sumendi, quia minimè fieri potest me priùs cum illo præsentari. Suscipiens verò isdem Desiderius hoc responsum, nequaquam exinde repedavit, sed cœptum Romam carpebat iter. Cujus jam adventum appropinquantem cognoscens sanctissimus ipse præcipuus Pastor, aggregans universum populum Tosciæ, Campaniæ, & Ducatûs Perusini, & aliquantos de civitatibus Pentapoleos, munivit hanc civitatem Romanam, omnésque armati parati erant, ut, si ipse Rex adveniret, ei fortiter cum Dei auxilio & beati Petri, fulti orationibus prædicti sanctissimi Præsulis illi resisterent. Nam Ecclesias B. Petri & Pauli exornare, id est, ornatu nudare, *fecit ejus Sanctitas, & cuncta eorum cymilia, & ornatus in hanc civitatem Romanam introduxit, claudi faciens omnes januas Ecclesiæ beati Petri, & deintus ferris supponi, ac muniri jussit, ut, si ipse protervus Rex sine licentia & permisso Pontificis advenisset, minimè aditum in eandem Ecclesiam introeundi haberet, nisi manu forti ad sua anima interitum ipsas confringeret januas. Dúmque hæc omnia disposuisset, extemplò facto in scriptis anathematis verbo direxit eidem Desiderio Regi tres Episcopos, id est, Eustratium Albanensem, Andream Prænestinum, & Theodosium Tyburtinæ civitatis, protestans eum in eodem obligationis exhortationísque verbo, & adjurans per omnia divina mysteria, ut nullo modo fines Romanorum sine ejus absolutione ingredi aut conculcare præsumpsisset, neque ipse, neque quispiam Longobardorum, sed nec Autcharius Francus. Susceptóque eodem obligationis verbo per antefatos Episcopos ipse Longobardorum Rex illicò cum magna reverentia à civitate Viterbiense confusus ad propria reversus est.* Ughellus [a] in præfatione, quam Viterbiensium Episcoporum Catalogo præposuit, observat Viterbium ab Anastasio promiscuè civitatem & oppidum dici, nec assentitur iis, qui locum illum muris à Desiderio Longobardorum Rege cinctum volunt. Ad Tusciam Longobardorum, cùm Franci Longobardiam subegerunt, pertinebat Viterbium. Id colligitur ex Donatione, quâ Ludovicus Pius ditiones Romani Pontificis auxit. Ultimam igitur Anastasii proximè descripti periodum sic interpretare, ut Desiderium ex oppido Viterbio, quod in Regni Longobardici & Imperii Romani finibus situm erat, Ticinum ad Regiam Sedem rediisse credas. E vicinorum oppidorum ruinis crevit posteà Viterbium in amplam civitatem, quæ dignitate tandem Episcopali decorata est. Plura dicemus inferiùs ad annum Christi septingentesimum octogesimum-septimum, quo Carolus Francorum Rex Viterbium & alia Tusciæ Longobardicæ loca Romano Pontifici per insignem Donationem perpetuò possidenda tradidit.

ET AD DESIDERIUM R. LONGOBARD.

[a] Tom. 1. Ital. Sacr.

III. CONVENTUS FRANC. AD GENEVAM.

Desiderius autem ex oppido Viterbio in Longobardiam interiorem tam citò rediit, quoniam ei terrorem injiciebat à tergo Carolus, qui Pascha in villa Haristallio celebrarat ut dictum suprà, & Maii campum ad Genevam juxta Rhodanum indixerat. Annalista Nazarianus ad hunc annum sic scribit. DCCLXXIII. *Maî campus ad Genua. Et Karolus Rex cum exercitu Francorum in Langobardiam.* Non placet Sigonius [b], cùm ait omnes pedestres equestrésque copias Francorum *Genevam in Burgundia* convenisse, *jam senescente autumno.* Citiùs enim id existimamus contigisse, quia Carolus ineunte hoc anno, cùm apud Theodonis villam hyemabat, Nuncium Romani Pon-

[b] Lib. 3. in Desider. R.

AN. CH. 773. CAROLI R. 5.

[illegible] *excepit*, & generalem Francorum Conventum ad Genevam convocari voluit, ut propior Italiæ fieret ad Longobardiam armis lacessendam, si Desiderius in [illegible] simulatè videretur egisse. Quam autem vocatus Genevam, *Genuam* appellant Annalistæ Nazarianus & Tilianus cum Monacho Egolismensi, Poeta Saxonico & Reginone, *Jenuam* Annalistæ Loiseliani & Bertiniani, *Gebennam* Laureshamensis, *Januam* Metensis [illegible] Auctore in vita Caroli. Ideóque Conventus Genevensis cum incerto [illegible] agimus, Genuensis quoque, seu Jenuensis, vel Gebennensis, de quo nunc [illegible] appellatur. In illo Placito Desiderius hostis proclamatus, nisi civitates, [illegible] justitiasque omnes seu jura beati Petri reddidisset, sicut se reddidisse per Nuncios in Franciam directos asseruerat. Agemus infrà de Regiis Oratoribus, per quos Carolus in rei veritatem inquisivit. Illorum reditum [illegible] matrimonium Caroli cum Hildegarde, quæ filiam, ut anno proximo dicemus, in castris prope Ticinum peperit.

IV.

Eginhardus sermonem de uxoribus Caroli sic orditur: *Cùm matris hortatu filiam Desiderii Regis Langobardorum duxisset uxorem, incertum qua de causa post annum repudiavit, & Hildegardim de gente Suevorum præcipuæ nobilitatis feminam in matrimonium accepit, de qua tres filios, Karolum videlicet, Pippinum, & Hludowicum, totidemque filias, Hrodtrudem, Bertam, & Gislam genuit.* Carolus anno Christi septingentesimo septuagesimo filiam Desiderii Regis sibi sociavit, ad patrem remisit anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo, nec incertum qua de causa. Longè enim antea uxorem duxerat, Himiltrudem nomine, natione Francam, superstite tum in vivis Pippino Rege, cujus obitus in annum Christi septingentesimum sexagesimum-octavum incidit, eodem autem tempore duarum uxorum unum maritum esse lex vetat Christiana.

V. CAROLUS HIMILTRUDE MORTUA DUCIT HILDEGARDEM.

De Carolo igitur, déque ejus uxoribus ante bellum Longobardicum sic disserendum. Himiltrudis, regnante Pippino, nupsit Carolo ejus filio natu majori, post aliquot annos à marito, qui filiam Desiderii nefariè superinduxit, [illegible] ejecta est è Palatio sub finem anni post Christum natum septingentesimi septuagesimi, deinde anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo [illegible] cùm Carolus pœnitentiâ tactus filiam Desiderii Regis in Longobardiam [illegible] remisisset, redit ad torum Regium, mansitque cum marito ad obitum [illegible] usque, eâ verò mortuâ, in procinctu belli Longobardici, Carolus alterum [illegible] matrimonium cum Hildegarde contraxit, annos tum natus sex [illegible] ac viginti.

VI. E QUA SUSCIPIT NOVEM LIBEROS.

Ex [illegible] vita discessit Hildegardis anno Christi septingentesimo octogesimo [illegible], pridie Kalendas Maias. Id testatur Annalista Nazarianus, sic: [illegible] XXIII. *Hildegardis Regina obiit pridie Kalend. Maias.* Suffragantur [illegible], Loiselianus, Laureshamensis, aliique recentiores. Vixit annos [illegible] tantùm sex ac viginti, ut ex ejus epitaphio mox probabimus. Peperit [illegible] *quatuor filios & quinque filias*, ut Paulus Diaconus in libro de Metensibus Episcopis asserit. Ne verò Paulum, ab Eginhardo, qui tres solùm filios [illegible] eidémque filias commemorat, multùm discrepare credas, observa [illegible] ab Eginhardo prætermissum, quia teste Paulo in eodem libro [illegible] occubuit, prætermissas quoque duas filias, Adheleidem videlicet & Hildegardem, quæ obierunt puellulæ teste eodem Paulo in illarum epitaphiis [illegible] Hildegardis primo partu enixa est Adheleidem, secundo Rotrudem, [illegible] Carolum, quarto Carolomannum qui posteà vocatus est Pippinus, [illegible] gemellos Ludovicum & Lotharium, sexto Bertam, septimo Gislam, [illegible] octavo Hildegardem. Ortus plerorumque suis annis in veteribus monumentis [illegible] adscribuntur, aliorum anni facilè suppleri possunt. Nata est Adheleis [illegible] in castris prope Ticinum, ut Paulus in ejus epitaphio scribit, id est, anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto. Carolomannus, cui posteà nomen inditum Pippini, natus est anno Christi septingentesimo sep-

AN. CH. 773. CAROLI R. 5. octuagesimo-septimo, apud Theganum [a] enim moritur *anno ætatis suæ xxxiii,* & apud Annalistas Loiselianum & Laureshamensem anno Christi octingentesimo decimo. *Nati sunt* gemelli Ludovicus & Lotharius *anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi septingentesimo septuagesimo-octavo*, ut testatur Auctor synchronus, qui vitam & actus ejusdem Ludovici conscripsit. Anno Christi septingentesimo octogesimo-secundo nata est Hildegardis, matri enim cognomini, cujus obitus anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio pridie Kalendas Maii consignatur, superstes vixit dies tantum quadraginta, nec secundum ætatis annum attigit, teste Paulo in ejus epitaphio. Investigandi restant anni, quibus in lucem editi, Carolus, Rotrudis, Berta, & Gisla. Filiorum, quos Carolus ex Hildegarde suscepit, Carolum natu maximum constituunt, Paulus, Eginhardus, & Theganus, & ex literis [b] ab Hadriano Papa scriptis ad Carolum Regem, cùm huic ex Hildegarde proles essent, & inter eas mascula nuperrimè edita, Carolum Rotrude sorore juniorem adeò apertè colligimus, ut in dubium vocare nemo possit, quin nati sint, Rotrudis anno Christi septingentesimo septuagesimo-quinto, Carolus anno Christi septingentesimo septuagesimo-sexto. Nativitas Bertæ post ortum gemellorum fratrum, Ludovici videlicet ac Lotharii, rejici debet, id est, in finem anni post Christum natum septingentesimi septuagesimi-noni, vel in subsequentis initium. Denique Gisla seu Gisola, nata est anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, Pentecoste tum imminente, ut ad illum annum Annalista Loiselianus haud obscurè declarat his verbis. *Rex Carolus celebravit Pascha in Roma, & ibi baptizatus est Domnus Pipinus filius supradicti Domni Caroli Magni Regis ab Adriano Papa, qui & ipse eum de sacro fonte suscepit. Et inde revertente Domno Carolo Rege, Mediolanis civitate pervenit. Et ibi baptizata est filia ejus Domna Gisola ab Archiepiscopo nomine Thoma, qui & ipse eam à sacro fonte manibus suscepit.* Hildegardis igitur Reginæ Chronologia sic instituenda. Nupsit Hildegardis anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio, tunc annos nata sexdecim; vixit cum marito annos decem, obiitque anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio, sive anno ætatis suæ vicesimo-sexto, ut in ejus epitaphio docet hic Versus.

Alter ab undecimo rursum te sustulit annus.

VII. Hic Versus nec Baronio, nec aliis favet, qui Hildegardem nupsisse anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo, duodecimóque pòst anno è vita discessisse contendunt. Annus enim *alter ab undecimo* non est duodecimus, ut illi volunt, sed decimus-tertius, ut interpretes ad simile hemistichium Virgilii notant, & vox *rursum*, quæ proximè subjicitur, non annum decimum-tertium, sed bis decimum-tertium, id est, vicesimum-sextum ostendit intelligendum. Hildegardis autem, cujus obitus anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio pridie Kalendas Maii consignatur, uxor Caroli per annos sex ac viginti nec fuit, nec potuit esse, quia Carolus usuram lucis ante annum Christi septingentesimum quadragesimum-septimum haud accepit. Versus igitur suprà recitatus ad Hildegardis nuptias nullomodo respicit, & annus ille vicesimus-sextus, quò sublata seu mortua dicitur, ab ejus Nativitate numerari debet.

VIII. GENUS HILDEGARDIS. Hildegardis abneptis fuit Gothofridi Sueviæ sive Alamanniæ Ducis celeberrimi, qui strenuè pro Theodotico Tertio Rege pugnavit anno Christi sexcentesimo octogesimo-septimo, &, ut Annalista Nazarianus observat, anno Christi septingentesimo nono vitam clausit. Carolus, inquit Theganus [c], *cùm in juventute erat*, annos videlicet sex ac viginti natus, *sibi junxit nobilissimi generis Suevorum puellam, nomine Hiltegardam, quæ erat de cognatione Gothefridi Ducis Alamannorum. Gothefridus Dux genuit Houchingum, Houchingus genuit Nebi, Nebi autem genuit Immam, Imma verò peperit Hiltgardam beatissimam Reginam.*

[a] Cap. 5.
[b] In Cod. Carol. ep. 49.
[c] Cap. 2.

AN. CH. 773. CAROLI R. 5.

Carolus, priusquàm Hildegardem duceret, ex Himiltrude Pippinum suscepit. Sic enim scribit Paulus Diaconus in libro de Episcopis Metensis Ecclesiæ. *Hic, nempe Carolus, ex Hildegard conjuge quatuor filios & quinque filias procreavit. Habuit tamen ante legale connubium ex Himiltrude nobili puella, filium, nomine Pippinum.*

IX. HIMILTRUDIS EJUSQUE FILIUS A CALUMNIA VINDICANTUR.

Librum illum de Metensibus Episcopis scripsit Paulus, Fastradâ cum Regina, Pippino Italiæ Rege, Aquitaniæ Rege Ludovico, & Angilramno Metensi Præsule. Hæc patent ex ejus scriptis. Opus suum ipsemet inscripsit Angilramno, temperavitque sermone sic ad eum converso. *Hic jam, Pater Sanctissime Angilramne, narrationis series vestram Beatitudinem locum expellat. Sed ego meæ sponsionis non immemor, attentare minùs idoneè non audeo, quæ, de vestra vitæ cursu laudabili, majori stylo promenda sunt.* Et postquàm locutus est de liberis, quos Carolus ex Hildegarde suscepit, hæc proximè subjecit de Fastrada, quam Carolus post Hildegardis obitum duxit. *Mortuâ autem Hildegard, Rex Excellentissimus Karolus Fastradam duxit uxorem.*

X.

Denique Pippinum Italiæ, Ludovicum Aquitaniæ Reges ita laudavit. *Jam, Deo favente, minor Pippinus Regnum Italiæ, Ludovicus Aquitaniæ tenet.* Regum utriusque inunctionem anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, Fastradæ nuptias anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio, Angilramni mortem anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo, veteres adscripserunt Auctores, quos suis locis allegabimus. Intra spatium illud annorum octo, quod à Fastradæ nuptiis ad Angilramni obitum intercessit, suam Paulus lucubrationem edidit. Arctius rem premit Leo in Chronico Ostiensi a, testatur enim Paulum exilio relegatum à Carolo, annos aliquot exulasse, deinde in Aragisi Ducis Beneventani Palatio mansisse, postremò Monachum Casinatem factum post ejusdem Aragisi mortem, quam vetus Auctor in Appendice ad Chronicon, quod Nibelungi Comitis jussu conscriptum est, anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo consignat. Harum rerum series nos adigit, ut Angilramno Metensium Episcopo librum de Metensibus Episcopis, ineunte anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto, à Paulo inscriptum, eodemque anno ipsum Paulum exilio relegatum censeamus. Carolo Regi quatuor tunc erant filii, ex Himiltrude Pippinus; ex Hildegarde Carolus, alter Pippinus, & Ludovicus. A patre Reges instituti sunt Hildegardis filii, Carolus anno Christi septingentesimo undenonagesimo, Pippinus & Ludovicus anno Christi septingentesimo octogesimo-primo. Paulus, cùm duo Regna totidem Hildegardis filiis collata jam videret, prætermisso Himiltrudis filio, qui major erat ætate, non dubitavit mentionem cùm de hoc, tum de matre, minùs honorificam facere. Multò serius scripsit Eginhardus, cùm longè anteà Pippinus Himiltrudis filius ob conjurationem & exhæredatus & in Monasterium detrusus à Patre jam fuisset. Ideircò secutus errorem Pauli videtur, graviori quoque permotus causâ. *Erat*, inquit, *ei*, nempe Carolo Regi, *filius, nomine Pippinus, ex concubina editus, cujus inter cæteros mentionem facere distuli, facie quidem pulcher, sed gibbo deformis. Is, cùm pater bello contra Hunos suscepto in Bajoaria hyemaret, ægritudine simulatâ, cum quibusdam è primoribus Francorum, qui sibi novâ promissione Regni illexerant, adversùs patrem conjuravit; quem post fraudem detectam & damnationem conjuratorum, detonsum in cœnobio Prumia religiosæ vitæ jámque volentem vacare permisit.* Ab Eginhardo recentiores haud ausi recedere.

XI.

In duas classes distinguendi sunt Auctores, qui posteris nomen Himiltrudis ejusque filii Pippini transmiserunt. Alii lucubrationes suas priùs ediderunt, quàm Pippinus conjurationis in patrem reus esset, alii serius. Priores, excepto Paulo, nullum Himiltrudi Pippinóve probrum objecerunt, posteriores sæpissimè. Auctor vetustissimorum Annalium, qui Gestis Pippini ætatis subjiciuntur, & in anno Christi septingentesimo nonage-

a Lib. 1. c. 17. vet. edit. c. 25. novæ edit.

AN. CH. 773. CAROLI R. 5.

simo-primo desinunt, ad annos octogesimum & octogesimum-primum octavi seculi de filiis Caroli sic differit. *An.* DCCLXXX. *Carlus Rex abiit in Italiam; & dereliquit filios suos in Warmatia, Pippinum & Carlum. An.* DCCLXXXI. *perrexit Carlus Rex Romam, & baptizatus est ibi filius ejus qui vocabatur ei Carlomannus, quem Adrianus Papa mutato nomine vocavit Pippinum, & unxit in Regem super Italiam, & fratrem ejus Hludovicum super Aquitaniam.* Carolus prænominatos quatuor filios tunc habebat, Pippinum ex defuncta Himiltrude, tres alios ex Hildegarde adhuc superstite, suscepto in Italiam itinere duos natu majores Pippinum & Carolum apud Wormatiam reliquit, duos verò natu minores Carolomannum & Ludovicum Romam vexit. In textu suprà descripto Pippinus à patre non habetur in minore quàm fratres loco, ab Annalista non minùs honorificè commendatur quàm fratres, imò primus nominatur, cterisque præfertur ob ætatem, quia natu maximus, nec dubium quin Carolus, ubi Carolomanno Italiam, Aquitaniam Ludovico concedebat, duobus aliis filiis Pippino & Carolo, qui grandiores erant ætate, nobilissimas amplissimásque Franciæ provincias, Austriam, Neustriam, Burgundiam, aliásque reservaret. Non desunt, qui sepulchro Himiltrudis inscriptum asserant [a] epitaphium, quod illam & Reginam Francorum & uxorem Caroli probet. At omnium probariorum instar sunto literæ [b], quas Stephanus Quartus Papa *Domnis Excellentissimis filiis, Carolo & Carlomanno, Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum* direxit anno Christi septingentesimo septuagesimo, cùm verebatur, ne alteruter, ut Desiderii Longobardorum Regis gener fieret, uxorem legitimam repudiaret, quam regnante Pippino patre duxerat. Ambobus enim fratribus hæc inter alia scripsit. *Mitissimi, & à Deo instituti Benignissimi Reges, jam Dei voluntate & consilio, conjugio legitimo ex præceptione genitoris vestri copulati estis, accipientes, sicut Præclari & Nobilissimi Reges, de eadem vestra patria, scilicet ex ipsa nobilissima Francorum gente, pulcherrimas conjuges, & earum vos oportet amori esse adnexos.* Legitimum igitur fuit quod vivente Pippino contractum est à Carolo matrimonium, & tale comprobatur Stephani Papæ testimonio, quo nec antiquius, nec validius, nec augustius proferri potest. Uxorem autem, quam Romanus Pontifex à Pippini temporibus Carolo legitimè nuptam affirmat, haud aliam ab Himiltrude colligimus ex vetustissimis Annalibus & ex Paulo Diacono simul collatis. Antiquissimus Annalista, cujus opus in anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo desinit, Pippinum Monasterio nondum inclusum, spéque potiundi Regni nondum privatum ceteris Caroli Regis filiis sic anteponit, ut & ætate grandiorem & legitimo toro natum innuat. Paulus Pippini matrem, cujus nomen prælaudatus Annalista reticuit, Himiltrudem appellat, & Pippinum ex ea testatur priùs natum, quàm Carolus Hildegardem duxerit. Utrumque jam Auctorem si conferas, Himiltrudem Caroli primam agnosces uxorem, & Pippinum ex legitimo eorum conjugio, cujus mentionem in suis literis Stephanus Quartus Papa fecerit, natum dices. Deinde ex iisdem Stephani literis apertissimè colliges Himiltrudem priùs obiisse, quàm Hildegardis Carolo nupserit, ut enim superstite Himiltrude Stephanus negavit filiam Desiderii Carolo legitimè nupturam, sic & proximus Stephani successor Hadrianus Hildegardem eâdem Himiltrude superstite Carolo copulari vetuisset.

[a] Ægid. Corrozet. in Thesaur. Hist. Franc. lib. 1. c. 1.

[b] Ep. 45. Cod. Carol.

XII. Ineunte anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo-quinto prodiit in lucem primus Annalium nostrorum Tomus, in quo, cùm Canonem nonum tertiæ Synodi Aurelianensis exponeremus [c], duo concubinarum genera distinximus. Eodem anno eusi denuò Ferdinandi Mendozæ ad Concilium Illibertanum Commentarii, quibus adjectæ sunt Emanuelis Gundisalvi *Tellez* uberiores notæ. Hic in novis Commentariis ad secundum Canonem Illibertanum, quo mœchia prohibetur, nobiscum convenit, & adversùs

[c] Ad an. 538. n. 33.

AN. CH. 773.

CAROLI R. 5.

adversùs Mendozam concubinas in duplici ponit differentia. Aliæ fœminæ sunt ad tempus assumptæ, libidinis tantùm explendæ causâ. Aliæ fœminæ sunt conjugatæ sine dotalibus instrumentis. Concubinæ primi generis in Conciliis passim anathemate feriuntur, & jubentur dimitti. Concubinæ secundi generis, instar uxorum habentur, imò veræ sunt uxores in foro Ecclesiastico, licèt in foro civili nomen adeò decorum non gerant, quia minùs solenniter ducuntur, ideóque & uxores dicuntur injustæ & uxores illegitimæ, & à vero legitimóque matrimonio concubinatus illegitimæque discernuntur nuptiæ, quamvis in pluribus atque in eo maximè uxor & concubina conveniant, quòd ut nemo duas uxores eodem tempore potest habere, sic nec duas concubinas, imò nec concubinam vivente uxore, nec uxorem vivente concubinâ. *Qui non habet uxorem*, inquiunt Patres primæ Synodi Toletanæ [a], *& pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur, tantùm ut unius mulieris, aut uxoris aut concubinæ (ut ei placuerit) sit conjunctione contentus.* Paulus, Eginhardus, aliique pervetusti Scriptores, qui Pippinum vel ex concubinatu vel ex illegitimis nuptiis ortum volunt, Himiltrudem concubinam secundi generis faciunt, primi verò generis concubinam constituunt recentiores quique, quibus incognita concubinatum distinctio. Errant utrique. Stephanus enim Papa, cujus auctoritas Paulo, Eginhardo, cæterisque præstat, conjugium Caroli Regis & Himiltrudis legitimum vocat, illúdque *Dei voluntate & consilio*, priusquàm idem Carolus orbaretur patre, contractum affirmat, unde concludas Himiltrudem nec primi nec secundi generis concubinam extitisse. Pippinum tamen ejus filium Paulus ex illegitimis nuptiis sive ex concubinatu natum insinuat, cùm de Carolo Rege scribit, quòd *habuit ante legale connubium ex Himiltrude nobili puella filium, nomine Pippinum*. Et Eginhardus eundem Pippinum ex concubina natum sic asserit. *Erat ei, nempe Carolo, filius, nomine Pippinus, ex concubina editus.* Paulus Caroli connubio cum Hildegarde connubium, ut illud ab ejusdem Caroli cum Himiltrude distingueret, legale dixit, quia quando Catalogum Episcoporum Metensium texebat, solos Hildegardis filios, è quibus Pippinus Italiæ, Ludovicus Aquitaniæ, jam Reges erant, in spem erciscundæ hæreditatis paternæ putabat educari. Vitam Caroli Magni post mortem Pauli conscripsit Eginhardus, Hildegardis filio nepotibúsque in universa tum Francia dominantibus, ideóque non minus ac Paulus famæ Himiltrudis Reginæ Pippinique filii detraxit.

XIII

Pippinus igitur Caroli & Himiltrudis filius ex legali seu legitimo conjugio natus est. Nata quoque Carolo ex eadem uxore Himiltrude Rothais, quam Eginhardus ortam dixit *de concubina quadam, cujus nomen memoriæ non occurrit* cùm scriberet, neque enim nomen etiam expressit concubinæ, ex qua Pippinum editum retulit. Utrùm Pippinus Rothaide, an Rothais Pippino major natu fuerit; utrùm quoque ambo priùs editi sint, quàm filia Desiderii Regis in Franciam è Longobardia veniret, haud produnt Annales. At cùm Himiltrudis à Carolo dimissa fuerit anno Christi septingentesimo septuagesimo jam vertente, subque finem anni post Christum natum septingentesimi septuagesimi primi revocata discesserit è vivis vel exeunte anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo, vel anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio, priusquàm Carolus Hildegardem duceret, alterutram extitisse necesse est, antequàm Himiltrudis à viro repudiaretur, alterutram ejus prolem aut utramque editam fuisse. Pippinum anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo natum suspicamur, Himiltrudem enim ejus matrem non ita facilè repudiasset Carolus, si priùs ex ea prolem masculam suscepisset.

XIV.
VARIÆ LEGATIONES.

Mortua Himiltrude Carolus, ut dictum suprà, Hildegardem duxit in procinctu belli Longobardici, quod crebris Legationibus in Italiam ad annum VI.

[a] Cap. 17.

AN. CH. 773.
CAROLI R. 5.

CAROLI R. FRANC. AD PP.

Papam & ad Longobardorum Regem directis averti non potuit. *Post hac,* inquit Anastasius, id est, postquàm Desiderius Longobardorum Rex ex oppido Viterbiensi reversus est in regnum suum, *conjunxerunt ad Sedem Apostolicam missi sapiùs dicti Caroli Excellentissimi Regis Francorum & Patricii Romanorum, id est, Georgius sanctissimus Episcopus, Gulfardus Religiosus Abbas & Consiliarius, seu Albinus deliciosus ipsius Regis, inquirentes, si prafatus Longobardorum Rex, abstultas civitates, & omnes justitias beati Petri reddidisset, sicut falsè in Franciam dirigebat, asserens se omnia reddidisse. Et satisfacti sunt prasentialiter, nihil ab eo redditum fuisse. Quibus referens isdem pracipuus Pontifex cuncta, qua gesta erant, eos in Franciam absolvit remeandos, dirigens cum eis suos Missos ad prafatum Excellentissimum Francorum Regem cum Apostolicis admonitionum syllabis, adjurans eum fortiter, ut ea, qua beato Petro cum suo genitore sancta memoria Pippino Rege pollicitus est, adimpleret, & redemptionem sancta Dei Ecclesia perficeret, seu universa, qua abstulta sunt à perfido Longobardorum Rege, tam civitates, quàm reliquas justitias sine certamine reddere beato Petro Principi Apostolorum faceret. Sed minimè quicquam horum apud eum obtinere valuerunt, asserens se minimè quicquam redditurum. Accepto itaque responsa hoc, reversi sunt ipsi antefati Missi Francorum in regionem suam.*

XV. Episcopi Georgii Sedes ignoratur. Gulfardus seu Vulfardus Abbas Turonensi Monasterio Sancti Martini præerat. Quidam Albinum interpretantur Flaccum cognomento Alcuinum, qui Carolo Regi charissimus extitit. Ita jam censuit Andreas Duchesnius in Præfatione, quam operibus Alcuini Abbatis à se publicatis præposuit. At sibi non satis videtur constare, quia in eadem Præfatione Alcuinum *sub annum* DCCXCIII. in Franciam primùm venisse scribit. Superstes ad annum quidem Christi septingentesimum nonagesimum-quintum vixit Hadrianus Papa, sed Anastasius, ubi de Albino in ejusdem Hadriani vita loquitur, non agit de re gesta postremis ipsius Hadriani temporibus, at de Legatione Romam directâ Regno Longobardorum adhuc stante, hoc videlicet anno, post Christum natum septingentesimo septuagesimo-tertio. Necesse est igitur, ut Albinum Anastasii distinguas ab Alcuino, quia, cùm Georgius Episcopus, Wulfardus Abbas, & Albinus Romam à Carolo Rege directi sunt, in Anglia degebat Alcuinus. Id Altfridus in vita Sancti Liudgeri testatur, Liudgerum enim, quem anno Christi septingentesimo undeseptuagesimo in Angliam denuò profectum ostendimus, Eboraci degisse *annis tribus & mensibus sex*; deinde Vltrajectum ad Gregorium Abbatem rediisse, Alcuino in Anglia permanente, sic affirmat. *Gregorius & parentes ejusdem Liudgeri, quandoque precibus victi, direxerunt eum ad prafatum Magistrum Eboraica civitatis Anglorum, prabentes qua illi opus erant in via, quem Magister illustris Alchuinus cum magno suscepit honore. Susceptus itaque Liudgerus, erat consueto more omnibus carus, eò quòd esset ornatus moribus bonis & studiis sanctis, & mansit ibi annis tribus & mensibus sex, proficiens in doctrina studio,* ad hunc usque annum, quo rediit Ultrajectum primo vere. Sequitur ratio, cur ex Anglia præcipiti reversus sit itinere. *Cupiebat ibidem*, id est, Eboraci, *diutiùs in sancto manere studio, sed non fuerat concessa facultas, quia egredientibus civibus illis ad bellum contra inimicos suos contigit, ut per rixam interficeretur filius cujusdam Comitis ipsius provincia à Fresone quodam negotiatore, & idcircò Fresones festinaverunt egredi de regione Anglorum, timentes iram propinquorum interfecti juvenis. Tunc Alchuinus necessitate compulsus direxit Liudgerum cum prafatis negotiatoribus; misit etiam cum eo & Diaconem suum, nomine Putul, timens ne amore discendi, aliam regionis illius civitatem adiret, & pro ultione pradicti juvenis aliquas pateretur insidias, dicebat enim potiùs se velle mori, quàm ut filius suus dilectus illic quicquam pateretur lethalis mali. Directus itaque Liudgerus prospero cursu pervenit ad patriam suam, benè instructus, habens secum copiam librorum, erátque patri Gregorio & ceteris tantò tunc dignior*

& acceptus, quantò fuit & in Monasticis eruditionibus illustrior. Diaconus verò, qui venerat cum eo, juxta dispositionem Magistri Alchwini, auctus benedictionibus, perrexit Romam, iterum reversurus, qui etiamo postcà cum Alchuino Carolo venit in Galliam in ordine Presbyterii. Non inficiamur Alcuinum in Italiam R. 3. aliquando profectum esse. Ego, inquit, adolescens Romam perrexi. Sed · Ep. 15 Alcuini adolescentia procul abest ab hoc anno, quo eumdem Alcuinum in Italiam à Carolo Rege directum negamus.

Ejusdem Regis Legatos redeuntes in Franciam, comitati sunt Apostolici Nuncii, sic enim narrationem suam persequitur Anastasius. Reversi sunt ipsi antefati Missi Francorum in regionem suam, properantes simul & Apostolica Sedis Missi, qui subtiliùs cuncta referentes, & de maligno proposito prænominati Desiderii annunciantes antefato Excellentissimo & à Deo protecto Carolo Magno Regi, confestim isdem mitissimus & re verà Christianissimus Carolus Francorum Rex direxit eidem Desiderio suos Missos, id est, deprecans ut eas pacificè redderet civitates, & plenariæ parti Romanorum justitias, quas abstulerat, promittens insuper ei tribui quatuordecim millia auri solidorum, quantitatem in auro & argento. Sed neque deprecationibus, neque muneribus ejus ferocissimum cor flectere valuit. Nihil enim obtinentes ipsi Missi Francorum ad præfatum suum Christianissimum regressi sunt Regem. Tunc aggregans ipse à Deo protectus Carolus Magnus Rex universam Regni sui Francorum exercituum multitudinem, atque ad occupandas clusas ex eodem suo exercitu dirigens, teste enim Annalista Laureshamensi jam citato partem copiarum cum Bernhardo patruo suo per montem Jovis ire præcepit, ipse quoque cum plurimis fortissimis bellatoribus Francis per montem Cinisium, cui proximum adsidet Novalisium, ubi Frodoinum tunc Abbatem in amicitia habere cœpit, ad easdem appropinquavit clusas, & remotus in finibus Francorum cum suis exercitibus resedit. Jam dictus verò Desiderius & universa Longobardorum exercituum multitudo ad resistendum fortiter in ipsis clusis assistebant, quas fabricis & diversis maceriis curiosè munire nisi sunt. At verò quâ horâ prænominatus Christianissimus Francorum Rex ad easdem approximavit clusas, illicò denuò suos Missos ad præfatum direxit Desiderium, deprecans, sicut pridem, ut quantitatem prædictorum solidorum susciperet Rex, & easdem pacificè redderet civitates. Sed nequaquam penitus acquiescere maluit, & dum in tantâ duritiâ protervus ipse permaneret Rex Desiderius, cupiens antedictus Christianissimus Francorum Rex pacificè justitias beati Petri recipere, direxit eidem Longobardorum Regi, ut solummodo tres obsides, Longobardorum Judicum filios, illi tradidisset, pro ipsis restituendis civitatibus, & continuò sine ulla inferendâ malitia aut commisso prælio ad propria cum suis Francorum exercitibus reverteretur. Sed neque sic valuit ejus malignam mentem flectere. Unde omnipotens Deus conspiciens ipsius maligni Desiderii iniquam perfidiam atque intolerabilem protervitatem, dum vellent Franci alio die ad propria reverti, misit terrorem & validam trepidationem in cor ejus, vel filii ipsius, Adalgisi scilicet, & in universorum Longobardorum, & eâdem nocte, dimissis propriis tentoriis atque omni supellectile fugam omnes generaliter, nemine eos persequente, arripuerunt. Quod cernentes exercitus Francorum persecuti sunt eos, & plures ex eis interfecerunt. Ipse verò Desiderius quantociùs cum suis Judicibus velociori cursu fugiens, atque Papiam conjungens, ibidem se cum ipsis suis Judicibus & multitudine populi Longobard. recludi studuit. Et muniens muros ipsius civitatis ad resistendum Francorum exercitibus, & propriam defendendam civitatem cum suis Longobardis se præparavit. Adalgisus verò ejus filius assumens secum Autcharium Francum, & uxorem atque filios sæpedicti Carlomanni, in civitatem, quæ Verona nuncupatur, pro eo quòd fortissima præ omnibus civitatibus Longobardorum esse videretur, ingressus est.

Carolus superatis Alpibus. Caroli ad Desiderium R. Longobard. Obsidet Papiam.

Quid interim Spoletani, quid Reatini, quid Firmani, quid Auximates, aliique præstiterint, audi ex eodem Auctore. Longobardi reliqui dispersi ... Tom. VI. XVII.

civitates. *Nam Spoletini & Reatini aliquanti eorum in proprias reversi sunt civitates. Nam Spoletini & Reatini aliquanti eorum utiles personæ, antequàm Desiderius seu Longobardorum ejus exercitus ad clusas pergerent, illi ad beatum Petrum confugium facientes, prædicto sanctissimo Hadriano Papæ se tradiderunt, & in fide ipsius Principis Apostolorum, atque prædicti Sanctissimi Pontificis jurantes, more Romanorum tonsurati sunt*, id est, barbam & capillum more Romano posuerunt. *Etiam & reliqui omnes ex eodem Ducatu Spoletino inhianter desiderabant se tradendum in servitio beati Petri, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ. Sed metuentes suum Regem nequaquam ausi sunt perpetrare, unde dum à clusis fugam arripuissent, omnésque exinde de diversis civitatibus Ducatûs Spoletini reversi essent, confestim generaliter ad præfatum almificum Pontificem confluentes advenerunt, ejúsque provoluti pedibus obnixè Sanctam ipsius ter Beatitudinem deprecati sunt, ut eos in servitio beati Petri Sanctæque ejus Romanæ Ecclesiæ susciperet, & more Romanorum tonsurari faceret. Quos suscipiens profectus est cum eis in Ecclesiam beati Petri, & omnes unanimiter, à magno usque ad parvum, sub indiculo sacramenti, jurejurando promiserunt eidem Dei Apostolo in servitio ejus atque antedicti Vicarii ipsius sanctissimi Hadriani Papæ, atque omnibus successorum ejus Pontificum fideliter permansuros cum filiis & cuncta eorum generatione. Tunc post præstitum sacramentum omnes more Romanorum tonsurati sunt. Et confestim ipse ter beatissimus bonus Pastor & Pater cum omnibus exultans, constituit eis Ducem, quem ipsi propriâ voluntate sibi elegerunt, scilicet Hildeprandum nobilissimum, qui priùs cum reliquis ad Apostolicam Sedem refugium fecerat. Et ita Deo annuente prædictum Ducatum Spoletinum generaliter sine * certamine isdem præcipuus Pontifex sub jure & potestate beati Petri subjugavit. Sed & omnes habitatores tam Ducatûs Firmani, Anximani, & Anconitani, simúlque & de Castello Fælicitatis, & ipsi, dum à clusis Longobardorum fugientes reversi sunt, ad præfatum Sanctissimum Pontificem, concurrentes, ejus se ter Beatitudini tradiderunt, præstitóque sacramento in fide & servitio beati Petri atque ejus Vicarii antefati almifici Hadriani Papæ, successorúmque ejus Pontificum fideliter permansuros, more Romanorum tonsurati sunt.*

* *suo.*

XVIII. Secuta cùm Papiæ tum Veronæ obsidio, de qua sic idem Anastasius. *Christianissimus Carolus Francorum Rex movens cum suis generalibus exercitibus, atque Papiam conjungens civitatem, eam ex omni parte circundans vallavit, dirigénsque continuà in Franciam ibidem apud se Papiam adduci fecit Hildegardam Reginam, & nobilissimos filias. Et dum agnovisset fugam arripuisse in Veronam prænominatum Adalgisum, relinquens plurimam partem ex suis exercitibus Papiæ, ipse quoque cum aliquantis fortissimis Francis in tandem Veronam properavit civitatem. Et dum illuc conjunxisset, protinus Autcharius, & uxor, atque filii sæpiùs nominati Carolomanni propria voluntate eidem benignissimo Carolo Regi se tradiderunt. Eásque recipiens ejus Excellentia denuò repedavit Papiam*, &c, ut Annalistæ, Loiselianus, Tilianus, Bertinianus, ac Metensis, cum Reginone testantur, in suis castris diem Natalem Domini celebravit. Hildegardem Reginam in castris ad Papiam fuisse non inficiamur, ibi enim Adeleidem peperit, ut anno sequenti dicemus, sed quos Carolo filios secum adduxerit, haud in comperto est. Anastasius aut iter in Longobardiam hoc anno ab Hildegarde susceptum perperam confudit cum altera Hildegardis in Italiam profectione, de qua pluribus ad annum Christi septingentesimum octogesimum acturi sumus, aut per *Nobilissimos filios* in textu præcitato Pippinum & Rothaidem intellexit, liberos Carolo natos ex Himiltrude, neque enim adhuc fœcunda partu fuerat Hildegardis, paucis antè mensibus nupta. Prior opinio magis placet, liberos enim, quos Carolus ex Himiltrude suscepit, in Gallia relictos existimamus. De Girberga Carolomanni quondam Regis uxore, déque illorum filiis nihil ampliùs occurret. Cœptum est autem obsideri Ticinum * mense Septembri, nam, teste Anastasio, *dum per sex mensium spatium ipse Francorum Rex*

UXOREM ET FILIOS CAROLOMANNI FRATRIS IN DEDITIONEM ACCIPIT.

* *Pavie.*

Papia demoraretur in obsessione ipsius civitatis, magnum desiderium habuit ad limina Apostolorum properandi, considerans quod & sacratissima Paschalis festivitas appropinquasset, quam tertio Nonas Aprilis anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto celebratam constat. AN. CH. 773. CAROLI R. 5.

XIX. ADELHARDUS EJUS FRATER PATRUELIS.

Adelhardus, Bernardi seu Bernhardi vel Bernhardi filius, Caroli Regis frater patruelis, cùm viginti fermè annorum esset, nuncio rebus secularibus remisso, Monachum in Cœnobio Corbeiensi induit. Cur è Palatio discesserit, hanc rationem affert in ejus vita Paschasius Ratbertus, quòd in illicita consentire nollet. Illicita vocat, repudium filiæ Desiderii Regis, & matrimonium à Carolo cum alia contractum. *Cùm esset* [illegible] *Caroli consobrinus Augusti, imò Regali prosapia, Pipini Magni Regis nepos, Caroli consobrinus, inter Palatii tyrocinia omni mundi prudentiâ eruditus, unà cum terrarum Principe Magistris adhibitus, elegit magis justitiæ fore & veritatis amicus, etiam multis oblectatus blanditiis. Unde factum est, cùm idem Imperator Carolus desideratam Desiderii Regis Italorum filiam repudiaret, quam sibi dudùm etiam quorundam Francorum juramentis petierat in conjugium, ut nullo negotio beatus senex persuaderi posset, dum esset adhuc tyro Palatii, ut ei, quem vivente illâ Rex acceperat, aliquo communicaret servitutis obsequio. Sed culpabat modis omnibus tale connubium, & gemebat puer beatæ indolis, quòd & nonnulli Francorum ex eo essent perjuri, atque Rex illicito uteretur toro, propriâ sine aliquo crimine repulsâ uxore. Quo nimio zelo succensus elegit plùs seculum relinquere adhuc puer, quàm talibus admisceri negotiis, ut propinquo, quem contra ire prohibendo non posset, non se consentire fugiendo monstraret. Nec minùs igitur Joanne pro justitia mori paratus fuisse creditur, qui pari animi* [illegible] *inlicitam reprehendebat Regis audaciam, & spernebat hujusmodi nuptias, nec considerans propinquitatem suam, ut carni assensum præberet contra leges Christi, quas violare non ferens sibi in animo proponebat. Unde & voluit magis cum Christo mente ingenuus Crucis ignominiam ferre, ut fortia quæque confiteretur, quàm si etiam adoptaretur in Regnum, ut esset Regis filius. Despiciens itaque Pharaonis Regni divitias, pervenit tandem, ut Monachus, velut Moyses in eremo, Dei frueretur alloquiis. Neque enim adhuc seculo ita* [illegible] *poterat cæleste visum in monte videre, sed exutus his omnibus &* [illegible] *Dei agente gratiâ, discipulus factus est Salvatoris. Legerat ergo: [Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, adhuc & semetipsum, non potest meus esse discipulus.] Neque igitur ignorabat, quòd facilius sit camelum per foramen acûs transire, quàm divitem in Regnum cælorum intrare. Et ideo deposuit onera, ut faciliùs arctam atque strictam viam mandatorum Dei curreret. Quibus depositis, Corbeia, immò Christi* [illegible] *expertus fontem, velut asellus* [illegible]*. Ubi cùm parum fuisset commoratus, subitò humilitatis* [illegible] *factus est magister virtutum, & qui pridie pedisequus videbatur* [illegible] *in Christo commilitonum. Elegisti* [illegible]*, tibi tyronem & puerum. Non quidem ille te, sed tu illum* [illegible] *bone Jesu, tuâ præveniente misericordiâ. Elegisti eum fermè* [illegible] *elegeras & prælegeras, quando infelix nimium ætas humana fragilis & valde* [illegible] *viginti esset annorum, quando proclivis est ad peccandum.*

XX. Nam si Regia ex aula discessit Adelhardus, quia Carolus [illegible] Paschasius, id certè non contigit, quando Carolus dimissâ uxore aliam superinduxit, sed quando eandem Desiderii Regis filiam patri remisit. Himiltrudem enim, ut dictum suprà, [illegible] Bertæ sibi sociavit, [illegible] consilio repudiavit, ut adulterio cum Desiderii filia se commisceret. Paschasium jam redarguit Joannes Morinus nostræ Congregationis Presbyter in eruditissimo Commentario [a] de temporali Romanorum Pontificum dominatu. Baronius [b], quia nullam Himiltrudis mentionem fecit, & Desiderii filiam uxorem Caroli primam putavit, justam censuit ex parte mulieris intercessisse causam anteà incognitam, propter quam matrimo-

a Cap. 17. n. 11.
b Ad an. 771. num. 2. 3.

nium contractum dissolvi legitimè potuit, causam tamen hanc adeò secretam fuisse, ut complures viri pii non leve passi sint scandalum, cùm eam mulierem repudiatam & aliam à Carolo ductam viderunt, atque imprimis Adelhardus teste Paschasio, cujus textum descripsit. At totam hanc ratiocinationem destruunt literæ Stephani Quarti Papæ, quæ palàm ostendunt eo tempore, quo filia Desiderii Regis in Franciam venit, aliam Carolo legitimam fuisse conjugem ab aliquot jam annis ductam, cui repudium renuntiare nequaquam licuit, Ecclesiasticis legibus id fieri vetantibus.

XXI. FIT MONACHUS CORBEIENSIS.

Adelhardus in Corbeiensi Monasterio susceptus est ab Abbate Nordranno, de quo sic Robertus in Gallia Christiana. *Nordrannus suscipit Adalardum 773.* Et Sammarthani. *Nordrannus seu Nordramnus suscepit Adalardum an. 771.* Hæc opinio stare non potest, quoniam Adelhardus Monasticam vitam nondum ducebat, cùm Carolum Regem adut mortuo jam ejus fratre Carolomanno, cujus obitus anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo, mense Decembri consignatur, ut Tomo superiore probavimus. Robertus meliùs annum posuit septingentesimum septuagesimum-tertium, cave tamen ne putes Adelhardum sive Adalardum è Palatio Corbeiam ideò secessisse, quòd repudiatâ Desiderii Regis filiâ Carolus Hildegardem superinduxisset. Carolus, ut ab adulterio resipisceret, Desiderii filiam patri remisit, & Himiltrudem, quam vivente Pippino legitimè duxerat, ad Palatium revocavit, eâque mortuâ legitimo quoque matrimonio sibi sociavit Hildegardem, ut dictum suprà. Adelhardus igitur, ut Aulam Regiam desereret, nec ob causam, quam Paschasius perperam finxit, nec ob aliam quampiam similem molestiam, sed ob tædium rerum secularium inductus est, quia piè vivendi desiderio totus flagrabat.

XXII. TRANSLATIO S. RUPERTI.

Apud Anonymum, quem Henricus Canisius publicavit [a], Virgilius Salisburgiensis Episcopus Basilicam, quam ædificare anno Christi septingentesimo sexagesimo-septimo cœpit, hoc anno Thassilonis Ducis vicesimo-sexto dedicat, illúcque transfert Sanctum Rupertum cum Beatis Kunialdo & Gisilario. *Anno Incarnationis Domini* DCCLXXIII *dedicata est primò Ecclesia S. Rudberti à S. Virgilio Episcopo, anno* XXVI *Regni Thassilonis Ducis. Eodem anno transtulit idem Episcopus S. Rudbertum, & duos ejus Capellanos BB. Kunialdum atque Gisilarium.* Henschenius [b], cui displicet hic Auctor, torquetur plurimùm, ut istius cùm Dedicationis tum Translationis annum assequatur. Ab Aventini Chronologia non vult recedere, Ducatum Othilonis ad annum usque Christi septingentesimum sexagesimum-quintum prorogat, ideóque annum Thassilonis Ducis vicesimum-sextum cum anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo componit. Advertit autem ab illa computatione multùm discrepare alium Anonymum, qui vitam Sancti Virgilii conscripsit, ipsúmque Virgilium Ecclesiæ, de qua loquimur, duodecim annis fabricatorem & in decimo-tertio consecratorem laudavit his verbis, *cujus ipse* XII *annis fabricator, & in tertio-decimo consecrator extitit.* Ut opiniones adeò diversas conciliet, anni XVI loco annum XXVI in textum præcitatum irrepsisse dicit, annúmque decimum-sextum Thassilonis Ducis cum anno Christi septingentesimo octogesimo comparat. Ab anno Christi septingentesimo sexagesimo-septimo, quo primùm inchoatam à Virgilio novæ apud Salisburgum Ecclesiæ constructionem haud diffitemur, ad annum Christi septingentesimum octogesimum, effluxerunt anni quidem tredecim, sed nec Othilonis Ducis obitum subrogationémque Thassilonis in annum Christi septingentesimum sexagesimum-quintum, nec prædictæ Ecclesiæ Dedicationem Translationémque Sancti Ruperti in annum Christi septingentesimum octogesimum, quo Virgilius Episcopus in cælum migravit, fas est rejicere. Ineunte anno Christi septingentesimo duodequinquagesimo, Thassilo patri suo in Duca-

[a] Tom. 6. antiq. lect.

[b] d. 27. Mart. in Comment. prævio vit. S. Rudbert. n. 13.

AN. CH. 773.
CAROLI R. 5.

tum Bopanæ successit. Id suprà non semel probatum. Jam verò si primus Thassilonis Ducis annus anno post Christum natum septingentesimo quadragesimo-octavo illigatur, annus quidem Thassilonis Ducis vicesimus-sextus cum hoc anno post Christum natum septingentesimo septuagesimo-tertio coincidit. Stamus ab hoc computo, cui sui non desunt Characteres facis tuti, nec Ecclesiæ Dedicationem, cujus tempus investigamus, ab Episcopo Virgilio, uno vel altero ante obitum mense, factam arbitramur.

XXIII. In erigenda igitur Ecclesia Virgilius Episcopus sex duntaxat annos insumpsit, eamque septimo tandem anno non tantùm solemni pompâ dedicavit, sed etiam exornavit & Sanctorum Reliquiis & Episcopali Sede. Qua de re sic Auctor vitæ. *Fabricam Monasterii immenso opere & egregiâ dispositione à fundamento construxit, corpúsque Sancti Rudberti, quod post obitum suum in Ecclesia Sancti Petri Principis Apostolorum requievit, unà cum Sede Episcopali, quæ in prætaxata Ecclesia similiter per aliquot annos extiterat, divinâ communitus inspiratione, transtulit in eum videlicet locum, in quo usque ad præsentia tempora perduravit.*

XXIV. Novæ Basilicæ nomen inditum Sancti Rudberti, quia Sancti Rudberti corpus in eam translatum est cum Reliquiis beatorum Kunialdi & Gisilarii. Sanctus Rudbertus in cælum migravit anno Christi sexcentesimo vicesimo-tertio, sepultus est in Ecclesia Sancti Petri, ibique quievit per annos centum & quinquaginta, donec in Basilicam sui nominis hoc anno à Virgilio Episcopo translatus est. Ea de Translatione sic Auctor libelli de Episcopis Salisburgensibus apud Canisium [a]. *Octavo Kalendas Octobris Translatio Sancti Rudberti Episcopi, quæ facta est ab Episcopo Virgilio, qui cum eo transtulit etiam duos Presbyteros ejus, SS. Chunialdum & Gisilarium, quorum festivitas, quia nullo alio die in anno habetur, eodem die nominatim in ipsa, ad quam translati sunt, Ecclesia, statuta est celebrari.* Illorum Presbyterorum nomina variis modis efferuntur; Kunialdus, Chunialdus, Chunaldus, Conaldus; Gisilarius, Gizalarius, Gilizarius, Gisolarius, Gillizarius. Apud eundem Canisium [b] in Historia S. Rudperti Episcopi Salisburgensis hæc leguntur, quæ Chronologiam nostram egregiè confirmant. *Ejus, id est, Sancti Rudperti, sanctissimum corpus in Ecclesia Sancti Petri, in sepulchro, quod nunc hodie cernitur, quievit annis 150, usque ad tempora Sancti Virgilii. Qui eum una cum sociis Capellanis Chunialdo & Gisilario, veluti honestiori ac celebratiori loco, ad Metropolitanam transtulit Ecclesiam, ubi tubam præstolantur novissimam.* Illa quidem Ecclesia nondum erat Metropolitana, cùm facta est in eam Sancti Rudperti Translatio, sed Metropolitanam dignitatem priùs adepta est, quàm Auctor prædictam Historiam Sancti Rudperti conscriberet, in qua Metropolitanam vocavit.

XXV. [illegible] Sedis Episcopalis Salisburgo. Bertricum per Ab. S. Petri Salisb.

Cum Sanctorum pignoribus translata quoque Sedes Episcopalis. Sanctus Rupertus primus fuit Episcopus Juvaviensis seu Salisburgensis, octavus Virgilius. Hic ex Antecessorum more Pontificalem Cathedram habuit in Monasterio Sancti Petri, donec illam hoc anno transtulit in Ecclesiam à se conditam, cui nomen indidit Sancti Rudperti. Curam hactenus Cleri Monachorúmque simul gesserat, utroque, cùm Episcopi, tum Abbatis [c], titulo decoratus. Sede autem Episcopali in novam Sancti Rudberti Basilicam translatâ, munus Abbatiale transmisit in Bertricum, qui post eundem Virgilium Sedem etiam Episcopalem obtinuit. Lege Hundium [c].

XXVI. CHETIMARUS KARANTANORUM DUX OBIIT.

Hisce temporibus obiit Chetimarus seu Ketmarus Dux Karantanorum, cujus mortem secuta est certa seditio contra Christianos, ita ut per aliquot annos nullus in ea regione Presbyter fuerit. Qua de re sic Anonymus in vita prælaudati Virgilii Salisburgensis Episcopi. *Mortuo autem Ketmaro & orta tertiâ seditione, aliquot annis nullus Presbyter ibi erat.*

XXVII. EPISCOPI CARNOTENSES.

Heddo sive Ado Carnotensis Episcopus, cùm annos undecim sedisset, & ut Rolliardus observat [d], Canonicos Monachis Ecclesiæ Cathedralis sub-

[a] Tom. 2. Antiq. lect.
[b] Tom. 6. Antiq. lect.
[c] In Episc. Salisb.
[d] Cap. 12.

AN. CH. 773. CAROLI R. 5.

stituisset; hoc anno vitam clausit. Succeslit Flavius, cujus Pontificatus ab eodem Auctore [a] spatio quindecim annorum circumscribitur.

[a] Cap. 10.

XXVIII. GREGORIUS ABB. ET RECTOR ECCLESIÆ TRAJECTENSIS FIT PARALYTICUS.

Hoc anno Gregorius Abbas & Rector Ecclesiæ Trajectensis ad Rhenum, *tactus est eâ molestiâ corporali in sinistro latere, quam paralysin medici vocant, & crescente eâdem molestiâ & ingravescente per singulos dies, secundùm Scriptura testimonium, flagellavit Deus filium suum in hac peregrinatione, quem è vicino erat recepturus ad patriam cælestium mansionum, tribus enim annis ante obitum suum arreptus est illâ infirmitate.* Hæc Ludgerus in ipsiusmet Gregorii vita. Non levis inter Neotericos movetur quæstio de tempore, quo Gregorius ægrotare cœpit, quia de anno, quo mortuus est, non conveniunt. Ea de re post triennium prolixè disputabimus. Interim audi ex eodem Ludgero, qualem se gesserit Gregorius in ægritudine positus. *Erat languor talis, ut inprimis & ambulare posset, vel manu deduci ad profectum proprium & subditorum suorum, & loqui qua ad ædificationem pertinebant. Quod utique agere non est oblitus, sed, sicut semper solebat, tradere non destitit auditoribus suis libros divinæ legis & monita salutis æterna. Nam & condiscipulis melioribúsque meis plures tradidit libros, & mihi modico Ludgero librum Sancti Augustini tradidit, quem Enchiridion, id est, Manuale, ipse nuncupavit. Hac ita agendo, beatus homo Gregorius à profectu spiritualium successionum in ipsa ægritudine sua numquam desinendo, auxit per singulos dies sana mentis sapientiâ, licèt imbecilli corpore, quod sibi suisque ad ingressum Regni cælestis & gaudium proficeret sempiternum.*

XXIX. LIAFWINUS PRESBYTER OBIT.

Liafwinus seu Lebuinus Presbyter hoc eodem anno, *pridie Idus mensis Novembris* obiit. Sepultus fuit *in Ecclesia portûs Daventriensis.* Hæc constant ex Huebaldo in ipsius Sancti Lebuini vita. Quòd autem Ecclesia, in qua conditus est, *Ecclesia portûs* dicatur, ex eo suspicari licet tunc temporis eò loci portum fuisse Daventriensem, à quo non abludunt nomina vicinarum duarum platearum; quarum altera *de Waterstrate*, quasi plateam aquæ dicas; altera *den Graven*, id est, fossa, nominatur. Lege Jacobum Revium in Daventria [b] illustrata. Sanctus Liafwinus ab Hollandis & Frisiis vulgò dicitur *Sancti Martini pupillus* *, vel *Sancti Martini secutor* *, quia colitur postridie festi Sancti Martini Turonensis quondam Episcopi. Sancto Liafwino superstes vixit Marchelmus ejus socius, de quo recurret sermo.

[b] Lib. 1.
* S. Martens Pil.
* S. Martens Volger.

XXX. EPISCOPI URGELLENSES.

Ad hunc usque annum vixit Stephanus Urgellensis Episcopus, qui Pippino & Carolomanno Regibus floruit, primúmque obtinere locum debet inter Urgellenses Episcopos, qui vitam sub Imperio Francorum degerunt. Ei successit Dotilla. Lege Tamayum [c]. Antiqui Scriptores, è civitatibus, quas Pippinus in Hispania Saracenis ademit, duas tantùm nominarunt, Barcinonam videlicet & Gerundam, quæ ceteris præcellebant. At aliæ procul dubio sunt adjungendæ, atque inter has Urgella, cujus Ecclesiam prædictus administravit Stephanus Episcopus.

[c] d. 1. Octob.

XXXI. METROPOLI TARRACONENSI SUBSUNT DIOECESES XIV.

Cùm Saraceni ex Africa in Hispaniam irruperunt, Tarraconæ Metropoli quatuordecim suberant urbes Episcopales, Barcinona, Egata, Gerunda, Emporiæ, Urgella, Ausona, Ilerda, Dertosa, Cæsaraugusta, Osca, Pampilona, Calagurris, Turiaso, & Auca. Trans Iberum sitæ Auca & Turiaso; ad Iberum Calagurris *, Cæsaraugusta & Dertosa; Pampilonam rigat Aragus, qui dexteram Aragonii ripam, hic verò lævam Iberi subit infra Calagurrim; Oscam * alluit Isuela, qui devolvitur in dexteram Cingæ ripam; Sicoris Urgellam præterfluit & Ilerdam *, Cingâque auctus à dextra in lævam Iberi ripam supra Dertosam * egeritur; Emporiæ non procul distant à mari mediterraneo, cui Barcino & Tarraco adsident; inter Ruscinonem ad Boream & Barcinonem ad Austrum Gerunda lavatur Terâ fluvio, qui cadit in mare Balearicum; ultra hunc amnem conspicitur Vicus, olim Ausa & Ausona; denique inter Minorissam * & Barcinonem

* Calaborra.
* Huesca.
* Lerida.
* Tortose.
* Manrese.

AN. CH. 773.

CAROLI R. 5.

nem media est Terrassa, antiquis Egara, corruptè Exara. Tarraconensis igitur provincia complectebatur hodiernum Cataloniæ Principatum cum Regnis Aragoniæ & Navarræ ac Rioja & parte Castellæ veteris. Accensentur enim Cataloniæ Tarraco, Barcino, Terrassa sive Egara, Vicus sive Ausa vel Ausona, Gerunda, Emporiæ, Urgella, Ilerda, & Dertosa; Aragoniæ Cæsaraugusta *, Osca, & Turiaso *; Navarræ Pampilona; Riojæ Calaguris, veteri Castellæ Burgi * sive Auca.

* Saragoffa. * Taraçona. * Burgos.

XXXII. SEX IN POTESTATI FRANCORUM.

Ex hac Geographica descriptione patet Gerundam & Barcinonem Francicis ditionibus haud accessisse, quin & Emporiæ per quas è Gallia Gerundam iter erat, & Egara quæ vicina Barcinoni, Pippino pariter se subdiderint. Ex actis etiam ac subscriptionibus Concilii Narbonensis, quod anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo celebratum est, Diœceses Urgellensem & Ausonensem intra Francici Regni fines collocandas existimamus. Saracenis igitur præter integram Septimaniam Pippinus è prædictis Diœcesibus Tarraconensis provinciæ sex eripuit, quarum primariæ olim civitates, Emporiæ, Gerunda, Egara, Barcino, Urgella, & Ausona. Divisionem illius provinciæ per Episcopatus, à sex proximè nominatis, qui contigui sunt inter se, sic exorsus est Rex Wamba. *Barcinona teneat de Mirona usque Pagela, de Ursa autem usque Bordel. Egara teneat de Bordel usque Palada, de Montesa usque Portellam. Gerunda teneat de Palada usque Justamene, de Alosa usque Pinnas. Emporia teneat de Justamene usque Bertam, de Ventosa usque Gallam. Ausona teneat de Borga usque Aseratam, de Aurata usque Nasonam. Urgello teneat de Bulga usque Mentiam, de Mucamera usque Valame.*

XXXIII.

Apud Joannem Marianam [a] Egara præter Barcinonem & Gerundam collocatur. Apud Godefridum Henschenium [b] Egarensis Episcopatus Barcinonensi conterminus est. Utrumque probatur ex præcitato Wambæ textu, quia Barcinona tenet *usque Bordel*, Egara *de Bordel usque Paladam* & Gerunda *de Palada usque Justamate*. Deinde cùm in eodem textu Egara ex altera parte teneat *de Montesa usque Portellam*, & apud eundem Wambam Dertosa seu Tortosa teneat *à Portella usque Teniam* seu Deniam, certum est Egarensem Diœcesim Dertosensi quoque finitimam fuisse. Garsias Loaisa in notis ad Concilium Lucense [c] primum, Egaram malè interpretatur *de los Cavalleros* prope Cæsaraugustam. Philippus Ferrarius, ubinam Egara fuerit, rectè indicat, & Terraciam esse docet, oppidum haud procul à Barcinone ac Minorissa, quod hodie *Terrassa* dicitur ab incolis. *Egara*, inquit, *Terrassa, urbs olim Episcopalis Hispaniæ Tarraconensis sub Archiepiscopo Tarraconensi, nunc oppidum Catalauniæ inter Barcinonem & Minorissam, à Barcinone quatuor leucis, cujus urbis extant aliquot vestigia, & S. Pedro de Terrassa locum vulgò nominatur. Ejúsque Episcopatus Barcinonensi copulatus est.* Ad hujus rei confirmationem nihil convenientius afferri potest, quàm hoc instrumenti publici fragmentum. *Anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo duodecimo, Era millesimâ centesimâ quinquagesimâ, quarto Nonas Januarii, venerabilis Raimundus Dei nutu Barcinonensis Episcopus, communi utilitati providentes, & Canonicorum sibi commissorum Conventus inferiùs annotatus, & aliorum Clericorum quamplurimum occursu, cum ingenti etiam plebis multitudine, & militum nobilium ibidem advenientium non minor accessione convenerunt ad consecrationem domûs Dei, in honorem ejusdem Genitricis Dei [illegible], in Comitatu Barcinonensi, in termino Terratiæ, juxta Ecclesiam [illegible] eandem Sancti Petri, in loco eodem, ubi antiquitùs Egarensis Sedes erat [illegible].* Extat hæc Charta in Prioratu Sancti [illegible] de Terracia, fragmentum verò, quod proximè recitavimus, publicatum est à Stephano Baluzio sub finem pereruditæ Dissertationis ad Philippum Labbeum de Episcopatu Egarensi, quam Tomo quinto [d] Conciliorum insertam post Egarensem Synodum reperies. De Terrassæ situ hæc in eadem leguntur

EGARA.

[a] Lib. 6. c. 15.
[b] d. 9. Feb. in Natal. Ep. Egar.
[c] Tom. 3. ed. a. 169.
[d] Ad an. 614.

Dissertatione. *Terraciense oppidum, quod hodie Terrassa dicitur, in ea provin-
ciæ Tarraconensis parte situm est, quæ nunc Catalonia dicitur* XVI. *M. P. ab urbe
Barcinonensi, &* IV. *M. P. à Rubricato fluvio, in regione Vallensi positum, vi-
delicet inter Barcinonem, Minorissam, & Ausonam, ad rivulum quemdam, Are-
nas vulgò dictum, quòd aquâ ferè careat, nisi quem hybernis intumuit imbri-
bus. Quæ priscis temporibus hoc loco sita fuit Egara, proprium habuit Episco-
pum.* Index Egareosium Episcoporum apud Tamayum [a] occurrit, desinit-
que in Joanne, quocum ceteri provinciæ Tarraconensis Episcopi Concilio
Toletano decimo-sexto, Era septingentesimâ tricesima-primâ sive anno
Christi sexcentesimo nonagesimo-tertio, Mense Maio sic subscripserunt.
*Ego Vera indignus Tarraconensis Sedis Episcopus hæc Decreta Synodalia à nobis
edita subscripsi. Guadila Empuritana Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Anredus Iler-
densis Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Felix Calagurritana Ecclesiæ Episcopus
subscripsi. Constantinus Aucensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Andebertus Os-
censis Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Nepotianus Tyrassonensis Ecclesiæ Episcopus
subscripsi. Joannes Egarensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Valdefredus Cæsar-
augustana Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Involatus Dertosana Ecclesiæ Episcopus
subscripsi. Wisefredus Ausonensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Laülfus Barci-
nonensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Leubericus Urgelitana Ecclesiæ Episco-
pus subscripsi. Mirus Gerundensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Vincomalus
Diaconus, agens vicem Domini mei Marciani Pampilonensis Sedis Episcopi,
subscripsi.* Cùm autem, post Maurorum adventum in Hispanias, Egaren-
sis Ecclesiæ nullus inveniatur Episcopus, ad ea certè tempora referri de-
bet Egarensis urbis eversio. Tunc Egara desiitesse Sedes Episcopalis, &
ut Tamayus observat, *Barcinonensi Episcopo unita, sub ejus correctione,
sine juris ipsius prajudicio persistit.* Egarenses enim Episcopalem Ecclesiæ
suæ dignitatem restaurare non semel tentaverunt, at irrito semper conatu,
ut suis locis ostensuri sumus; interim, si lubet, Baluzium jam laudatum
consule.

[a] ad. 9. Febr.

XXXIV. BARCINO. Barcino cum portu nobilis est in ora maris mediterranei cis ostium Rubricati *, qui, postquàm Pippinus Barcinooem cepit, Francorum Regnum à Saracenicis ditionibus disterminavit. Illa civitas variis obnoxia vicissitudinibus per ætatem Pippini & Caroli, modò Francis, modò Saracenis paruit. Egarensium eadem quæ Barcinonensium sors fuit, utrisque seu Franci seu Saraceni dominabantur. Post Laülfum, qui Concilium Toletanum decimum-sextum suâ subscriptione communivit, mancus est Barcinonensium Episcoporum Catalogus sub Mauris atque etiam sub Pippino Francorum Rege.

* *Lobregat.*

XXXV. GERUNDA. Gerunda *, civitas ad Teram fluvium, septem leucis ab ora maris mediterranei distat, octo à confinio Galliarum, sexdecim à Barcinone. Gerundensium Episcoporum Indicem ex variis Auctoribus texuit Tamayus [b], at post Concilium Toletanum decimum-sextum, cui Mirus seu Miro Gerundensis Episcopus interfuit, nullius è successoribus meminit ante tempora Caroli Magni.

* *Girone.*

[b] d. 3. Sept.

XXXVI. EMPORIÆ. Emporiæ *, urbs olim magna & Episcopalis, hodie oppidum tenue sextâ cis Gerundam leucâ. Concilio Toletano decimo-sexto subscripsit *Guadila Empuritana Ecclesiæ Episcopus.* Recentiorem Episcopum illius loci oon novimus. Emporias igitur à Mauris eversas, &, ut Egarensis post dirutam Egaram Barcinonensi fuit unitus, sic Empuritanum Gerundensi copulatum putamus. Atque inde fit, ut apud veteres Annalistas, qui Barcinonem & Gerundam in Pippini potestatem venisse scribunt, per Barcinonem Diœceses Barcinonensis & Egarensis, per Gerundam Diœceses Geruodensis & Empuritana sint intelligendæ.

* *Ampurias.*

XXXVII. URGELLA. Urgella *, civitas ad Sicorim fluvium, quioque tantùm leucis Hispanicis à Galliarum confinio distat. Urgellenses, quia Gallis finitimi, Pippi-

* *Urgel.*

AN. CH. 773

CAROLI R. 5.

no Regi deditionem cum aliis plerisque Tarraconensis provinciæ populis fecerunt & ab eo tempore permanserunt sub Francorum potestate, nec unquam Saracenicæ genti imperium experti creduntur. Eam ob causam integrum habent suorum Episcoporum Indicem, Pippino & Carolomanno Regibus Stephanum, Regi Carolo Docillam, Felicem & Sisebutum, synchronos constituunt. Stephano, ut dictum supra, successit hoc anno Docilla. Concilio Narbonensi, quod anno Caroli Regis vicesimo tertio celebratum est, subjicitur hæc Felicis Episcopi subscriptio. *Felix Episcopus Urgellitanæ Sedis sub scripsi.* Latissimè tunc patebat Urgellitana Diœcesis, & ex earum erat numero, quæ ne toto quidem biennio à propriis Episcopis visitari possunt. Quapropter oppidum Celsonum * quod intra fines ipsius Diœcesis Urgellensis existebat, & à civitate Urgellensi milliaribus circà quinquaginta distat, in civitatem erexit, & Episcopali Cathedrâ decoravit Clemens Octavus Papa rogatus à Philippo Secundo Hispaniarum Rege. Tamayus istius erectionis Bullam publicavit *, cujus auctoritate novæ Celsonensi Diœcesi attributum est totum territorium ipsum Celsonense, ac præterea plura alia oppida, terræ loca, castra, & territoria ab eadem Urgellensi Diœcesi, & nonnulla alia loca à Diœcesi avulsa Vicensi, ipsi Diœcesi Celsonensi commodiora. Data hæc Bulla Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo-tertio, Kalendis Augusti, Pontificatûs anno secundo. Adjacet autem Celsona Cardonæ * fluvio qui rigat oppidum ejusdem nominis, necnon Minorissam, ac paulo infrà in Rubricatum à dextra cadit.

* Sejuni

* 4. l. 3. ...

* Cardone

XXXVIII. AUSONA.

Ausona sive Ausa, cujus populi Ausonenses & Ausetani dicti sunt, sex tantùm leucis à Gerunda distabat, & ex ejus ruinis crevit Vicus * civitas Episcopalis. Ut autem Ausonenses ab Ausona, sic à Vico Vicenses Episcopi sunt appellati. Concilio Toletano decimo-sexto *Wisefredus Ausonensis Ecclesiæ Episcopus* subscripsit anno Christi sexcentesimo nonagesimo-tertio. Subsecuta Hispaniarum clades, cum bellum Francos inter ac Mauros in provincia Tarraconensi gestum. Ausona in Pippini Regis potestatem venit, regnante Nimbridius Narbonensis Archiepiscopus Ausonenses eâdem sic cum vicinis plerisque, maximè cum Gerundensibus *infestationem* pro jactati sunt, ut, *ob paganorum seu Saracenorum* ... Episcopum anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo non obtinere potuerint. In Concilio enim Narbonensi, quod illo anno, Caroli Regis vicesimo-tertio ab Episcopis, Barcinonensi, Gerundensi, Urgellensi, aliisque non paucis celebratum est, *Daniel Archiepiscopus Narbonensis* ... *Ausonensis Parochiæ rationem adhibens, ostendit quod nullo modo Episcopum ... ponere potuisset ob paganorum infestationem, & quemadmodum anxiedam ... per antecessorum suis industriam quondam ibidem hæresis extincta fuit.* Anno autem Christi septingentesimo sexagesimo-nono, qui proximus à obitu Pippini Regis fuit, nihil de Daniele Archiepiscopo Narbonensi reperimus, cum decessor Nimbertius sedit Pippino Rege, nec ad Infulas prius videtur, quàm pulsi fuere e Gallia Saraceni, per id tempus, quo Septimaniam hi tenuerunt, hiatus est in Archiepiscoporum Narbonensium Catalogo.

XXXIX. CUR METROPOLI NARBONENSI SUBJECTA.

... Tarraconensem provinciam in qua Barcino, Gerunda, Ausona, Urgella, aliæque ... Narbonensi Metropolitæ tanquam subjectam ab eo pertinere tempore ... Tarraconem Agareni seu Saraceni diruerunt. Ut huic opinioni fidem concilient, duas allegant epistolas ... Papæ Secundi: unam datam Capuæ, Kalendis Julii, Indictione ..., anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo-primo, Pontificatûs anno quarto, in qua testatur Papa Tarraconem ab Agarenis eversam ... transactis trecentis nonaginta annis, id est, ante annum Christi

AN. CH. 773. CAROLI R. 5. septingentesimum primum; alteram, quâ Pontifex Rainerio Cardinali Presbytero significat questum esse Narbonensem Archiepiscopum, quòd *præjudicium sibi factum* esset, *de Tarraconensium Episcoporum subjectione, per Romanam Ecclesiam, cùm eos Narbonensis Metropolis per annos quadringentos*, id est, à fine septimi seculi, *sine alterius reclamatione possederit*, ideóque *Tarraconensibus*, seu provinciæ Tarraconensis, *Episcopus* præcipi jubet *ut interim Narbonensi, tanquam proprio Metropolitano obediant, donec, præstante Domino, Tarraconensis restauretur Ecclesia.*

XL. In Historia veterum Calipharum [a], primus Arabum in Hispaniam ingressus consignatur anno Hegiræ nonagesimo-tertio, cujus finis cum mense Octobri anni post Christum natum septingentesimi duodecimi coincidit. Urbano igitur Papæ, qui vitam anno Christi millesimo nonagesimo-nono clausit, Archiepiscopus Narbonensis haud potuit intimare, quòd provinciæ Tarraconensis Episcopos *Narbonensis Metropolis per annos quadringentos sine alterius reclamatione possederit*, nisi rotundo numero delectatus censeatur. Similiter ipsemet Urbanus à Tarraconis excidio ad annum Christi millesimum nonagesimum-primum, quo scribebat, annos nonaginta supra trecentos numerare non debuit. Franci, Rege Pippino, partem Tarraconensis provinciæ subegerunt à Pyrenæis montibus ad Rubricatum usque fluvium, qui mare mediterraneum ad Anstrum Barcinonis subit. In illo terrarum tractu sex olim fuerunt Diœceses, Urgellensis, Ausonensis, Empuritana, Gerundensis, Egarensis, ac Barcinonensis; è quibus, post Maurorum irruptionem cis Rubricatum, Barcinonensis & Egarensis, item Gerundensis & Empuritana, simul unitæ sunt, & Ausonensis propter eorumdem Arabum infestationem Episcopo diu caruit. Quapropter anno vicesimo-tertio Caroli Regis inter Episcopos, qui Concilio Narbonensi subscribunt, tres tantùm reperiuntur è provincia Tarraconensi, nempe Barcinonensis, Gerundensis, & Urgellensis, atque in Actis ejusdem Concilii profertur ab Archiepiscopo Narbonensi ratio, cur Ausonensis Ecclesia proprium Episcopum habere nondum possit. In hoc Concilio nulla fit mentio ceterarum Sedium, quæ pertinent ad provinciam Tarraconensem. Unde liquidò patet totam illam provinciam, Tarracone à Mauris occupatâ, Metropoli Narbonensi nusquam subjectam fuisse, sed ad hanc Metropolim solas è prædicta Tarraconensi provincia Diœceses accessisse, quibus aucta Francia sub Pippino successoribúsque Francorum Regibus, istiúsque accessionis causam non eversioni Tarraconis, at Regnorum vicissitudini tribuendam esse; quia quascumque Saracenis Diœceses Pippinus aliique Francorum Reges eripuerunt, eas Narbonensi summiserunt Metropolitæ, qui, pro diversis præliorum ac bellorum eventibus, modò plures, modò pauciores sibi subditas habuit.

[a] Lib. 1. c. 13.

XLI. In hac mutatione Pippinus ejúsque filii Carolomannus & Carolus, penes quos fuerunt Septimania parsque provinciæ Tarraconensis, nihil egerunt omnino, quod anteà Meroveadæ non præstiterint. Et ne longius exempla repetamus, observa Tolosam, quæ prius erat sub Metropoli Narbonensi, deletis Wisigothis captam esse à Clodoveo Magno, ac deinceps Bituricensi Metropoli subjacuisse. Consule etiam ea, quæ Tomis primo & secundo dicta sunt [b] de Rutenicis ac Lutevensibus Episcopis. Ruteni * sunt extremi populi Aquitaniæ primæ quà respicit provinciam Narbonensem; à Wisigothis ad Clodoveum Magnum cum ipsa Metropoli Bituricensi transierunt; mortuo Clodoveo, redierunt in Gothorum potestatem, statim Narbonensis Pontifex jus Metropoliticum in eos exercuit, & anno Christi quingentesimo vicesimo-quarto Dalmatium Ecclesiæ Rutenicæ Episcopum ordinavit, Rutenis autem sub Francorum imperium denuò missis idem Dalmatius Bituricensi Metropolitano se subdidit. Similiter Luteva * civitas est Septimaniæ sub Metropoli Narbonensi, quandiu Gothicæ ditionis

[b] An. 525. nu. 4. 5. an. 533. n. 3. an. 562. n. 3.

* Rhodez.

* Lodéve.

AN. CH. 773. CAROLI R. 5.

fuit, Metropolitam Narbonensem agnovit, Bituricensem verò, quando attributa est Franciæ; anno Christi quingentesimo tricesimo-tertio Francis parere cœpit; anno pòst secundo Deuterius Lutevensis Episcopus Synodum Arvernensem cum aliis Episcopis Theodoberto Francorum Rege celebravit, & Edibius Deuterii successor anno Christi quingentesimo quinquagesimo-septimo Concilium Parisiense tertium suâ subscriptione communivit Childeberto Rege; post annum Christi quingentesimum sexagesimum-primum, quo Clotarius Clodovei Magni filius obiit, Luteva sub imperium Wisigothorum reversa est; abhinc Lutevensis Episcopus iterum subfuit Narbonensi Metropolitæ, subscripsitque Conciliis habitis in Regno Wisigothorum, in Septimania videlicet & in Hispania; *Agrippinus* anno quarto Reccaredi Regis Synodo Narbonensi subscripsit *de Civitate Loteva in Christi nomine Episcopus*, & Toletanæ tertiæ *Civitatis Lutubensis provincia Gallia Episcopus*; Decreto Gundemari Regis subscripsit *Leontianus* seu Leontius *Lutobensis Episcopus*; anno tertio Sisenandi Regis *Anatholius Luthuensis Ecclesia Episcopus* Concilio Toletano quarto subscripsit, & anno secundo Chintillani Regis Concilio Toletano sexto, sic, *ego Anatolius Ecclesia Lutubensis Episc. subscr.* Firminus Synodo Narbonensi cum aliis Septimaniæ Præsulibus interfuit, ut ex illis duo delegarentur ad octavum Concilium Toletanum, quod anno quinto Reccessuinthi Regis celebratum est; *Gisibertus Diaconus agens vicem Ansemundi Episc. Lotoebensis* Concilio Toletano decimo-tertio subscripsit anno quarto Ervigii Regis.

XLII. Prætereà ne provinciæ Tarraconensis Episcopos ob Tarraconis eversionem Metropolitæ Narbonensi subjectos credamus, vetat calamitas, quæ Narbonem cum Tarracone pariter involvit. Saraceni totam Hispaniam intra biennium occuparunt. Mirum profectò visum est, inquiunt Scriptores [a] rerum Hispanicarum, ut, *quam Romani provinciam olim continuis ducentorum annorum & calamitosissimis bellis vix benè subegerant*, eam barbari tam *exiguâ morâ* in servitutem redegerint. Ineunte proximo mense Martio, anno Christi septingentesimo decimo-quinto, sublatus est ex hac vita Valid anno sui Caliphatûs vicesimo. Successit Suleman seu Suliman ejus frater. Hic, teste Roderico [b], *misit Alahor, quem Hispania præfecerat, ut Narbonensem Galliam devastaret, & citeriorem Hispaniam, in qua Christiani aliqui rebellaverant, subjugaret. Qui prædictam Galliam & utramque Hispaniam vi, fraude & deditione receptans, vectigali subdidit servituti.* Obiit Suleman anno Christi septingentesimo decimo-septimo, Kalendis Octobris, die Veneris, ut probatum Tomo quarto [c]. Inde liquet post expugnatam Tarraconem non multùm temporis intercessisse, donec Narbo cum reliqua Septimania deditionem fecit. Ut autem Tarraconem aliásque civitates, quas cis Iberum in Hispania ceperunt, sic & Narbonem cum reliquis Septimaniæ civitatibus orbarunt suis Episcopis Saraceni. Mancus est Archiepiscoporum Narbonensium Catalogus per totum tempus, quo Septimania sub Arabum jugo gemuit. Pippinus, ubi provinciam illam Mauris eripuit, Narbone Metropolitam, Episcopos in plerisque civitatibus ordinandos curavit. Eo regnante, Narbonensem Archiepiscopatum gessit Nimbrisius, qui jus Metropoliticum in quasdam Tarraconensis provinciæ Diœceses, utpote Francicis ditionibus adjectas exercuit, & à Daniele proximo successore in Actis Concilii Narbonensis jam citatis laudatus reperitur, quòd Ausonensem populum erudierit.

[a] Hieron. Paul. in Barcin.

[b] Hist. Arab. cap. 10.

[c] Ad an. 721, n. 27.

XLIII. MADELVEI EP. VIRODUN. PEREGRINATIO IN ORIENT.

Ad hunc annum referri debent, quæ de Madelveo Virodunensium Episcopo Hierosolymam profecto narrantur, si peregrinationem sub Adriani Pontificatu suscepit, ut Hugo Flaviniacensis in Chronico Virodunensi testatur. Vitiosus est autem apud eundem Auctorem Character Chronologicus, ubi mentio fit Constantini & Irenes tunc imperantium, nam Madelveus, cujus obitus in annum Christi septingentesimum septuagesimum-

AN. CH. 773. CAROLI R. 5.

sextum incidit, ex hac vita sublatus est Constantino Imperium cum Irene matre nondum adepto. Madelveus Virodunum reversus, *omnibus exemplar & speculum totius sanctitatis se prabuit*, & *in Ecclesia* Sancti Vitoni, *in qua adoleverat, sepultura sua locum delegit. Licèt enim omnium Ecclesiarum insudaret utilitatibus, hanc tamen pra omnibus locis sacris post primam, qua Sedes est Episcopalis, coluit, amplificavit & provexit.*

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

ANNUS CHRISTI 774.
CAROLI R. 6. 3. 1.

I. ANNUS Christi septingentesimus septuagesimus-quartus, Caroli Regis ut in Francia sextus ab obitu Pippini patris & tertius à morte fratris Carolomanni, sic & primus in Longobardia numeratur, hoc enim anno in Caroli potestatem Longobardia devenit; ideóque & hunc Caroli Regis annum, & subsequentes, tribus Characteribus designandos arbitramur.

II. Carolus, cùm Veronam aliásque civitates cis-Padanas haud paucas suo subegisset imperio, & Papiam Desiderii Regiam spatio sex mensium circumsedisset, jámque dies Dominicæ Resurrectionis instaret, statuit illum cum Hadriano Papa celebrare, simúlque, quod diu optaverat, sacra ipsa Apostolorum limina visitare. Quare, copiis ad urgendam Papiæ obsidionem iterum relictis, Romam iter instituit per Tusciam adeò festinatum, ut pridie Paschæ, seu postridie Kalendas Aprilis, ad Urbem accesserit cum aliquot Episcopis, Abbatibus, Judicibus, ac delecta militum manu. Pontifex hac de re lætatus, ingenti sibi honore Carolum putavit excipiendum, Regem cùm opibus præpollentem, tum & Majorum beneficiis & suis optimè de Romana Ecclesia benè meritum. Ordo verò ejus honoris accuratè sic ab Anastasio [a] describitur.

CAROLUS E CASTRIS AD PAPIAM POSITIS ROMAM PROFICISCITUR.

[a] In Hadrian.

III. Carolus *dirigens cuneos exercituum bellatorum comprehendit diversas civitates Longobardorum ultra Padum* respectu Romæ *constitutas, suæque redegit potestati. Et dum per sex mensium spatium ipse Francorum Rex Papiæ demoraretur in obsessione ipsius civitatis, magnum desiderium habens ad limina Apostolorum properandi, considerans quòd & sacratissima Paschalis festivitas appropinquasset, tunc abstollens secum diversos Episcopos, Abbates etiam, & Judices, Duces nempe, & Graphiones, cum plurimis exercitibus hic Romam per Tuscia partes properavit, ita festinanter adveniens, ut in ipso Sabbato Sancto se liminibus præsentaret Apostolicis. Cujus adventum audiens beatissimus Hadrianus Papa, quòd sic repentè ipse Francorum advenisset Rex, in magno stupore & extasi deductus, direxit in ejus occursum universos Judices ad ferè triginta millia ab hac Romana urbe in locum, qui vocatur Novas, ubi eum cum bandora*, id est, cum militari signo, *susceperunt. Et dum appropinquasset ferè unius milliario à Roma urbe, direxit universas scholas militia unà cum patronis, simúlque & pueris, qui ad discendas literas pergebant, deportantes omnes ramos palmarum atque olivarum, laudésque omnes canentes cum acclamationum earumdem laudum vocibus ipsum Francorum susceperunt Regem; obviam illi ejus Sanctitas direxit venerandas Cruces, id est, signa, sicut mos est ad Exarchum aut Patricium suscipiendum, eum cum ingenti honore suscipi fecit. Ipse verò à Deo institutus benignissimus Carolus Magnus Francorum Rex & Patricius Romanorum quâ horâ easdem sacratissimas Cruces ac signa sibi obviam advenisse conspexit, descendens de equo, quo sedebat, ita cum suis Judicibus ad beatum Petrum pedestris properare studuit. Quod quidem almificus antedictus Pontifex diluculo*

HONORIFICENTISSIMÈ SUSCIPITUR A PP.

surgens in eodem Sabbato Sancto cum universo Clero & populo Romano ad beatum Petrum properavit ad suscipiendum eundem Francorum Regem, & in gradibus ipsius Apostolicæ aulæ eum cum Clero suo præstolatus est. Conjungente verò eodem Excellentissimo ac Benignissimo Carolo Rege, omnes gradus sigillatim ejusdem sacratissimæ beati Petri Ecclesiæ deosculatus est, & ita usque ad prænominatum pervenit Pontificem. Ubi in atrio super gradus juxta fores Ecclesiæ assistebat. Eóque suscepto, mutuò se amplectentes, tenuit isdem Christianissimus Carolus Rex dexteram manum antedicti Pontificis. Et ita in eandem venerandam aulam beati Petri Principis Apostolorum ingressi sunt, laudem Deo & ejus Excellentiæ decantantes, universus Clerus, & cuncti religiosi Dei famuli extensâ voce clamantes. [Benedictus qui venit in nomine Domini, &c.] Sicque cum eodem Pontifice ipse Francorum Rex, simúlque & omnes Episcopi, Abbates, & Judices, & universi Franci, qui cum eo advenerant, ad Confessionem beati Petri appropinquantes, seséque proni ibidem prosternentes, Deo nostro Omnipotenti, & eidem Apostolorum Principi propria reddiderunt vota, glorificantes divinam potentiam in eo, quòd talem per interventionem suffragia ejusdem Principis Apostolorum concedere jussit victoriam. Expletâ verò oratione, obnixè deprecatus est isdem Francorum Rex antedictum almificum Pontificem, illi licentiam tribui Romam ingrediendi ad sua orationum vota per diversas Dei Ecclesias persolvenda. Et descendentes pariter ad corpus beati Petri, tam ipse Sanctissimus Papa, quámque antefatus Excellentissimus Francorum Rex, cum Judicibus Romanorum & Francorum, seséque mutuò per sacramentum munientes, ingressus est Romam continuò cum eodem Pontifice ipse Francorum Rex cum suis Judicibus & populo in eodem Sabbato Sancto. Et in Basilica Salvatoris juxta Lateranum pariter ingressi ibidem ipse Excellentissimus Rex cum omnibus suis, quousque Sancti Baptismatis Sacramentum antedictus ter Beatissimus Pontifex celebravit. Et ita postmodum ad Beatum Petrum ipse Beatissimus repedavit Rex. Alio verò die illucescente Dominico Sancto, in ipsa sacratissima Paschali festivitate direxit diluculo ipse Sanctissimus Præsul cunctos Judices, & universa obsequia militiæ, ad eundem Regem, & cum magno honore eum suscipientes in Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe properavit cum omnibus, qui cum eo advenerant, Francis. Et post Missarum solemnia celebrata perrexit cum prænominato Pontifice in Lateranense Patriarchium, illícque ad mensam Apostolicam pariter epulati sunt. Alio verò die, secundâ feriâ, simili modo in Ecclesia beati Petri, more solito, ipse conspicuus Pater & egregius Pontifex Missarum solemnia celebrans, Deo Omnipotenti, & præfato Carolo Excellentissimo Regi Francorum & Patricio Romanorum, laudes reddere fecit. Tertiâ verò die, juxta ut mos est, in Ecclesia Beati Pauli Apostoli Missas eidem Regi fecit. At verò quartâ feriâ egressus prænominatus Pontifex cum suis Judicibus tam Cleri quámque militiæ in Ecclesia Beati Petri Apostoli, pariterque cum eodem Rege se ad loquendum conjungens, constanter eum deprecatus est, atque admonuit, & paterno affectu adhortari studuit, ut promissionem illam, quam ejus sanctæ memoriæ genitor Pipinus Rex, & ipse præcellentissimus Carolus, cum suo germano Carolomanno, atque omnibus Judicibus, fecerant Beato Petro & ejus Vicario sanctæ memoriæ Domno Stephano Juniori Papæ, quando in Franciam perrexit pro concedendis diversis civitatibus ac territoriis istius Italiæ provinciæ, & contradendis Beato Petro, ejúsque omnibus Vicariis, in perpetuum possidendis, adimpleret in omnibus, cúmque ipsam promissionem, quæ in Francia in loco, qui vocatur Carisiacus, facta est, sibi relegi fecisset, complacuerunt illi, & ejus Judicibus, omnia, quæ ibidem erant adnexa, & propriâ voluntate, bono ac libenti animo, aliam Donationis promissionem, ad instar anterioris, ipse antedictus præcellentissimus & re verâ Christianissimus Carolus Francorum Rex ascribi jussit per Etherium religiosum ac prudentissimum Capellanum & Notarium suum, ubi concessit easdem civitates & territoria Beato Petro, eásque præfato Pontifici contradi spopondit, per designationem finium, sicut in eadem Donatione continere monstratur.

CUM EO CELEBRAT PASCHA.

AN CH. 774. CAROLI R. 6.

IV. Carolus Rex Francorum in incessu & ingressu Ecclesiæ dexteram manum Hadriani Papæ tenuit. Id Sigonius omisit, ratus fortè tum Apostolicæ Sedis dignitati derogatum, Rege ad dexteram Pontificis incedente. Spondanus [a], ne contra Romanæ Ecclesiæ Majestatem à Carolo quid factum videretur, ex vetere libro Pontificali, qui Romæ asservatur in Archivo Ecclesiæ Sancti Petri in Vaticano, agitque de receptione Regis coronandi in Imperatorem, & de ejus accessu ad Pontificem, qui illum extra Ecclesiam opperitur, hæc exscripsit verba, quibus putavit Anastasio lucem afferri. *Rex accedens ad Summum Pontificem, reverenter osculatur pedes ipsius, & offerens ei aurum quantum placuerit, benignè excipiatur ab eo ad osculum & ad amplexum. Quo demùm surgente, Rex ipse à parte dextera & prior Diaconorum à parte sinistra deducant eum usque ad Ecclesiam.* Atque addito veluti commentariolo, ex auctoritate Nicolai Alemanni in Tractatu de dextra & sinistra, verbum illud, *deducant*, in supradicto Pontificali libro repertum sic explicuit. *Deducant autem, non ut simpliciter incedant ad latera ejus, sed etiam ut teneant, hoc est, ut sustineant manus ejus, ut, quemadmodum videmus in Ordine Romano præscribi, ut dum solemniter procedit Pontifex, præcipui ex Clero tenentes dexteram ejus atque sinistram, sustentent eum, ita in ceteris ceremoniis Reges & Imperatores id obsequii præstiterint Pontificibus, honoris ergò.* Sed quamvis Reges Romanorum in Imperatores promovendi summis Pontificibus honorem exhibuerint, qualis in supralaudato libro Pontificali describitur, non inde necessariò sequitur eosdem Reges vel Imperatores, quoties Romam profecti sunt, toties solitos idem obsequium præstare. Certè Fridericus Tertius Imperator haud præstitit anno Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo-octavo, cùm Romam Religionis ergò venit Paulo Secundo tum Pontifice. Extat enim de votiva illa in Italiam profectione, & honorifico Friderici ad Urbem adventu narratio, è primo libro [b] sacrarum cerimoniarum desumpta, ubi hæc leguntur. *Pontifex de solio descendit, & Cæsarem iterum amplexatur, manu sinistrâ illum tenens, pariter Palatium Apostolicum ascenderunt.* Et inferiùs. *Inter eundum semper Pontifex manu sinistrâ, illius*, nempe Friderici, *dextram tenebat, volebátque, ut æquali semper gradu incederet, quamvis modestè semper Cæsar reluctaretur.* Existimamus igitur Anastasii verba non egere commentario, nec Pontificiæ Majestati quidquam derogatum, quod Carolus in incessu & ingressu Ecclesiæ dexteram manum Hadriani Papæ tenuerit, neque enim Rex Pontifici præferri se voluit aut contendit, sed Pontifex Regem, à quo multa sperabat, excepit quàm potuit officiosissimè; denique ut rem uno verbo concludamus, Romanum Pontificem cum Rege Francorum obsequiis invicem certare non piguit, quódque nostra forsan hodie non ferret ætas, id Caroli Magni temporibus piaculum temerè dixeris.

[a] Epit. Baron. ad hunc an. n. 2.

[b] Sect. 13. c. 1.

V. DONATIONEM PIPPINIANAM AUGET.

Anastasius [c] Donationem, à Pippino quondam factam, hoc anno plurimùm auctam à Carolo contendit *per designationem confinium*, ut ille loquitur, *à Lunis cum Insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardono, inde in Verceto, deinde in Parma, deinde in Rhegio, & exinde in Mantua, atque monte Silicis, simílque & universum Exarchatum Ravennatium, sicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum, & Histriam, necnon & cunctum Ducatum Spoletinum, & Beneventanum.*

[c] In Hadrian.

VI. Constat ex Epistolis Hadriani Papæ, & ex Diplomate Ludovici Pii, Carolum civitatibus ac provinciis, quas Pippinus pater Apostolicæ Sedi concesserat, plurimas addidisse, sed hæ nec omnes simul, nec hoc anno datæ sunt, nec Donationi, quam Anastasius descripsit, amplitudine pares unquam fuerunt. Carolus quater tantùm, ut Eginhardus [d] observat, votorum solvendorum ac orationis fundendæ causâ Romam profectus est, hoc videlicet anno, iterum anno Christi septingentesimo octogesimo-primo,

[d] In vit. Carol. M.

primo,

mo, deinde anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo, denique anno Christi octingentesimo, ut Annales Loiseliani & alii confirmant. Donationem à Pippino patre factam non semel amplificavit, singulis autem vicibus quid contulerit, ex Epistolis potissimùm Hadriani Papæ colligi potest. AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

VII. In Codice Carolino reperiuntur [a] Hadriani Pontificis ad Carolum Epistolæ quadraginta-sex. Hadrianus priores septemdecim, inscripsit *Domno Excellentissimo filio Carolo, Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum*. Postquàm autem Pippinum Caroli filium ex sacro fonte suscepit anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, Carolum spiritalem compatrem suum, Hildegardem spiritalem commatrem suam vocare cœpit, & veterem inscriptionis formulam in suis ad Carolum literis posteà sic immutavit. *Domno Excellentissimo filio nostróque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum atque Patricio Romanorum*. Rursum quoniam Hadrianus in illis Epistolis Reginam aliquando & præcellentissimam filiam & spiritalem commatrem suam, aliquando præcellentissimam suam filiam tantùm vocat, aliquando verò nullam Reginæ mentionem facit. Ex diversis illis scribendi formulis apparet Epistolas quasdam scriptas superstite adhuc Hildegarde, quam Pontifex & filiam & spiritalem commatrem suam nuncupat, nonnullas eâ mortuâ, ceteras ductâ jam à Carolo post Hildegardis obitum Fastradâ, quam Papa suppresso commatris nomine præcellentissimam duntaxat filiam suam appellat.

[a] Ep. 49. & seqq.

VIII. Hadrianus, in Epistolis ante annum Christi septingentesimum octogesimum-primum Carolo Regi directis, insinuat Ducatum duntaxat Spoletanum Apostolicæ Sedi hoc anno traditum à Carolo, neque enim sermonem ullum habet prættereà, nisi de Pentapoli & Exarchatu Ravennate, seu de Donatione à Pippino patre facta, & de patrimoniis Sabinensi atque aliis in Corsica, in partibus Tusciæ, Spoleti, ac Beneventi, & in territorio Neapolitano, quæ quidem patrimonia, ut disertè de Sabinensi testatur Epistolâ sexagesimâ-nonâ, *pro luminariorum concinnationibus atque alimoniis pauperum* concessa fuerant.

IX. Epistolâ quinquagesimâ-quartâ, quam inferiùs ad hunc annum citabimus, de Leone Ravennatium Archiepiscopo, qui plerasque civitates Æmiliæ occuparat, apud Carolum ita conqueritur. *Præcellentissime Magne Rex, postquàm vestra Excellentia à civitate Papia in partes Franciæ remeavit, ex tunc Leo tyrannico atque procacissimo intuitu rebellis beato Petro & nobis extitit, & in sua potestate diversas civitates Æmiliæ detinere videtur, scilicet Faventiam, Forum-Populi, Forum-Livii, Cesinas, Bobium, Comtaclum, Ducatum Ferrariæ, seu Imolas atque Bononias, asserens, quòd à vestra Excellentia ipsæ civitates unà cum universa Pentapoli illi fuissent concessæ. Et continuò direxit Theophylactum Missum suum per universam Pentapolim hoc ipsum denuntians, cupiens eosdem Pentapolenses à nostro servitio separare. Sed ipsi nullo modo se illi humiliare inclinati sunt, nec à servitio beati Petri & nostro recedere maluerunt, magis autem firmi in nostris Apostolicis mandatis, quemadmodum extiterunt sub nostro prædecessore Domno Stephano Papa, cui sanctæ recordationis genitor tuus, simulque & præclara Excellentia tua ipsum Exarchatum sub jure beati Petri permanendum tradidit, in omnibus firmiter permanere noscuntur.*

X. Epistolis quinquagesimâ-primâ & quinquagesimâ-secundâ, quas ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-sextum citabimus, eodem de Leone rursum queritur. Epistolâ quinquagesimâ-primâ, sic. *Leo Archiepiscopus in nimiam superbiam elevatus, nullo modo nostris præceptionibus, sicut anteà, obedire voluit, sed brachio forti usque hactenus in sua potestate detinere videtur Imolam atque Bononiam, dicens, quòd easdem civitates nullo modo beato Petro neque nobis concessistis, nisi tantummodo eidem Leoni Archiepiscopo. Et Dominicum, quem nobis in Ecclesia beati Petri tradidistis atque commendastis, Comitem constituimus in quandam brevissimam civitatem Gabellensem,*

AN. CH. 774 CAROLI R. 6. *Praeceptum ejusdem civitatis illi tribuentes. Sed minimè illum permisit ipsum actum agere, sed dirigens exercitum, vinctum eum Ravennam deduxit, & sub custodia habuit. Nam & de aliis civitatibus Æmiliæ, id est, Faventia, Ducatu Ferraria, Comiaclo, & Foro-Livii, & Foro-populi, Casina, & Bobio, seu Tribunatu decimo, nullum hominem exinde ad nos, pro suscipiendis Praeceptis actionum, advenire permisit.* Epistolâ quinquagesimâ-secundâ, sic. *Leo Archiepiscopus nullo modo, sicut antea, nostris Apostolicis obtemperare inclinatus est mandatis, & nullum ex Ravennatibus vel Æmilia pro accipiendis Praeceptis de diversis actionibus ad nos venire permisit,* &c. *De reliquis civitatibus Æmiliæ, simúlque & Gabello, qui à nobis ibidem ordinati sunt, ab eo exinde projecti sunt, & alios ex eis in vinculis detinet. At verò de civitatibus Imolensi seu Bononiensi ita profanizat dicens, quòd vestra Excellentia ipsas civitates minimè beato Petro & nobis concessit, sed sibi ipse Archiepiscopus à vobis fuisse concessas ac traditas asserit, sub sua potestate permanendas.*

XI. Epistolâ quadragesimâ-nonâ, Carolum rogat, ut patrimonium Sabinense, & alia in partibus Tusciæ, Spoleti, ac Beneventi, necnon in Corsica, Romanæ Ecclesiæ restitui curet. *Sed & cuncta alia,* inquit, *qua per diversos Imperatores, Patricios, etiam & alios Deum timentes, pro eorum animæ mercede, & venia delictorum in partibus Tusciæ, Spoleto, seu Benevento, atque Corsica, simul & Sabinensi patrimonio, beato Petro Apostolo, Sanctaque Dei & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ concessa sunt, & per nefandam gentem Langobardorum, per annorum spatia, abstracta atque ablata sunt, vestris temporibus restituantur. Unde & plures Donationes in sacro nostro scrinio Lateranensi reconditas habemus, tamen & pro satisfactione Christianissimi Regni vestri, per jam fatos viros, ad demonstrandum eas vobis, direximus, & pro hoc petimus Eximiam Praecellentiam vestram, ut in integro ipsa patrimonia beato Petro & nobis restituere jubeatis.* Agit iterum de Sabinensi patrimonio Epistolâ quinquagesimâ-sextâ, quæ vitio non caret, rectè enim habetur inter eas, quæ Carolo nondum compatri scriptæ sunt, id est, ante annum Christi septingentesimum octogesimum-primum, interpolatur autem, quotiescumque Regem spiritalem compatrem, Reginam spiritalem commatrem vocat. Præterea idem Hadrianus Epistolâ sexagesimâ, quam ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-sextum citabimus, agit quoque de patrimonio in partibus Tusciæ oblato à Carolo, conqueritúrque maximè de malis, quæ Raginaldus, qui Clusinæ civitatis Ducem se gerebat, ex Castello Felicitatis perpetravit.

XII. Epistolâ sexagesimâ-quartâ, quam ad annum Christi septingentesimum octogesimum allegabimus, hæc habet de civitate Terracina & de patrimonio Romanæ Ecclesiæ in territorio Neapolitano. *Nefandissimi Neapolitani, & Deo odibiles Graci, prabente malignum consilium Arighis Duce Beneventano, subitò venientes, Terracinensem civitatem, quam servitio beati Petri & vestro atque nostro antea subjugavimus, nunc autem in valido consilio iterum ipsi jam fati nefandissimi Neapolitani cum perversis Gracis invasi sunt. Nos quidem sine vestro consilio nullatenus ibidem dirigere voluimus, sed poscimus vestram à Deo promotam Regalem Excellentiam, ut, sicut solita est, pro amore beati Petri, clavigeri Regni calorum disponere debeat, & celeriter nobis Wulfrinum dirigere, ut hic apud nos Kalendis Augusti paratus esse festinet, atque talem eidem mandationem facere jubeatis, ut cum omnibus Tuscanis, seu Spoletanis, atque cum ipsis nefandissimis Beneventanis, in servitio vestro pariterque nostro ad recolligendam ipsam civitatem Terracinensem adveniant; simúlque, Domino annuente, ad expugnandam Cajetam seu Neapolim, nostrum recolligentes patrimonium, quod ibidem in territorio Neapolitano ponitur, occurrant, ut eos in omnibus subjugantes, sub vestra atque nostra sint ditione.*

XIII. DUCATU SPOLETANO. Epistolâ quinquagesimâ-octavâ, quam ad annum sequentem citabimus, sic scribit Carolo de Ducatu Spoletano. *Ipsum Spoletinum Ducatum vos pra-*

sentialiter obtulistis protectori vestro beato Petro Principi Apostolorum, per nostram mediocritatem, pro anima vestra mercede, & ita obnixè quæsumus, præcellentissime fili, ut nostram deprecationem de prænominato Spoletino Ducatu celeriùs effectui mancipetis, quatenus dignam à misericordissimo Deo nostro, intercedente beato Petro Apostolorum Principe, pro cujus amore & reverentia aurem nostris petitionibus accommodare inspiratus fueris, suscipias mercedem. AN.CH. 774. CAROLI R. 6.

Hoc igitur anno, quo Romam primùm venit, Donationi à Pippino patre factæ Carolus superaddidit Ducatum duntaxat Spoletanum, de quo Hadrianus Pontifex Epistolâ duodesexagesimâ jam laudatâ. Nam quod attinet ad patrimonium amplificatum in Tuscia, de quo idem Hadrianus Epistolâ sexagesimâ, id, sicut & de ceteris patrimoniis suprà diximus, ad luminaria tantùm concinnanda & alendos pauperes pertinebat. Ducatus Spoletanus in provincia Romana quinque Diœcesibus, Spoletanâ, Fulginate, Interamnensi, Assisiensi & Sabinensi constabat. A Spoleto, civitate totius provinciæ primaria Spoletani cùm Episcopi tum Duces appellati. Ughellus de Fulginatibus testatur, quòd *Duces Spoletanos sensere Dominos.* Hic Auctor eadem scribit de Interamnensibus, quorum Episcopus ex Duce Spoletano factus est Transmundus, necnon de Assisiensibus, ubi de Assisio sic ait. *Illam deinceps urbem Longobardorum gens barbara, qui ejus opes miserabiliter depopulati sunt, in Spoletino Ducatu numerarunt.* Sabinensem quoque Diœcesim in Ducatu Spoletano collocat Carolus Magnus, ex ejus enim Diplomate, quod in Chronico Farfensi legitur, constat Acutianum Monasterium in Ducatu Spoletano Sabinensíque territorio situm esse. *Comperiat magnitudo seu utilitas vestra*, inquit Carolus, *qualiter venerabilis vir Probatus Abbas Monasterii, quod est constructum in honorem beatissimæ Genitricis Dei sempérque Virginis Mariæ, quod vocatur Acutianum, in Ducatu Spoletano, vel fundatum in territorio Sabinensi, missâ petitione Clementia Regni nostri dixit*, &c. In dubium non vocamus, quin hæ quinque Diœceses ad Ducatum Spoletanum pertinuerint. At quia post hunc annum Adrianus, ut ex epistolis suprà citatis liquet, patrimonium in territorio Sabinensi sæpè repetit, post annum verò septingentesimum octogesimum-primum, quo Carolus Romam secundò profectus est, non patrimonium aliquod, ut olim, in territorio Sabinensi, sed ipsum Sabinense territorium integrum sibi tradi postulavit, hoc anno Apostolicæ Sedi Ducatum Spoletanum à Carolo Rege sic concessum putamus, ut idem Carolus Sabinense territorium sibi Francisque reservarit. Ducatus Spoletanus à Pontifice plurimùm expetitus videtur, tum quia medius erat inter Pentapolim & Ducatum Romanum, tum quia Pontifex in confiniis utriusque Ducatûs, Spoletani videlicet ac Romani, Narniam à temporibus Pippini jam obtinebat. Carolus, etsi territorium Sabinense retinuerit, votis & expectationi Pontificis satisfecit, quatuor enim aliæ Ducatûs Spoletani Diœceses Narniam cum ceteris urbibus Donationis Pippininæ connectebant. Quoniam Hildebrandus Dux Spoletanus, ut ex Anastasio probavimus, anno priori partes Adriani Pontificis amplexus fuerat, ideo Carolus maximam Ducatûs Spoletani partem ad Apostolicam ditionem Regiâ Donatione lubentissimè traduxit, ea tamen regio non venit in potestatem Romani Pontificis. Extant querelæ Adriani Papæ epistolâ quinquagesimâ-quartâ inferiùs ad hunc annum allegandâ, & epistolâ duodesexagesimâ suprà productâ atque iterum ad annum proximum citandâ. Hildebrandus mansit Dux Spoletanus, &, ut suis locis dicemus, in amicitia Caroli Regis & Adriani Papæ fuit, idémque Adrianus patrimonia tantùm *in Spoleto* sibi restitui posteà postulavit epistolâ quadragesimâ-nonâ. Quinam autem Ecclesiis, cùm Carolus Regnum Longobardorum subegit, in Ducatu Spoletano præfuerint Episcopi, non patet. Toto enim octavo seculo manci sunt Spoletanorum & Assisiensium Præsulum Catalogi. Desiderantur & Episcopi Fulginates ab anno

XIV.

FERME INTEGRO.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

Christi septingentesimo sexagesimo ad annum Christi octingentesimum tricesimum. Idémque dicendum de Interamnensibus ab eodem anno Christi septingentesimo sexagesimo ad annum usque Christi millesimum ducentesimum decimum-septimum, seu vacavit Sedes, seu perierunt Episcoporum nomina. Sabinensium etiam Episcoporum, qui Sedem in primario Sabinæ regionis oppido Malliano fixerunt, mancus videtur Catalogus per illud tempus, quo Carolus Longobardiam subegit. Memoratur enim Tonsso seu Tiffo Episcopus Sabinensis ad annum Christi septingentesimum quadragesimum-tertium, deinde Theodorus ad annum Christi octingentesimum quartum, nullo intermedio. Lege Italiam Sacram Tomo primo. Regnante in Longobardia Carolo, florebat Acutianum Sabinensis Diœceseos Monasterium, cujus Præfectura penes Probatum Abbatem jam laudatum erat. In Episcopatu quoque Spoletano commendatur ab Ughello puellare Monasterium Sanctæ Euphemiæ, cujus Abbatissa Gunderanda post exactos ex Italia Gothos repertum Sancti Joannis Spoletani quondam Episcopi corpus in suum Cœnobium transtulit.

XV. Anastasius [a] suam narrationem de Donatione Carolina sic absolvit. *Factâ eâdem Donatione, & propriâ suâ manu ipse Christianissimus Francorum Rex eam corroborans, universos Episcopos, Abbates, Duces, etiam & Graphiones in ea adscribi fecit. Quam priùs super altare beati Petri, & postmodum intus in sancta ejus Confessione ponentes, tam ipse Francorum Rex, quámque ejus Judices, beato Petro & ejus Vicario Sanctissimo Hadriano Papa, sub terribilò sacramento sese omnia conservaturos, quæ in eadem Donatione continentur, promittentes tradiderunt. Apparem ipsius Donationis per eundem Etherium adscribi faciens ipse Christianissimus Rex Francorum, intus super corpus beati Petri, subtus Evangelia, quæ ibidem osculantur, pro firmissima cautela, & æterna nominis sui ac Regni Francorum memoria, propriis suis manibus posuit. Aliáque ejus Donationis exempla, per Scriniarium hujus Sanctæ nostræ Ecclesiæ descripta, ejus Excellentia secum deportavit.*

[a] In Hadrian.

XVI. CODICEM CANONUM A PP. SIBI OBLATUM ACCIPIT AD USUM OCCIDENTALIUM ECCLESIARUM.

Edita sæpiùs Epitome Canonum Orientalium & Africanorum cum titulo, qui hanc ab Adriano Papa Carolo Regi, cùm Romæ esset, ad usum Occidentalium Ecclesiarum datam significat. *Compendiosa traditia Canonum Orientalium, sive Africanorum, quos Beatus Hadrianus Papa in uno volumine cum superioribus Conciliis ad dispositionem Occidentalium Ecclesiarum Carolo Romæ posito dedit Regi Francorum & Longobardorum, ac Patricio Romanorum.* Illam Henricus Canisius [b] ex manuscripto Codice Weingartensis Monasterii primus evulgavit Ingolstadii, cum hac ad Lectorem præfatione. *Auctor hujus operis Hadrianus Pontifex Pontificatum iniit anno Christi 772, tenuit usque ad annum Domini 795, sanctitate & rerum gestarum magnitudine conspicuus. Altero Sedis suæ anno, qui erat annus Christi 773, Carolum Magnum Romæ excepit, & hoc Canonum Breviario donavit. Quod luce dignissimum, cùm propter ejus cui oblatum est auctoritatem. Dolendum, correctius & integrius non prodire: nam deesse Canones Nicænos, nescio quo infortunio, vel inde conjicias, quòd semel atque iterum tanquam in hoc Compendio exstantes citantur, & tamen nusquam apparent. Sed fortè offeret bona sors vel nobis vel aliis perfectiorem Codicem, cujus ope resarcire liceat, si quid huic editioni deesse videbitur.* In illa Epitome hæc continentur. Quadraginta-quinque Regulæ Apostolorum; Ancyrani Concilii Regulæ quatuor ac viginti; Regulæ quindecim in Synodo Neocæsariensi prolatæ; viginti Canones Gangrensis Concilii; viginti-quinque Regulæ apud Antiochiam in encæniis expositæ; Regulæ octo & quinquaginta apud Laodiceam quoque expositæ in Synodo; Sardicensis Concilii Canones unus & viginti; Carthaginiensis Concilii Canones tres ac triginta; diversorum in Africana provincia Conciliorum Canones quinque supra centum. Sirmondus [c] autem rectè contendit oblatam Carolo *non Epitomen, sed integram Collectionem tum Canonum, ex qui-*

[b] Tom. 6. antiq. lect.

[c] Tom. 2. Conc. Gall.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

bus Epitome illa deinceps conflata eſt, tum Decretorum etiam Pontificum à Siritio ad Gregorium Juniorem; denique illum Carolo datum eſſe librum, qui Codex Canonum à Nicolao Papa [a] *dicitur, quique Moguntia primùm excuſus anno* MDXXV. *in editione poſteà Pariſienſi inſcriptus eſt Codex Canonum vetus Eccleſiæ Romanæ*, anno MDCIX. Quid diſcriminis inter ipſam Canonum Collectionem, Moguntiæ primùm, deinde Pariſiis editam, & inter ejus Epitomen, Ingolſtadii, Coloniæ, Pariſiis ſæpiùs excuſam interſit, paucis accipe. Integra Collectio numerat quinquaginta Canones Apoſtolorum, Epitome quadraginta-quinque, nullo tamen diſpendio, quia Canon Epitomes viceſimus-primus tres Canones Collectionis, viceſimum-primum, viceſimum-ſecundum, ac viceſimum-tertium; Canon Epitomes viceſimus-quintus duos Canones Collectionis, viceſimum-ſeptimum & viceſimum-octavum; Canon Epitomes triceſimus-quartus duos Canones Collectionis, triceſimum-ſeptimnm & triceſimum-octavum; Canon Epitomes triceſimus-ſeptimus tres Canones Collectionis, quadrageſimum-primum, quadrageſimum-ſecundum, & quadrageſimum-quartum redigit in compendium; vice verò verſà, qui Collectionis Canon eſt quadrageſimus-quintus Canonibus Epitomes triceſimo-nono & quadrageſimo reſpondet. Sequuntur Canones Concili Nicæni numero viginti, quorum mentio fit in Epirome, Breviarium tamen deſideratur, ut Caniſius obſervavit. De numero Canonum Ancyranorum integra convenit Collectio cum Epitome. Non eſt idem conſenſus de Canonibus Neocæſarienſibus, quoniam in Epitome ſecundus & tertius componuntur ex uno, qui ſecundus eſt in Collectione, atque ex ea diviſione fit, ut in Collectione quatuordecim tantùm Canones, in Epitome quindecim numerentur. Utrobique par eſt Canonum cùm Gangrenſium tum Antiochenorum numerus. Titulus Synodo apud Laodiceam habitæ præfixus teſtatur expoſitas in ea Regulas undeſexaginta, nec pauciores in ipſa reperiuntur Collectione, ſed in epitome ſunt tantùm duodeſexaginta, quia Canones Collectionis triceſimus-quintus & triceſimus-ſextus ſub triceſimo-quinto comprehenduntur in Epirome. Subjiciuntur in Collectione Canones Conciliorum Oecumenicorum, Conſtantinopolitani, Epheſini, & Chalcedonenſis, de quibus nihil in Epitome legitur. Super numero Canonum Sardicenſium, Carthaginienſimn & Africanorum ab integra Collectione non diſſentit Epitome, licèt in ipſa Carthaginienſium & Africanorum ſerie non parum diſcrepantiæ reperiatur. In Epitome Canon decimus Concilii Carthaginienſis cum decimo & undecimo Collectionis integræ componitur, & decimus-tertius ejuſdem Collectionis dividitur in duodecimum ac decimum-tertium Epitomes. Potior eſt in Africanis differentia; qui duodeviceſimus eſt Epitomes ex duodeviceſimo & undeviceſimo Collectionis integræ conflatur, ſícque quadrageſimus-ſeptimus Epitomes reſpondet quadrageſimo-octavo Collectionis integræ; deinde omiſſis ejuſdem Collectionis undequinquageſimo & quinquageſimo-primo, quadrageſimus-octavus & quadrageſimus-nonus Epitomes cum quinquageſimo & quinquageſimo-ſecundo Collectionis conveniunt; præterea in Epitome hiatus decem Canonum poſt undequinquageſimum notatur, at non ſuo loco, nam ſexageſimus ſubſequentéſque unus ac viginti cum quinquageſimo-tertio Collectionis proximíſque uno ac viginti conſentiunt, & octogeſimus-primus Epitomes cum ſeptuageſimo-quarto Collectionis comparatur; in Epitome non habetur Canon ſeptuageſimus-quintus Collectionis, ideóque octogeſimus-ſecundus epitomes cæteríque ad quintum uſque ſupra centeſimum, ſeptuageſimo-ſexto Collectionis aliíſque ad nonum uſque ſupra nonageſimum conformes ſunt; ſex verò, quos ipſa Collectio poſtremos exhibet, in Epitome penitus omittuntur. Omittuntur & in eadem Epitome Decreta Romanorum Pontificum, nempe Siricij, Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, Cæleſtini, Leonis, Hilari, Felicis Secundi, Gelaſii, Anaſ-

[a] d. 19. c. Si Romanorum.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

tasii Secundi, Symmachi, Hormisdæ, & Gregorii Secundi seu Junioris, quæ per ordinem in Collectione repræsentantur. Illam Collectionem Carolus, cùm Romæ esset, ab Hadriano Pontifice accepit; certè non ante hunc annum à Christo nato septingentesimum septuagesimum-quartum, quo Romam primùm ingressus est in ipso Sabbato sancto, corrigendique sunt ii, qui scribunt annum Christi septingentesimum septuagesimum-tertium. Gravior est lapsus Sirmondi, cùm hujuscemodi Codicem anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo, quo Carolus Romam tertiò profectus est, oblatum ab Hadriano scribit, ex ipsa enim prædicti Papæ epistola quâ validè nixum se putat, alius annus procul dubio colligitur, is videlicet, quo Carolus Romam accessit Papiâ tum obsessâ & Desiderio Longobardorum Rege nondum capto. Ipsa Romani Pontificis epistola Collectioni Canonum, quam consulere poteris, velut oblati muneris dedicatio præfigitur, & primis singulorum versuum literis hunc titulum reddit, DOMINO ECCELL. FILIO CARULO MAGNO REGI HADRIANUS PAPA; sic enim habet.

Divina fulgens doctrina sceptra præcellit Regni
Origo Regum felix, semper genitura beata,
Molem perspicimus legis gratiam laudis habere,
Iusto gignitur Rege Ecclesia alma Defensor,
Nusquam enim vinci potest disciplina cælestis,
Olim jam sumens paterni triumphans Regni
Exemplum, quo devota fides victoriâ gaudet,
Christo juvante, ac beato clavigero Petro,
Cunctas adversas gentes Regalibus subdit plantis.
Eu radix beata instar contulit prole,
Lata Deum colere, legem semper amare divinam,
Laudabilem servare fidem, sanctámque defendere vitam,
Fautorem prorsus habens Janitorem in triumphis cæli.
Ipsius freta virtute victrice persistit semper.
Lumen sequens doctrina fidei Apostolicæ Sedis,
In hanc Sanctam Sedem Magnus Rex Carulus splendet.
Omnibus per eum ditata bonis triumphat ubique,
Cæleste semper in his habere meruit Regnum,
Arma sumens divina gentes calcavit superbas.
Reddidit prisca dona Ecclesiæ matri suæ,
Urbésque magnas, fines simul, & castra diversa.
Langobardam ac Erulam virtute divinâ prostravit gentem,
Ovans amplectitur fidem, quam susceptit ab avis.
Magna prosapia hæc in toto rutilat mundo;
Altus, nobilis, nitens regit diversa Regna,
Gaudens celer ad limina venit Apostolorum sospes,
Nimis laudibus Hymnísque populo celebratur ab omni,
Obnixè pro se summum orare Antistitem poscit,
Redimi sibi noxas à juventute commissas.
Exutus suffragiis almis spondebat lingua magistro
Genium servare Sancta Ecclesia in ævo Romana.
Iustitias almi Petri sui protectoris tueri.
Habilem ut super donans in ejus Confessione libavit.
Ad hæc Hadrianus Præsul Christi prædixit triumphos
Dexterâ protegi diu divinâ Petro comitante Paulóque.
Romphaam victoriæ donantes, atque pro te dimicantes,
Iulasus cum tuis victor manebis, nempe per ipsos
Aditum petunt urbis Papiæ te ingredi victorem.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

[illegible]esa perfidi Regis calcabis Desiderii colla,
[illegible]ires ejus prosternens merges barathro profundi.
[illegible]eptus Langobardorum Regno, munus reddes tuum
[illegible]ollicita sacra dona clavigeri aula Petri,
[illegible]mpliùs donans tibi victoriam, simúlque honorem
[illegible]er secla regnare cum tuis hic, in futuróque soboli.
[illegible] lege nunquam discede, hæc observans statuta.

Carolus Româ in castra ad Papiam recessit. Hildegardis in iisdem castris Adeleidem peperit, iterúmque ex Carolo prolem concepit, de cujus ortu verba faciemus anno sequenti. Quod autem attinet ad Adeleidem, eam in castris ad Ticinum natam cecinit Paulus Diaconus [a] hoc disticho, quod in ipsiusmet epitaphio, jussu Caroli Regis, posteà conscripsit. XVII. REDIT AD CASTRA. [a] In lib. de Episc. Metens. ADELEIS EJUS FILIA NASCITUR.

Sumpserat hæc ortum prope mœnia celsa Papiæ,
Cum caperet genitor Itala Regna petens.

Gausfridus civis Pisanus, cùm ex castris Caroli Pisas aliquando reverteretur, ab Allone Duce penè interfectus est. Quapropter cùm redire vellet ad Carolum, comperto quòd Allo insidias in itinere struxerat, Romam confugit, útque tutiùs castra prope Papiam repeteret, ab Hadriano Papa, quem certiorem de victoriis Francorum fecit, literas petiit Carolo Regi deferendas. Annuit Romanus Pontifex, abeuntique comitem adjunxit Anastasium Nuncium Apostolicum cum Epistola [b], quâ singularem testatus benevolentiam erga Regem, rogabat eundem Carolum, ut Episcopos Pisarum, Lucæ & Rhegii ad Sedes suas & Ecclesias dimitteret. *Domno Excellentissimo filio Carolo, Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Reversus à vestris à Deo dilectis Regalibus vestigiis præsens Gausfridus habitator civitatis Pisanæ, nostrísque præsentatus obtutibus, retulit nobis de immensis victoriis, quas vobis Omnipotens & Redemptor noster Dominus Deus per intercessiones beati Petri Principis Apostolorum concedere dignatus est, sed & de vestra prosperitate nos certos in omnibus reddidit. Quo audito, vehementi exultationis lætitiâ noster in Domino ovans relevatus est animus, & protinus extensis palmis ad æthera, Regi Regum & Domino Dominantium optimas laudes retulimus, enixiùs deprecantes ineffabilem ejus divinam clementiam, ut & corporis sospitatem & animæ salutem vobis tribuat, & multipliciter de hostibus victorias tribuat, omnésque barbaras nationes vestris substernat vestigiis. Et certè crede nobis, Magne Christianissime Rex, bone præcellentissime fili, maximam habeto fiduciam, quia, dum tu fideli studio in amore ipsius Principis Apostolorum, secundùm tuam promissionem, permanseris, & cuncta eidem Dei Apostolo adimplere studueris, & salus tibi & immensa victoria ab Omnipotenti Deo tribuetur indesinenter. Et quidem nos Deum proferimus testem, cui omnium cordium occulta reserata existunt, ab illo tempore, die, quo ab hac Romana urbe in illas partes profecti estis, cotidie momentaneis etiam atque singulis horis, omnes nostri Sacerdotes, seu etiam religiosi Dei famuli Monachi per universa nostra Monasteria, simúlque & reliquus populus tam per titulos, quàm per Diaconos trecentos, Kyrie eleison, extensis vocibus, pro vobis Deo nostro ad clamandum non cessant, flexísque genibus eundem misericordissimum Dominum Deum nostrum exorantes, ut & veniam delictorum vobis, & maximam prosperitatis lætitiam, etiam & copiosas victorias vobis multipliciter è cœlo concedat. Ipse retulit nobis siquidem Gausfridus, dum à vobis absolutus reversus est, voluit eum interficere Allo Dux. Unde dum vellet ipse Gausfredus ad vestra denuò reverti vestigia, posuit exploratores atque insidiatores in itinere, qui eum interficerent. Quo cognito, apud nos refugium fecit, &, dum se petisset ad vestra absolvi vestigia, dum jam aderat, tum habuimus Anastasium nostrum Missum ad vestram Excellentiam dirigendum, eum ad vestram præsentiam cum ipso nostro Misso absolvimus. Quem petimus, ut pro amore beati*

XVIII. [b] Cod. Carol. ep. 55. PP. ROGAT CAROLUM, UT EPISCOPOS PISARUM, LUCÆ, ET RHEGII AD SUAS ECCLESIAS DIMITTAT.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6. *Petri & nostra postulatione benignè suscipere, & protectionis atque favoris vestri opem illi impertiri dignemini, deprecantes & hoc, ut massas illas, quas ei concessistis, per vestram auctoritatis largitatem possideat. Sed & hoc nimis quæsumus atque postulamus Benignitatem tuam, ut Episcopos illos, id est, civitatis Pisana, seu Lucana, Regii, ad proprias Sedes atque Ecclesias & plebes eis commissas absolvere jubeatis reverti, quia ita, bone Rex, Excellentissime fili, anima tua expedit, ut ipsi Episcopi propriis Sedibus restituantur, omnésque Dei Ecclesia suis Præsulibus ornata consistant, & cunctus Dei populus in magna lætitia vestris felicissimis temporibus degere valeat, vobísque hoc respiciat ad æternam mercedem. Nos itaque firmi in vestra charitate permanentes, ideo ea, quæ pertinere cognoscimus ad salutem animæ tuæ, fiducialiter vos satagimus deprecari, ut Deus noster Omnipotens vestris semper placatus existat piis operibus, & copiosam vobis ex hoc in præsenti & futura vita tribuat remunerationem. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.* Illas literas hoc anno, quo Carolus Romam primùm profectus est, datas ex eo colligimus, quòd scriptæ sunt, postquàm Carolus *ab urbe Romana* digressus est, Romani Pontificis nondum factus compater, factus est autem Hadriani compater secundo suo in urbem Romanam adventu, ut ad annum Christi septingentesimum octogesimum-primum dicturi sumus. Ceterùm massas in eadem ac mansos significatione poni jam notavimus [a].

[a] Tom. 9. ad an. 762. n. 1.

XIX. Illarum quoque literarum observanda plurimùm inscriptio, in qua Carolus Rex *Francorum & Langobardorum* nuncupatur, Papiâ Regni Longobardici primariâ civitate nondum subactâ. Desiderius ad omnia obsidionis incommoda industriè ac naviter occurrebat, nec unquam ad deditionem venturus videbatur, quia conservatâ urbe Regiâ facilè se amissa omnia recuperaturum sperabat. Jampridem ex magna rerum, quæ invehenentur, difficultate fœda fames, & ex fame gravis pestilentia civitatem invaserat; quæ duo mala non solùm inclusos sed etiam solutos homines ultimâ debilitare desperatione consueverunt. Tandem Desiderius, cùm aversos in luctum mœrorémque ab armis & propugnatione non tam oppidanos quàm milites ipsos videret, ad extremum, consilium necessarium magis quàm utile deditionis cepit.

XX. Carolum ob bellum in Longobardia feliciter confectum sic laudavit, factâque rerum gestarum collatione Pippino patri sic antepostuit ejus Encomiastes Eginhardus. *Compositis in Aquitania rebus, eóque bello finito, Regni quoque socio*, nempe Carolomanno fratre, *jam rebus humanis exempto, rogatu & precibus Adriani Romanæ urbis Episcopi exoratus, bellum contra Langobardos suscepit. Quod priùs quidem & à patre ejus, Stephano Papâ supplicante, cum magna difficultate susceptum est, quia quidam de Primoribus Francorum, cum quibus consultare solebat, adeò voluntati ejus renisi sunt, ut se Regem deserturos, domúmque redituros liberâ voce proclamarent. Susceptum tamen bellum est tunc contra Haistulfum Regem, & celerrimè completum. Sed licèt sibi & patri belli suscipiendi similis ac potiùs eadem causa subesse videretur, haud simili tamen & labore certatum, & fine constat esse completum. Pippinus siquidem Haistulfum Regem paucorum dierum obsidione apud Ticinum compulit & obsides dare, & erepta Romanis oppida atque castella restituere, atque, ut reddita non repeterentur, sacramento fidem dare. Karolus verò post inchoatum à se bellum non priùs destitit, quàm & Desiderium Regem, quem longâ obsidione fatigaverat, in deditionem susciperet, & filium ejus Adalgisum, in quem spes omnium inclinatæ videbantur, non solùm Regno, sed etiam Italiâ excedere compelleret, omnia Romanis erepta restitueret, Ruodgaudum Forojulii Ducatus Præfectum res novas molientem opprimeret, totámque Italiam suæ ditioni subjugaret, subactæque filium suum Pippinum Regem imponeret. Italiam intranti quàm difficilis Alpium transitus fuerit, quantóque Francorum labore invia montium juga, & eminentes in cælum scopuli, atque aspera cautes superata sint, hoc loco describerem,*

describerem, nisi vita illius modum potiùs, quàm bellorum, quæ gessit, eventus memoriæ mandare, præsenti opere, animo esset propositum. Finis tamen hujus belli fuit subacta Italia, & Rex Desiderius perpetuo exilio deportatus, & filius ejus Adalgisus Italiâ pulsus, & res à Langobardorum Regibus ereptæ Adriano Romanæ Ecclesiæ Rectori restitutæ. In illo textu leguntur multa, quæ non pertinent ad hunc annum, sed aut citiùs gesta sunt aut seriùs. Agemus infrà de Ruodgaudo Duce Forojuliensi, déque Pippino Italiæ Rege dicto. Præter Eginhardum, alii consulendi sunt Auctores, qui res singulas distinctiùs & accuratiùs scripserunt rudiore licèt stylo.

XXI. Imprimis Annalista Nazarianus ad hunc annum sic habet. DCCLXXIV. *Paveia civitas conquisita est. Et Desiderius Rex & Ansa uxor ejus exiliati sunt in Franciam. Et Carolus Rex reversus est in Franciam.* Eadem fusiùs exponit Anastasius [a]. *Reversus cum suis exercitibus Ticinum ipse Excellentissimus Francorum Rex, fortitérque debellans, atque obsidens civitatem Papiam, dum ira Dei super omnes Longobardos, qui in eadem civitate erant, grassaretur atque sæviret, & plures de languoribus; seu mortalitatis clade defecissent, ita Dei nutu eandem civitatem, simúlque & Desiderium Longobardorum Regem, atque cunctos, qui cum eo erant, ipse Excellentissimus Francorum Rex comprehendit, & suæ potestati cunctum Regnum Longobardorum subjugavit. Præfatum verò Desiderium Longobardorum Regem & ejus conjugem secum in Franciam deportavit*, vel potiùs deportandos curavit, ut statim dicturi sumus.

[a] In Hadrian.

CAROLUS PAPIAM EXPUGNAT.

XXII. Carolus expugnatâ Papiâ Desidetióque in Franciam ablegato, res Italiæ priùs ordinare quàm cis Alpes reverti decrevit, ídque præstitit testante sic Annalistâ Petaviano. DCCLXXIV. *Hoc anno reddita est civitas Papia Francis. Et Desiderius Rex directus est in Franciam. Et Domnus Rex Karolus missis Comitibus per omnem Italiam latus S. Petro reddidit civitates, quas debuit, dispositísque omnibus alacer venit in Franciam.* De Papia seu Ticino pauca hîc habemus addenda, plura de exilio Desiderii, déque rerum Italicarum statu.

XXIII. Egressum Desiderii Regis è civitate Papiensi, atque in eam ingressum Caroli cum pompa Christianissimo Rege dignissima, affectúque erga milites suos planè Regio, sic attingit Annalista Fuldensis. DCCLXXIV. *Langobardi obsidione pertæsi cum Rege Desiderio egrediuntur ad Regem. Ille verò, alterâ die, cum Hymnis & laudibus Dei, urbem ingrediens, thesauros Regum repertos exercitui distribuit.* Addit Annalista Loiselianus *custodiam Francorum* à Carolo in eadem civitate collocatam. Suffragantur Bertinianus & Metensis, necnon in vita Caroli incertus Auctor & Monachus Egolismensis.

XXIV. Haud minùs prudenter Desidetium procul à Longobardia summovit Carolus. Cum Desiderio relegata est & Ansa ejus uxor, ut ex Annalista Nazariano jam allegato liquet. Filiam quoque, cujus nomen non exprimit, in exilium cum utroque parente missam ait Annalista Metensis mox citandus. Carolus, priusquàm ex Italia rediret, Desiderium cum vxore ac filia in Gallias ablegavit. Id non obscurè docet Annalista Petavianus jam laudatus. Hæc enim primùm de Desiderio scribit. *Desiderius Rex directus est in Franciam.* Deinde ista de Carolo subjungit. *Et Domnus Rex Karolus missis Comitibus per omnem Italiam latus S. Petro reddidit civitates, quas debuit, dispositísque omnibus alacer venit in Franciam.* Et Annalista Metensis. *Ordinatâ custodiâ Francorum in Papia, trusóque in exilium Desiderio Rege, & uxore, & filiâ, ipse* Carolus *cum magno triumpho, auxiliante Domino, in Franciam reversus est.* Apud Anselmum Leodiensem Canonicum, Agilfridus, qui Folerico, à nobis ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-quintum commemorato, in Episcopatum Leodiensem proximè successit, ita commendatur. *Agilfridus, ad quem Carolus Magnus Desiderium, Italiæ Regem, Leodium misit in exilium.* Ab Anselmo, cui Sigebertus, Ægidius, aliique magno numero suffragantur, solus discrepat Hepidannus San-Gal-

DESIDERIUM CUM UXORE ET FILIA IN FRANCIAM ABLEGAT.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

lensis Monachus. *Anno*, inquit, DCCLXXIII. *Pavia civitas conquisita, & Rex Desiderius, & Ansa uxor ejus, pariter exiliati sunt ad Corbeiam, & ibi Desiderius in vigiliis, & orationibus, & jejuniis, & multis bonis operibus, permansit usque ad diem obitûs sui.* At ceteris anteponi non debet hic Auctor, qui nec hoc loco Chronologiam benè assequitur, exilium enim Desiderii biennio prævertit. Lucas Dacherius & Joannes Mabillonus in altera parte [a] Præfationis Seculo tertio Benedictino præfixæ stant ab Hepidanno, fatentur tamen exilii prædicti nullam penes Corbeienses Monachos superesse memoriam. Episcopus, in cujus Diœcesi Desiderius exulavit, in auctiore Gallia Christiana & in Observationibus ad ritus Ecclesiæ Laudunensis redivivos vocatur Gaufridus, Episcopis Laudunensibus accensetur, & ex depravato Sigeberti Chronico, cum Agilfrido Leodiensium Episcopo confunditur. Auctores enim illorum operum, ubi Catalogum Laudunensium Episcoporum repræsentant, de duodevicesimo illius civitatis Episcopo sic scribunt. *18. Gaufridus 1. quem Sigebertus vocat Gilfredum in Chronico sub an. 774. ac refert Desiderium Regem Longobardorum cum uxore ac filia captum, perpetuo exilio in Gallias ab eodem Episcopo Gilfredo directum fuisse.* Corrupti verò Codices Sigeberti sic habent ad hunc annum. *Desyderius Rex cum uxore & filia & cunctis Principibus capitur, & perpetuo exilio ad Gallias à Gilfredo Laodicensium Episcopo dirigitur.* At textus ita restituitur apud Chapeavillum in notis ad Anselmum [b]. *Desiderius Rex cum uxore & filia & cunctis Principibus capitur, & perpetuo exilio ad Gallias Agilfredo Leodicensium Episcopo dirigitur.* Qui præcitatis Scriptoribus est Gaufridus in Laudnnensium Episcoporum Catalogo, Demochari Gatifidus, Chenutio Garifidus est & Gurfridus, Roberto Garfridus & Garifidus. Hic Bernieoni seu Bernitoni, de quo sermonem priore Tomo fecimus, in Episcopatum Laudunensem proximè successit, habuitque successores solis nominibus notos,

Wanilonem I.
Wanilonem II.
Eybonem, Erlonem Roberto, Sammarthanis & Belloto Cilonem & Cylonem;
Banifridum, Roberto Ranifridum, Sammarthanis & Belloto Raimfridum;
Sigebaudum, Demochari Sigebodum, cujus successorem Ostroldum nono seculo laudabimus ex Flodoardo [c].

[a] Num. 14.
[b] Ad cap. 32.
[c] Lib. 2. c. 18.

XXV. Præter filiam, quæ unà cum parentibus suis exulavit, alii Desiderio liberi fuerunt. Annalista Tilianus, qui deditionem Papiæ perperam in annum sequentem rejicit, de filio Desiderii sic ad illum annum loquitur. *Adalghisus filius Desiderii Regis fugâ elapsus mare introiit, & Constantinopolim perrexit.* Habent eadem ad hunc annum Loiselianus, aliique. Præ ceteris ad hunc quoque annum audiendus Laureshamensis. *Adalgisus filius ejus, in qua Longobardi multùm spei habere videbantur, desperatis patriæ rebus, relictâ Italiâ in Græciam ad Constantinum Imperatorem se contulit, ibique in Patriciatûs ordine atque honore consenuit.* Actum jam de Luitpurga Desiderii filia, Thassilonis Bojoariæ Ducis uxore. Actum & de altera Desiderii filia, quam Carolus contra leges Ecclesiasticas sibi sociavit, factíque pœnitentiâ tactus patri remisit. Fuit quoque Desiderio Antiperga filia, Sanctæ Juliæ Abbatissa. Fuit & Adelperga, quæ nupsit Aragiso Duci Beneventano. De utroque Desiderii genero non semel verba faciemus.

XXVI. INTEGRA POTITUR LONGOBARDIA. Captâ Papiâ, missóque in exilium Desiderio, *Rex Karolus*, ut præcitatus Annalista Petavianus persequitur, *missis Comitibus per omnem Italiam*, id est, per omnes ditiones Regni Longobardici, *latus S. Petro reddidit civitates, quas debuit, dispositísque omnibus alacer venit in Franciam.* Hic textus Regnum Longobardiæ duas in partes dividit, quarum altera, ut in Donationibus Pippinina & Carolina continetur, Sedi restituitur Apostoli-

cæ, altera imperio Caroli asseritur. In Donatione Pippinina, præter Narniam Romani Ducatus urbem, ea pars Italiæ comprehenditur, quæ Musone amne versùs ortum, Scultennâ & Pado fluviis occasum versùs, Tartaro & Pado fluminibus atque Adriatico mari versùs Septentrionem, Apennino monte versùs meridiem terminatur. Pippininæ Donationi Carolina totum penè Ducatum adjecit Spoletanum, qui medius est inter Pentapolim & Ducatum Romanum, seu versùs Septentrionem contiguus Donationi Pippininæ, versùs meridiem Ducatui Romano ubi Narnia ad Narem amnem. Francorum Dominationi ceteræ Longobardorum ditiones accesserunt.

PARTEM RESTITUIT SEDI APOSTOLICÆ, ALTERAM SIBI ASSERIT.

XXVII.

Regnum Longobardicum, partim mari mediterraneo, partim Imperio Græcorum, seu Ducatibus Romano & Neapolitano, meridiem versùs claudebatur; Francis, qui tota potiebantur Galliâ, conterminum erat versùs occasum, itémque versùs septentrionem iisdem Francis, quibus Alamannia & Bojoaria parebant, necnon Hunnis, quorum sedes in Pannonia. Constant hæc ex variis Annalium nostrorum locis, in quibus actum de Francicarum ditionum limitibus. Versùs ortum Longobardi Græcos contingebant. Ad Regnum Longobardorum pertinebant insignes Ducatus, Spoletanus, Forojuliensis & Beneventanus. Hunnis finitimus erat Ducatus Forojuliensis; Imperio Græcorum Spoletanus & Beneventanus erant propinqui. Carolus igitur, extincto Longobardorum Regno, dominationem suam per Italiam ortum versùs spatiosissimè dilatavit, usque ad Silarum * & Cerbalum *, hodierni Regni Neapolitani fluvios, quorum ille in mare Tyrrhenum, hic in Adriaticum exoneratur. Id confirmat Monachus Egolismensis, ditionis enim Carolinæ fines ab ortu ad occasum sic extendit. *Tenuit Domnus Carolus, Deo largiente, in potestate sua omnem terram de monte Gargano usque*; &c. Lapsu temporis auctus est Ducatus Beneventanus, ut ex ejus divisione patet anno Christi octingentesimo quinquagesimo-primo inter Adelgisum & Siconolfum facta.

* le Sele.
* le Cervaro.

XXVIII. IN VARIIS PROVINCIIS,

E Metropolitanis civitatibus, quarum mentio fit apud Eginhardum in Testamento Caroli, quinque pertinent ad Italiam, Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum-Julii, Gradus. Agendum hîc distinctè de singulis, ut clariùs intelligas, quis fuerit Ecclesiarum status in provinciis utribúsque quas è Regno Longobardico Carolus sibi suisque posteris possidendas servavit.

XXIX. IN MEDIOLANENSI,

E Mediolanensi provincia, quæ Francis erat contermina, præter Mediolanum Metropolim Carolus suis ditionibus sexdecim adjecit civitates Sedibus Episcopalibus insignitas, Albam Pompeiam, Albingaunum, Albintimilium, Aquas Statiellas, Astam, Bergomum, Brixiam, Cremonam, Derthonam, Eporedias, Januam, Laudem Pompeiam, Novariam, Savonam, Taurinum, & Vercellas.

XXX.

Mediolanensis * Archiepiscopus tunc erat Thomas; cognomento Crassus. Hic apud Modoetiam hoc anno Carolum Italiæ Regem coronasse fertur. Audi Sigonium [a]: *Victo captóque Rege Desiderio, & Longobardis omnibus in fidem ac deditionem acceptis, Carolus Regnum Italicum sibi jure victoria vindicavit. Quod ut novo prætereà jure sanciret, vetus, ut putabatur, Pontificii Gregorii Decretum adhibuit: Quippe Modoetia se per Archiepiscopum Mediolanensem coronâ redimiri ferreâ voluit, atque, ut ita apud posteros observaretur, instituit. Ea res maximâ fieri cæremoniâ consuevit, quæ in Rituali antiquissimo continetur, qui Ordo Romanus vocatur. Perducto scilicet per Episcopos ex cubiculo in Templum atque ad aram maximam Rege, Archiepiscopus post solemnes aliquot precationes effusas populum alloquutus interrogabat, num se tali Regi subjicere, atque illius mandatis & jussionibus constanti fide vellet obtemperare? Ubi verò populus se velle responderat, Regis caput, pectus, scapulas, atque ipsas brachiorum compages oleo sancto ungebat, Deum orans, ut & in bello gerendo,*

* de Milan.
a Lib 4. de Regn. Ital. sub init.

AN. CH 774. CAROLI R. 6.

& in sobole propaganda votis ejus annueret, ornato inde ense, armillis, pallio, annulo, & sceptro, coronam imponebat, & per Chorum ductum in solio collocabat, atque osculo pacis oblato divinam inde rem faciebat. Hæc tum Thomas Mediolanensis Archiepiscopus egit. Ex quo plurimùm ei Ecclesia splendoris accrevit. Rem eandem in Historiis [a] Ecclesiæ Mediolanensis commemoravit Josephus Ripamontius, adjecitque coronam, quam Thomas capiti Regis imposuit, ferream extitisse, & Basilicam Sancti Joannis Baptistæ antiquitus huic sacro destinatam esse, nec speciatim Ordinem Romanum ut Sigonius, sed generatim atque indeterminatè testes appellavit Rituales libros. Coronandi Regis cæremoniam, cui præfigitur hic titulus, *incipit ordo ad Regem benedicendum, quando novus à Clero & populo sublimatur in Regnum*, attentè legimus in Ordine Romano, nec ibi mentionem deprehendimus fieri, vel Modoetiæ, vel Ecclesiæ Sancti Joannis, vel coronæ ferreæ. Meminit quidem Sigonius cùm Modoetiæ tum Decreti Gregoriani, sed coronam, quâ Carolum à Thoma redimitum dixit, ferream haud appellavit. Illius cæremoniæ, quando Mediolani in Æde Ambrosiana peragebatur, alios fuisse ritus sic addidit Ripamontius. *Ea coronandi caremonia Regis, de qua suprà, in Ritualibus libris extat, eóque ritu Carolum Magnum ab Archiepiscopo Crasso coronatum fuisse Modoetiæ vetustissimi Annales tradunt. Ceterùm in aliis Annalibus reperi diversos ejus caremoniæ ritus, quandocunque Mediolani, in Ambrosiana Æde, sollenne illud celebraretur. Extra Basilicam est columna, longitudine ac diametro, quam lapidicina nostri temporis admirantur. Creditur esse veteris Romani Palatii fragmentum, jam inde ab eo tempore, quo Cæsares, collocato hîc domicilio, urbem Mediolanum, sicut alteram Romam incolebant. Ad eam columnam futurus Rex ut accesserat, munus erat Angleriæ Comitum offerre candidato pium volumen, in quo ritûs Ambrosiani preces & sacra continerentur. Id volumen, sive Missale, princeps Anglericæ gentis postquàm obtulerat Regi, jurabat ille quàm sanctè, fore se in Romani Pontificis auctoritate, sive status Imperii, sive Ecclesiastica res ageretur, ejúsque sacramenti confecta statim tabulæ vinculum erant & monumentum. Evinciebat inde Mediolanensis Archiepiscopus ferreo diademate caput Regis, & praferente Crucis trophæa Comite Anglerico, Templum ingrediebantur, ad aram maximam accedebant. Ibi nudato capite, poplite flexo, Rex piè numen veneratus expiabatur ab Archiepiscopo sollenni Crucis notâ, deinde collocabatur in solio, res tota cestatò describebatur. Hæc auspicandi Regni sollennia fuerant in urbe, qua ipsa Carolum obire voluisse non dubitaverim, ut fuerat veterum caremoniarum & antiqui moris observantissimus. Ita Regnum adeptus, ita coronatus, cùm sua liberalitatis erga Mediolanensem Ecclesiam initium hoc fecisset, ut creandi Regis potestatem sanciret exemplo suo, parabat majora*, &c. Sed nec hi ritus Carolo ejúsque ætati conveniunt. Recentiora certè tempora sapit hæc phrasis, *sive status Imperii, sive Ecclesiastica res ageretur.* Carolus enim nondum erat Imperator, nec ubi vocatus Augustus, Imperio statim attributa Longobardia. Deinde Carolus non suffragiis Cleri ac populi sed armis ac jure belli Regnum Longobardicum obtinuit, illóque posteri non per electionem sed per hæreditariam successionem diu potiti sunt. Auctores Mediolanenses altiùs rem repetunt, nam *patrios sequuti Annales*, ut Sigonius [b] ait, *asserunt coronam ei*, nempe Agilulfo, *impositam fuisse, à Theodelinda Regina institutam, auream illam quidem, verùm circulo ferreo interiore intextam, unde pòst ferrea corona nomen Italico Longobardorum Regno evituit.* Qua de re sic quoque Ripamontius in Historiis [c] jam citatis. *Agilulfus Mediolani capessivit Regni primordia, imposita capiti ferrea corona, quam ab ferreo cingulo, quo continetur, ferream appellavere. Theodelinda commentum eas, secutisque postea temporibus veluti mysterium Imperii, neque clarissimi Cæsarum sunt adspernati morem, ut eà caput incingerentur.* Addunt Scriptores Mediolanenses insigne Privilegium, quod Archiepiscopis Mediolanensibus à Gregorio Magno collatum volunt, post-

[a] Decad. 5. lib. 9.

[b] Lib. 1. de Regn. Ital. in Agilulf. ad an. 591.

[c] Decad. 1. lib. 8.

AN CH. 774. CAROLI R. 6.

quàm Theodelinda nobilissimam Sancti Joannis Baptistæ Basilicam apud Modoetiam ædificavit. *Theodelinda*, inquit Sigonius [a], *domi studiis pacis intenta, oppidum, olim Moguncíacum, tum verò Modoetiam, appellatum, quod* XII *millibus passuum aberat à Mediolano, nobilitavit. Nam & Regiam ibi magnificam condidit, & Regia Basilicam nobilissimam addidit. Basilicâ inde Divi Joannis Baptistæ nomini consecratâ, ipsa se, ac Longobardos multis et Templo muneribus obligavit. Ab illo tempore Longobardi publico voto illius Divi fuere patrocinio commendati. Loco inde accessit dignitas, postquam corona, de qua dixi, ferrea ibi custodiri, atque eâ ibi coronari Reges sunt cœpti. Sic enim Mediolanenses produnt Annales, Mediolanensem Archiepiscopum eo jure à Gregorio Pont. decoratam, ut vacante Italiæ Regno, ipse post* XIIII *dies suffraganeorum suorum Concilium advocaret, atque ex eorum sententia Regem constitueret, eumque coronâ ferreâ, a Theodelinda institutâ, Modoetia redimeret. Quod jus à Rege ullo Longobardorum usurpatum Paulus nusquam ostendit, immò morem eis fuisse ait, ut haštam Regi declarato porrigerent. Verùm ne auctoritatem prorsus Mediolanensibus abrogem, illud facit, quòd coronam hanc ferream post Carolum Magnum omnibus Italiæ Regibus video deinceps fuisse solemnem, &, quòd hoc muneris Gregorium Theodelinda petenti tribuisse, non sit absonum, vel ut gratiam Reginæ referret, cui plurimùm se debere ipse in Epistolis confitetur, vel ut Archiepiscopo accessionem dignitatis adjungeret, quam, superioribus annis, Longobardorum immanitate afflictam prostratamque fuisse sentiret.* Hæc Sigonius bonâ fide, nec dissimulatâ Pauli secus sentientis opinione, qui post eversum à Francis Longobardorum Regnum sex libros rerum Longobardicarum exaravit, & apud eosdem Longobardos in more positum dixit, ut hastam seu contum Regi declarato traderent, nulla ferreæ coronæ factâ mentione. *Hildeprandum*, inquit Paulus [b], *extra muros civitatis Ticinensis ad Basilicam Sanctæ Dei Genitricis, quæ ad Perticas dicitur, in Regem sublimaverunt. Cui dum contum (sicut moris est) traderent, in ejus summitate*, &c. Ripamontius, quæ de Privilegio Gregoriano jam retulimus ex Sigonio, non omisit in Historiis [c] Ecclesiæ Mediolanensis. At ubi legitur hoc Privilegium? quando habitum ab Archiepiscopo Mediolanensi & comprovincialibus Episcopis concilium, ut ex eorum sententia Rex Italiæ crearetur? Fictitia profectò sunt, quæ temporibus Theodelindæ Reginæ de corona ferrea, déque Privilegio concesso à Gregorio Magno circumferuntur, nec temerè negabis Carolum Magnum illâ coronâ per Archiepiscopi Thomæ manus hoc anno redimitum, cùm in antiquis Auctoribus nulla sit hujusce rei memoria.

[a] Lib. 1. de Regn. Ital. in Agilulf. ad an. 601.

[b] Lib. 6. c. 16. vet. edit. c. 55. novæ edit.

[c] Decad. 1. lib. 8.

Albensium Episcoporum, quibus nomen ab Alba * Pompeia, mancus XXXI.
est Catalogus toto octavo seculo & ampliùs.

* Albe.

Adhuc infeliciùs actum cum Albingaunensibus * Episcopis, eorum XXXII.
enim, qui seculis octavo & nono sederunt, periit omnino memoria, si
Sanctum Benedictum excipias, qui mortalem vitam nono seculo exeunte
terminavit.

* d'Albengue.

XXXIII.
Actum autem infelicissimè cum Albintimiliensibus * Episcopis, quorum Indices non tantùm seculis octavo & nono, sed etiam decimo & undecimo mutili sunt.

* Ventimiglia.

XXXIV.
A Statellatibus, seu Statiellensibus, vel Statiellis, aut Statellis, dictæ
Aquæ * Statiellorum, sive Aquæ Statiellæ, atque inde Aquenses Episcopi, quorum Nomenclatura per octavum seculum deficit.

* Acqui.

XXXV.
Asta * *sub Romano Imperio floruit, Gothorum deinde ac Longobardorum jugum sustinuit, quibus exactis in Carolum Magnum victorem ejusdémque prosapiam transfusa jurisdictio est.* Has vicissitudines agnoscit Ughellus [d], additque Diœcesim Astensem olim longè spatiosiorem extitisse quàm sit hodie, quoniam ex ejus discissione *Montis regalis * integer Episcopatus magnáque ex parte Alexandrinus * & Casalensis * fuerunt constituti, pluráque*

* Ast.

[d] Tom. 4. Ital. Sacr. in Episc. Astens.

* de Mondovi.

* d'Alexandrie.

* de Casal.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

*oppida Saluthensi * ac Fossanensi * attributa, plura item à Taurinensi * Episcopo occupata.* Quòd autem idem Auctor ex Charta Novaliciensi, quam in Taurinensibus Episcopis [a] allegat. Evasinum quemdam Episcopum Astensem Carolo Magno synchronum constituit, id nobis non placet, quia Chartam illam, quam alio loco refellemus, commentitiam remur.

* *de Saluces.*
* *de Fossan.*
* *de Turin.*

[a] Tom. 4. in Episc. Taurin n. 6.

XXXVI. Bergomum à Longobardis ad Gallos seu Francos transiit, teste enim Ughello [b] *servivit Longobardis, Gallis*, &c. De Agino Bergomensi Episcopo sic idem Auctor. *Aginus electus fuit anno 758. pérque spatium 52. annorum sibi creditam consultissimè rexit Ecclesiam, fatóque functus est anno 810. Inque Cathedrali sepulchrum accepit. Narrant hujus Agini temporibus Bergomum * Carolum Magnum venisse, pluráque templa statuisse, non pauca demolita iterum excitasse.* Bergomensis igitur Episcopus erat Aginus, cùm Bergomum in Francorum potestatem devenit.

[b] Tom. 4. in Episc. Bergom.

* *Bergame.*

XXXVII. Brixia * *Longobardorum jugum accepit, donec Carolus Magnus, Desiderio postremo Rege Longobardorum capto, Gallica*, id est Francicæ, *illam jurisdictionis fecit.* Hæc Ughellus, qui Brixiensium Episcoporum Catalogum texit [c], atque de Theodaldo sic scribit. *Theodaldus ad hanc Sedem pervenit ann. 753. Hujus Episcopi temporibus famosum S. Juliæ Cœnobium narrant fuisse ædificatum ab uxore Desiderii Regis, atque ab Antiperga ejusdem filia, locique Abbatissa, fuisse munificentissimè dotatum, cùm priùs illuc S. Juliæ corpus ex Insulis Gorgonibus transferendum curasset:* Et infrà. *Benè ac laudabiliter ad multos annos Theodaldus Ecclèsiam rexit Brixiensem, requievítque in pace, cujus corpus jacet apud Ecclesiam S. Joannis Baptistæ.* Inde colligimus hoc anno, quo Carolus Brixiam subjugavit, illius urbis Episcopum extitisse Theodaldum, Cœnobióque Sanctæ Juliæ cum Abbatissæ titulo præfuisse Antipergam sive Ancilpergam, Desiderii anteà Regis filiam.

* *Bresse.*

[c] Tom. 4.

XXXVIII. Cremona *, cùm Carolus Desiderium in exilium misit, carebat Episcopo, quia post Sylvini mortem per triennium laboravit interpontificio, donec ordinatus est Stephanus anno Christi septingentesimo septuagesimo-sexto, ut post biennium narraturi sumus.

* *Cremone.*

XXXIX. Illis temporibus vivebat Flavianus Derthonensis Episcopus, ab anno enim Christi septingentesimo sexagesimo-quinto ad annum Christi septingentesimum octogesimum-sextum sedit, ut testatur Ughellus [d], qui varias Derthonæ * vicissitudines ita complectitur. *Romanis diu paruit, deinde Longobardos, Gallos*, id est, Francos, *Germanósque Imperatores dominos experta est*, &c.

[d] Tom. 4.

* *Tortone.*

XL. Eporediensis * sive Hipporegiensis Episcopus ad annum Christi septingentesimum septuagesimum memoratur Bessus in Supplemento Chronicorum Jacobi Philippi Bergomensis laudato à Francisco Augustino ab Ecclesia in Historia Chronologica Pedemontanæ Regionis [e]. Admodum probabile videtur eundem Bessum fuisse superstitem, cùm Carolus Longobardiam subegit.

* *d'Yvrée.*

[e] Cap. 6.

XL. Januæ seu Genuæ * *felicitati cùm Rotharis Rex Longobardorum invidisset, florenti civitati intulit excidium, quod grave incommodum deinde resarcivit Carolus Magnus Italicarum civitatum à Longobardis excisarum magnificus restaurator.* Januensium autem Episcoporum Catalogus sub initia Caroli regnantis in Italia mutilus existimatur, toto enim octavo seculo soli memorantur hi duo, Viator ad annum Christi septingentesimum tricesimum-secundum, & Dionysius ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-octavum.

* *Genes.*

XLII. Episcopi Laudis seu Laudæ * Pompeiæ toto seculo octavo desiderantur. Agemus de Raclero sub Ludovico Pio.

* *Lodi.*

XLIII. Episcopatum Novariæ * gerebat Benedictus, cùm Longobardia Francis cessit, quantùm ex Novariensium Episcoporum Catalogo colligere licet. Post Gratianum enim, quem anno Christi sexcentesimo septuagesimo-nono

* *Novare.*

temporibus Agathonis Papæ sedisse constat, absque ullo Charactere Chronologico recensentur, Probus, Laureolus, Leo, Ambrosius, Gratiosus, Benedictus, Petrus, Sicardus, Titus, Atto, Adelgesius, quorum postremus anno Christi octingentesimo quadragesimo florebat. AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

Savona *, *post eversionem Romani Imperii, Longobardos, Gallos*, Francos Ughellus sic appellat, aliósque *Dominos experta est*. Episcoporum autem, quos seculis octavo ac nono habuit, interierunt nomina. XLIV. * *Savone.*

De Taurino sive Augusta Taurinorum sic idem Auctor [a]. *Post declinationem Romani Imperii, ut non semel diximus, Longobardi sede potiti, in ea sui Principatûs sedem aliquando fixerunt, illámque possederunt usque ad tempora Magni Caroli Imperatoris, Desideriique postremi Longobardorum Regis captivitatem.* Quòd autem ex Charta Novaliciensi, quam infrà supposititiam ostendemus, contendit eo tempore, quo Carolus Longobardiam in suam potestatem redegit, Ecclesiæ Taurinensis * Episcopum fuisse Claudium, eúmque distinguit à duobus aliis Claudiis, qui nono seculo vixerunt, hoc probare non possumus, quia prædictæ Chartæ sua deest auctoritas, duósque tantùm Claudios, de quibus agemus suis locis, Claudius Robertus [b], Franciscus Augustinus ab Ecclesia [c], ceterique Nomenclatores admittunt. Postquàm Taurinum Francis parere cœpit, Segusienses parochias, quas Guntchramnus Francorum Rex Ecclesiæ Maurienensi pridem subjecerat, Episcopus Taurinensis tandem recuperavit. Tunc ad Diœcesim Taurinensem rediit illustre Monasterium Novaliciense, de cujus Abbatibus actum Tomo priore. Tunc & in eadem Diœcesi conspiciebatur Cœnobium Villatiense, quod Aripertus Longobardorum Rex fundavit, Saraceníque posteà destruxerunt, ut suo loco dicemus. Franciscus Augustinus ab Ecclesia Salutiensis Episcopus, in Historia Chronologica [d] Pedemontanæ Regionis, exhibet Catalogum Abbatum Villariensium, & licèt Villarium oppidum, ubi situm Monasterium, in hodierna Diœcesi Salutiensi collocet, illud olim ad Taurinensem pertinuisse testatur cùm ad annum Christi millesimum ducentesimum duodeseptuagesimum, quo Villariensem Abbatem excommunicatum tradit, quòd à Gaufredo Taurinensi Episcopo visitari recusaret, tum ad annum Christi millesimum trecentesimum quadragesimum-primum, quo post Drogonis Villariensis Abbatis mortem Jacobum de Alpeasco Monasterii Oeconomum à Guidone seu Guiderto Taurinensi Episcopo constitutum affirmat, quin & in Taurinensium Episcoporum Nomenclatura subdit de Thoma proximo Guidonis seu Guiderti successore, quòd *majorem partem suæ Diœcesis, & præsertim Marchiam Salutiarum visitavit.* Diœcesis Taurinensis olim latissima fuit, *quippe quæ*, teste eodem Auctore, *ab Oriente ad Astensem tractum, à Meridie ad Sturiam, ab Occidente ad Alpium summitates, ad Maurianæ, Delphinatûs & Provinciæ confines, & à Septentrione non longè à civitate Eporediæ extendebatur, potissimámque Salutiensis Episcopatûs partem, Fossanensem ferè universum, provinciásque Saviliani, Pinerolii, Secusiæ, Cherii, & Montiscalerii comprehendebat.* XLV.

[a] Tom. 4.
* de Turin.
[b] Append. 1. ad Gall. Christ.
[c] Hist. Pedemont. c. 5.
[d] Cap. 30.

Vercellenses Episcopi circa hoc ipsum tempus, quo Longobardorum potestas in Italia defecit, variè recensentur. Ineunte seculo decimo-septimo, Joannes Stephanus Ferrerius Vercellensis Episcopus Gesta Vercellensium * Episcoporum in lucem emisit, nec dissimulavit inter Rudolphum & Nottingum, quorum alterum Paulo Papæ synchronum, alterum *sub Carolo Magno Imperatore* Vercellensem Episcopum dixit, unum ex Ecclesiæ picturis à se repertum Krisantum, sed adjecit duorum, qui Rudolpho seu Rodolpho proximè successerunt, interiisse nomina, deinde Krisanto Buringonem, Gisum & Cunibertum ex Ecclesiæ veteri Kalendario subrogavit, hac tamen additâ observatione, quæ plurimùm attendi debet. *In Kalendario Ecclesiæ vetustissimo notantur dies obitûs trium superiorum Episcoporum*, id est, Buringonis, Gisi, & Cuniberti, *sed de annis, quibus vixerint, vel obierint*, XLVI.

* de Verceil.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6. *nulla penitus mentio habetur. Quare nos aliquo hic loco illos reponere statuentes, illud sanè animadvertendum putavimus, ut tempore, quo Franci dominarentur, cùm Francica hæc nomina viderentur, reponeremus. Ceterùm, quòd ad locum spectat, hunc nobis præcipuè suofit, quòd inter Krisantum & Nottingum, Episcoporum aliquorum monimentum ullum minimè extaret. Porrò consilium nostrum hac in re illud fuit, ut horum Episcoporum memoriam non negligeremus, nec rei plus * tribueremus, quàm veritas consentiat, quoad saltem certior res ipsa fiat.*

* plurìs

Quos Rodulphi proximos successores Ferrerius innominatos prætetiit, Franciscus Augustinus ab Ecclesia [a] Singelfredum & Ansalbertum vocavit, deinde Chrisantum asseruit familiarem fuisse Caroli Magni, auxitque Catalogum duobus Episcopis, Albino qnem Giso seu Gesoni suffecit, & Auserio sive Antherio quem Cuniperto subrogavit. Ferdinandus Ughellus [b] posteriorem hunc Indicem secutus est, adjecitque Characteres quosdam Chronologicos, ut potiorem scriptioni suæ fidem conciliaret. Adversùs illos Auctores multa proferri possunt. Rodulphus, quem Pauli Papæ Diplomati anno Christi septingentesimo sexagesimo-primo subscripsisse volunt, apud Baronium [c] à Ferterio & Ughello allegatum non Vercellensis sed Cellensis Ecclesiæ scribitur Episcopus, sic. *Rodulphus humilis Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Cellensis huic Constituto à nobis facto interfui & subscripsi.* Porrò, cùm nulla sit Ecclesia Cellensis, in margine ponitur hæc Baronii notatiuncula, *Calliensis vel Vercellensis*, itaut Baronius in dubio reliquerit, utrùm Calliensibus an Vercellensibus Episcopis accensendus sit Rodulphus. Hunc utrisque insigni prorsus errore Ughellus ex eadem subscriptione annumeravit, Calliensibus [d], cùm Catalogos texuit Episcoporum, qui rexerunt Ecclesias hodierno Urbinati Metropolitæ subjectas; & Vercellensibus [e], cùm Indices publicavit Episcoporum, qui Ecclesiis Mediolanensi Metropolitæ subditis præfuerunt. Arbionem anno Christi septingentesimo undesexagesimo Vercellensem Episcopum agnoscit Franciscus Augustinus ab Ecclesia, nihil autem legitur, qnod obsit, quominùs idem Arbio sederit adhuc anno Christi septingentesimo sexagesimo-primo, imò usque ad Caroli Magni adventum in Italiam pervenerit. Temporibus Caroli Magni, Arbioni Chrisantum, deinde Nottingum successisse credimus, nec plures Episcopos Vercellenses illâ ætate congerendos arbitramur. Buringum seu Buringonem, Gisum seu Gesonem, & Cunipertum sub Carolo Magno vixisse non asserit Ferterius, frustráque Ughellus, cùm nullum testem adducat, Baringum seu Butingum & Gisonem sub Hadriano Papa, Cunipertúmque anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto in Vercellensi Cathedra sedisse scribit. Albinus, quem Franciscus Augustinus ab Ecclesia laudat, quinto seculo vitam egit, & Sanctum Germanum Autissiodorensem Episcopum Vercellis Ravennam iter habentem hospitio suscepit. Auserium autem vel Antherium sive Anterum, quem Ughellus anno Christi octingentesimo vicesimo-quarto, quadriennio pòst Franciscus Augustinus ab Ecclesia floruisse contendit, antecessit Nottingus, qui sub Carolo Magno Episcopatum adeptus est. Celeberrimum tunc erat in Diœcesi Vercellensi Monasterium Sancti Michaelis de Lucedio, quod hodie nomen Sancti Januarii gerit. Illius Cœnobii incunabula sic refert [f] Franciscus Augustinus ab Ecclesia. *Prope Crescentinum Vercellensis Diœcesis satis insigne Castrum, inter Padum & Duriam sita est vetus S. Januarii Abbatia, quæ à repentina luce in sylva ibi finitima conspecta de Lucedio dicta, & S. Michaëlis Archangeli nomine dicata priùs fuit. Eandem Gauderins Flavii Ariperti Longobardorum Regis exercitûs generalis Imperator fundavit circa annum duodecimum supra septingentesimum, & Monachos D. Benedicti in ea constituit. Verùm cùm locus ille Regi Ariperto plurimùm posteà arrisisset, eundem amplissimis redditibus ultra & citra Padum intra Sessitem & Duriam cumulavit, illius administratione Episcopis Vercellensibus commissâ.* Ceterùm Rudolphus, qui Constituto

[a] Cap. 10.

[b] Tom. 4.

[c] Tom. 9. an 761. n. 11.

[d] Tom. 2.

[e] Tom. 4.

[f] Cap. 33.

Constituto Pauli Primi Papæ subscripsit, nec Calliensis nec Vercellensis Episcopus haberi debet, sed Centumcellensis, corruptè Cellensis. Centumcellarum situs hanc emendationem suadet. Ad Romanum Ducatum pertinent Centumcellæ. Pauli Pontificis Constitutum suis subscriptionibus præter Rudolphum octodecim Episcopi communiunt, omnes è Ducatu Romano, si tres duntaxat excipias. Quindecim è Ducatu Romano sic subscribunt, *Joannes humilis Episcopus S. Ecclesiæ Nepesinæ, Joannes humilis Episcopus Ecclesiæ Tiburtinæ, Gratianus humilis Episcopus Velitrensis Ecclesiæ, Petrus humilis Episcopus Ecclesiæ Labicanensis, Petrus humilis Episcopus S. Ecclesiæ in Tr.bus Tabernis, Bonifacius humilis Episcopus Ecclesiæ Tiferna, Domnus humilis Episcopus Ecclesiæ Maturanensis* seu Matturanensis, *Epiphanius peccator Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Perusinæ, Constantinus humilis Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Anagninæ, Petrus humilis Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Cerensis, Leo humilis Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Albanensis, Gregorius humilis Episcopus Ecclesiæ Prænestinæ, Adam humilis Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Hortanæ, Gregorius humilis Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Sylvæ Candidæ, Sunalbus humilis Episcopus S. Ecclesiæ Amerinæ.* Trium aliorum, quorum Sedes extra Ducatum Romanum constituuntur, hæ sunt subscriptiones, *Anastasius humilis Episcopus S. Ecclesiæ Senogalliensis, Leo humilis Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Salernitanæ, Jordanus humilis Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Senensis.* De Diœcesibus Romani Ducatûs ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-sextum, quo Roma cum integro tandem Ducatu Romano Francis patere cœpit, distinctiùs agemus. Rudolphum, qui Cellensis Episcopus in vulgatis prælaudati Constituti subscriptionibus dicitur, Episcopum in illo Ducatu fuisse non leviter probant subscriptiones tot Episcoporum suas in eodem Ducatu Sedes habentium, cúmque Cellensis Episcopatus in ea regione non inveniatur, Cellensis loco Centumcellensem restituendum nemo non judicabit, maximè si Centumcellensem Episcopatum illis temporibus celebrem advertetit, & Petrum Centumcellensem Episcopum Romano Concilio sub Eugenio Papa Secundo interfuisse apud Baronium [a] observarit.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

[a] Tom. 9. an. 826. n. 1.

XLVII.

Ad eandem Mediolanensem provinciam priscis temporibus pertinebant quatuor hæ civitates, Mutina *, Regium-Lepidi *, Parma * & Placentia *, quæ posteà Ravennati provinciæ fuerunt attributæ, donec erecta in Metropolim Bononia, cui deinceps subjacuerunt atque etiamnum subjacent. Suberant Ravennati Metropolitæ, cùm Carolus Regnum Longobardorum subegit, à provincia enim Mediolanensi ad Ravennatem translatæ creduntur temporibus Valentiniani Tertii Augusti, cujus Diploma recitat Hieronymus Rubeus [a], nec ante annum Christi millesimum quingentesimum octogesimum-tertium Metropolitanam dignitatem obtinuit Bononia. Carolus è Ravennate provincia quatuor duntaxat prænominatas urbes Episcopales Francicis ditionibus adjecit, quia Pippinus ejus pater ceteras illius provinciæ civitates Apostolicæ Sedi perpetuò possidendas ante annos undeviginti tradiderat, id est, Ravennam Metropolim, Adriam, Ariminum, Forum-Pompilii, Cesenas, Comaclum, Faventiam cum Gabello, Imolam, Ferrariam, Forum-Livii cum Castro Subsubio, Bobium seu Sassinam, Bononiam, quarum mentionem in Donatione Pippinina fecimus, nec dubium quin eidem Donationi Tifernum Metaurense prope fontes Metauri situm, civitatem olim Episcopalem Sancti quoque Angeli in Vado dictam accensere debeas cum Phycode seu Cervia Ravennam inter & Ariminum posita. Nostrâ ætate Urbanus Octavus Papa Castrum Durantis Urbaniam de suo nomine nuncupavit, civitatisque titulo donavit necnon Episcopatu, quocum univit Tifernum Metaurense sive urbem Sancti Angeli Vadani vetere Sedis Episcopalis dignitate dudum carentem, atque inde Episcopi promiscuè Urbanienses & Sancti Angeli in Vado dicuntur sub Urbinate Metropolita; quemadmodum à Phycode, hodie Cervia,

* Modene.
* Regge.
* Parme.
* Plaisance.

IN RAVENNATE.

[a] Lib. 2. Hist. Ravenn.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6. Ficodenses ac Cervienses Episcopi vocantur sub Archiepiscopo Ravennate.

XLVIII. Mutina, cùm Desiderius à Carolo devictus est, Episcopum habebat Geminianum. Hic enim, teste Ughello [a], Regium obtinuit Diploma, quo Desiderius Privilegia Ecclesiæ Mutinensi ab Antecessoribus Longobardorum Regibus collata confirmavit; accepit & aliud à Carolo, quod anno Regni in Francia decimo-quarto, in Italia nono, id est, anno Christi septingentesimo octogesimo-secundo, datum reperitur. In Diœcesi Mutinensi florebant à temporibus Aistulphi Regis Fananum & Nonantula, celebria Monasteria, quorum conditor ac primus Abbas Anselmus, Giselrudæ Reginæ frater. Lege Sigonium libro tertio de Regno Italiæ in Aistulfo Rege [b].

[a] Tom. 2.

[b] Ad ann. 750. 752.

XLIX. Episcopus Regii-Lepidi florebat Apollinaris anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto, quo Carolus Longobardicum bellum confecit.

L. Floruit & eodem tempore Desiderius Episcopus Placentiæ. Bobiensis Monasterii, quod celeberrimum erat, Abbates per illam ætatem desiderantur.

LI. Agemus anno sequenti de Hieronymo, qui Parmæ fuit Episcopus sub Carolo Magno. Tunc in ea Diœcesi conspicuum erat Bercetum, illustre Monasterium, quod à Luitprando Longobardorum Rege conditum Paulus Diaconus in Gestis Longobardorum sub operis sui finem sic testatur. *In summa quoque Bardonis Alpe Monasterium, quod Bercetum dicitur, ædificavit.* Lege Tomo quarto ad annum Christi septingentesimum decimum-sextum [c] quæ de Moderandi Redonensis quondam Episcopi profectione in Italiam dicta sunt.

[c] Nu. 9. & seqq.

LII. Pippininæ Donationis partem alteram, id est, Vrbinum, Callium cum vicinis Luceolis, Forum-Sempronii, Montem-Fereтri cum Serra & Castello Sancti Marini, Pisaurum, Senogallias, Montem-Lucari seu Nuceriam cum Acerragio, Fanum, Esium, Eugubium, Anconam, Auximum, Humanam, Narniam, itémque Donationem Carolinam quæ toto penè Ducatu Spoletano, seu quatuor Diœcesibus, Spoletanâ, Fulginate, Interamnensi, & Assisiensi, constabat, amplectebatur provincia Romana, cujus Metropolis Roma cum Ducatu Romano fermè integro & aliquot Italiæ regionibus, ut stante sic & extincto Longobardorum Regno, sub Imperio Græcorum permansit. Ceteras autem civitates, quas Desiderius in eadem provincia tenuerat, Franciceæ dominationi subjecit victor Carolus, nempe Papiam, Lunam, Lucam, Pistorium, Fesulas, Florentiam, Pisas, Volaterras, Senas, Russellam, Populoniam, Suanam, Balneum-Regium, Urbem-veterem, Castellum Felicitatis, Clusium, Aretium, Perusiam, Camerinum, Firmum, Asculum, Aprutium, Pennam, Teaten, Valvam, Furconium, Mallianum, Reaten, Celanum, Atinam, Soram, Montem-Casinum, Aquinum, Suessam, Capuam, Calatiam, Theanum, Venafrum, Æserniam, Triventum, Sipontum, Acheruntiam, Beneventum, & Salernum.

IN ROMANA, *

LIII. In Catalogo Papiensium * seu Ticinensium Episcoporum, duo per octavum seculum celebrantur Theodori. Prior ab anno Christi septingentesimo tricesimo-septimo ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum, posterior ab anno Christi septingentesimo sexagesimo-sexto ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-octavum sedit; ille decimo-octavo Kalendas Decembris vitam clausit, hic obiit decimo-tertio Kalendas Junii, eodémque die memoratur in Tabulis Ecclesiasticis, nec alius est ab eo, qui gerebat Episcopatum, quando Carolus Francorum Rex Papiam obsedit cepitque. Papiensis Episcopatus ante illa tempora Romanæ provinciæ jam accensebatur, Mediolanensi Metropolitâ frustrà renitente. Quid

* de Pavie.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

litis inter Sanctos Benedictum Archiepiscopum Mediolanensem & Armentarium Ticinensem Episcopum anno Christi septingentesimo undecimo intercesserit, exponit Ughellus Tomo primo [a]. *S. Armentarium deinde populus Clerúsque Papiensis subvexerunt ad Sedem an. 711. quem cùm conatus fuisset inaugurare Benedictus Archiepiscopus Mediolani, tanquam Insubriæ Metropolitanus, renuit Armentarius, probatisque Constantino Pontifici Ecclesiæ suæ juribus, consecratus ab ipso Pontifice, victor discessit, atque ad sibi creditam rediit Ecclesiam, quam adeò piè sanctéque administravit, ut fato functus Sanctorum auxerit numerum an. 730. d. 30. mensis Januarii.* Et Tomo quarto [b]. *Hunc*, nempe Benedictum Mediolanensem Archiepiscopum, *suæ jurisdictionis acerrimum defensorem gravis litis coram Pontifice Romano exercuit. Cùm enim contenderet Ticinensem Episcopum Mediolanensi Throno subesse, ille verò contrà niteretur, se ad arbitrium Romani Pontificis ex antiquo jure immediatè spectare, felicior litis eventus à Ticinensi stetit, Benedictus verò cùm causâ cecidisset, revertitur Mediolanum.* At præstat audire Paulum Diaconum in Gestis [c] Longobardorum. *Venit Benedictus Archiepiscopus Mediolanensis Romam, & causam egit pro Ecclesia Ticinensi. Sed victus est, eò quòd à priscis temporibus Ticinenses Episcopi à Romana fuerant Ecclesia consecrati. Fuit autem isdem venerabilis Benedictus Archiepiscopus, vir egregiæ sanctitatis, de quo per universam Italiam bonæ opinionis fama flagravit.* Idem Auctor [d] Monasterium Sancti Petri prope Ticinenses muros à Luitprando Longobardorum Rege ædificatum commendat. *Gloriosissimus Rex Luithprandus multas in Christi honorem, per singula loca, ubi degere solebat, Ecclesias construxit. Hic Monasterium Sancti Petri, quod extra muros Ticinensis civitatis situm est, & Cælum aureum appellatur, instituit.* Regnante eodem Luitprando, Manigunda Monasterium Sanctæ Mariæ de Cairate construxit, illúdque quamvis in Diœcesi Mediolanensi conditum Episcopo Papiensi subjectum esse voluit, ut patet ex Joannis Octavi Papæ literis ad Joannem Papiensem Episcopum directis, quæ sic habent. *Sancimus etiam, ut Monasteria, quæ intra tuæ Diœcesis fines consistunt, sub tuo, & eorum, qui tibi successerint, jure Canonico permaneant in perpetuum, videlicet & consecratione Abbatum, vel Abbatissarum, & in eorum earúmque criminum discussione. Ita sanè, ut nulla in eisdem venerabilibus locis, quoties opportunum fuerit, sine tuo tuorúmque successorum providentia atque consensu fiat electio, sicut canonica jubet auctoritas, salvo scilicet in omnibus Sedis Apostolicæ Privilegio, speciali namque tenore præcipiente, ut Monasterium S. Donati fundatum à Luitprando Episc. decessore tuo, in loco, qui dicitur Scogialo, cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus, secundùm testamenti sui seriem collatis, & aliud Monasterium Sanctæ Mariæ positum in Cariata, quæ juri Ecclesiæ tuæ procul dubio & pertinere videntur, te successorésque tuos perpetuis temporibus jurisdictionem tenere, haberéque decernimus, & quamvis in alienis Parochiis consistant, Apostolicâ jubemus auctoritate in omnibus, quæ ibi agenda vel ordinanda erunt, liberam sine alicujus contradictione habeas potestatem; Presbyteros verò & Monachos prædictorum omnium Cœnobiorum ad tuum Canonicum, prout Ecclesiastica necessitas exegerit, sine alicujus contradictione statuimus venire Concilium.* Agemus infrà de Monasterio Sancti Donati, quod setiùs erectum est, hæc de Cœnobiis Sancti Petri & Sanctæ Mariæ sufficiant.

[a] In Episc. Papiens. n. 33.

[b] In Archiep. Mediolan. n. 44.

[c] Lib. 6. c. 10. ant. edit. c. 29. novæ edit.

[d] Lib. 6. c. 17. ant. edit. c. 18. novæ edit.

LIV. Lunensium * Episcoporum Catalogus per octavum seculum mutilus est. Severo enim, qui Concilio sub Agathone Papa interfuit, subjiciuntur Lenthecorius & Apollonius solis nominibus noti, tum Gualcherius Carolo Augusto, Caroli Magni pronepoti, synchronus. In Diœcesi Lunensi situm erat Brunum seu Brunadum aut Brumiadum, hodie Brunetum seu Bruniacum vel Brugnatum * ad Verram seu Vorrum amnem, ubi nobile olim Monasterium à Longobardorum Regibus in honorem Sancti Petri Apostolorum Principis & Sanctorum Laurentii ac Columbani constructum, quod eorum-

* de Luni.

* Brugneto sur la Verre.

AN. CH. dem Longobardorum Reges, Luitprandus, Rachis, & Desiderius, deinde Francorum Reges Carolus Magnus aliique mirum in modum auxerunt.

774. CAROLI R. 6.

LV. De Joanne Lucensi * Episcopo, qui Carolo Magno Rege floruit, ante annum Christi septingentesimum octogesimum-primum nihil dicendum occurret. Tunc ad Versiliam fluvium in Episcopatu Lucensi stabat puellare Monasterium, quod Sanctus Walfridus ante aliquot annos erexerat Aistulfo Longobardorum Rege.

* de Luques.

LVI. Similiter de Wiltretrado Pistoriensi * Episcopo nullum sermonem ante annum Christi octingentesimum primum facturi sumus.

* de Pistoye.

LVII. Serius agemus de Donato Fesulano * Episcopo, cujus Præsulatus in nonum quoque seculum incidit.

* de Fiesoli.

LVIII. Stante Longobardorum Regno Florentinum * Episcoparum suscepit, diúque regnantibus in Italia Francis tenuit Thomas, de quo non semel loquemur. Duobus à Florentia milliaribus distabat puellare Monasterium Sancti Bartholomæi, quod à loco Ripolanum seu de Ripoli cognominatum invenitur. Florentia sub Imperio Romanorum, quà opibus, quà armis maximè floruit, donec Italia barbarorum attrita incursionibus & ipsa visa est concidisse, ærumnas illas omnes experta, quas solet secum afferre excidium à superbo victore illatum. Siquidem sub Totila, si non in totum excisa, magna tamen ex parte deformata est ad miserabiles patriæ ruinas nobilitate marcente, donec à Carolo Magno, ut Borghinus scribit, munificentissimè resarciretur. Tunc erectæ plures Ecclesiæ, præ ceteris celebrantur Basilica beatissimæ Virginis & Basilica Sanctorum Apostolorum. Ob instaurationem Florentiæ Carolum sic laudavit Varinus in ejusdem urbis illustratione [a].

* de Florence.

[a] Lib. 1.

Bellovagi Rector populi Pipinius Heros
Venit in Italiam, felix ceu numen ab astris
Demissum, sævósque afflixit cladibus hostes,
Cepit & obsesso Papiensia mœnia Rege,
Barbaricámque luem Latiis delevit ab oris,
Redditáque ablatis libertas tuta tyrannis
Oenotria, cultúmque Dei sine forte recepit
Ausonis hæreseos; miro complexus amore
Egregios Carolus Romana stirpis alumnos
Fovit, & insigni charos celebravit honore,
Majorémque novis præcinxit mœnibus urbem.
Templa resarcivit veteri decussa ruinâ,
Reginaque poli mirandas condidit ædes.
Ad nova dispersos revocavit mœnia cives,
Quaque sibi tutas altis in montibus arces
Ob subitos Martis casus dirósque tyrannos
Fecerat, accersit pubem, dat munera cunctis, &c.

LIX. Ab anno Christi septingentesimo quadragesimo-septimo ad annum Christi octingentesimum quartum mutilus est Pisanorum * Episcoporum Catalogus.

* de Pise.

LX. Haud uberior est Index Volaterraneorum * Antistitum ab anno Christi septingentesimo tricesimo-quinto ad annum Christi octingentesimum.

* de Volterra.

LXI. Inter Episcopos, qui Romæ Constituto Pauli Papæ, *quarto Nonas Junii, Indictione decimâ-quartâ*, sive anno Christi septingentesimo sexagesimo-primo, subscripserunt, reperitur *Jordanus humilis Episcopus Sancta Ecclesia Senensis.* Hic Caroli in Italia regnantis tempora potuit attingere. Tunc conspicuum erat tertio à Senis * lapide Monasterium *D. Salvatoris de Iliceto*, ob frequentes ilices ita cognominatum, cui primum initium quarto seculo nonnulli fecerunt Eremitæ. Florebat & Cœnobium Sancti Eugenii, quod Wanfredus Senensis civitatis pro Luitprando Longobardorum Rege Castaldius non procul ab eadem urbe fundaverat.

* Siene.

Toto octavo seculo nihil de Russellensibus Episcopis legitur. Carolus Russellâ * potitus est ad annum duntaxat Christi septingentesimum octogesimum-septimum, quo Romam profectus nonnullas Tusciæ civitates oppidáque singulari munificentiâ Romano Pontifici tradidit. AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

Anno Christi septingentesimo quinquagesimo-sexto, Pontificatum Populaniæ * seu Populonii gessit Ancaurus sive Ancarlus, qui postremæ Longobardorum cladi forte superfuit. Tunc in Episcopatu Populoniensi florebat Palatiolum illustre Monasterium, cui Gimfredus Walfridi conditoris filius ac proximus successor præerat. Fuit Walfridus *ex Tuscia provincia ortus, de civitate quæ Pisa nominatur.* Uxorem duxit, & ex ea quinque filios suscepit. De nuntio rebus secularibus remittendo consilium iniit cum Forte ex Insula Corsica, & Gundualdo è civitate Luca. Duo Monasteria, Palatiolum virorum *secus Viridem-Montem* in Diœcesi Populoniensi, alterum fœminarum in Episcopatu Lucensi ad Versiliam fluvium construxit anno Aistulfi Regis quarto, sive anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto. Ipse cum Forte & Andrea prædictis aliísque magnæ pietatis viris Palatiolum incoluit. Ejus uxor in puellare Cœnobium ad amnem Versiliam secessit. *Monasterium illud virorum positum quidem longiùs à mari videtur penè miliaria triginta à portu, qui Populonius dicitur; & de alia parte longè à mari ferè plùs minùs miliaria duodecim: in quo nullus reperitur portus, in quo se naves salvare possint, & ipsa via quæ adscendit ad Monasterium, arta & angusta nimis videtur. Et illud aliud Monasterium non plùs à mari longiùs videtur manere, quàm duo milsaria, ad radicem montis positum, eminens supra fluvium Versiliæ.* Inter utrumque Monasterium erant octoginta-quinquo milsaria, sive *non minùs quàm octodecies milsaria, aut quinque suprà.* Walfridus *mense Februario, quinto-decimo Kalendas Martii vitam finivit decimo in anno* suæ Præfecturæ, id est, anno Christi septingentesimo sexagesimo-quarto, *postquàm erudierat Monachorum agmen non minùs quàm sexies decem Monachos*, seu sexaginta. Successit in munus Abbatiale Gimfridus ejus filius, *& regimen Monasterii triginta annis peregit*, hoc est, ad annum usque Christi septingentesimum nonagesimum-quartum. Sub illo Abbate, Monachorum *bis octo decies*, seu centum ac sexaginta, numerus fuit. Lege Sancti Walfridi vitam ab Andrea tertio Abbate Palatiolensi conscriptam, quam Bollandus ad decimam-quintam Februarii diem, & Mabillonus in secundo Tomo tertii Seculi Benedictini publicarunt. De Populoniensibus Episcopis post Ancaurum ad annum usque Christi octingentesimum vicesimum-sextum nihil occurrit. Ut autem Rusellam sic & Populoniam complexus est Carolus in Donatione, quâ ditiones Romani Pontificis auxit anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo. Atque inde observa Palatiolensem Abbatem, præter Gimfridum, sub Francorum imperio neminem extitisse. LXII. * Rosellæ. LXIII. Populonia.

Anno Christi septingentesimo duodesexagesimo, Translationi Sancti Severi præsens interfuit Suanensis seu Soanensis Episcopus, cujus nomen initiali tantùm literâ P designatur. Illum autem fortè & hoc anno quo Carolus Longobardiam subegit, & anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo quo Carolus Soanam * & alias Tusciæ civitates Apostolicæ Sedi perpetuò possidendas dedit, superstitem fuisse non temerè censebis. LXIV. * Suana.

Episcoporum, qui Balneo-Regio * seu Bagnareæ per octavum seculum præfuerunt, interierunt nomina. Desiderius Longobardorum Rex ultimus, ut illa civitas Roda vocaretur, Edicto suo frustrà præcepit. Eâ Carolus Rex Francorum potitus est annis duntaxat tredecim, ab hoc videlicet anno ad annum Christi septingentesimum octogesimum-septimum, quo Romam tertiò venit, & Adriano Papæ multas urbes in Tuscia Longobardorum concessit. LXV. * Bagnarea.

Romano Concilio sub Zachariæ Papæ Pontificatu Gregorius Orbevetanus sive Urbevetanus Episcopus interfuit teste Baronio [a]. De successori- LXVI. [a] Tom. 9. a. 745. n. 25.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

bus ad tempora usque Eugenii Secundi Papæ nihil invenitur. Priùs autem Urbs * vetus cum suo territorio transiit in potestatem Romani Pontificis ex tertia Caroli Magni donatione, quam per partes ad annum Christi septingentesimum octogesimum-septimum describemus.

* Orvièie.

LXVII. Apud Carolum Adrianus Papa questus est de Raginaldo Duce Clusino, qui Castellum Felicitatis aliáque patrimoniola in Tusciæ partibus ab eodem Carolo Sedi Apostolicæ data volebat invadere. Literas [a] post biennium recitabimus integras. Hic autem silere non possumus Castellum illud ab Adriano *civitatem* vocari, quia tunc Episcopali Cathedrâ decorabatur. Inter Præsules, quos Eugenius Papa Secundus ad Concilium Romanum Ludovico Pio tunc Augusto convocavit, à Baronio [b] memoratur Stabilis Episcopus de Castello Felicitatis. Ab illo Castello Felicitatis, sive à civitate Castelli Felicitatis, non procul aberat Clusium *, urbs etiam Episcopalis, cujus Episcopus, nomine Arialdus, si fides est Ughello [c], sub Zacharia Papa Synodo Romanæ præsens interfuit; & vitam ad tempora usque Ludovici Pii Augusti perduxit. At apud Baronium [d], quem ille allegat, Arcadius legitur, à quo distinguendus videtur Arialdus, qui sub Ludovico Pio Augusto vivere desiit. Utrùm autem Arcadius vixerit ad annum usque Christi septingentesimum septuagesimum-quartum, quo Carolus Regnum Longobardorum penitus extinxit, haud liquet. In dubio quoque ponitur, an Arialdus in Episcopatum Arcadio proximè successerit. Regnante Luitprando Gregorius & Arisebutus cives Clusini Monasterium Sanctæ Mustiolæ prope Clusii muros erexerunt. Paulò pòst Rachis Longobardorum Rex Cœnobium Sancti Salvatoris in monte Ammiato construxit, ibíque primus Abbas fuit Erfo, ut ex ejusdem Regis Diplomate patet. Posterius hoc Monasterium amplissimis redditibus dotavit Carolus Magnus, ídque docet Ludovicus Pius in literis quas ad annum Christi octingentesimum decimum-sextum recitabimus.

[a] Cod. Carol. ep. 60.
[b] Tom. 9. a. 826 n. 3.
* Chiusi.
[c] Tom. 3. in Episc. Clusin. n. 3.
[d] Tom. 9. an. 743. n. 25.

LXVIII. Comnimundus anno Christi septingentesimo quinquagesimo-primo Pontificatum Aretinum iniit, tenuitque teste Ughello [e] *ad viginti-quatuor omnino annos*, id est, ad annum usque Christi septingentesimum septuagesimum-quintum, gerebat igitur Episcopatum, quando Carolus Aretium * subegit.

[e] Tom. 1. in Episc. Aretin. n. 12.
* Arezzo.

LXIX. Anno Christi septingentesimo sexagesimo-primo *Epiphanius peccator Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Perusinæ* * Constituto Pauli Papæ subscripsit, in vivis superstes esse potuit, cùm Longobardi sub jugum missi sunt à Francis. Tunc autem Monasterium Sancti Petri de Perusia jam stabat, in quo Clerici regularem vitam profitebantur.

* de Perouse.

LXX. Salmes Camerinensis * Episcopus Zachariæ Papæ percharus fuit; utrùm ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum pervenerit, haud scimus; de successoribus nihil ante tempora Ludovici Pii Augusti reperitur.

* de Camerino.

LXXI. Gualterus Firmanus * Episcopus cuidam judicio Hildeperti Ducis Spoletani cum aliis aliquot interfuit Episcopis, ut apud Ughellum [f] ex magno Farfensis Cœnobii Regesto sic adnotatur. *In Nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Dum nos Hildepertus gloriosus Dux Ducatûs Spoletini resedissemus, Spoleti in Palatio, & adessent nobiscum Adeodatus Episcopus, Gualterus Episcopus de Firmo*, &c. In exceptis Chronici Farfensis, quæ publicata sunt à Francisco Duchesnio [g], *Desiderius* Longobardorum Rex *an. Incarn. Domini* DCCLXXIV *anâ cum conjuge* in Gallias abductus ducitur, proximéque recensentur tres hi Duces Spoletani. *Theodicius Dux Spol. Hildeprandus Dux Spol. Guinichis Dux Spol.* Ille autem Hildeprandus sive Hildebrandus idem cum prædicto Hildeperto videtur esse. Dux erat Spoletanus, antequàm Carolus in Italiam proficisceretur, ut ex prædictis constat. Utrùm autem Gualterus Episcopatum inierit eodem Hildebrando nondum Duce,

* de Fermo.
[f] Tom. 2. in Episc. Firman. n. 12.
[g] Tom. 3. Collect. Hist. Franc.

vel Carolo Francorum Rege in Italiam nondum profectò, nec ex præcitato Diplomate, nec aliunde patet. Erat tunc in territorio Firmano Monasterium Sancti Silvestri & Sanctæ Marinæ, ut liquet ex Præcepto Ludovici Pii, quod ad annum Christi octingentesimum decimum-quintum ex Chronico Farfensi describemus.

In præcitato Hildeperti sive Hildebrandi Ducis Spoletani Diplomate nominatur *Anderis Episcopus Esculanus*. Hunc in Episcopatu Esculano sive Asculano * decessorem existimamus Tuptolphi, de quo sermonem ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-nonum faciemus. LXXII. (* *d'Ascoli.*)

Aprutinenses Episcopi, quos etiam Interamnates & Teramos * appellant, per totum octavum seculum desiderantur. LXXIII. (* *de Teramo.*)

Episcoporum Pennensium * sors eadem. (* *de Penna.*)

Nec uberior illâ ætate Catalogus Episcoporum Teatinorum *. LXXIV. (* *de Teti seu Chieti.*)

Pamphilus Valvensem Episcopatum adeptus est Sergio Primo tum Romano Pontifice. Sequuntur in Valvensium Episcoporum Nomenclatura, Gradescus, Vadepertus seu Valpertus Hildeperto sive Hildeprando Duci Spoletano synchronus, Ravennus, & Arnulphus qui temporibus Ludovici Pii ac Lotharii Augustorum vixit. Ex illo Catalogo Valpertus, cùm Carolus de Longobardorum Rege triumphavit, Valvensis * Episcopus deprehenditur. LXXV. LXXVI. (* *de Valvadi.*)

Illo tempore manci sunt Indices Episcoporum Furconiensium *. LXXVII. (* *de Forcone.*)

Manci sunt & Indices Episcoporum Sabinensium *, quorum Sedes Episcopalis apud Mallianum. Tunc in territorio Sabinensi florebat Monasterium Sanctæ Mariæ, de quo loquitur Anastasius. LXXVIII. (* *de Sabine.*)

Nihil quoque de Reatinis * Episcopis occurrit. At omittere non debemus puellare Sancti Georgii Monasterium prope muros civitatis Reatinæ, de quo Carolus Magnus & Ludovicus Pius in suis Diplomatibus. LXXIX. (* *de Rieti.*)

Episcopus Marsicanus seu Marsorum non à civitate nomen traxit, sed à regione cujus caput Celanum *. Desideratur series Episcoporum, qui Marsicanæ Diœcesi per illa præfuerunt tempora, quibus in Italia Carolus Magnus ejúsque posteri regnarunt. Florebat autem puellare Monasterium Sanctæ Mariæ in loco Sano, cujus administratio penes Aufladam Abbarissam erat, cùm Carolus Longobardiam in suam potestatem redegit. Lege Ughellum [a] in Davide Episcopo Beneventano. LXXX. (* *Celano.*)

[a] Tom. 8.

Per illa tempora, quibus in Italia Carolus Magnus bellum contra Longobardos gessit, mutilus est Atinensium * Episcoporum Catalogus. Illorum tamen redditus ab eodem Carolo multùm amplificatos haud inficiamur. Lege Chronicon Atinense, quod ad calcem primi Tomi Ferdinandus Ughellus in Italia Sacra publicavit. LXXXI. (* *d'Atino.*)

Soranorum etiam Episcoporum par ratio seculis octavo ac nono. Fuit autem Sora * in Francorum potestate tredecim duntaxat annis ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum-septimum, tunc enim Romano Pontifici cum nonnullis aliis Campaniæ civitatibus ex Donatione Caroli Magni cessit. LXXXII. (* *Sora.*)

In Monte Casino, cùm Carolus Longobardiam in suam potestatem redegit, non erat Episcopus, sed Abbas, isque Poto, si benè Chronologiam Catinensem assecuti sumus. LXXXIII.

Petronax Abbas, qui Monasterium Casinense * restauravit, obiit anno Christi septingentesimo quadragesimo-seprimo. Successit Optatus, qui, teste Leone Ostiensi [b], *peractis annis* x *in regimine mortuus est* anno Christi septingentesimo quinquagesimo-septimo. Successores ab eodem Auctore recensentur [c], Hermeris, Gratianus, Tomichis, Poto. Monasterio præfuit Hermeris *anno uno*, obiitque xv *Calend. Augusti.* Camillus Peregrinius in serie Abbatum Casinensium, annum illum Hermeris Abbatis interpretatur incompletum, ut & annos aliorum Abbatum. Eo calculo, LXXXIV. (* *de Cassin.*)

[b] Lib. 1. c. 9. vet. edit. c. 8. novæ edit.

[c] Lib. 1. cc. 9. 10 11. 12. vet. edit. cc. 8. 9. 10. novæ edit.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6. seu pridie Nonas Januarii, seu pridie Nonas Junii decessit Optatus, eodem quoque anno mortuus est Hermeris decimo-quinto Kalendas Augusti. Controversiam super die, quo vitam clausit Optatus Abbas, facit unius literæ mutatio, sic enim pleræque habent editiones, II *Non. Jun.* aliæ verò sic, II *Non. Jan.* Peregrinius Optatum pridie Nonas Junii, Hermerem proximo mense Julio, seu decimo-quinto Kalendas Augusti, mortuos tradit. Optatum pridie Nonas Junii vivis ereptum non inficiamur, sed obitum Hermeris in annum sequentem rejicimus. Optatum & Hermerem anno Christi septingentesimo sexagesimo extinctos arbitratur Peregrinius. Nos Optati mortem anno Christi septingentesimo quinquagesimo-septimo, Hermeris obitum anno Christi septingentesimo duodesexagesimo consignamus. Origo dissidii petitur ab ipso Casinensis Historiæ post Monasterii restaurationem exordio. De Petronace reparati Cœnobii primo Abbate sic scribit Leo [a]. *Cùm ad sacram beati Benedicti sedem pervenisset, unà cum his qui secum venerant fratribus aliquantisque simplicioribus viris, quos ibi dudum resedisse cognoverat, habitare communiter cœpit anno Domini septingentesimo atque vigesimo. Defunctúsque est* II *Non. Maii, cùm præfuisset annis* XXXII. Peregrinius annos illos triginta-duos, quos incompleros censet, orditur à Kalendis Januariis anni post Christum natum septingentesimi vicesimi, clauditque pridie Nonas Maias anni post Christum natum septingentesimi quinquagesimi-primi. Sed hæc stare non potest opinio, quia flagrante inter Pippinum Majorem-domûs & Griphonem ejus fratrem bello, quod anno Christi septingentesimo undequinquagesimo sopitum est, nec ampliùs Pippino Majore-domûs aut Zachariâ Papâ superstite recruduit, Optatus Abbas & Carolomannus Pippini Majoris-domûs frater tum Monachus per Ascetas Casinates apud eundem Zachariam egerunt, ut paci inter utrumque fratrem renovandæ operam navaret, idque constat ex ipsius Zachariæ literis, quas *omnibus Sacerdotibus & Presbyteris Francorum* inscriptas suo recitavimus [b] loco. Regimen igitur Monasterii suscepit Optatus ante annum Christi septingentesimum quadragesimum-nonum, seditque annos duntaxat decem, nec ad annum Christi septingentesimum sexagesimum pervenit. Petronacem anno Christi septingentesimo quadragesimo-septimo, pridie Nonas Maii; Optatum anno Christi septingentesimo quinquagesimo-septimo, pridie Nonas Junii; Hermerem decimo-quarto Kalendas Augusti, anno Christi septingentesimo quinquagesimo-octavo, mortuos asserimus. Ceteros Abbates jam prosequamur.

LXXXV. *Gratianus Abbas*, qui proximus Hermeri successor datus est, *præfuit annis quatuor, mensibus quinque, defunctus est autem* XI *Calend. Septembris.* Hæc Leo [c]. Omnes Gratiano quatuor administrationis annos adscribunt. Peregrinius ait errorem in numerum mensium irrepsisse, quoniam ab Hermeris morte ad obitum usque Gratiani præter annos completos unus tantùm mensis intercessit cum diebus quinque. Sed probabile videtur ab Hermeris obitu Monasterium ad proximum usque mensem Martium caruisse Abbate, donec electus est Gratianus, qui *præfuit annis* IV. *mens.* V. & ex hac vita discessit undecimo Kalendas Septembris, anno Christi septingentesimo sexagesimo-tertio. *Tomichis* [d] ejus successor *præfuit annis* VI. *mensibus quinque, diebus* XXI. *obiitque octavo Calend. Februar.* Error est in numero dierum. Scribendi sunt dies III, non autem XXI; ab undecimo enim Kalendas Septembris ad VIII Kalendas Februarii, dies tantùm tres prætet menses quinque numerantur. Vitam igitur terminavit Tomichis octavo Kalendas Februarii, anno Christi septingentesimo septuagesimo. Successit Poto, qui, teste eodem Leone [e], *præfuit annis septem, mensibus quinque, & obiit quarto Calend. Julii*, id est, vitam clausit quarto Kalendas Julii, anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo. Regimen igitur Casinense penes hunc Abbatem erat, quando bellum Longobardicum suscepit expugnatâque Papiâ confecit Carolus.

[a] Lib. I. cc. 4. 8.

[b] Ad an. 749. n. 58.

[c] Lib. I. c. 10. vet. edit. cc. 8. 9. novæ edit.

[d] Leo Ostiens. l. I. c. II. vet. edit. c. 9. novæ edit.

[e] Lib. I. c. 12. vet. edit c. 9. novæ edit.

Dices,

Dices Chronologiæ nostræ Leonem refragari, quia temporibus Theo- AN. CH.
demaris, qui post Potonem Abbas fuit, Desiderium Longobardorum
Regem *in Franciam* ablegatum asserit *anno Domini* DCCLXXIIII. Ve- 774.
rùm illo capite [a], Leo duas Caroli profectiones in Italiam valdè diversas CAROLI
complectitur; unam, quâ Carolus Papiam obsedit cepitque, Potone tunc R. 6.
Abbate Casinensi; alteram, quâ Carolus Beneventum usque processit, at- LXXXVI.
que in reditu Casinum adiit, Theodemare illius loci tunc Abbate. Utram-
que verò simul connectit hac transitione, *post hæc*, quæ longum temporis
intervallum denotare non videtur. Ab anno tamen Christi septingentesimo
septuagesimo-quarto, quo Carolus post expugnatam Papiam in Franciam re-
versus est, ad annum Christi septingentesimum octogesimum-septimum,
quo Carolus in Ducatum usque Beneventanum perrexit, effluxerunt anni
tredecim, è quibus tres Abbati Potoni, decem Theodemari rectè attribues,
hic enim post Potonem Monasterio præfuit *annis novemdecim* [b], id est, ad
annum usque Christi septingentesimum nonagesimum-sextum. Peregrinius
Potonem anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto, quo Deside-
rius in potestatem Caroli venit, Abbatem Casinensem fuisse non inficia-
tur, licèt eandem nobiscum Chronologiam non ineat, Gratianum enim
anno Christi septingentesimo sexagesimo-quarto, Tomichem anno Christi
septingentesimo septuagesimo-primo, Potonem anno Christi septingente-
simo septuagesimo-octavo, mortuos opinatur.

[a] Cap 14. vet. edit. c 12. novæ edit.

[b] Leo Ostiens. l. 1. c. 13. vet. edit. c. 10. novæ edit.

Aquinum * per illa tempora laborabat interpontificio, ut Sanctus LXXXVII.
Constantius illius civitatis Episcopus anteà prædixerat. Laborabat adhuc
anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo, cùm in potestatem
Romani Pontificis ex donatione Caroli Magni venit. Lege Ughellum [c].

* Aquin.

[c] Tom. 1. in Episc. Aquin.

Regnante Carolo Magno desiderantur Episcopi Suessani *. LXXXVIII.

* de Suessa.

Desiderantur & Episcopi Capuani *. Tunc autem in territorio florebat
Aliphano Diœceseos Capuanæ Monasterium Cinglense, seu puellare Cœ- LXXXIX.
nobium Sanctæ Mariæ in Cingla, quod, teste Leone in Chronico Casi-
nensi [d], conditum est stante Longobardorum Regno, cùm Gisulfus Dux
erat Beneventanus, & Petronax Abbas Casinense Monasterium regebat.
Capua tredecim duntaxat annis sub potestate Francorum fuit, annóque
Christi septingentesimo octogesimo-septimo ditionibus Romani Pontificis
accessit ex Donatione Caroli Magni.

* de Capouë.

[d] Lib. 1. c. 6.

A Calatia * seu Cajazia dicti Calatini seu Cajacenses Episcopi, quibus XC.
annumeratur Gisulphus Adriano Papæ & Carolo Magno Regi synchronus.
Hujus Episcopi meminit Ughellus [e] ad annum Christi septingentesimum
septuagesimum-sextum, de successoribus verò, quorum memoriam obli-
vio delevit, hæc proximè subjunxit. *Post hunc*; id est, post Gisulphum,
per aliquot secula, hujus Ecclesiæ Calatinæ *desiderantur Episcopi, quorum no-
mina invidiosa devoravit vetustas.*

* Cajazzo.

[e] Tom. 6. Ital. Sacr.

Mancus est Theanensium * Episcoporum Catalogus ad hunc annum XCI.
quo Franci Regnum Longobardorum subegerunt, nec invenitur uberior,
quandiu Theanum sub Francorum potestate permanet, id est, ad annum
usque Christi septingentesimum octogesimum-septimum, quo Carolus
Francorum Rex Romano Pontifici nonnullas in Campania civitates Regiâ
Donatione cedit.

* de Teano.

Nulla superest Episcoporum memoria, qui Venafranam rexerunt Diœ- XCII.
cesim, priusquam hæc uniretur cum Æserniensi, illa autem unio facta est
undecimo seculo. Venafrum * alluit Vulturnus amnis, à cujus fonte passus
circiter mille distat, quod celeberrimum erat Sancti Vincentii Monaste-
rium, cùm Franci de postremo Longobardorum Rege triumpharunt. Ex
illius Monasterii Chronico, cujus excerpta Franciscus Duchesnius [f] jam
publicarat, Catalogum Abbatum Ferdinandus Ughellus Italiæ Sacræ [g] in-
seruit, cùm Episcoporum Æserniensium seriem contexeret. Nec vocamus

* Venafro.

[f] Tom. 3. Collect. Hist. Franc.

[g] Tom. 6.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6. in dubium, quin Abbates prædicti Monasterii, quos post elogium Sebastiani Æserniensis Episcopi recensuit, intexuisset nomenclaturæ Venafranorum Episcoporum, si notitiam horum habuisset. Vincentinum enim Cœnobium, ut ex ejus situ patet, ad Diœcesim Venafranam pertinuit, cùm hæc ab Æserniensi distinguebatur. Illo de Monasterio jam locuti sumus ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quartum, quia Monachum tunc illic induit Authpertus vir illustris, qui Stephanum Tertium Papam è Galliis in Italiam redeuntem Romam usque jussu Pippini Regis comitatus fuerat. Quatuor antiquissimos Abbates illius loci jam commemoravimus, Sanctum Paldonem, Sanctum Tasonem, Sanctum Tatonem, & Antonium sive Atonem, qui cœtui Monachorum adscripsit prælaudatum Authpertum, vitámque ad annum usque Christi septingentesimum sexagesimum produxit. Huic in regimen Monasterii successit Hetempertus, tum Joannes. Obiit Herempertus mense Martio, anno Christi septingentesimo sexagesimo-tertio, Indictione primâ. Joannes Monasterium rexit annis quatuordecim, tribúsque mensibus, ac diebus viginti-quinque; superstes igitur in vivis erat, cùm Franci Regnum Longobardorum suis ditionibus adjunxerunt.

XCIII. * d'Isernia. Bonifacius Æserniensis * Episcopus florebat anno Christi septingentesimo duodesexagesimo. De proximis successoribus nihil auditur.

XCIV. * de Triven-to. * d'Acerentia. Episcoporum, qui Triventinam * Diœcesim per octavum seculum administrarunt, interierunt nomina. Interiit & nomen Episcopi, qui Diœcesim Acheruntinam * regebat, cùm Franci de postremo Longobardorum Rege triumpharunt.

XCV. * de Siponto. Ecclesiæ Sipontina & Beneventana simul erant unitæ, cùm Franci Longobardorum in Italia dominationem extinxerunt. Utrique tunc præerat David Episcopus, qui variis in Diplomatibus Episcopum se *Sanctæ Beneventanæ & Sipontinæ* * *Ecclesiæ* dixit. Hic post annos tredecim cum Rodoperto Episcopo Salernitano Legationem apud Carolum Regem obiit. Existimamus utrumque priùs ordinatum quàm Carolus Longobardiâ potiretur. De Davide testis est Ughellus in Præsulibus Sipontanis, at in Salernitanis non ita clarus est de Rodoperto, nostræ tamen assertioni non parùm favet, ubi constanter de illo asserit Episcopo, quòd Ecclesiam Salernitanam *per multos annos* rexit, ídque manifestiùs ex annis successorum patebit. Cùm Franci Longobardiam subegerunt, extra muros civitatis Beneventanæ conspiciebantur insignia duo Monasteria; unum Sanctæ Mariæ ad Olivolam, quod virorum erat; alterum Sancti Petri Apostoli, quod erat puellarum. Hoc conditum à Theoderata Romualdi Beneventani Ducis uxore, de qua sic Paulus in Gestis Longobardorum[a]. *Conjunx ejus*, nempe Romualdi, *Theoderata nomine, eodem tempore, extra muros civitatis Basilicam in honore beati Petri Apostoli construxit. Quo in loco multarum ancillarum Dei Cœnobium constituit.* Conspiciebatur & intra mœnia Beneventi puellare Monasterium Sanctæ Sophiæ nuper erectum, de quo sic Ostiensis in Chronico Casinensi[b] sub Abbate Petronace. *Hic*, Gisulfus Dux Beneventanus, *ædificare cœpit Beneventi, Ecclesiam Sanctæ Sophiæ, quam cùm morte præventus explere nequisset, Arichis, qui illi successit, iam mirificè peregit. Ibíque Sanctimonialium Monasterium statuens, beati Benedicti Casinensi Cœnobio tradidit.* Et infrà sub Abbate Gratiano[c]. *Hic*, id est, Arichis Dux Beneventanus, *intra mœnia Beneventi, Templum Domino opulentissimum decentissimè condidit, quod Græco vocabulo τὴν ἁγίαν Σοφίαν, id est, Sanctam Sapientiam nominavit, ditatúmque amplissimis prædiis & opibus variis Monasterium esse virginum statuit, germanaque suæ regendum tradens, cum omnibus juribus ac pertinentiis suis, Sancti Benedicti Casinensi Cœnobio perpetuò sub ejus ditione futurum tradidit.* Soror illa Beneventani Ducis vocabatur Gorim-

a Lib. 6. c. 1.

b Lib. 1. c. 6.

c Lib. 1. c. 10. vet. edit. c. 9. novæ edit.

berga. Diplomata, de quibus infrà, pro eodem Sanctæ Sophiæ Monasterio Dux Arichis hoc ipso anno, quo Franci Longobardiam subegerunt, emisit *mense Novemb. Indictione 13.* Lege Chronicon illius Monasterii Tomo octavo Italiæ Sacræ subjectum.

XCVI. Inter Metropoles, quarum mentionem Carolus in suo Testamento fecit, numerantur Forum-Julii & Gradus. Illarum origo distinctióque primùm exponendæ. Attila Hunnorum Rex Aquileiam Metropolim funditus evertit, Nicetâ tunc Aquileiensi Metropolitâ, cujus tamen successores inibi manserunt Templo & Pontificali Palatio restauratis, & paulò ante Longobardorum adventum in Italiam Patriarchale nomen more Græcorum & Orientalium sibi vendicarunt. Adventante Alboino Longobardorum Rege Paulus seu Paulinus Aquileiensis Patriarcha cum Ecclesiæ suæ thesauris in Gradensem Insulam concessit. Audi Paulum libro secundo [a] de Gestis Longobardorum. *Hoc tempore Romanam Ecclesiam vir sanctissimus Benedictus Papa regebat. Aquilegiensi quoque civitati ejúsque populis Paulus Patriarcha praerat. Qui Longobardorum barbariem metuens ex Aquilegia ad Gradi Insulam confugit, secúmque omnem suæ Ecclesiæ thesaurum deportavit.* Dein Gradus Aquileia nova dicta est, & Helias, qui prædicto Paulino proximè post Probinum successit, accedente Pelagii Secundi Papæ Decreto ex Aquileiensi Patriarcha factus est Patriarcha Gradi seu novæ Aquileiæ, Patriarchali Sede Gradum translatâ. Post Heliam sedit Severus. Hoc autem mortuo, Patriarchæ duo facti sunt, unus Gradi, alter Aquileiæ veteris. Qua de re sic idem Paulus [b]. *His diebus, defuncto Severo Patriarchâ, ordinatur Johannes Abbas Patriarcha in Aquileia vetere, cum consensu Regis & Gisulfi Ducis. In Grado quoque ordinatus est Romanis Candidianus Antistes. Candidiano quoque defuncto, apud Gradum ordinatur Patriarcha Epiphanius, qui fuerat primicerius Notariorum, ab Episcopis, qui erant sub Romanis, & ex illo tempore cæperunt duo esse Patriarchæ.* Hæc peracta sunt Agilulpho Longobardorum Rege & Gisulfo Foro-Juliensi Duce. Aquileiensi Patriarchæ paruerunt Episcopi, qui cùm in continenti Venetia, quæ Longobardorum erat, tum in vicinis aliquot civitatibus infrà nominandis sedebant. Gradensi verò Patriarchæ subjacuerunt Episcopi, quorum Sedes in æstuariis atque in Istria tunc Imperatori Græcorum subjecta. Aquileienses Patriarchæ, quia sibi timebant à Græcorum incursionibus, apud oppidum, cui nomen Cormones, inter Forum-Julii & Gradiscam morati sunt, donec Calistus Foro-Juliensem civitatem adivit, Luitprando tum Rege. Totum negotium idem Auctor sic describit [c]. *Gravis sanè per idem tempus inter Pemmonem Ducem* Forojuliensem *& Calistum Patriarcham* Aquileiensem *discordiæ rixa surrexit. Causa autem hujus discordiæ ista fuit. Adveniens anteriore tempore Fidentius Episcopus de Castro-Juliensi cum voluntate superiorum Ducum intra Foro-Juliani Castri muros habitavit, ibíque sui Episcopatûs Sedem statuit. Quo vitâ decedente, Amator in ejus loco ordinatus est. Usque ad eundem enim diem superiores Patriarchæ, quia in Aquileia propter Romanorum incursionem habitare minimè poterant, Sedem non in Foro-Julii, sed in Cormones * habebant. Quod Calisto, qui erat nobilitate conspicuus, satis displicuit, ut in ejus Diœcesi, cum Duce & Longobardis habitaret Episcopus, & ipse tantùm vulgo sociatus vitam duceret. Quid plura? Contra eundem Amatorem Episcopum egit, eúmque de Foro-Julii expulit, atque in illius domo sibi habitationem statuit.* Atque hæc ad distinguendas Metropoles, Forum-Julii videlicet & Gradum, dicta sufficiant.

XCVII. Quæ regnante apud Longobardos Agilulpho facta fuerat Ecclesiasticarum provinciarum, Aquileiensis & Gradensis, divisio, vigebat adhuc, cùm Regnum Longobardorum à Francis extinctum est, Sede tamen Aquileiensi Forum-Julii priùs translatâ, & Græcis per Longobardos deinde Longobardis per Græcos ex Istria penitus summotis. Longobardi [d],

[a] Cap. 8. antiq. edit. c. 10. novæ edit.

[b] Lib. 4. c. 10. antiq. edit. c. 34. novæ edit.

[c] Lib. 6. c. 24. antiq. edit. c. 51. novæ edit.

* Cormons.

[d] Ughell. Tom. 5. in Patriarch. Gradens.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6. postquàm veterem Venetiam penè totam subegerunt, eam per tres Præsides administrarunt, Duce Foro-Julii, & Marchionibus Tarvisio atque Istriæ impositis. Inde factum, ut omnis propemodum Veneta regio in Ducatum Fori-Julii & Marchias Tarvisii atque Istriæ concesserit, Venetiæ finibus, qui latissimè à Pado & Adriatico littore ad amnem Athesim atque ad Alpes anteà porrigebantur, redactis ad oram littoralem Insulásque in lacunis & æstuariis maris positas, quò nobilissimi quique ac primarii cives antiquæ Venetiæ profugerant. Ea regio sejungebatur à Marchia Tarvisina, vocabatúrque marina Venetia jam à temporibus Longobardorum. Istria, ut observatum suprà, stante adhuc Longobardorum Regno rediit ad Græcos. Deletis Longobardis, Franci potiti sunt Foro-Julii & Tarvisio, marina verò Venetia liberi juris permansit. Sub Patriarchatu Foro-Juliensi fuerunt Ducatus Foro-Juliensis & Marchia Tarvisina, cum vicinis aliquot Episcopatibus, Veronensi, Comensi & Tridentino. Sub Patriarchatu Gradensi fuerunt Istria & marina Venetia.

XCVIII. ET IN FORO-JULIENSI. Ad provinciam igitur Forojuliensem, cùm à Longobardis ad Francos transiit, in Ducatu Forojuliensi præter Forum-Julii Metropolim pertinebat Concordia; in Marchia Tarvisina, Vicenria, Patavium, Tarvisium urbs Marchiæ primaria, Ceneta, Feltria, Bellunum; item Verona ad Athesim amnem, Comum ad lacum Larinum, & Tridentum in Alpibus.

XCIX. De Foro-Julii Metropoli sic Paulus in Gestis Longobardorum [a]. *Venetia Aquileia civitas caput extitit, pro qua nunc Forum Julii, ita dictum, quòd Julius Cæsar negotiationis forum ibi statuerat, habetur.* Calistus, ut dictum suprà, Sedem Metropolitanam seu Patriarchalem apud Forum-Julii * primus constituit. Huic proximè successit Siginaldus seu Sigualdus è Regia Longobardorum stirpe, qui superstes ad annum usque Christi septingentesimum septuagesimum-sextum vixit.

[a] Lib. 2. c. 10. antiq. edit. c. 14. novæ edit.
* Frioul.

C. Concordia * magnum à Longobardis excidium passa est. Tunc Joannes Episcopus Sedem suam Caprulas transtulit. Inde factum lapsu temporis, ut ex Episcopatu Concordiensi duo fierent, Concordiensis in Regno Longobardorum sub Metropolita Forojuliensi, Caprulensis in marina Venetia sub Gradensi Metropolita. Ætate Caroli Magni suus utrique Diœcesi præerat Episcopus. At manci sunt per illud tempus ambarum Ecclesiarum Catalogi.

* Concordia.

CI. Mutilus & per octavum seculum Index Vicentinorum * Episcoporum, toto enim illo seculo nihil occurrit præter Petri nomen quod ad annum Christi septingentesimum primum legitur.

* de Vicence.

CII. Patavium in cineres ab Agilulfo Rege Longobardorum redactum est anno Christi sexcentesimo primo, cives Rivaltum, ubi hodie Venetiæ, & Ravennam commigrarunt, & Episcopalis Sedes Metamaucum traducta est, Felice tunc Episcopo. Metamauci quoque sedit Audacius Felicis successor, tum Tricidius, qui Patavium * rediit. Hæc civitas antiquum splendorem sub Carolo Magno aliisque Francorum Regibus recuperavit. Cùm Carolus de Longobardis triumphavit, Patavinus Episcopus erat Josephus, qui Sedem ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum-sextum tenuit. Interim apud Metamaucum marinæ Venetiæ oppidum mansit Sedes Episcopalis sub Gradensi Patriarcha, Diœcesisque Patavina deinceps in Patavinam & Metamaucensem distincta perseveravit.

* Padouë.

CIII. Tarvisio * præfuit Fortunatus Episcopus regnante Carolo Magno, sed ut annus, quo Pontificatum suscepit, sic & annus, quo vitam clausit, nos fugit.

* de Trevigi.

CIV. Ceneta * non semel diruta fuit. Opitergium Sedes Episcopalis aliquando translata. Cenetensis Episcopus ponitur Valentinus anno Christi septingentesimo undequadragesimo, &, si fides est Ughello [b], vixit ad

* Cenéda.
[b] Tom. 5. in Episc. Cenet.

tempora usque Caroli Magni, atque ab eo confirmationem omnium bo- AN. CH.
norum ac jurium Ecclesiæ suæ accepit. At hæc assertio non videtur satis
tuta, quia Valentini nomen in Præcepto Regio non exprimitur, & ipsum 774.
Præceptum datum dicitur pridie Kalendas Aprilis, anno vicesimo-sexto CAROLI
Caroli. R. 6.

Endrigettus Feltrensis * Episcopus à Carolo Magno multa pro sua Ec- CV.
clesia tetulit Diplomata. Memoratur ab anno Christi septingentesimo unde- * *de Feltro.*
septuagesimo ad annum Christi septingentesimum octogesimum-primum,
ut ex Pilono refert idem Ughellus [a]. [a] Tom. 5. in Episc. Feltr.

Bellunum * evertit Rotharis Rex Longobardorum, munificentissimè
reparavit Carolus Magnus, cujus ætate floruit Ayroldus Bellunensis Epi- CVI.
scopus, ut ad annum Christi septingentesimum octogesimum-primum * *Belluno.*
dicturi sumus.

Anno sub Longobardis primùm, deinde sub Francis Episcopatum Ve- CVII.
ronensem * gessit, obiitque anno Christi circiter octogesimo supra septin- * *de Verone.*
gentesimum. Tunc insignia celebrabantur Monasteria; unum Sancti Ze-
nonis, florente Longobardorum Regno, conditum; alterum Sanctæ Mariæ
ad Organum, cui Luitprandus Rex Longobardorum, Carolus Magnus
Francorum Rex, aliique multa bona concesserunt.

Adelengus Comensium * Episcoporum è Longobardica gente postre- CVIII.
mus Pontificatum iniit anno Christi septingentesimo septuagesimo, Regnúm- * *de Come.*
que Longobardorum ad Carolum Magnum Francósque translatum vidit.

In Tridentinorum Episcoporum Catalogo ponuntur *Verecundus an. 603.* CIX.
& *Hildegarius anno 902.* At hic malè, expuncto enim anno 902, restituen-
dus est annus 802, quia post eundem Hildegarium sequuntur, *Daniel,
Henpertus*, tum *Holdescalcus* sive *Hydelscalcus*, qui sedebat anno 855. Inter
Verecundum autem & Hildegarium intermedii recensentur septemdecim
absque ullo Charactere Chronologico; septimo seculo novem commodè
possunt attribui, Verecundus, Manasses, Vitalis, Stabilissianus, Domini-
cus sive Dumpruccus, Rusticus, Romanus, alter Vitalis, & Correntia-
nus; octavo totidem, Siletio, Joannes, Maximinus, Manmonus sive Ma-
mo, Marianus, Dominator, Ursus, Clementianus, & Amator, cui suc-
cessit Hildegarius anno secundo noni seculi. Ex hac partitione colligi-
mus Ursum Episcopum Tridentinum fuisse, cùm Tridentum * à Longo- * *Trente.*
bardis ad Francos transiit.

Ad provinciam Gradensem, præter Gradum Metropolim in marina CX.
Venetia sitam, cùm Franci Regnum Longobardorum extinxerunt, perti- AN ETIAM
nebant in eadem marina Venetia, Torcellum, Heraclea, Metamaucum, IN GRA-
Equilium, & Caprulæ; in Istria, Tergestum, Justinopolis, Æmonia, Pa- DENSI?
rentium, Petinum, & Pola. Marinæ Venetiæ Istriæque civitates ad An-
nales nostros haud spectant hoc loco, quia, cùm extra Longobardorum
Regnum essent, eo deleto, in Francorum potestatem non venerunt. Li-
beri juris erat marina Venetia, Græcorum Imperatori parebat Istria. Lege
epistolam quinquagesimam-septimam Codicis Carolini, ex ea disces
Istriam, extincto à Francis Longobardorum Regno, sub potestate Græ-
corum adhuc fuisse. Post aliquot annos Francicis ditionibus accessit hæc
eadem regio, ut literæ docent ad Hispaniarum Episcopos adversùs Eli-
pandum Toletanæ Sedis Archiepiscopum anno Christi septingentesimo
nonagesimo-quarto scriptæ ab Episcopis Istriæ, corruptè *Austriæ*, qui
Concilio Francofurtensi tunc intererant. Atque hæc sufficiant de statu
Ecclesiastico ditionum, quæ post deletum Longobardorum Regnum in
potestate Francorum permanserunt copiosissimam nobis materiam infrà
suppeditaturæ.

Carolus ut Francorum sic & Longobardorum, sive ut in Francia sic & CXI.
in Italia Regem deinceps se dixit. Apud Philippum Labbeum Elogio

I iij

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

Histotieo Caroli Magni subjiciuntut variorum Diplomatum Characteres Chronologiei, quorum eollatio palàm ostendit veteribus Caroli Titulis Regnum Longobatdiæ quinto Nonas Maii nondum additum, additum autem ante Idus Junii. Nee ab boc ealculo recedit Carolus Pingonius in Augusta Taurinorum, ubi Desiderium in potestatem Caroli *mense Maio* venisse scribit. Ad nostros igitur Annales spectant duo Aragisi Ducis Beneventani Diplomata, quæ pro Sanctæ Sophiæ Monasterio data sunt hoc anno, mense Novembri, Indictione decimâ-tertiâ jam inchoàtâ, & anno supradicti Ducis decimo-septimo tum currente.

CXII. Aragisus sive Arichis Dux Beneventanus in primo Diplomate sic loquitur. *Divinâ præmonitus manu, offero Ecclesiæ Sanctæ Sophiæ, quam à fundamentis ædificavi, pro redemptione æternæ vitæ, seu pro salvatione gentis & nostræ patriæ, oblationes omnes tam vivorum quàm etiam mortuorum, quæ in eodem Monasterio à quocunque hominum genere data seu oblatæ fuerunt, seu omnes homines illos, qui tanquam res suas fideliter Monasterio offerunt, hæc omnia Monasterio Sanctæ Sophiæ concessimus possidenda.* In altero, sic. *Ego, qui fragilis creatura sum, Arichis eximius Princeps, caducæ vitæ casus percurrens, & perennis immortalitatis opes adipisci cupiens, credo equidem, nec vanâ spe divinitus inspiratus conseeravi aulam tuæ Sanctæ Sophiæ nomine, qui es vera Domini Sapientia, Christe; in qua etiam Xenodochium puellarum extruens, obtuli ex tuis donis atque datis, in primis Ecclesiam Sancti Benedicti, loco, qui vocatur Xenodochium, quod positum est juxta ipsum Monasterium cum omnibus sibi pertinentibus. Hoc etiam statuimus, ut præpositus jam dicti Sanctæ Sophiæ Monasterii ibi sedeat, ibíque sit porta ad hospites suscipiendos, pro quo & addimus ut decima omnium frugum ibi annualiter ex Monasterio detur ad stipendium peregrinorum, &, sicut ab antiquis Rectoribus prædicta Sancti Benedicti Ecclesia possessa fuit, amodò, & deinceps Sanctæ Sophiæ Monasterii potestati subjaceat. Sed & Ecclesiam Sancti Petri Principis Apostolorum, quæ ædificata est in Galo largiti sumus in territorium Monasterio Sanctæ Sophiæ, à fine venatoris per serra usque in Strasfilum inter duo tora, & per Carbonarium de Osculo usque in finem de novo Frontino; de alia verò parte primùm per viam publicam usque ad fluvium Calabium, deinde usque in terminum, qui dicitur à Latre. Ea concessi equidem Sanctæ Sophiæ Monasterio. Porrò Casæ numero hæ sunt. Casa, quæ regitur per Manrissionem, cum uxore & filiis sibi pertinentibus; Casa, quæ regitur per Francoaldum, cum uxore & filiis sibi pertinentibus; Casa, quæ regitur per Anselmum, cum uxore & filiis & omnibus sibi pertinentibus; Casa, quæ regitur per Ferrandum, cum germanis & uxoribus & filiis & omnibus eorum. Casa, quæ regitur per Sealconem, cum uxore & filiis suis & omnibus sibi pertinentibus; Casa, quæ regitur per Vimulum, cum uxore & filiis & omnibus sibi pertinentibus. Hi omnes cum mobilibus atque immobilibus & pascuis & omnibus sibi pertinentibus,* &c. Longissimum est hoc Diploma, frustráque totum hìc à nobis deseriberetur. Integrum cum præcedente per otium legere poteris apud Ughellum [a]. Utriusque subseriptio talis est. *Actum Beneventi in felicissimo Palatio, anno decimo-septimo, mense Novembri, Indictione 13. feliciter.* Observat idem Auctor Aragisum Beneventanis Ducem impositum fuisse mense Februario, anno Christi septingentesimo duodesexagesimo.

[a] Tom. 8. in Episc. Benevent. 39.

CXIII. AN CAROLUS JUS ELIGENDI ROMANUM PONTIFICEM ACCEPIT AB HADRIANO PP.

In vulgatis exemplaribus Sigeberti Gemblacensis ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-tertium hæc leguntur. *Adrianus Papa ad tuendas res Ecclesiæ Carolum Romam accersit. Quò pergens Papiam obsidet, ibíque relicto exercitu Romam pervenit, Sanctam Resurrectionem ibi peregit, posteà rediens Papiam cepit. Iterúmque Romam rediit, Synodum constituit cum Adriano Papa, aliísque 153 religiosis Episcopis & Abbatibus, in qua Adrianus Papa cum universali Synodo dedit ei jus eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem, dignitatem quoque Principatus; insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit, & ut,*

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

nisi à Rege laudetur & investiatur, Episcopus à nemine consecretur; omnésque huic decreto rebelles anathematizavit, &, nisi resipiscerent, bona eorum publicari. Deinde hæc ad annum Christi septingentesimum septuagesimumquartum *Obsidionem Papiensium pestilentiâ mortalitatis aggravante, civitas Regi Carolo aperitur. Desiderius Rex cum uxore, & filia, & cunctis Principibus capitur.* Hanc narrationem primæ [a] parti Decreti Gratianus inseruit, adhibitâ quadam castigatione, ne, contra veterum Auctorum fidem, Papia bis à Carolo capta censeatur. *Hadrianus Papa Romam venire Carolum Regem ad defendendas res Ecclesiæ postulavit. Carolus verò Romam veniens Papiam obsedit, ibíque relicto exercitu in sancta Resurrectione ab Hadriano Papa Romæ honorificè susceptus est, post sanctam verò Resurrectionem reversus Papiam cepit Desiderium Regem. Deinde Romam reversus constituit ibi Synodum cum Hadriano Papa in Patriarchio Lateranensi in Ecclesia Sancti Salvatoris; quæ Synodus celebrata est à* CLIII. *Episcopis religiosis & Abbatibus. Hadrianus autem Papa cum universa Synodo tradiderunt Carolo jus & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem; dignitatem quoque Patriciatûs ei concesserunt. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere diffinivit, & ut, nisi à Rege laudetur & investiatur, Episcopus à nemine consecretur, & quicumque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit, &, nisi resipisceret, bona ejus publicari præcepit.* Sequitur apud Gratianum [b] ejusdem rei confirmatio per Leonem Papam, sic. *In Synodo congregata Romæ in Ecclesia S. Salvatoris, ad exemplum B. Hadriani Apostolicæ Sedis Antistitis, qui Domino Carolo victoriosissimo Regi Francorum & Longobardorum, Patriciatûs dignitatem, ac ordinationem Apostolicæ Sedis, & investituram Episcoporum concessit, ego quoque Leo Episcopus servus servorum Dei cum toto Clero ac Romano populo constituimus, & confirmamus, & corroboramus, & per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus, atque largimur Domino Othoni Primo Regi Teutonicorum, ejúsque successoribus hujus Regni Italiæ, in perpetuum facultatem eligendi successorem, atque summæ Sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiscopos seu Episcopos, ut ipsi ab eo investituram accipiant*, &c. Non desunt, qui citent & Anastasium in Hadriano, tanquam Auctorem primarium, ipsóque Sigeberto longè vetustiorem. At ipsius Anastasii textum, quantuscúmque est de Carolo Rege, descripsimus suprà, nec ullum in eo verbum deprehendimus ad confirmandam Synodum, quam vulgatus Sigebertus & Gratianus tantoperè prædicant.

[a] Dist. 63. c. 22.

[b] Dist. 63. c. 23.

CXIV. Veritatem, ut Scriptores decet, quantâ possumus indagatione quærimus; à mendacio, sive ad adulationem, sive ad calumniam excogitatum videtur, toto abhorremus animo. Donationes, quas Apostolicæ Sedi Reges Francorum faciunt, suis exhibemus circumscriptas limitibus, nec ulteriùs, quàm probationes indubitatæ poscunt, eas dilatamus. Mutuam Romanorum Pontificum erga Francorum Reges amicitiam, singularémque prorsus ac multis probatam testimoniis commendamus gratitudinem, absit tamen, ut Carolo concessum existimemus jus eligendi Pontificem, laudemúsque cetera, quæ de Synodo Romana è Sigeberto Gratianóque suprà citatis circumferuntur.

CXV. Primò, Sigebertus, si scripsit ea, de quibus hîc quæstio est, id certè post annos trecentos duodequadraginta, nempe anno Christi millesimo centesimo duodecimo, præstitit, nullo penitus antiquioris ævi Auctore conscio, ne ipsis quidem, qui vel vitam Caroli Magni conscripserunt, vel per annos singulos res ab eo gestas, omnésque habitos Conventus quamdiligentissimè scriptis commendarunt. Atque inde non leve ducitur argumentum, ut jure credas hanc imposturam eo tempore adornatam esse in gratiam Henrici Quarti Imperatoris Schismatici, cujus & partes totis viribus Sigebertus fovit.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

CXVI. Secundò, quæ de Romana Synodo déque altero Caroli in Urbem adventu leguntur in vulgatis exemplaribus Sigeberti, nequaquam à Sigeberto scripta sunt. Ad annum enim Christi septingentesimum septuagesimum-tertium in genuino Sigeberto, quem Aubertus Miræus è Codice Gemblacensi publicavit, hæc tantùm leguntur. *Adriano Papâ contra Desiderium Regem conquerente de multis injustitiis, Karolus Italiam petit, & Desiderium intra Papiam clausum obsidet.*

CXVII. Tertiò, nullus ex antiquis Scriptoribus Papiam bis intra biennium à Carolo captam prodit. In vulgata autem Sigeberti Chronographia, deditio Papiæ, & Synodus Romana, de qua nunc inquirimus, ponuntur anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio, deinde ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum, quo Papia verè deditionem fecit, leguntur ista scriptis Auctorum Carolo synchronorum consentanea. *Obsidionem Papiensium pestilentiâ mortis aggravante, civitas Regi Carolo aperitur.*

CXVIII. Quartò, *Principatûs* dignitatem, cujus mentio fit in vulgato Sigeberto, Gratianus locis citatis dignitatem *Patriciatûs* interpretatur, eámque Carolo in Romana Synodo concessam tradit. At Interpolator Sigeberti & Gratianus observare debuerunt ante tempora Hadriani Papæ Carolum unà cum Pippino patre & Carolomanno fratre Patricium Romanorum à Stephano Tertio appellatum.

CXIX. Quintò, ambo hi Scriptores institutionem Episcoporum vocant Investituram. Sed Investituræ nomen in ea significatione apud Auctorem illius ævi non reperitur.

CXX. Sextò, iidem Scriptores non satis advertunt quantùm temporis intercessisset, ut Carolus Româ post pascha rediret ad castra, Papiam obsessam ad deditionem compelleret, Ticino Romam denuò se conferret, Synodo interesset centum quinquaginta-trium Episcoporum hinc inde etiam ex locis valdè dissitis evocatorum, peractâ Synodo Papiam reverteretur, atque inde hoc ipso anno Spiram adiret, & Laureshamensis Ecclesiæ Dedicationi præsens interesset postridie Idus Augustas sive in capite Kalendarum Septembrium.

CXXI. Septimò, non valet quorumdam recentiorum ratiocinatio, qui Pontificis legendi jus ad seditiones & dissidia Romanorum tollenda Carolo concessum dicunt, quoniam hujusmodi contentiones, vetere labente disciplinâ, atque amplissimi in terris honoris furente cupiditate, comitia Pontificia recenti Constantini exemplo cum maxima omnium Christianorum offensione corruperant, cùm nemo Romæ satis auctoritatis aut opum ad seditiones tumultúsque coercendos haberet. Huic opinioni praxis & leges aliorum post Carolum Imperatorum manifestissimè repugnant. Quapropter Sigonius [a] ait Carolum, eximiâ moderatione animi usum, Romanis jus legendi Pontificis remisisse, atque ut antiquâ ratione comitia per Clerum ac populum, modò sine tumultu ambitúque, haberent, ultrò assensisse. Alii scribunt quæ Carolo concessa fuerant ab Hadriano, posteà fuisse revocata. Adeò vexat eorum ingenia mendacium, quod longè post Caroli Magni tempora fuit à Schismaticis inventum. Illa de re sermo non semel recurret. Hæc autem sufficiant, ut Sigebertum fatearis interpolatum, reprehendásque Gratianum, *quòd*, ut Bellarminus [b] jam questus est, *non habuit delectum Auctorum, ex quibus decreta collegit.*

[a] Lib. 4. sub init.

[b] De Script. Eccles. ad an. 1145.

CXXII. ORDINATIS ITALIÆ REBUS IN GALLIAM REDIT. Carolus audito, quòd Saxones contiguos sibi Hassorum terminos igni ferróque devastarent, ubi primùm licuit, firmatâ præsidio Papiâ rebúsque Italiæ ordinatis in Galliam cum Hildegarde Regina rediit. *Rex Carolus*, inquit Annalista Bertinianus, *ipsâ Italiâ sibi subjugatâ, & ordinatâ custodiâ Francorum in Papia civitate, dimittens eum uxore & reliquis Francis, Deo adjuvante, cum magno triumpho in Franciam reversus est.*

Adheleis

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

CXXIII. AMITTIT FILIAM ADHELEIDEM.

Adheleis Caroli filia, quia ætate erat tenerrimâ vix aliquot mensium, relicta est Papiæ, qua ex civitate cùm in Galliam deferretur, trans Rhodanum obiit adhuc pusilla procul à conspectu parentum, ut docet ejus epitaphium à Paulo Diacono [a] jussu Caroli pòst conditum his versibus.

Hoc tumulata jacet pusilla puellula busto,
Adeleid amne sacro qua vocitata fuit.
Huic sator est Karolus, gemina diademate pollens,
Nobilis ingenio, fortis ad arma satis.
Sumpserat hac ortum prope mœnia celsa Papia,
Cùm caperet genitor Itala Regna petens.
Sed Rhodanum properans rapta de lumine vita,
Idcáque sunt matris corda dolore procul.
Excessit patrios non conspectura triumphos,
Nunc Patris æterni Regna beata tenet.

[a] Lib. de Episc. Met.

CXXIV. INTEREST DEDICATIONI LAURESHAMENSIS ECCLESIÆ.

Carolus ab Italia regressus, ut audaciam Saxonum retunderet, Ingelhaimii substitit, & quia locus ille non procul à Monasterio Laureshamensi distabat, eò profectus est, ut Ecclesiæ Dedicationi præsens interesset, ad hunc enim annum Annalista Laureshamensis ita scribit. *Karolus ab Italia regrediens, Dedicationem Ecclesiæ Sancti Nazarii Martyris, & Translationem corporis ipsius in Monasterio nostro Lauresheym celebravit, anno Incarnationis Domini* DCCLXXIV. *Cal. Sept.* sive, ut Auctor Chronici Laureshamensis loquitur, *in capite Kalendarum Septembrium*, hoc est, postridie Idus Augustas, cui diei præfigitur in Kalendario litera B, quâ dies Dominicus per annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum præditus fuit. At occurrunt duo in eodem Chronico corrigenda. Primum est, quòd rem illam gestam memorat post triennium anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo septuagesimo-septimo. Alterum est, quòd præsentem adfuisse tradit Hildegardem Reginam cum filiis, Carolo, Pippino & Ludovico. Primus error ex eo manavit, quòd Auctor istius Chronici, cùm legisset Dedicationem, de qua nunc disserimus, celebratam fuisse anno Caroli Regis sexto, annum illum perperam interpretatus est ab obitu Carolomanni fratris, ex quo Carolus Monarcha factus universæ Franciæ Regnum obtinuerat, & tali innixus calculo sextum annum Caroli Monarchæ cum anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo conjunxit. Nam si sextum Caroli Regis annum, ut debuit, post Pippini patris obitum explicuisset, prædictam Dedicationem rectè nobiscum retulisset ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum, qui sextus ab obitu Pippini Regis numeratur. Alter error priore longè crassior nullam excusationem admittit, neque enim anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo natus erat adbuc Carolo Regi filius nomine Ludovicus.

CXXV.

Textus Chronici talis est. *Anno Dominica Incarnationis* DCCLXXVII, *sed à fundatione sive exordio Laureshamensis Monasterii anno* XIII, *Regni verò Karoli (ex quo defuncto fratre suo Karolomanno Monarchia ad eum transiit) anno* VI, *Gundelandus Abbas perfectâ jam Templi fabricâ, &, ut domum Dei decebat, omni specie decoris exornatâ, apud Spiream civitatem Regi occurrit, magnoperè deprecans, ut ipsius Ecclesia consecrationi præsens interesse dignaretur. Cui pius Rex benignè assentiens cum Regina Hildigarda, filiisque Karolo, Pippino, Ludwico, ac plurimis Regni Pincipibus*, &c. At restituendus annus Dominicæ Incarnationis septingentesimus septuagesimus-quartus; item annus fundationis undecimus, quia Monasterium anno Pippini Regis duodecimo, sive anno Christi septingentesimo sexagesimo-tertio cœptum est; delenda quoque hæc parenthesis, *ex qua defuncto fratre suo Karolomanno Monarchia ad eum transiit*; item nomina filiorum Caroli & Ludovici, quia nondum erant hi nati. Præmissis quatuor hisce castigationibus, textum

AN. CH. 774. CAROLI R. 6. nunc emendatum accipe. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCLXXIV, *sed à fundatione sive exordio Laureshamensis Monasterii anno* XI, *Regni verò Karoli anno* VI, *Gundelandus Abbas perfectâ jam Templi fabricâ, &, ut domum Dei decebat, omni specie decoris exornatâ, apud Spiream civitatem Regi occurrit, magnoperè deprecans, ut ipsius Ecclesiæ consecrationi præsens interesse dignaretur. Cui Pius Rex benignè assentiens cum Regina Hildegarda, filióque Pippino, ac plurimis Regni Principibus, per Lullum Magontinæ Sedis Archiepiscopum & Beati Bonifacii Episcopi & Martyris successorem, atque per Episcopos Megingozum, Wiomudum, Angitrammum, Waldricum, magnifico apparatu & summâ venerationa, in capite Kalendarum Septembrium, Dedicationem ejusdem Ecclesiæ celebravit, corpúsque beati Martyris Nazarii Domini & Patroni nostri in eam maximo devotionis honore transtulit.* Tunc Ecclesiæ Trevirensi præerat Wiomudus seu Weomadus, Angilramnus sive Angelramnus vel Angilranus Metensi, Lausannensi Waldricus sive Udalricus Hildegardis Reginæ frater, Megingozus verò seu Megingaudus ante annos quinque Wirceburgensem Episcopatum abdicarat, cùm illum ab anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-nonum per annos quindecim strenuè gubernasset.

CXXVI. MUNIFICUM SE PRÆBET ERGA IDEM MON. Idem Auctor hæc de Regia Caroli munificentia proximè subjungit. *Excellentissimus Rex inter cetera liberalitatis suæ dona, quæ velut alter Salomon in simplicitate cordis sui Domino lætus obtulit, villam Obbenheim sitam in pago Wormaciense super fluvium Rhenum, cum omni integritate, Laureshamensi Monasterio tradidit, per quam, eandem Ecclesiam in die consecrationis largissimè dotavit. Tantæ munificentiæ suæ beneficiis adjecit Clementissimus Rex piscationis concessionem in Rheno flumine in loco cognominato Godenowa, infra finem Hostat, ut Abbas & fratres licentiam haberent ad vinnam*, sive evertriculum, *faciendum, & ad piscandum, pro opportunitate Ecclesiæ & stipendio ipsorum fratrum, & ut de sylva, quæ ad illam villam aspicit, cùm fructuosa nullatenus esse videretur, vinnam faciendi vel emendandi haberent potestatem, in quantum eis opus esset prendere vel copulare. Item ut in alia marca, quæ ad Virnheim pertinet de pago Lobodense, usque ad fluvium Wisgoz, viam integram ad carracandum sive itinerandum habere debeant, & super ipsum fluvium contra ipsum viam faciendum, tam super fluvium Wisgoz, quàm & super alios lacus. Cetera quoque multimodis Monasterii utilitatibus opportuna concessit.*

CXXVII. ANNALIUM LAURESHAMENSIUM AUTHOR EGINHARDUS? Annales, quos hactenus Laureshamenses appellavimus, sæpiùs excusi sunt ac diversis Auctoribus attributi. Qui primus illos in lucem dedit Hermannus Comes Nuenarius, de Scriptoris nomine nihil habuit certi, sed ab Ordinis Benedictini Monacho collectos suspicatus est. Hunc Monachum Freherus Adelmum, Ademarum alii vocarunt. Justus Reuberus astronomum quendam Carolo Magno & Ludovico Pio familiarem, novissimè Andreas Duchesnius [b] Eginhardum, qui vitam Caroli Magni conscripsit. Miramur postremam hanc opinionem à viris eruditis ut probatissimam hodie recipi. Sunt enim multa, quæ contrarium docent.

[b] Tom. 2. Collect. Hist. Franc.

CXXVIII. Ait Duchesnius stylum Annalium, de quorum Auctore disputamus, vitæ Caroli Magni *tam genuinè* convenire, *ut utrumque librum ab uno & eodem Auctore, scilicet Eginhardo, fuisse conscriptum, quivis possit agnoscere.* Illius rei, de qua non convenimus, judicium penes Lectorem esto. Utrumque opus aliunde diversissimorum virorum fœtum pugnantes inter se demonstrant sententiæ.

CXXIX. Apud Eginhardum Childericus Rex *jussu Stephani Romani Pontificis* deponitur; Pippinus *ex Præfecto Palatii* Rex constituitur, & postquàm *per annos* XV *aut eo ampliùs* solus Francis imperavit, diem obit. In Annalibus ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum hæc leguntur. *Hoc anno, secundùm Romani Pontificis sanctionem*, id est, secundùm sanctionem Zachariæ Papæ, de quo sermonem Auctor ad annum præcedentem proxi-

mè fecit, *Pipinus Rex Francorum appellatus est.* Et ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-octavum ista. *Rex Pippinus cùm ad Parisios venisset,* VIII *Cal. Octob. diem obiit.* Errant Eginhardus & Annalista, cùm Childericum jussu sen sanctione Romani Pontificis depositum scribunt, sed nec inter se conveniunt de tempore, cùm Eginhardus id jussu Stephani, Annalista sanctione Zachariæ factum contendat, atque inde Pippino Regi quindecim duntaxat annos completos tribuit Eginhardus; octodecim Annalista, quos ab anno Christi septingentesimo quinquagesimo ad annum Christi septingentesimum duodeseptuagesimum numerat. AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

Eginhardus *de Caroli nativitate, atque infantia, vel etiam pueritia, quia neque scriptis unquam aliquid declaratum est, nec quisquam modò superesse invenitur, qui horum se dicat habere notitiam, scribere ineptum* judicat, ideóque suam de Carolo narrationem orditur à bello, quod anno post Pippini patris obitum proximo feliciter in Aquitania gessit. Annalista autem ab anno Christi septingentesimo quadragesimo-primo, quo Carolus Major-domûs, Caroli Magni avus extinctus est, initium operis sui repetit; res à morte Caroli Majoris-domûs, ad interitum usque Pippini filii confectas per annos septem ac viginti digerit; atque ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quartum mentionem Caroli, imò & Carolomanni fratris sic facit. *Stephanus Papa ipsum*, nempe Pippinum, *sacrâ unctione ad Regiæ dignitatis honorem consecravit, & cum eo duos filios ejus, Karolum & Carolomannum.* Item, post triennium sic. DCCLVII. *Tassilo Dux Bojoariarum cum primoribus gentis suæ venit, & more Francico in manus Regis in vassatieum manibus suis semetipsum commendavit, fidelitatémque tam ipsi Regi Pipino, quàm filiis ejus Karolo & Karolomanno jurejurando super corpus Sancti Dionysii promisit.* CXXX.

Apud Eginhardum, *Karlomannus post administratum communiter*, id est, cum Carolo fratre, *biennio Regnum* morbo decedit. Apud Annalistam Pippino patri Carolus & Carolomannus in Regnum anno Christi septingentesimo sexagesimo-octavo succedunt, & Carolomannus anno Christi septingentesimo-septuagesimo-primo, *pridie Non. Decemb.* moritur. Ergo non biennio tantùm sed integro triennio post patrem simul regnarunt Carolus & Carolomannus fratres. CXXXI.

Si fides est Eginhardo, bellum Saxonicum *biennio ante Italicum* seu Longobardicum *sumpsit exordium.* At ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-secundum Annalista sic scribit. DCCLXXII. *Rex Karolus congregato apud Wormaciam generali Conventu, Saxoniam bello aggredi statuit, eámque sine mora ingressus ferro & igne cuncta depopulatus, Eresburgum Castrum cepit*, &c. Et ad annum proximè sequentem, sic. DCCLXXIII. *Adrianus Papa cùm insolentiam Desiderii Regis & Langobardorum ferre non posset, decrevit Legationem ad Karolum Regem Francorum mittere, eúmque, ut sibi atque Romanis adversùs Langobardos opem ferret, rogare. Rex rebus, quæ inter Romanos ac Langobardos gerebantur, diligenti curâ pertractatis, bellum sibi contra Langobardos pro defensione Romanorum suscipiendum ratus, cum toto Francorum exercitu Gebennam Burgundiæ civitatem juxta Rhodanum sitam venit. Ibíque de bello suscipiendo deliberans, copias, quas secum adduxerat, divisit, & unam partem cum Bernharto patruo suo per montem Jovis ire jussit, alteram ipse ducens per montem Cinisum Italiam contendit. Superatáque Alpium jugo, Desiderium Regem frustrà sibi resistere conantem citra congressum fugavit, Ticinóque inclusum obsedit.* Ergo inter initia utriusque belli, Saxonici videlicet & Longobardici, biennium non intercessit. CXXXII.

In aliis plerisque narrationibus Eginhardus & Annalista invicem differunt. Exempla proferemus, ut inferiùs occurrent, hoc autem loco sufficiant, quæ superiùs allata sunt, quoniam ad hunc annum Annalista se Monasterii Laureshamensis alumnum sic prædicat. *Karolus ab Italia regrediens, Dedicationem Ecclesiæ Sancti Nazarii Martyris, & Translationem corporis ipsius in* CXXXIII.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

Monasterio nostro Lauresheym celebravit anno Incarnationis Domini DCCLXXIV. Duchesnius, ut textûs adeò clari vim omnem eludat, ad subtilè subterfugium recurrit, aitque Eginhardum in Monasterio Laureshamensi tam familiariter versatum esse, tótque beneficia in idem Cœnobium contulisse, ut optimo jure illud ideircò suum vocare potuerit. Reuberus in ejusdem textûs margine notatiunculam hanc habet. *Desunt in man. & videntur à Monacho adjecta. Nam Historia hac, non à Monacho, sed quodam Astrologia perito, qui Caroli & Ludovici ætate vixit, scripta est.* Ita censet, quia prædictis Annalibus in anno Christi octingentesimo vicesimo-nono desinentibus Appendicem ad obitum usque Ludovici Pii attexit ex ejus Actibus ab Auctore conscriptis, qui se professione Astronomum & in ipsius Imperatoris Palatio versatum testatur.

CXXXIV. Annalista, de quo loquimur, alterius se vetustioris, qui vulgò plebeius & Loiselianus appellatur, atque in anno Christi octingentesimo decimo-tertio desinit, exegetes meritò dici potest. Illum enim, ut Regino à se quoque factum testatur [a], ab anno Christi septingentesimo quadragesimo-primo ad annum Christi octingentesimum decimum-tertium elegantiore stylo adornavit, paucis adjectis, quæ aliunde didicit. Utriusque mirus est adversus Eginhardum consensus.

[a] Ad an. 814.

CXXXV. Uterque Annalista Pippinum anno Christi septingentesimo quinquagesimo Regem constitutum scribit Zachariâ tum Papâ. Plebeius seu Loiselianus sic. DCCXLIX: *Burgardus Wirzeburgensis Episcopus & Folradus Capellanus missi fuerunt ad Zachariam Papam interrogando de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes Regalem potestatem, si benè fuisset, an non. Et Zacharias Papa mandavit Pipino, ut melius esset illum Regem vocari, qui potestatem haberet, quàm illum, qui sine Regali potestate manebat, ut non conturbaretur ordo. Per auctoritatem ergo Apostolicam jussit Pipinum Regem fieri.* DCCL. *Pipinus secundùm morem Francorum electus est ad Regem, & unctus per manum sanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiscopi, & elevatus à Francis in Regno suo in Suessionis civitate. Hildericus verò, qui falsè Rex vocabatur, tonsoratus est, & in Monasterium missus.* Alter Annalista, sic. DCCXLIX. *Burchardus Wirtziburgensis Episcopus & Folradus Presbyter Capellanus missi sunt ad Zachariam Papam, ut consulerent Pontificem de causa Regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantùm Regis, sed nullam potestatem Regiam habuerunt. Per quos prædictus Pontifex mandavit meliùs esse illum Regem, apud quem summa potestatis consisteret, datâque auctoritate suâ jussit Pipinum Regem constitui.* DCCL. *Hoc anno secundùm Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est, & ad hujus dignitatem honoris unctus sacrâ unctione manu sanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiscopi & Martyris, & more Francorum elevatus in solium Regni in civitate Suessiona. Hildericus verò, qui falsò Regis nomine fungebatur, tonso capite in Monasterium missus est.* Uterque etiam Annalista Pippinum anno Christi septingentesimo sexagesimò-octavo, cùm annos octodecim integros regnasset, mortuum tradit. Eginhardus verò vult Childericum Regem, *jussu Stephani Romani Pontificis* depositum fuisse, Francísque *per annos* XV. *aut eo ampliùs* imperasse. Ceterùm ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-secundum, quo Pippinus regnare cœpit, utrumque Annalistam atque ipsum Eginhardum copiosè refutavimus. Romanum enim Pontificem, sive Zacharias, sive Stephanus tunc is esset, negavimus à Francis super Childerici Regis exauctoratione consultum fuisse, fabulosísque commentis accensuimus ea, quæ de Legatione Romam missa déque responso Papæ circumferuntur.

CXXXVI. Uterque Annalista non Caroli tantùm sed etiam Carolomanni fratris mentionem facit ad annos Christi septingentesimum quinquagesimum-quartum & septingentesimum quinquagesimum-septimum. Plebeius seu Loiselianus sic. DCCLIV. *Supradictus Apostolicus Stephanus confirmavit Pipinum*

unctione sancta in Regem, & cum eo innuxit duos filios ejus, Domnum Carolum & Carolomannum in Regibus. DCCLVII. *Misit Constantinus Imperator Regi Pipino cum aliis donis organum, quod in Franciam usque pervenit. Et Rex Pipinus tenuit placitum suum in Compendio cum Francis. Ibique Tassilo venit Dux Bajoariorum in vassatico se commendans per manus, sacramenta juravit multa & innumerabilia, Reliquiis Sanctorum Martyrum manus imponens, & fidelitatem promisit Regi Pipino & supradictis filiis ejus Domno Carolo & Carolomanno, sicut vassus rectâ mente, & firmâ devotione per justitiam vassus Domino suo esse debere. Sic confirmavit supradictus Tassilo supra corpus Sanctorum, Dionysii, Rustici & Eleutherii, necnòn & Sancti Germani, seu Sancti Martini, ut omnibus diebus vitæ suæ sic conservaret, sicut sacramentis constrictus promiserat. Sic & ejus homines majores natu, qui erant cum eo, firmaverunt, sicut dictum est, in locis superiùs nominatis, & in aliis multis.* Alter Annalista sic. *Stephanus Papa, postquàm à Rege Pipino Ecclesia Romana defensionis firmitatem accepit, ipsum sacrâ unctione ad Regiæ dignitatis honorem consecravit, & cum eo duos filios ejus, Karolum & Karolomannum.* DCCLVII. *Constantinus Imperator Pipino Regi multa misit munera, inter quæ & organa, quæ ad eum in Compendio villa pervenerunt, ubi tunc populi sui generalem Conventum habuit. Illuc & Tassilo Dux Bajoariorum cum Primoribus gentis suæ venit, & more Francico in manus Regis in vassaticum manibus suis semetipsum commendavit, fidelitatémque tam ipsi Regi Pipino, quàm filiis ejus Karolo & Karolomanno jurejurando super corpus Sancti Dionysii promisit. Sed non solùm ibi, verùm etiam super corpus Sancti Martini, & Sancti Germani, simili sacramento fidem se prædictis Dominis suis, diebus vitæ suæ, servaturum est pollicitus. Similiter omnes Primores ac majores natu Bajoarii, qui cum eo in præsentiam Regis pervenerant, fidem se Regi & filiis ejus servaturos in prædictis venerabilibus locis promiserunt.* Eginhardus autem *ineptum* judicat *scribere de Caroli nativitate, atque infantia, vel etiam pueritia, quia neque scriptis unquam aliquid declaratum est, nec,* ubi calamo manum admovet, *quisquam superesse invenitur, qui horum se dicat habere notitiam*, ideóque suam de Carolo narrationem, ut suprà notavimus, auspicatur à bello, quod anno post Pippini patris interitum proximo gessit in Aquitania.

CXXXVII. Uterque Annalista Carolomannum Regem anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo, pridie Kalendas Decembris, post annos tres integros ab obitu patris mortuum tradit. Plebeius seu Loiselianus, sic. DCCLXXI. *Tunc Domnus Carolus Rex Synodum habuit ad Valentianas. Et eodem anno Carolomannus Rex defunctus est in villa, quæ dicitur Salmonciacus, pridie Non. Dec.* Alter Annalista, sic. *Peracto secundùm morem generali Conventu super fluvium Scaldam in villa Valentiana, Rex Carolus ad hyemandum proficiscitur. Cúmque ibi aliquandiu moraretur, Karolomannus frater ejus pridie Non. Decemb. decessit in villa Salmonciaco.* Post Pippinum igitur patrem, cujus obitus anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo, mense Septembri, contigit, Carolomannus filius triennium integrum regnavit, apud Eginhardum autem *post administratum communiter* cum Carolo fratre *biennio Regnum* morbo decessisse dicitur.

CXXXVIII. Uterque Annalista initium belli Saxonici anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo, initium belli Italici seu Longobardici anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio consignat. Plebeius seu Loiselianus, sic. DCCLXXII. *Tunc Domnus Carolus mitissimus Rex Synodum tenuit ad Warmatiam, & inde perrexit partibus Saxoniæ primâ vice. Heresburgum Castrum cepit, ad Ermensul usque pervenit, & ipsum fanum destruxit, & aurum vel argentum, quod ibi repperit, abstulit. Et fuit siccitas magna, itaut aqua deficeret in supradicto loco, ubi Ermensul stabat. Et dum voluit ibi duos aut tres prædictus gloriosus Rex stare dies fanum ipsum ad perdestruendum, & aquam non haberent, tunc subitò divinâ largiente gratiâ, mediâ die cuncto exercitu quiescente, in quodam torrente omnibus hominibus ignorantibus aqua effusa sunt lar-*

AN. CH. 774. CAROLI R. 6. *gissima, itaut cunctus exercitus sufficienter haberet. Tunc super Wisoram fluvium venit suprascriptus magnus Rex, & ibi cum Saxonibus placitum habuit, & recepit obsides, & reversus est in Franciam. Et celebravit Natalem Domini in Heristallio, & Pascha similiter. Et immutavit se numerus annorum in* DCCLXXIII. *Tunc Domnus Carolus mitissimus Rex perrexit ad hyemandum in villa, qua dicitur Theodone villa. Ibique veniens Missus Domni Adriani Apostolici, nomine Petrus, per mare usque Massiliam, & inde terreno itinere ad Domnum Carolum usque perjungens, invitando scilicet supranominatum Gloriosum Regem unà cum Francis, pro Dei servitio & justitia Sancti Petri seu solatio Ecclesiæ *, super Desiderium Regem & Langobardos. Tunc Domnus ac præcelsus Carolus Rex consiliavit unà cum Francis, quid perageret. Et sumpto consilio jussit, ut sicut Missus Apostolici per verbum Domni Adriani Papæ postulavit, ita fieret. Tunc Synodum suprascriptus Rex Gloriosus tenuit generaliter cum Francis apud Jennuam civitatem, ibique exercitum dividens perrexit ipse per montem Cenisium, & misit Bernardum avunculum suum per montem Jovis cum aliis suis fidelibus. Et tunc ambo exercitus ad Clusas se conjungentes, Desiderius ipse obviam Domno Carolo Regi venit. Tunc Domnus Carolus Rex unà cum Francis castra metatus est ad easdem Clusas, mittens scaram suam per montes. Hoc sentiens Desiderius Rex Clusas reliquit. Supradictus verò Domnus Carolus Rex unà cum Francis, auxiliante Domino, & intercedente beato Petro Apostolo, sine læsione vel aliquo conturbio Clusas * apertas, Italiam introivit ipse, & omnes fideles sui, & Papiam civitatem usque pervenit, & Desiderio incluso ipsam civitatem obsedit.* Alter Annalista, sic. DCCLXXII. *Rex Carolus, congregato apud Wormaciam generali Conventu, Saxoniam bello aggredi statuit, eàmque sine mora ingressus, ferro & igne cuncta depopulatus, Eresburgum Castrum cepit, idolúmque, quod Irminsul à Saxonibus vocabatur, evertit. In cujus destructione, cùm in eodem loco per triduum moraretur, contigit ut propter continuam cœli serenitatem exsiccatis omnibus illius loci rivis ac fontibus, aqua ad bibendum inveniri non posset. Sed ne diutiùs siti confectus laboraret exercitus, divinitus factum creditur, ut quadam die cùm juxta morem tempore meridiano cuncti quiescerent, prope montem, qui castris erat contiguus, tanta vis aquarum in concavitate cujusdam torrentis eruperit, ut exercitui cuncto sufficeret. Tunc Rex idolo destructo ad Wiseram fluvium accessit, ibique à Saxonibus* XII *obsides accepit. Inde in Franciam reversus, in villa Haristallio & Natalem Domini & Sanctum Pascha celebravit.* DCCLXXIII. *Adrianus Papa, cùm insolentiam Desiderii Regis & Langobardorum ferre non posset, decrevit Legationem ad Karolum Regem Francorum mittere, eúmque, ut sibi atque Romanis adversùs Langobardos opem ferret, rogare. Et quia id terreno itinere per Italiam fieri non poterat, eum, quem miserat Legatum, nomine Petrum, Roma navim conscendere, & Massiliam usque per mare ire, atque inde terreno itinere in Franciam fecit pervenire. Qui cùm ad Regem in Theodonis villa, ubi tunc hyemaverat, pervenisset, & ei Legationis suæ causam aperuisset, eâdem, quâ venerat, viâ Romam regressus est. Rex rebus, quæ inter Romanos ac Langobardos gerebantur, diligenti curâ pertractatis, bellum sibi contra Langobardos pro defensione Romanorum suscipiendum ratus, cum toto Francorum exercitu Gebennam Burgundiæ civitatem juxta Rhodanum sitam venit. Ibíque de bello suscipiendo deliberans, copias quas secum deduxerat, divisit, & unam partem cum Bernharto patruo suo per montem Jovis ire jussit, alteram ipse ducens per montem Cinisum Italiam contendit. Superatóque Alpium jugo, Desiderium Regem frustrà sibi resistere conantem citra congressum fugavit, Ticinóque inclusum obsedit.* Conveniunt igitur simul ambo Annalistæ, & inter initia utriusque belli, Saxonici videlicet ac Longobardici, annuum duntaxat interstitium collocant. Differunt autem ab Eginhardo, qui biennium inter illorum bellorum exordia intercessisse sic asserit. *Biennio ante Italicum* seu Longobardicum, *hoc bellum*, id est, Saxonicum, *sumpsit exordium.*

* Ecclesiæ sua per.

* Accusativus absolutus.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6. CXXXIX.

Alia non deerunt exempla, quæ mirabilem utriusque Annalistæ consensum adversùs Eginhardum confirmabunt. Hæc impræsentiarum sufficiant, quoniam ad hunc annum, quo bellum Longobardicum à Carolo feliciter confectum est, posterior Annalista, quem ab Eginhardo distinguimus, Monasterii Laureshamensis alumnum se prodit. Hunc autem Annalistam eundem cum Eginhardo plerique hodie arbitrantur, hac potissimùm ratione permoti, quòd ambæ lucubrationes, nempe Caroli Magni vita, quam ab Eginhardo compositam non inficiamur, & Annales, quorum Auctorem Monachum Laureshamensem agnoscimus, in multis Codicibus conjunctim, quasi unius ac ejusdem sint Auctoris, descriptæ reperiuntur, sicque primùm ab Hermanno Nuenario, deinde à Justo Reubero in lucem emissæ prodierunt. Cave ne credas ante Duchesnium, qui nostrâ ætate prædictos Annales sub Eginhardi nomine primus publicavit, neminem illâ diversorum operum connexione deceptum fuisse. Res enim eadem duodecimo seculo fefellit Anonymum, qui librum de Translatione & Miraculis Sancti Sebastiani Martyris ab Auctore longè antiquiore compositum Ingranno Abbati Sam-Medardensi obtulit cum Præfatione, in qua Eginhardum, sive, ut vocavit Agenardum, tanquam prælaudatorum Annalium Auctorem allegavit commendavitque. Tota illa lucubratio, ut oblata est Ingranno Abbati lectáque ab Audræa Duchesnio, fœtus duorum Scriptorum haberi debet, quorum alter ipsum librum nono exaravit seculo, quo Reliquiæ Sancti Sebastiani Suessionem translatæ sunt, alter ipsi libro Præfationem ad Ingrannum Abbatem præmiserit, duodecimo videlicet seculo, quo vixit Ingrannus Abbas Sam-Medardensis anno Christi millesimo centesimo duodequinquagesimo constitutus, ut ex Ildefonsi Vrayeti Benedictini schedis in Catalogo Sam-Medardensium Abbatum observarunt Sammarthani.

CXL.

Translatio Sancti Sebastiani facta est anno Christi octingentesimo vicesimo-sexto, sic enim ad illum annum scribit Annalista, qui nobis est Monachus Laureshamensis. *Dum hæc aguntur, Hilduinus Abbas Sancti Dionysii Martyris Romam mittens, annuente precibus ejus Eugenio Sanctæ Sedis Apostolicæ tunc Præsule, ossa beatissimi Martyris Christi Sebastiani accepit, & ea apud Suessionem civitatem in Basilica Sancti Medardi collocavit. Ubi dum adhuc inhumata in loculo, in quo allata fuerunt, juxta tumulum Sancti Medardi jacerent, tanta signorum ac prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere sanitatum per divinam gratiam in nomine ejusdem beatissimi Martyris emicuit, ut à nullo mortalium, eorundem Miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas verbis valeat enunciari. Quorum quædam tanti stuporis esse narrantur, ut humanæ imbecillitatis fidem excederent, nisi certum esset Dominum nostrum Jesum Christum, pro quo idem beatissimus Martyr passus esse dinoscitur, omnia, quæ vult, per divinam potentiam facere posse, in qua illi omnis creatura in cælo & in terra subjecta est.* Reliquo nono seculo subsequentibúsque ad medium fermè duodecimum non occurrit Abbas Sam-Medardensis, qui nomen Ingranni gerat. Et Auctor Præfationis ad Ingrannum Abbatem Sam-Medardensem, ubi de Agenardo sive Eginhardo loquitur, ab ejusdem Agenardi ætate se procul remotum declarat his verbis. *Agenardus, cognomine Sapiens, eâ qui tempestate habebatur insignis*, &c. In libro de Translatione & Miraculis Sancti Sebastiani, multæ sunt loquendi formulæ, quæ Scriptori synchrono conveniunt, & à Joanne Bollando [a], qui consuli potest, in prolegomenis ad eundem Librum recensentur. Si qui Librum conscripsit, Auctor quoque Præfationis ad Ingrannum Abbatem fuisset, in illa de Agenardo sermonem non eo quo suprà, sed hoc prorsus fecisset modo, *Agenardus, cognomine Sapiens, hac qui tempestate habetur insignis*, &c. maximè cùm Eginhardus Translationi Sancti Sebastiani per annos septemdecim superstes vixerit.

[a] d. 20. Jan.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6. CXLI. Frustrà igitur Andreas Duchesnius, ut Annales, quos Laureshamenses appellamus, adscribat Eginhardo, textum Præfationis Ingranno Abbati inscriptæ sic allegat. *Agenardus, cognomine Sapiens, eâ qui tempestate habebatur insignis, hujus reverentissimi Calicola mentionem in Gestis Cæsarum, Caroli Magni & filii ipsius Hludowici faciens, inter alia, qua annotino cursu dictabat, non inoperosum duxit mortalia acta immortali astipulatione roborare, ita dicens. Dum hæc aguntur, Hilduinus*, &c. ut suprà, ad illas usque voces, *omnis creatura in cælo & in terra subjecta est.* Nec validius argumentum è Sanctorum Marcellini & Petri Translatione deducit. Libros de illa Translatione composuit Eginhardus, id in dubium non revocamus. In Annalibus quoque, de quorum Auctore disputamus, ad annum Christi octingentesimum vicesimum-septimum hæc leguntur. *Corpora beatissimorum Martyrum Marcellini & Petri de Roma sublata, & Octobri mense in Franciam translata, ibi multis signis atque virtutibus clarificata sunt.* Et ad eundem annum in vita Ludovici Pii, hæc de Eginhardo sive Heinardo commemorantur. *Ipso anno, Heinardus, virorum sui temporis prudentissimus, sanctæ devotionis ardore incitatus, Romam misit, & corpora Sanctorum Marcellini & Petri, annuente Papâ, in Franciam fecit transvehi, & valdè decenter in proprio territorio propriisque sumptibus recondidit. Quorum meritis hactenus ibi multa virtutum Miracula operatur Dominus.* At licèt Translationem illam procurarit, literisque commendarit Eginhardus, non inde sequitur ab eodem Eginhardo scripta esse, quæ præcitati habent Annales, & merâ divinatione delectari videtur Duchesnius, cùm Eginhardum ob modestiam laudat, quòd hoc loco nomen suum reticuerit.

CXLII. Denique Duchesnius ait à Trithemio inter Eginhardi opera recenseri *Historiam temporum de Gestis Germanorum & Francorum*, illámque Historiam ab Annalibus, de quorum Auctore nunc inquirimus, distinguendam negat, quoniam in illis Annalibus *res per Francos potissimùm & Germanos gesta non minùs eleganter quàm accuratè consignantur.* Joannes Trithemius de Eginhardo non semel loquitur, in Catalogo illustrium virorum inter ejus opera nominat *Gesta Caroli Imperatoris, lib. 1. notabilem insuper Historiam temporum de Gestis Germanorum & Francorum, lib. 1.* Verùm, esto, Trithemius Annales, de quibus agimus, per Historiam temporum de Gestis Germanorum & Francorum designarit, existimarítque ab uno atque eodem Eginhardo Annales illos cum Caroli Magni Gestis seu vita conscriptos fuisse, quis hanc legem nobis impositam censeat, ut quotiescunque res nono seculo gestas examinabimus, cogamur assentiri Trithemio, qui seculo decimo-sexto ex Abbate Spanheimensi factus est Abbas Sancti Jacobi apud Witceburgum? Annales, quos Eginhardo Neoterici tribuunt, vitæ Caroli Magni, quam Eginhardus composuit, adeò refragantur, ut utrumque opus unius atque ejusdem Auctoris fœtus haberi non possit, quicquid Andreas Duchesnius, quicquid Joannes Trithemius, quicquid Auctor Præfationis libro de Translatione Sancti Sebastiani præfixæ, quicquid alii quovis seculo in contrarium afferant.

CXLIII. Explosâ Duchesnii ceterorúmque recentiorum opinione, Annales, de quorum Auctore adeò copiosè disputavimus, à Laureshamensi Monacho conditos, & Laureshamenses meritò vocandos arbitramur. Sententiam nostram validissimè confirmat ipsemet Auctor, cùm ad hunc annum, ubi de Laureshamensis Monasterii Dedicatione loquitur, idem Cœnobium suum textu jam citato sic appellat. *Carolus ab Italia regrediens, Dedicationem Ecclesiæ Sancti Nazarii Martyris, & Translationem corporis ipsius in Monasterio nostro Lauresheym celebravit anno Incarnationis Domini* DCCLXXIV.

CXLIV. Peractâ Laureshamensis Ecclesiæ Dedicatione Carolus Ingelhaimium rediit, atque inde Haristallium, tum Duram seu Duriam profectus est. Cur ex Italia citissimè Ingelhaimium contenderit, rationem hanc suprà jam attulimus,

attulimus, ut Saxonum, qui pacem fregerant, impetum audaciámque retunderet. In Annalibus Tilianis, irruptio Saxonum in Hassiam per absentiam Caroli, qui tunc in Italia bellum gerebat, hoc anno sic describitur. *Dimissâ Marcâ contra Saxones, ipsi Saxones exierunt cum magno exercitu super confinia Francorum usque Buriaburg, ipsi confiniales Castello sunt ingressi, & ipsi Saxones venerunt ad quandam Basilicam, quæ dicitur Frictislar, quam S. Bonefacius consecravit, atque per spiritum Prophetiæ prædixit, quòd nunquam incendio cremaretur. Cœperunt autem ipsi Saxones cum nimia intentione adversùs ipsam Basilicam, quemadmodum eam per quodlibet ingenium cremare potuissent. Et dum hæc agerentur, apparuerunt quibusdam Christianis, qui erant in Castello, similiter & quibusdam paganis, qui in ipso loco aderant, duo juvenes in albis vestibus, qui ipsam Basilicam protegerunt, & non fuit concremata, sed nutu Domini in fugam versi sunt nemine persequente.* Et in Loiselianis ex editione Duchesniana, hæc proximè subjiciuntur. *Inventus est autem postea unus ex eisdem Saxonibus mortuus juxta ipsam Basilicam, genibus curvis, adclinis super pedes, habens ignem & ligna in manibus, velut ore flando eandem Basilicam igni tradere voluisset.* Birburgensis Episcopus tunc erat Witta sive Albuinus, de quo locuti sæpè sumus Tomo superiore. AN. CH. 774. CAROLI R. 6. SAXONES IN HASSIAM IRRUMPUNT;

In iisdem Annalibus Loiselianis, Carolus, statim ac ex Italia reversus Ingelhaimium pervenit, quadripartito exercitu Francos in Saxoniam dirigit. *Cum pervenisset in loco, qui dicitur Ingelhaim, misit quatuor scaras in Saxoniam, quorum tres pugnam cum Saxonibus inierunt, & auxiliante Domino victores extiterunt, quarta verò scara non habuit pugnam, sed cum præda magna illæsi iterum reversi sunt ad propria.* Leguntur eadem in Annalibus Tilianis, quos tamen hoc loco non citamus, quia prædictam Francorum in Saxoniam irruptionem rejiciunt in annum sequentem, atque uno anno tardiùs, quàm par est, deinceps procedunt, idque non abs re videtur hîc obiter annotandum, ne vacillet Chronologia. CXLV. VINCUNTUR A FRANCIS.

Sanctus Wigberchtus, Abbas quondam Monasterii Friteslariensis, ad hunc usque annum ante Ecclesiam illius loci quieverat. Imminente Saxonum exercitu translatus est Birbürgum seu Buriburgum, unde, post eorumdem Saxonum discessum, Friteslariam revectus est. Sacrarum exuviarum Translationem in opere de illius vita & miraculis descripsit Lupus Servatus, nec omisit varia damna, quæ Saxones Birburgensibus ac Friteslariensibus aut intulerunt aut inferre conati sunt. *Effera Saxonum gens, proprium transgressa limitem in finitimorum se agros effuderat, & indigenas non satis fidentes propriis viribus in oppidum, cui Buriburg nomen est, formidine sui compulerat. Quò conclusi judicantes adhuc infirmum tenui murorum interstitio salutem tueri, ossa beati viri ad sui munimentum in oppidum transferenda curarunt, præsertim quòd vererentur, ne Saxonum insania violandi sepulchri sumeret copiam, nec tamen ea Translatio facilè volentibus constitit. Namque comitante immani multitudine, cùm in vallem non adeò depressam ventum esset, qua ex adversum est oppido, ibique sacros cineres, paululum quieturi deposuissent, ac mox, quò cœperant, contendere prepararent; mirabile dictu, gravata sunt, quas hactenus detulerant; Reliquia, nec eas fuit loco moveri facultas. Hinc consternati, satiúsque sibi ducentes extrema illic experiri, quàm in ancipiti Patronum relinquere, tandem instantissimis precibus, Domini sententiam flectentes, obtinuerunt, ac feretro summâ relevato facilitate, voto potiti sunt.* Adranæ fluminis sinistræ ripæ nunc etiam adsidet Friteslaria, sed aliquanto longiùs à dextera ripa distant veteris Birburgi rudera, quæ magis etiam ad Occidentem vergunt. Euntibus igitur Friteslariâ Birburgum, Adranâ * fluvius occurrebat. In trajectu singulare contigit miraculum, quod ita subjicitur. *Dum flumen Adranam trajicerent, amplissimam reverentiam crucibus, ac vexillis, necnon cereis, ac laudibus congruis, beati viri Reliquiis exhibentes, matrona cuidam rei novitate attonita candela è manibus excidit, ac penitus in fluvium mersa* CXLVI. RELIQUIÆ S. WIGBERCHTI FRITESLARIA BIRBURGUM TRANSFERUNTUR OB METUM SAXONUM;

* Eder.

AN CH. 774. CAROLI R. 6.

est. Certatim verò pluribus annitentibus recepta, quod secundùm contrariam elementorum naturam fidem videatur excedere, haud obscuriùs ac priùs flammarum reperta est globum effundere. Itinere feliciter confecto, &, ut Lupus subjungit, *perlatis in oppidum* Birburgense *beati viri pretiosis Reliquiis, infesto Saxones agmine subsecuti cœperunt oppidanos lacessere, eósque summâ vi munitione detrudere. At illi factâ eruptione, Sancti Wigberchti suffragantibus meritis prosperrimè congressi sunt, ac superiores inventi plerosque adversariorum armis fuderunt profligaverúntque, multos plagis tardantes debilitarunt, omnes postrema salutem sibi coegerunt fugæ præsidio quærere. Quâ repulsâ Saxones irritatiores facti, & ignominiam fugæ repetito certamine sarcire cupientes, ac victos priùs victores ad unum delere, ipsâ nocte, cui tam crudelis negotii dies elucere sperabatur, incredibili repentè perculsi formidine, fusâ cælitus clarissimâ luce ambiri conspicantur Ecclesiam, cujus memoria jam suprà facta est, & per illius culmen insignem quendam lineamentis quidem humani corporis circumscriptum, at valentiam dignitatémque mortalium longè præstantem, albis etiam vestimentis amictum, hac & illac deambulare. Divino itaque nutu, & hujus visionis exterriti Majestate, relictis impedimentis & omnibus aliis necessariis, vitæ tantùm consulere festinantes, ad fugam se denuò contulere. Manè igitur oppidum egressi, qui clausi hostium impetum morabantur objectu murorum, ut eos abiisse, imò velut nudos cunctis vulgò dimissis effugisse compererunt, divinæ munificentiæ gratulantes adversariorum spolia viritim partiti sunt, inopinúmque gaudium revexerunt. Neque ita multò pòst, cum iidem Saxones revertissent, instauraturi malè toties experta certamina, unus eorum capit ignem, fomenta subjicit, Ecclesiam conflagrare jam dictam molitur. Sed casso infectóque nisu, divinâ virtute per intercessionem Sancti Wigberchti repulsus, conatibus verè sacrilegis digna retulit præmia, paralysi scilicet perenni mulctatus. Eandem etiam domum quidam ex illis expoliare conatus, defractâ januâ irrupit, Crucísque argenteam laminam affabrè inauratam rapuit, prophanísque manibus nequaquam efferre cunctatus est. At confestim divina ultio insecuta ita hunc reddidit impotem sui, ut brutum magis animal, quàm hominem duceres. Sic cum lamina circa Ecclesiam repertus oberrans, quod sciens malè sublegerat, justè nesciens reddidit. Sanctorum quoque Reliquiæ, quas iidem asportaverant, in villa Gesmari, quæ non longè abest, repertæ sunt integræ. Nec illud transierim, quòd sæpedicti Saxones adhibito igni, & multiplici fomite amicâ sanè ignis materiâ frequenter inculcatam domum illius Ecclesiæ comburere conati sunt, sed interventu beati Wigberchti delusa est illorum insania. Siquidem tantùm abfuit effectus ab eorum molitione, ut præter in subjecta fomenta nil ignis ille valuerit, quem furens manus adhibuerat barbarorum. Saxonum post discessum pars haud exigua Hassonum (Hassones quippe dicuntur, qui incolunt ipsum pagum) mundatum Ecclesiam convenenere, sordere illam quamgravissimè ferentes, propterea quòd Saxones equorum in ea præsepia fecerant, nihílque Religioni detulerant. Verùm introgressi nihil penitus, quod esset verrendum, inveniunt. Ita sordium squalorem divina virtus deterserat, nulla usquam vestigia immunditiæ totius resederant. Hæc obtigerunt circa Ecclesiam, ante quam monumentum illius diu mansisse monstravimus. Ceterùm postquàm in oppidum* Birburgense *ossa illius transposita sunt, ut unguentum pretiosissimum, quando est agitatum, gratissimos latè spargit odores, ita viri hujus mota Reliquiæ ubertim miraculorum spiravere fragrantiam.* Porrò pulsis ex Hassia Saxonibus, eædem Reliquiæ Friteslariam relatæ sunt, ibíque per aliquot annos custoditæ.

IISQUE PROFLIGATIS FRITESLARIAM REVEHUNTUR.

CXLVII. Post Laureshamensis Ecclesiæ Dedicationem, Carolus, ut suprà insinuavimus, Ingelhaimium rediit, atque inde Haristallium, tum Duram seu Duriam profectus est. Kalendis Septembribus, cùm apud Haristallium versaretur, pro Trevirensi Ecclesia, cui Weomadus tunc Archiepiscopus præsidebat, hoc Præceptum emisit. *In nomine Domini Dei æterni, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Carolus divinâ ordinante providentiâ Rex Francorum.*

CAROLI R. PRÆCEPTA.

AN. CH. 774.
CAROLI R. 6.
PRO ECCLESIA TREVIRENSI.

Si, liberalitatis nostræ munere, locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, & necessitates Ecclesiasticas ad petitiones Sacerdotum nostrorum relevamus juvamine, atque Regali tuemur munimine, id nobis, & ad mortalem vitam transigendam, & ad æternam feliciter obtinendam, profuturum liquidò credimus. Proinde noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm & futurorum, sagacitas, quia vir venerabilis Weomadus sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopus, obtulit obtutibus nostris Præceptum Domini & genitoris bonæ memoriæ Pipini Regis, in quo erat insertum, quòd non solùm idem genitor noster, verùm etiam prædecessores ejus, Reges videlicet Francorum, omnes res quascumque boni & sancti viri, pro divinæ contemplationis intuitu, ad partem Sancti Petri Trevirensis Ecclesiæ delegaverunt, suorúmque auctoritatibus confirmaverunt, quatenus eorum Regnum superno auxilio tueretur, & postmodum cum Christo Rege Regum regnarent in cælis. Pro rei verò firmitate, idem præfatus Præsul postulavit Celsitudinem nostram, ut paternum, seu prædecessorum Regum, morem sequentes, hujuscemodi nostræ auctoritatis Præceptum, ob amorem Dei & reverentiam Sancti Petri, de eisdem rebus fieri juberemus. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, & hoc nostræ auctoritatis Præceptum erga ipsam Ecclesiam, pro divini cultûs amore & animæ nostræ remedio fieri decrevimus. Per quod præcipimus atque jubemus, ut omnes res vel facultates ad Ecclesiam Sancti Petri Treviricæ urbis pertinentes, ut scilicet Cellam Sancti Maximini, quæ est in territorio Sancti Petri Principis Apostolorum constructa, & Cellam Sancti Paulini, & Sancti Eucharii, & Monasterium Sanctæ Mariæ, quod Dominus Modoualdus Pontifex ejusdem Ecclesiæ in territorio Sancti Petri à fundamento construxit, quod vocatur Horrea, & Ecclesiam Sancti Martini sitam in pago Meginense, & cæteras Basilicas, castella, vicos, villas, vineas, sylvas, homines, vel quidquid, Deo donante, ad eandem augmentatur Ecclesiam, circa Rhenum & Ligerim fluvium, omniáque in Regno nostro consistentia, sub jure & potestate Sancti Petri Trevirensis Ecclesiæ, ejúsque Pontificis perpetualiter mancipata permaneant. Prætereà pari modo statuimus, ut nullus ex publicis Judicibus, vel aliquis ex judiciaria potestate, in Monasteria, Ecclesias, castella, vicos, & agros, loca, seu reliquas possessiones prædictæ Ecclesiæ, tam ultrà quàm juxta Rhenum vel Ligerim fluvium, in pagis vel territoriis, quæ infra potestatem Regni nostri memorata possidet Ecclesia, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina potestas augeri, ad causas audiendas, vel freda, aut tributa, aut conjectos aliquos exigendos, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ distringendos, vel injustas exactiones requirendas, vel telonium exigendum, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ suprà memorata sunt, penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato Præsuli suísque successoribus omnia præfata Monasteria, villas, vicos, & castella cum suis adjacentibus in integrum, perpetuo tempore, pro remedio animæ nostræ seu parentum nostrorum, ut in Præcepto Piissimi genitoris nostri continetur, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere imperio. Ut hoc itaque nostræ auctoritatis Præceptum pleniorem in Dei Nomine obtineat vigorem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostris videlicet præsentibus & futuris temporibus, verius credatur, & diligentiùs à successoribus nostris conservetur, manu propriâ firmavimus, & annuli nostri impressione signarè jussimus. Signum Caroli Gloriosissimi Regis. Suavis ad vicem Ercanbaldi recognovi. Data Kalend. Septembr. anno VI. *regnante Carolo Piissimo Rege, Aristalio Palatio, in Dei nomine. Amen.* Browerus hoc Præceptum libro septimo [a] Annalium Trevirensium, tenore, quo suprà, publicavit, adjectâ *Indict.* XI. cujus loco Kyriander parte nona Commentariorum de Augusta Treverorum reponit *Indict.* XII, ut annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum assequatur. Indictionis notam suppressimus, quoniam apud Francos in usu priùs non erat, quàm Carolus Imperator esse cœpit. Pippini Regis Præceptum, cujus mentio fit in Carolino, descripsimus Tomo superiore [b], prout editum à Kyriandro [c].

[a] Ad an. 773.
[b] Ad an. 760. n. 1.
[c] Part. 9.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

CXLVIII. Carolus Hariſtallio Duram ſeu Duriam profectus eſt. In Palatio Durienſi degebat decimo-octavo Kalendas Octobris, cùm à Fulrado ſeu Folerado Abbate San-Dionyſiano rogatus hoc Præceptum emiſit [a]. *Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, vir inluſter. Quicquid enim ad loca Sanctorum venerabilium congruenter ob amorem Dei concedimus vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem, Domino protegente, pertinere confidimus. Ideóque cognoſcat Magnitudo ſeu Utilitas veſtra, qualiter venerabilis vir Foleradus Abba Clementiæ Regni noſtri ſuggeſſit, eò quòd in amore vel reverentia beatorum [1] Sanctorum Dionyſii Ruſtici & Eleutherii [2], in ſua proprietate in pago Alſacenſe, in loco qui dicitur Fulradovilare infra fines Audoldovilare, Cellam ædificaſſet, vel à novo ſuo opere conſtruxiſſet, & in anteà auxiliante Domino & bonorum hominum .... ædificare vellet [3], ubi beatiſſimus & Martyr Hippolytus [4] corpore requieſcit humatus. Proptereà nos propter nomen Domini & animæ ſalutem, eò quòd merces [5] noſtra in æternum permaneat, vel etiam ad petitionem fidelis [6] noſtri Fulradi, ad ipſum locum ſuperiùs conſcriptum aliqua loca ſylveſtria pro opportunitate & ſtipendiis [7] ſervorum Dei ibidem degentium, in pago Alſacenſe ex Marca fiſco noſtro Qwingirhaim, in amore beatorum Sanctorum Dionyſii & Privati, necnon & S. Hippolyti, donamus donatúmque in perpetuum eſſe volumus, hoc eſt; ſylva & foreſte noſtra ſuperiùs denominata de una parte Laimaha, ubi dicitur Bobolino Cella, & inde pervenitur ubi Ætſimisbach venio in Laima, deinde verò per Ætſimisboch ubi ipſe ſurgit, inde etiam Nanueſt, deinde autem de monte uſque ad Rumbach, deinde Tludimisberch, deinde in Aliorumbac, deinde in Bureberch, exinde in Tertiarumbach, deinde autem pergit in Ackivis Ragui, deinde in foreſta per ducias & confinia, inde per Laimobam [8] fluvium in valle de Ambaripas per maria Gaſmaringa & Odeldinga uſque Ophampol, & inde per Laimabam fluvium altâ ripâ uſque ubi Audenbah in Laimaha confluit, & pergit per [9] ipſum fluvium uſque radices Stophanberch per vallem [10], ſub integritate ipſius monte uſque in Stognbach, inde per Rivadmarca, Odeldinga, & Goſmaringa, & inde per confinia uſque in Ophampol. Iſta omnia per loca denominata, marcas, & confinia, totum & ad integrum infra ipſos fines, cum piſcatione quacumque, aves capiendo; & ad ipſum [11] ſanctum locum concedimus, atque pro opportunitate Eccleſiæ indultum eſſe volumus, & jubemus ut per totam [12] illam foreſtem noſtrom foras ipſos fines denominatos, poſtura ad eorum peculia ex noſtra indulgentia conceſſum habeat. Præcipientes enim jubemus, ut nullus quiſlibet de fidelibus noſtris, neque de judiciaria poteſtate, qui ipſam [13] caſam Dei vel Rectores ejus de ipſis [14] locis denominotis inquietare, nec condemnare, nec contra rationis ordinem [15] facere non præſumatis, nec vos, neque juniores, ſeu ſucceſſores veſtri, ſed pro mercedis noſtræ augmento [16], vel ſtabilitate Regni noſtri, in luminaribus ipſius Eccleſiæ, vel ad ſtipendia ſervorum Dei ibidem conſiſtentium, futuris temporibus proficiat in augmentis, qualiter delectet ipſam [17] Congregationem pro nobis, & uxore noſtra, etiam & prole [18], Domini miſericordiam attentiùs exorare. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora meliùs conſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & de annulo noſtro ſigillare juſſimus. Signum Caroli Glorioſiſſimi Regis. Wigbaldus ad vicem Hitherii recognovit. Datum octavo-decimo Kalend. Octob. anno ſexto, regnante Domno noſtro Carolo Glorioſiſſimo Rege. Actum Durâ Palatio publico.* Durâ ſeu Duriâ Carolus in Neuſtraliam perrexit, &, ut Annaliſta Loiſelianus aliíque ſcribunt, *celebravit præfatus Glorioſus Rex Natalem Domini in villa, quæ dicitur Coriſiacum.*

[a] Dublet. l. 3. c. 6.

PRO MON. S. HIPPOLYTI IN ALSATIA.

[1] beatiſſimi & S. Dionyſii [2] Helutherii. [3] velle ut ubi. [4] Hypolitus [5] mercis [6] fidelis noſtro Fulrado ad ipſo loco ſuperiùs conſcripto [7] ſtipendia [8] Laimaha fluvio [9] per ipſo fluvio [10] valle. [11] ad ipſo ſancto loco [12] per tota illa foreſte noſtra [13] ipſa caſa [14] de ipſa loca denominata [15] ordine [16] augmentum, vel ſtabilitatem. [17] ipſa Congregatione pro nos [18] prolis.

CXLIX. Leo Ravennatium Epiſcopus, ſtatim ac Carolus relictâ Papiâ in Franciam rediit, pleraſque urbes Æmiliæ, Faventiam, Forum-Popillii, Forum-Livii, Ceſenas, Bobium, Comaclum, Ducatum Ferrariæ, Imolam, & Bononiam occupavit, finxit civitates illas cum univerſa Pentapoli ſibi conceſſas à Carolo, direxitque Theophylactum, qui commentum iſtud Pentapolenſibus inſinuaret. Hi tamen conſtantiſſimè manſerunt in fide Adriani

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

DE LEONE ARCHIEP. RAVENNATE, QUI MULTAS ÆMILIÆ CIVITATES CUM PENTAPOLI SIBI CONCESSAS A CAROLO FINGEBAT, QUERITUR ADRIANUS PP.

Pontificis, qui literas per Anastasium Cubicularium ea de re Carolo scripsit, ne præmissi à Leone Nuncii Regium animum fraude deciperent, útque potentissimum Francorum Regem in Italiam denuò vocaret, imprimis conquestus est gravissimè, quòd inimici palàm exprobrarent, quid prodesset Apostolicæ Sedi gentem Longobardorum abolitam & Regno Francorum subditam fuisse, cùm eorum, quæ promissa fuerant, nempe de Ducatu Spoletano, nihil adimpleretur, & quæ beato Petro à Pippino Rege priùs concessa fuerant, insuper auferrentur. Extant queribundæ hæ literæ [a]. *Domno Excellentissimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Pervenit ad nos eò quòd protervus & nimis arrogans Leo, Archiepiscopus Ravennatium civitatis, suos ad vestram Excellentissimam Benignitatem, ad contrarietatem nostram, falsa suggerendo direxit Missos. Etenim, præcellentissime Magne Rex, postquàm vestra Excellentia à civitate Papia in partes Franciæ remeavit, ex tunc tyrannico atque procacissimo intuitu rebellis beato Petro & nobis extitit, & in sua potestate diversas civitates Æmiliæ detinere videtur, scilicet Faventiam, Forum-Populi,* sive Forum-Popillii, *Forum-Livii, Cesinas, Bobium, Comiadum,* sive Comaclum, *Ducatum Ferrariæ, seu Imolas atque Bononias, asserens quòd à vestra Excellentia ipsæ civitates, unà cum universa Pentapoli, illi fuissent concessæ. Et continuò direxit Theophylactum Missum suum per universam Pentapolim hoc ipsum denuntians, cupiens eosdem Pentapolenses à nostro servitio separare. Sed ipsi nullo modo se illi humiliare inclinati sunt. Nec à servitio beati Petri & nostro recedere maluerunt, magis autem firmi in nostris Apostolicis mandatis, quemadmodum extiterunt sub nostro prædecessore, Domno Stephano Papa, cui sanctæ recordationis genitor tuus, simúlque & præclara Excellentia tua, ipsum Exarchatum sub jure beati Petri permanendum tradidit, in omnibus firmiter permanere noscuntur. Nam prænominatas civitates, ut dictum est, Æmiliæ, ipse nefarius Archiepiscopus in sua potestate detinens, ibidem actores, quos voluit, constituit, & nostros, quos ibidem ordinavimus, projicere visus. Sed & cunctas actiones infra civitatem Ravennatium ipse ordinavit, & ecce, quod nunquam speravimus, in magnam humilitatem sancta spiritalis mater tua Romana Ecclesia venisse dinoscitur, & nos etiam in nimiam deminorationem, atque despecti esse videmur, dum ea, quæ potestativè temporibus Langobardorum detinentes ordinare ac disponere videbamur, nunc temporibus vestris à nostra potestate impii atque perversi, qui vestri nostríque sunt æmuli, auferre conantur, & ecce improperatur nobis à plurimis nostris inimicis, exprobrantes nos & dicentes. Quid vobis profuit, quòd Langobardorum gens est abolita, & Regno Francorum subjugata? Et ecce jam nihil de his, quæ promissa sunt, adimpletum est, insuper & ea, quæ anteà beato Petro concessa sunt à sanctæ recordationis Domno Pippino Rege, nunc ablata esse noscuntur. Etenim illud, quod antefatus nefandissimus Archiepiscopus asserit proponens occasionem, in ea potestate sibi Exarchatum Ravennatium, quam Sergius Archiepiscopus habuit, tribui, nos, Excellentissime fili, quemadmodum tempore Domni Stephani Papæ, qui illuc in Franciam profectus est, cui & ipse Exarchatus traditus est, ita & nostris temporibus eum sub nostra potestate disponere atque ordinare volumus, & omnes in hoc cognoscere possunt, qualem potestatem ejus Beatitudo in eandem Ravennatium urbem & cunctum Exarchatum habuit, qui etiam Archiepiscopum Sergium exinde abstulit, dum contra ejus voluntatem agere spiritu superbiæ nitebatur. Etenim ipse noster prædecessor cunctas actiones ejusdem Exarchatûs ad peragendum distribuebat, & omnes actores ab hac Romana urbe præcepta earumdem actionum accipiebant. Nam & Judices ad faciendas justitias omnibus vim patientibus in eadem Ravennatium urbe residentes ab hac Romana urbe direxit, Philippum videlicet illo in tempore Presbyterum, simúlque & Eustachium quondam Ducem, & ut pleniùs de hoc satisfacere Christianissima Excellentia vestra potest, dignetur advocare prædictum Philippum Episcopum. Eóque de hujusmodi re inquisito, certissimè veritatem agnoscere potestis, quia omnia ita sunt, quem-*

[a] In Cod. Carol. ep. 54

AN. CH 774. CAROL R. 6.

admodum innotuimus. Et non tibi placeat, Bone & Excellentissime fili, ut in tantum despectum atque humilitatis deminorationem Sancta Dei Ecclesia Romana, spiritalis mater tua, quæ caput est omnium Ecclesiarum Dei, veniat, sed magis peto te coram Deo Omnipotente, ut ita disponere jubeas, eundémque Archiepiscopum sub nostra potestate contradere nigneris, ut à nobis cunctus Exarchatus disponatur, sicut sæpefatus Domnus Stephanus beatissimus Papa temporibus sanctæ memoriæ genitoris vestri Domni Pippini disponere visus est, quatenus vestris felicissimis temporibus ipsa sancta universalis Dei Ecclesia exaltata permaneat, & ex hoc in præsenti vita suffragiis Apostolorum beati Petri & Pauli, Regni gubernacula longo senio cum immensis victoriis possidere, etiam & in futura beatitudine cælestia Regna adipisci mereamini. Ecce enim magnoperè direximus ad vestra Regalia vestigia præsentem Anastasium, fidelissimum nostrum Cubicularium, cui & in ore posuimus, quæ nostrâ vice vestra Excellentia enarrare debeat, quem in omnibus vobis commendantes cuncta illi credere, & ad nos cum prospero nuntio & effectu causa absolvere jubeatis. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. Hæ literæ, quia post Caroli reditum ex Italia, Longobardorum gente jam abolitâ, scriptæ sunt, errotis arguunt Sigonium [a], qui Leonem Archiepiscopum Ravennatem anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio mortuum scribit.

[a] Lib. 3. in Desid. R.

CL. ABBATES MURBACENS.

In Annalibus Nazarianis ad hunc annum hæc leguntur. *Haribertus Abba obiit, & Amicho Abba ordinatus est.* Fuerunt hi Murbacenses Abbates in Alsatia.

CLI. HODINGUS EP. CENOMANN. OBIT.

Odigus sive Hodigus vel Hodingus Cenomannensis Episcopus, cùm annos duos sedisset, vitam clausit hoc eodem anno, ut ex Chronologia Cenomannensium Episcoporum ante biennium stabilita constat. Corvaisierus & Bondonnetus biennem Hodingi Pontificatum apud Cenomannos extitisse non diffitentur, sed eum à Sede Cenomannensi ad Bellovacensem translatum contendunt. Translationis hanc prætendunt causam, quòd Hodingus malis à decessore Gausileno illatis mederi non posset. De luctuoso Cenomannensis Ecclesiæ statu, cùm Hodingus administrationem suscepit, suo loco conquesti sumus. Hodingus, ut damna resarciret, ad obitum usque pro viribus elaboravit, nec Episcopatum dimisit Cenomannensem, ut Ecclesiæ Bellovacensi præficeretur. Floruit quidem illâ ætate Audingus Bellovacensis Episcopus, in Catalogis enim Bellovacensium Episcoporum post Deodatum, cui Zacharias Papa literas anno Christi septingentesimo duodequinquagesimo direxit, proximus recensetur Andreas, tum Audingus. At hunc Audingum, qui Bellovaci sedit, eundem esse cum Odigo vel Hodigo sive Hodingo, qui Cenomannensem Diœcesim rexit, nihil suadet, imò ex prælaudatis Bellovacensium Episcoporum Indicibus suspicamur Bellovacenses Infulas Audingo priùs delatas esse, quàm Odigus sive Hodigus vel Hodingus in Episcopatu Cenomannensi biennium compleverit. Bondonnetus Hodingum regimine Cenomannensis Ecclesiæ sponte abdicato factum Episcopum Bellovacensem constanter asserit. Haud ita sibi constat Corvaisierus, priùs enim quàm Hodingum ex Episcopo Cenomannensi Bellovacensem Episcopum constitutum affirmet, scribit Merolum in Episcopatum Cenomannensem eidem Hodingo jam mortuo successisse, nec id rejicere videtur post gestum ab Hodingo Bellovacensem Pontificatum, quis enim Hodingum duabus simul Ecclesiis, Cenomannensi videlicet & Bellovacensi, præfuisse suspicetur? Hodingo igitur Cenomannensi Episcopo ex hac vita sublato, subrogatus est Merolus, qui munere Chorepiscopi priùs fungebatur sub Episcopo Gausileno.

SUCCEDIT MEROLUS.

CLII. ALOBORGUS EP. SEDUNENS.

Ad hunc etiam annum à Francisco Augustino ab Ecclesia in Pedemontanæ Regionis Historia Chronologica & à Sammarthanis ex Vallesiæ Chartulariis in Gallia Christiana commendatur Aloborgus sive Alabergus Sedunensis Episcopus, cujus mentionem Tomo superiore [b] jam fecimus.

[b] Ad an. 768. n. 53.

AN. CH. 774. CAROLI R. 6.

CLIII. HERMINARDUS ARCHIEP. BITURIC. OBIT.

Herminardus sive Ermenarius Bituricensis Archiepiscopus, cùm annos septem sedisset, hoc anno vitam clausit. Super annorum numero, quibus Archiepiscopatum tenuit, Auctores Patriarchii Bituricensis Galliæque Christianæ cum Democbare Chenutióque mirè consentiunt, super successore non ita. Robertus enim & Sammarthani Ermenbertum, Stephanum ceteri proximè sufficiunt. Certè Herminardum inter & Ermenbertum medius quis Episcopus fuit. Herminardus enim, qui Romanam Synodum cum aliis Præsulibus anno Christi septingentesimo sexagesimo-nono celebravit, Episcopatum annis duntaxat septem gessit; & Ermenbertus, qui Pontificatum annis tantùm quinque tenuit, usum Pallii non obtinuit ante annum Christi septingentesimum octogesimum-quartum, nam literæ, quibus id Privilegii continetur, scriptæ sunt ab Adriano Papa, postquàm Carolus Fastradam in uxorem duxit, ídque probabimus ad annum Christi septingentesimum octogesimum-sextum, quo Pontificium Diploma recitabimus. In Patriarchio Bituricensi, apud Democharem & apud Chenutium, Bituricenses Archiepiscopi post Siginum, cujus obitum anno Christi septingentesimo quinquagesimo-primo consignavimus, hoc ordine recensentur, Landrarius seu Laudarius vel Laudoarius aut Landarius sive Landoatius, Deodatus, Segolenus, David, Berlanus seu Berlamus aut Bertellannus vel Berlannus, Ermenarius sive Hermenarius aut Herminardus, Stephanus, Ermembertus sive Ermenbertus, Ebroinus, &c. Bertellannum & Herminardum suis è locis jam movimus, quia Bertellannus, ut Chronicon jussu Nibelungi scriptum testatur, anno Pippini Regis decimo sive anno Christi septingentesimo sexagesimo-primo Bituricensis Archiepiscopus erat, & Herminardus, ut è Schedis Pauinianis hausimus, anno Christi septingentesimo undeseptuagesimo Romanæ Synodo præsens adfuit. Inter Siginum & Landrarium Bertellanno medium locum tribuimus, eodémque modo inter prædictum Landrarium & Deodatum suam Herminardo Sedem assignavimus. Deodatum igitur existimamus Herminardo successisse, & Ecclesiæ Bituricensi ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum-tertium præfuisse.

SUCCEDIT DEODATUS.

CLIV. METROPOLITÆ BOJOARIÆ.

Obiit & hoc anno pridie Kalendas Maii Wisericus seu Viscarius Antistes Laureacensis ac Pataviensis, Metropolitanus Bojoariæ, cùm gregi suo sapienter annos novem præfuisset. Successit Waldericus. Hæc Hundius [a] ex Annalibus Paraviensibus.

[a] Tom. 1. in Episc. Paravienf. 17. 18.

CLV. BENEDICTI,

Hoc eodem anno, quo Carolus Italiam subegit, Monachum induit Benedictus in Septimania seu Gothia natus, cujus vitam à Smaragdo discipulo conscriptam Hugo Menardus libro de Concordia Regularum præfixit. *Eo itaque anno*, inquit Smaragdus, *quo Italia Gloriosi Caroli Regis ditioni subjecta est, cùm frater ejus*, nempe Benedicti, *incautè fluvium quemdam*, Ticinus * est Bollando [b], *transfretare vellet, à tumentibus raperetur undis, hic equo sedens periculum conspiciens fratris, sese inter undas præcipitem dedit, ut pereuntem à periculo redderet extorrem, atque natante equo fratris attigit manum, quem cùm tenuit, tentus est, víxque, qui eripere morientem voluit, mortis evasit periculum. Tunc se voto Deo constrinxit, seculo deinceps non militaturum. Patriam petit, sed hoc patri non patefecit. Quidam autem erat Religiosus, Widmarus nomine, corporeâ luce carens, sed cordis luce resplendens, cui velle suum ostendit, ísque secretum tenuit, & consilium salubre præbuit. Præparatis itaque omnibus iter quasi Aquis*, id est, Aquisgranum, *iturus arripuit, sed ubi Sancti Sequani ingressus est domum, redire suos ad patriam jubet, séque in eodem Cœnobio Christo Deo servire velle indicavit. Postulat ingrediendi licentiam, quâ adeptâ, mox capitis comam deposuit, & veri Monachi habitum sumpsit.*

* le Tesin.

[b] d. 12. Febr.

CLVI. PATRIA,

Ex eodem Auctore primordia Benedicti paucis repetemus. Benedictus in Gothia seu Septimania parentibus natus est Christianis, cùm ea regio sub Saracenorum jugo gemebat. *Vir venerabilis, nomine & merito Benedictus,*

AN. CH. *Abbas ex Getarum genere, partibus Gotia oriundus fuit, nobilibus natalibus or-*
774. *tus, ſed eum ſuperna pietas potiori virtutum claritate nobilitavit.* Ætas autem
CAROLI ex eo deprehenditur, quòd *obiit ſeptnagenarius, tertio Idus Februarii, anno*
R. 6. *ab Incarnatione Domini octingenteſimo vigeſimo-primo, Indictione decimâ-quar-*
ÆTAS, *tâ.* Infantiam agebat, cùm Septimania ſummotis ultra Pyrenæos montes
PARENTES, Saracenis in Francorum poteſtatem devenit. *Pater ejus*, utpote Chriſtianus & Pippino Regi charus *Comitatum Magdalonenſem* ſeu Magalonenſem, *quoad uſque vixit, tenuit, & Francorum genti fideliſſimus totis viribus extitit, fortis, & ingenioſus, hoſtibus enim valdè erat infeſtus. Hic nempe magnâ proſtravit ſtrage Waſcones, qui vaſtandi gratiâ fines Regni Francorum fuerant ingreſſi, è quibus nullus evaſit, niſi quem pernix fuga ſalvavit*, anno videlicet Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-quarto, quo Waifatius Aquitaniæ Dux Mancionem Comitem conſobrinum ſuum alióſque Comites cum copiis
a Ad an. 764 n. 5. in Septimaniam direxit, ut ſuperiori Tomo [a] probatum eſt.

CLVII. Benedictus in literis, quas Indenſes Monachi de illius vita & obitu ſcripſerunt, *ab infantia tempore uſque in adoleſcentiam* militaſſe dicitur. Qua de re fuſiùs in hunc modum Smaragdus. *Hic*, nempe Benedicti pater, *puériles gerentem annos præfatum filium ſuum in aula Glorioſi Pipini Regis Reginæ tradidit inter ſcholares* ſive aulicos *nutriendum, qui mentis indolem gerens ſupra ætatem, diligebatur à commilitonibus, erat quippe velox & ad omnia utilis. Poſt hæc verò Pincerna ſortitur officium. Militavit autem temporibus præfati Regis; poſt cujus exceſſum, cùm Regni gubernacula Carolus Glorioſiſſimus Rex*
MUNERA, *potiretur, ei adhæſit ſerviturus.* Scholares poſt Menardum aulicos interpretamur. In Smaragdo nævum putamus eſſe, quòd, ubi Reges enumerat, quorum temporibus militavit Benedictus, omittit Carolomannum Pippini Regis filium natu minorem, qui medius inter Pippinum & Carolum in Gothia ſeu natali ejuſdem Benedicti ſolo regnavit, vitámque clauſit pridie Nonas Decembris, anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-primo. Sub illud tempus *illuſtrante Divinâ gratiâ*, Benedictus *ſuperno cœpit flagrare amore, &, ut ſeculum linqueret, totis æſtuare niſibus, periturúmque faſtidire honorem, ad quem cum labore attingere ſe poſſe cernebat, ſed adeptum citò amittere. Per triennium autem hoc corde tegens, ſoli Deo ſecretum tenuit, corpore non mente ſe ſeculi actibus inſerens. Tentabat igitur infra hoc ſpatium, ſi continentiæ culmen arripere poſſet, ſubtrahere corpori ſomnum, reprimere linguam, abſtinere à cibo, parciùs ſumere vinum, & veluti peritus athleta ad futurum ſe componere bellum. Præmeditabat ſiquidem in ſeculari adhuc habitu ſiſtens, quæ poſteà devotus implevit, ſed quamquam ſe à ſeculi actibus exuere vellet, hæſitabat tamen, quibus hoc modu faciendum eſſet, utrùm peregrini aſſumeret habitum, an fortè ſe alicui conjungeret, & hominum oves aut armenta gratis paſceret, an etiam in civitate ſutoris exerceret artem, &, quæ habere poſſet, pauperibus erogaret. Sub tali quippe certamine fluctuante animo, ad amorem ſe vitæ*
MONACHATUS, *Regularis convertit*, quam hoc tandem anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto ſuſcepit in Burgundia, ſive in Monaſterio Sancti Sequani, quod prope Sequanæ fontes etiamnum ſtat in Epiſcopatu Lingonenſi.

CLVIII. Monachus autem factus qualem in Monaſterio ſe geſſerit, idem Auctor
VIRTUTES. ſic declarat. *Incredibili inediâ per biennium & ſex menſium ſpatium corpus ſuum affligere cœpit, ſic quippe carni ſuæ, ac ſi cruenta beſtia, erat infeſtus, cibum permodicum ſumens, pane videlicet & aquâ corpus ſuſtentans, mortem potiùs quàm famem arcens, vinum ſiquidem ſeu peſtiferum virus devitans, ſomnum ſi quando devictus animus ſumere vellet, vili ſe ſtrato paululùm quieturus collocans, aliquando nudâ humo proſtratus, nimiùm defeſſus quievit, ipsâ ſuâ ſe plùs requie laſſaturus. Sæpè etiam pervigil in oratione pernoctans, nudis plantis in pavimento glaciali rigore perfuſus perſiſtens, in divinis nempe meditationibus ita totum ſe contulit, ut quamplures continuaret dies, ſacris Pſalmodiis deditus, ſi-*

lentiū

stentii legem non interrumpens. Vilioribus induebatur vestibus, lacrymis ac pœnitentiis atterebatur. *Regulam Beati Benedicti tironibus seu infirmis positam fore testestans, ad Beati Basilii dicta, necnon ad Sancti Pachomii Regulam scandere nitens, quamvis exiguè possibilia gereret, jugiter impossibiliora rimabat. His se pœnitentia lamentis probans, qui imitabilis erat vel nullis vel paucis, cooperante gratiâ Divinâ, ut multorum fieret documentum salutis, in amorem præfati viri Benedicti Regulæ accenditur, & veluti de singulari certamine novus athleta ad campum publicè pugnaturus accessit.* Quòd audis Benedictum Regulam Beati Benedicti tironibus & infirmis positam censuisse, grandiorique nisu ad Sancti Basilii dicta & ad Sancti Pachomii Regulam aspirasse, id observa consilio scriptisque Sancti Benedicti valdè consentaneum, qui suam Regulam sapienter hoc clausit epilogo. *Regulam hanc descripsimus, ut eam observantes in Monasteriis aliquatenus, vel honestatem morum, aut initium conversationis* seu conversionis *nos demonstremus habere. Ceterùm ad perfectionem conversationis qui festinant, sunt doctrinæ Sanctorum Patrum, quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo Divinæ auctoritatis veteris ac novi Testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber Sanctorum Catholicorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? Necnon & Collationes Patrum, & Instituta, & vita eorum, sed & Regula Sancti Patris nostri Basilii, quid aliud sunt, nisi benè viventium & obedientium Monachorum exempla & instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis & malè viventibus atque negligentibus rubor confusionis est. Quisquis ergo ad patriam cælestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adjuvante Christo perfice, & tunc demùm ad majora, quæ suprà commemoravimus, doctrinæ virtutumque culmina, Deo protegente, pervenies.*

AN. CH. 775. CAROLI R. 7.

ANNUS
CHRISTI 775.
CAROLI R. 7. 4. 2.

I. IN Antiquitatibus San-Dionysianis [a] tres extant Chartæ Carolinæ, datæ, una in Monasterio Sancti Dionysii quinto Kalendas Martii, aliæ duæ apud Carisiacum pridie Idus Martii, anno Caroli regnantis in Francia septimo, in Longobardia primo, id est, anno Christi septingentesimo septuagesimo-quinto, per cujus menses Februarium ac Martium Carolus ut annum Regni Franciei septimum jam incohoatum, sic & Longobardici primum adhuc currentem numerabat.

[a] Lib. 3. c. 6.

PRÆCEPTA REGIA PRO MON. S. DIONYSII.

II. Prima talis est. *Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, omnibus fidelibus nostris tam præsentibus quàm & futuris,* &c. *Donamus pro anima nostra remedio ad Ecclesiam Sancti Dionysii, ubi ipse pretiosus Domnus cum sociis suis corpore quiescunt, & venerabilis vir Fulradus Abba praesse videtur, & nos Christo propitio à novo ædificavimus opere, & modò cum magno decore jussimus dedicare, donatúmque in perpetuo ad ipsum sanctum locum esse volumus, hoc est, villam [1] nostram in loco nuncupante Luzarcha *, quæ ponitur in pago Parisiaco super fluvio qui vocatur .... unà cum illa Ecclesia in honore Sancti Cosmæ & Damiani, necnon aliam [2] villam nostram in loco nuncupante Masciaco *, quæ ponitur in pago Meldico *, cum omnibus terminis vel appendiciis earum, ut cum omni integritate ad ipsum [3] Monasterium, vel Monachis ibidem deservientibus, seu in luminaribus ipsius Ecclesiæ procurandum, vel stipendia pauperum, tam prædictas villas proficere debeant in augmentu, id est, unà cum terris, do-*

[1] villas nostras in loco nuncupantes

* Luzarche.

[2] alia villa nostra

* Mascy.

* de Meaux

[3] ad ipso Monasterio

AN. CH. 775. CAROLI R. 7.

mibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, sylvis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmque decursibus, farinariis, mobilibus & immobilibus, sicut suprà diximus, cum omni integritate, pars prædicti Monasterii ejúsque Rectores habeant, teneant & possideant, vel quicquid exinde facere voluerint nostris & futuris temporibus licentiam habeant, quatenus meliùs delectet ipsos servos Dei pro nobis, pro sequente progenie nostra, die noctúque Domini misericordiam attentiùs deprecari [a]*. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora meliùs conservetur, manu propriâ subter eam decrevimus roborare, vel de anulo nostro jussimus sigillare. Signum Caroli Gloriosissimi Regis. Wigbaldus ad vicem Hitheri recognovit. Data quinto Kal. Martias, anno septimo & primo Regni nostri. Actum in Monasterio Sancti Dionysii.* Libro quoque primo [b] de Miraculis Sancti Dionysii commendatur Carolus, quòd *Basilicam Sanctorum*, nempe Dionysii ac sociorum Martyrum, *quæ cœpta à Pippino Rege, angustiùs* consummavit.

[a] deprecare.
[b] Cap. 14.

III. E Monasterio Sandionysiano Rex ad villam Carisiacum rediit, ibíque duas Chartas pridie Idus Martii pro eodem Cœnobio dedit.

IV. Una sic habet. *Carolus gratia Dei Rex Francorum & Langobardorum, omnibus fidelibus nostris tam præsentibus quàm & futuris. Cognoscat magnitudo seu industria vestra, eo quòd venerabilis vir Fulradus Abba de Monasterio S. Dionysii Martyris, ubi ipse pretiosus corpore requiescit, detulit nobis concessiones* [1] *vel confirmationes anteriorum Regum, seu Domni* [2] *& genitoris nostri Pippini quondam Regis, qualiter à longo tempore omnes telloneos de villabus memorata Ecclesia, seu de* [3] *hominibus, qui super terras eorum commanere videntur; de* [4] *negociantibus eorum, qui per* [5] *ipsam casam Dei sperare noscuntur, ad* [6] *ipsam casam Dei concessissent, sed nos dum ita in eorum confirmationibus* [7] *vel præceptionibus anteriorum Regum invenimus, quod à longo tempore fuit concessum, proptereà per præsentem auctoritatem nostram denuò confirmamus, ut per Regna Deo propitio nostra, Francia* [8] *& Italia, tam de navibus, quæ* [9] *per universa flumina ad surrectum seu ad descensum, vel carrà, átque eorum saumas, necnon de hominibus* [10] *eorum, seu negociantibus, qui per ipsam casam sperare videntur, ubicumque, in quoscumque* [11] *pagos, tam in civitates, castellis, vicis, portubus* [12]*, pontibus* [13] *publicis, vel reliquos* [14] *mercatus advenerint, nec de* [15] *hominibus eorum, qui super eorum terris commanere videntur, nec in eorum villas vel agros, nec de* [16] *hominibus, qui ad foras in eorum villas ad negociandum, vel vina* [17] *comparandum advenerint, nullum telloneum, neque exclusaticum* ab exclusa seu claustura sic dictum, *neque decimum, nec barganaticum* à barga seu navicula sic appellatum, *nec rotaticum* [18]*, nec pontaticum* [19]*, nec cepitaticum, nec pulveraticum, nec salutaticum, nec mutaticum, nec de* [20] *navibus vel carra eorum, nec de* [21] *saumis, neque de hoc, quod homines eorum ad eorum dorsum portant, nec ad eorum negociantes, qui per* [22] *ipsam casam Dei sperare noscuntur, nec in eorum villas, nec agros, nec de* [23] *hominibus, qui ad foras in eorum villas ad negociandum vel vina comparandum advenerint, nec ad nostrum opus, nec ad vestrum, nec ad juniores* [24] *seu successorésque vestros, in nullo modo, in nullo telloneo, nullo exclusatico, infra Regna Francia* [25] *& Italia, seu* [26] *ubicumque, neque decimum exigere, nec exactores non debeatis, nisi, ut diximus, sicut eorum* [27] *instrumenta tenere videntur infra Regna Deo propitio nostra, sic habeant concessum atque indultum. Et ut hæc Præceptio firmior habeatur, subter eam decrevimus roborare, & de anulo* [28] *nostro sigillare. Signum Caroli Gloriosissimi Regis. Wigbaldus ad vicem Hitheri recognovit. Data pridie Idus Martias, anno septimo & primo Regni nostri. Actum Carisiaco Palatio publico, in Dei nomine feliciter. Amen.*

[1] concessionis vel confirmationis
[2] Domno & genitori nostro Pippino condam Regis
[3] de homines.
[4] de negociantes
[5] per ipsa casa
[6] ad ipsa casa
[7] confirmationis vel præceptionis
[8] Francia & Italia.
[9] qui
[10] de homines eorum, seu negociantes, qui per ipsa casa
[11] quascumque pagus
[12] portis,
[13] pontis
[14] reliquas mercadus
[15] [16] de hominis
[17] vino
[18] rodaticum.
[19] pondaticum.
[20] de navis
[21] de saumas
[22] per ipsa casa
[23] de hominis
[24] juniores seu successorésque.
[25] Francia & Italia.
[26] seo
[27] in eorum strumenta
[28] anulo

V. Altera, sic. *Carolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum. . . . . Venerabilis vir Fulradus Abba de Basilica peculiaris Patroni nostri Domni Dionysii Martyris, ubi ipse pretiosus Domnus in corpore quiescit, Clementiam Regni nostri supplicavit, eò quòd ab antecessoribus Regibus*

*à longo tempore omnis emunitas de villis præfata sanctæ Basilicæ fuerit concessa, unde ipsas & Præceptiones præ manibus se habere affirmat, & hoc usque nunc inviolabiliter asserit esse conservatum, idcircò petiit, ut hoc per nostram auctoritatem denuò, pro rei familiaritate, circa ipsum sanctum locum, vel homines, qui se cum substantia sua ad ipsam Basilicam tradunt vel condonant, juxta quod antecessores Reges per suas auctoritates ad ipsam Basilicam hoc præstiterunt vel confirmarunt, iteratò hoc circa ipsum Abbatem concedere & confirmare deberemus. Idcòque cognoscat Magnitudo seu Utilitas vestra, quòd nos pro reverentia ipsius sancti loci, vel pro quiete ibidem Deò famulantium, promptissimâ voluntate denuò concessimus, & in omnibus confirmavimus. Quapropter per hoc Præceptum, quod specialiter decernimus, & in perpetuum volumus esse mansurum, jubemus ut neque nos, neque juniores seu successores nostri, nec quislibet de judiciaria potestate accinctus, in curtes præfatæ Basilicæ Domni Dionysii, ubi & ubi in quibuscumque pagis infra Regna, quæ adquisivimus, Deo propitio, Italia quæ dicitur Longobardia, vel Vallis-Telina *, quam moderno tempore ad ipsam casam Dei delegavimus, quod pars ipsius Monasterii possedisse vel dominari videtur, vel quod à Deum timentibus hominibus per legitima instrumenta ibidem fuerit concessum, aut in anteà ibidem fuerit additum atque delegatum, nec ad causas audiendum, nec ad fidejussores tollendum, nec ad freda exigendum, nec ad mansiones aut paratas faciendum, nec ullas redibitiones requirendum, ingredi vel exigere quoquam tempore penitus præsumatur, sed quicquid fiscus noster exinde potuerit sperare, omnia & ex omnibus pro mercedis nostræ compendio, cum omnibus fredis ad integrum sibimet concessimus. Itaque, ut dictum est, inspectis ipsis Præceptionibus anteriorum Regum, vel juxta quod præsens nostra videtur continere auctoritas, quicquid ipse sanctus locus à die præsenti, ut diximus, habere probatur, quàm quod in postmodum à Deum timentibus hominibus, vel à nobis ibidem fuerit additum vel condonatum, seu quicumque justè & rationabiliter cum sua omni substantia se tradiderit, & res suas per legitima instrumenta delegaverit vel firmaverit, sub integra emunitate à die præsenti valeat residere quietus atque securus, &, ut dictum est, quicquid exinde forsitan fiscus noster sperare potuerat, in luminibus vel stipendiis, seu in alimonia pauperum ipsius Monasterii, perenniter per nostrum oraculum ad integrum in omnibus & ex omnibus sit concessum atque indultum, ut eos meliùs delectet pro stabilitate Regni nostri & quiete, vel pro cunctis Leudis nostris, Domini misericordiam attentiùs deprecari. Et ut hæc auctoritas nostris & futuris temporibus, circa ipsum sanctum locum perenniter firma & inviolata permaneat, vel per tempora illæsa custodiatur atque conservetur, & ab omnibus Judicibus meliùs credatur, propria manûs adnotatione studuimus adumbrare. Signum Karoli Gloriosissimi Regis. Wigbaldus ad vicem Hitherii recognovit. Data pridie Idus Martias, anno septimo & primo Regni nostri. Actum Carisiaco Palatio in Dei nomine feliciter. Amen.*

AN. CH. 775. CAROLI R. 7.

* *la Valteline.*

VI. Pascha quoque, quod in diem septimum ante Kalendas Aprilis incidit, apud Carisiacum celebravit Carolus, de quo sic Annalista Loiselianus. *In villa, quæ dicitur Carisiacum, Pascha celebravit, & habuit Synodum in villa, quæ dicitur Duria *.* Synodum quoque, seu generalem Francorum Conventum in procinctu belli Saxonici celebratum tradit Auctor Annalium Nazarianorum, sic. DCCLXXV. *Mai campus ad Duria. Et Carolus Rex cum exercitu Francorum in Saxonia.* Per illud tempus nata Carolo Regi Rotrudis ex Hildegarde. Lege quæ superioribus annis dicta sunt de nuptiis [a] Hildegardis Reginæ deque ortu Adeleidis [b] filiæ primogenitæ, necnon ea quæ de Carolo Caroli Regis filio dicentur anno proximo, tunc enim ex Adriani Papæ litteris textum proferemus, quo Carolum Rotrude sorore juniorem probabimus.

* *Duren.*

ROTRUDIS CAROLI R. FILIA NASCITUR.

[a] Ad an. 771. nn 5. & seqq.
[b] Ad an 774. n. 17.

VII. Ad hunc annum referenda Saxonum irruptio Daventriam usque, cùm sublatus ex hac vita jam esset Liafwinus Presbyter, de cujus obitu ante biennium locuti sumus, superstésque viveret Trajectensis Ecclesiæ Rector

AN. CH. 775.

CAROLI R. 7.

ECCLESIA DAVENTRIENSIS COMBURITUR A SAXONIBUS.

Gregorius, cujus mortem anno sequenti consignabimus. *Post Sancti Liafwini obitum*, inquit Altfridus in vita Sancti Ludgeri, *iterum impii Saxones vastaverunt locum illum*, nempe Daventriam, *& succenderunt Ecclesiam, corpúsque ejus per tres dies quæsierunt, nec invenire potuerunt.* Inultum hoc facinus non passus est Carolus, nam, teste Annalistâ Petaviano, *perrexit in Saxoniam, & conquisivit Sigeburgum, &, interfecta multa millia paganorum, victor remeavit in Franciam.* Habito apud Duriam, ut dictum suprà, Francorum Conventu, statim pertexit ad Rhenum, in itinere apud Theodonis villam quinto Nonas Maii pro Flaviniacensi Monasterio Præceptum emisit, cujus mentio fit inter analecta monumentorum Flaviniacensium ex schedis Sirmondanis à Labbeo [a] descripta. *Karoli Regis Francorum & Langobardorum, & Patricii Romanorum, teloneum omne remittit Mon. Flaviniaco, portaticum, pontaticum,* &c. *Data die 5. Non. Maii, & scripta per Radonem apud Theodonis villam Palatio publico, anno 7. prædicti Regis Karoli.* Qua de re fusiùs Hugo Flaviniacensis in Chronico Virodunensi. *Carolus Magnus contulit Deo & Sancto Petro Sanctóque Prajecto & Abbati Manasse, ut nulli hominum Flaviniacensis Ecclesia in omni Regno suo teloneum daret in civitatibus, mercatis, vicis, pontibus, portubus, nec de rotatico, barganatico, pulveratico, mutatico, salutatico, laudatico, & de hoc quod homines ad dorsa portare solent, quidquid ad jus fisci pertinebat, indulsit, ut de omnibus terris Monachorum in toto Imperio suo teloneum omne eis concessit quinto Nonas Maii, anno septimo Regni sui.* Iter è Theodonis villa Rex ad Rhenum, atque inde in Saxoniam prosecutus est. Bellum contra Saxones hoc anno gestum sic describit Annalista Loiselianus. *Immutavit se numerus annorum in* DCCLXXV. *Tunc pius atque præclarus Domnus Carolus Rex habuit Synodum in villa qua dicitur Duria. Et inde iter peragens partibus Saxoniæ, Sigisburgum Castrum cepit, Heresburgum reædificavit, super Wisoram fluvium venit, in loco qui dicitur Brunisberg. Et ibi præparabant Saxones bellum, volentes ripam supradicti fluminis defendere. Auxiliante Domino, & Francis decertantibus, fugientibus Saxonibus, Franci ambas ripas obtinuerunt, & multi Saxones ibi occisi sunt. Tunc Domnus Carolus Rex dividens exercitum suum, sumpsit secum quos voluit, & perrexit usque Obacrum fluvium. Ibi omnes Austreleudi Saxoniam venientes cum Hassione, dederunt obsides juxta quod placuit, & juraverunt sacramenta, se fideles esse partibus supradicti Domni Caroli Regis. Similiter inde revertente jam dicto mitissimo Domno Rege, venerunt Angrarii in pago, qui dicitur Buki, unà cum Brunone & reliquis Optimatibus eorum, & dederunt obsides ibi sicut Austrasii*, id est, sicut Austreleudi, sive Ostfali, seu Saxones Orientales. *Et inde revertente præfato Rege, invenit aliam partem de suo exercitu super fluvium Wisora, continentes ripam quam jussi fuerant. Saxones cum ipsis pugnam fecerunt in loco, qui dicitur Lidbad, & Franci, Deo volente, victoriam habuerunt, & plures Saxones occiderunt. Hoc audiente Domno Carolo Rege, iterum super Saxones cum exercitu, non minorem stragem ex ipsis fecit, & prædam multam conquisivit super Westfalaos*, id est, super Saxones Occidentales, *& obsides dederunt, sicut & illi alii Saxones. Et tunc obsidibus receptis, & prædâ multâ sumptâ, & pariter strage Saxonum factâ, supradictus Domnus Carolus Rex ad propria reversus est, auxiliante Domino, in Franciam.*

[a] Tom. 1. Biblioth.

CAROLUS EMITTIT PRÆCEPTUM PRO MON. FLAVINIAC.

VINCIT SAXONES.

VIII.

Sita est in hodierno Ducatu * Juliacensi Duria. Carolus habitâ illic Synodo Rhenum transiit, & de tribus Saxonum populis, id est, de Ostphalis, Angariis, & Westphalis, eo quo dictum modo triumphavit. Cùm *in villa Carisiaco hyemaret*, ait Annalista Laureshamensis, *consilium iniit, ut perfidam ac fœdifragam Saxonum gentem bello aggrederetur, & eò usque perseveraret, dum aut victi Christianæ Religioni subjicerentur, aut omnino tollerentur.* Post varios tandem labores, ut suo loco notabimus, votorum compos factus est. Certè bello Saxonico *nullum neque prolixius, neque atrocius, Francorúmque populo laboriosius* agnoscit Eginhardus [b], *quia Saxones, sicut omnes ferè Ger-*

* *le Duché de Juliers.*

[b] In vit. Car. M.

AN. CH. 775. CAROLI R. 7.

maniam incolentes nationes, & naturâ feroces, & cultui dæmonum dediti, nostraque Religioni contrarii, neque divina neque humana jura vel polluere, vel transgredi inhonestum arbitrabantur. Periculum, quod, per absentiam Regis, altera pars exercitûs Francici prope Visurgim hoc anno subiit, non dissimulavit Annalista Laureshamensis. *Pars, quam* Rex adversùs Angarios profecturus *ad Wisiram dimisit, in loco, qui Hudbeki vocatur, castris positis, incautè agens, Saxonum fraude circumventa atque decepta est. Nam cùm pabulatores Francorum circa nonam diei horam reverterentur in castra, Saxones eis, quasi & ipsi socii essent eorum, sese miscuerunt, ac sic Francorum castra ingressi sunt, dormientésque aggressi, non modicam incauta multitudinis cadem fecisse dicuntur. Sed vigilantium ac viriliter resistentium virtute compulsi, castris excesserunt, & ex pacto, quod inter eos ex tali necessitate fieri poterat, discesserunt. Quod cùm Regi fuisset allatum, quantâ potuit celeritate accurrens, fugientium terga insecutus, magnam ex eis multitudinem prostravit.*

IX. ITER IN ITALIAM SUSCIPIT PRÆMISSIS NUNCIIS,

Porrò Carolus bellum sic gessit Saxonicum, ut res Italicas haud neglexerit. Lectis Hadriani Papæ literis, quas anno priore descripsimus, statim Possessorem Episcopum & Rabigaudum Abbatem Oratores suos ad eundem Pontificem misit cum literis, per quas se, bello Saxonico confecto, quamprimùm iter in Italiam atque ad Apostolorum limina suscepturum significavit. Hadrianus obviam Regiis Oratoribus suos honoris causâ direxit Nuncios Perusium usque. Illi autem Perusio Spoletum profecti, per eosdem Nuncios Romano Pontifici Regias transmiserunt literas, scripserúntque Romam se venturos, postquàm cum Hildebrando Duce Spoletano colloquium habuissent. Hadrianus acceptis Caroli literis, nec expectato supradictorum Oratorum adventu, per alios, qui Romam priùs à Rege missi fuerant, hasce [a] literas ad eundem Carolum mox direxit rogans, ut juxta pollicitationem factam à Saxonia revertens ad limina Sancti Petri properaret. *Domno Excellentissimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Dum tantâ securitatis lætitiâ spiritalis mater vestra, Sancta Dei Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, dilatata laudabiliter permanet, etiam in Apostolica aula, ob vestrorum delictorum veniam, sedulò à nobis & cunctis Dei Sacerdotibus, orationum vota & sacrificiorum hostia divina offeruntur Majestati. Itaque, præcellentissime fili, conjungentes ad nos fidelissimi vestri Missi, scilicet Possessor sanctissimus frater noster Episcopus & Rabigaudus religiosus Abbas, detulerunt nobis desideratissimas vestra Sublimitatis syllabas, quas & cum nimia amoris dulcedine acceptantes suscepimus, relegentésque, & de vestra immensa prosperitate agnoscentes, magnas Omnipotenti Deo nostro tulimus laudes, qui nobis tam benignissimum ac Christianissimum Regem sua Ecclesia detulit defensorem. Continebatur quippe in ipsis vestris Regalibus apicibus, quòd, Domino protegente, remeantes vos à Saxonia, mox & de præsenti, Italiam vel ad limina protectoris vestri beati Apostolorum Principis Petri, ad implenda, quæ ei polliciti estis, properare desideratis. De quo audito nimis noster lætatus est animus unà cum universo nostro populo, eò quòd nimis desiderabiles sumus prominentissimum vestrum conspicere vultum. Quoniam satisfaciat tibi veritas, dulcissime & amantissime fili, atque à Deo institute Magne Rex, in eadem sponsione, quâ in invicem ante sacram ejusdem Dei Apostoli Confessionem adnexi sumus, firmi atque incommutabiles, diebus vitæ nostræ, cum universo nostro populo permanere satagimus. Unde & charitas vestri Regalis culminis nos provocat sedulò de vestra sospitate addiscere, & cognoscat vestra conspicua Excellentia, quia si mora de vestro adventu provenerit, magna nobis imminet voluntas, ibidem in vestrum adventum, ubicumque vos valuerimus conjungere, obviam proficisci. Intereà notioni vestra Excellentia deducimus de prædictis vestris fidelissimis Missis, quia sicut ad nos pervenerant, & vestra Regali potentia per nostros apices intimandum direximus, dum nobis præsentati fuissent ipsi Missi vestri, fideles in servitio fautoris vestri beati Petri Apostolorum Princi-*

[a] In Cod. Carol. ep. 63.

AN. CH. 775. CAROLI R. 7.

pis, & nostro, atque vestro reperimus. Pro quo petimus, ut benignè eos suscipere jubeatis. His prælibatis, divinam exoramus clementiam, ut suâ vos gratiâ multipliciter tueatur, tribuens vobis, atque Excellentissimæ filiæ nostræ Reginæ & amantissimis vestris natis, cùm ex Himiltrude, tum ex Hildegarde susceptis, id est, Pippino, Rothaidi, & Rotrudi, *longæva atque prospera tempora; Regni gubernacula possidenda, vestrísque vestigiis cunctas barbaras nationes prosternat, dilatans multipliciter terminos Regni vestri, etiam & cælestis Regni gaudiis vos faciat esse per infinita secula participes. Incolumem Excellentiam vestram, Domne fili, superna gratia custodiat.*

X. DE QVIBUS HADRIANUS PP. QUERITUR, [a] In Cod Carol. ep. 58.

Romanus Pontifex non leviter offensus, quòd Oratores Regii Spoletum perrexissent se insalutato contra mentem Caroli, qui scripserat eos Romam destinatos, multò ægriùs tulit eos Spoleti diuturno tempore moratos, rogatósque per alios Nuncios, ut Spoleto Romam se conferrent, Spoleto Beneventum quamprimùm abiisse. Questus est ea de re gravissimè suis ad Carolum literis [a], asseruítque auctam inde Spoletanorum protерviam, & Spoletanum Ducatum, quem Principi Apostolorum se præsente haud pridem obtulerat, sibi reddi postulavit. *Domno Excellentissimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Omnino confidimus, & certi sumus, quòd tua à Domino protecta Excellentia in his, quæ pariter loquentes inter nos convenerunt, firmiter atque immutabiliter permanere studeat, & charitatis vinculum in medio nostrum corroboratum, toto mentis adnisu, aeque syncero affectu, observare procuree, dum nos, Deo propitio, in ea ipsa habita in invicem dilectionis concordia cum magna synceritate mentis satagimus perseverare, quià Deo teste dicimus, à quo cum vestra melliflua Christianitate in alterno amicitia amore colligati sumus, maximam in tua à Deo inspirata benignitate habere videmur fiduciam, quòd omnes causas Sanctæ Dei Ecclesiæ & provinciæ nostræ salubri mancipentur effectui. At verò, Excellentissime & à Deo servate fili, bone & optime Rex, tuæ per hujus nostræ Apostolicæ relationis seriem deducimus notioni, quòd dum ad nos pervenisset de fidelissimorum vestrorum Missorum adventu, scilicet Possessoris sanctissimi fratris nostri Episcopi, seu & Rabigandi religiosi Abbatis, in magno gaudio noster relevatus est animus, quoniam desiderabilissimum est, assiduè Missos Excellentiæ vestræ solitè cum magno gaudio & decenti honore suscipere, & per eos de vestræ Sublimitatis sospitate certos esse. Unde nos illicò secundùm quod Missos vestræ Regalis potentiæ decet, omnem præparationem seu & caballos obviam eis direximus. Illi nempe dum Perusium conjunxissent, relaxantes recto itinere ad nos conjungendum, secundùm quòd à vestro à Deo protecto culmine directi fuerunt, &, ut vestros honorandos apices relegentes invenimus, nos despicientes ad Hildebrandum in Spoletum perrexerunt, dirigentes nobis per nostros Missos, quòd tantummodo cum Hildebrando loquimur, & deinde, ut directi sumus, unà vobiscum apud Domnum Apostolicum conjungemus. Postmodum enim, dum cum prædicto Hildebrando locuti fuissent, & apud eum diutiùs morarentur, nostras Apostolicas eis adjurantes direximus syllabas, per Deum Omnipotentem & vitam Excellentissimi filii nostri Domini Caroli Magni Regis, ut directi estis, ad nos conjungere satagite, ut unanimiter pertractemus, quod ad exaltationem Sanctæ Dei Ecclesiæ pertinuerit, & ad laudem Regni vestri præcellentissimi filii, agere studeamus, & tunc per dispositum, ut ejus Præcellentia decee Missos, apud Beneventum vos proficisci disponemus. Sed illi, nescimus quid pertractantes, statim à Spoleto in Beneventum perrexerunt, nos in magna derelinquentes ignominia, & Spoletinos ampliaverunt in protervia. Unde valdè hanc nostram perturbaverunt provinciam, & pro hac re in magna tristitia noster jacet animus, quia quantùm per illos exspectabamus suscipere sperata nuncia de exaltatione Sanctæ nostræ Ecclesiæ, sicut & in vestris reperimus honorandis apicibus, & nostri nobis tulerunt Missi, qualiter à vestra Regalitate injunctum habuerunt, in tanta afflictione & deminoratione conati sunt. Sed recordari te credimus, dulcissime atque amantissime fili, qualiter nos beni-*

AN.CH. 775. CAROLI R. 7.

gnissimo vestro ore affati estis, dum ad limina beatorum Principum Apostolorum Petri & Pauli properati estis, quia non aurum, neque gemmas, aut argentum, vel literas, & homines conquirentes, tantum fastidium cum universo à Deo protecto vestro Francorum exercitu sustinuissetis, nisi pro justitiis beati Petri exigendis, & exaltatione Sanctæ Dei Ecclesiæ perficienda, & nostram securitatem ampliare certantes, sed tanquam præsentialiter coram vestris mellifluis Regalibus obtutibus assistentes, observantes petimus vestram à Deo fundatam Regalem potentiam, ut de tanta & tali tribulatione, in qua nos ipsi vestri dereliquerunt Missi, velociter per fidelissimos & benignissimos vestros Missos, nos consolari & lætificari jubeatis, quia & ipsum Spoletinum Ducatum vos præsentialiter obtulistis protectori vestro beato Petro, Principi Apostolorum, per nostram mediocritatem, pro anima vestra mercede, & ita obnixè quæsumus, præcellentissime fili, ut nostram deprecationem de prædicta afflictione & prænominato Spoletino Ducatu celeriùs effectui mancipetis, quatenus dignam à misericordissimo Deo nostro, intercedente beato Petro Apostolorum Principe, pro cujus amore & reverentia autem nostris petitionibus accommodare inspiratus fueris, suscipias mercedem, quia Deo teste dicimus, nil nisi vestram cupimus exaltationem & lætitiam, dum, annuente Deo, magna inter nos atque insolubilis charitatis concordia corroborata est, permanentes in his, quæ mutuò inter nos afferentes confirmavimus. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

XI.

Oratores Regii Benevento Spoletum redierunt, rogarúntque Hadrianum Papam, ut Hildebrando Duci Spoletano, qui Romanæ Sedis hostem sub Desiderio Rege se gesserat, veniam noxæ tribueret, Nuncium & obsides Spoletum destinaret, Hildebrandum in conspectum admitteret. Aequievit Romanus Pontifex, Spoletum ire jussit Stephanum Sacellarium, hic autem Hildebrandum reperit animo in Hadrianum infensissimo; Spoletum enim venerant Oratores trium quoque Ducum, Aragis, Rotgaudi, & Reginaldi, quorum primus Beneventanis, alter Foro-Juliensibus, tertius Clusinis, Caroli Regis nomine, præerat. Inde vereri cœpit Pontifex, ne, communicatâ re motâque rebellione, simul id consilii caperent, ut tres illi Duces & Hildebrandus vires suas jungerent cum Græcis & Adalgiso Desiderii filio Longobardorum exrege, proximóque mense Martio terrâ maríque bellum in Ducatum Romanum transferrent, Romam ipsam invaderent, Ecclesias spoliarent, Summum Pontificem in captivitatem abducerent, Longobardorum Regem in solium & pristinam Majestatem restituerent. Quapropter alias literas [a] scripsit, quibus, velut in præsentissimo periculo positus; auxilium à Carolo cum crebris adjurationibus sic postulavit. *Domno Excellentissimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Reminisci consideramus à Deo protectam Excellentiam vestram, quòd sæpiùs vobis innotuimus de Hildibrando Spoletino Duce, seu Arigiso Beneventano Duce, atque Rotgauso Foro-Juliano, de sævissimo consilio, quod erga nos atque vos gerere non differunt. Nunc verò, dum fidelissimi vestri Missi, reverà Sanctissimus frater noster Possessor Episcopus, atque Rabigaudus religiosus Abbas, à Beneventano repedantes, per prædictum Hildibrandum ad nos properant, nimis nos absecrantes, propter nominati Hildibrandi noxam, ut ei veniam tribueremus; adserentes ut apud eum nostrum indiculum & obsides pro sua dubitatione mitteremus, & Hildibrandus nostris se præsentaret obtutibus. Nos quippe secundùm fidelissimorum Missorum vestrorum dictum, illuc usque Spoletum direximus Stephanum nostrum fidelissimum dudum Sacellarium, qui, cùm eum affatus fuisset, & tunc nostros ibidem destinassemus obsides, ipse nempe noster Missus, cùm apud eum conjunxisset, in magna eum invenit protervia, eò quòd Missos Arigisi Beneventani Ducis, seu & Rodgausi Foro-Juliani, necnon & Regnibaldi Clusinæ civitatis, Ducum, in Spoletio cum præfato reperit Hildibrando, adhibentes adversùs nos perniciosum consilium, qualiter, Deo eis contrario, proximo Martio mense adveniente, utrosque se in unum conglobarent,*

SUSPICATUS EOS HOSTIBUS SEDIS APOSTOLICÆ FAVERE.

[a] In Cod. Carol. ep. 59.

AN. CH. 775. CAROLI R. 7.

cum caterva Græcorum, & Athalgiso Desiderii filio, & terrâ maríque ad dimicandum super nos irruant, cupientes hanc nostram Romanam invadere civitatem, & cunctas Dei Ecclesias denudare, atque ciborium fautoris vestri beati Petri auferre, vel nosmetipsos, quod avertat Divinitas, captivos deducere, necnon Langobardorum Regem integrare, & vestra Regali potentia resistere. Ob hoc, præcellentissime fili, peto te, & tanquam præsentialiter adsistens cum divinis mysteriis, conjuro coram Deo vivo & vero, & ejus Principe Apostolorum beato Petro, ut sub nimia festinatione & maxima celeritate nobis subvenias ne pereamus, quoniam post Deum in tuis manibus nostras omnium Romanorum commisimus animas, ne nos derelinquas, aut differas solatium, ne dicant gentes, quæ in cuncto Orbe terrarum sunt. Ubi est fiducia Romanorum, quam post Deum in Regem & Regnum Francorum habebant? Et tu de omnibus, à Deo protecte dilectissime fili, ante tribunal Dei eris redditurus rationem, quoniam, ut præfati sumus, tuæ dulcissimæ Sublimitati, per Dei præceptionem & beati Petri, Sanctam Dei Ecclesiam & nostrum Romanorum Reipublicæ populum commisimus protegendum; & ita ad limina protectoris tui beati Petri Apostolorum Principis properare satagite, ut cunctos adversarios Sanctæ Dei Ecclesiæ, atque nostros seu vestros, Regalis vestri culminis substernantur vestigiis, & ea, quæ eidem Dei Apostolo vestris propriis pro anima vestra mercede obtulistis manibus, ad effectum perducatis, ut fructum bonum offerens in futuri examinis die merearis dicere. Domine meus, Princeps Apostolorum, beate Petre, cursum consummavi, fidem tibi servans, Ecclesiam Dei à superna clementia tibi commendatam de manibus persequentium defendens liberavi, & adsistens immaculatus coram te, offero tibi pueros, quos mihi commisisti de manibus inimicorum eruendos, sospites atque incolumes existentes. Tunc & qui in præsenti vita Regni gubernacula tenes, etiam & in futuro seculo cum Christo regnans cælestia præmiorum gaudia adipisci merearis, audiens nimirum paternam desiderabilem vocem illam inquientis. [Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis præparatum est ab origine mundi.] Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

XII. Tot Apostolicis epistolis opus non erat. Carolus à consilio, quod ante Saxonicam expeditionem susceperat, nunquam recessit; hoc enim eodem anno post suum è Saxonia reditum iter in Italiam suscepit. Id ita testatur Annalista Loiselianus. Victis Saxonibus *Carolus Rex ad propria reversus est, auxiliante Domino, in Franciam. Tunc audiens quòd Rotgaudus Langobardus fraudavit fidem suam, & omnia sacramenta rumpens, & voluit Italiam rebellare. Tunc illis in partibus cum aliquibus Francis domnus Carolus Rex iter peragens, & celebravit Natalem Domini in villa, quæ dicitur Scladistat*, sive, ut Regino loquitur, *Schlestat in Elsatio.*

XIII. Rotgaudi nefarius ausus iter Caroli Regis acceleravit. Profligatis enim Saxonibus Rex cis Rhenum reversus est, & apud Theodonis-villam mense Novembri morabatur, ut in Antiquitatibus San-Dionysianis [a] hæc docet Charta. *Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, necnon Patricius Romanorum. Quicquid enim ad loca Sanctorum venerabilium ob amorem Dei concedimus vel confirmamus, hoc nobis ad mercedem vel stabilitatem Regni nostri pertinere confidimus. Ideóque notum sit omnium fidelium nostrorum Magnitudini, qualiter propter nomen Domini, & animæ nostræ salutem, eò quòd merces [1] nostra in æternum permaneat, donamus ad [2] casas S. Dionysii & Sancti Privati, ubi ipsi pretiosi corpore requiescunt, Eadallago & Salona in pago Salminse, res proprietatis meæ in Wastingas, quas Adalbaldus genitori [3] meo tradidit, quantumcumque ad [4] ipsum locum aspicere videtur: similiter illos [5] mansos, quos genitor noster Fulrado beneficiavit, &c. & illos mansos ad [6] Carisiacum, quantumcumque ad [7] ipsos mansos aspicere videtur, donatúmque esse volo, id est, cum terris, accolabus, domibus, ædificiis, mansis, mancipiis, campis, sylvis, pratis, pascuis, vineis, aquis, aquarúmque decursibus, mobilibus & immobilibus, totum & ad integrum quicquid ad ipsa loca superiùs intimata aspicere videtur, partibus*

MUNIFICUM SE PRÆBET ERGA MONASTERIA.

[a] Lib. 3. c. 6.
[1] merces
[2] ad casa
[3] genitore
[4] ad ipso loco
[5] illus mansus,
[6] ad Carisiaco.
[7] ad ipsus mansus

Sancti Dionysii & Sancti Privati donamus, tradimus, atque in omnibus indultum esse volumus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus quislibet de fidelibus nostris, neque de judiciaria potestate, prædictas casas Dei, vel Rectores, de [1] ipsis rebus superiùs insertis inquietare, nec calumniam generare nullatenus præsumat [2], sed, ut diximus, nostris & futuris temporibus ad [3] ipsa loca sancta proficiat in augmentis. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora meliùs conservetur, manu propriâ subter eam decrevimus roborare, & de anulo nostro jussimus sigillare. Signum Karoli Gloriosissimi Regis. Rado ad vicem Hitherii recognovit. Data in mense Novembro, anno octavo & secundo Regni nostri. Actum Theodone villâ, in Dei nomine feliciter. Amen.

[1] de ipsis vel superiùs insertas

[2] præsumatur.

[3] ad ipsis loca sancta

XIV. Ut hujus anni menses Februarium & Martium cum anno Caroli Regis in Francia septimo, in Italia primo, comparavimus; sic & mensem Novembrem anno ejusdem Caroli Regis in Francia octavo, in Italia secundo, illigamus; quia Carolus in Francia post Pippinum patrem mense Septembri regnare cœpit anno Christi septingentesimo duodesepruagesimo, nec Regem se Longobardorum dixit, priusquàm Ticinum cum Desiderio Longobardorum Rege cepisset, civitatem autem illam ad deditionem compulit anno Christi septingentesimo sepruagesimo-quarto post mensem Martium, obsidione enim adhuc durante Pascha Romæ celebravit tertio Nonas Aprilis.

XV. Chartam proximè descriptam de solo Sancti Privati Monasteriolo, quod in pago Salminsi Metensis Diœceseos erectum est, explicuit Dubletus rarus illi loco utrumque nomen inditum Sancti Dionysii & Sancti Privati. Multa nos aliter sentire cogunt. Bona largitur Carolus in locis valdè dissitis, Salonam in pago Salminsi, mansos ad Carisiacum. Monasteriolum Sancti Privati, quoniam conditum apud Salonam, cognominatur Salonense *, longissimèque distat à Carisiaco, sed inter Carisiacum & Sancti Dionysii Monasterium quod situm est in agro Parisiensi, brevis est itineris intercapedo. Unde colligimus Carolum in suo Præcepto de duabus Dei casis locutum, quarum altera in Episcopatu Parisiensi nomen Sancti Dionysii, altera in Episcopatu Metensi nomen Sancti Privati gerebat. Opinionem nostram in eadem Charta confirmat Præceptio Caroli, ne quis *prædictas casas Dei, vel Rectores inquietare præsumat*, ideóque ad locum, ubi Dubletus legit *ad casa S. Dionysii & Sancti Privati, ubi ipsi pretiosi corpore requiescunt*, nos reposuimus *ad casam*, ut ipse restituendum insinuabat, sed *ad casas*, ut Monasteria Sanctorum Dionysii & Privati distinguantur, *ubi ipsi pretiosi corpore requiescunt*, Sanctus Dionysius in agro Parisiensi, Sanctus Privatus in oppido Salonensi. Fuit Abbas utriusque loci Fulradus, qui non tantùm Sancti Privati Monasteriolum, sed & alia, quæ priùs construxerat quàm Abbas San-Dionysianus fieret, Cœnobio San-Dionysiano subjecta esse voluit, ut ex ejus Testamento liquet.

S. DIONYSII IN AGRO PARISIENSI, ET S. PRIVATI IN DIOECESI METENSI.

* S. Privé de Salone.

XVI. Interpolator Continuatoris Aimoiniani [a], narrato bello, quod anno Christi septingentesimo duodesexagesimo Pippinus Rex in Saxonia feliciter gessit, Laufredi Monasterii Sancti Germani prope Parisios Abbatis obitum proximè commemorat. At Laofredus seu Lantfridus multò seriùs è vita discessit, hoc videlicet anno, pridie Idus Februarii. Dies in Necrologio notatur, annus in vetusto Codice manuscripto de cyclis Paschalibus. Successit Wichadus seu Guichardus aut Richardus, cujus mentio fit in literis hoc ipso anno, Caroli Regis septimo datis, ut Joannes Mabillonus in observationibus Translationi Sancti Germani Parisiensis Episcopi præviis docet [b].

ABBATES MON. S. GERMANI PRATENSIS.

[a] Lib 4. c. 64.

[b] Tom. 2. Sec. 3. Benedict.

XVII. Tomo superiore [c], cùm de Nemetensibus seu Spirensibus Episcopis ageremus, Davidis obitum anno Christi septingentesimo undequinquagesimo consignavimus, ostendimúsque locum in illorum Episcoporum Catalogis Basilio concedendum esse Davidem inter ac Sigenninum, cui Pontificales

[c] Ad an. 749. nn. 71. & seqq.

EPISCOPI SPIRENSES.

AN. CH. 775. CAROLI R. 7.

Insulas hoc anno delatas Demochares, Eisengreinius, aliique scribunt. Sedit igitur Basilius annos sex ac viginti. Sigenninus autem seu Sigewinus vixit ad annum usque Christi secundum supra octingentesimum, ut Bruschius Auctorésque proximè citati testantur.

XVIII. ARETINI. Aretinam quoque Ecclesiam ad hunc usque annum rexit Comnimundus, cui tribuit Ughellus annos in Episcopatu quatuor ac viginti. Successit Elvetus, cujus solum superest nomen.

XIX. PLACENTINI. Hoc etiam anno vitam finivit Desiderius Placentinus Episcopus, cùm piè sanctéque munus Pastoris obiisset per annos viginti. Sepultus fuit in Æde Sancti Joannis Evangelistæ, quam, teste Ughello, *non ita pridem consecraverat*. Suffectus ei Maurus, qui quinquennio tantùm sedit.

XX. PARMENSES. Apud eundem Auctorem hoc anno commendatur Hieronymus Parmensis Episcopus.

XXI. Inter instrumenta publica, quæ rerum Burgundicarum Historiæ conducere plurimùm possunt, Stephanus Perardus Chartam publicavit datam *die Dominico proximo post Kl. Martias, anno VII Regni Domni Karoli Regis*, id est, hoc anno, tertio Nonas Martii, currente tum litera Dominicali A.

ANSEGAUDUS MUNIFICUS ERGA MON. S. BENIGNI.

Charta talis est. *Domino sacrosanctæ Basilicæ Domni Benigni Martyris, sub oppido Divionis constructa, ubi venerabilis vir Waldricus praesse videtur Abbas. Ego in Dei nomine Ansegaudus cogitans pro remedio animæ meæ, vel veniam peccatorum meorum, vel uno consensu nostro, prolis meis, seu nepotibus meis, ut res meas proprias in pago * Attoariorum, in loco nuncupante in villa Sanctocolonica sive Bergas, ad memoratam Ecclesiam concedere deberem. Quod & ita in Dei Nomine feci; hoc est, mansos cum suprapositis casis, ædificiis, curtiferis, campis, pratis, vineis, pomiferis, cultis & incultis, vel omni re inexquisitâ, aquis, aquarúmque decursibus, exiis, & regressis, vel quicquid in ipsa villa denominata, tam ego, quàm hæredes mei, visi sumus habere, vel possidere, à die præsenti ad memoratam Ecclesiam, vel suis custodibus, tam Presbyteris, Diaconibus seu Lectoribus, in eorum trado atque transfundo dominatione, ut quicquid ab hac die de jam dictis rebus, tam ipsi custodes, quàm successores eorum, ab hàc die ad eorum augmentum facere voluerint, liberam in omnibus, & in Dei Nomine, jure perpetuo faciendi quod voluerint, habeant potestatem. Si quis verò, si ego, aut aliquis de hæredibus meis, vel qualibet ulla opposita persona, quæ contra hanc cessionem voluntate meâ conscriptam venire, aut aliquam calumpniam generare voluerit, non valeat evindicare quod repetit, sed inferet ad memoratam Ecclesiam, vel suis custodibus, duplum tantum quantum ista cessio eo tempore implicitum habuit; aut ipsa res eo tempore meliorata valuerint, fisci juribus aurò uncias tres, argenti verò pondus duos; & nichilominùs præsens cessio omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione subnixa. Actum Divioni ad Basilicam Domni Benigni publicè. Signum Ansegaudi, qui hanc cessionem fieri & firmare rogavit, &c. In Dei Nomine ego Subrandus Presbyter hanc cessionem scripsi & subnotavi, die Dominico proximo post Kl. Martias, anno VII Regni Domini nostri Karoli Regis.* Hujus Donationis mentionem sic facit Chronographos San-Benignianus. *Tempore illo quo prænominatus Rex Magnus Carolus accepit Regni curam, Abbas nomine Waldricus regebat hanc Abbatiam, cujus tempore quidam vir, Ansegaudus nomine, partem suæ hæreditatis, quam possidebat in villa Salonis vocata, necnon & alia villa, vocabulo Bargis, contulit Ecclesiæ Sancti Benigni Martyris.*

* Le Païs d'Attevar.

XXII. HERULFUS ABDICAT EPISCOPATUM LINGONENSEM. Sub hunc annum, Herulfus sive Hariolphus, qui Lingonensis Episcopus & Elwacensis Abbas erat, Episcopatum Lingonensem dimisit, séque totum addixit Elwacensi Monasterio, quod ab anno Christi septingentesimo sexagesimo-quarto in patrio solo construxerat regebàtque. Plures Lingonensium Episcoporum Catalogos consuluimus. Ab anno Christi septingentesimo undeseptuagesimo, quo Herulfus Lingonensis Episcopus Synodum Romanam cum aliis Præsulibus celebravit, ad annum usque Christi

AN. CH. 775. CAROLI R. 7.

ſeptingenteſimum octogeſimum-tertium, ſive ad annum uſque Caroli Regis decimum-quintum, quo Waldricus Lingonenſis Epiſcopus & Abbas San-Benignianus in vetere Charta pro Monaſterio Sancti Benigni commendatur, nulla reperitur epocha. Sed aliunde innoteſcit Herulfum Epiſcopum in flagrantiſſima Pippini, Carolomanni & Caroli Regum amicitia fuiſſe. Quapropter poſt Carolomanni mortem, cui Lingones paruerunt, ſpontanea ejuſdem Herulfi Lingonenſis Epiſcopi abdicatio dubio procul in tempora Caroli tum Monarchæ rejici debet, nec malè in hunc circiter annum, qui Monarchiæ à Carolo ſuſceptæ quartus numeratur.

XXIII. Præter ea, quæ ſuperiore Tomo retulimus, Jacobus Vignierius in Chronico Lingonenſi hæc de Herulfo Epiſcopo ſubjicit haud omittenda. *Solitudinis amans, poſt paucos annos*, ex quo videlicet è Romana Synodo redierat, ſeu poſt paucos annos à ſeptingenteſimo undeſeptuageſimo, *in Elwangenſe fraternæ ditionis Monaſterium conceſſit, Arvulfóque ſeu fratri ſeu nepoti baculum Paſtorale reſignavit. Videtur ille auctor extitiſſe ejus fraternitatis, ſeu ſocietatis, quæ tum fuit inter Canonicos Lingonenſes & San-Gallenſes Monachos*. Succeſſit igitur in Epiſcopatum Arvulfus ſive Ervulfus, quem alii Scriptores Herulfi ſive Hariolphi fratrem conſtituunt.

SECEDIT IN MON. ELWACENSE. SUCCEDIT ARVULFUS.

XXIV. Rumoldus Mechliniæ Patronus, Dublinenſis in Hybernia quondam Epiſcopus, cujus mentionem [a] Tomo ſuperiore jam fecimus, hoc anno, octavo Kalendas Julii, Martyrium ſubiit. Utrumque notat Molanus [b] ex Martyrologio Mechlinienſi. Diem, ſic. *Machliniam petiit ſibi divinitus revelatam, quam octavo Kalendas Julii conſecravit Martyrio*. Deinde annum ac genus Martyrii, ſic. *Anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quinto, duo ſicarii ſecure dirum vulnus in caput Epiſcopi inflixerunt, unde mox Martyr migravit. Unus ad hoc facinus impellebatur cupidine auri, alter quia à Præſule de adulterio erat reprehenſus*. Theodoricus Abbas Trudonianus in oratione, quam de Sancti Rumoldi laudibus in ejus feſto recitavit, utrumque ſicarium avaritiâ excæcatum, neutrum adulterii reum dixit. Illius textum, ut editus eſt à Surio [c], deſcriptum accipe. *Invidia recrudeſcit diaboli, novos cœtus cernentis quotidie adunari, ſe impigrè impugnari, interdum etiam ſuperari; inficit notâ peſte duos quondam Sancti viri comites, qui ſolum aliquando gradientem & ex more Pſalmos ruminantem, ex adverſo, lethali vulnere excipiunt, ſpe adipiſcendæ pecuniæ, quam ſolitus eſſet circumferre. Miſeri profectò & proditoris Judæ digniſſimi laqueo, qui dum vaniſſimum ſequuntur quæſtum & turpe lucrum, tanti támque religioſi Sacerdotis incurrunt magiſtricidium. Præterea factum volentes palliare, ſceleri crimen addunt, raptúmque ſacratiſſimum corpus præterlabentibus undis injiciunt; regreſſi mendaciorum foliis rem geſtam cooperiunt, fruſtrà tamen. Piſcatoribus enim noctu circa negocia partito labore occupatis lux cæleſtis incanduit, & quo loco ſacratiſſimum illud corpus delitescebat, ſuperfuſis luminariis apparuit. Perterriti homines, & nihil per ſe præſumentes, Comitem adeunt, novitatem rei patefaciunt, prodigium aliquod id ſibi videri perſuadent & promittunt. Odo ſocium ſe præſtat navigii, ſolitóque jocundatus luminariorum miraculo, jactis retibus nobilem piſcaturam haurit, & ſacratiſſimum illud funus cum jubilo ad terram trahit. Impoſitum vehiculo, quo nunc requieſcit, loco deportat, & ſepulturam celebri ſumptu curat.* Vivebat hic Encomiaſtes anno centeſimo ſupra milleſimum. Varia, quibus ſuperſedemus, ſubjecit miracula, nec omiſit arborem tum ſuperſtitem è faginea ſylva, quam Rumoldus olim nutriverat. Molanus beati Martyris tria celebrat feſta, diem Natalem, Tranſlationem & Relationem. De die Natali ſic ſcribit. *Machliniam octavo Calendas Julii conſecravit Martyrio. Sed quia eodem die, ſanctiſſimi Baptiſtæ & Præcurſoris Domini celebratur Nativitas, Romanus Pontifex Alexander Quartus Paſſionem Martyris in Nativitatis prædictæ octavis inſtituit ſolennizari.* Et paulò pòſt. *Natalis celebratur Mechliniæ Calendis Julii, & thecam habet argenteam valdéque ſumptuoſam, cui parem in*

[a] Ad an 756. n 37.
[b] d. 1. Jul. n. 1.
RUMOLDUS MARTYR.
[c] d. 1. Jul.

AN. CH. 775. CAROLI R. 7. LIBERTUS ABB. ULMETI.

Belgio non reperias. De Translatione & Relatione, sic. *Sunt & secundaria festa: decimo-quinto Calendas Novembris, in Machlinia, Translatio beati Rumoldi Martyris atque Pontificis; sexto Calendas Novembris, in Machlinia, Relatio beati Rumoldi Episcopi & Martyris.* Libertus, cui Rumoldus Ulmeti Monasterii Præfecturam dimiserat, Magistro suo superstes diu vixit, & Martyrium in Hasbania passus est, ut infrà dicturi sumus.

XXV. a L. 2. c. 17. LITERÆ ADRIANI PP. AD TILPINUM REMENSEM ARCHIEP.

Exeunte hoc anno scriptas arbitramur literas, quas apud Flodoardum a Adrianus Papa Tilpino Remensium Archiepiscopo dirigit. Citiùs datæ non videntur, quia Tilpinus de recuperandis Episcopii rebus apud Carolum priùs egit, priúsque petente eodem Carolo & Fulrado Abbate bonum testimonium præbente Pallium ab Adriano transmissum accepit; addeque quòd Adrianus in illis literis laudat Possessorem Episcopum, qui Romam à Carolo missus est hoc anno, & obitâ Legatione in Galliam rediit. Seriùs quoque datæ non videntur eædem literæ, quia superstitem commendant Weomadum Trevirensem Archiepiscopum, de cujus obitu nobis agendum erit anno sequenti.

XXVI. DE PALLIO,

Literas suas Adrianus Papa sic orditur. *Adrianus Episcopus, servus servorum Dei, Reverentissimo & Sanctissimo Confratri nostro Tilpino Ecclesiæ Remensis Archiepiscopo. Quia ad petitionem spiritalis filii nostri & Gloriosi Regis Francorum Caroli, prabente tibi bonum testimonium de sanctitate & doctrina Fulrado amabilissimo Abbate, Franciæ Archipresbytero, Pallium secundùm consuetudinem tibi transmisisse nos cum Privilegio, ut Metropolis Ecclesia Remensis in suo statu maneret, benè memoramus.* Deinde multa subjungit de Remensibus Archiepiscopis, Rigoberto, Abele, & Milone, quorum postremus, cùm Trevirensis Archiepiscopus jam esset, Ecclesiam Remensem invasit solâ tonsurâ Clericus, nihilque prorsus sapiens de ordine Ecclesiastico. Ista suis locis per fragmenta descripsimus, nec repetemus.

XXVII. DE REBUS ECCLESIÆ REMENSIS,

Sequuntur alia, quæ Tilpinum pro recuperandis Ecclesiæ rebus, próque asserendo, quo decessores gavisi fuerant, jure Metropolitico, valdè sollicitum probant. *Tua fraternitas*, inquit Adrianus, *jam ex magna parte ipsas res apud Gloriosum filium nostrum Carolum, & antè ad Carolomannum Gloriosissimum fratrem ejus*, ut Tomo superiore dictum est, *impetratas habes, & ordinem ex aliqua parte, & in Episcopiis, & in aliis, secundùm Canonicam & Sanctæ Sedis Romanæ auctoritatem directum habes, propterea petisti à nobis, tibi & Ecclesiæ tuæ fieri Privilegium ex auctoritate Beati Petri Principis Apostolorum & Sanctæ Sedis Romanæ ac nostra, ut quod perfectum habes in antè valeat permanere, & quod adhuc perfectum non habes, per nostram auctoritatem possis, auxiliante Deo & Beato Petro Apostolo, ad perfectionem perducere. Pro quo & nos ardenti animo, & divino juvamine Apostolicâque fulti auctoritate, non solùm vetera secundùm sacros Canones & Apostolica hujus Sanctæ Sedis decreta statuimus, sed & nova tibi pro tuo bono studio concedimus, atque auctoritate Beati Petri Principis Apostolorum, cui data est à Deo & Salvatore nostro Jesu Christo ligandi solvendique potestas peccata hominum in cælo & in terra, confirmamus atque solidamus Remensem Ecclesiam, sicut & antiquitus fuit, Metropolim permansuram, & primam sua Diœceseos Sedem esse, & te, qui in eadem Sede, cooperante Deo, ordinatus es, Primatem ipsius Diœcesis esse, cum omnibus civitatibus, quæ, ab antiquo tempore, Remensi Metropoli Ecclesiæ subjectæ fuerunt, atque etiam perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis sit confirmatum. Et hoc interdicentes, ut nullus audeat juxta sanctorum Canonum traditionem ex alio Episcopatu ibidem translatare, aut constituere Episcopum post tuam de hoc seculo evocationem. Neque aliquis tuas Parochias aut Ecclesias vel civitates subtrahere, neque Diœcesim Remensem ullo unquam tempore dividere, sed integra maneat, sicut antiquitus fuit, & sacri Canones & prædecessorum nostrorum firmavit & nostra firmat auctoritas. Et te, aut futuris temporibus Remensem Episcopum, & Primatem illius Diœcesis non præsumat, neque*

DE METROPOLITANA DIGNITATE,

valeat unquam aliquis de Episcopatu dejicere sine Canonico judicio, & neque in ullo judicio sine consensu Romani Pontificis, si ad hanc sanctam Sedem Romanam, quæ caput esse dinoscitur orbis terræ, appellaverit in ipso judicio. Sed in sola subjectione Romani Pontificis permanens, Diœcesim & Parochiam Remensem, adjuvante Domino, & nostrâ atque Beati Petri fultus in ista sancta Sede auctoritate, secundùm sanctos Canones, & hujus Sanctæ Sedis Præceptiones, tibi subjectos ita certes & studeas gubernare, ut illam desiderabilem vocem Domini nostri Jesu Christi valeas cum electis ejus audire; [Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.] Et quod ad nostram notitiam perduxisti, quia ad alios Episcopos de ipsa Diœcesi Remensi quidam accipiebant ordinationes, & habebant indebita refugia, & hoc per omnia prohibemus. Sed sicut sacra docet auctoritas, & in Synodis comprovincialibus convocandis & faciendis, & in ordinationibus ac dijudicationibus, Remensis Ecclesia & Archiepiscopus, qui in ea constitutus fuerit, talem habeat auctoritatem, sicut sacri Canones & hujus sanctæ Ecclesiæ constitutiones docent. Et nullus per ullum unquam tempus tibi vel Remensi Ecclesiæ de rebus ad illam debitè pertinentibus, divisionem vel violentiam, sicut anteà factum fuit, facere præsumat. Nam si quod non credimus, si quis ille fuerit, qui contra hanc nostram Præceptionem temerario ausu venire tentaverit, nisi se citò & maximè post commonitionem correxerit, sciat se æterno Dei judicio anathematis vinculo esse innodatum. Si quis verò Apostolica servaverit Præcepta, & normam rectæ & orthodoxæ fidei fuerit assecutus, benedictionis gratiam consequatur. Hæc à nobis definita per hujus nostræ confirmationis paginam in tua Ecclesia perpetuis temporibus pro sui confirmatione conservanda esse mandamus.

Ex hoc Adriani textu liquet Miloni Trevirensium Archiepiscopo, Metropolitæ Belgicæ primæ, cùm Remensem Ecclesiam Belgicæ secundæ Metropolim occupavit, id consilii fuisse, ut Sedi Remensi jus Metropolitanum adimeret, & è duabus Galliæ Belgicæ provinciis unam conflaret, cujus Metropolis Augusta Trevirorum. Inde orta scandala, de quibus apud Adrianum questus est Tilpinus. Ille verò præcitatâ responsione decernit, ut Remensis Ecclesia, sicut & antiquitus fuit, Metropolis permaneat, & suæ Diœceseos, id est, Belgicæ secundæ, prima sit Sedes, Tilpinúsque, qui in ea Sedæ ordinatus est, ejusdem Diœceseos seu provinciæ sit Primas. Adrianus Remensem Archiepiscopum Belgicæ secundæ seu Remensis provinciæ Primatem constituit, ne quid auctoritatis in eum sibi vendicare præsumat Archiepiscopus Trevirensis tanquam Metropolitanus Belgicæ primæ. Remensi Metropoli subjacent undecim suffraganeæ Sedes; Catalaunensis, Laudunensis, Noviomensis, Suessionensis, Silvanectensis, Bellovacensis, Ambianensis, Taruannensis, Atrebatensis, Cameracensis, & Tornacensis. Statuit Adrianus, ut eædem civitates, quæ ab antiquo tempore Remensi Metropolitano subjectæ fuerunt, Tilpino ejúsque successoribus subsint, vetátque ne quis Parochias aut Ecclesias vel Civitates è provincia Remensi subtrahat, aut eam dividat, vel Remensem Archiepiscopum illius Diœceseos seu provinciæ Primatem de Episcopatu dejiciat sine Canonico judicio & consensu Papæ, si ad Sedem Romanam appellaverit. Eundem Primatem vult in sola subjectione Romani Pontificis permanere. Denique adhibitâ prohibitione, ne Clerici Remenses ab aliis ordinentur Episcopis, ex sacra sancit auctoritate, ut secundùm sacros Canones & Apostolicæ Sedis Decreta Remensis Archiepiscopus jurisdictionem in Synodis comprovincialibus, in ordinationibus ac dijudicationibus habeat. XXVIII.

De ordinatione Lulli Moguntiacensis Archiepiscopi, qui Sancto Bonifacio successerat, ad aures Romani Pontificis aliquid sinistri pervenit, idcircò Adrianus in fine literarum Tilpino præcipit, ut assumptis secum XXIX.

AN. CH. 775. CAROLI R. 7. DE ORDINATIONE LULLI MOGUNT. ARCHIEP.

Weomado & Possessore Episcopis cum Missis Regiis de Lulli ordinatione, déque illius fide, doctrinâ, conversatione, moribus ac vita, diligenter inquirat. *Injungimus etiam fraternitati tuæ, ut quia de ordinatione Episcopi, nomine Lulli, S. Maguntinæ Ecclesiæ, ad nos quædam pervenerunt, assumptis tecum Viomago & Possessore Episcopis, & Missis gloriosi ac spiritalis filii nostri Caroli Francorum Regis, diligenter inquiras omnia de illius ordinatione, & fidem ac doctrinam illius, atque conversationem, & mores, ac vitam investiges, ut, si aptus fuerit & dignus ad Episcopalem Cathedram gubernandam, expositam & conscriptam & manu suâ propriâ subscriptam Catholicam & Orthodoxam fidem per Missos suos cum literis ac testimonio tuo seu aliorum Episcoporum, quos tecum esse mandavimus, ad nos dirigat, ut Pallium illi secundum consuetudinem transmittamus, & ordinationem illius firmam judicemus, & in eadem S. Ecclesia Maguntina Archiepiscoporum constitutum esse faciamus. Benè vale.*

XXX. *Mirari subit*, inquit Mabillonus [a], *quid causa fuerit, cur Hadrianus examinari voluerit Lulli ordinationem ante annos decem peractam*, imò ante annos viginti, Lullus enim ordinatus est superstite Bonifacio, & Hadrianus Lullo scripsit, Carolo non tantùm Rege, sed & Franciæ Monarchiam Remósque post Carolomanni fratris obitum adepto. Quærit hic Auctor, an id factum, *quia Lullus vivente Bonifacio fuerat ordinatus?* Et rectè respondet quòd *Zacharias id ratum habuerat, quamquam antè designari quidem permiserat successorem, sed jusserat, ut post Bonifacii mortem Romam veniret ordinandus*. Lege quæ Tomo superiore dicta sunt ad annos Christi septingentesimum duodequadragesimum [b], septingentesimum quadragesimum-tertium [c], & septingentesimum duodequinquagesimum [d]. Tomo quoque superiore actum de contentione, quæ post Sancti Bonifacii Martyrium inter Lullum Archiepiscopum Moguntinum & Sturmium Abbatem Fuldensem adeò exarsit, ut agente Lullo Sturmius odium Pippini Regis incurrerit, pulsúsque sit in exilium procul à suo Monasterio. Lullus ex ea lite, quæ nec Abbatis reditu sopita fuit, *invidiæ notam apud amicos & laudatores Sturmii retulit, & forsitan*, ut Mabillonus scribit, *ob hanc causam malè audiit apud Hadrianum Papam*. Jura sui Cœnobii propugnabat Abbas, oppugnabat Archiepiscopus. Lis erat ex earum numero, quæ bilem utrique parti movere solent, nec ita facilè componuntur. Apud Romanum Pontificem querelas adversùs Archiepiscopum à Monachis Fuldensibus iteratas arbitramur. Hadrianum, ut de Lullo sinistrè quid in suis ad Tilpinum literis suspicaretur, fortè commovit præstantissima Sturmii fama, qui nuper amicitiam inter Carolum Regem ac Thassilonem Bojariæ Ducem redintegrarat, & Saxonum eruditioni conversionique sedulus incumbebat.

[a] Sec. 3. Benedict. Tom. 2. in S. Lullo, n. 7.

[b] Num. 2. [c] Num. 23. [d] Num. 60.

XXXI. Quæres quarum Sedium Episcopi fuerint Viomagus & Possessor, quorum mentio fit in literis Hadriani Papæ. Viomagus vitiosè scribitur, restituendus est Weomadus, qui Trevirensem Archiepiscopatum ab anno Christi septingentesimo quinquagesimo-tertio gerit. Metropoli Trevirensi tres subsunt in Belgica prima Sedes suffraganeæ, Tullensis, Virodunensis, & Metensis. Harum uni Possessorem Episcopum præesse propter Remotum viciniam admodum probabile videtur. Per hæc tempora Metis sedet Angelramnus, Madelveus Viroduni. De Angelramno sæpè jam locuti sumus loquemúrque, Pontificatum enim ab anno Christi septingentesimo duodesexagesimo ad annum usque Christi septingentesimum nonagesimum-primum tenuit. Madelveus hoc eodem anno, qui partim cum septimo partim cum octavo Caroli Regis componitur, Basilicam Sancti Vitoni, cujus etiam Abbas est, reditibus auget, de quibus sic Hugo in Chronico Virodunensi. *Huic ergo loco*, id est, Ecclesiæ Beati Vitoni, *Madelveus anno vitæ suæ penultimo, dono Teutgardi * adquisivit res quasdam sitas in Virdunensi pago, loco, qui dicitur Offebriis curtis, & in fine Bettiliniaca,*

MADELVEUS EP. VIRODUN. MUNIFICUS ERGA MON. S. VITONI.

* Teuthardi.

AN. CH. 775. CAROLI R. 7.

in fine quoque Vindelinse, quas idem Teutgardus à genitore suo Gunthero filii relictas jure possidebat hæreditario, in terris, mansis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarúmque decursibus, & Basilicam Sancti Martini in ipsa villa Bestiliniaca constructam, quæ omnia, sicut habebat & possidebat, Sancto Vitono & huic patri nostro idem contulit perpetualiter possidenda anno Inc. Dom. DCCLXXV. Indictione XIV. regnante Carolo Magno, anno Regni ejus octavo, die quinto Idus Novembris, in ipsa scilicet solemnitate Sancti Patris nostri Vitoni. Sed per hæc tempora mancus est Tullensium Episcoporum Catalogus, ibique post Godonem, qui regnante Pippino Præsulatum obtinuit, commodè collocari potest Possessor, de cujus successoribus agemus infrà. EPISCOPI TULLENSES.

XXXII. LAUS LULLI ARCHIEP. MOGUNT.

Acceptis Adriani Papæ literis, quid in causa Lulli Tilpinus cum Weomado & Possessore peregerit, haud scitur. Duo tamen certissimè constant. Lullus, quæcumque simultatis inter eum ac Sturmium causa fuit, rediit in gratiam cum Monachis Fuldensibus, & magnum sibi nomen ob pietatem ac doctrinam comparavit. Singularem illius benevolentiam erga Fuldense Monastetium probat insignis Donatio facta *regnante Domino Carolo Francorum & Longobardorum Rege ac Patricio Romanorum, die 25 mensis Septembris, die Dominico,* id est, anno Christi septingentesimo octogesimoquinto, qui præditus fuit literâ Dominicali B, ut fusiùs ad illum annum exponemus. Illustrem quoque Lulli famam variæ prædicant epistolæ, per quas eum multi gravissimis de rebus consuluerunt Episcopi, compluresque Reges amicum sibi devincire cupierunt. Nonnullas jam citavimus, allegabimus ceteras ut occasio postulabit, utrasque verò Bonifacianis insertas reperies.

XXXIII. ACTA S. SIACRII EXAMINANTUR.

Vincentius Barralis in Chronologia Lerinensi vitam Sancti Siacrii Niciensis Episcopi è manuscripto Codice Monasterii Sancti Pontii publicavit, *à variis*, ut ait, *solæcismis* vindicatam, utinam & à fabulis! Tomo superiore jam præmisimus nos iis assentiri non posse, qui Syagrium seu Siacrium Carolomanni Regis filium & Caroli Regis nepotem ex fratre constituunt. Ætas ipsa Siacrii repugnat, nam Carolomannus anno Christi septingentesimo quinquagesimo-primo natus est, & Siacrius anno pòst vicesimo-sexto factus est Niciensis Episcopus. Barralis tamen Carolum Siacrii patruum vocat. Barralem transcripserunt Ferdinandus Ughellus [a], Joannes Baptista Guesnayus [b], & Petrus Jofredus [c], licèt hic in suis Notationibus observet nequaquam id *in monumentis S. Pontii* legi.

XXXIV.

Siacrium ad Alpes Maritimas in comitatu Caroli Regis profectum sic scribit Barralis. *Carolus divinâ inspiratione ad partes Provinciæ disponente pervenit, ut paganos & infideles ex dictis locis expelleret, & ipsam gentem ad fidem Catholicam reduceret, qui cùm venisset ad fines Cimelienses & Nicienses, Regem Chimeriensem, Cimeliensem, & Niciensem, ope divinâ destruxit & effugavit. Duxerat enim Carolus secum dilectum honestúmque juvenem beatum Siacrium nepotem suum.* Ad hunc locum sic optimè Jofredus. *Hoc totum magna ex parte falsitatem sapit: tempore siquidem Caroli Magni, nulli in Provincia erant pagani & infideles. Illud porrò verbum (Regem Chimeriensem) chimaricum planè est, cùm nulla sit in vicinia urbs Chimera. Quid autem de Regibus (Regulis scilicet) Cimelliensi & Niciensi destructis & effugatis? hoc satis inverisimile est; ac Cemenelione quidem tunc, non modò Reges, sed & infrequentes cives fuisse probabilius dixerim, urbe olim à Longobardis vastatâ; Nicæam verò advenisse Carolum ad expellendos tyrannos, Scriptores reticent.* Hic Auctor illud iter Caroli rejicit in annum Christi octingentesimom, cùm Romam quartò proficiscebatur. *Superest*, inquit, *ut quartò per Alpes Ligusticas, seu mari itinere instituto, Nicæâ transivisse dicamus, cùm rectò itinere, teste Sigonio, in Liburniam properavit.* Textus Sigonii [d] talis est. *Procedente jam autumno* Carolus *Alpes unà cum Pipino Rege trajecit, atque in Italiam digressus rectò itinere in Liburniam properavit. Ibi nex Henrici, merito*

[a] Tom. 4. Ital. Sacr.

[b] Ad an. 786.

[c] Part. 1. Tit. 1. n. 2.

[d] Lib. 4. ad an. 800.

AN. CH. 775. CAROLI R. 7. *sumpto de Tarsaticensibus supplicio, vindicata. Cadolachus Dux Forojuliensibus datus. Ex Foro inde Julio Ravennam, ac diebus ibi septem iis apparatu Beneventani belli explicando consumptis Anconem est ventum. Ex Ancona Pipinus cum exercitu adversus Grimoaldum profectus, ipse* Carolus *Romam per Ducatum Spoletanum contendit.* Alpes Ligusticæ sunt eædem cum Maritimis, ut à mari Maritimæ, sic à Liguria Ligusticæ cognominantur, Galliam ab Italia disterminant, absúntque procul à Liburnia & à Tarsatica * Liburniæ civitate, de quibus Sigonius suprà citatus. Atque ut ipsum Sigonium melius intelligas, veteres Annalistas consule, disces iter Moguntiaco in Liburniam atque inde Ravennam Carolo Regi per Alpes fuisse Carnicas, à quibus longissimè distant Ligusticæ.

* *Tersact.*

XXXV. Nihil in antiquis Auctoribus occurrit, unde quis colligat Carolum ad Nicæam urbem venisse, cùm Romam contenderet. Idcircò Jofredus opinionem, quam improbavimus, haud tuetur obstinatè, sed addit fieri potuisse, ut Carolus aliâ occasione alióve tempore Nicæam se conferret, nempe cùm reliquiæ Maurorum in Provincia superessent, quamvis id vetustis Scriptoribus incognitum sit, aut avo Martello potiùs conveniat. Suam tamen de illo Caroli Regis itinere conjecturam tribus conatur rationibus fulcire. Primam sumit ex monumentis Lerinensibus apud Barralem, qui de Ecclesia Beatæ Mariæ à Carolo Rege constructâ & Deaurata cognominata sic scribit ad annum Christi millesimum quintum. *Electus est in Vencienfem Episcopum Dominus Durantus, Monasterii Sancti Eusibii Abbas. Qui Durantus, quia rudes & totius boni ac Religionis ignaros homines terra illius noverat, quendam fratrem prædicti Cœnobii Monachum, nomine Pontium, comitem sibi adscivit. Qui venientes, & flumen nomine Lupum transmeantes, invenerunt Ecclesiam Beata Maria Dei Genitricis, quam quondam Magnus Carolus Rex ædificaverat, & magnis donis ditaverat, quam etiam ipsa antiquitas Deauratam cognominavit, nunc vastam, desertam, incultam, & solo aquatam.* At hic textus Carolum prædictæ quidem Ecclesiæ fundatorem indicat, de illius autem adventu in Provinciam nihil habet. Haud potior est altera ratio, quæ petitur ex Diplomatibus antiquarum Donationum, in quibus hæc verba inesse solent. *Domo Beato Pontio Martyri, & ejus Monasterio constructo à Pijssimo Karolo Rege Francorum & Langobardorum, necnon Patritio Romanorum,* &c. Ex eo enim, quòd aliquod Monasterium à Carolo constructum aut dotatum dicitur, non sequitur hunc Regem in illo tunc loco commoratum esse. Tertiam rationem, quam lapidea inscriptio in Ecclesia Sanctæ Crucis ad radices Montis Majoris apud Arelatem posita suppeditat ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-tertium examinabimus refellemúsque.

XXXVI. MONASTERIUM S. PONTII ERIGITUR. Pergit Barralis, & primordia Monasterii, quod Sancti Pontii nomen etiamnum gerit, ita refert. *Siacrius inveniens, in districtu Cimella, Ecclesiam, in qua Sancti Pontii Martyris corpus venerabatur, Monasticam Regulam sectari gestiens, à patruo Carolo Magno, ut inibi sibi Monasterium ædificaret instantissimis precibus obtinuit.* Siacrium Caroli nepotem ex fratre jam negavimus; in ejus familiaritate & amicitia fuisse non inficiamur. Ad petitionem igitur Siacrii ex munificentia Caroli Regis erectum extra Niciensis muros Monasterium Sancti Pontii, cui præfectus est primus Abbas Siacrius, ut eadem docent Acta, in quibus *primus Monachorum* illius loci *Rector* nominatur.

XXXVII. Ad hunc annum referuntur à nobis istius Monasterii primordia, quia constructum dicitur à Carolo tum Rege Francorum & Longobardorum ac Patritio Romanorum, & Siacrius ex primo illius loci Abbate factus est Episcopus Niciensis anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo. Fortè inchoatum hoc Cœnobium priusquàm Carolus Longobardos adoriretur, seriúsque perfectum bello Longobardico jam confecto. Primum Abbatem

Abbatem meritò sic laudat Barralis. *Beatus Siacrius, veluti clarum jubar, virtutibus ac miraculis plurimis effulsit, ipsúmque Monasterium multiplici virtutum genere decoravit.* Id verò nobis minùs probatur, quod proximè de Carolina Donatione sic subjungit. *Ad cujus*, nempe Siacrii, *piam petitionem idem Imperator Comitatum Cimelliensem sibi & Monachis præsentibus & futuris in perpetuum in præfato Cœnobio Deo militantibus ad quotidiana onera supportanda benignè cessit ac largitus est.* Sublatus est enim ex hac vita Siacrius Carolo nondum Imperatore, nec illis temporibus adhuc erecti Comitatus.

ANNUS
CHRISTI 776.
CAROLI R. 8. 5. 3.

AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

I. ANNO DCCLXXVI. *Carolus Rex perrexit in Langobardiam, interfecto Rotgauzo. Posteà Mai campus ad Warmacia. Et Carolus Rex cum Francis in Saxonia, jam sine bello.* Hæc Annalista Nazarianus, quæ distinctiùs per partes à nobis explicabuntur. Agemus igitur primùm de bello Longobardico seu Forojuliensi, deinde de Conventu Francorum apud Wormatiam celebrato, postremò de bello contra Saxones adeò feliciter gesto, ut *sine bello* ac tumultu fuerint aliquandiu, pacémque cum Francis initam coluerint.

II. Ineunte anno Carolus Alpes superavit, rectáque perrexit in Ducatum Foro-Juliensem, cui Rotgaudum seu Rotgauzum vel Hrotgaudum, aut Rotgandum post extinctum Longobardorum Regnum præfecerat. Bellum illud sic attingit Annalista Petavianus. DCCLXXVI. *Perrexit Domnus Rex Karolus in Italiam, & acciso Hrotgaudo, qui illi rebella extiterat, obsederúntque Stabilinium socerum suum Taravisa civitate. Eo capto, dispositísque omnibus, prosper redit cum suis in Franciam.* Spatiosa erat Rotgaudi Ducis Præfectura, Ducatum enim Foro-Juliensem & Marchiam Tarvisinam complectebatur. Carolus interempto Rotgaudo Ducatum Foro-Juliensem; capto Stabilinio Rotgaudi socero, qui Taruisium propugnabat, Marchiam Taruisinam ad obsequium redire compulit. Hugo Flaviniacensis Abbas in Chronico Virdunensi Tarvisium scribit traditum à Petro viro Italico, de quo plura post Madelvei Virodunensis Episcopi mortem hoc ipso anno dicturi sumus.

CAROLUS BELLUM FORO-JULIENSE FELICITER CONFICIT.

III. Mira fuit Caroli celeritas, nam teste Annalistâ Loiseliano *apud Taravisium civitatem Pascha celebravit.* Speraverat Romam citiùs se venturum, ut illic ab Hadriano Papa filius, quem Hildegardis Regina nuperrimè pepererat, ipso die Paschæ decimo-octavo Kalendas Maias è sacro fonte levaretur. Id à Nunciis suis Philippo Episcopo & Megisto Archidiacono, quos ad Carolum priùs direxerat, accepisse se testatur ipsemet Hadrianus in literis [a] ad eundem Regem. *Dum ad nos*, inquit, *reversi fuerunt Missi spiritalis matris vestræ Sanctæ Dei Ecclesiæ, è vestigia à Deo protecti Regni vestri, id est, Reverendissimus frater noster Philippus Episcopus & Megistus dilectissimus filius noster Archidiaconus, retulerunt nobis de fidei & charitatis vestræ constantia, quam erga beatum Petrum Apostolorum Principem & nostram humilitatem habere dignati estis, pro vestra animæ mercede. Hoc audito, magna gaudio noster relevatus est animus, & cœpimus Deo laudes referre, & beato Principi Apostolorum Petro, pro exaltatione Regni vestri, atque filia nostra Reginæ conjugis vestræ, prolis etiam, & pro cunctis Francis, fidelibus beati Petri Apostoli, atque vestris.*

[a] In Cod. Carol. ep. 49.

LITERAS ACCIPIT A PP. SPERANTE SUSCEPTURUM SE DE SACRO FONTE REGIAM PROLEM NUPER NATAM.

AN.CH. 776. CAROLI R. 8.

At verò illud, unde vestra Eximietati per jam dictos nostros Missos, scilicet Reverendissimum fratrem nostrum Philippum Episcopum & dilectissimum nostrum Megistum Archidiaconum, dignati estis nobis repromittere, ut in sanctam diem Pascha ad limina beati Apostolorum Principis Petri, unà cum spiritali filia nostra Regina, Domino auxiliante, properare debuissetis, ut filium, qui nunc vobis procreatus est, à sacro Baptismate in ulnis nostris susciperemus. Sicut terra sitiens imbrem, ita & nos expectantes fuimus mellifluam Excellentiam vestram. Et dum appropinquasset ipse dies sanctus Pascha, & nullum mandatum de adventu vestro suscepissemus, aut de Missis vestris, secundùm placitum, quod inter nos extiterat, valdè tristes effecti sumus. Sed obnixè te petimus, Præcellentissime & Magne Rex, ut secundùm quod inter nos constitit, pro ipso sancto Baptismate nostrum adimplere jubeas desiderium, de eodem eximio filio vestro, quatenus duplex Spiritûs Sancti gratia in medio nostrum adcrescat, & gemina festivitatis lætitia nobis celebretur. Caroli filius, de quo loquitur Hadrianus, non alius est à Carolo filiorum, quos Carolus Rex ex Hildegarde Regina suscepit, natu maximo. Atque inde colligimus Carolum Rotrude sorore, cujus ortum anno priore consignavimus, juniorem fuisse.

IV. Iisdem literis Papa Carolum rogat, ut ea, quæ pollicitus est, erga Romanam Ecclesiam adimpleat, suisque temporibus ei cuncta restitui curet, *quæ per diversos Imperatores, Patricios, etiam & alios Deum timentes, pro eorum animæ mercede, & venia delictorum, in partibus Tusciæ, Spoleto, seu Benevento, atque Corsica, simul & Savinensi patrimonio, beato Petro Apostolo Sanctæque Dei & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ concessa sunt, & per nefandam gentem Langobardorum per annorum spatia abstracta atque ablata sunt.*

V. LEONEM ARCHIEPISC. RAVENNATEM BENEVOLE SUSCIPIT.

Flagrante bello Foro-Juliensi, Leo Ravennatium Archiepiscopus inscio Adriano Pontifice Carolum Regem adiit, seque in ejus benevolentiam officiosis verbis insinuavit. Quod ubi rescijt Adrianus ipsismet Caroli literis, quas Andreas Episcopus & Anastasius Cubicularius ex aula Regia Romam retulerunt, statim Carolo rescripsit [a] acceptissimum sibi semper fore, quisquis ei placuisset, seque missurum fuisse Nuncios cum Leone, si Leo priùs significasset velle se ad Regem proficisci. *Domno Excellentissimo filio Carolo, Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Revertentes ad nos Missi nostri, quos ad vestram à Deo illustratam Præcellentiam nuper visi sumus direxisse, scilicet Andreas Reverendissimus frater noster Episcopus, & Anastasius Cubicularius, detulerunt nobis honorandos atque mellifluos benignissimæ Christianitatis vestræ apices, quorum series, dum nostris recitaretur auribus, liquidò cuncta in eis adnexa didicimus. Sed & ipsi præfati vestri Missi indeminutè nobis omnia, quæ illis à vobis injuncta sunt, detulerunt plenissimè, adserentes de vestra benevola puritate, & magna cordis constantia, quam erga beatum Petrum Principem Apostolorum & nostram mediocritatem secundùm vestram promissionem habere videmini. Pro quo, nimio repleti gaudio, illicò extensis palmis ad æthera, omnium Creatori Domino Deo nostro immensas tulimus grates, impensiùs pro vestra prosperitate ejus divinam exorantes clementiam, ut confirmet idem Dominus Deus noster hoc ipsum in vestro florigero pectore, quatenus velociorem atque copiosum fructum sancta spiritalis mater vestra Romana nostra Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum Dei, de vestra consequatur promissione. Sed, bone, dulcissime, atque præcellentissime fili, Domine mi, à Deo institute Magne Rex, deprecor & obnixè peto, tanquam præsentialiter coram tuis adsistens obtutibus, cum magna fiducia, ut velociter ea, quæ beato Petro pro magna animæ tuæ mercede, & à Deo protecti Regni vestri stabilitate, beato Apostolorum Principi Petro, cælorum Regni clavigero, per tuam Donationem offerenda spopondisti, adimplere jubeas, quatenus idem Princeps Apostolorum multò ampliùs tibi protector & auxiliator apud divinæ Majestatis potentiam existat. Plenissimè enim satisfactus es, præcellentissime Regum, qualis fortissimus ac validus ipse Janitor Regni cælorum beatus Petrus tuæ extitit Excellentiæ adjutor, & quomodo ejus*

[a] In Cod. Carol. ep. 53.

AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

sacris interventionibus Omnipotens Dominus Deus noster victoriam tibi tribuit, Regnúmque Langobardorum tuæ tradere jussit potestatis ditioni, & in anteà magnam habeto fiduciam, quia ejus suffragiis circumvallatus, tuis Regalibus vestigiis ceteras barbaras Nationes Omnipotens Dominus substernet, quia nos omnino satisfacti sumus, & magnam habemus fiduciam in vestri cordis constantia, celeriter vos omnia perficere, quæ eidem Apostolo Apostolorúmque Principi spopondistis. Optimè enim cognoscimus, qualis firmitas & integritatis stabilitas inter nos, Deo auspice, in Apostolica aula corroborata est, & scimus cui credidimus, & certi sumus. De eo verò, quod innotuistis, ad vos properasse Leonem Archiepiscopum, nos quippe, ut testatur veritas, libentissimè acceptamus eos, qui ad vestra Regalia accelerant vestigia, quoniam una dilectio, una charitas, eadémque puritatis affectio inter nos consistit. Et, si præfatus Archiepiscopus nobis direxisset ad vestri se præsentiam velle proficisci, gratuito animo nostrum Missum cum eo direxissemus. Itaque præsens vester Missus aliam nobis obtulit Præcellentiæ vestræ epistolam, cujus confertam paginam discentes, valdè noster lætatus est animus in vestræ mentis benigno proposito, Redemptorem nostrum multipliciter deprecantes, ut longo ac prospero senio, cum magna de hostibus victoria, cælestis Regni gubernacula, pariter cum Excellentissima & à Deo protecta filia nostra benignissima & verè Christianissima Regina, fidelissimâque amatrice beati Petri, dulcissima verò vestra conjuge, atque amantissimis natis, vos perfrui annuat, tribuens vobis & cælestis Regni cum Sanctis perenniter possidenda gaudia. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodias.

VI.

Confecto Foro-Juliensi bello, Carolus singulis civitatibus Comites præfecit, ut Auctor Annalium Laureshamensium testatur, toti verò regioni Ducem, cui Comites subessent, præposuit Marcarium, cujus mentio fit in aliis Adriani literis [a], quas suo loco recitabimus. Interim has [b] accipe, per quas idem Papa Carolum rebus Italicis intentum rogavit, ne sineret in partibus Tusciæ morari Raginaldum Ducem Clusinum, qui Castellum Felicitatis, aliáque patrimoniola in Tusciæ partibus ab ipsomet Carolo Sedi Apostolicæ data volebat invadere, non contentus pleraque jam jurgia scandaláque temporibus Desiderii Regis seminasse. *Domno Excellentissimo filio, Carolo, Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Excellentissima & à Deo protecta Christianitati vestræ his nostris Apostolicis innotescimus apicibus, pervenisse ad nos, nuntiis præcurrentibus, quòd Constantinus Imperator, divinâ evocatione, de hac substractus esset luce. Sed quia certum non didiceramus, hac de re vestra à Deo protecta Excellentia indicare distulimus. Nunc verò suggessit nobis sanctissimus ac reverendissimus frater noster Stephanus, Neapolitanæ urbis Episcopus, per has syllabas ea ipsa nobis intimare, quas & septimâ die præsentis Februarii mensis suscipientes, eásque peragrantes, confestim vestro Regali culmini significare maturavimus, & pro magna Sublimitatis vestræ satisfactione eosdem affatus infra hæc nostra scripta vobis directa posuimus. Intereà & hoc vestræ Præcellentiæ, dulcissime & amantissime fili, dirigimus de perfido illo & seminatore zizaniorum atque instigatore humani generis æmulo Raginaldo, dudum in Castello Felicitatis Castaldio, qui nunc in Clusina civitate Dux esse videtur, eò quòd plurima mala per suas iniquas summissiones spiritali matri vestræ, Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nobis ingerere non desinit, dum omnino ea, quæ beato Petro Principi Apostolorum à vestra Excellentia pro anima vestra mercede oblata sunt, per suum iniquum argumentum abstollere anhelat, & in suo proprio servitio ea habere desiderat. Unde & per semetipsum cum exercitu in eandem civitatem nostram Castelli Felicitatis properans, eosdem Castellanos abstulit, & nequaquam credimus, benignissime fili, & Christianissime Rex, quòd pro prædicti Raginaldi Ducis exaltatione mutationem fecisset vestra à Deo corroborata Regalitas, unà cum Excellentissima filia nostra Regina, atque dulcissimis natis vestris, vel cuncto à Deo instituto Francorum exercitu, nisi pro sustentatione amatricis vestræ, Sanctæ Dei Ecclesiæ, ut in vestro*

[a] In Cod. Carol. ep. 17.
[b] In Cod. Carol. ep. 60.

LITERAS ACCIPIT A PP. QUERENTE DE DUCE CLUSINO.

AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

benigno certamine perenniter permanens eniteret. Idcircò poscimus, & nimis supplicando insistimus, vestram à Deo illustratam Potentiam, ut ob amorem beati Petri Apostoli nullo modo prænominatum Raginaldum ibidem in Tusciæ partibus esse permittatis. Sed neque illum ei concedatis, & non vobis hoc durum pareat, pro dilectione, quâ in invicem compaginati sumus, fiducialiter hoc petere deducimus & obtinere speramus, eò quòd & sub Desiderii temporibus jurgia & scandala frequenter seminare non omittebat. Sed, Excellentissime fili, ut nos, post Deum, in tuo fortissimo brachio unà cum universo nostro populo speramus, & die noctúque pro vestra sospitate atque victoriis divinam exoramus clementiam, ita cum omnibus causis Sanctæ Dei Ecclesiæ disponere acceleretis, ut Sancta Dei Ecclesia & nosmetipsi tuis felicissimis temporibus permaneamus, ut, sicut temporalia largitus est, ita & cælestia tribuat possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiot. Obierat anno priore Constantinus Imperator, *die decimâ-tertiâ Septembris, Indictione decimâ quartâ*, τῇ ιγʹ, τοῦ Σεπτεμβρίου μηνὸς, τῆς ιδʹ. ἰνδικτιῶνος, cùm post patris obitum solus imperasset *annos triginta-quatuor, menses duos, dies viginti-sex*, ἔτη λδʹ. μῆνας βʹ. ἡμέρας κϛʹ. Hæc constant ex Theophane, palámque ostendunt literas, quas proximè recitavimus, hoc anno datas esse, mense Februario, cùm Carolus in Italia jam versabatur.

VII. Mense Junio cis Alpes nondum redierat, cùm insignem Donationem Paulino Grammatices tunc professori fecit, ut apud Baronium [a] & Bollandum [b] hoc testatur Diploma. *Carolus Dei gratiâ Rex Francorum & Longobardorum & Patricius Romanorum, omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Castaldis, vel omnibus fidelibus nostris, præsentibus & futuris. Meritò quidem à nobis sublevantur muneribus, qui nostris fideliter obsequiis famulantur. Et ideo si petitiones eorum, pro quibus nostras pulsaverint aures, ad effectum perducimus, Regiam consuetudinem exercemus, atque illorum animum nobis deserviendo provocamus. Igitur notum sit omnium vestrum Magnitudini, qualiter cedimus & donamus à nobis viro valdè venerabili Paulino artis Grammaticæ Magistro, hoc est, res quondam & facultates quæ fuerunt Waldandi filii quondam Mimoni de Laberiano, quæ ad nostrum devenerunt Palatium, pro eo quod in campo cum Forticauso inimico nostro à nostris fidelibus fuerit interfectus, casa videlicet in Laberiano cum omni integritate & soliditate sua, id est, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus *, mancipiis, casis, massaritiis, cum servis & aldionibus, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmve decursibus, mobilibus & immobilibus, omnia & ex omnibus, quantumcumque prædictus Waldandius * sibi aut alicubi habere visus fuit, tam ex dono Regum, aut Judicum, seu de comparato, aut de quolibet adtracto, prædicto Paulino à die præsenti tradimus atque cedimus perpetualiter ad possidendum, itaut ab hac die prædictus Paulinus suprascriptis de rebus quieto ordine teneat & possideat, & quicquid exinde facere voluerit, liberum in omnibus perferatur arbitrium. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus quamlibet de fidelibus aut successoribus nostris prædicto Paulino de jamdictis rebus ullo unquam tempore inquietare, aut calumniam generare præsumat, sed omni tempore ex dono largitatis nostræ ipsas res jure proprietario valeat possidere firmissimo. Et ut hæc Præceptio firmior habeatur, vel nostris vel futuris temporibus meliùs conservetur, manu propriâ in æternum decrevimus roborare, ac de anulo nostro jussimus sigillare *. Data XV. Kal. Julii, anno octavo Regni nostri è Loreia civitate, in Dei Nomine feliciter.*

[a] Tom. 9. ad an 802 n. 23.
[b] d. 11. Jan. in vita S. Paulini, n. 8.

MUNIFICUM SE PRÆBET ERGA PAULINUM GRAMMATICÆ MAGISTRUM,

* Baron. accolabiis. Bolland. accolabiis.
* Baron. Vvaidandus.
* Baron. sigillari.

VIII. Loreiam interpretamur hodiernum Loretum * ad Athesim fluvium in Ducatu Veneto. Miramur annum octavum Caroli Regis à Baronio componi cum anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio, quo ipse Carolus adversùs Desiderium in Italiam profectus est, & Bollandum in eadem opinione cum Baronio versari. Caroli Regis annus octavus per mensem Junium, quo prædictum Diploma consignatur, cum anno Christi septin-

* Loredo.

AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

gentesimo septuagesimo-sexto convenit, Carolus enim post Pippinum patrem anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo mense Septembri regnare cœpit. Paulinus, qui præclaram Caroli munificentiam expertus est, Grammaticam tunc docebat. Illâ ætate penes homines Ecclesiasticos id pensi fuisse colligimus ex Eginhardo, qui de Carolo sic in ejus vita scribit. *Artes liberales studiosissimè coluit, earúmque doctores plurimùm veneratus, magnis afficiebat honoribus. In discenda Grammatica Petrum Pisanum Diaconum senem audivit.* Id autem idcircò duximus observandum, quia Paulinum, quem Carolus Rex egregium artis Grammaticæ Magistrum laudavit, deinceps Patriarcham Foro-Juliensem sæpè prædicaturi sumus.

IX. Paulinus in Patriarchatum Siginaldo seu Sigualdo successit. Annus hodie controvertitur. Robertus [a], Ughellus [b], aliíque annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum, Sigonius [c] eiúsque assecla annum Christi septingentesimum septuagesimum-sextum consignant. Prior opinio stare non potest, nam teste Carolo Rege, cujus Diploma recitatum est, Paulinus anno Christi septingentesimo septuagesimo-sexto, mense Junio, Magister artis Grammaticæ, Patriarchalibus Infulis nondum erat insignitus. Posterior igitur opinio præferri debet, nec hæc Carolino Diplomati repugnat, modò Paulinum labente vel lapso mense Junio ad Patriarchalem dignitatem assumptum dicas.

[a] In Patriarch. Aquileiens. 16. 17.
[b] Tom. 5. Ital. Sacr.
[c] Lib. 4 de Regn Ital.

FORO-JULIENSEM POSTEA PATRIARCHAM.

X. Adversùs illam rerum hoc anno gestarum seriem objicies Carolum ante mensem Junium ex Italia rediisse, & Wormaciæ ad Rhenum mense Majo commoratum esse, producésque Annalistam Nazarianum, cujus ista sunt ad hunc annum verba jam allegata, *Maii campus ad Wormacia.* Sed validum ex hoc textu deduci non potest argumentum, quia generalis Francorum Conventus, ut Tomo superiore diximus, *Maii campus* seu *Campo-Madius* appellabatur, licèt post mensem Maium legitima de causa differretur, ut hoc anno propter bellum Foro-Juliense contigit.

XI. Ne Carolus Romam adiret, impedimento fuit tumultus Saxonicus. *Audivit*, inquit Annalista Petavianus, *quòd Saxones rebellassent contra Francos.* Qua de rebellione sic Annalista Loiselianus. *Tunc nuncius veniens dixit Saxones rebellantes, & omnes obsides suos dulgsos*, id est, ab iisdem Saxonibus desertos, potestatíque Francorum permissos. Inter obsides, quos Carolus diversis temporibus à Saxonibus accepit, Abbo celebre sibi nomen in libro [d] de Miraculis Sancti Wandregisili comparavit. *Quidam Monasterii Fontanellæ Miles, nomine Sigenandus, dum vastando cum aliis Militibus diriperet eorumdem Gentilium*, nempe Saxonum, *opes, comprehensus est ab eis, nonnullíque alii. Cúmque duceretur ad locum, quo decollandus erat, suffragium Sancti Protectoris Wandregisili crebriùs deposcebat, ut, ejus piis precibus, imminens mereretur evadere periculum mortis. Sæpiúsque ipsius præcipui Patroni in prece dum peteret auxilium, quidam ex ipso Saxonum populo, cui nomen erat Abbo, diligenter exquirere cœpit, cur tam creberrimè Wandregisilum nominaret. Respondebat ille. Quia in veritate ejus sum famulus, & credo me ejus interventu sanctitatis, Deo propitio, à periculo præsentis liberari discriminis. Et ille, hac, inquit, nocte ipse mihi adstitit Wandregisilus, monens ut nihil tibi mali inferrem, sed potiùs cum pace ad tuos redire permitterem. Quòd si aliter fecissem, audacter contra meam patrarem salutem. Idcircò inlæsum te abire permitto. Absolutúmque vinculis, & indutum vestibus, armísque munitum, ad castra remisit Christianorum. Prædictus autem Abbo Saxonici generis*, Regi Carolo *posteà obses datus, & ad Fontanellam perductus, credénsque, in Sancta Trinitatis Nomine baptizatus, verúsque Christianus effectus est.* Auctor istius narrationis nono seculo floruit, suámque satis ostendit ætatem, cùm hæc proximè subjunxit. *Ex cujus*, scilicet Abbonis, *ore quidam fratres nostri, qui adhuc supersunt, narrando hæc referunt, ipsíque nobis, quæ ab illo didicerunt, posteà veraciter narraverunt.* Narrationem autem belli Saxonici superiùs inchoatam Loiselianus

[d] Sec. 2. Benedict. a. 669. d. 22. Jul.

ABBO SAXO IN VISU TERRETUR A S. WANDREGISILO.

IN OBSIDATU EST CHRISTIANUS.

AN. CH. 776. CAROLI R. 8. BELLUM SAXONICUM.

Annalista sic persequitur. *Nuncius veniens dixit Saxones rebellantes, & omnes obsides suos dulgtos, & sacramenta rupta, & Heresburgum Castrum per mala ingenia & iniqua placita, Francos exinde suadentes exiendo. Sic Heresburgo à Francis derelicto, muros & opera Saxones destruxerunt. Et pergentes voluerunt de Sigisburgo similiter facere. Auxiliante Domino, Francis viriliter repugnantibus, nihil prævaluerunt. Et inde fugam arripientes Saxones, persecuti sunt eos Franci, interficientes illos usque ad fluvium Lippiam, & Castro salvato, cum victoria reversi sunt Franci.* In vita Caroli Magni cùm ab Auctore incerto tum à Monacho Egolismensi conscripta, Sigisburgum divinâ virtute propugnatur. Audi Monachum Egolismensem. *Saxones Eresburgum Castrum per mala ingenia & iniqua placita capientes, Francos expulerunt, & Castrum destruxerunt. Similiter voluerunt facere de Sigisburgo Castello. Sed dum per placita Francos, qui intus erant, non potuissent illudere, sicut fecerant alios de Eresburgo, prapararaverunt pugnas & machinas, ut Castrum vi caperent, Deóque volente petrarias, quas paraverunt, in suo plùs damno senserunt, quàm illi de Castello. Idem prapararaverunt ad debellandum per virtutem Castrum, sed Dei virtus superavit illorum virtutem. Quadam autem die, cùm bellum prapararent adversùm Francos, qui ipsum Castrum custodiebant, apparuit manifestè gladius supra Ecclesiam, quæ est infra ipsum Castrum, videntibus cunctis tam aforis, quàm etiam deintus. Ex quibus multi manent adhuc, qui dicunt vidisse se instar duorum scutorum colore rubro flammantium & agitantium supra ipsam Ecclesiam. Cùm hoc signum vidissent pagani, qui aforis erant, statim confusi sunt, & magno timore perterriti fugere cœperunt ad castra. Et omnis multitudo eorum fugam arripientes, alii ab aliis invicem interficiebantur. Et qui retrò respiciebant propter pavorem, ab antecedentibus lanceis confodiebantur, & diversos ictus inter se perpessi sunt omnes, & divinâ ultione judicati. Et quantùm super eos Dei virtus propter salutem Christianorum operata est, nullus narrare potest. Et quantò plùs illi pavore perterriti sunt, tantò magis Christiani confortati Omnipotentem Deum laudabant, qui dignatus est ostendere potentiam suam super servos suos. Ita Francis viriliter resistentibus, Saxones nihil prævaluerunt, & Franci persecuti eos interfecerunt usque ad flumen Lippiam, & cum victoria reversi sunt.* Petrariæ & clitæ machinæ sunt ad mittendos lapides paratæ, de quibus lege Glossarium Henrici Spelmanni in voce *clita*.

XII. KAROLUS WORMACIAM REDIT.

Rex eâdem velocitate, quâ profectus in Italiam fuerat, ad Rhenum rediit, & Wormaciæ generalem Francorum Conventum habuit. Quid ibi consilii captum, quidve posteà peractum sit, exponit Annalista Loiselianus. *Cùm pervenisset Domnus Carolus Rex Warmatiam, omnes istas causas*, id est, res à Saxonibus contra Francos, ac vicissim à Francis contra Saxones nuper gestas, *audiens, conjunxit Synodum ad eandem civitatem, & ibi Placitum publicum tenens, consilio facto, cum Dei adjutorio sub celeritate & nimia festinatione, Saxonum cassas seu firmitates subitò introivit. Tunc Saxones perterriti, omnes ad locum, ubi Lippia consurgit, venientes ex omni parte, reddiderunt patriam per wadium omnibus manibus eorum, & spoponderunt se esse Christianos, & se sub ditione Domni Caroli Regis & Francorum subdiderunt. Et tunc Domnus Carolus Rex unà cum Francis readificavit Heresburgum Castrum denuò, & alind Castrum super Lippiam. Ibique venientes Saxones unà cum uxoribus & infantibus, innumerabilis multitudo baptizati sunt, & obsides, quantos jamdictus Domnus Rex ab eis quæsivit, dederunt. Et perfectis supradictis Castellis, & dispositis per Francos scaris residentibus, & ipsas custodientibus, reversus est Domnus Carolus Rex in Franciam. Et celebravit Natalem Domini in Haristallio.* Addit Annalista Petavianus ædificatam *in finibus Saxonum* à Francis *civitatem, quæ vocatur Urbs Karoli.*

PACEM HOSTIBUS PA LEGE CONCEDIT, UT FIANT CHRISTIANI.

XIII. Tomo superiore [a] actum de Lauteshamensis Monasterii primordiis, quod à Cancrone Comite ejúsque matre Williswinda conditum, atque ab iisdem necnon ab Angila Canctonis uxore magnificentissimè dotatum est.

[a] Ad an. 763. an. 4. & seqq.

AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

Hoc autem anno, Caroli Regis octavo, Gundelandus Laureshamensis Abbas ab eodem Rege in Haristalliense Palatium nuperrimè reverso Præceptum obtinuit evindicatorium adversus Heimericum prælaudati Cancronis filium, qui post parentum suorum aviæque mortem titulo proprietatis repetebat bona prædicto Cœnobio contradita. Sic enim scribit Auctor Chronici Laureshamensis. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCLXXVI. *Regni verò Karoli Regis & posteà Imperatoris anno* VIII. *Heimericus Comes, filius Cancronis, mortuis patre & aviâ, cernens præfatum locum ex parvo & modico ad tantam* * *rerum & famæ provectum eminentiam, nitebatur eum sibi proprietatis titulo vendicare. Cujus rei actione ad Palatium delatâ, & allegatione utriusque partis auditâ, juxta legem Francorum diffinitum est, Gundelandum jure possidere, quod sibi fuerat à fratre sine contradictione collatum, nec Heimericum posse repetere, quod pater ejus & mater probantur sospites in scriptis tradidisse. Heimerico igitur se de hoc loco legaliter abdicante, Gundelandus accepit à Rege Chartam evindicatoriam*, quam idem Auctor cum suo titulo sic exhibet. *Praeceptum evindicatorium magni Karoli. Karolus gratiâ Dei Rex Francorum, Vir illustris. Veniens ad nos Haristellio Palatio vir venerabilis Gundelandus Abba de Monasterio Lauresham, ubi Sanctus Nazarius Martyr in corpore requiescit, nobis innotuit, eò quòd homo aliquis, nomine Heimericus, de ipso Monasterio calumnias generare voluisset, dum diceret, quòd suus pater Cancor eum de ipso Monasterio vestitum dimisisset. Et ipse Gundelandus præsens astabat, & causam in omnibus denegabat, dum diceret, quod avia ipsius Heimerici, nomine Willisvinda, vel genitor suus Cancor germano suo Domino Ruodgango Archiepiscopo tradidisset vel confirmasset, & eadem Chartam nobis exinde protulit ad relegendum. Tunc ipse Heimericus ante nos taliter fuit professus, quòd de hac causa, vel de ipso Monasterio superiùs nominato in anteà nunquam tempore debeat calumniam generare, sed per festucam ante nos exinde dixit exitum. Tunc nos unà cum fidelibus nostris, id est, Hagino, Rothlando, Wichingo, Frodegario, Comitibus; necnon & Vassis nostris, Theoderico, Bertholdo, Alburino, Fredberto, Gunthmaro, taliter visi fuimus judicavisse, ut de hac causa, omni tempore, ipse Abbas habeat evindicatum atque elitigatum, & sit illis in postmodum ex hac re sublata causatio.* Gundelandus in quieta juris sui possessione confirmatus, Lauteshamense Monasterium cum omnibus rebus ad illud pertinentibus in manus *& mundeburdem* seu defensionem Gloriosi Regis Caroli tradidit, ut Regalibus Privilegiis insigniretur. Rex autem benignissimus Privilegia libertatis & emunitatis contulit, ac liberam Abbatis electionem fratribus ejusdem Monasterii in perpetuum sic præstitit. *Karolus Dei gratia Rex Francorum, Vir Illuster, omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, vestrisque junioribus, atque Missis nostris discurrentibus. Quicquid pro opportunitate Ecclesiarum vel quiete servorum Dei ereximus, hoc nobis procul dubio, Domino adjuvante, ad æternam beatitudinem proficere confidimus. Igitur dum vestra solertia notum est, qualiter bonæ recordationis Domnus Ruotgangus Archiepiscopus in Monasterio, quod vocatur Lauresham, quod ei per traditionem Willisvinda & Cancrini obvenerat, Monachorum normam non medicam propter servitium Omnipotentis Dei coadunavit, ubi ob integram devotionem sanctum corpus Beatissimi Nazarii recondidit, supra quod etiam Gundelandum Monasterii Abbatem atque hæredem in eodem sancto loco post se visus est reliquisse. Sed posteà, dum præfatus Gundelandus Abbas cerneret ipsius sancti loci imminere periculum, atque vereretur, ne desolatio propter intentionem iniquorum hominum & ipsis Monachis fieret, ad nostram visus est accessisse præsentiam, qui & ipsum Monasterium in manu nostra tradidit, etiam & secum omnem Congregationem suam in mundeburdem & defensionem nostram pleniùs commendavit. Quem nos gratulanti animo, tam propter mercedis augmentum, quàm & pro eodem grege salvando visi fuimus percepisse. Petiit etiam memoratus Abbas suique Monachi talem à nobis auctoritatem, ut quotiescunque Abbatem jam dicti Monasterii ex hoc conti-*

* Freherus tantum

EMITTIT PRÆCEPTUM EVINDICATORIUM PRO GUNDELANDO ABB. LAURESH.

ALIUD DE ABB. LAURESHAM. ELECTIONE.

AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

gerit seculo migrare, inter se quem dignum honoris hujus invenerint, unanimiter ex semetipsis eligere deberent. Quorum petitionem ob amorem Dei & nostra mercedis cumulum nequivimus denegare, sed ita prastitisse vel in omnibus confirmasse cognoscite. Pracipientes enim jubemus, quia cognoscimus, quòd ipsa Congregatio sub recto ordine vivere & in Regula Sancti Benedicti conversari desiderat, ut nostro quidem permisso semper super se ex ipsa Congregatione, qui Deo acceptabilis sit, eligere valeant Abbatem, quatenus inter ipsum gregem ...... boni ibidem congregati in unum prastare, ne quis ex adverso eum diripiendum adveniat, sed de proprio semper gaudere patrono valeant, quia nolumus, ut per aliquam occasionem ipsi Monachi, quos Domnus Ruodgangus etiam & Gundelandus ad opus Dei exercendum congregaverunt, ullo unquam tempore exinde alienati aut dispersi, nec ipsi, nec successores eorum esse debeant, sed sicut in testamento illius Donationis, quam per Willisvindam & Cancrinum adepti sunt, continetur, ita in omnibus circa ipsam Congregationem sic conservatum, ut valeant Regulam Sancti Benedicti perpetualiter, sicut ordo edocet, & corporis fragilitas permittit, custodire, & sub nostra (ut diximus) mundeburde vel defensione in ipso Monasterio quietè vivere vel residere. Propterea hanc Praceptionem nostram eis dedimus, per quam omnino jubemus, ut nullus quislibet de Episcoporum personis, in cujus Parochia ipsum Monasterium fundatum esse cernitur, aut de ceteris hominibus quis jam dictum Gundelandum Abbatem vel Monachos ex ipso Monasterio & homines qui ad eos justè & rationabiliter spectare videntur, inquietare aut contingere, vel contra rationis ordinem facere prasumat, sed semper valeant sub nostra defensione, seu sub haredibus nostris omni tempore (ut diximus) quieti residere, & ea, qua illis propter nomen Domini concessimus, benè semper in omnibus perfrui, quatenus delectet Abbatem vel Monachos ex ipso Monasterio, pro nobis & nostra subsequente progenie seu gente Francorum, Domini misericordiam adtentiùs deprecari. Et ut hac auctoritas firmior habeatur, vel per tempora meliùs servetur, manu propriâ subter firmavimus, & de annulo nostro sigillari jussimus. Signum Karoli Gloriosissimi Regis. Witigowo recognovi. Sub idem tempus Rex eidem Cœnobio *villam Hephenheim cum omnibus terminis & appenditiis suis omni integritatis jure contulit.*

XIV. Adrianus audito Caroli Regis ab Italia discessu, statim ad illum direxit Andream Episcopum, cui Rex in responsis dedit missurum se Romam Oratores Autumnali tempore, curaturúmque per eos, ut omnia, quæ pollicitus fuerat, Apostolicæ Sedi traderentur. Sexto Kalendas Novembris, literæ Joannis Patriarchæ Gradensis Adriano redditæ sunt, sed apertæ priùs

EPISTOLAS ACCIPIT A PP. QUERENTE DE LEONE ARCHIEP. RAVENNATE.

lectæque à Leone Archiepiscopo Ravennate. Qua de re suis literis ad Carolum, qui Romam, ut pollicitus fuerat, Oratores nondum mittebat, questus est quamprimùm Papa, significavitque actum id à Leone, non alio consilio, quàm ut omnia, quæ scripta fuerant in illis literis, Arigiso Duci Beneventano, ceterísque tum Franciæ cùm Sedis Apostolicæ hostibus retegerentur. Prætereà subjunxit Leonem Regia ex aula reversum superbiâ magis intumuisse, itaut Ravennæ, in Æmilia, necnon etiam Gaballi Principem se gereret, Imolam at Bononiam sibi non Romano Pontifici ab ipsomet Carolo concessas palam prædicaret, & Pentapolenses tentaret ad defectionem pellicere. Codex Carolinus hasce literas [a] sic exhibet. *Domno Excellentissimo filio Carolo, Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum Adrianus Papa. Dum tanta amoris dilectio, & firma charitatis integritas, inter nos, Deo auspice, corroborata existit, magnum nobis imminet fervoris desiderium, de vestra immensa prosperitatis latitia certos effici. Quapropter paterno synceritatis affectu vestram à Deo protectam Excellentiam ter & in Domino plurimùm osculantes, quasumus, ut nos celeriùs de vestra sospitatis * integritate, atque Pracellentissima filia nostra, à Deo illustrata Magna Regina dulcissima filia nostra, necnon & Excellentissimorum filiorum vestrorum,* Pippini videlicet & Caroli, quorum alterum Himiltrudis, alterum Hidegardis peperit,

[a] Ep. 52.

* *de vestra sospitatis integritate.*

AN.CH. 776. CAROLI R. 8.

rit, latos quantocyus efficere studeatis in eo, quòd expectantes usque fuimus vestros suscipere Missos, sed nondum ad nos pervenerunt. Et ob hoc maxima nos dilectionis affectio cogit synceram cordis nostri puritatem vestro Regali Culmini enucleanter proferre, dum nimirum vestra salus, nostra est latitia, & prosperitatis vestra commoditas, nostra est exultatio. Itaque innotescimus Excellentia tua suscepisse nos Epistolam directam nobis à Joanne Patriarcha Gradonso. Vicesimâ-septimâ enim die Octobris mensis ipsa ad nos pervenit Epistola, & protinus nec potum nec cibum sumpsimus, neque nos, neque hujus scriptor Apostolica relationis, sed eàdem horâ eodémque momento ipsam antefati Patriarcha Epistolam cum his nostris Apostolicis syllabis vobis transmisimus. Itaque valdè tristes effecti sumus, quoniam assifenatas bullas ejusdem Epistola reperimus, à Leone Archiepiscopo primitus relecta nobis directa est, & in hoc comprobare potest Excellentissima Christianitas vestra, qualis est fraudulenta fides ipsius Leonis Archiepiscopi, quia non pro alio prasumpsit eandem Epistolam primitus reserare ac relegere, nisi ut omnia, qua adscripta sunt, ut certè omnibus manifestum est, adnuntiaret tam Arghiso Duci Beneventano, quàm reliquis nostris vestrísque inimicis, & dubium non est cuncta jam prafatis amulis ab eodem Archiepiscopo esse adnuntiata. Nos quidem, veritate testante, coram Deo, dicimus pariter & fideliter, in vestro permanentes amore, juxta quod inter nos prasentialiter in aula Apostolica confirmatum est, ea, qua ad nos perveniunt, de prasenti cum magna cautela vobis studemus denunciare, quia post Deum & Beatum Petrum alibi nostra spes & fiducia non est, nisi in vestra à Deo protecta Excellentia. Tu enim, dulcissime, Magne, à Deo illustrate Rex, noster cum Deo defensor & protector existis, quia per te Sancta Dei Ecclesia spiritalis mater tua exaltata, magno exultat gaudio, confidentes cuncta à vobis beato Petro promissa velociter effectui mancipanda. Sed Deus Omnipotens, in cujus manu omnia mundi Regna consistunt, suâ vos multipliciter foveat gratiâ, & beatorum Apostolorum Principum Petri ac Pauli intercessionibus, longo ac prospero senio Regni gubernacula possidere, & pariter cum Excellentissima filia Regina & amantissimis natis gaudere, & calestia pramiorum cum Sanctis perenniter vos faciat adipisci Regna. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

XV. Sequitur embolum de Leone Archiepiscopo Ravennate. *Etenim innotescimus Excellentissima Christianitati vestra, eò quòd, quando à vestro Regali vestigio reversus est Leo antefatus Archiepiscopus, in magnam superbiam & tyrannicam elationem pervenit, & nullo modo, sicut anteà, nostris Apostolicis obtemperare inclinatus est mandatis, & nullam ex Ravennatibus vel Æmilia pro accipiendis praceptis de diversis actionibus ad nos venire permisit, ita eis indignatus comminatus est dicens, quòd, si quis ad nos venire prasumpsisset, non potuisset venire. Nam Pentapolenses omnes obedientes existentes in nostro Apostolico servitio, ad nos proni, sicut tempore pradecessoris nostri Domni Stephani Papa, properaverunt, & pracepta de singulis eorum civitatibus more solito acceperunt. De reliquis verò civitatibus Æmilia, simúlque & Gabello, qui à nobis ibidem ordinati sunt, ab eo exinde projecti sunt, & alios ex eis in vinculis detinet. At verò de civitatibus Imolensi seu Bononiensi, ita profanizat, dicens, quòd vestra Excellentia ipsas civitates minimè beato Petro & nobis concessit, sed sibi ipse Archiepiscopus à vobis fuisse concessas ac traditas asserit, sub sua potestate permanendas. Unde nullum hominem ex eisdem civitatibus ad nos venire permisit, sed ipse ibidem actores, quos voluit, sine nostra auctoritate ordinavit, & in sua eas detinet potestate. Et non tibi placeat, Excellentissime fili, ut tanto despectus hanc Apostolicam habeat Sedem, non reputans de sua promissione, quam beato Petro & ejus Vicariis jurejurando adhibuit, sed sicut transgressor mandatorum Dei in perjurii reatus incidit. Etenim nos firmiter credimus, & magnam habemus fiduciam, quòd omnia, qua beato Petro per vestram Donationem offerenda promisistis, adimplere, pro Regni vestri stabilitate, & aterna vobis conferenda retributione, studeatis.* Has literas existimamus delatas per Anastasium, quem Ca-

AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

rolus aliquandiu apud se detinuit ob rationes, quas anno sequenti referemus.

XVI. Mense Novembri, cùm Romæ de Regiorum Oratorum adventu nihil audiretur, Adrianus per literas periit à Judicibus Papiæ constitutis à Carolo, an scirent eos Romam venturos, acceptóque in responsis eos haud citò mittendos, alteris ad Carolum literis [a] per Andream Episcopum ex aula Regia nuper reversum & Pardum *Egumenum* seu Monachorum Præfectum denuò scripsit Leonem nolle præceptionibus Apostolicæ Sedis obedire; Ravennam, Faventiam, Ducatum Ferrariæ, Comaclum, Forum-Livii, Forum-Popillii, Cesenas, Bobium, Imolam, & Bononiam esse in illius Archiepiscopi potestate; reliquas verò civitates utriusque Pentapoleos ab Arimino Eugubium usque in fide atque obsequio adhuc perstare. *Domno Excellentissimo filio Carolo, Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Dum in tanta securitatis lætitia spiritalis mater vestra Sancta Dei Catholica & Apostolica Romana Ecclesia consistens exultat, ob hoc opinatissima nominis vestri memoria in universa Orbe terrarum dilatata atque laudabiliter permanet divulgata, etiam ab Apostolica aula ob vestrorum veniam delictorum sedulà à nobis & cunctis Dei Sacerdotibus, orationum vota & sacrificiorum hostiæ divina offeruntur Majestati. Itaque Præcellentissime fili, recordari credimus à Deo protectam Christianitatem vestram nobis direxisse in responsis per Andream Reverendissimum & Sanctissimum fratrem nostrum Episcopum, quòd hoc autumni tempore vestros ad nostri præsentiam studeretis dirigere Missos, qui nobis omnia secundùm vestram promissionem contradere deberent, & expectantes fuimus usque hactenus per totum Septembrem, & Octobrem, & præsentem Novembrem mensem, ipsos vestros suscipere Missos, & de vestra sospitate per eos agnoscere. Et dum minimè ad nos advenissent, direximus nostras Apostolicas literas usque Papiam ad Judices illos, quos ibidem constituere visi estis, ut nobis significare deberent de adventu eorumdem vestrorum Missorum. Qui ita nobis direxerunt in responsis, nequaquam ad nos vestros nunc esse profecturos Missos. Unde magnum desiderium nostro imminet cordi, & intereà mentis nostræ viscera in vestra ardentiùs fervescunt amore. Idcircò cupientes de vestra prosperitate certos lætásque effici, magnoperè studuimus præsentes nostros Missos, scilicet antefatum Andream Sanctissimum fratrem nostrum Episcopum, & Pardum Deo amabilem dilectum filium nostrum Egumenum, ad vestra Regalia transmittere vestigia, visitantes & salutantes per eos tam Præcellentissimam Christianitatem vestram, quámque Excellentissimam filiam nostram, amantissimam conjugem vestram, à Deo illustratam Reginam, & dulcissimos ac nobilissimos natos vestros. Prædictis quidem Missis nostris cuncta in ore subtiliùs posuimus, eásque diligenter informavimus, quæ de singulis causis vestra à Deo protecta Excellentia, nostrâ vice, enarrare debeant, eósque benignè atque hilari vultu à vobis suscipi petimus, eorúmque sermonibus, quos nostrâ vice protulerint, credere, & aurem benignitatis vestræ accommodare, cunctáque perficere & adimplere dignemini, quæ sanctæ memoriæ genitor vester Domnus Pippinus Rex beato Petro unà vobiscum pollicitus, & postmodum tu ipse, à Deo institute Magne Rex, dum ad limina Apostolorum profectus es, ea ipsa spondens confirmasti, eidémque Dei Apostolo præsentialiter manibus eandem obtulisti promissionem. Nos enim magnam fiduciam habemus in vestri cordis firma constantia, & certi sumus omnino de benigno mentis vestræ proposito. Unde & copiosum à vobis suscipere præstolamur fructum, ut, sicut cœpisti, bonum opus perficias, tuísque temporibus Sancta Dei Ecclesia multà ampliùs exaltata permaneat, &c. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.*

[a] In Cod. Carol. ep. 51.

XVII. Sequitur embolum de protervia Leonis Archiepiscopi Ravennatis. *Et hoc vestra à Deo protecta Excellentiæ innotescimus, eò quòd, postquàm à vobis reversus est Leo Archiepiscopus, in nimiam superbiam elevatus, nullo modo nostris præceptionibus, sicut anteà, obedire voluit, sed brachio forti usque hacte-*

AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

*nus in sua potestate detinere videtur Imolam atque Bononiam, dicens, quòd easdem civitates nullomodo beato Petro neque nobis concessistis, nisi tantummodo eidem Leoni Archiepiscopo. Unde dirigentes ibidem nostrum Missum, id est, Gregorium Sacellarium, qui Judices earumdem civitatum ad nos deferre deberet, & sacramenta, in fide beati Petri, & nostra, atque Excellentiæ vestræ, à cuncto earum populo, susciperet. Sed nequaquam idem Archiepiscopus eundem nostrum Sacellarium illuc ire permisit. Nam & Dominicum, quem nobis in Ecclesia beati Petri tradidistis atque commendastis, Comitem constituimus in quandam brevissimam civitatem Gabellensem, præceptum ejusdem civitatis illi tribuentes. Sed minimè illum permisit ipsum actum agere, sed dirigens exercitum, vinctum eum Ravennam deduxit, & sub custodia habuit. Nam & de aliis civitatibus Æmiliæ, id est, Faventia, Ducatu Ferrariæ, Comiado *, & Foro-Livii, & Foro-Populi *, Casina, & Bobio, seu Tribunatu decimo, nullum hominem exinde ad nos, pro suscipiendis præceptis actionum, advenire permisit. Nam illi omnes parati erant ad nos conjungere. De reliquis verò civitatibus utrarumque Pentapoleos ab Arimino usque Eugubium omnes, more solito, ad nostri advenerunt præsentiam, & præcepta actionum de ipsis civitatibus à nobis susceperunt, & in nostro servitio atque obedientia fideliter cuncti permanent, nisi solummodo ipse Archiepiscopus in sua ferocitatis superbia existit. Sed petimus te coram Deo vivo, Præcellentissime fili, ut nullomodo hoc tibi placeat, ut ea, quæ sanctæ memoriæ genitor tuus, & tu ipse beato Petro concessistis atque obtulistis, quod absit, temporibus vestris auferantur, & Ecclesia beati Petri per malignos homines, qui iniqua immittunt, humilietur, sed magis semper per vos exaltata permaneat.*

* Comaclo. * Foro-Populi.

XVIII. MITTIT NUNCIOS ROMAM.

Exeunte hoc anno, Carolus Wulcharium seu Wilicarium Senonensem Archiepiscopum & Dodonem Abbatem Romam Oratores direxit, ut patet ex Adriani Papæ literis [a], quas anno sequenti describemus.

[a] In Cod. Carol. ep. 50.

XIX. MANSEA MON. DEDICATUR. VIRGILIUS EP. SALISB. CLERICOS AD KARANTANOS DIRIGIT.

Waldericus Laureacensis & Pataviensis Antistes, ac Bojoariæ Metropolitanus, Manseam illustre Monasterium, cui tunc Opportunus Abbas præerat, hoc anno dedicavit, ut testatur Hundius in Episcopis Laureacensibus & Pataviensibus [b]. Iisdémque temporibus, cùm Karantani post Chetimari seu Ketmari Ducis obitum Presbyteris per aliquot annos caruissent, *Waltunc Dux eorum misit iterum ad Virgilium Episcopum* Salisburgiensem, *& intentè postulavit, ut ad confortandam in fide prædictam terram aliquos destinaret Presbyteros. Petitioni igitur memorati Ducis, & incremento Sanctæ Ecclesiæ consulens, misit Hermonem & Reginbaldum Presbyteros, atque Majoranum Diaconum cum aliis Clericis viris utique religiosis & honestæ conversationis.* Lege vitam Sancti Virgilii.

[b] Num. 18.

XX. EPISCOPI WIRCEBURG.

Bernwelphus, cùm Cathedram Wirceburgensem *annos septem* tenuisset, obiit hoc anno, *Monachis religiosis infestus multùm.* Post hunc, Ecclesiæ Wirceburgensi præfuit *Luitrigus annis tribus, mensibus quinque.* Scripta sunt hæc ab Egilwardo, vitæque Sancti Burchardi Wirceburgensis quondam Episcopi subjecta reperiuntur [c]. Apud hunc Auctorem deprehendi non potest, utrùm Megingaudo Bernwelphus an Bernwelpho Megingaudus supervixerit. Megingaudus anno Christi septingentesimo undeseptuagesimo Wirceburgensem Episcopatum abdicavit, & Laureshamensis Ecclesiæ Dedicationi posteà præsens interfuit. At de tempore, quo facta hæc Dedicatio, non conveniunt Chronographus & Annalista Laureshamenses, annum enim Incarnationis Dominicæ septingentesimum septuagesimum-septimum Chronographus, septingentesimum septuagesimum-quartum Annalista consignat. Chronographus, si probaretur ejus opinio, totam controversiam dirimeret, quia Bernwelphus ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-septimum haud pervenit. Annalistam autem Chronographo præferendum hoc loco putamus. Ergo Megingaudum, de quo mentionem ante biennium fecimus, ad hunc usque annum vixisse non liquet. Quicquid sit de anno, quo mortuus est, hæc de illius obitu ac successore

[c] Ap. Sur. d. 14. Oct.

AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

ABBATES NEOSTADIENSES.

non sunt omittenda. *Dum aliquandiu laudabiliter ac religiosè* Neostadienses Monachi *sub sacratissimi Imperatoris*, id est, Caroli Regis pòst Imperatoris, *alis ab omni seculari molestia conversarentur illasi, utpote tam Deo placentes quàm hominibus, ingressus est viam universa carnis Megingaudus Episcopus, bonis operibus plenus, aterna remunerationis bravium recepturus. Cujus discipuli Waltricum de suis mox Abbatem elegerunt, ipsiúsque jussu piissimi Caroli ad Palatium deferentes, ejus authoritate juxto quod Megingaudo promiserat, confirmarùnt.* Neostadium *, Ordinis Benedictini Monasterium, prope Caroloburgum *, quod oppidum ad Mœnum amnem tribus à Wirceburgo milliaribus distat, adjuvante Carolo Rege constructum est à Megingaudo post annum Christi septingentesimum undeseptuagesimum, cùm idem Megingaudus à Bernwelpho novo Wirceburgensi Episcopo persecutionem pateretur. Qua de re sic Egilwardus jam laudatus. *Tantam támque diutinam inquietudinem Patri quondam & Magistro suo* Megingaudo *subrogatus Episcopus* Bernwelphus *inflixit, ut tadio affectus sese suósque discipulos, ipsum quoque locum, qui tunc Rorinlatha, posteà verò Neuwestat dictus est, Caroli Regis patrocinio committeret, & ejus adjutorio Monasterium ibidem à se suísque Monachis inhabitandum institueret.* Hunc textum Tomo priore [a] jam recitatum denuò descripsimus, ut Carolum ab Egilwardo Regem atque Imperatorem promiscuè vocatum scires, observaréśque Carolo nondum Imperatore Neostadium ex ejusdem Caroli munificentia conditum à Megingaudo, cui Waltricus post aliquot annos in munus Abbatiale successit. Non ignoramus à Neostadiensibus, quæ nostræ sententiæ repugnent, variâ Caroli Diplomata proferri, sed ea nullam omnino merentur fidem, suísque locis à nobis refellentur. Bucelinus in secunda parte Germaniæ Sacræ, duplex commemorat Neostadium, unum *in Austria*, alterum *in Franconia Diœceseos Herbipolensis*, fatetúrque sibi non constare *de* posterioris *origine & fundatione*, causam autem dubitandi ne putes aliunde natam, quàm è commentitiis aut depravatis Chartis, quas attigimus suprà.

* Neustat.
* Carlostat.
[a] Ad an. 769. n. 19.

XXI. EPISCOPI COMENSES.

In provincia Foro-Juliensi, præter Siginaldum seu Sigualdum Patriarcham, de quo suprà, vitam hoc anno clausit Adelengus Comensis Episcopus, cujus successor Petrus apud Vghellum [b] dicitur *primus Gallorum*, qui Comenses Infulas obtinuerunt.

[b] Tom. 5. Ital. Sacr.

XXII. STEPHANUS FIT EP. CREMONENS.

In provincia Mediolanensi Cremonensis Episcopus hoc eodem anno factus est Stephanus, cùm Sedes triennio vacasset, vt idem Vghellus testatur [c].

[c] Tom. 4.

XXIII. LEO FIT EP. ACHERUNTIN.

In provincia Romana post Acheruntini Episcopi mortem ordinatus est hoc quoque anno Leo, qui Diœcesim Acheruntinam annis tribus ac viginti mensibúsque quatuor ad annum usque Christi septingentesimum nonagesimum-nonum piè sanctéque rexit. Lege eundem Ughellum [c].

XXIV. EPISCOPI AURELIAN.

In Aurelianensium Episcoporum Catalogo, post Sanctum Eucherium, cujus obitus in annum Christi septingentesimum quadragesimum-tertium incidit, hi recensentur Episcopi, Bertinus, Adalinus, Nadatimus, Deochimus, Guibertus, Theodulphus, de quo sermonem sæpè facturi sumus. Bertinus, Adalinus & Nadatimus, solis apud Carolum Saussleyum [d] nominibus noscuntur. Severtius pro lubitu singulis Pontificatibus suos annos attribuit. Tomo superiore Bertinum in vivis adhuc superstitem laudavimus Pippino Regnum ineunte, mentionem Adalini fecimus ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-sextum, Adalino Nadatimum anno Christi circiter septingentesimo septuagesimo suffecimus, nec arbitrati sumus hos calculos à recta Chronologia dissidere. Sed Auctori proximè citato, cùm Nadatimum annis Christi septingentesimo septuagesimo & septingentesimo octogesimo sedisse scribit, assentiri nullomodo possumus. Citiùs enim, quàm ille opinatur, Episcopatum suscepit Theodulphus [e], ut dicemus infrà. Nadatimo subrogatus est hoc circiter anno Deothimus. Hic priusquàm in Epi-

[d] Tom. 7.
[e] Lib. 5. n. 38.

AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

ABBATES FLORIACENS.

ſcopum aſſumeretur, Abbas erat Floriacenſis; Medoni, qui Pippino Rege floruit, in adminiſtrationem Monaſterii videtur ſucceſſiſſe; factus Epiſcopus dimiſit munus Abbatiale, quod Radulpho *tempore Caroli Magni* collatum dicitur in Abbatum Floriacenſium Catalogo, quo Sauſſeyus [a] prolixum de Floriacenſis Monaſterii Gloria tractatum clauſit. Quot annos egerint, Deothimus in Epiſcopali dignitate, Radulphus in Abbatiali, veteres haud produnt Auctores. De Radulpho nihil auditur præter nomen. Deothimus erga Aurelianenſem Eccleſiam munificum ſe præbuit. Poſt Deothimum in Aurelianenſi Cathedra ſedit Guibertus, neuter eam aſſecutus eſt ætatem quam Sauſſeyus præfixit, obierunt enim Deothimus ante annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-ſecundum, Guibertus ante annum Chriſti octingenteſimum quartum, imò Theodulphus, cùm poſt Radulphum Abbas Floriacenſis jam eſſet, Guiberti longè ante annum reparatæ ſalutis ſeptingenteſimum nonageſimum-ſecundum demortui loco Epiſcopus Aurelianenſis eſſe cœpit. Ea de re fuſius ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-ſextum diſputabimus.

[a] Lib. 4 nn. 4. & ſeqq.

XXV. EGREMARUS ET EVA MUNIFICI ERGA MON. S. BENIGNI.

Chronographus San-Benignianus Egremarum & ejus uxorem Evam ſive Evaram laudat, quòd Monaſterio Sancti Benigni partem rerum ſuarum in *villa Norvia dicta* contulerint. Hujus donationis Chartam integram publicavit Stephanus Perardus datam *die Sabbato ante Kl. Februarii, regnante Karolo, anno octavo Regni ejus*, id eſt, hoc anno, ſexto Kalendas Februarii, currente rum literâ Dominicali G. *Domino ſacroſanctæ Eccleſiæ ſancti Benigni Divione conſtructæ, ubi ipſe Domnus & pretioſus in corpore requieſcit, ubi in Dei Nomine David Presbyter, unà cum ipſa Congregatione deſervire videntur. Igitur in Dei Nomine Egremarus & matrona ſua Eva cogitavimus, pro Dei miſericordiâ & veniâ, peccatis noſtris minuendis. Propterea donamus & à die præſente donatum ut permaneat volumus, hoc eſt, in fine Norvienſe, in ipſa villa, manſis, curtiferis, campis, ſylvis, pratis, aquis, vel decurſis, exiis, & regreſſis, vel omnibus adjacentiis, quicquid in ipſa jamdicta fine, vel in ipſa villa, viſus ſum habere vel dominare, totum & ad integrum, portionem noſtram à die præſente tradimus atque transfundimus, ut quod ipſi cuſtodes Eccleſiæ de ipſas res facere voluerint, liberam & firmiſſimam, in Dei Nomine, in omnibus habeant poteſtatem. Si quis verò, quod nec fieri credimus, ſi nos, aut hæredes noſtri, vel quiſlibet ulla oppoſita perſona, qui contra hanc Donationem noſtrâ voluntate factâ & ſcriptâ venerit, aut agere vel calumpniare præſumpſerit, evindicare non valeat quod repetit, & inſuper inferat ipſi Eccleſiæ vel ſuis cuſtodibus, unà cum ſocio fiſco auri uncias duas; & nihilominùs præſens hæc Donatio firma & ſtabilis permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum Buxeriâ villâ publicè. Signum Egremari & Evaræ, qui hanc Donationem fieri & firmare rogaverunt. S. Grimerio. S. Bladono. S. Adalgaudo. Ego Manfredus Presbyter ſcripſi & ſubſcripſi, & datavi, die Sabbato ante Kl. Februarii, regnante Domno noſtro Karolo, anno octavo Regni ejus.* Tunc Monaſterii San-Benigniani cura penes Waldricum Abbatem erat, & David Preſbyter, cujus nomen in præcitata Charta notatur, *Præpoſiti fungebatur officio*, ut Auctor Chronici San-Benigniani ſcribit. De utroque non ſemel recurret ſermo.

XXVI. GREGORII RECTORIS ULTRAJECTINI OBITUS,

Tertius hic annus agitur, ex quo laborat paralyſi Gregorius Abbas & Rector Eccleſiæ Trajectenſis ad Rhenum. *Tertio tandem anno inchoata ægritudinis*, inquit Ludgerus in ejus vita, *quaſi auri more, quod per ignem tranſiit, corporis fatigatione purgatus ad id pervenit, ut ubicumque opus erat, inter diſcipulorum manus portare neceſſe eſſet. Et nec tunc quidem vir venerabilis ab opere Dei unquam ceſſavit, ſed aut divinos libros legere coram ſe, aut pro eadem mentis ſua exercitatione ad cæleſtia Pſalmos cantare aſſiduè fecit, ſicque ad extrema perducto, imbecilla membra corporis, quæ jam tunc lecto ſemper ſuſtentare neceſſe erat, candida facta ſunt ac nitida ad inſtar lactis vel lanæ albæ, ut innoteſceret videntibus in quanta munditia ſpiritus intus haberetur coram oculis Dei. Tunc*

AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

cœperunt conqueri & contristari, qui ibidem adfuerunt utrinsque sexûs necessarii amici, tam de ejus transitu citiùs imminente, quàm de tardatione electi filii ejus Albrici, in quo totius domûs spes magna incubuit, qui tunc temporis in Italia erat Regali servitio occupatus, & nemini notum quando esset venturus. Hac audiens Pater Deo dilectus Gregorius cœpit coudolere mærentibus, de seipso securus, & de filio sollicitus, & consolatus eos cœpit, sicut frequenter sanus corpore antè solebat inter communia colloquia, Propheticum illud proferre ac dicere. Nolite timere, non transibo, inquit, antequàm ipse veniat. Quod quàm veraciter spiritu prænosceret, rei probavit eventus. Nam triduo vel quatriduo ante transitum eius venit diu optotus & electus filius ejus Albricus inopinatè, cunctis nescientibus, excepto Patre spiritali, qui ejus adventum longè antè prædixit. Tunc continnos illos tres dies aut quatuor in communi utilitate & totius familiæ salubri negotio dum ducerent, sano sensu quæcumque desiderabant invicem conferentes, venit ei dies extremus mortalitatis hujus, ad ingressum Regni & perpetuæ saluti destinatus. Circumsteterunt eum discipuli ejus, desiderantes adhuc quamvis infirmum Patrem diutiùs secum habere, & de eo optando dicere ad invicem. Non moritur hodie, non moritur hodie. Ipse verò viribus adsumptis, quibus valuit, hodie, inquit, volo licentiam habere. Et his dictis jussit se ante Oratorium Sancti Salvatoris à discipulis portari, & ostium aperiri, ibique oratione factâ & communione sacri Corporis & Sanguinis Domini acceptâ, adspiciens ad altare, mente cælestibus intentus, ad Dominum perrexit, cui tanto tempore sincerâ mente servivit.

XXVII. Obiit Gregorius octavo Kalendas Septembris, quo die celebris est ejus memoria. De anno non est idem assensus. Hujus controversiæ duplex est causa. Nam præter annum quo Gregorius disciplinæ Winfridi se commisit, controvertitur & annorum numerus quos vixit.

XXVIII. ÆTAS. Gregorius, *quasi quartum-decimum aut decimum-quintum agens ætatis annum*, Winfrido, qui Bonifacius posteà dictus est, tanquam Magistro ab eo adhæsit tempore, quo Winfridus, ut Ludgerus in ipsius Gregorii vita testatur, *dum admonitus à Deo ad Hassos & Thuringos Orientales regiones Francorum iter agere cœpisset lucrandorum Deo populorum causâ, pervenit ad Palatiolum Monasterium Virginum prope Treveris civitatem, in ripa fluminis Mosellæ, cui tunc præerat Abbatissa, nomine Addula.* Serarius [a] vult id anno Christi septingentesimo decimo-nono contigisse, cùm Winfridus acceptâ potestate prædicandi Evangelium quibuscumque gentibus infidelitatis errore detentis, cum licentia Gregorii Papæ, Româ in Germaniam implendi ministerii causâ profectus est. *Maio*, inquit, *mense, Româ in Germaniam prædicandi gratiâ venit, & B. Gregorium puerum in disciplinam suam accepit, 719.* At Winfridus illo anno procul à Palatiolo Monasterio & à Mosella flumine, Româ iter in Thuringiam per Longobardiam & Bojoariam habuit, ut ex ejus vita per Sanctum Willibaldum & Othlonum scriptâ constat. Eodem anno, in Annalibus, Nazarianis, Peravianis, & Tilianis, mors Radbodi consignatur, & Winfridus, teste ipsomet Serario, *post Radbodi tyranni mortem in Frisiam iit*, ibique *tres circiter annos, 720, 721, 722, S. Willebrordi cooperator fuit.* Certè Winfridum Sanctus Willibaldus *per tres instanter annos*, Othlonus *per tres continuos annos* Sancti Willibrordi cooperatorem in Frisia fuisse testantur. Winfridus peracto illo triennio venit Treviros, & in Palatiolensi Monasterio Gregorium reperit, & annuente Addulâ ejus aviâ in discipulum accepit, anno videlicet Christi septingentesimo vicesimo-secundo. Lege quæ dicta sunt à nobis ea de re Tomo quarto [b]. Sententiam nostram in notis ad vitam [c] Sancti Gregorii jam amplexi sunt Lucas Dacherius & Joannes Mabillonus Tomo secundo Seculi tertii Benedictini.

[a] Lib. 3. rer. Mogunt. not. 54. in vit. S. Bonifac.

[b] An. 715. nn. 79. & seqq. an. 722. nn. 50. & seqq.

[c] Num. 4.

XXIX. In eadem Sancti Gregorii vita Ludgerus ejus discipulus ita scribit. *Talibus successibus & vitæ meritis Abbas meus & Præceptor Gregorius, dum semper in melius crescendo proficeret, & prope jam ad septuaginta annorum ætatem tam carus*

Deo quàm cunctis hominibus perveniret, adfuit dies, in qua militem suum Dominus adhuc meliorando subvehere vellet ad sublimiora, & remunerationis ei præmia largiri, quæ meritis ejus debebantur & operibus fructuosis. Tactus itaque est eâ molestiâ corporali in sinistro latere, quam paralysin Medici vocant, & crescente eâdem molestiâ & ingravescente per dies singulos, secundùm Scripturæ testimonium, flagellavit Deus filium suum in hac peregrinatione, quem è vicino erat recepturus ad patriam cælestium mansionum, tribus enim annis ante obitum suum arreptus est illâ infirmitate. Ex illo textu quæstio movetur, utrùm Gregorius, cùm propè jam ad septuaginta annorum ætatem perveniret, an triennio seriùs obierit. Ludgeri verba posteriori videntur opinioni favere, quam Henschenius, itémque Dacherius & Mabillonus amplexi sunt, ille in Commentario prævio ad vitam Sancti Ludgeri [a], hi in notis ad vitam Sancti Gregorii [b]. Non tamen inter se conveniunt illi Scriptores de anno, quo Gregorius ex hac vita sublatus est. Henschenius enim Winfridi adventum ad Palatiolense Monasterium anno Christi septingentesimo decimo-nono consignat, Dacherius & Mabillonus anno Christi septingentesimo vicesimo-secundo. Animadvertit Henschenius Gregorium ultra annum Christi septingentesimum septuagesimum-septimum haud vixisse, quia post ejus mortem, teste Altfrido, Ludgerus ad Presbyteratum promotus est missúsque in Ostracham sive Ostergoam, ubi *cùm annis ferè septem in doctrinæ studio persisteret, consurrexit radix sceleris Widukind Dux Saxonum, eatenùs gentilium, qui evertit Fresones à via Dei, combussítque Ecclesias, & expulit Dei famulos*, anno videlicet Christi septingentesimo octogesimo-quarto, nam proximo baptizatus est idem Windokindus, ut Annalista Loiselianus aliíque produnt. Altfrido sua stare non potest auctoritas in opinione Dacherii & Mabilloni. Certè cùm Winfridus ad Palatiolense Monasterium ante annum Christi septingentesimum vicesimum-secundum haud pervenerit, & Ludgerus in Ostergoa Frisios erudierit annis ferè septem, priusquàm ob Widichindi persecutionem inde discedere cogeretur, præcitatus Ludgeri textus sic exponi debet, ut Gregorius asseratur mortuus, cùm propè jam ad septuaginta annorum ætatem perveniret, & paralysi per triennium jam laborasset. Non aliter censuit Wilhelmus Heda in Historia Trajectensium Episcoporum [c], Gregorium enim anno post Sancti Bonifacii Martyrium vicesimo-secundo, ætatis suæ septuagesimo è vivis ereptum sic affirmavit. *Tandem* LXX *ætatis suæ anno, gravatus paralysi, & continuo triennio per summam patientiam illâ exhaustus, instante jam resolutione suâ, per triduum mortem suam antè prædixit, & ad altare ductus sumptâ Eucharistiâ statim expiravit* VIII *Kalend. Septemb. sepultus in Ecclesia Sancti Salvatoris Trajecti, cùm sedisset annis* XXII, id est, cùm Trajectensem Ecclesiam post Passionem Sancti Bonifacii per annos duos ac viginti gubernasset, ad annum usque Christi septingentesimum septuagesimum-septimum, quia beati Bonifacii Martyrium anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto retulit. At si vel incompletos dicas annos Gregorii duos ac viginti, vel loquaris in eorum opinione, qui Sanctum Bonifacium anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto passum volunt, Gregorii mortem hoc anno post Christum natum septingentesimo septuagesimo-sexto consignabis. Id jam præstitit Henschenius in Commentario suprà citato. Gregorium, cujus obitus octavo Kalendas Septembris annotatur, aliàs ad annum usque Christi septingentesimum septuagesimum-septimum vixisse censebamus [d]. Ut autem mutemus opinionem, duæ res potissimùm nos inducunt. *Carolus Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum*, VII *Idus Junii, anno* Regni sui *nono*, id est, anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo, munificum se præbet erga Basilicam Sancti Martini, *quæ est constructa in Trajecto veteri subtus Dorestado, ubi Venerabilis vir Albricus Presbyter atque electus Rector præesse videtur*, ut scriptum habetur in Regio Præcepto, quod anno sequenti recitabimus.

[a] d. 26. Mart.
[b] Tom. 2. Sec. 3. Benedict.
[c] In Episc. 3.
[d] Tom. 4. a. 707. n. 17 a. 715. n. 79. a. 722. n. 51.

AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

Deinde Ludgerus, antequàm in Ostergoam proficisceretur, ubi verbum Domini per annos ferè septem prædicavit, plura post Gregorii mortem confecit negotia, quàm ut post diem octavum ante Kalendas Septembres anni à Christo nato septingentesimi septuagesimi-septimi cœpta credi possint, ea describemus infrà suis locis ex Altfrido.

XXX. Migravit igitur ex hac vita Gregorius octavo Kalendas Septembris, anno Christi septingentesimo septuagesimo-sexto, cùm propè jam ad septuaginta SEPULTURA, annorum ætatem perveniret, & paralysi per triennium laborasset. Sepultus est in Æde Trajectina Sancti Salvatoris, in qua felicem Creatori reddidit animam. Lege Chronicon Joannis de Beka [a]. In Annalibus tamen Leodiensis Ecclesiæ, ut Wilhelmus Heda observat, scriptum invenitur, *quòd sepultus sit* Gregorius *in Ecclesia Susterensi, ejusdem Dioceseos, sacris virginibus dedicata, ubi & Sancta Wastradis mater ejusdem Gregorii requiescit, cujus festum celebratur* XII *Kalend. Augusti, Gregorii verò* x *die Octobris, & Sancti Albrici successoris Gregorii, qui ibidem humatus est,* XVIII *Kalend. Decemb.* At longè post Gregorii & Albrici ætatem, cùm Leodiensis Ecclesiæ tegimen penes Franconem Episcopum erat, hic *Collegium Susterii fundavit, quo venerabilis Abbatissa Cecilia cum patre Zendelbaldo Lothariensi Rege requiescit*, ut Joannes Placentius in nono Antistite Leodino testatur. *Susterenum in Transmosanis oppidum ex adverso Masecæ* *, *ubi olim Monasterium*, inquit Fisenus in populorum, regionum, urbium, Monasteriorum, pagorum, fluviorúmque Nomenclatura, quam floribus Leodiensis Ecclesiæ subjecit; & ad MATER, diem vicesimum-primum Julii, ubi agit de Sancta Vastrade, Sancti Gregorii matre, fatetur nusquam se reperisse, quando Monasterium Susterenì conditum fuerit, atque incertum etiam esse illícne Sancta Vastradis vixerit; duo tamen vult pro certissimis haberi, nempe quòd Susterenum *, dum beatus Gregorius viveret, magnâ jam tum sanctimoniæ famâ celebraretur, ibique Sancta Vastradis tumulata sit. Quicquid sit de Sanctæ Vastradis sepultura, Sanctum Gregorium ejus filium, qui mortalem vitam Trajecti clausit, Trajecti quoque sepultum credimus in Ecclesia Sancti Salvatoris, deinde partem Reliquiarum translatam Susterenum, istiúsque Translationis memoriam x *die Octobris* in Annalibus ab Heda citatis celebrari, nam dies Natalis cum octavo Kalendas Septembres coincidit.

[a] In Episc. 3.

* Mastyck.

* Susteren.

XXXI. SUCCESSOR. Albricus sive Albericus, qui Sancto Gregorio in Ecclesiæ Trajectensis administrationem successit, ejusdem Gregorii nepos ab Altfrido in vita Sancti Ludgeri sic appellatur. *Abbas Gregorius migravit ad Dominum, & suscepit curam Pastoralem Albricus nepos ejus.* Inde redarguas Joannem de Beka, Wilhelmum Hedam, & alios Ultrajectinarum rerum Scriptores, qui Albricum natione Anglum faciunt, Gregorium enim consanguinitate contingebat, Gregorius autem patriâ Francus erat, Dagoberti Secundi Francorum Regis per aviam Addulam sive Adelam pronepos.

XXXII. LUDGERUS REPARAT ECCLESIAM DAVENTRIÆ. Albricus regimine Pastoralis Ecclesiæ suscepto Ludgerum Diaconum ad perquirendum Sancti Liafwini corpus & Ecclesiam Daventriæ reparandam statim direxit. *Suscepit curam Pastoralem Albricus, qui venerabilem Liudgerum cum nimio diligebat affectu, atque eum ita allocutus est, dicens. Nunc, quia frater meus dilectissimus es, peto ut desiderium meum impleas, locus enim, in quo Sanctus Domini Liafwinus Presbyter, quem nosti, in opere Dominibusque ad mortem persistendo laboravit, ubi sacrum ejus corpus sepulturâ tegitur, in solitudinem est redactus. Quam ob rem peto, ut eum restaurare studeas, & super corpus Sancti Ecclesiam readifices. Dei igitur famulus Liudgerus, Magistri jussis obtemperans, quæsivit in loco prænominato corpus Sancti & non invenit, sed tamen intra spatium loci, quo putavit illud esse, cœpit construere Ecclesiam. Cúmque posuisset bases, & parietes conaretur erigere, apparuit ei Sacerdos Domini* REPERIT CORPUS S. LIAFWINI. *Liafwinus in somnis, dicens. Frater dilectissime Liudgere, benè fecisti restaurando Templum jam dudum deletum à gentilibus, sed & corpus meum, quod quæsisti,*

quasisti, invenies sub Australi, quem erexisti, pariete humatum. Liudgerus igitur mane, Domini laudibus expletis, invenit corpus Sancti in loco sibi in visione prædicto, & collectâ multitudine fecit transvehi bases ejusdem ædificii in partem Australem, & ita infra Ecclesiam collegit sepulchrum viri Dei. Perfecta est itaque ipsa Ecclesia & consecrata, quæ nunquam deinceps à gentibus fuit contaminata, sed in loco illo per servum suum Liafwinum Dominus virtutes multas operatur usque in hodiernum diem, ubi etiam nunc Cœnobium est Canonicorum Domino famulantium. Hæc in Sancti Ludgeri seu Liudgeri Mimigardevordensis Episcopi vita scripsit Altfridus ejusdem Sedis Episcopus, quem anno Christi octingentesimo quadragesimo-nono mortuum tradunt. AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

Apud Merssæum Cratepolium Weomadus, qui Trevirensem Archiepiscopatum anno Christi septingentesimo quinquagesimo-tertio suscepit, annos tres ac viginti sedet, & hoc anno feliciter ad Deum migrat sexto Idus Novembris. *Eum*, inquit Browerus [a], *vita laudabiliter puréque transacta constantia, cælestium ordini adscripsit, éstque à posteris etiam Sanctus appellatus, quâ tametsi laude nulla possit major excogitari, amplius tamen aliquanto dici putamus, si facultatibus Ecclesiæ suæ propagandis non modo tuendis impigrum, ab religione procuranda plusquàm strenuum fuisse reperimus.* Sanctum Castorem in decentiori tumulo collocavit. Quonam id anno peregerit, manet incompertum. Hujus Translationis Historia sine Charactere Chronologico, præter ipsius Weomadi Pontificatum, vitæ Sancti Castoris Presbyteri sic subjicitur [b]. XXXIII. WEDMADUS EP. TREVIR. OBIT. [a] Lib. 7. n. 23.

Tempore Weomadi, qui à beata Maximina Sancti Castoris ordinatore vigesimus-nonus Trevirorum extitit Episcopus, placuit Deo in terra absconditam margaritam revelare, & Sancti viri Reliquias diu incognitas, Deo autem pretiosas, suâ manifestatione glorificare. Ostendit igitur per visionem cuidam Presbytero, nomine Martio, venerabili quidem & sancto viro, quo in loco thesaurus pretiosus esset absconditus, simúlque adjecit, ut Trevirica urbis Archiprasulem adiret, & præclaram visionem de revelatione Sanctarum Reliquiarum illi aperiret. Illo autem dissimulante, & visionem vanitatem somnii æstimante, séque indignum, cui talis fieret revelatio, judicante, secundò hæc eadem visio illi apparuit, & ut Episcopo innotesceret admonuit. Tum verò Martius miro modo stupefactus, Deum precabatur obnixiùs, ut si ex eo esset visio, appareret ei & tertiò, votumvovens quòd faceret, quodcumque illi præciperet. Tertiò igitur ostendit ei manifesta Dei clementia, quæ venerabili viro antè fuerant bis ostensa, præcipiens ut præfato Episcopo suggerat, quatinus absconditam margaritam in lucem proferat. Weomadus autem Trevirica urbis Archiepiscopus Martium Presbyterum, cujus adventum per revelationem antè cognoverat, cum ingenti honore suscepit, auditáque itineris causâ, Deo Omnipotenti gratias egit, quòd suis temporibus dignaretur revelare Sanctas Beatissimi Castoris Reliquias. Accersitis itaque ad Archiepiscopum Optimatibus suis, Archidiaconis, Clericis, cum laicis religiosis, mysterium consilii sui eis communicavit, quo modo vel quo tempore ad Karadonum descendere posset, quò comprovinciales & regionis principes sibi occurrerent, ut communi devotione ad salutem cunctorum Sancti viri Reliquias de terra levarent. Aptum quippe erat, ut unâ omnes devotione ejus venerationi assentirent, cujus oratione & patrocinio unà omnes sibi subveniri apud Deum desiderarent. Constituto itaque die, indictóque jejunio præfatus Pontifex, unà cum venerabili comitatu Monachorum atque Clericorum cujusque ordinis, sed & laicorum utriusque sexûs, ad Karadonum descendit, ubi & multitudo innumerabilis comprovincialium, sed & aliarum regionum diversæ conditionis diversæque ætatis, cum mentis alacritate ei, sicut antè indixerat, occurrit. Facto ergo ab omnibus triduano jejunio, preces & obsecrationes fuderunt ad Deum, ut qui Reliquias Sancti Confessoris sui dignatus esset revelare, illos non reputaret indignos, ea, quæ revelata essent, de sepultura levare. Celebratis verò ab Episcopo Missarum solenniis, sepulchrum Sancti viri cum ingenti timore & tremore adeunt, quo adaperto, cælestem thesaurum inveniunt, inventum autem cum Hymnis & laudibus & canticis spi- [b] Apud Bolland. d. 13. Febr. TRANSLATIO S. CASTORIS.

AN. CH. 776. CAROLI R. 8. *ritalibus in Ecclesiam, qua tunc Domus Paulini*, id est, Ecclesia Sancti Paulini, *dicebatur, transferunt, ubi fiunt orationes & obsecrationes ad Dominum usque in præsentem diem.* Quarto sæculo vixit Beatus Castor. Discipulus fuit Sancti Maximini Trevirensis Metropolitæ, qui locum duodetricesimum in Catalogo Trevirensium Præsulum apud Scheckmannum, apud Cratepolium, apud Kyriandrum, apud Robertum, apud Bucelinum, apud Sammarthanos obtinet. Iidem autem Nomenclatores in suis Indicibus sexagesimum locum Weomado tribuunt. Atque inde liquidò constat eos ab Anonymo differre, qui vitam translationésque Sancti Castoris in literas retulit. Discrepantiæ causam indagare atque examinare non est nostratum partium, quia Trevirensium Antistitum Nomenclaturam Chronologiámque non à beato Maximino Sancti Castoris Magistro repetimus, sed à Modesto, cujus obitus anno Christi quadringentesimo octogesimo-sexto contigit, id est, eodem anno quo Clodoveus Magnus Trevirim cepit. Weomadus in nostra sententia decimus-sextus post Modestum Trevirensis Antistes constituitur. Cardonum seu Caradonum vel Cardona seu Caradona, vel Caradunum sive Karadonum, ubi Sanctus Castor sepultus, ad sinistram Mosellæ ripam adsidet. Illius oppidi situs ab eodem Anonymo sic exhibetur. *Est locus admodum angustus supra ripam Mosella situs, montibus inclusus, unde, sicut in quibusdam scripturis legimus, Carta-domus, quasi Coarta, appellabatur antiquitus.* Et apud Browerum in Antiquitatum atque Annalium Trevirensium Propa-
[a] Cap. 17. rasceve [a] Rhodanus perexiguus amnis Mosellam subit infra Caradunum
[b] Lib. 5. carm. 12. ad Castellum à Nicetio Trevirensi Metropolita constructum, ut Fortunatus [b] scribit, in monte,

Quem Musella tumens, Rhodanus quoque parvulus ambit.

XXXIV. Super anno, quo beatus Weomadus ex hac vita sublatus est, cum Cratepolio conveniunt, Robertus, Bucelinus, & Sammarthani. Sepultum in Basilica Sancti Maximini restantur Scheckmannus, & Browerus. Hic illius obitum in annum Christi septingentesimom octogesimum-primum rejicit, *tametsi*, inquit, *de atate, præter conjecturam, nil suggerant majores.* Successit

RICHBOLDUS FIT ARCHIEP. TREVIR. Richbodus seu Richboldus, quem Cratepolius mortuum vult anno Christi septingentesimo octogesimo-secundo, Robertus & Bucelinus anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto, Browerus anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo, sed omnium optimè Sammarthani anno Christi octingentesimo quarto, nituntur enim Annalistâ Fuldensi, cui Hermannum aliósque complures suffragatos ad illum annum ostensuri sumus. Certè Alcuinus, cùm in Francia jam versabatur, literas Richboldo Trevirensi Metropolitæ non semel inscripsit, quæ Richboldum nec anno Christi septingentesimo octogesimo-secundo ut Cratepolius putavit, nec anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto ut Robertus & Bucelinus existimarunt, nec anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo ut Browerus censuit, at multò seriùs mortuum ostendunt. Richboldus mortuo Weomado Trevirensem Archiepiscopatum hoc anno suscepit. Erat anteà Mediolacensis seu Metlacensis Abbas, ut Cratepolius & Browerus affirmant.

EX ABBATE MEDIOLAC. *Richboldus*, inquit Cratepolius, *ex Abbate Monasterii Metlacensis in Archiepiscopum Trevirensem assumitur.* Et apud Browerum hæc leguntur. *Richbodus Mediolacensis Abbas, Archiepiscopus datur; quo de, præter nomen, memorabile apud antiquos vix reperias quicquam.* Occurrent tamen nonnulla, quæ memoriam clarissimi Præsulis commendare possint. Successit autem in Abba-

WAZZO FIT ABB. MEDIOLAC. tiale munus Wazzo seu Waso, qui post eundem Richboldum ex Abbate quoque Mediolacensi factus est Trevirensis Archiepiscopus, ut suo loco dicemus.

XXXV. In eadem Belgica prima, Madelveus Virodunensis Episcopus & Abbas Sancti Vitoni, de quo sæpè locuti sumus, ad Dominum migravit hoc anno, quo bellum Forojuliense feliciter à Carolo Rege confectum est. Hugo

Flaviniacensis Abbas in Chronico Virdunensi Gesta Sancti Madelvei copiosè describit, &c, quamvis in Characteribus Chronologicis aliquando sibi non constet, illius Episcopi transitum tot notis ad hunc annum confirmat, ut omnem dubitationi locum sustulisse videatur. Imprimis annum penultimum ejusdem Antistitis per mensem Novembrem, ut anno priore jam observavimus, cum anno Christi septingentesimo septuagesimo-quinto, Caroli Regis octavo jam inchoato, & Indictione decima-quarta pariter inchoata sic comparat. *Beatus Madelveus anno vitæ suæ penultimo, omnia, sicut habebat & possidebat, Sancto Vitono contulit perpetualiter possidenda, anno Inc. Dom.* DCCLXXV. *Indictione* XIV. *regnante Carolo Magno, anno Regni ejus octavo, die quinto Idus Novembris, in ipsa scilicet solemnitate Sancti Vitoni.* Deinde annum obitûs per mensem Octobrem, cum anno ejusdem Episcopi vicesimo-quarto tum currente, cum anno Caroli Regis nono jam inchoato, cum Indictione decima-quinta jam cœpta, id est, cum anno Christi septingentesimo septuagesimo-sexto sic componit. *Anno Regni Caroli nono, hic beatus hominem exuit, cùm obsideret Carolus Tarvisiam Italiæ urbem, vigesimo-quarto Pontificatûs sui anno, in proximo Episcopi fundo, qui dicitur Nova-villa, quarto Nonas Octobris, Indictione* XV. Et paulò pòst addit annum Christi septingentesimum septuagesimum-sextum, sic. *Anno* DCCLXXVI, *qui erat Regni Caroli nonus, obiit Madelveus Episcopus, cùm obsideret Caroli exercitus in Tharavisa Italiæ civitate Stabiliarium socerum Chrotgandi, qui contra Carolum rebellaverat.* Denique annum ab obitu Madelvei duodecimum anno Christi septingentesimo duodenonagesimo sic illigat. *Fuit Episcopatus Virdunensis per duodecim annos vacuus*, quia successor *in Episcopatu per tempus præscriptum receptus non est*, &c, *post præscriptum annorum spatium, concessum est illi civitatem ingredi & Episcopatu potiri anno ab Incarnatione Domini* DCCLXXXVIII. Si quos igitur reperias in hoc Auctore Characteres, qui nostræ opinioni super obitu Madelvei refragentur, illos corrige absque ulla hæsitatione, & ea, quæ de Tarvisii seu Tharavisiæ vel Tarvisæ obsidione ex eodem Chronico descripsimus, benignè sic interpretare, ut Madelveum ex hac vita sublatum & in Monasterio Sancti Vitoni sepultum eo quidem censeas anno, quo civitas illa fuit obsessa, sed non eo tempore quo duravit obsidium, quia Carolus Rex Tarvisium cum Stabiliario seu Stabilinio prius cepit, quàm rebus humanis ereptus est Madelveus Episcopus.

AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

XXXVI. De successoribus sic idem Chronographus. *Erat in eadem civitate Tarvisina Petrus vir Italicus, à quo tradita est civitas, & ob hoc de Virdunensi Episcopatu honoratus est. Quo in tempore præerat Ecclesiæ Sancti Vitoni, Abbatis nomine & officio, Fremodo Diaconus & Abbas, post Sanctum Madelveum locum ipsum regendum suscipiens.* De Fremodone nulla difficultas; hic Monasterium Sancti Vitoni post beati Madelvei mortem regendum statim nemine reluctante suscepit. *At tunc fuit Episcopatus Virdunensis per duodecim annos vacuus. Licèt enim Petrus præfatus vir Italicus pro traditione Tharovisæ de ipso Episcopatu fuisset ab eo*, nempe Carolo, *honoratus, quia tamen semper suspecti sunt traditores, in Episcopatu per tempus præscriptum receptus non est. Tamen ne verbum Regis esset inane & vacuum, post præscriptum annorum spatium concessum est illi civitatem ingredi & Episcopatu potiri anno ab Incarnatione Domini* DCCLXXXVIII. *fuitque per* XXV *annos, & passus est multa adversa. Certè etiam infidelitatem Imperatoris objecerunt illi, & ob id per duodecim annos non fuit ausus Imperatorem videre. Sed postea à filiis Ecclesiæ ipsius coram Principe rectè purgatus, adiit illius præsentiam, & in diebus ejus Ecclesiam sibi non solùm non acquisivit, sed & perdidit plurima. Difficile enim est, ut bono terminentur exitu, quæ malis sunt inchoata principiis.* Per annos autem illos duodecim, quibus Virodunum absque Episcopo fuit, *quidam servus Dei, Amalbertus nomine, juxta morem temporis illius factus Chorepiscopus regebat*

FREMODO FIT ABB. S. VITONI.

AMALBERTUS CHOREP. REGIT DIOECESIM VIRODUN.

AN. CH. 776. CAROLI R. 8. *ipsam Ecclesiam, & in quodam Oratorio sub honore omnium Apostolorum quasi solitariam vitam ducebat. Et tunc perdidit ipsa Ecclesia quadam, qua sibi cellata aliquando possederat, & hoc in tempore Caroli Magni.*

XXXVII. INDEX EPISCOPOR. VIRODUN. EMENDATUR. Ex prædictis textibus emendandos arbitrare Demochatem cereróſque Nomenclatores, qui Vitodunenses Episcopos tecensent; Madelveum ab anno Christi septingentesimo tricesimo-quinto ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-secundum; tum Amalbertum per annos duodecim ab anno Christi septingentesimo sexagesimo-secundo ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum; deinde Petrum per annos viginti-quinque, nempe ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-nonum. Longè aliter instituenda Virodunensium Episcoporum Chronologia. Madelveus post aliquot annorum Interpontificium sedete cœpit anno Christi septingentesimo quinquagesimo-tertio, Pippini Regis secundo, obiitque quarto Nonas Octobris, anno Christi septingentesimo septuagesimo-sexto, Caroli Regis nono jam inchoato. Secutom per annos duodecim Interpontificium ad annum usque Christi septingentesimum duodenogesimum. Tunc Petrus Episcopatum iniit, ac per annos quinque ac viginti ad annum usque Christi octingentesimum decimum-tertium tenuit.

XXXVIII. a Lib. 2. de Gest. Episc. Diens. n. 14. ARAMANDUS EP. DEENSIS. Apud Joannem *Columbi* [a] Petrus *de la Riviere* Cartusianus Aramandum Deensem Episcopum hoc anno commendat ex Valesiorum Historia.

XXXIX. PUELLARE MON. MEDÆ CONSTRUITUR. Ad hunc circiter annum referenda sunt initia puellaris Monasterii, quod Haymo & Veremundus fratres apud Medam in Diœcesi Mediolanensi condiderunt. Emmanuel *Lodi*, ex Trivillio prædictæ Diœcesis pago oriundus, Theologiæ Doctor, & Medanis Monialibus à Confessionibus, Historiam Medanam quatuor complexus est capitibus; situm & antiquitatem loci, conversionem fratrum suptà nominatorum, res piè sanctéque gestas, crebta post mortem Miracula, nuperámque, cui præsens interfuit, Translationem Italico sermone explanavit anno Christi millesimo sexcentesimo undetricesimo, totámque narrationem Catharinæ Siccæ Medanæ Antistitæ ac sacto ipsius Parthenoni inscripsit. Joannes Bollandus multa resecuit ex hoc opete, quæ visa sunt ad ornatum potiùs elocutionis quàm ad veritatis expositionem congesta, cetera Latinitate donavit ad Idus Februarii, quo die memoria ptælandatorum fratrum quot annis magnâ religione frequentíque populorum concursu tecolitur. Quæ pertinebunt ad nostrum institutum, non aliunde describemus. *Meda passuum millia* XIV *abest Mediolano, viâ Comensi, pagus perantiquus, situ amœno, miti cælo ac salubri. Constat illic in summo colle Ædem constructam dicatámque Sancto Victori Mauro, qui Mediolani lauream Martyrii adeptus, multis in ea Diœcesi Templis honoratur. Monasterium posteà condidere Haymo & Veremundus fratres. Vixisse ii memorantur octavo post Verbi Incarnationem seculo, atque admirabili modo ad pietatis studium à vanis seculi curis traducti sub annum circiter* DCCLXXVI. *Venatu, qui ferè mos Nobilitatis, delectabantur. Cùm in profundos saltus soli devenissent, apros duos conspicantur inusitata magnitudinis ac ferociæ, è latebris suis egressos, ad se rapido cursu provolare. Quid agerent? Erat iis quidem animus cuivis par discrimini, sed vires jam fortassis utcumque debilitata, spes auxilii nulla. Fugam igitur ineunt, unicam hanc rati superesse viam salutis. Sequuntur belluæ pari velocitate. Conspicati summo in colle Ædem, quam diximus, Sancti Victoris, ad eam velut asylum feruntur. Imminebant, ac proximè vestigia premebant feræ. Stabant ad latus Ædicula gemina laurus, satu procera, quarum etiamnum radices supersunt, è quibus novi itidem frutices progerminant, magnéque apud Sanctimoniales, ob Sanctorum fratrum memoriam, in honore sunt. In eas ergo laurus celeriter singuli enituntur, vel sic rabiem frustraturi ferarum, qua neque saliendo, neque adrepende pertingere ad eos possent. Sed nec illa satis secura statio fuit. Belluæ enim, ut sibi ereptam prædam*

senserunt, horribili primùm circum arborem utramque rugitu edito, feralibus dentibus refodere terram cœperunt, ut nudatis convulsisque radicibus arbores ipsas prosternerent, unáque solo adolescentes affligerent, ac vorarent. In extremo hoc discrimine, metu jam ferè exanimati adolescentes, cùm exitus omnes obseptos viderent, neque modum esse quo ferarum immanitatem evaderent, ad caleste auxilium, quo solo servari desperatis jam rebus suis poterant, recurrunt, ac (mirum dictu!) cum neuter conscius esset, quid alter animo agitaret, simul ambo, momento eodem temporis, votum Deo, Deiparaque Virgini, ac gloriosa Martyri Victori nuncupant, eò loci in Martyris ejusdem laudem Monasterium se suis facultatibus, qua erant perampla, adificaturos. Vix conceptum erat votum, cùm Pater misericordiarum & Deus totius consolationis ratum id habuit, &, ut Danielem olim ex ipsis ferè faucibus leonum eripuit, hos à præsentissimo periculo liberavit. Ejus nutu, qua ita efferata ad eorum perniciem erant bellua, ab effadienda terra radicibúsque subruendis momento desistunt, submissisque capitibus, velut si adhibere adversùs eos, qui se jam Dei servos professi essent, reverentiam cuperent, instar mitissimorum agnorum ad sua antra recesserunt. Divini igitur amoris jaculo icti ac veluti calo jam auctorati pugiles, ingenti perfusi solatio & voluptate, fugatis Sancti Martyris præsidio belluis, ex arboribus securi descendunt, ac de earum frondibus sibi coronas contexentes, iisque redimiti, veluti insignem de morte superata triumphum agentes, Ædem ingrediuntur, infinitas Deo gratias agunt, cujus tam illustri essent beneficio liberati, ac sponsione, quam anteà fecerant, firmatâ domum revertuntur. Hic continuò, ne qua surreperet ablivio aut segnities, quâ ratione quod voverant peragi queat deliberant. Consilio deinde consanguineis amicisque indicato, famulos largè muneratos dimittunt, supellectilem ac monilia & possessiones quasdam divendunt, atque inde redactâ non mediocri summâ pecunia, ad locum, in quo periculum evaserant, adeunt, fundúmque mercati, Monasterium adificant, quod sacris virginibus habitandum tribuunt, præscriptâ, quam servarent, Sancti Benedicti Regulâ, quoniam ea præcipuè illâ atate per Italiam vigebat. Luculentis deinde proventibus idem Monasterium dotarunt, in quo mox virginitatem calesti sponso devoverunt quamplurima virgines. Illic se quoque generosi illi fratres cultui Numinis mancipàrunt, itáque vitam instituerunt, ut omnibus admirationi essent & exemplo, sacris præsertim virginibus, dum eos cernerent quotidie se inediâ macerare, tribus per hebdomadam diebus pane solo & aquâ victitare, quasique contendere, ne in Psalmis Hymnisque Deo decantandis Monacharum ipsarum industriâ diligentiáque superarentur, millies in diem flexis genibus Deo supplicare, & quoties Christi suâ causâ in crucem acti subibat memoria, solvi in lacrymas, pectoráque pugnis tundere, veniam peccatorum exposcentes.

AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

XL. Adrianus Pontifex epistolâ quadragesimâ-nonâ, quam suprà descripsimus, ope Caroli Regis sperat Ecclesiæ Romanæ restitutum iri patrimonia, quæ *per diversos Imperatores, Patricios etiam & alios Deum timentes ei concessa sunt* in partibus Tusciæ, in Ducatibus Spoletano ac Beneventano, in territorio Sabinensi, necnon & *in Corsica* *. Carolus extincto Longobardorum Regno Tusciam suis adjecit ditionibus, cum Ducatibus Spoletano & Beneventano, necnon & territorio Sabinensi quod Spoletani Ducatûs pars erat. In dubium nihil horum vocari potest. An autem tunc & Corsicâ potitus sit, haud ita liquet. Philippinus Archidiaconus Marianensis res illius Insulæ libris tredecim complexus est, suámque Historiam ad annum usque Christi millesimum quingentesimum nonagesimum-quartum perduxit. Libro secundo Corsicam ab Imperatoribus ad Mauros & à Mauris ad Francos transiisse scribit, nullâ prorsus Longobardorum mentione factâ. Illius Insulæ Reges successivè Mauros quinque numerat, de quorum postremo triumphum egerunt Franci, cùm Carolus Magnus apud eos regnabat. Ex istius Auctoris narratione, quamvis aliquot mendis fœdetur, facilè inducimur, ut credamus Francos adversùs Maurorum tyrannidem in Corsicam ab in-

* *la Corse.*

CORSICA SUBDITUR FRANCIS.

AN. CH. 776. CAROLI R. 8.

colis evocatos esse, statim ac hi res in Italia contra Longobardos feliciter à Carolo gestas audiverunt. Apostolicæ Cathedræ tunc insidebat Adrianus. Hic captâ mox occasione prædictas literas Carolo misit, & antiqua Ecclesiæ suæ patrimonia ut ex variis Italiæ locis, sic & ex Corsica reddi postulavit. Corsicam Carolo paruisse docet etiam Anastasius, cujus textum ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum [a] retulimus.

[a] Num. 5.

XLI. DIVIDITUR IN DUOS EPISCOPATUS.

In Corsica duæ celebrabantur olim civitates Episcopali Sede nobiles, Mariana, & Nebium, de quibus Vghellum [b] consule. Dirutæ sunt à Mauris Ecclesiæ Cathedrales, à Francis reparatæ; Nebiensis instaurata dicitur *anno 800*, regnabat tum Carolus. Episcoporum autem, qui floruerunt in Corsica, quandiu Francis hæc Insula patuit, nomina perierunt. A temporibus Gregorii Magni Papæ, cujus obitus in annum Christi sexcentesimum quartum incidit, ad annum usque Christi nongentesimum mancus est Marianensium Episcoporum Catalogus, & totis seculis octavo quatuórque proximè sequentibus desiderantur Episcopi Nebienses. Corsicam à Sardinia * separat fretum, cui nomen *Taphros*. Utriusque olim Insulæ Primates fuisse perhibentur Antistites Calaritani *, sed admodùm probabile videtur Corsicam, ex quo venit in Francorum potestatem, Romanæ provinciæ attributam esse, donec ab Innocentio Secundo Papa in Metropolim erecta est Genua *, cui deinceps subesse non destiterunt Præsules illius Insulæ.

[b] Tom. 4. Ital. Sacr.

* *la Sardaigne.*
* *de Caglier.*
* *Gennes.*

AN. CH. 777. CAROLI R. 9.

ANNUS
CHRISTI 777.
CAROLI R. 9. 6. 4.

I. ANNO Christi septingentesimo septuagesimo-septimo, Carolus Rex Pascha celebravit in villa, quam ipse Numagam, Annalistæ Neumagam & Noviomagum * appellant. Audi Laureshamensem. DCCLXXVII. *Rex.*, qui hyemem in villa Haristallio egerat, *primâ veris aspirante temperie, Noviomagum profectus est, & post celebratam ibidem Paschalis festi solemnitatem* tertio Kalendas Aprilis, *propter fraudulentas Saxonum promissiones, quibus fidem habere non poterat, ad locum, qui Padrabrunna * vocatur, generalem populi sui Conventum in eo habiturus, cum ingenti exercitu in Saxoniam profectus est.* Erat adhuc apud Numagam septimo Idus Junii, cùm Ecclesiæ Ultrajectinæ Regium hoc Præceptum [c] concessit. *Carolus Dei gratia Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum. Si enim ex his, quæ divina pietas nobis largiri dignata est, locis venerabilibus concedimus, hoc nobis ad æternam beatitudinem procul dubio pertinere confidimus. Ideo compertum sit omni fidelium nostrorum Magnitudini, qualiter donamus ad Basilicam Sancti Martini, quæ est constructa in Trajecto veteri subtus Dorestado, ubi Venerabilis vir Albricus Presbyter atque electus Rector præesse videtur, hoc est villam nostram Lisiduna *, in pago qui vocatur Flechite, super alveum Heini, cum omni integritate vel adjacentiis seu appendiciis suis, id est, tam terris, mansis, domibus, ædificiis, mancipiis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmve decursibus, mobilibus & immobilibus, omnia & ex omnibus, quantumcumque Viggerus Comes ibidem per nostrum beneficium tenuit, etiam & forestas illas, quarum vocabula sunt, Hengestschote, Fornhorst, Mokoroth, Widock, quæ sunt de ambabus partibus Heini; similiter donamus ad Basilicam Sancti Martini, Ecclesiam quæ est super Dorestad * constructa, & vocatur Ubkirika, de omnique parte centum perticas terras; & omni tempore prædicta Basilica spatium terræ centum perticas habere debeat, & cum ea ripaticum illum super Leckiá *, & insulam illam prope*

* *Nimegue.*
* *Paderborn.*

[c] Ap. Wilhelm. Hedam in Episc. 4.

PRÆCEPTUM REGIUM PRO ECCLESIA VLTRAJECTINA.

* *Luesden.*
* hodie Duerstede.
* *le Leck.*

AN. CH. 777. CAROLI R. 9.

ipsam Ecclesiam ad partem Orientalem inter Rhenum & Leckiam. Hac verò omnia tradimus à die præsenti ad præfata sancta loca perpetualiter ad possidendum. Ideo hanc Præceptionem authoritatis nostræ scribere jussimus, ut ab hac die tam memoratus Albricus Presbyter, sive sui successores, qui fuerint Rectores ejusdem sancti loci, prædicta loca ad opus jam dicta Basilica habeant, teneant, gubernent, regant, atque disponant, & quicquid exinde ad profectum * *ipsius sancti loci facere elegerint, libero perfruantur arbitrio. Et nullus quislibet de Judiciaria potestate, aut qualibet persona, prædicto Albrico Presbytero, neque successoribus suis, de jam dictis rebus inquietare, aut contra rationis ordinem, vel calumniam generare quoque tempore præsumant, sed per nostrum largitatis Præceptum prædicta Basilica jure valeat obtinere firmissimè. Et ut hac authoritas firmior habeatur, vel diuturnis temporibus conservetur, manu propriâ subter eam decrevimus roborare, vel de annulo nostro jussimus sigillare. Signum Caroli Gloriosissimi Regis. Data* VII *Idus Junii, anno nono ejusdem Gloriosi Regis. Actum Numagâ Palatio publico, in Dei nomine feliciter.* Lisiduna vicina est Amersfurto sive Amersfordiæ *. Hemus sive Ema, vulgò *Eem*, Amersfordiam rigat, atque in mare * Austrinum egeritur. Vt ex hoc Præcepto liquet Carolum Regem apud Noviomagum degisse septimo Idus Junii, sic & constat Albricum in Presbyterii gradu tunc perseverasse, licèt ab anno priore Pastoralem Trajectensis Ecclesiæ curam post obitum Sancti Gregorii suscepisset. Exeunte hoc anno, ut infrà dicemus, Albricus ordinatus est Episcopus, priùs autem *misit Liudgerum & cum eo alios servos Dei, ut destruerent fana deorum & varias culturas idolorum in gente Fresonum.* Id feliciter confectum docet Altfridus in vita Sancti Ludgeri, subjicitque magnum in delubris inventum esse thesaurum, ex quo Carolus duas partes accepit, tertiam Albrico transmisit.

* *profectum*

* *Amersfort.*

* *Zuyderzée.*

II.

CONVENTUS PADIBURN.

His Gestis Rex Rhenum trajecit, & apud Padiburnam Conventum habuit, de quo sic Annalista Nazarianus. DCCLXXVII. *Mai campus in Saxonia ad Pedebrunna.* Et Auctor fragmenti, quod Chronico jussu Nibelungi scripto subjectum jam notavimus. *An.* DCCLXXVII. *habuit Carlus Rex Conventum Francorum, id est, Magis campum, in Saxonia ad Padresburnon.* Conventum illum Annalista Petavianus *magnum Placitum* nuncupat, observátque ingentem Saxonum multitudinem ad suscipiendum Baptismum illuc accessisse. *Ibi convenerunt Saxones ad Baptismum Catholicum, & baptizata multa millia populorum gentilium, & ædificaverunt ibi Ecclesiam Franci, unde in postmodum Karolus Rex merito gaudet cum Johanne Baptista, qui & baptizavit prædicans Baptismum in remissionem omnium peccatorum.* Longè plura de Conventu Padiburnensi scribit Annalista Loiselianus. *Synodum habuit ad Paderbrunnen primâ vice, ibique convenientes omnes Franci, & ex omni parte Saxoniæ undique Saxones convenerunt, excepto quòd Witochindus rebellis extitit cum paucis aliis, & in partibus Normannia confugium fecit unà cum sociis suis. Etiam ad idem Placitum venerunt Sarraceni de partibus Hispaniæ, hi sunt Ibinalarabi, & filius Dejuzefi, qui & Latinè Joseph nominatur, similiter & gens ejus. Ibique multitudo Saxonum baptizati sunt, & secundùm morem illorum omnem ingenuitatem & alodum manibus dultum fecerunt, si ampliùs mutassent, secundùm malam consuetudinem eorum, nisi conservassent in omnibus Christianitatem vel fidelitatem Domni Caroli Regis, & filiorum ejus, vel Francorum.* Quid sit *dultum facere*, jam exposuimus. Agemus infrà de Saracenis. Quædam tantùm de Saxonibus hic explicanda. Carolus hoc anno campum Maii seu Francorum Conventum Padiburnæ *primâ vice* celebravit. Huic Conventui non interfuit Witechindus seu Withochindus, facturus enim quidvis potiùs, quàm ut religioni majorum renunciaret, aut Francis pareret, in Daniam, quam Annalista Loiselianus Normanniam ab Aquilonari situ nominat, se recepit, novas res, ut occasio feret, moliturus. Annalista Lauresshamensis Widikindum vocat, eúmque constituit *unum è primoribus West-*

MULTA SAXONUM MILLIA BAPTIZANTUR.

WIDIKINDUS SAXO IN DANIAM FUGIT.

AN. CH. 777. CAROLI R. 9. *falorum* sive Occidentalium Saxonum, *qui multorum sibi facinorum conscius*, & ob id Carolum Regem Francorum veritus, *ad Sigifridum Danorum Regem* profugit. Witecbindi frater creditur Bruno, unus è primoribus Angariorum, de quo locuti sumus ante biennium. Porrò, quod notandum maximè, Saxones in Conventu Padiburnensi Francis eâ se lege dediderunt, ut patriâ & libertate privari vellent, si recederent à Religione Christiana, vel fidem, Carolo ejúsque filiis ac Francis datam, aliquando violarent. Id testatur Annalista Loiselianus jam citatus, &, quoniam de Caroli filiis in plurali numero loquitur, observa nos anno priore [a] in simili causâ textum Adriani Papæ de duobus Caroli filiis interpretatos esse, nempe de Pippino & Carolo, quorum alterum Himiltrudis, alterum Hildegardis peperit. Præ- [a Num. 12.]

NASCITUR CAROLOMANNUS. tereà hoc eodem anno, fortè priusquàm Conventus Padiburnensis haberetur, ex Hildegarde natus est Carolo filius Carolomannus, qui mutatò pòst nomine dictus est Pippinus, &, teste Thegano [b], decessit *anno ætatis suæ* XXXIII, sive anno Regni Caroli *quadragesimo-secundo*, hoc est, ut Annalista Loiselianus aliique asserunt, anno Christi decimo supra octingentesimum. [b Cap. 5.]

III. TRANSLATIO S. WIGBERCHTI. Corpus Sancti Wigberchti, quod ante triennium Birburgo Friteslariam relatum diximus, in Hersfeldense Monasterium hoc anno translatum videtur. Annum Lupus haud determinatè notat, insinuat autem hanc Translationem factam in procinctu belli Saxonici, cùm Carolus Rex à prædictis locis non procul abesset, Ecclesiásque regerent, Moguntiacensem Lullus Archiepiscopus, Birburgensem seu Friteslariensem Witta sive Albuinus Episcopus, Moguntiacensis Archiepiscopi suffraganeus. Cur hic, Witta & Albuinus, Birburgensis & Friteslariensis Episcopus, promiscuè dicatur, explicuimus alibi. Textus Lupi sic habet. *Interjectis aliquot annis*, postquàm Reliquiæ Sancti Wigberchti Friteslariam revectæ sunt, *Albuino Præsule Fritislariensis ejusdem oppidi per quietem aliquis observatus, qui se divinitus missum diceret ad Monasterium, cui est vocabulum Herolfesfeldt, quò & ossa beati viri transferri præcepit. Id memoratus Episcopus Lullo Moguntiacensis Ecclesiæ Pontifici revelavit, isque rem ad Magnum Carolum detulit, ac ejus assensum protinus impetravit. Ita Lullo jubente suffraganeus ejus Albuinus tribus Monachis præfati Cœnobii, Ernusto scilicet, Baturicho, & Wolffo, noctu sacros beati Wigberti cineres tradidit clam perferendos ad Monasterium. Siquidem id facere interdiu veritus est, ne tanti viri populus amore devinctus fratres memoratos cæcâ seditione convexaret, vel quibuslibet injuriis incesseret, viribúsque superior tam insignis thesauri privilegium vendicaret. Ergo præfati fratres munus amplissimum sibi ab Episcopo traditum Monasterio Herolfesfeldt celeres invexerunt, & à reliquis Dei servis illic exceptum magnificè principe loco est in Ecclesia conditum. Atque Lullus, annuente Magno Carolo, monumentum illius, quo more per Gallias Germaniámque ceterorum Sanctorum visuntur, auro & argento necnon reliquis congruentibus metallis exornandum curavit, & id opus ad Idus Augusti complevit. Ubi posteà divinâ exuberante gratiâ magna & admirabilia signa claruere.*

IV. ET S. FERRUTII. His quoque circiter temporibus idem Lullus Moguntiacensis Archiepiscopus Reliquias Sancti Ferrutii Martyris è Castello [*], quod ad alteram Rheni ripam è regione Moguntiæ situm erat, in Lætantium locum transtulit, id est, in Monasterium à se conditum, quod ut à Sancti Ferrutii Reliquiis Cœnobium Sancti Ferrutii, sic & Lætantium locus seu *Blidenstatt* appellatum est, *blie* enim & *blen* incolis est lætus, & *berbleiden* lætari. Duobus à Moguntia milliaribus erectum hoc Cœnobium, cujus conditor Lullus à Meginhardo [c] in sermone de Sancto Ferrutio sic commendatur. [* Cassel.] [c Ap. Sur. d. 28 Octob.]

MON. LÆTANTIUM. *Reliquias Sancti Ferrutii in Lætantium locum transtulit, Deóque sub Cœnobialis normæ disciplina militantes adunare curavit, spiritu ferventes, spe gaudentes, idipsum invicem sentientes, animas suas castificantes in obedientia charitatis, in amore fraternitatis. Boni verò Pastoris usus prudentiâ fratribus ipsis, ne deficerent*

rent in mandatorum Domini via, victûs atque vestitûs sufficientes reditus contradidit, ipsúmque locum, donec in corpore vixit, summâ devotione, pro Sancti reverentia, coluit. Hoc quoque anno idem Lullus Archiepiscopus, ut Serarius [a] in ejus elogio testatur, *Ecclesiam in S. Petri honorem dedicavit Ordorffii.*

ECCLES. ORDORFF. DEDICATUR.

V.

CAROLUS ROMAM PROFICISCI STATUIT.

Carolus, cùm res ei felicissimè succederent in Saxonia, Romam denuò proficisci statuit. Lege in illius Codice epistolam quinquagesimam. E Francia Romam hoc anno redierunt Andreas Episcopus & Pardus Egumenus Nuntii Apostolici, Româ in Franciam Wulcharius Archiepiscopus & Dodo Abbas Oratores Regii, deinde Romam directi quoque sunt à Rege Possessor Episcopus atque idem Dodo Abbas cum literis, quibus Carolus pollicebatur se in Italiam iturum mense Octobri, postulabàtque Nuntios Apostolicos Andream Episcopum & Pardum Egumenum in Franciam rursum destinari, quo tempore supradicti Possessor Episcopus & Dodo Abbas Româ dimissi reverterentur. Adrianus Papa postulatis Regiis annuit, excepto quòd in locum Pardi, qui morbo correptus iter suscipere non potuit, Valentianum Episcopum cum Andrea Episcopo direxit. Literarum [a], in quibus hæc habentur, initium tale est. *Domno Excellentissimo filio Carolo, Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Desiderantissima vestra Excellentia scripta suscepimus, in quibus tantùm de absenti collocutione gavisi sumus, quantùm & ipsum, qui locutus est, semper mihi cupio esse præsentem. Quas relegentes, & de vestra immensa prosperitate agnoscentes, nimis sumus gratulati, quoniam vestra prosperitas nostra esse comprobatur lætitia, & vestra exaltatio nostra existit post Deum securitas. Ferebatur enim in ipsis Regalibus vestræ Potentiæ apicibus, quòd remeantes ad vos Missi vestri, scilicet Wulcharius Sanctissimus frater noster Archiepiscopus & Dodo religiosus Abbas, vobis retulissent, quòd ea, quæ eis à vobis injuncta fuissent, benignè atque amabiliter à nobis essent suscepta. Sed cognoscit Omnipotens Deus noster, cui arcana cordis reserata assistunt, quia omnem Missum, à vestris Regalibus obtutibus directum, cum nimio amore & decenti honore suscipere studemus, & omnem vestram voluntatem synccrâ mentis integritate implere satagimus, atque cum prosperitate ad vos repedandum absolvere festinamus, neque ullis nos posse hujus mundi transitoriis ac labentibus opibus, vel humanæ suasionis blandimentis ab amore & dilectione vestræ mellitæ Sublimitatis, vel ab eis, quæ vobis polliciti sumus, declinare, dum hîc advixerimus, sed firmi & stabiles in vestra permanemus charitate. Absit namque à nobis, charissime & nimis nobis dulcissime fili, ut ea, quæ inter nos mutuò coram sacratissimo corpore fautoris tui beatorum Apostolorum Principis Petri confirmavimus atque stabilivimus, per quemvis modum irrita facere adtemptemus, quoniam & nos satisfactus vestrum Culmen deprecari visus sum, si quis de nobis nequissima dicta vestris auribus proferre maluerit, cupiens per fallaciam se vobis commendare, nullam credulitatis illi admittatis copiam, quia, ut prædiximus, nos firmi in vestra permanemus dilectione, magis dum & Salvator designanter expressit, dicens. [In hoc cognovimus, quòd mei estis discipuli, si dilectionem habueritis in invicem.] Intereà continebat series Excellentiæ vestræ, quòd accedente proximo mense Octobri, dum, Deo favente, in partibus Italiæ adveneritis, omnia, quæ beato Petro Regni cælorum clavigero, & nobis polliciti estis, ad effectum perducere maturabitis, lætitia enim patris est profectio filiorum, & de eorum provectu naturalis affectus congaudet. Quapropter salutis tuæ agnoscentes perfectionem, hilares redditi sumus, & quia pro augmento & exaltatione matris suæ, Sanctæ Dei Ecclesiæ, in Italiam destinatis properare, ut perficiatur magis magísque optamus. Sed Deus & Dominus noster Jesus Christus faciat nobis in propinquo de vestra præsentia gaudere. De Missis nempe nostris, Andrea videlicet Coepiscopo seu Pardo Egumeno, unde nobis intimandum direxistis, ut cum Missis vestris Possessorem fratrem Episcopum atque Dodonem religiosum Abbatem à vestris Regalibus vestigiis repedantes dirigeremus, ita adimplere desti-*

[a] Lib. 4 rer. Mogunt. in Archiep. 2.

[a] In Cod. Carol. ep. 50.

AN. CH. 777. CAROLI R. 9.

navimus. Sed Pardus Egumenus, propter imbecillitatem corporis sui, proficisci minimè valuit, & direximus in vicem illius Valentianum Episcopum. De Wulchario seu Wilicario Senonensi Archiepiscopo nihil amplius legitur. Sepultus jacet in Æde Sancti Petri. Successit iu Archiepiscopatum Gotescalcus. Lege Nomenclatores.

VI. Adrianus iisdem literis questus est apud Carolum, quòd Anastasium Nuntium Apostolicum apud se detineret, cúmque sibi reddi postulavit, si deliquisset, examinatâ causâ puniendum. Anastasius odio erat Carolo, quia verba quædam protulerat, quæ Regis utilitati minùs conducebant. *Illud verò*, inquit Adrianus ad Carolum, *quod de Anastasio Misso nostro nobis indicastis, quòd aliqua importabilia verba, quæ non expediebat vobis, locutus fuisset, unde valdè tristes effecti fuistis, & pro hoc adhuc apud vos eum detinetis, nimis noster frangitur animus, dum Langobardi & Ravennates fatentur, inquientes, quia nullomodo Rex in Apostolica permanet charitate, dum ejus Missum apud se detinet. Sed neque ab ipsis mundi exordiis cognoscitur evenisse, ut Missus protectoris tui beati Petri, magnus vel parvus, à quacumque gente detentus fuisset, sed jubeat nobis eum vestra sollicitudo dirigere, & severissimè eum sciscitantes, juxta noxam ei repertam eum corripiemus. Nam de Langobardo illo, qui cum eodem Anastasio Misso nostro ad vos properavit, nomine Gaidifridus, unde nobis significastis, ut dum in nostro fuisset Palatio, fraudem agebat adversùs vestram Regalitatem, insuper & vestro suasisset Notario falsas conficere literas, per quas nos cupiebat in scandalum vobiscum mittere, quod avertat Divinitas, neque invenietur homo qui nos possit per quemvis modum adversùs vos in iracundiam provocare. Sed testis nobis est Deus, qui occulta hominum cognoscit, per nullum argumentum eum infidelem vobis cognovimus. Sed, ut breviùs dicamus, si ille, qui ab amatore tuo beato Petro à vobis destinatur, talia suscipere meruit, quid considerandum est de nefandissimis & nimis strophariis Paschali & Saratino, qui talia, ut & vos per honorandos vestros apices insinuastis, in hac Romana urbe agere ausi sunt, quale nunquam ab exordio mundi auditum est? Fortasse & dum talia egissent, & vestris obtutibus se conjunxissent, non ambigentes pro reatu, quem operati sunt, vos deprecati sunt, ut eos in nostram reduceres gratiam. Sed magis coram vestra præsentia, & nostris Missis, detractionibus vacabant. Et miror valdè, quòd illos, qui talia & inaudita de his coram vestris obtutibus proferebant verba, in magnis deliciis habere dinosceris. An nescit vestra Præcellentia, quia, si quacumque persona de qualibet gente, adversa aut inania de vestra eximia Celsitudine retulisset verba, dignam in eum exercentes vindictam, vinctum eum usque ad vestram direxissemus Excellentiam, sicut & de Paulino egimus. Pro quo deprecamur atque conjuramus Præcellentiam vestram, dulcissime fili, per Redemptorem Dominum nostrum Jesum Christum, ut viriliter, Deo vobis inspirante, exurgatis, & misera & flagitiosa præsumptionis, ut pium Regem decet, Regalem vindictam vobis de eis exercere jubeatis, ut in hoc cognoscant gentes, quia ob amorem beati Petri magnam in nobis habeatis dilectionem, ut qui nobis dolentibus condolent, ita & nobis lætantibus congaudeant, aut nobis eos dirigere digneris, ut Omnipotens Deus respiciens de excelso, pro justa vindicta à nobis eis inferenda, concedat tibi unà cum Excellentissima filia nostra Regina, & amantissimis natis, longa spatia vitæ per metas annorum. Et ego, licèt peccator, dum de eis perfectam suscepero justitiam, magis ac magis, ut ago, ante ipsius Janitoris Regni cælorum sacram Confessionem assiduè pro vestra incolumitate fundere valeam preces. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.*

VII. MUTATO CONSILIO ACCINGIT SE BELLO SARACENICO.

Carolus post Conventum Padibumensem deposito consilio profectionis in Italiam, ut promiserat, suscipiendæ, de bello trans Pyrenæos montes adversùs Saracenos gerendo cogitare cœpit. Ad id provocatus fuit ab ipsismet Saracenis, Ibinalarabio, Dejuzefio, & Alarvizo, de quibus suprà. Illos perperam Reges constituit Monachus Egolismensis in vita Caroli Ma-

AN. CH. 777. CAROLI R. 9.

gni, nam Mauri omnes in Hispania tunc uni Abderrahmano Regi parebant, qui Regnum tenuit annis duobus ac triginta stylo Christiano, triginta-tribus stylo Saracenico, vitámque clausit anno Christi septingentesimo duodenonagesimo, Arabum centesimo septuagesimo-primo, ut ad illum annum probabimus. Quapropter multò melius in Annalibus Fuldensibus Ibinalarabius dicitur *Præfectus Cæsaraugustæ*, & in Laureshamensibus legitur ad Carolum venisse *cum aliis Saracenis sociis suis*, ut *se* dederet *ac civitates, quibus eum Rex Saracenorum præfecerat*. Quid secutum sit, dicemus anno sequenti. Celebravit interim Rex Natalem Domini in villa, quam Annalista Loiselianus Dorciacum, Laureshamensis Duciacum, Regino Duciatum appellat.

VIII. Hoc anno, cùm Carolus annum Regni in Francia nonum, quartum in Italia numerabat, Fulradus Abbas San-Dionysianus, qui Carolo & Carolomanno fratribus simul regnantibus Testamentum jam condiderat, alterum edidit, quod à Joanne Mabillono cum suis mendis ita publicatum est in tertio Seculo Benedictino [a]. *Terminum vitæ pertimesco, quando de hunc seculum ero migraturus, ut aliquid de peccatis meis per confessionem & largitatem de proprias pecunias meas, quæ ad Ecclesiarum & ad loca Sanctorum beatorum Martyrum, Dionysio, Rustico & Eleutherio, ubi ipsi Domni corpore requiescunt, in loco qui dicitur Cadolago, ubi plurima servorum Dei turma laudes Christi die noctúque adesse videntur, ut in alimonia eorum & susceptionem hospidum, vel in elemosina sonodicorum pauperum, viduarum, orfanorum, & in lumen Ecclesiarum conferre debeam, ut Dominus per suam misericordiam & intercessionem Sanctorum, & orationes, & pauperum, mihi in pace & misericordia debeas recipere, qualiter portionem merear habere in vita Beatorum. Ego Fulradus, acsi indignus Sacerdos vocatus, filius Riculfo & Ermengarde quondam, dono donatúmque in perpetuum esse volo omnes res proprietatis meæ, quicquid de successione parentum meorum mihi obvenit, vel de dationibus Regum, seu de comparato, vel commutationes, vel traditiones, quantumcumque mihi & germano meo Gausberto traditum fuit, & quicquid ipse germanus meus Gausbertus mihi tradidit, & villas denominatas, quæ Theudericus mihi tradidit; id sunt, Blistbario-villa cum appendiciis suis, Auricas, Machera cum appendiciis earum; Gamundiis cum appendiciis suis. Similiter quantumcumque Hartbertus in ipsa loca habuit; & Cocalingas, Villare, & quæ Hermenlindis mihi tradidit. Similiter Sechingast, Faginulvineas cum integritate. Similiter Fredishaim, similiter Hundinishaim & Manchinhaim & Benisthaim, quæ Chrodhardus mihi tradidit cum appendiciis earum. Similiter villas & loca, quæ Wido mihi tradidit, Guirmari, Andaldo-villare, Radberto-villare, Grutsinhaim, Ausulfeshaim, Scaferishaim, & reliquas res per loca diversa tam in Alisacins *, quàm quæ in Mordinnavia *, quæ mihi Wido tradidit, & per mea præstaria modò, seu usufructuario aliquas habet, Waltario-villare, Tornugo-villare, Victornigas, Adimartia-villa, Destrago, Hagraddo-villare, Warnugo-curte, Filicione-curte, Sicramno-curte, quantumcumque in Alisacins & Mordenavia & Brisogavia *, quicquid mihi traditum fuit, & datum per strumenta cartarum. Similiter in Saloninze, & Scarponinse, & Calmontense, & Blosinse, & Rosalinse, quicquid in ipsos pagos visus sum habere tam terris, mansis, campis, pratis, sylvis, vineis, cultis & incultis, aquis aquarúmque decursibus, mancipiis, servis, ancillis, litis, undecumque moderno tempore vestitus sum, totum & ad integrum greges cum pastoribus, & omne subpelectile ad partes Sancti Dionysii à die præsente, pro anima mea & genitore meo Riculfo, & genitrice mea Ermengardo, & germano meo Gausberto, & Bonefacio, & sorore mea Waldradane, & pro genealogia mea, ut per intercessione Sancti Dionysii cum sociis suis mereamur adapisci vitam æternam. Similiter Salona, ubi ædificavi Ecclesiam in honore Sanctæ Mariæ, ubi requiescunt Sanctus Privatus Martyr, Sanctus Ilarus Confessor, quicquid ibidem datum fuit de conlata populi, & ipse populus mihi tradidit, omnia & ex omnibus, sicut per Testamentum meum*

FULRADUS ABB. S. DIONYSII CONDIT ALTERUM TESTAMENTUM.

a Tom. 2. pag. 341.

* *Alsace.*

* *Mortnau.*

* *Brisgau.*

AN. CH. 777. CAROLI R. 9.

confirmavi, à partibus Sancti Dionysii ipsa Cella debeat aspicere, tam illas commutationes, qua cum Angalramno Episcopo feci, quámque & reliquas commutationes. Similiter & alia Cella, qua dicitur Andaldo-villare, ubi Sanctus Ipolytus requiescit. Et tertiam Cellam infra vasta Vosgo ædificavi, ubi Sanctus Cocovatus requiescit super fluvium Laima, qua dicitur Fulrado-cella. Similiter quarta Cella infra Alamania, qua dicitur Arebertingas, ubi Sanctus Veranus requiescit. Similiter quinta Cella, quam Adalongus mihi tradidit, qua dicitur Adalongo-cella, ubi Sanctus Jorgius requiescit. Similiter sexta Cella, ubi Sanctus Vitalis requiescit super fluvium Nettra, qua Hafti mihi tradidit, quantumcumque ad ipsas aspicere videntur, & conlata populi ibidem delegavit, tam terris, mansis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarúmve decursibus, vineis, farinariis, greges cum pastoribus, servis, ancillis, litis, aurum, argentum, codices, aramen, ornamenta Ecclesiarum, patellas ad salo faciendum in vico Bodatio seu Marsallo unà cum sessis eorum, sicut dixi, & omne subpellectile, quantumcumque ad ipsas Cellas repertum fuerit, totum & ad integrum à die præsente ad partes Sancti Dionysii delegavi, &, dum ego vixero, ipsas res in mea potestate habere debeam, post meum quoque discessum absque ullius Judicis contradictione à partibus Sancti Dionysii debeant revertere, & nullus hæredésque meorum potestatem habeant contra hanc traditione mea agere. Et, si conaverit, inferat unà cum sociante fisco auro libras L. argento pondus C. coactus exsolvat, & quod repetit evindicare non valeat cum stipulatione subnexa. Actum publicè Haristalio, anno nono & quarto, regnante Carolo Gloriosissimo Rege Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum. Ego Folradus Capalanus S. In Dei Nomine Maginarius consensi & S. Signum ✠ Theudrico. Hamerado ✠ consensi. Signum ✠ Wlfardo. Signum ✠ Hadratto. Signum ✠ Gislamaro. Signum ✠ Hildrado Comite. Signum ✠ Bardulfo. Signum ✠ Ebrodone. Signum ✠ Hainrico. Signum ✠ Anselmo Comite Palatii. Signum ✠ Folrado. Signum ✠ Hartgero. Signum ✠ Haribardo Comite. Signum ✠ Riggavio. Signum ✠ Teudulfo. Signum ✠ Hildrado. Signum ✠ Erleberto. Signum ✠ Gundaccro. Anno nono & quarto, regnante Carolo Gloriosissimo Rege Francorum & Langobardorum, & Patricio Romanorum. Actum publicè Haristalio. Ego Adarulfus rogitus & ordinatus à Domno Fulrado scripsi & subscripsi. Huc usque Testamentum, in quo multa sunt observanda.

IX. Primò, annus Caroli Regis in Francia nonus, in Longobardia quartus, non anno Christi DCCLXXVIII ut quidam scripserunt, sed anno DCCLXXVII illigatur.

X. VARIA MONASTERIOLA SUBJICIT MON. S. DIONYSII.

Secundò, Fulradus Abbas varias Cellas seu Monasteriola, secundùm dispositionem prioris Testamenti, cujus mentionem ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-primum Tomo superiore fecimus, Monasterio San-Dionysiano Diœceseos Parisinæ denuò tradit ac subjicit.

XI. Tertiò, Angalramnus Episcopus; quocum Fulradus Abbas quasdam commutationes fecisse dicitur, non alius est ab Angelramno Episcopo Metensi, qui Pontificatum anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo suscepit. In Metensi enim Episcopatu sita est Salona, ubi Fulradus Ecclesiam beatæ Mariæ construxit, eámque Sancti Privati Reliquiis ornavit, ac bonis per prædictas commutationes acquisitis auxit.

XII. FESTUCA SYMBOLUM TRADITIONIS.

Quartò, Mabillonius observat *in extremo inferiori margine* prælaudati *autographi insertam esse festucam*, eâque designari putat *traditionem per festucam, usitatam apud antiquos*. Tomo superiore [a] sacramenta per festucam seu fistucam confirmari diximus. Quod attinet ad symbolum traditionis, *certissimum est*, inquit Spelmannus [b], *in traditionibus olim usu venisse hastas, virgas, stipulas; hastas ad res majores transferendas, virgas ad mediocres, stipulas ad minores; virgas demùm & stipulas quodammodo confundi juxta diversos populorum ritus & arbitria.*

[a] Ad an. 751. n. 82.
[b] In voce festuca.

XIII. DAGOBERTUS EPISC. AGATHENS.

In Chartulario Agathensi, ut Catellus [c] scribit, exemplar Donationis, quâ Dagobertum Agathensem Episcopum Rex locupletavit, extat datum

[c] In Episc. Agathensib.

AN. CH. 777. CAROLI R. 9.

SIACRIUS EP. NICIENS.

tertio Idus Augusti, anno 9 regnante Carolo Rege. In Chronologia Lerinensi Barralis hoc eodem anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo Siactium, qui Monasterio Sancti Pontii cum Abbatis titulo præerat, è Cœnobio extractum ac primum Episcopum civitatis Niciensis ordinatum scribit. De tempore conveniunt Ughellus, Sammarthani, Guesnayus & Jofredus. At his Auctoribus paulò vetustior Franciscus Augustinus ab Ecclesia Salutiensis Episcopus Catalogum Niciensium Episcoporum à Siacrio non ordıtur, antiquiores Episcopos Nıcienses agnoscit, eísque prænominati Nomenclatores, Ughellus, Sammarthani, Jofredus suffragantur. Magnum, Austadium & Catulinum, Nicienses Episcopos, Tomis Annalium primo & secundo laudavimus, aliorum, qui post annum Christi quingentesimum octogesimum-quintum sederunt, ad Siacrium usque perierunt nomina.

XIV. TRANSLATIO S. WUNIBALDI.

Corpus Sancti Wunibaldi, Abbatis quondam Heidenheimensis, cùm *per* XVI *annorum spatia, exceptis* XIII *hebdomadis* tumulatum jacuisset, repertum est integrum elevatúmque octavo Kalendas Octobris, deinde positum in novo monumento. Interfuerunt cùm Elevationi tum Translationi frater Willibaldus sorórque Walpurgis, ille tunc Eystettensis Episcopus, hæc Heidenheimensis Abbatissa. *Osculabatur fratrem ipse Episcopus, & soror ejus, quæ post obitum beati viri Monasterium habebat, sed & aliæ amicæ ejus, atque juniores, quos ille erudiendo docebat, omnes illum osculabantur, ovantésque compellabant. Tunc illi extollentes levaverunt illud corpus, & posuerunt eum in tumba nova, & portabant ad monumentum novum.* Lege vitam Sancti Wunibaldi [a]. In manuscripto Codice Monasterii Walpurgini, quod est Eychstadii, ad vitam Sanctæ Walpurgis, ubi de obitu ejus agitur, ad marginem inscriptum ait [b] Jacobus Gretserus obiisse illam anno Christi septingentesimo septuagesimo-sexto. Alium annum haud notant Raderus in Bavaria Sancta, Stengelius in vita Sancti Wunibaldi, Stevartius ad vitam Sanctæ Walpurgis, aliíque, de quibus Bollandus in Commentario [c] prævio vitæ Sanctæ Walpurgis [d]. At illi Scriptores hac adducti videntur ratione, quòd obitus Sancti Wunibaldi passim in annum Christi septingentesimum sexagesimum conjiciatur, & Sancta Walpurgis post illius mortem, teste Philippo Eystettensi Episcopo, sexdecim annis, id est, quoad vixit, Heidenheimensis Monasterii gubernacula tenuerit. Verùm sublatus est ex hac vita Sanctus Wunibaldus exeunte anno Christi septingentesimo sexagesimo-primo, ut suo loco probatum est, annóque pòst decimo-sexto, sive anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo levatus est è terra translatúsque, cùm superstites in vivis essent Willibaldus Eystettensis Episcopus & Walpurgis Heidenheimensis Abbatissa, de quorum obitu suis agemus locis.

[a] Ap. Canis. Tom. 4.

[b] In observat. ad vit. S. Willibaldi cap. 7.

[c] Num. 20.

[d] D. 25. Febr.

XV. VIRGILIUS EP. SALISBURG. PRESBYTEROS IN KARANTANIAM DIRIGIT.

E Presbyteris, quos Virgilius Salisburgiensis Episcopus anno priore cum Diacono aliísque Clericis in provinciam Karantanorum direxerat, hoc anno Salisburgum rediit Hermo cum Diacono, non aliám opinamur ob causam, quàm ut rei feliciter gestæ seriem exponeret, operariorúmque, quia messis erat copiosa, numerum adaugeri postularet. Tali nuncio summoperè gavisus est Virgilius, &, ut Auctor vitæ testatur, *misit ibidem iterum eundem Hermonem & Dupliterum ac Majoranum Presbyteros, aliósque Clericos cum eis.* Majoranus hic Presbyter non alius nobis videtur à Majorano Diacono, de quo locuti sumus anno superiore. Regionem igitur Karantanorum adiit adhuc Diaconus cum Hermone & Reginbaldo Presbyteris aliísque Clericis, deinde cum Hermone Presbytero Salisburgum rediit, & à Virgilio Episcopo promotus ad Presbyteratum mox in Karinthiam denuò perrexit, imò rursum ad Virgilium reversus, tertiò cum aliis Presbyteris missus est in Karinthiam. Author enim suprà laudatus, cùm Presbyteros & Clericos enumerat, quorum operâ Virgilius in erudiendis Karantanis usus est, textui proximè citato hunc subjungit. *Iterum misit eis Gozarium, Majoranum,*

AN.CH. *Erkenbertum & Augustinum Presbyteros.* Quin & alios quoque postea direxit, de quibus anno sequenti loquemur.

777. CAROLI K. 9.

XVI. ABBATES S. VINCENTII PROPE VULTURNUM FL. Hoc anno Joannes Abbas, cùm Monasterium Sancti Vincentii prope Vulturnum annis quatuordecim, mensibus tribus, diebúsque viginti-quinque prudenter administrasset, ex hac vita discessit decimo-quinto Kalendas Augusti. Successit Authpertus è Monacho factus Abbas. Si Chronographum Vincentinum ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quartum [a] benè correximus, Authpertus vir illustris in Gallia vixit, à Carolo Majore-domûs ejúsque filio Pippino cùm Majore-domûs tum Rege plurimùm dilectus, donec Stephanum Tertium Papam, qui redibat ex eadem Gallia, Romam usque comitatus, ubi florentissimam Vincentinorum Abbatum famam audivit, illorum se sodalitio adjunxit, & Monasticam vitam per annos tres ac viginti, priusquàm Abbas fieret, sub Abbate primùm Antonio, deinde sub ejus successore Joanne duxit. *Hic sanctus Pater*, inquit prænominatus Chronographus, *cùm in eodem venerabili Monasterio pretiosi Martyris Christi Vincentii per plures annos deservíret, jámque cunctis in exemplum foret rectè vivendi, defuncto ejusdem sanctæ Congregationis venerabili Abbate Joanne, licet invitus ac renuens sacri regiminis baculum post Sanctum Paldonem septimus ipse suscepit.* Ab hac Abbatum enumeratione non recedimus, secundum enim à Paldone dicimus Tasonem, tertium Tatonem, quartum Antonium, quintum Herempertum, sextum Joannem, septimum Authpertum; atque illum Vincentinorum Abbatum Indicem eò studiosiùs hic teximus examinamúsque, quia supet proximis Authperti successoribns non levis occurret difficultas, ut patebit anno sequenti.

a Num 75.

XVII. In Chronico San-Benigniano tres commemorantur Donationes, quæ Monasterio sancti Benigni factæ sunt Waldrico tunc Abbate. Auctor primæ prædicatur *Ansegaudus*, secundæ *Leotadus*, tertiæ *Egremarus & Eva uxor ejus.* At non eo collatæ sunt ordine. Munificos enim erga Cœnobium sancti Benigni se præstiterunt, Ansegaudus anno septimo Caroli Regis, Egremarus & Eva conjuges anno ejusdem Caroli Regis octavo, Leotadus seu Leotaldus anno quoque Caroli Regis decimo jàm inchoato. Characteres Chronologicos suppeditant ipsarúmmet Donationum Chartæ à Stephano Perardo publicatæ. Cur eas ordine præpostero Chronographus San-Benignianus attigerit, hæc ratio potest afferri, quòd bona, quæ cùm ab Ansegaudo tum à Leotaldo tradita sunt, in iisdem erant villis, sic enim ille scribit. *Quidam vir, Ansegaudus nomine, partem suæ hæreditatis, quam possidebat in villa Salonis vocata, necnon & alia villa, vocabulo Bargis, contulit Ecclesiæ S. Benigni Martyris. Similiter quidam, Leotadus nomine, non contemnendam partem suæ possessionis in prædictis villis tradidit præfato Martyri Provisori Divionensis loci.*

XVIII. LEOTADUS ET DADA MUNIFICI ERGA MON. S. BENIGNI. Idem Chronographus Chartam Donationis à Leotado factæ sic laudat. *Donationem fecit per Chartæ conscriptionem, in quo scripto vocatur Pontifex idem Waldricus, cujus series ita se habet. Domino Sacrosanctæ Basilicæ sancti Benigni Martyris sub oppido Divionensi constructæ, ubi venerabilis vir Domnus Waldricus præesse videtur Pontifex, & David Presbyter.* Charta verò sic integra legitur apud Perardum. *Domino Sacrosanctæ Basilicæ sancti Benigni Martyris, sub oppido Divionensi constructæ, ubi venerabilis vir Dominus Waldricus præesse videtur Pontifex, & David Presbyter, cum omni Congregatione sancti Benigni, Leotaldus, & germana sua Dada, cogitamus pro Dei intuitu, vel reverentiæ ipsius loci, ut aliquid de paupertaticula nostra ad ipsum locum, vel suis custodibus concedere debeamus, Quod & ita in Dei nomine fecimus, hoc est, in pago Atoariorum, in villa Sanctocolonica, sive in Bargis, quicquid ibidem visi sumus habere, mansos cum casis superpositis, una cum exitu & regressu, campis, vineis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarúmque decursibus, accessisque omnibus, totum & ad integrum, quicquid ibidem in jamdicta villa visi sumus habere aut domi-*

nare, tam de parentum nostrorum, quàm de comparato, aut de attracto, aut quolibet ingenio ad nos pervenit, aut pervenire potest, ad memoratam Basilicam, suisque custodibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Clericis, seu Lectoribus, cedimus, tradimus, atque transfundimus ex dominatione nostra, ut tam ipsi custodes, quàm successores eorum, quicquid facere voluerint, liberam in omnibus habeant potestatem. Si quis verò, quod nec futurum credimus, si nos, aut ullus de haredibus nostris, aut qualibet ulla opposita persona, quæ contra hanc Donationis Epistolam venire, aut aliquid agere conaverit, nullo modo valeat evindicare quod repetit, sed inferat vobis vestrisque successoribus ad augmentum Basilica Sancta auri uncias duas, & nihilominùs præsens hæc cessio firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum Divione in Basilica Sancti Benigni publicè. Signum Leotadi & Dada, qui hanc cessionis Epistolam fieri rogaverunt. Signum Ermenberti. Signum Barnarti. Signum Agramni. Signum Adam. In Dei Nomine ego Airbaldus Diaconus hanc Epistolam cessionis scripsi, & subscripsi, & adnotavi, die Lunis proximo post Kl. Novembris, anno decimo Regni Domini nostri Karoli, id est, hoc anno, tertio Nonas Novembris, currente tum literâ Dominicali E, annóque Caroli Regis decimo jam inchoato.

XIX. WALDRICUS ABB. DICITUR PONTIFEX.

In hac Charta Waldricus vocatur *Pontifex*, id est, Abbas. Assumptus quidem posteà fuit ad Episcopatum Lingonensem, Episcopúsque factus Abbatiale munus haud dimisit. At in publicis instrumentis non tantùm Pontifex sed & Episcopus tunc appellatur. Testis apud Perardum Charta, *post Kl. Junias, anno XV. regnante Domino Karolo Rege*, sive anoo Christi septingentesimo octogesimo-tertio, mense Junio, data, cujus initium tale est. *Sacrosancta Ecclesia sancti Benigni, sub oppido Divion. constructa, ubi ipse pretiosus Martyr requiescit in corpore, & venerabilis Domnus Waldricus Episcopus praesse videtur Pontifex, & David Presbyter Custos.* Waldricus igitur *Episcopus* dicitur, quia Lingonensis est Episcopus, *Pontifex* verò, quia San-Benigniaous est Abbas. Apud Jacobum Vignerium in Chronico Lingonensi Waldricus sub annum Christi septingentesimum octogesimum Lingonensis Episcopus ordinatur. Id à vero non videtur alienum. Interim Aivulfus, de quo sermonem ante biennium jam fecimus, Ecclesiam Lingonensem optimè gubernavit.

XX.

In fine Chartæ suprà descriptæ, nomen Imperatoris, quod consultò reticendum duximus, ita ponitur, *anno decimo Regni Domini nostri Karoli Imperatoris.* Recentiore manu suspicamur additum à quopiam, qui magnam Historiæ lucem allaturum se putavit, si Carolum vocaret Imperatorem, innueretque Carolum Magnum, qui Titulum gessit Imperatoris, & Imperii nomen in Occidente dudum extinctum suscitavit. At annus decimus Imperii Carolini cum anno decimo supra octingentesimum coincidit. Waldricus autem, qui *Pontifex* tantùm, id est, Abbas, in eadem Charta nuncupatur, in alia, cujus quoque fragmentum jam citavimus, & *Episcopus* & *Pontifex*, id est, Episcopus Lingonensis & Abbas San-Benignianus, prædicatur anno Caroli Regis decimo-quinto, quocum annus Christi septingentesimus octogesimus-tertius componitur. Fulcuinus in Gestis [a] Abbatum Lobiensium, ubi quærit, *cur Sanctus Ursmarus* Lobiensis Abbas *dicatur Episcopus*, observat, *in Chartis sub ejus tempore factis inscriptum eum sub nomine Episcopi & Pontificis*, id est, sub nomine Episcopi & Abbatis, Abbatem enim ibi nomine Pontificis intelligi nemo non videt.

[a] Cap 3.

XXI. LUDGERUS FIT PRESBYTER MITTITURQUE IN OSTERGOAM.

Albticus, quem septimo Idus Junii Carolus Rex in Præcepto suprà descripto Presbyterum atque electum Trajectensis Ecclesiæ Rectorem adhuc vocavit, per Autumnum hujus anni consecratus fuit Episcopus, & Ludgerus promotus ad Presbyteratum, statímque ab eodem Albrico missus in Ostergoam. Sic enim Altfridus in ipsius Ludgeri vita scribit. *Albricus, cùm in Colonia civitate gradum accepisset Episcopalem, fecit & Liudgerum secum Presbyterii percipere gradum, & constituit eum Doctorem Ecclesia in pago Ostra-*

AN. CH. 777. CAROLI R. 9. *cha* five Ostergoæ, *in loco ubi Sanctus Bonifacius est coronatus Martyrio.* Inde redargue Joannem de Beka [a] & alios, qui de Trajectensibus Præsulibus temerè publicarunt, quòd *ex feritate Danorum, urgente magnâ necessitate, Romanam curiam pro Archiepiscopali benedictione visitare nequeuntes, susceperunt à viciniori Metropolitano simplicem benedictionem, sicut Abbates, sine mitra Pontificali longo tempore celebrantes.* Præter Gregorium, qui medius inter Bonifacium atque Albricum sedit, & in Presbyterii gradu consenuit usus Aluberto Chorepiscopo, nullum reperies, qui non ordinatus fuerit Episcopus. Ultrajectini Præsules ad eas non redigebantur angustias, vt Romanos Pontifices, si vellent, propter egestatem adire non possent. Ab eo tempore, quo Bonifacius ex Metropolitano regionario factus est Metropolitanus Moguntinus, Sedes Ultrajectina Metropoli Moguntinæ subjici cœpit, & Episcopus Ultrajectensis à Moguntino Metropolita deinceps consecrari debuit; idcóque spernenda sunt, quæ de suscipiendo *ad Romanam curiam* itinere *pro Archiepiscopali benedictione* Joannes de Beka & alii finxerunt. Cùm autem audis ex Altfrido, quòd *Albricus in Colonia civitate gradum accepit Episcopalem*, inde observa Coloniensem Ecclesiam Metropolitico jure tum gavisam fuisse.

[a] In Episc. 3. Ultraject.

ALTFRIDUS ORDINATUR EP. A METROP. COLONIENSI.

XXII. VARIÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ VICISSITUDINES.

Coloniensis Archiepiscopus erat Ricolphus. Ut Moguntina, sic & Coloniensis Ecclesia varias est experta vicissitudines. Ambæ olim Metropolitanæ, illa Germaniæ primæ, hæc Germaniæ secundæ, deinde Coloniensis utrique Germaniæ præfuit, illarúmque provinciarum hic status erat Faramundo & Clodione Regibus. Secutum Coloniæ interpontificium. Tunc ambæ Germaniæ Treviris Belgicæ primæ jam Metropoli sunt subjectæ, júsque Metropoliticum per utramque Germaniam & Belgicam primam penes Trevirenses Pontifices mansit ad Principatum usque Clodovei Magni, cujus ætate Wormatia cœpit utriusque Germaniæ Metropolis fieri. Moguntia Metropolitanam dignitatem anno tandem Christi septingentesimo quadragesimo-sexto recuperavit, & Bonifacius ex Archiepiscopo regionario factus Archiepiscopus Moguntinus non tantùm utrique Germaniæ cis Rhenum sed etiam multis trans Rhenum provinciis cum Metropolitæ titulo præfuit. Denique jus Metropoliticum per Germaniam secundam restitutum Coloniæ, cùm Moguntiacenses Infulæ Lullonem proximum Bonifacii successorem exornabant. Hæc mutatio post annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quintum contigit; quonam autem anno, nondum deprehendere potuimus.

XXIII. SEDES EPISCOPALES PROVINCIÆ COLONIENSIS.

In antiqua Galliarum Notitia, duæ civitates, nempe *Metropolis civitas Agrippinensium*, quæ eadem est cum Colonia, & *civitas Tungrorum*, Germaniam secundam constituunt. Tungris collocata Sedes Episcopalis, quæ Trajectum ad Mosam translata est, deinde Leodium, ideóque diversis ætatibus ejusdem Diœcesis Episcopi variè vocati, Tungrenses, Trajectenses, Leodienses. Cùm Metropolitana dignitas Ecclesiæ Coloniensi reddita est, Leodium Episcopali Cathedrâ jam decorabatur. Quapropter Metropolitanis Coloniensibus Episcopos Leodienses infrà subjiciemus cum Ultrajectinis seu Trajectensibus ad Rhenum. In prælaudata Notitia, nec Trajecti superioris seu Trajecti ad Mosam, nec Ultrajecti seu Trajecti inferioris aut Trajecti ad Rhenum mentio fit, quia seriùs hæ civitates erectæ. Regnante Childeberto Tertio fixus Episcopatus Ultrajecti, Theodoricóque Quarto Childeberti Tertii nepote Regnum ineunte Trajectensis ad Mosam Episcopatus Legiam seu Leodium translatus.

XXIV. Apud Messæum Cratepolium de Ricolpho Coloniensi Archiepiscopo hæc tantùm post Bertholini mortem leguntur. *Ricolphus in successorem eligitur anno tertio sub Carolo Magno, qui præfuit annis 22 laudabiliter*, ab anno videlicet Christi septingentesimo septuagesimo-primo ad annum usque Christi septingentesimum nonagesimum-tertium. Sequitur apud eundem Auctorem

AN. CH. 777. CAROLI R. 9.

Auctorem sub ipsius Ricolphi Pontificatu vita sancti Reynoldi sic. *S. Reynoldus fuit ex Regali familia Caroli Magni, ex Gallia partibus. Relictis bonis temporalibus amplissimis Coloniam pervenit, ac in Monasterio sancti Panthaleonis factus est Monachus. Vixit hic in magna ac mira abstinentia. Virtutes omnes in eo resplenduere. Dedit autem illi Dominus ad sanitates agris conferendas gratiam non exiguam. Tandem ex invidia, qua bonis actionibus semper solet detrahere, operariorum iniquitate interfectus est innocenter.* Vocem hanc, *innocenter*, refer ad Reynoldum Monachum, qui cùm innocens esset interfectus est, non autem ad ipsam cædem, quæ nequaquam illata est innocenter. Similem Fortunati phrasim ex manuscripta sanctæ Radegundis vita Tomo primo [a] jam explicuimus, cùm ageremus de Radegundis fratre, qui apud Gregorium Turonensem [b] *injustè per homines iniquos* occiditur, apud Fortunatum *interficitur innocenter.* Porrò *corpus* Reynoldi Martyris, *ut scelus posset celari, projectum in puteum. Verùm Dominus Deus, cui fideliter servierat, tandem illud evidenti signo revelavit.* Hoc signum, libro tertio de Coloniæ Agrippinensis magnitudine, syntagmate duodecimo de Abbatiali sancti Pantaleonis Ecclesia, sic ab Ægidio Gelenio describitur. *Ejusdem loci Monachus fuit S. Reinoldus Martyr, qui cùm opificibus & murariis in structura sacra Ædis præfectus esset, & mechanicos segniores ad labores ursisset, offensas eorum incurrens, ab iisdem in fossam urbis occultè præcipitatus, miraculosè innotuit. Nam cùm cæca quadam ibidem se casu lavisset, subitò recuperato visu, corpus Sancti viri aqua supernatare vidit.*

REYNOLDUS MARTYR.

[a] Ad an. 544. n. 95.
[b] Lib. 3. c. 7.

Auctores Basileæ Sacræ ad hunc annum Heiconem ex vetere manuscripto Codice Basileensem Episcopum agnoscunt. Huic igitur locus Baldebertum inter ac Waldonem in Basileensium Episcoporum Catalogo restituendus. Basileensis Episcopatus, de cujus erectione ad annum Christi septingentesimum duodequinquagesimum [c] fusè disseruimus, avulsus fuit partim à Vesontionensi Metropolitano, partim è Strasburgensi ac Constantiensi; quorum limites facti sunt deinceps angustiores. Eâ mutatione nonnulla Monasteria, quæ Diœcesibus, Vesontionensi, Strasburgensi & Constantiensi priùs attribuebantur, ad Basileensem pertinere cœperunt. In horum numero posuimus Cœnobium sancti Trudtperti *, quod in Brisiaca * situm tribus à Friburgo * milliaribus distat. Ut ita sentiremus, iidem nos induxerunt Auctores [d], qui Canonicos Basileenses, postquàm ex omnibus Basileæ Templis publicum Catholicæ pietatis exercitium omnino sublatum est, relictâ Basileâ Friburgum Brisgoiæ migrasse sic testantur. *Convasatis rebus suis Friburgum Brisgoiæ abscedunt.* At ab amico, qui diu degit in Brisgoia, moniti fuimus Friburgum Brisgoiæ, quamvis Canonici Basileenses ibi maneant, in Diœcesi esse Constantiensi cum tota Brisgoia, quam ab Alsatia, ut Episcopatum Constantiensem à Basileensi dividit Rhenus. Nec huic utriusque Diœceseos limiti refragatur aurea Friderici Ænobarbi Bulla, quam initio Tomi Tertii ad annum Christi sexcentesimum tricesimumtertium [e] citavimus. Diœcesi igitur Constantiensi Cœnobium sancti Trudtperti restitue, &, quod secus à nobis Tomo superiore scriptum est, benignâ humanitate condona. Situm est hoc Monasterium ad Numagam fluvium, cujus priùs nomen quàm sancti Trudtperti gessit. Ante annos mille conditum dicitur. At mancus est Abbatum Catalogus, nullus enim ex eis recensetur vetustior Walderico, qui regnante Ludovico Arnulphi Imperatoris filio Cœnobium rexit. Lege Bucelinum in Germania Sacra & in Genealogica Notitia Germaniæ. XXV.

HEICO EP. BASILEENS.

[c] Nu. 101. & seqq.
* S. Trupt
* le Brisgau.
* Fribourg.
[d] Ad an. 1529.
[e] Num. 6.

S. TRUDTPERTI MON. IN EP. CONSTANT.

Tomo tertio Metropoleos Salisburgiensis extat duplex editio veteris Chartæ pro fundatione Monasterii Sylurni, ad locum ejusdem nominis, vulgò *Schliers*, *Schliersée* & *Slyrse*, inter Oenum & Mangualdum fluvios ad radices Alpium in Episcopatu Frisingensi. Illarum editionum unam debemus Wigulio Hundio, alteram Christophoro Gewoldo. Notis ad margi- XXVI.

SYLURNUM MON. DICATUR,

AN.CH. 777. CAROLI R. 9.

nem positis utramque simul conferre poteris. *Regnante in perpetuum* [1] *Domino nostro Jesu Christo. In Dei Nomine. Ego* [2] *Adalung simul cum fratribus meis Hyltiwaldo, Gerboldo, Antheno, Otachro, inspirante divinâ gratiâ, secularia negotio deserentes, locum nobis elegimus de* [3] *communi hereditate nostrâ seu* [4] *parentum nostrorum, in vasta solitudine eremi, qua dicitur Schliersee* [5], *& ibidem adjuvante Domino Deo nostro cellulam more solito construximus, &* [6] *Oratorium cum consensu Episcopi Domini Aribonis* [7] *ædificavimus. Deinde advocavimus* [8] *prædictum Episcopum ad consecrandam Ecclesiam, &* [9] *ita factum est.* Hanc dedicationem anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono consignat Gewoldus in additionibus ad Episcopos Frisingenses Tomo primo supralaudatæ Metropoleos. At biennio citiùs id commemorari debet, quia Charta, cujus initium proximè descripsimus, data reperitur *12 Calend. Februar. regnante Domino Tassilone, anno 32.* id est, anno Christi septingentesimo octogesimo, priùs autem Berchtoldus seu Berchtol aut per Perchkos institutus est Abbas, & à prædicta dedicatione primâque Berchtoldi præfecturâ sub Magistri titulo, donec Abbas dictus est, effluxit biennium. Pergit enim sic eadem Charta. *Advocavimus prædictum Episcopum* Aribonem *ad consecrandam Ecclesiam, & ita factum est. Posteà* [10] *sub ditione ipsius Episcopi nosmetipsos commendavimus per omnia, & de manu Episcopi* [11] *electum nobis Magistrum, virum venerabilem, nomine Perchkos* [12] *in nostrum suscepimus Magistrum. Post biennium verò complacuit fratribus eligere prædictum Perchkos ibidem Abbatem, &* [13] *per consensum fratrum adduximus eum ad prædictum Episcopum, & juxta ordinem Regulæ sancti Benedicti electum ordinavit, & nobis posuit Abbatem.* Hanc periodum ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-nonum, quo Berchtoldus Abbas esse cœpit, denuò repetemus, & reliquam Chartæ partem cum numeris Chronologicis examinabimus.

XXVII. CUM SCHLECHDORFFO.

His circiter temporibus Aribo dedicavit etiam *in honore sancti Dionysii* Schlechdorffum Monasterium, cui quondam præfuerat, priusquàm ad Frisingensem Episcopatum promoveretur. In illo Cœnobio collocatum est sancti Tertulliani corpus, quod ab Adriano Papa Reginbertus ejusdem loci Monachus impetravit. Lege additiones Gewoldi ad Episcopos Frisingenses Tomo primo Metropoleos Salisburgensis. Fuit autem Tertullianus Presbyter, & Martyrium Romæ sub Valeriano Imperatore consummavit, ut habent Ecclesiasticæ Tabulæ pridie Nonas Augusti.

XXVIII. MONAST. CHREMESENSE DEDICATUR.

Thassilo Bojoariæ Dux hoc anno, Ducatûs sui tricesimo, Monasterium juxta Chrembsam fluvium in honorem sancti Salvatoris erexit. Qua de re sic Hundius [a] in Wolfberto Altaichii Inferioris secundo Abbate. *Thassilo vir Illustris, Dux Bavarorum, tempore hujus Abbatis Wolfberti, anno Ducatûs sui XXX, filii sui Diethonis primo, recordans Majores suos Templa, Cœnobia construxisse & ditasse, ipse quoque unum construxit juxta fluenta Chremisse, in honorem S. Salvatoris dedicavit, & dedicatum tradidit, Abbatem constituit cum Monachis, &c. Testes Vergilius Episcopus scilicet Salisburgensis, Simpertus Episcopus scilicet Ratisbonensis, Balterus Episcopus scilicet Pataviensis, Oportunus Abbas, Wolfbertus Abbas videlicet Altaichen. Atto Abbas scilicet Mansen. Caozich Abbas, Hrotbert Abbas, Utih Comes, Magilo Comes, Salincho Comes, Reginold, Adalger, &c. Acta in prædicto Monasterio.* Condendi Cœnobii caussam fecit Guntherus Thassilonis filius ab apro laceratus. Audi Brunnerum [b]. *Cœnobium nobile, quod à Chremsô flumine nomen* * *traxit, Valdericus, Virgilius & Simpertus dedicarunt, Thassilonis opus, Guntheri filii Manibus propitiandis positum, quem in ipso flore ævi feras sectantem, cùm juvenilis ardor & prædæ amor longiùs à comitum grege avulsisset, ingens aper imparem occupavit; excepit tamen irruentem Regius juvenis, & totis connixus viribus venabulum intorsit: quod ubi fatale sensit bellua, ultimas moriturο iras collegit, suáque interfectori vitam rependit; canum deinde indicio ambo exanimes in suo sanguine reperti, triste spectaculum, patri præsertim, qui multo de fati acerbi-*

[1] Hund. perpetuo
[2] Hund. Ego itaque in Dei nomine Adalune simul cum fratribus nostris, nomine Heltipalt, seu Kerpalt, necnon & Antonus, sive Otaker.
[3] Gewold. deest de
[4] Hund. sive
[5] Gewold. Slyrse,
[6] Hund. Nam &
[7] Gewold. Aribonis
[8] Hund. advocante prædicto Episcopo
[9] Hund. deest &
[10] Hund. Deinde
[11] Hund. Episcopali
[12] Berchtool in nostro suscepimus Magistro. Deinde post biennium
[13] Hund deest &

[a] Tom. 2. Metrop. Salisb.
[b] Lib. 5. n. 13.
* Kremsmunster.

tate questus, lacrymas tandem pietate vel extinxit vel sopivit, & in templo, quod dixi, immaturas filio exequias duxit, & Mansoleo intulit. His consentanea scribit Adlzreitterus [a]. Brunnerus autem in illud Monasterium Româ transmissas ab Adriano Papa Reliquias proximè sic subjungit. *Adrianus deinde Pontifex divinius pignus sancti Agapiti Martyris ossa submisit.* Idcircò Monasterium sancti Agapiti dictum aliquando reperitur.

[a] Part. 1. l. 7. n. 41.

XXIX. In Hundii textu multa sunt observanda. Bojoariæ Ducatum simul gerunt Thassilo ejúsque filius Theodo seu Thiedo. Thassilonis Ducis annus tricesimus cum anno primo Theodonis Ducis componitur. Theodo post luctuosam Guntheri fratris necem in consortium regiminis à patre videtur adscitus. Utrumque Thassilo suscepit ex Luitpurga Desiderii Longobardorum Regis filia; Guntherum, incertum quo anno; Theodonem anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo. *Hunc*, nempe Thassiloni, ut Adlzreitterus observat [b], *ex Luitpurga natus est Guntherus filius, incertum quo anno: Theodo deinde anno DCCLXXII primam lucem aspexit, prognatus ex eodem thoro. Illum*, id est, Guntherum, si fides est eidem Auctori, *Hadrianus Pontifex salutaribus undis abluit, cùm parens uterque Romam religionis, an aliâ causâ, accessissent.* At, cùm *id anno vigesimo-secundo initi à Thassilone Principatûs, contigisse* non diffiteatur, annum designat à Christo nato septingentesimum undeseptuagesimum, quo Stephanus Quartus Hadriani decessor Ecclesiam regebat. Præter Guntherum & Theodonem Luitpurga Thassiloni peperit Theotbertum, qui simul cum Theodone fratre posteà tonsus est, ut ad annum Christi septingentesimum duodenonagesimum dicturi sumus.

[b] Part. 1. l. 7. n. 42.

XXX. PRÆSENTIBUS EPISCOPIS, Apud Hundium tres nominantur Episcopi, *Vergilius Episcopus Salisburgensis, Simpertus Episcopus Ratisbonensis, Balterus Episcopus Pataviensis.* Apud Brunnerum omissis Sedium nominibus, tres pariter recensentur Episcopi, *Valdericus, Virgilius & Simpertus.* De Virgilio & Simperto nulla difficultas; utrumque Tomo superiore laudavimus; Virgilius seu Vergilius Episcopatum Salisburgiensem ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum, Simpertus Reginoburgensem seu Ratisbonensem ad annum usque Christi septingentesimum nonagesimum-primum tenuit. Qui Balterus est Hundio, Brunnero fit Valdericus, Episcopatum autem Paraviensem anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto suscepit, &, ut Hundius in Episcopis Laureacensibus & Pataviensibus observat [c], *legitur consecrasse anno 777. Monasterium sancti Agapiti Krembsmunster in Austria, quod Thassilo Dux Bavaria anno 30 sui regiminis juxta fluvium Chremissa construxerat* in eadem Diœcesi Pataviensi.

[c] In Episc. 18.

XXXI. ET ABBATIBUS. In Hundii textu quinque nominantur Abbates, Opportunus, Wolfbertus, Atto, Caozich, & Hrothart.

XXXII. Opportunus Abbas erat Menensis seu Lunælacensis vel Mansеensis in Episcopatu Salisburgiensi. Super ejus Præfectura duplex est opinio, una Hundii, altera Gewoldi, initium enim Hundius ab anno Christi septingentesimo undequadragesimo repetit, Gewoldus autem ducit ab anno Christi septingentesimo duodequinquagesimo. Tomo superiore Hundium Gewoldo prætulimus, nec in dubium vocamus, quin Opportunus ab anno Christi septingentesimo tricesimo-nono regimen Monasterii susceperit. Apud Gewoldum post annos administrationis duos ac triginta completos obit anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, Kalendis Januarii. Si calculum hunc annorum duorum ac triginta completorum ad opinionem Hundii reduxeris, Opportunus anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo Kalendis Januarii vitam claudet. Id autem stare non potest cum eodem Hundio, qui vetere monumento fretus ipsum Opportunum anno Thassilonis Ducis tricesimo sive anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo superstitem ostendit. Sic igitur Hundius & Gewol-

AN. CH. 777. CAROLI R. 9. dus simul conciliandi videntur, ut Opportunus secundùm Hundium Abbatiale munus ineat anno Christi septingentesimo undequadragesimo, & secundùm Gewoldum è vita discedat anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, Kalendis Januarii, currente tunc anno tegiminis non 32. sed 42.

XXXIII. Wolfbertus Abbas erat Inferioris Altaichii. Secundum locum obtinet inter Abbates illius loci. Synodo Dingolvingensi præsens interfuit, ut dictum Tomo superiore, superstésque vivebat anno Thassilonis Ducis tricesimo, Christi septingentesimo septuagesimo-septimo.

XXXIV. Atto, quem Hundius Abbatem Mansеensem perperam vocat, Monasterio sancti Petri præerat apud Bauzanum in Episcopatu Sabionensi. De illo non semel locuti sumus Tomo superiore.

XXXV. Caozich & Hrothart Abbates haud ita noti. Hrothart idem nobis videtur ac Ruothart seu Ruthardus, qui Synodum Dingolvingensem anno Christi septingentesimo septuagesimo-ptimo cum aliis Præsulibus celebravit, & ab Aventino malè nuncupatur Abbas Wessobrunnæ, cujus administratio penes Ilsungum Abbatem tunc erat.

XXXVI. Chrembsensi Monasterio subjungendum videtur Thierhauptense, quod eandem ob causam in Augustana Diœcesi conditum sic asserit Bruschius in Chronologia Monasteriorum Germaniæ. *Thierhauptum* * *superioris Bavariæ celebre Cœnobium, ad Achium pisculentissimum rivum, non procul à Lyco, tribus ab Augusta* * *Vindelicorum & totidem à Danubiana peninsula (hodie Donawerd) duobus verò à Khayno Bavarorum oppido milliaribus, in colle (ex quo & Augusta & Donawerda videri possunt) ad ejusdem nominis amplum pagum, fœcundo & maximè fertili loco situm, ab animali seu fera, qua in venatione ibi Thassilonis Ducis filium trucidavit, sic dictum, Ordinis D. Benedicti, Diœceseos verò Augustana.* Martinus Crucius [a] Thierhauptum quasi Θηριοκέφαλιον dictum arbitratur ἀπὸ θηρὸς, id est, à fera bestia, nempe ab apro, qui filium Thassilonis venantem interemit. Bruschius, Hundius, Gewoldus, Crucius, Bucelinus, aliique complures initia Thierhauptensis Monasterii malè referunt ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum, illo enim anno Dux Thassilo nondum ad ætatem adeò grandem pervenerat, ut filium haberet in adolescentia jam positum, qui venatione delectaretur. Bruschii textus, qui ceteros decepit, talis est. *Id*, Monasterium videlicet Thierhauptense, *fundatum & inchoatum legitur in honorem Divorum Petri ac Pauli Apostolorum, à magnanimo ac potentissimo Bavarorum Duce Thassilone, anno Domini 750. quo ferè tempore idem Thassilo Wessenbrunnensem ejusdem Monastici Instituti Abbatiam erexisse dicitur fundator.* Regnante Childerico Tertio ab Illustribus Comitibus ac fratribus, Landfrido, Waldramo & Elilando, inter Amparam & Lycum fluvios in Episcopatu Frisingensi conditum est Monasterium, quod anno Christi septingentesimo quinquagesimo-tertio, Pippini Regis secundo, ampliatum est à Thassilone Bojoariæ Duce, dictúmque Cœnobium Wessobrunnense de nomine Wessonis venatoris, ut Tomo superiore fusiùs explicuimus. Primus illi Monasterio datus est Abbas Ilsungus anno Christi septingentesimo duodesexagesimo, superstes in vivis erat cùm Cœnobia Chrembsense & Thierhauptense post Guntheri filii mortem à Thassilone constructa sunt, administrationem enim Wessobrunnensis Monasterii gessit annis uno & quadraginta, vitámque ad annum usque Christi septingentesimum nonagesimum-nonum protogavit. De Chrembsensibus Abbatibus nihil legimus. Extat apud Bruschium & Gewoldum Thierhauptensium Abbatum Catalogus, at adeò mutilus, ut ante vastationem ab Hungaris illatam nominentur tantùm quatuor, Ulinus, Gulielmus, Marquardus seu Madegoldus, & Heuno sive Haymo. A primo Cœnobii conditu regimen penes Ulinum fuit. Ulino successit Gulielmus. Quamdiu verò priores hi duo præfuerint, in Annales non est relatum. De duobus aliis, utrùm Gulielmo proximè successerint, haud etiam patet.

* Thierhaubten.
* Ausbourg.
THIERHAUPTUM, MON. ERIGITUR.
[a] Part. 1. l. 11. cap. 6.
ULINUS FIT PRIMUS ABB.

AN. CH. 777.

Præter Monasteria, de quibus suprà, fundavit quoque Thassilo Dux Bojariæ Cœnobium, qui Matsea nomen in Diœcesi Pataviensi, sed incertum quo anno. Lege Hundium [a].

CAROLI R. 9.

XXXVII. MATSEA MON. ERIGITUR.

Hoc anno, Caroli Regis nono, migravit ad Deum Theodulfus Episcopus & Abbas Laubacensis *, de quo sic Fulcuinus [b] in Gestis Abbatum Lobiensium [c]. *Successit S. Theodulfus Episcopus in provisione prædicti loci, partim sub Pippino Principe, pòst facto Rege, novem verò annis sub Karlo Rege, pòst verò Imperatore, regens illum non segniter, augmentans non mediocriter.* Et paulò pòst. *Obiit autem anno* DCCLXXVI. *Dominicæ Incarnationis, die verò festivitatis S. Johannis Baptistæ.* Mendum in annum irrepsit, restituendus enim annus DCCLXXVII, quocum annus Caroli Regis nonus per mensem Junium componitur. De die conveniunt Menardus in Martyrologio Benedictino, Saussaius in Martyrologio Gallicano, Bucelinus in Menologio Benedictino. Quia tamen in illum diem prima Præcursoris Domini Nativitas incidit, memoria sancti Theodulfi die vicesimo-quinto Junii celebratur, cùm Lanbiis, ubi primùm sepultus, tum Binchii, quò translatus fuit. Lege Molanum [d], sed cautè, ne decipiaris, & Theodulfum perperam Remensibus Archiepiscopis accenseas.

XXXVIII. ABBATES LOBIENNES.

Sancto Theodulfo in administrationem Lobiensis Monasterii successit Anso, de quo sic Fulcuinus in Gestis [e] Abbatum Lobiensium proximè laudatis. *Anso hunc*, nempe Theodulfum, *sequitur in regimine, vir bonus & sanctus, Abbas tantùm non Episcopus, regens idem Cœnobium sub jam præfato Domino Imperatore Karlo viginti-quatuor annis. Erat autem idem Anso & pro capacitate ingenii sui literis studens. Exstat libellus vitæ sancti Ursmari ad prædecessorem ejus Theodulfum Episcopum ab eo conscriptus, item & sancti Ermini alius, in quibus quidem veritas Historiæ, quantùm à simplicis eloquentiæ viro describi potuit, amplectenda est, de confusione autem verborum & dictorum non nostrum est judicare, quæ illis tanta inest, ut incertum sit, utrùm ad insinuanda quæ noverat minùs licèt eruditè quantùm ad seculares fuerit proclivis, an pro excellentia Gestorum sponte parvipenderit regulas artis. Et hic sub præfato obiit Karlo, eo quo idem Imperator factus est anno,* id est, anno Christi octingentesimo primo, in eorum videlicet opinione, qui principium anni ducunt à die Natali Domini cum veteribus Annalistis, Loiseliano, Laureshamensi, Fuldensi, Bertiniano ac Metensi, itémque cum Reginone & Poëta Saxonico, necnon etiam cum incerto Auctore & Monacho Egolismensi in vita Caroli. Chronica San-Dionysianum & Moissiacense plerumque citavimus; utrobique, quoniam initium anni petitur à Paschali Solemnitate, Carolus Imperator anno Christi octingentesimo coronatur. Annum à Kalendis Januarii recentiores auspicantur Chronographi, eundémque Carolum anno Christi octingentesimo factum Imperatorem constantissimè scribunt. Aliam frustrà causam quæras, cur is, qui Fulcuinum transcripsit, Theodulfum Ansonis decessorem *anno* DCCLXXVI *Dominicæ Incarnationis* ex hac vita sublatum publicarit, ab illo enim anno ad Imperium usque Caroli, sive ad annum usque Christi octingentesimum annos quatuor ac viginti numerare voluit. Nos genuinum Fulcuino textum restituimus, & annum reposuimus Incarnationis Dominicæ DCCLXXVII, quia, teste eodem Fulcuino, Theodulfus Lobium *novem* rexit *annis sub Karlo Rege*, obiitque *die festivitatis S. Johannis Baptistæ*, & annus Caroli Regis nonus per mensem Junium cum anno Christi DCCLXXVII convenit. Ut autem Theodulfi mortem in annum Christi septingentesimum septuagesimum-septimum distulimus, sic & Ansonis obitum post annos viginti-quatuor in annum Christi octingentesimum primum rejiciemus.

XXXIX. WIGMANDUS ABB. WELTENBURG.

In Abbatum Weltenburgensium Catalogo, quem Gewoldus suis ad Hundium [f] additionibus inseruit, Wigmandus Abbas hoc anno memoratur.

[a] Tom. 2.
* de Lobbes.
[b] Tom 6. Spicileg. Dacher.
[c] Cap. 8.
[d] D. 25. Jun.
[e] Cap 9.
[f] Tom. 3. Metrop. Salisburg.

AN. CH. 777. CAROLI R. 9.

XL. BENEDICTUS FIT CELLERARIUS. Benedictus, cùm Monachum *per biennium & sex mensium spatium* in Cœnobio sancti Sequani jam egisset, factus est ejusdem Monasterii Cellarius seu Cellerarius, ut Smaragdus his verbis in illius vita testatur. Factus Monachus incredibili inediâ *per biennium & sex mensium spatium corpus suum affligere cœpit. Injungitur ei post hæc custodiendum Cellarium, quemadmodum Regula præfati Patris*, id est, Regula sancti Benedicti, capite tricesimo-primo, *commendavit, & juxta præceptum illius, totis viribus se componere, ac licita petentibus sine mora studebat largiri, malè petentibus denegare, impossibilia exquirentibus blandè excusare. Et quoniam pro libita voluntate eis pocula non præbebat, aquis obtutibus, à compluribus non intuebatur. Hospitum; infantum, pauperúmque omni sagacitate curam gerebat.*

XLI. ABBATES CASINENSES. Poto Casinensis Abbas, cùm præfuisset *annis septem, mensibus quinque*, vitam hoc anno terminavit *quarto Calend. Julii, sepultúsque est juxta Ecclesiam sancti Benedicti* Lege quæ de Casinensium Abbatum Chronologia diximus ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum [a]. Res à Potone gestas sic describit Leo [b]. *Poto Abbas undecimus præfuit annis septem, mensibus quinque. Hic ædificavit inferiùs parvam Ecclesiam, in honorem sancti Benedicti, in eo loco, ubi nunc est sancti Germani Ecclesia. Fecit & alteram Ecclesiam in honorem sancti Michaelis Archangeli, ad radices alterius montis, amœno satis loco, ubi modo est olivetum Monasterii, eámque & picturis insignibus, & carminibus per girum decoravit honestis.* Potoni successit in Abbatiale munus *Theodemar*, de quo sæpiùs acturi sumus.

[a] Num. 57.
[b] Lib. 1. c. 12. vet edit. c. 10. novæ edit.

AN. CH. 778. CAROLI R. 10.

ANNUS CHRISTI 778.
CAROLI R. 10. 7. 5.

I. Res anno Christi septingentesimo septuagesimo-octavo gestas Annalista Nazarianus sic attingit. DCCLXXVIII. *Carolus Rex cum exercitu Francorum perrexit in Spaniam. Et Saxones in Franciam.* Utrumque bellum hoc gravissimum fuit. Incipiemus ab Hispanico.

II. CAROLUS BELLUM IN HISPANIA GERIT ADVERSUS SARACENOS. Carolus Pascha celebravit apud Cassinogilum in Aquitania. Quonam in loco Maii campum habuerit, haud notatum reperitur. Ibinalarabii Mauri precibus sollicitatus in spem veniebat rerum in Hispania præclarè gerendarum, ad id operis exercitum divisit, duabus impressionibus vim facturus, copias ex Austria, Burgundia, Bojoaria, Provincia, & Septimania lectas, cum aliquot legionibus Longobardorum per agrum Narbonensem immisit, ipse cum reliquis Francis, Neustrasiis nempe & Aquitanis, ac ceteris Longobardis, per Wasconiam rectâ Pompelonem contendit cepítque, tum Cæsaraugustam usque perrexit. In itinere Abitaurus Saracenorum Præfectus obviam ei occurrit, civitatésque, quas tegebat, cum obsidibus fratre ac filio tradidit. Ad Cæsaraugustam uterque Francorum exercitus se conjunxit, haud ulteriùs perventum. Carolus Ibinalarabium, qui se quoque cum obsidibus Regiæ potestati subjecit, in Franciam vinctum transmisit. Inter civitates, quæ Ibinalarabium & Abitaurum Præfectos seu Duces agnoverunt, Gerunda, Barcino, & Osca numerantur, illac iter fuit Cæsaraugustam alteri Regis exercitui per agrum Narbonensem in Hispaniam traducto. In reditu Carolus Pompelonem destruxit. Hæc omnia leguntur partim in Appendice ad Chronicon jussu Nibelungi Comitis scriptum, partim in Annalibus Petavianis & Loiselianis. Auctor Appendicis sic habet. *An.* DCCLXXVIII. *fuit Rex Carlus in Spania cum exercitu, & conquisivit*

civitatem Papalonam, & Abitaurus Saracenorum Rex venit ad eum, & tradidit civitates quas habuit, & dedit ei obsides fratrem suum & filium. Et inde perrexit Carlus Rex usque ad Sarisangusta. Et ibi venit ad eum Abinlarbi alter Rex Saracenorum, quem & fecit adducere in Francia. Abitaurum & Abinlarbum sive Ibinalarabium Reges impropriè vocat, quia toti Maurorum genti per Hispaniam unus dominabatur Abderrahmanus, ut anno superiore dictum est. Annalista Petavianus de prædicto bello sic scribit. DCCLXXVIII *eodem anno Domnus Rex Karolus cum magno exercitu venit in terram Galliciam, & adquisivit Pampolona. Deinde accepit obsides in Hispania de civitatibus Abitauri atque Ebilarbii, quorum vocabulum est Osca, & Barzelona, necnon & Gerunda. Et ipsum Ebilarbium vinctum duxit in Franciam.* Et Loiselianus, sic. *Celebravit Rex Pascha in Aquitania in villa Cassinogilo. Et immutavit se numerus annorum in* DCCLXXVIII. *Tunc Domnus Carolus Rex iter peragens partibus Hispaniæ per duas vias; unam per Pampilonam, per quam ipse supradictus Magnus Rex perrexit usque Cæsaraugustam. Ibique venientes de partibus Burgundiæ, & Austriæ, vel Bajoariæ, seu Provinciæ, & Septimaniæ, & pars Langobardorum, conjungentes se ad supradictam civitatem ex utraque parte exercitus, ibi obsides receptos de Ibinalarabi & de Abutauro, & de multis Sarracenis, Pampilonâ destructâ, Hispanos & Wascones subjugatos, etiam & Navarros, reversus est in partibus Franciæ.*

AN. CH. 778. CAROLI R. 10.

Addit Annalista Laureshamensis cladem Francis illatam à Wasconibus in saltu Pyrenæo. *Rex, persuasione prædicti Saraceni* Ibinalarabii, *spem capiendarum quarundam in Hispania civitatum haud frustrà concipiens, congregato exercitu profectus est, superatóque in regione Vasconum Pyrenæi jugo, primò Pompelonem Navarrorum oppidum aggressus, in deditionem accepit. Inde Iberum amnem vado trajiciens, Cæsaraugustam præcipuam illarum partium civitatem accessit, acceptísque, quos Ibinalarabi & Abithaur, quósque alii quidam Saraceni obtulerunt, obsidibus, Pompelonem revertitur. Cujus muros, ne rebellare posset, ad solum usque destruxit, ac regredi statuens, Pyrenæi saltum ingressus est. In cujus summitate Vascones insidiis collocatis, extremum agmen adorti, totum exercitum magno tumultu perturbant. Et, licèt Franci Vasconibus tam armis quàm animis præstare viderentur, tamen & iniquitate locorum, & genere imparis pugnæ inferiores effecti sunt. In hoc certamine plerique aulicorum, quos Rex copiis præfecerat, interfecti sunt, direpta impedimenta, & hostis propter notitiam locorum statim in diversa dilapsus est. Cujus vulneris accepti recordatio magnam partem rerum feliciter in Hispania gestarum in corde Regis obnubilavit.* Hanc Francorum cladem in vita Caroli non dissimulavit Eginhardus. *Cùm assiduo ac penè continuo cum Saxonibus bello certaretur, dispositis per congrua confiniorum loca præsidiis, Hispaniam, quàm maximo poterat belli apparatu, aggreditur, saltúque Pyrenæi superato, omnibus, quæ adierat, oppidis atque castellis in deditionem susceptis, salvo & incolumi exercitu revertitur, præter quòd in ipso Pyrenæi jugo Vasconum perfidiam parumper in redeundo contigit experiri. Nam cùm agmine longo, ut loci & angustiarum situs permittebat, porrectus iret exercitus, Wascones in summi montis vertice positis insidiis (est enim locus ex opacitate sylvarum, quarum maxima est ibi copia, insidiis ponendis opportunus) extremam impedimentorum partem, & eos, qui novissimo agmine incedentes, subsidio præcedentes tuebantur, desuper incursantes, in subjectam vallem dejiciunt, consertóque cum eis prælio, usque ad unum omnes interficiunt, ac direptis impedimentis, noctis beneficio, quæ jam instabat, protecti, summa cum celeritate in diversa disperguntur. Adjuvabat in hoc facto Wascones & levitas armorum, & loci, in quo res gerebatur, situs. Econtra Francos & armorum gravitas & loci iniquitas per omnia Wasconibus reddidit impares. In quo prælio Eghartus Regiæ mensæ Præpositus, Anshelmus Comes Palatii, & Rotlandus Brittanici limitis Præfectus, cum aliis compluribus interficiuntur. Neque hoc factum ad præsens vindicari poterat, quia hostis re perpetratâ ita dispersus est, ut ne fama quidem*

III.

IN REDITU CLADE AFFICITUR A VASCONIBUS.

AN. CH. 778. CAROLI R. 10. *remaneret, ubinam gentium quæri potuisset.* Habet consentanea vetus Auctor, qui diu versatus est in Palatio Ludovici Pii, ejusdémque Imperatoris vitam conscripsit. *Carolus, rebus tam publicis quàm privatis pro opportunitate dispositis, reliquit Hildegardem nobilissimam piissimámque Reginam in villa Regia, cujus vocabulum est Cassinogilus, geminâ gravidam prole, & transiit Garonnam fluvium, Aquitanorum & Vasconum conterminum, quam regionem jamdudum in deditionem susceperat; Lupo Principe se & sua ejus nutui dedente. Ibidem etiam, qua opportunitas utilitásque dictavit, expletis, statuit Pyrinæi montis superatâ difficultate ad Hispaniam pergere, laborantique Ecclesiæ sub Saracenorum acerbissimo jugo, Christo fautore, suffragari. Qui mons, cùm altitudine cælum penè contingat, asperitate cautium horreat, opacitate sylvarum tenebrescat, angustiâ via vel potius semita commeatum, non modò tanto exercitui sed paucis admodum penè intercludat, Christo tamen favente prospero emensus est itinere. Neque enim Regis animus Deo nobilitante generosissimus, vel impar Pompeio, vel segnior esse curabat Hannibale, qui, cum magna sui suorúmque fatigatione & perditione, iniquitatem ejus loci olim evincere curarunt. Sed hanc felicitatem transitûs, si dici fas est, fœdavit infidus incertúsque fortuna ac vertibilis successus. Dum enim quæ agi potuerunt in Hispania, peracta essent, & prospero itinere reditum esset, infortunio obviante extremi quidam in eodem monte Regio cæsi sunt agminis.*

IV. Hæc fuit infausta Francis ad Roscidam * vallem pugna, quam tantoperè prædicant Hispani, & in aliud tempus sub mortem Caroli malè rejiciunt. Etenim præter ea, quæ suprà retulimus, nihil habent ab antiquo Scriptore, cladem autem illam ad hunc annum à Christo nato septingentesimum septuagesimum-octavum memorant Annalista Laureshamensis & Auctor Vitæ Ludovici Pii. Suffragatur & Poeta Saxonicus, qui, quos Asceta Laureshamensis Annales de Gestis Caroli Magni publicarat, rudi posteà metro sub Arnulpho Imperatore delineavit. Missas facimus fabulas, quæ Tilpini Remensis Archiepiscopi nomine circumferuntur. Fatemur eladem Francis illatam à Wasconibus, direpta impedimenta, exercitûs extrema cæsa, desideratos clarissimos viros Eghartum, Anshelmum, & Rotlandum, his etiam addimus ex Aventino [a] Nœmum Bojoaricarum copiarum ductorem, &, quia copiæ Bojoaricæ per agrum Narbonensem in Hispaniam irruperant, inde colligimus utrumque Francorum exercitum unà cum Carolo in Franciam eâdem viâ rediisse.

* *Ronce-vaux.*

* Lib. 4.

V. ECCLESIÆ EPISCOPIS ORBATÆ A SARACENIS. Episcopis orbatæ sub Saracenorum jugo tunc in Tarraconensi provincia gemebant urbes suprà memoratæ, Gerunda, Barcino, Osca, Cæsaraugusta, Pampelo. Modò Francis, modò Saracenis pleræque paruerunt. Varias hujuscemodi sortes jam expertæ Gerunda & Barcino; quæ venerunt in potestatem Pippini Regis, deinde ad Saracenos redierunt, priusquàm Carolo prælaudati Pippini filio se dederent. Paulò pòst Gerunda Saracenis rursum paruit. *Anno* enim DCCLXXXV, ut Chronographus Moissiacensis testatur, & ad illum annum observabimus, *Gerundenses homines Gerundam civitatem Karolo Regi tradiderunt.* Barcinonenses eâdem quâ Gerundenses fortunâ jactatos arbitramur, quia, quotiescumque Saraceni Gerundâ potiti sunt, probabile non videtur Barcinonenses in potestate Francorum permansisse; Franci verò, recuperatâ Gerundâ, Barcinonem suis denuò ditionibus adjecerunt, unde fit, ut Rubricatus Francorum Saracenorúmque limes sæpè constituatur. Certè Carolus, ad cujus imperium Gerundenses anno Christi septingentesimo octogesimo-quinto reversi sunt, Barcinonem quoque posteà recepit, Concilio enim Narbonensi, quod anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo celebratum est, Episcopi Barcinonensis & Gerundensis cum Urgellensi subscripserunt. In Actis autem ejusdem Concilii mentio fit Ausonensis Parochiæ seu Diœcesis, quam Saraceni plurimùm infestant. Inde liquet plures tunc Tarraconensis provinciæ Diœceses

ſes ad Franciam haud pertinuiſſe. Ut iſta tibi clariora fiant, ejuſdem provinciæ deſcriptionem per Epiſcopatus à nobis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-tertium [a] factam conſule.

AN. CH. 778. CAROLI R. 10.

[a] Num. 31.

VI.

In Martyrologiis [b] Gallicano & Hiſpanico commendatur ſanctus Anthemius Martyr, de quo ſic Sauſſaius. *Natalis ſancti Anthemii Epiſcopi Pictavienſis & Martyris, ac ſociorum. Qui glorioſus Epiſcopus ob conſpicua ſanctitatis mores & dotes eminentis doctrina à Carolo Magno eximiâ dilectione ac exiſtimatione habitus, primùm Aula Abbas ſeu Regius Archicapellanus ab eodem factus eſt. Pauléque pòſt ad Pictavienſis Eccleſia regimen evectus, ab ipſo Carolo bellum Hiſpanicum adversùs Saracenos ineunte, in comitatum aſſumptus fuit, ut ſibi & exercitui pietatis officiis ac exemplis praluceret. At dum Caſaraugustanâ civitate ſubactâ, circumjacentéque regione, Navarram Carolus his Chriſti nominis hoſtibus armis eripit, perfidi illi jam fracti viribus, pacis ſe cupidos ſimulantes, petierunt à Rege ſibi aliquos deſtinari, à quibus, qua ipſi placita forent, ſibi praſcriberentur. Miſſus eſt igitur ad eos Anthemius venerabilis Antiſtes, cum quibuſdam aliis ſelectis viris, quos barbari illi blandè inductos in caſtra, mox circumſeptos armatis cuneis, in odium Chriſtiana fidei, haud minùs quàm Regis, truncatis capitibus iniquè peremerunt. Corpus ſancti Anthemii* Carolus, poſt fædorum illorum Maurorum excidium, in Galliam revexit, atque in vico de Jonſaco* agri Santonenſis honorificentiſſimè condidit, in Eccleſia Sanctorum Martyrum Gervaſii & Protaſii. Deinde coruſcantibus ad Martyris tumulum gloria divina ſignis, idem Rex corpus ſanctum per Epiſcopos de ſepulchro, ſolemni ritu, collocari curavit, atque in thecam pretioſam tranſlatum, ſuper quatuor columnas retro altare collocari.* Tamaïus Sauſſaium deſcripſit, adjecítque Lectiones è veteribus Eccleſiarum Pictavienſis & Santonicæ Breviariis, in quibus Aygolandus Saracenorum Dux author necis illatæ beatiſſimo Martyri perhibetur.

[b] D. 1. Dec.

ANTHEMII EP. PICTAVIENSIS MARTYRIUM.

* Saint Aneſme.

* Jonſac.

VII.

Totus Sauſſaii textus eò tendit, ut hoc anno, cùm Carolus Cæſarauguſtæ jam dominabatur, Anthemium Pictavienſem Epiſcopum à Saracenis interfectum credas. Caroli Magni loco Martellum quidam reponunt. Neutrius autem ætate vixit Anthemius, ſedit enim priuſquàm Pictavium Francis cederet, ut teſtantur Epiſcoporum Pictavienſium Indices hactenus editi. *Ferunt [c] Litania Pictonica ab Henrico Ludovico Caſtaneo Rupipoſao Pictavenſi Antiſtite digeſta, ipſum in pago Santonenſi obiiſſe dum verbum Domini pradicaret, & apud Jonſacum quieſcere. Solemni Officio colitur in Breviario Santonenſi, & in Proprio Pictavenſi, 3 Decembris.*

[c] Gall. Chriſt. Tom. 3. in Epiſc. Pictavienſ. n. 12.

VIII.

Hildegardis Regina, quam Carolus in Aquitania gravidam reliquerat, marito nondum ex Hiſpania reverſo duos peperit filios, quorum alter Lotharius, alter Ludovicus eſt appellatus. Hujus vitam in literas retulit Auctor ſynchronus, ſtudiúmque, quo Carolus poſt ſuum in Gallias reditum res curavit Aquitaniæ, ſic commendavit. *Rediens ergo Rex reperit conjugem Hildegardem binam edidiſſe prolem maſculam. Quorum unus immaturâ morte praceptus, antè penè mori, quàm ſub luce vivere cœpit; alter proſpero eventu, materno fuſus utero, infantilibus nutriebatur impendiis. Nati ſunt autem anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-octavo. Sed eum, qui vividam promittebat qualitatem, quum per Baptiſmatis ſacramentum renaſci contigiſſet, Ludovicum vocitari patri placuit, eíque Regnum, quod ſibi naſcendo dicaverat, contradidit. Sciens porrò Rex ſapientiſſimus atque perſpicaciſſimus Carolus Regnum eſſe veluti corpus quoddam, & nunc iſto, nunc illo incommodo jactari, niſi conſilio & fortitudine, velut quibuſdam medicis, ſanitas accepta tueatur, Epiſcopos quidem modo, quo decuit, ſibi devinxit. Ordinavit autem per totam Aquitaniam Comites Abbatéſque, necnon alios plurimos, quos vaſſos vulgò vocant, ex gente Francorum, quorum prudentia & fortitudini, nullâ calliditate, nullâ vi obviare fuerit tutum, eíſque commiſit curam Regni, prout utile judicavit, finium tutamen, villarúmque Regiarum ruralem proviſionem. Et Bituriga*

LOTHARIUS ET LUDOVICUS NASCUNTUR.

COMITES CONSTITUUNTUR IN AQUITANIA.

civitati primò Humbertum, paulò pòst Sturbium præfecit Comitem, porrò Pictavis Abbonem, Petragoricis autem Widbaldum, sed & Arvernis Iterium, necnon Wallagia Bullum, sed & Tholosa Chorsonem, Burdigalis Siguinum, Albigensibus verò Aimonem, porrò Limovicis Rothgarium. Ex hoc textu Bessus, qui Ducum Narbonensium Historiam ætate nostrâ conscripsit, Aimericum, quem Theodoricum quoque dictum contendit, primum Comitem seu Ducem Narbonensem citiùs institutum asserit, cùm Regnum Francorum penes Pippinum Regem adhuc erat. Pulsis è Gallia Saracenis universam Septimaniam primus obtinuit Pippinus, & ut Narbonæ sic & aliarum civitatum Comites instituere potuit. At id ex præcitata Ludovici Pii vita colligi nequit, Carolus enim propter viciniam Wasconum, quorum perfidiam nuper expertus fuerat, duabus tantùm Aquitaniis, primæ ac secundæ, consuluisse dicitur, atque in Aquitania prima Comites præfecisse *Bituriga civitati primò Humbertum, paulò pòst Sturbium, Arvernis Iterium, necnon Wallagia Bullum, sed & Tholosa Chorsonem, Albigensibus verò Aimonem, porrò Limovicis Rothgarium*, & in Aquitania secunda *Burdigalis Siguinum, Pictavis Abbonem, Petragoricis autem Widbaldum*, Septimaniæ ceterarúmque provinciarum, quæ Vasconibus conterminæ non erant, nullâ prorsus mentione factâ. Prædicti Comites inter se paris erant auctoritatis, nec Comiti, qui Metropoli seu Bituricensi seu Burdigalensi præerat, ceteri Comites ejusdem provinciæ subjiciebantur. Atque inde liquet Aymericum, quia Narbonensis Metropoleos Comes erat, à Besso [a] Ducem Septimaniæ frustrà nuncupari. Certè Milo, Aymerici proximus in Comitatu successor, titulo tantùm Comitis insignitur in Diplomate, quod ad annum Christi septingentesimum octogesimum-secundum recitabimus, quo tempore superstes in vivis erat Theodoricus, alius dubio procul ab Aymerico, qui priùs obiit. Hæc obiter dicta sunto de duobus antiquissimis Comitibus Narbonensibus, quos Danieli Archiepiscopo Narbonensi synchronos haud diffitemur, hic enim ante annum Christi septingentesimum undeseptuagesimum sedere cœpit. Dolendum certè nobis, quòd prædictarum civitatum Antistites non eâdem curâ, quâ Comites ad posteros transmissi sint. Manci sunt enim per illud tempus non Archiepiscoporum modò Burdigalensium, sed etiam Albigensium, ac Lemovicensium Episcoporum Catalogi. Bituricensis Archiepiscopus erat Deodatus, Pontificatum enim ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto ad annum Christi septingentesimum octogesimum-tertium gessit. Aniciensis seu Wallagiæ sive Vellavorum Episcopus tunc fuisse videtur Basilius, qui Torpioni à nobis laudato [b] successor datus Eclesiam ad sepulchrum sancti Theofredi Martyris ædificavit, successorémque nactus est Roricium nono seculo jam inchoato. Pictavii sedebat Benedictus, de quo jam locuti sumus Tomo superiore [c]. Nec aliter sentimus de Bertrando Episcopo Petrocoricensi, cujus mentionem ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-septimum Tomo quoque priori fecimus. Fortè & Tolosanam Diœcesim jam regebat Arricho, qui Synodum Narbonensem cum aliis Præsulibus anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo celebravit. Et, ne mutilus fiat Arvernorum Episcoporum Index, Stephano, qui Pippino Rege [d] floruit, Avitum suffice, cujus nomen Auctor Originum Claromontanarum in quibusdam Codicibus inveniri testatur ante Stabilem, de quo sermonem inferiùs habituri sumus.

[a] Cap. 5.

[b] Tom. 5. an. 752. n. 149.

[c] An. 765. n. 14.

[d] Vide Tom. 5. ad an. 761.

IX. CUR DICTI VALVASORES.

Redeamus ad Anonymum, qui literis vitam Ludovici Pii commendavit; quos ille vassos simpliciter vocat, interpretare valvasores seu vassos Regios aut vassos Dominicos, à Rege videlicet institutos, ut valvas sive introitus Regni contra hostes tueantur. Hanc interpretationem, de qua Spelmannum in verbo, *valvasores*, cònsule, multùm confirmat *finium tutamen*, quod prædictis vassis cum rurali villarum Regiarum provisione committitur. Carolus vassos illos, quoniam Aquitania Saracenicas ditiones

contingebat, elegit *ex gente Francorum*, sive *ex nobili Francorum genere*, ut Scriptor præcitatus & Adrevaldus [a] restantur, nec audiendi sunt, qui Chorsonem origine vel Gothum vel Saracenum fingunt, & appositè in Historia Comitum Tolosanorum à Catello [b] refelluntur.

X. Cur autem Carolus adeò sollicitè res Aquitaniæ curaverit, hæc afferri potest ratio, quòd diu procúlque abesse nollet ab Austrasia propter ferociam Saxonum, timerétque ne, se absente Mauri, quos in Hispania lacessiverat, & Wascones, quibus diffidebat, in Aquitaniam irrumperent. Cæterùm dissimulare non possumus Auctorem, apud quem in Ludovici Pii vita dispositio rerum Aquitanicarum babetur, in duos lapsum errores, dum scripsit Aquitaniæ Regnum Ludovico hoc anno traditum, & gemellum Ludovici fratrem antè penè mori cœpisse quàm vivere, biennis enim hic occubuit Ludovico fratre Regnum Aquitaniæ nondum adepto. De utroque sic Paulus Diaconus in Episcopis Metensibus, ubi filios, quos Carolus ex Hildegarde suscepit, hoc recenset ordine. *Natorum sanè ejus, quos ei Hildegard peperit, ista sunt nomina. Primus dictus est Karolus, scilicet patris ac proavi vocabulo nuncupatus. Secundus item Pippinus, fratri atque avo æquivocus. Tertius Lodowicus, qui cum Hlothario, qui biennis occubuit, uno partu est genitus.*

[a] Lib. de Mirac. S. Bened. cap. 18.

[b] Lib. 1 c. 5.

XI. SAXONES IN FRANCIAM IRRUMPUNT.

Saxones, cùm Regem Francorum in Hispaniam profectum audiissent, ad arma convolarunt. Id Annalista Nazarianus docet hoc textu jam citato. DCCLXXVIII. *Carolus Rex cum exercitu Francorum perrexit in Spaniam. Et Saxones in Franciam.* Utrumque bellum Petavianus attingit stylo paulò fusiore, & postquàm Hispaniense commemoravit, de Saxonico, quod per idem tempus gestum est, sic agit. *Interim Saxones rebellantes, moverúntque exercitum amne Rene properantes, incenderúntque oppida, & igne cremaverunt civitatem, quæ Franci construxerunt*, ut ante biennium observavimus, *infra flumen Lipiam.* Addit alia Monachus Laureshamensis. *Saxones*, inquit, *velut occasionem nacti*, propter Regis absentiam, *sumptis armis ad Rhenum usque profecti sunt. Sed cùm amnem trajicere non possent, quicquid à Duicia civitate usque ad fluenta Mosellæ vicorum villarúmque fuit, ferro & igne depopulati sunt. Pari modo sacra profanáque pessundata. Nullum ætatis aut sexûs discrimen ira hostis fecerat, ut liquidò appareret eos, non prædandi sed ultionem exercendi gratiâ, Francorum terminos introiisse.* Quam hic Auctor Duiciam civitatem vocat, alii Duteciam, Diviciam, Diucam, Duitiam appellant, & Tuitium, olim Divitense munimentum è regione Coloniæ Agrippinæ. Auctor belli Widikindus seu Withochindus. Sic enim ait Annalista Loiselianus. *Cùm audissent Saxones, quòd Domnus Carolus Rex & Franci tam longè fuissent partibus Hispaniæ, per suasionem supradicti Withochindi & sociorum ejus, secundùm consuetudinem malam, iterum rebellati sunt.* Et paulò pòst, quales se Saxones præstiterint, paucis sic exponit. *Illi rebelles ad Rhenum usque Dureciam pervenerunt. Tunc prædantes secus Rhenum, & multas malitias facientes, Ecclesias Dei incendentes, in Sanctimonialibus grassati, & quod fastidium generat enumerandi.*

XII. Carolus rebus in Aquitania prudenter, ut diximus, constitutis, Autissiodorum venit. Habebat in suo comitatu Hermangardum sancti Michaelis in Episcopatu Virodunensi Abbatem, à nobis Tomo superiore [c] laudatum. Hic in suum Monasterium è Diœcesi Cadurcina corpus sancti Anatholii transferendum curavit. Lege Wasburgium [d]. Rex autem, cùm Autissiodori jam esset, auditâ Saxonum irruptione copias Rhenum versùs direxit. At Saxones adventu Francorum haud expectato, dimissâque Rheni ripâ in Saxoniam redire contenderunt. Franci abeuntium vestigia festinantiùs secuti, ac proinde ad Adernam * fluvium assecuti, prælium adeò feliciter conseruerunt, ut ex ingenti hostium multitudine vix pauci domum fugiendo pervenerint. Interim Rex, ut bello propiùs consuleret,

[c] Ad an. 770. n. 31.

[d] Lib. 2. in Epist. 17.

* Edr.

AN. CH. 778. CAROLI R. 10.

Hariſtallium ſe contulit. Quibus de rebus ita Monachus Laureshamenſis. *Cujus rei*, id eſt, irruptionis à Saxonibus in Franciam factæ, *nuncium cum Rex apud Autiſſiodorum civitatem accepiſſet, extemplò Francos Orientales atque Alemannos ad propulſandum hoſtem feſtinare juſſit. Ipſe ceteris copiis dimiſſis, Hariſtallium villam, in qua hyemaret, venit. At Franci atque Alemanni, qui contra Saxones miſſi erant, magnis itineribus ad eos ire contendunt, ſi fortè in finibus ſuis eos invenire poſſent. Sed illi jam re peractâ revertebantur ad ſua. Quorum veſtigia ſecuti, qui à Rege miſſi fuerunt, in pago Haſſiorum ſuper fluvium Adernam iter agentes repererunt, eoſque ſtatim in ipſo fluminis vado adorti tantâ ſtrage ceciderunt, ut ex ingenti multitudine ipſorum vix pauci domum fugiendo perveniſſe dicantur.* Locum ad Adernam fluvium, ubi commiſſa pugna, Liheſum vocat Annaliſta Loiſelianus. Si fides eſt Aimoinianæ Hiſtoriæ Continuatori [a], Carolus ex Aquitania Pariſios venit, ibique poſtulante Roberto Abbate confirmavit Præceptum, quod in Hariſtallienſi Palatio pro Monaſterio ſancti Germani priùs emiſerat. Sed Annaliſta præcitatus haud obſcurè negat Carolum Pariſios acceſſiſſe, ſcribit enim eum ex Aquitania Autiſſiodorum, Autiſſiodoro Hariſtallium citò profectum eſſe. Deinde Diploma, quod prædictus Continuator recitat, apud Hariſtallium à Rege non eſt datum ante annum ſequentem, ut patet ex ipſa ſubſcriptione, cujus Characteres Chronologicos examinabimus ſuo loco. Ceterùm his circiter temporibus Guichardo Robertus in munus Abbatiale ſucceſſit, idque perperam Aimoini Continuatoris Interpolator [b] rejicit in annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-primum, quo Carolus Romam ſecundò perrexit, ſuóſque filios, Pippinum in Italia, Ludovicum in Aquitania, Reges inſtituit.

CÆDUNTUR A FRANCIS.

[a] Lib. 5. c. 1.

ROBERTUS ABB. S. GERMANI.

[b] Lib. 4 c. 73.

XIII. Scriptæ ſunt ab eodem Carolo ſub hoc tempus ad Adrianum Papam literæ, quibus de venundatione mancipiorum à Romanis genti Saracenæ facta, deque libidinoſa quorumdam Sacerdotum Romanorum vita querebatur. Pontifex dato reſponſo [c] poſterius crimen negavit omnino, prius in Græcos & Longobardos rejecit. *Domno Excellentiſſimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Inſignis præconii veſtra à Deo fundata Regalis potentia ſyllabas ſuſcepimus, & Deo Omnipotenti gratias egimus, qui nos certos reddidit de ſoſpitate à Deo protecti Regni veſtri, ſimul & de ſpiritali filia noſtra Regina, dulciſſima veſtra conjuge, & prole, & pro cunctis Epiſcopis, diverſis Sacerdotibus, Senatu, & univerſo à Deo conſervato populo Francorum. Cognitor enim & ſcrutator cordium & renum Deus noſter, quia & ſincerè, ſine qualibet occaſione, in veſtra melliflua Regalis potentia permanemus charitate, & deprecamur Dei Omnipotentis clementiam cum noſtris Epiſcopis, Sacerdotibus, Clero, atque Senatu, & univerſo populo, ut vobis indeſinenter victorias tribuat, & veſtrum dilatet Regnum ad exaltationem ſpiritalis matris veſtræ, ſanctæ Dei Romanæ Eccleſiæ, & ſalutem populi nobis à Deo commiſſi, quia veſtra exaltatio noſtra eſt lætitia, & ſemper deſideramus & cupimus quæ bona ſunt atque proſpera de veſtro à Deo protecto Regno & omnium Francorum ſalutaria addiſcere, quia nos poſt Deum in alio fiduciam non habemus, niſi in veſtro fortiſſimo brachio. Et ſicut prædeceſſor noſter, Domnus Stephanus Papa, bonam habuit fiduciam in genitore veſtro ſanctæ recordationis Domno Pippino Rege, ita & nos multò amplius in veſtro fortiſſimo Regno confidimus, & certi permanemus. Reperimus etiam in ipſis veſtris mellifluis apicibus de venalitate mancipiorum, qualiter per noſtros Romanos venundati fuiſſent genti nefandæ Saracenorum. Sed nunquam, quod abſit, in tale declinavimus ſcelus, aut per noſtram voluntatem factum fuit, ſed in litttaria Langobardorum ſemper navigaverunt nec dicendi Græci, & exinde emebant ipſam familiam, & amicitiam cum ipſis Langobardis fecerunt, & per eoſdem Langobardos ipſi ſuſcipiebant mancipia. In quibus & direximus exinde Alloni Duci, ut prepararet plura navigia, & comprehenderet jam dictos Græcos, & naves eorum incendio concrema-*

[c] In Cod. Carol. ep. 65.

ADRIANI PP. AD CAROLUM R. LITERÆ.

AN. CH. 778. CAROLI R. 10.

ret. Sed noluit nostris obtemperare mandatis, quia nos nec navigia habemus, nec nautas, qui eos comprehendere potuissent. Tamen in quantum valuimus, Domino proferimus teste, quia magnum exinde habuimus certamen, cupientes hoc ipsum scelus vetare, qui & naves Græcorum gentis in portu civitatis nostræ Centumcellensium comburi fecimus, & ipsos Græcos in carcere per multa tempora detinuimus. Sed à Longobardis, ut præfati sumus, multa familia venundata fuit, dum famis inopia eos constringebat, quia alii ex eisdem Langobardis propriâ virtute in navigia Græcorum ascendebant, dum nullam habebant spem vivendi. De Sacerdotibus autem nostris, quod vobis falsò & contra Deum & animam eorum suggerere ausi sunt; mentita est iniquitas sibi, & nulla est, Domino annuente, in nostris Sacerdotibus pollutio, nec talia credere debet vestra Sublimitas. Dum verò Domino cooperante, per intercessiones sanctæ semper Virginis Mariæ Dominæ nostræ & beati Petri Apostolorum Principis, in vinculo charitatis atque dilectionis nos adnectere dignatus est, nunc verò quærunt æmuli nostri, qui semper zizania seminaverunt, aliquam, illis Deo contrario, inter partes malitiam seminare. Sed, Domino auxiliante, per intercessiones beati Petri Apostoli prævalere minimè habebunt, quia nos cum Domini virtute talem in vestro Regali Culmine habemus fiduciam. Dicit enim Psalmista. [Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam maliloquam,] qui talia nobis inaudita mala suggerunt, & crimina in nostris Sacerdotibus ponunt. Deus autem noster sua protectionis dexterâ vos conservare dignetur ad exaltationem sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

XIV. WALPURGIS ABBATISSA HEIDENHEIM. OBIT.

Ad hunc annum pervenit Walpurgis Heidenheimensis Abbatissa. Hæc enim ad Deum migravit quinto Kalendas Martias, annóque proximè elapso per mensem Septembrem Elevationi Translationique sancti Wunibaldi fratris cum altero fratre Willibaldo præsens interfuit. Bollandus [a] post longam disputationem *in summo coævorum Scriptorum silentio, aliud certi statui* negat, *quàm S. Walburgem mortuam esse post annum Christi septingentesimum septuagesimum-septimum*, quo videlicet beatus Wunibaldus è terra levatus est & in novo positus monumento. Non diffitetur sorori superstitem vixisse Willibaldum, sed quoniam hujus Episcopi mortem anno Christi septingentesimo octogesimo-primo consignat, dubius hæret, utrùm annum post sancti Wunibaldi Translationem proximum, an alium è tribus subsequentibus eligere debeat, quo sanctæ Walburgis obitum notet. Willibaldi mortem post annum Christi septingentesimum octogesimum-quintum rejiciemus, certi tamen nobis videmur de anno quo Sancta Walpurgis obiit, quia, teste Philippo Eystettensi Episcopo, post Wunibaldi fratris mortem, quæ die decimo-octavo Decembris anno Christi septingentesimo sexagesimo-primo contigit, *sexdecim annis, id est, quoad vixit*, Heidenheimensis Monasterii gubernacula tenuit. Idem Auctor de Sancta Walpurge in ejus ac Willibaldi vitis scribit, quòd *juxta S. Wunebaldum Ecclesiastica sepultura commendata sit per B. Willibaldum Præsulem fratrem suum*. In ejusdem quoque Walpurgis vita Sanctimoniales asserunt illam *officium sepulturæ per B. Willibaldum Præsulem fratrem suum accepisse*. Nomen ignoratur Abbatissæ, quæ curam Monasterii post sanctam Walpurgem suscepit.

[a] In Comm. prævio vit. S. Walpurg. d. 25. Febr.

XV. PRESBYTERI IN KARANTANIAM DIRIGUNTUR.

Anonymus, qui vitam sancti Virgilii Salisburgiensis Episcopi conscripsit, enumerationem Presbyterorum ac Clericorum, quos in Karinthiam direxit, ita terminavit. *Post eos*, id est, post eos, de quibus anno priore locuti sumus, misit *Rembaldum, Reincharium, Presbyteros, item Remboldum, Gimcharium.*

XVI. EPISCOPI PAPIENSES.

Ad Deum hoc anno migravit Theodorus Papiensis Episcopus. In Tabulis Ecclesiasticis colitur decimo-tertio Kalendas Junij. Successit Augustinus ex Archidiacono. Qui Romam statim profectus est ut à Papa consecraretur. At cùm reverteretur, hoc eodem anno, sicut sanctus Theodorus prædixerat, è vivis excessit. Lege Ughellum [b]. Super Augustini successore non levis

[b] Tom. I. Ital. Sacr.

AN. CH. 778. CAROLI R. 10. est difficultas. In vulgatis Catalogis Augustino subrogatur Hieronymus, tum Ubaldus, deinde Petrus, cui quinquennium ab anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto ad annum Christi octingentesimum in Episcopatu tribuitur. At hæc Nomenclatura stare non potest, quia Carolus anno Regni sui vicesimo-tertio, Christi septingentesimo nonagesimo-primo, Epistolas Summorum Pontificum, quæ præ nimia vetustate jam ex parte deletæ erant, denuò rescribendas curavit, & quæ numero nonagesima-quinta reperitur, ea Petri jam Ticinensis seu Papiensis Episcopi meminit. Hæc nos ratio potissimùm impellit, ut Augustino proximè sufficiamus Petrum, ejúsque Pontificatum quinquennio, ab hoc videlicet anno ad annum Christi septingentesimum octogesimum-tertium, circumscribamus. Hæc autem Chronologia cum epistola nonagesima-quinta Codicis Carolini rectè convenit. Carolus Hadriani Papæ compater factus est anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, literas anno sequenti scribere potuit Hadrianus, in quibus Petrum *Reverentissimum & Sanctissimum Ticinensis Ecclesiæ Episcopum*, Carolum *præcellentissimum ac præfulgidum filium & spiritalem compatrem* vocavit. Ad illum annum plura dicemus de hac epistola, déque Egila Episcopo, cui inscribitur.

XVII. AUTHPERTUS ABB. S. VINCENTII PROPE VULTURNUM FL. In Catalogo Abbatum, qui Monasterium sancti Vincentii prope Vulturnum rexerunt, apud illius loci Chronographum & apud Ughellum, Joanni proximè subjiciuntur, Authpertus, Hainradus, Poto, Paulus. Obiit Joannes decimo-quinto Kalendas Augusti, anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo. Teste autem supradicto Chronographo, *venerandus Abbas Authpertus expleto in sancto regimine anno uno, mensibus duobus, & diebus* XXV, *justi operis palmam suscipiens, feliciter migravit ad Christum, anno Incarnationis Dominicæ* DCCLXXVIII, *Indictione* 11, id est, Indictione secundâ jam inchoatâ. Ergo mensem Aprilem hoc tantùm anno in Abbatiali munere transegit, & ad hunc eundem annum necessariò referri debet Præceptum, quod obtinuit à Carolo datum XII *Kal. Maii*, licèt in aliis Characteribus Chronologicis multi sint nævi. *Carolus* enim *divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator Augustus* in apicibus Præcepti perperam dicitur, nam seriùs Imperator est acclamatus, & quamdiu Authpertus Abbas vixit, imò ad initium usque noni seculi, Regem se Francorum & Longobardorum ac Patricium Romanorum nuncupavit. Id constat ex literis infrà recitandis, quas Paulo Abbati Monachísque Vincentinis sic inscripsit. *Carolus Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, Viro Venerabili Paulo Abbati, seu Monachis Monasterii S. Vincentii siti in territorio Beneventano partibus Samniæ.* Item ex aliis ad petitionem ejusdem Abbatis Pauli scriptis. *Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, omnibus Episcopis*, &c. *Noverit solertia vestra, qualiter nos ad petitionem Religiosi Viri Pauli Abbatis ex Monasterio sancti Vincentii Martyris, quod est constructum in locum, qui dicitur Samnii, super fluvium Vulturnum.* Quapropter initio Præcepti Carolini, de quo nunc agimus, abrasis hisce vocibus, *Carolus divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator Augustus*, ista repone, *Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum.* Et in fine, ubi legis *signum Domini Caroli Serenissimi Imperatoris*, restitue ut in aliis Capuæ datis, de quibus infrà, *signum Caroli Gloriosissimi Regis.* Deinde Indictionem & annum Dominicæ Incarnationis abrade.

XVIII. Præmissis his observationibus, ipsum Præceptum mendis purgatum nunc accipe. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Carolus* * *gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum. Cùm petitionibus Sacerdotum & servorum Dei, quæ nostris auribus insinuaverint, adnuimus, & ea cum Dei auxilio ad effectum perducimus, non solùm Regiam consuetudinem exercemus, sed etiam tam ad præsentis vitæ prosperitatem quàm ad*

* Edit. Duchesn. *Carolus divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator Augustus.*

AN. CH. 778. CAROLI R. 10.

PRÆCEPTUM OBTINET A CAROLO R.

futura beatitudinem, non minimùm emolumenti addimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis Authpertus Orator noster, Abbas videlicet sancti Vincentii Levitæ & Martyris Christi, quod situm est in territorio Beneventano super fluvium Vulturnum, à nobis illuc destinatus, nostram exoravit Clementiam, ut Præcepta Regum vel Ducum Longobardorum, Aistulfi videlicet, Desiderii, atque Gisulfi, nostræ confirmationis Præcepto confirmaremus, adjungentes illi quidquid nobis aptum & congruum esse videretur. Cujus petitioni propter amorem Domini nostri Jesu Christi & propter animarum nostrarum remedia, juxta quod rogaverat, prædicta Præcepta, scriptiones vel offertiones concedimus & confirmamus. De ipsa Zetula quomodo ascendit per fluvium Sangrum usque od Montem-malum, & quomodo conjungit cum monte Acze usque in fluvio Melfa, & quemadmodum decurrit ipsa Melfa usque ubi conjungit cum parvo flumine, qui dicitur Mellarinus, & abhinc in verticem montis, qui est super urbem, & mons ipse appellatur Barbola, & supercilium ejusdem montis, usque in montem-Arcanum, & Montem-Marta, montémque Casale, eásque ultra montes extrinsecus circumdantes usque in ortum riagnis, qua nominatur Ravennola, & quemadmodum decurrit ipsa Ravennola, usque in fluvio Vulturno, & quomodo Vulturnus conjungit cum fluvio Vantra, & sicut Vantra conjungit cum fluvio Foruli, & quomodo Forulus percurrit usque in viam antiquam, & inde conjungit cum bivio, qui nominatur Gizzoli, & inde vadit in rivo, in quo non semper aqua decurrit, & sic vadit usque in Sangrum. Et omnia Castella infra hos fines, & villas, & silvas positas, cum Ecclesia beati Petri Apostoli posita in loco Irita, Ecclesia sanctæ Mariæ in Apianica, Ecclesia sanctæ Mariæ in duas Basilicas, Ecclesia sanctæ Mariæ in Cometo, Ecclesia sanctæ Mariæ in Pallene, Ecclesia sanctæ Mariæ in Quinque-millia, cum omnibus illorum pertinentiis. Eâ videlicet ratione, quatenus prænominatus Abbas, & sui successores, de omni re jam præfata tam in hoc Præcepto, quàm in aliis scriptionibus, habeant potestatem tenendi justè, commutandi, ordinandi, instruendi, vel quidquid justum fuerit faciendi, & nullis sit deinceps licentia infra prædictos fines aliquam contrarietatem seu molestias partibus inferre præfati Cœnobii per inclytos fines, neque per possessiones parentum, seu per aliam quamlibet rationem; excepto per verissimas Chartulas, cum quibus se accusatores regulariter defendere queant, justásque consignationes utiliter consignatas. Præcipimus præterea præfatum Monasterium, cum omnibus præfatis Monasteriis, ac Cellis, rebus quoque ac familiis ibidem aspicientibus, & cum fratribus ac Monachis ibidem Deo famulantibus, sub nostra tuitionis munburdum omni tempore permanere. Quòd si quislibet contra hanc nostram concessionem vel confirmationem insurgere, vel molestias inferre tentaverit, sciat se compositurum auri purissimi libras duo millia, medietatem sacro nostro Palatio, & medietatem eidem venerabili Monasterio. Et ut hæc nostra largitio firmiorem obtinere possit vigorem, & per curricula annorum inviolabilem ac incommutabilem obtineat firmitatem, & à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ diligentiùs conservetur, manu subterscripsimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Caroli gloriosissimi Regis. Data XII Kal. Maii, anno decimo & quarto Regnorum nostrorum. Hoc videlicet anno, qui Caroli Regis decimus in Francia, quartus in Italia per mensem Aprilem numerabatur. Editio Duchesniana sic habet. *Signum Domini Caroli Serenissimi Imperatoris. Data* XII *Kal. Maii*, XIII *Indictione, anno Dominicæ Incarnationis* DCCLXXV *. Ceterùm asteriscus adhibetur in signum depravati numeri. Nævus autem invenitur cùm in Indictione tum in anno Incarnationis Dominicæ, sed nec Indictio nec annus Incarnationis Dominicæ servari debet, in publicis enim Francorum instrumentis Indictio & annus Incarnationis Dominicæ nondum apponi consueverant. Anno Christi septingentesimo septuagesimo-octavo, quo Præceptum illud à Carolo Rege concessum est, per mensem Aprilem prima currebat Indictio.

XIX. Carolus apud Cassinogilum * in Aginnensi territorio Pascha celebra-

* *Cassaigneuil en Aginois.*

AN. CH. 778. CAROLI R. 10. vit decimo-tertio Kalendas Maii, postridie Præceptum suprà tecitatum emisit pro Monasterio Vincentino, donationésque à Regibus Longobardorum Aistulfo ac Desiderio necnon à Gisulfo Duce Beneventano factas confirmavit. Aistulfus & Desiderius postremi fuerunt Longobardorum Reges; ille ab anno Christi septingentesimo quinquagesimo ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-sextum tegnavit, deinde hic ad annum usque Christi septingentesimum septuagesimum-quartum, quo Regnum libertatémque amisit captivus in Franciam adductus. Illorum igitut Regum temporibus Abbates extiterunt Vincentini, Antonius sive Ato, Herempertus, & Joannes. In Ducum Beneventanorum Catalogis duo reperiuntur

a Lib. 6. Gisulfi, ambo commemorantur à Paulo Diacono in Gestis [a] Longobardorum, posterior, cui cognomen Minotis inditum, synchronus fuit Atoni

b Tom.6 Ital. Sacr. in Episc. Æsern. 6. sive Antonio Vincentini Monasterii Abbati quarto, de quo sic Ughellus [b], *Ato 4 Abbas, iste construxit in eodem Monasterio Ecclesiam S. Petri Apostoli, & Præceptum accepit à Gisulpho Duce Minore de Ecclesia S. Mariæ in loco Saro*, at legendum potiùs videtur *in loco-sano*, quia Carolus in alio Præcepto, quod suo loco describemus, inter Ecclesias Monasterio Vincentino attributas nominat *Ecclesiam S. Mariæ in loco-sano cum omnibus suis pertinentiis*.

XX. OBIT ITINERE ROMAM SUSCEPTO, Authpertus Abbas impetrato Caroli Regis Præcepto statim reversus est in Italiam, obiítque cùm Romam è suo Monastetio proficisceretur hoc eodem anno, Indictione secundâ jam inchoatâ. Patria Gallus erat, ideóque quamvis Abbatiale munus, quo proptet insignes virtutes dignissimus erat, *invitus ac renuens* suscepisset, à Monachis genere Longobardis minùs diligebatur. Inde natum videtur schisma, quod ex literis Adriani Papæ mox citandis deprehenditur. Utrùm Abbate Authperto è Monasterii septis nondum digresso, an eo jam in Franciam contendente ortum sit, non liquet. In dubium non vocamus, qnin pletique Monachorum Longobardorum ægerrimè tulerint, quòd Authpertus natione Gallus Joanni Abbati suffectus esset. In dubium quoque non vocamus, quin Carolus, antequàm Ptæceptum ad Authperti petitionem concederet, natam in Monasterio Vincentino contentionem tescierit. Hoc Adrianus in suis ad Carolum literis innuit haud obscurè, quoniam pet eas testatur Possessorem Archiepiscopum ab eodem Rege Romam directum esse, quando dissensiones inter Monachos prædicti Cœnobii necnon inter Abbates ejusdem loci, Authpertum & Pothonem, vertebantur, additque mortem Authperti paulò pòst subsecutam, eùm Romam proficiscebatur, ut ibi causam diceret. *Domno Excellentissimo filio nostróque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Præcelsas ac à Deo inspiratas per Reverentissimum & Sanctissimum Possessorem Archiepiscopum, fidelissimum Missum vestrum, sagacissimas syllabas suscipientes, valdè in his noster relevatus est animus, Regales triumphos in eis atque sospitates reperientes, & pro hoc magnas Omnipotenti Deo tulimus grates, in aula fautoris vestri beati Petri Apostoli divinam exorantes clementiam. Referebatur quippe in ipsis vestris regalibus apicibus, quia causa vestra nostra sit, & nostra vestra. In hoc verò freti existimus, quia divinâ inspiratione veritas hac procul dubio à vobis exarata prorsus omnibus manifesta ac certa splendescit. Et quoad nostrum judicium canonicè simúlque regulariter contentiones inter Monachos venerabilis Monasterii sancti Vincentii, & Abbates ejusdem Monasterii, scilicet Autbertum & Pothonem, discuti atque examinari vestra direxit præcelsa Regalis Excellentia. Ipse quippe*

c Cod. Carol. ep. 72. *præfatus Autbertus Abbas, dum callem itineris peragraret, repentinâ morte occupatus, minimè nostris Apostolicis valuit se manifestare præsentiis.* Hæc Adrianus [c].

XXI. d Lib. 1. SCRIPTIS CLARUS. Authpertus sive Autbertus Abbas, ut Chronographus Vincentinus [d] affirmat, *plurimos Sanctarum Scripturarum libros exposuit. Nam Leviticum Moysi, Cantica Salomonis, Psalterii flores, mellifluâ suavitate, qua in his divina maneant arcana sacramentorum, quave uniuscujusque fidelis disciplina morum, sive*

Christ

*Christi observatio mandatorum, suorum edisserens patefacit documento verborum. Librum quoque de conflictu vitiorum, sed & Homilias aliquas Evangeliorum pulchrâ suorum edidit declaratione sermonum. Vitam etiam beatorum Patrum, Paldonis, Tatonis * Tasonis, cum Historia sui Monasterii, plenâ relatione describens, cunctis in exemplum Monachis ita proponit, ut divinæ munere Trinitatis, tam præcipuæ charitatis, quàm unica pro Christo paupertatis, tres illos fratres speculum ostendat esse normamque vivendi. Testatur hoc etiam venerandus Paulus Diaconus in Historia, quam de Longobardorum adventu tunc temporis in Italiam descripsit, ubi eundem virum eruditissimum Authpertum & ejusdem Monasterii Abbatem fuisse contendit.* Alludit hic Auctor ad librum VI. de Gestis Longobardorum, cap. XIII. veteris editionis. *Monasterium verò sancti Vincentii Martyris, quod juxta Vulturni fluminis fontem situm est, & etiam nunc magnâ congregatione refulget, à tribus nobilibus fratribus Rhasone, Catone & Tato jam tunc ædificatum erat, sicut viri eruditissimi Auberti ejusdem Monasterii Abbatis in volumine, quod de hac re composuit, scriptura significat.* Et capite quadragesimo novæ editionis, sic. *Monasterium verò beati Vincentii Martyris, quod juxta Vulturni fluminis fontem situm est, & nunc magnâ congregatione refulget, à tribus nobilibus fratribus, hoc est, Tato, Taso & Paldo, jam tunc ædificatum, sicut viri eruditissimi Autberti ejusdem Monasterii Abbatis, in volumine, quod de hac re composuit, scripta significant.* Illud Authperti opus Catalogo Vincentinorum Abbarum præposuit Ughellus in Episcopis Æsernienfibus [a], ciravimúsque ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quartum [b], quo Monasticen amplexus est Authpertus. Portò conditores Monasterii Vincentini, Paldo, Taso & Tato, quorum nomina, cùm apud Paulum Diaconum in variis editionibus, tum apud Chronographum Vincentinum in editione Duchesniana, malè scribuntur, fratres appellari non possunt, nisi fratres eos intelligas patrueles, ipsemet enim Authpertus de illorum genere sic loquitur. *Tres ex nobili genere orti, jure consanguinitatis propinqui, Paldo, Taso & Tato, fuerunt viri Beneventani; ex quibus superior Paldo ex uno, Taso verò & Tato ex altero fratre sunt procreati.*

* Edit Duchesn. Iatonis & Iasonis.

[a] Episc. 6.

[b] Num. 75.

XXII. ET VITÆ SANCTITATE.

Authpertum Chronographus Vincentinus sanctissimum Abbatem vocat. *Qua verò*, inquit, *de sanctissimo Abbate Authperto sequuntur, operæpretium putavi aliquantulum prolixiùs enarrare. Equidem non ambigo me meritis ipsius posse juvari apud Deum.* Illum sanctis Abbatibus sic etiam annumerat Ughellus. *S. Aupertus Gallus 7. Abbas.* Erat Authpertus, eùm Monachum induit, impeditioris linguæ, solutioris verò post insigne miraculum, quod in Chronico Vincentino sic habetur. *Cùm quadam die idem felicissimus Pater Authpertus in Ecclesia beatæ Dei Genitricis Mariæ prolixè Domino preces funderet, & eandem Dei genitricem sedulo interpellaret oratu, ut sibi linguæ disertitudo largiretur, fuerat quippe aliquantulum impeditioris linguæ, tunc subitò soporatus ante sacrum altare, adesse sibi conspicit in visione beatissimam & gloriosam Mundi Dominam, perpetuam Virginem Mariam, lætâ facie, & ultra Solis splendorem rutilantem, quæ, quasi annuens deprecanti, tetigit labia ejus, eùmque de pavimento surgere jubens, deinceps suæ laudis vota persolvere, & praconia extollere, ut ipse jam deliberaverat, monet, séque illi semper præsentem adesse promisit. Lætus ergo de visione surgens, qua fuerat jussus, ore facundo cœpit persolvere laudes, & carmina digna reddebat alacri corde.* In Monasterio Vincentino, præter Ecclesiam Beatæ Virginis, commendabatur & Ecclesia beati Petri, in qua sepultus est Authpertus, ut illius loci Chronographus docet.

XXIII.

Authperto Abbate ex hac vita sublato, pax Monasterio non est reddita, Pothonem enim Abbatem ferre non poterant, qui steterant à partibus Authperti. Querelas adversùs Pothonem à Monachis prolatas cum responsionibus ipsius Pothônis Adrianus Papa sic prosequitur in literis [c], quarum priorem partem suprà descripsimus. *Convenientes plures ex primatibus Mo-*

[c] Cod. Carol. ep. 72.

AN. CH. 778. CAROLI R. 10.

QUERELÆ CONTRA POTHONEM EXAMINANTUR.

nachis cum præfato Pothone Abbate ipsorum, adstiterunt omnes pariter in conspectu Apostolici decreti nostri. Qui residentes unà cum Reverentissimo & Sanctissimo Possessore Archiepiscopo, seu Ansoaldo Abbate venerabilis Monasterii sancti Petri, pariter Aquilino Abbate ...., atque Raginbaldo Abbate venerabilis Monasterii Sanctæ Dei Genitricis, simúlque Gisulfo Abbate venerabilis Monasterii sancti Petri, Hiltibrando Duce, Taciperto & Prandulo, simúlque nostris adstantibus servitiis, Theophylacto Bibliothecario, Stephano Sacellario, Campulo Notario, Theodoro Duce, & ceteris pluribus. Et dum ingressus fuisset Rodigansus ejusdem Monasterii Monachus, referebat adversùs eundem Pothonem Abbatem testimonium, dicens. Domine, dum cursum hora sexta explessemus, & secundùm consuetudinem pro Regis incolumitate ejúsque prole Propheticum decantaremus Psalmum, videlicet [Deus, in nomine tuo salvum me fac,] subitò surrexit Abba, & psallere noluit. Item referebat, quia pariter peragrantes, cœpit mihi Abba dicere. Quid tibi videtur de hac causa, quia exinde expectavi signum videre, & minimè vidi? Tunc ergo respondi. Deus Omnipotens humiliet cor ipsius, & faciat nos incolumes reverti, quia non sunt talia nostra merita, ut taliter agnoscere mereamur. Et dixit mihi Abba iterum, quia si non mihi fuisset pro Monasterio & terra Beneventana, talem eum habuissem, sicut unum canem. Et iterum adversùs eum addidit, quia tanti ex Francis remansissent, quantos ego in humero vectare valeo. Et dum à nobis sciscitatus fuisset præfatus Potho Abba, si ita esset, cum nimia satisfactione respondit, dicens. Quia semper Congregatio nostra pro ejus Excellentia, simúlque pro ipsius prole, procul dubio in Monasterio psallit. Sed dum in opera essem cum ipso, & ceteri infantes, expletà oratione, prostrati in terra initiantes psallerent [Deus, in nomine tuo salvum me fac] subitò surrexi pro opera, quæ ad utilitatem ipsius Monasterii fiebat. De itineris verò collocutione nullomodo ad injuriam ejus Regalis Excellentiæ quicquam locutus sum, nisi fatus sum. Quòd si pro Monasterii desertione seu terra illa mihi non fuisset, omnino in talem pergere habuissem locum, ubi neminem curassem. Porrò de Francis quod fatus est; nullo modo talia protuli, aut ex meo exivit ore. Sed cùm talia ex omni parte mihi opponit, ... & à nobis interrogatus fuisset prænominatus Rodigausus, si hæc alii cum eo audissent, tunc adfirmavit quia solus esset, & nullus secum alius audisset. Tunc plures ex ipsis priores Monachi asserebant testimonia pro ipso Rodigauso, dicentes. Quia in stupro captus cum propria nepte sua, ex Presbytero Monachus effectus est, & tale crimen adversùs Abbatem nostrum imponere minimè valebit, quia à sacris Canonibus respuitur. Et introducti sunt alii tres Monachi, qui cum Hiltibrando Duce venerunt, & cum Antberto Abbate morati erant, adserentes adversùs Pothonem Abbatem, quia nos cupientes ad Excellentissimum Regem peragrare, à custodia comprehensi sumus, & in carcerem missi. Ad hæc respondit antedictus Abba. Veritas est, quia custodes habui in ponte, non ut eos, qui ad Regem irent, devetarent, sed eos, qui suam Regulam relinquunt, & ad suum vomitum in seculo, peccato imminente, revertunt, eos comprehendere jussi; & tunc, quando dicunt, ibidem minimè fui, sed ad magnum Regem iter carpebam. Tunc nos liquidiùs pertractantes, & sacrorum Canonum instituta inquirentes, reperimus in Concilio Chalcedonensi, cap. 18. confirmante ita. [Conjurationis & conspirationis crimen & ab exteris est legibus prohibitum, multò magis hoc in Dei Ecclesia ne fiat, admonere convenit, &c. Si qui ergo Clerici vel Monachi reperti fuerint conjurantes aut conspirantes, aut insidias ponentes Episcopis aut Clericis, gradu proprio penitus abjiciantur.] Item cap. 21. [Clericos aut laicos accusantes Episcopum aut Clericos passim & sine probatione, accusationem recipi non debere, nisi priùs eorum discutiatur existimationis opinio] Simul & in Africano Concilio cap. 8. fertur. [Præterea sunt quamplurimi non bonæ conversationis, qui existimant majores natu, vel Episcopos, passim vagéque in accusatione pulsandos, debent tam facilè admitti necne? Aurelius Episcopus dixit. Placet igitur charitati vestræ, ut is, qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem adversùs majorem natu non habeat accusandi? Ab universis

Episcopis dictum est. Si criminosus est, non admittatur, places.] *Et hac omnia considerantes, & quoniam habet has proprias hostis insidias, ut quos in pravorum actuum perpetratione, Deo sibi resistente, decipere non valet, opiniones eorum falsas ad prasens simulando dilacerat. Et quia utrùm vera essent an non, districtâ diutius per triduum fecissemus inquisitione perquiri, & nullam in ea de his, qua dicta fuerant, culpam invenissemus. Sed ne quid nobis videretur omissum, aut vestro potuisset cordi dubium remanere, prafatum Abbatem Pothonem sacramentum proferre decrevimus, quia nulla talia pro infidelitate Regalis vestra Potentia dixisset, sed nec aliquando eidem Magno Regi infidelis fuit, vel erit cunctis diebus vita sua. Simul & alii decem primates Monachi ipsius venerabilis Monasterii, quinque ex genere Francorum & quinque ex genere Langobardorum, statuimus ut praberent sacramentum, quia numquam audierunt ex ore Abbatis quamlibet infidelitatem adversùs vestram Regalem Excellentiam. Ipsi verò petierunt se omnes pariter ad vestram Regalem venire prasentiam. Nos quippe illorum exquirentes fidem, erga vestram Regalem venire Potentiam fecimus properare.* AN. CH. 778. CAROLI. R. 10.

Ad Carolum Regem, ut ex hac posteriore Pontificiarum literarum parte constat, non Authpertus modò, de quo suprà, sed etiam Potho properavit. Accusatus enim, quòd Monachos ad Regem properantes à custodibus comprehendi jussisset, hujus reatûs suspicionem omnem à se removet asserens à Monasterio se procul abfuisse, itinere tunc ad Regem suscepto. *Ibidem*, inquit, *minimè fui, sed ad Magnum Regem iter carpebam.* Authpertus causâ superior apud Regem fuit, à quo Præceptum obtinuit, & ad suum Monasterium cum laude remissus est, sic enim Carolus in eodem Præcepto loquitur. *Vir venerabilis Authpertus Orator noster, Abbas videlicet sancti Vincentii Levita & Martyris, quod situm est in territorio Beneventano super fluvium Vulturnum, à nobis illuc destinatus, nostram exoravit Clementiam, ut*, &c. Ab Authperti partibus stabat Hiltibrandus Dux, quocum Romam, ut Adrianus in præcitatis literis affirmat, tres venerunt Monachi, priùs cum eodem Authperto commorati. Dux hic Hiltibrandus non alius erat ab Hildibrando Duce Spoletano, qui, licèt Ducatus Spoletanus ante quadriennium Ecclesiæ Romanæ concessus penè totus esset à Carolo, Dux tamen Spoletanus mansit, &c, ut per antecessum ad primam illam Caroli Donationem jam monuimus, in amicitia cùm Caroli Regis tum Adriani Papæ fuit. Ceterùm, ne scrupulum tibi moveat, quòd ex variis Auctoribus, ut eorum textus tulerunt, Monasterium Vincentinum in Diœcesi Venafrana, in partibus Samnii, & in territorio Beneventano situm diximus, observa Beneventum, Æserniam & Venafrum, ut ad Samnium priscis temporibus, sic ad Ducatum Beneventanum ætate Caroli Magni pertinuisse. Dux autem Beneventanus tunc erat Arichis Desiderii Longobardorum quondam Regis gener, de quo consule Erchempertum in Auctario [a] ad Historiam Pauli Diaconi de gestis Longobardorum. XXIV. [a] Nu 2.3.

In Chronico Vincentino, post Authpertum proximè subjicitur *Hainrad* Abbas, tum *Pote* seu Potho. Inde colligimus ut Authpertum inter ac Pothonem, sic & eundem Pothonem inter ac Hainradum schisma perdurasse, donec, Hainrado mortuo, utraque pars uni tandem Pothoni adhæsit. Opinioni nostræ non levem auctoritatem putamus ex eo conciliatum iri, quòd *Hainrad* obiisse dicitur IV *Nonas Novembris, anno ab Incarnatione Domini* DCCLXXX, *Pote* X *Kal. Maii, anno ab Incarnatione Domini* DCCLXXXIII, *Indict.* VI. Vix enim quis sibi persuadeat Pothonem, qui se gessit Abbatem adversùs Authpertum, & post ejus obitum illatas sibi calumnias coram Papa refutavit, exauctoratum sub Hainradi disciplina vixisse, eóque post aliquot annos è vivis sublato Abbatem denuò factum esse non ab una Monachorum parte ut anteà, sed ab universo cœtu. XXV. HAINRADUS FIT ABB. XXVI.

In Antiquitatibus San-Dionysianis [b], hoc anno, mense Octobri, cùm annus Caroli Regis in Francia undecimus, in Italia quintus numerabatur, [b] Lib. 3. c. 6. CHARTA PRO MON. S. DIONYS. 611.

AN. CH. 778. CAROLI R. 10.

idem Carolus varias antecessorum Regum Chartas confirmasse dicitur, quas emiserant Dagobertus Primus Parisius quarto Kalendas Augustas, anno Regni sui decimo; Childericus Secundus Compendii pridie Kalendas Maias anno Regni in Neustrasia primo; Pippinus in Monasterio sancti Dionysii, nono Kalendas Octobres, anno Regni sui decimo-septimo; Carolomannus apud Salmunciacum mense Januario, anno Regni primo. De singulis quid sentiremus, diximus suprà. Quasdam laudavimus, alias rejecimus. Carolinæ subscriptio talis exhibetur. *Data in mense Octobri anno undecimo, & quinto, Regni nostri. Actum Godingavillâ in Dei nomine feliciter. Amen.*

XXVII.

MON. ULTRAJECTINUM AB ALBRICO EP. ET TRIBUS PRESBYTERIS, PER VICES REGITUR.

Ludgerus, quem exeunte anno priore missum in Ostergoam diximus, autumnum in Ultrajectino Monasterio transegit. Albricus enim Episcopus, qui & Abbas Cœnobii, *divisit annum in distributiones quatuor, itaut in Trajecto Monasterio præ ceteris Præpositis ipse in tempore vernali in doctrina studio & sancta conversationis præesset fratribus menses tres. Deinde post eum in æstate Adalger Presbyter menses tres, post hunc Liudgerus Presbyter menses tres, deinde in hyeme Thiadbraht Presbyter menses tres.* Ludgerus igitur *annis ferè septem* in Ostergoa sic commoratus est, ut singulis annis per autumnum in Ultrajectino Cœnobio degerit. *In ordine vicis suæ nocturnis temporibus post Psalmodiam, & orationes speciales, quas semper amaverat, in solario Ecclesiæ sancti Salvatoris, quam sanctus Willibrordus construxerat, membra quieti dare solebat; ubi ei nocte quadam venerabilis Abbas Gregorius per visionem apparuit, dicens. Frater Liudgere, sequere me. Quem dum sequeretur, ascendit ipse in locum eminentiorem, jactavitque coram eo particulatim quasi membrana & vestimentorum partes, & dixit. Collige ex eis acervos. Cúmque congregasset ex eis tres cumulos, dixit ei. Distribue ista benè in opere Domini, & ego tibi satis dabo. Et signavit eum signaculo Crucis, & abscessit. Cúmque mane facto somnium retulisset Præposito Monasterii Haldoni, & Ecclesiæ Custodi sanctitate prædito Marchelmo, cujus superiùs memoriam feci, confestim ad hæc Marchelmus ea, quæ posteà rei probavit eventus, exorsus est, dicens. Tres cumuli, quos congregasti, trium sunt gubernacula plebium, quibus adhuc Pastorali te oportet præesse regimine. At ille dixit. Utinam in loco mihi credito aliquem Domino fructum perficiam!* Hæc Altfridus in ejus vita. Quonam anno hæc obtigerit visio, determinatè non liquet. Certè oblata est Ultrajecti, nec audiendus pseudo-Ludgerus in commentitiis ad Rixfridum Trajectensem Episcopum literis, ubi de Marchelmo sic loquitur. *In vico Dockem publicè coram Haddone, Thrauburgo, Henrico, Gerardo, Onone, & Adalgero, aliísque fratribus, prædixit & pronunciavit Episcopatûs honore me sublimandum, & populis rudibus verba vitæ ministraturum. Quæ omnia sortita sunt effectum, & impræsentiarum cernis.*

MARCHELMUS LUDGERO PRESBYTERO MULTA PRÆDICIT.

XXVIII.

ARCHAUGIA MON. DEDICATUR.

Hoc anno, Caroli Regis decimo, Remedius Strasburgensis Episcopus Romà reversus Monasterium puellarum à se constructum dedicavit. Qua de re Guillimannus in ejus encomio sic scribit. *Profectus Romam Remedius, ab Adriano Pontifice honestissimè acceptus, multísque Beatorum Reliquiis donatus, Aschaw Monasterium Sanctimonialium, in eorum honorem & venerationem in fundo hæreditario construxit & dedicavit anno Domini nostri* DCCLXXVIII. *Caroli Magni Francorum Regis* X. *in eóque plerosque disposuit, præsertim corpora, sancta Sophia, & ejus trium filiarum, Fidei, Spei, & Charitatis, quæ integra ab eodem Pontifice acceperat. Eidem Monasterio Attalam & Radunam consanguineas suas præposuit, illam etiam Antistitæ honore adfecit, quæ & ipsa quæcumque possidebant, eodem contulere.* Hieronymus Vignerius nostræ Congregationis Presbyter in probationibus ad veram Originem Domûs Alsaticæ, textum eundem allegat, & *consanguineas* interpretatur neptes seu fratris filias, nam Remedio frater fuit Bodalus Comes, cujus filiæ Attala & Raduna. Guillimanno Wimphelingius [a] in laudando Remedio facem sic prætulit. *Hic Ecclesiam Argentinensem Caroli Magni temporibus rexit. Erexítque*

[a] Num. 25.

AN. CH. 778. CAROLI R. 10.

& fundavit Cœnobium in Aschouue magnificum atque laudabile, magnis & sufficientibus emolumentis illud donans atque locupletans, ad eundem locum sacras Reliquias, Sophiæ, Fidei, Spei & Charitatis traduxit. Instituitque ibidem pudicas virgines, quæ secundùm sancti Benedicti Regulam Christo militarent, eique gratias agerent. Sperabat Episcopus ille optimus, tam sacram & pudicam virginum conversationem, Christo Jesu & matri suæ acceptissimam, successorum suorum circumspectione, & pari ad Deum affectu, nunquam illi defuturam. Hunc Remigium ex Alsatia natum fortis est conjectura. Nam in ejus Testamento, manu suâ scripto, in quo peccatorem se nominat, legitur ipsum possessiones, quas in pago Alsatiensi, in Insula, quæ Aschaugia, super fluvium Illam seu Alsam, vocata est, habebat, eidem Insulæ contulisse, ad honorem Sanctæ Mariæ, quam crebrò dulcissimam Dominam suam appellat, in animæ suæ remedium sempiternum. Ad quam etiam Insulam seu Cœnobium Raduna Religiosa Dei & Addala Abbatissa portiones suas in sanctæ Sophiæ tradiderunt. Namque Remigius ipse Argentinensis, non Remensis Episcopus, sanctæ Sophiæ corpus ab Adriano Papa sibi dono datum, & humeris propriis ab urbe Roma in hanc regionem allatum cum magno decore transtulit, ipsámque Ecclesiam in Aschauve à se funditus extructam in S. Trophimi honorem dedicavit, Sanctæque Mariæ commendavit. Testamento huic, decimo Caroli Regis anno, Idibus Martii, à se in urbe Argentina condito, quatuor sese Episcopi & multi alii testes subscripserunt, signáque sua apposuerunt.

XXIX. EPISCOPI STRASBURG.

Indices Episcoporum Argentinensium sive Argentoratensium seu Strasburgensium ætate Pippini & Caroli sunt multùm depravati. Pauca breviter in memoriam revocabimus, ne Chronologia vacillet, aut series Antistitum perturbetur. Heddo sive Etto factus est Episcopus anno Christi septingentesimo tricesimo-quarto, senior factus Remedium seu Remigium Chorepiscopum curavit ordinandum ante annum Christi septingentesimum sexagesimum-secundum, superstes in vivis erat anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto, eique paulò pòst mortuo successit in Episcopatum Remedius anteà Chorepiscopus. Ad hos calculos Nomenclatores emenda, qui vel Heddoni Aulidulphum, Aulidulfo Remedium subrogant, vel Heddonis Pontificatum spatio annorum octo circumscribunt, aut eum mortuum volunt anno octavi seculi vel septuagesimo-tertio, vel septuagesimo-nono, vel octogesimo.

XXX. ABBATES DISERTIN.

In sacra & prophana Rhætiæ Chronologia Gabriel Bucelinus obitum Azonis Disertinensis Abbatis & subrogationem Præstantis ad hunc annum sic refert. *A. C. 778. Post Azonem, qui Adelberoni successerat, Præstans apud Disertinenses Abbatis fungitur munere, sub quo Disertina de novo efflorescit, singulari Tellonis* Episcopi Curiensis *ejúsque fratrum munificentiâ, & ad supremum fastigium nova fabrica educitur.* Iidem, *cùm carerent hæredibus, in Cathedrale Templum, pro salute & remedio animæ suæ, & in gratiam Tellonis fratris sui* munificos se præbuerunt.

XXXI. S. EMMERAMMI.

Obiit & hoc anno Babo sancti Emmerammi apud Reginoburgum Abbas, Monasterio præfuit annos viginti-quinque, menses decem, dies sex ac viginti. Successit Sigismundus. Lege Hundium [a].

[a] Tom. 2. Metrop. Salisburg. in Abb. S. Haimerani.

AN CH. 779. CAROLI R. 11.

ANNUS CHRISTI 779. CAROLI R. 11. 8. 6.

I. CAPITULARE HARISTALLIENSE.

ANNALISTA Laureshamensis res à Carolo gestas anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono sic orditur. *Rex de Haristallio ubi hyemaverat, & ubi Natalem Domini ac sanctum Pascha celebraverat, primâ veris*

AN. CH. *temperie movens Compendium venit.* Publicatum est à Joanne Busæo & à
779. Jacobo Sirmondo Capitulare, quod hoc anno, Caroli Regis undecimo,
CAROLI mense Martio factum docet hæc Præfatio. *Anno feliciter undecimo Regni*
R. 11. *Domni nostri Karoli Gloriosissimi Regis in mense Martio Capitulare factum, qualiter congregatis in unum Synodali Concilio Episcopis, Abbatibus, virisque illustribus Comitibus, unà cum piissimo Domino nostro, secundùm Dei voluntatem, pro causis opportunis consenserunt,* &c. Ceterùm, quia Carolus hybernos menses egit apud Haristallium, ibique Natalem Domini ac Pascha celebravit, in eodem quoque loco conditum Capitulare non immeritò pronuntiabis vocabisque Haristalliense, ut Sirmondus [a] haud inani conjecturâ fieri posse jam notavit. Sunt autem in illo Capitulari sanctiones quatuor ac viginti, quas eo quo leguntur ordine describemus, &, ut postulabit occasio, brevibus notis illustrabimus.

[a] Tom. 2. Concil. Gall.

II. *I. De Metropolitanis, ut suffraganei Episcopi eis secundùm Canones subjecti sint, & ea, quæ erga ministerium illorum emendanda cognoscunt, libenti animo emendent atque corrigant.*

III. *II. De Episcopis, ut ubi in præsens ordinati non sunt, sine tarditate ordinentur.*

IV. *III. De Monasteriis, quæ regularia fuerunt, ut secundùm Regulam vivant, necnon & Monasteria puellarum ordinem sanctum custodiant, & unaquaque Abbatissa sine intermissione in suo Monasterio resideat, & duo Monasteria non habeat.*

V. *IV. Ut Episcopi de Presbyteris & Clericis infra illorum porrochiam potestatem habeant secundùm Canones.*

VI. *V. Ut Episcopi de incestuosis hominibus licentiam habeant emendandi, &, si aliquis eos defendat, ut non adpræsententur, cum sua Lege emendet: seu & de viduis infra suam parrochiam potestatem habeant ad corrigendum.* Omnes Francici Regni provinciæ non eâdem utebantur Lege, quapropter hìc statuitur, ut qui defendit incestuosos homines, is *cum sua Lege emendet.*

VII. *VI. Ut nemini liceat alterius Clericum recipere, nec ordinare in aliquo gradu, sine commeatu* seu permissu *Episcopi.*

VIII. *VII. De decimis, ut unusquisque suam decimam donet, atque per jussionem Episcopi dispensentur.*

IX. *VIII. Ut homicidæ, & ceteri rei, qui Legibus mori debent, si ad Ecclesiam confugerint, non excusentur, neque eis ibidem victus detur.*

X. *IX. Ut latrones de infra emunitatem illi Judices ad Comitum placita præsentent; &, qui hoc non fecerit, beneficium & honorem perdat; similiter & vassi nostri, si hoc non adimpleverint, beneficium & honorem perdant; & qui beneficium non habuerit, bannum solvat.* Beneficium idem est cum feudo, sæpéque cum honore confunditur, non desunt tamen, qui beneficium & honorem distinguant apud Spelmanum [b], & cùm quis honorem suum & beneficium perdere dicitur, honorem intelligant de jurisdictione, beneficium de ipsis prædiis. Vassi, quos Carolus suos appellat, Vassi sunt Regii, qui feudum à Rege tenent immediatè, hi sicut & alii beneficiarii, si prædictam sanctionem violaverint, beneficium & honorem perdent. At si reus beneficium non habuerit, bannum solvet, id est, mulctam pecuniariam, bannum enim seu bannus, ut alibi dicemus, in variis ponitur significationibus, sæpéque pro mulcta pecuniaria usurpatur.

[b] In voc. honor.

XI. *X. De eo qui perjurium fecerit, ut nullam redemptionem det, sed manum perdat. Quòd si accusator contendere voluerit de ipso perjurio, stent ad crucem; &, si jurator vicerit, Legem suam accusator emendet. Hoc verò de minoribus causis observandum. De majoribus verò rebus, aut de statu ingenuitatis, secundùm Legem custodiant.* Hæ voces, *stent ad crucem*, antiquum innuunt morem, cujus mentionem nondum fecimus. Criminis explorandi purgandique multa olim genera. Inter probationes vulgares sive non canonicas, quæ sæpiùs prohi-

bitæ tandémque abolitæ sunt, annumeratum duplex crucis judicium, in quorum uno litigantes ad crucem stabant, in altero contendebant cruce. Primi generis judicium refert Ughellus [a] in Episcopis Veronensibus ex vetere Charta, quæ scripta fuit *anno Dominicæ Incarnat.* DCCCXXXVII. *Indictione* XV. Lis inter cives & Episcopum de reficiendis urbis mœnibus vertebatur, Episcopus quartam duntaxat partem volebat reparare, cives tertiam ab eo partem instaurandam contendebant, cúmque hi probare, quæ dicebant, haud possent, ambæ tandem partes habito consilio pactæ sunt, *ut hæc Dei & Sancti Spiritûs reservarentur judicio. Eligentes duos juvenes Clericos, sine ullo crimine existimatos, statuerunt in Ecclesia S. Joannis Baptistæ ad domum, & ad crucem stare fecerunt, quorum unus Aregaus ex parte publica, alter verò ex parte S. Zenonis* sive Episcopii *Pacificus. Hi ambo ab introitu Missæ usque ad mediam Passionem tantùm, quæ est secundùm Matthæum, pariter starent. Ille, qui de parte publica datus fuerat, in terram velut exanimis corruit; Pacificus vero usque ad finem Passionis stetit.* Secundi generis judicium, quod frequentiùs usurpabatur, Lex Frisiorum [b] sic repræsentat. *Duo tali de virga præcisi, quos tenos vocant, quorum unus signo crucis dinoscatur, alius purus dimittitur; & lanâ mundâ obvoluti super altare seu Reliquias mittantur, & Presbyter, si adfuerit, vel, si Presbyter deest, puer qualibet innocens unum de ipsis sortibus de altari tollere debet, & interim Deus exorandus, si illi septem, qui de homicidio commisso juraverunt, verum jurassent, evidenti signo ostendat. Si illum, qui cruce signatus est, sustulerit, innocentes erunt, qui juraverunt.* Utriusque judicii diversas formulas non satis distinguit Spelmannus in suo Glossario. Porrò, cùm sanctio, de qua nunc agimus, in minoribus tantùm causis ad crucem stare permittat, inde non malè concludes illis etiam temporibus tale judicium minùs æquum minúsque certum visum fuisse.

[a] Tom. 5. Ital. Sacr.

[b] Tit. 14.

XII. *XI. De latronibus, qui in custodiam missi sunt, ut nullus Judex publicus pretium pendat; &, si hoc fecerit, honorem suum perdat: &, qui Ecclesiam infregerit, moriatur.* Ut in hac sanctione, sic & in sequenti, mentio fit honoris, beneficii nequaquam. Atque inde confirmatur distinctio, quam inter beneficium & honorem ab eruditis viris poni diximus, cùm quis honorem perdere possit servato beneficio seu feudo.

XIII. *XII. De vindicta & judicio justo in latrones facto, testimonio Episcoporum absque peccato Comites esse dicuntur, ita tamen, ut absque invidia aut occasione mala, nihil aliud ibi interponatur, nisi vera justitia ad perficiendum. Ille verò, qui per odium, aut per malum ingenium, nisi pro justitia facienda, hominem disfecerit, honorem suum perdat, & legibus contra quem injustè fecerit, secundùm pœnam quam intulit, emendet,* id est, emendam sive emendationem parti læsæ solvat, emendam enim à mulcta non malè distinguunt, qui mulctam Judici, emendam læsæ parti volunt competere.

XIV. *XIII. Capitula verò, quæ bonæ memoriæ genitor noster*, id est, Pippinus, *in suis Placitis constituit & in Synodis, conservare volumus.*

XV. *XIV. De rebus Ecclesiarum, unde nunc census exeunt, decima & nona cum ipso censu sit soluta, & unde anteà non exierunt, similiter decima & nona cum ipso censu sit soluta. Atque de casatis L solidus unus, & de casatis XXX dimidius solidus, & de XX tremissis unus. Et precaria, ubi modò sunt, renoventur, &, ubi non sunt, scribantur. Et sit discretio inter precarias de verbo nostro factas, & inter eas, quas spontaneâ voluntate de ipsis rebus Ecclesiarum faciunt.* Ut hanc sanctionem intelligas, lege quæ de casatis, de precariis & precario censu dicta sunt ad secundum Canonem Synodi Liptinensis anno Christi septingentesimo quadragesimo-quarto celebratæ; lege & quæ de nona & decima scripta sunt ad annum Christi septingentesimum sexagesimum sextum.

XVI. *XV. De trustis facienda nemo præsumat.* Hæc sanctio quò brevior, eò mihi videtur obscurior. Reperitur in Lege Longobardica [c] cum Caroli Regis

[c] Lib. 3. Tit. 4. art. 2.

AN. CH. additamento. *De truste facienda, ut nemo præsumat ad nos*, inquit Carolus, *venienti mansionem vetare, & quæ necessaria sunt, sicut vicino suo, ei vendat.*
779. Glossa vetus in Lege Longobardica trustem faciendam interpretatur *caballicatam* teste Lindenbrogio, caballicata verò nomen à caballo sortitur & CAROLI R. 11. equitatum apud Spelmannum significat. Alii trustem fidem ac fidelitatem interpretantur, & antrustionem eundem ac fidelem esse volunt, allegantque hanc Marculfi formulam [a] de Regis anstrustione. *Rectum est, ut qui nobis fidem pollicentur inlæsam, nostro tueantur auxilio. Et quia ille fidelis, Deo propitio, noster, veniens ibi, in Palatio nostro, unà cum arimania sua*, id est, unà cum familia sua, *in manu nostra trustem & fidelitatem nobis visus est conjurasse. Propterea per præsens Præceptum decernimus ac jubemus, ut deinceps memoratus ille in numero antrustionum computetur.* Sirmondus in Indice, qui complectitur ea, quæ Tomo secundo Conciliorum Gallicanorum continentur, ad vocem *trustis*, indicato Capitulo, de quo nunc agimus, sic habet. *Trustis non facienda.* Sed ratio non occurrit, cur trustis prohibeatur, nec unquam sit facienda, si fidem aut equitatum, vel, ut Busæus arbitratur, consolationem hospitalitatis significet. Quapropter hoc loco trustem usurpari putamus pro conjuratione, quæ fiat inconsulto insciόque Rege. De truste sermo post biennium recurret.

[a] Lib. 1. c. 18.

XVII. *XVI. De Cerariis, & Tabulariis, atque Chartellariis, sicut à longo tempore fuit, observetur.* Hæc sanctio *de tributariis Ecclesiarum* inscribitur. Erant igitur Ecclesiarum tributarii, Cerarii, Tabularii, & Chartellarii: Cerarios interpretamur eos, qui ceræ nomine tributum ad luminarium sustentarionem in Ecclesiis pendebant. Tabularii liberti erant in Ecclesia per tabulam manumissi, unde Tabularii vocabantur; sub Ecclesiæ tuitione consistebant, &, si quis eos occidisset, pretium compositionis Ecclesiæ solvebat. Tomo secundo [b] triplicem distinximus manumissionem, per denarium, per tabulam, per epistolam; qui per denarium manumittebatur, erat sub Regis tutione; qui per tabulam, sub Ecclesiæ defensione erat; qui verò per epistolam ita manumittebatur, ut nullum obsequium manumissor retineret, solebat defensionem Regis aut Ecclesiæ, aut etiam alterius potentis expetere, ut esset qui libertatem ejus tueretur, & ab omni injuria eum vindicaret. Ex hac autem observatione colligimus eos hîc appellati Chartellarios, qui per epistolam manumissi sunt, & Ecclesiæ tuitionem expetierunt.

[b] Ad an. 589. n. 4.

XVIII. *XVII. De sacramentis pro Gildonia invicem conjurantibus*, sive ut Lex habet Longabardica [c], *de sacramentis per Gildoniam conjurandis, ut nemo facere præsumat. Alio verò modo de elecmosynis, aut de incendio, aut de naufragio, quamvis convenientiam faciant, nemo in hoc jurare præsumat.* Gildonia conspiratio est & adunatio. Vicani atque agricolæ in Germania, teste Lindenbrogio, *Gilde* vocant convivia publica, quæ collatitiâ stipe quot annis semel iterúmque celebrare solent.

[c] Lib. 1. Tit. 17. art. 7.

XIX. *XVIII. De iterantibus, qui ad Placitum, aut alibi pergunt, ut eos cum collecta*, id est, collectâ multitudine, *nemo sit ausus adsallire, & nemo alterius herbam, defensionis tempore, tollere præsumat, nisi in hostem*, hoc est, in exercitum, *pergat, aut Missus noster sit. Et qui aliter facere præsumpserit, emendet.*

XX. *XIX. De teloneis, qui jam antea forbanniti fuerunt, nemo tollat, nisi ubi antiquo tempore fuerunt.*

XXI. *XX. De mancipiis quæ venduntur, ut in præsentia Episcopi, vel Comitis sit, aut in præsentia Archidiaconi, aut Centenarii, aut in præsentia Vicedomini, aut Judicis Comitis, aut ante benè nota testimonia. Et foras marcham nemo mancipium vendat. Qui fecerit, tantis vicibus bannos solvat, quanta mancipia vendidit. Et, si non habet pretium, in wadio pro servo semetipsum donet Comiti, usquedum ipsos bannos solvat.* Actum de Centenariis Tomo secundo [d]. Vicedomini verò dicti sunt iidem qui Vicecomites.

[d] Ad an. 595. nn. 12. 14.

XXI.

XXI. De bruniis, ut nullus foras noſtro Regno vendere præſumat. Brunia ſeu Brunea in Gloſſario Latino-Theotiſco loricam ſignificat. Lege Lindenbrogium. AN.CH. 779. CAROLI R. II. XXII.

XXII ſanctio duas in partes diſtinguitur, quarum una ſpectat ad Comitem, ad Vaſſum Regium altera. Prior in Capitulari ſic effertur. *Si Comes in ſuo miniſterio juſtitias non fecerit, Miſſos noſtros in ſua caſa ſoniare faciat, uſquedum juſtitia ibidem facta fuerint.* Rectiùs in Lege Longobardica [a], ſic. *Si Comes in ſuo miniſterio juſtitiam non fecerit, tunc Miſſus noſter de hac cauſa ſonare*, id eſt, inquirere, *faciat, uſquedum juſtitia ibidem facta fuerint.* Poſterior nec in Lege Longobardorum, nec in Capitulari, caret mendo. In Capitulari ſic habetur. *Et, ſi Vaſſus juſtitias non fecerit, tunc & Comes & Miſſus ad ipſius caſam ſedeant, & de ſuo vivant, quouſque juſtitiam faciant.* Et in Lege Longobardorum, ſic. *Et, ſi Vaſſus noſter juſtitiam non fecerit, tunc Comes & Miſſus noſter in ipſa cauſa ſedeant, & de ſuo vivant, quouſque juſtitiam faciat.* Factâ autem utriuſque editionis collatione ſic eſt reſtituenda. *Et, ſi Vaſſus noſter juſtitiam non fecerit, tunc Comes & Miſſus noſter ad ipſius caſam ſedeant, & de ſuo vivant, quouſque juſtitiam faciat.* XXIII.

[a] Lib. 2. tit. 53. art. 2.

XXIII. Si quis pro faida pretium recipere non vult, tunc ad nos ſit tranſmiſſus, & nos eum dirigemus, ubi damnum minimè facere poſſit. Similiter modo & qui pro faida pretium ſolvere noluerit, nec juſtitiam exinde facere, in tali loco eum mittere volumus, ut pro eodem majus damnum non creſcat. Ut ſanctionem hanc intelligas, accipe quid ſit faida. Tacitus in moribus Germanorum ſic ſcribit. *Suſcipere tam inimicitias ſeu patris ſeu propinqui, quàm amicitias neceſſe eſt.* Hunc Germanorum tunc ethnicorum morem retinuerunt varii populi, qui relictâ Germaniâ mutatíſque ſedibus alias Europæ provincias inhabitarunt. Apud eas enim nationes, etiam poſtquàm Chriſtianæ factæ ſunt, homicidia non Judicis ſententiâ, ſed conſanguineorum interfecti, pœnas pro arbitrio depoſcentium, dextrâ furotéque luebantur. Ab illis autem gentibus faida dicebatur inimicitia, non quidem privata, ſed quæ, propter hujuſcemodi vindictam necis illatæ, per totam cognationem diffundebatur, ideóque in Gloſſariis faida explicatur *inimicitia & vindicta mortis.* XXIV.

XXIV. De latronibus ita præcipimus obſervandum, ut pro prima culpa non moriantur, ſed oculum perdant: de ſecunda verò culpa naſus ipſius latronis capuletur: de tertia verò, ſi ſe non emendaverint, moriantur. Huc uſque Capitulare Hariſtallienſe, quocum hoc Decretale precum in Codice ſancti Vincentii conjungitur. *Capitulare qualiter inſtitutum eſt in hoc Epiſcoporum Conventu. Id eſt, ut unuſquiſque Epiſcopus tres Miſſas & Pſalteria cantet, unum pro Domno Rege, alterum pro exercitu Francorum, tertium pro præſenti tribulatione. Presbyteri verò, unuſquiſque Miſſas tres; Monachi & Monachæ & Canonici, unuſquiſque Pſalteria tria. Et biduanam omnes faciant, tam Epiſcopi, Monachi, & Monachæ, atque Canonici, atque eorum infrà, caſati homines, vel qui potentes. Et unuſquiſque Epiſcopus, Abbas, & Abbatiſſa, qui hoc facere poteſt, libram donet de argento, aut valentem in eleemoſynam, mediocres verò dimidiam libram, minores verò ſolidos quinque. Epiſcopi, Abbates, & Abbatiſſæ, pauperes famelicos quatuor pro iſta ſtrictitate nutrire debeant uſque tempore meſſium, & qui tantùm non poſſunt, juxta quod poſſibilitas eſt, aut tres, aut duos, aut unum. Comites fortiores libram unam de argento, aut valentem donent in eleemoſynam, mediocres mediam libram. Vaſſus dominicus de caſatis ducentis mediam libram; de caſatis centum, ſolidos quinque; de caſatis quinquaginta aut triginta, unciam unam. Et faciant biduanas, atque eorum homines in eorum caſatis, vel qui hoc facere poſſunt. Et qui redimere ipſas biduanas voluerit, fortiores Comites uncias tres, mediocres unciam & dimidiam, minores denarios triginta. Et de pauperibus famelicis, ſicut ſuprà ſcriptum eſt, & ipſi faciant. Hæc omnia, ſi Domino placuerit, pro Domino, & pro exercitu Francorum, & præ-* XXV. DECRETALE PRECUM TEMPORE FAMIS.

AN. CH. 779. CAROLI R. 11. *sine tribulatione, Missâ sancti Joannis fint completa.* Per præsentem tribulationem famem intellige, de qua Chronographus Moissiacensis ad hunc annum sic scribit. *In Francia fames magna & mortalitas facta est.* Necnon Auctor Annalium qui Chronico Nibelungi subjiciuntur, & Chronographus San-Gallensis, sic. *Fames magna & mortalitas in Francia.* Nec omittendum hoc loco prodigium, cujus mentionem Synodus Francofordiensis post annos quindecim sic fecit [a]. *Experimento didicimus in anno, quo illa valida fames irrepsit, ebullire vacuas annonas à dæmonibus devoratas, & voces exprobrationis auditas.* Deus sic testatus est sibi plurimùm displicuisse quorumdam avaritiam, qui reconditam in cellariis annonam servarant, nec ullam tulerant opem pauperibus fame pereuntibus. In prædicto Decretali *biduanam* interpretare bidui jejunium, mos autem biduani jejunii sumptus inde dicitur, *quòd Apostoli jejunaverunt illo biduo, quo Dominus passus & sepultus est.* Ceteræ voces claræ sunt, aut superiùs expositæ.

[a] Can. 25.

XXVI. Hoc anno Pascha celebratum est tertio Idus Aprilis. Res à Carolo Rege post Pascha gestas sic persequitur Annalista Laureshamensis. *Rex de Haristallio, ubi hyemaverat, & ubi Natalem Domini ac sanctum Pascha celebraverat, primâ veris temperie movens Compendium venit.* Apud Haristallium duo emisit Præcepta, unum Kalendis Aprilis, alterum pridie Kalendas Maii. Utrumque suo describemus ordine. Primum pro Monasterio sancti Germani prope Parisios sito apud Aimoini Continuatorem legitur initio libri quinti. Continuatoris autem Aimoiniani variæ prodierunt editiones. Duas tantùm simul conferemus, unam Guilielmi *Parvi*, alteram Jacobi *du Breul*; quia ille primus Aimoinum ejúsque Continuatores in lucem emittendos curavit; hic, cùm in Cœnobio S. Germani Monachum ageret, Diplomatis Carolini, de quo nobis nunc agendum est, ipsum autographum consuluit.

CAROLUS R. EMITTIT PRÆCEPTA,

DIPLOMA CAROLI REGIS EX EDITIONE JACOBI DU BREUL.	DIPLOMA CAROLI REGIS EX EDITIONE GUILIELMI PARVI.
CAROLUS *gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, atque Patricius Romanorum, omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, seu junioribus nostris. Si opportuna beneficia ad loca sanctarum Ecclesiarum vel Sacerdotibus præstare non desinemus, hoc nos proculdubio ad æternam beatitudinem retribuere confidimus. Igitur cognoscat Magnitudo seu Utilitas vestra, qualiter Venerabilis vir Hrobertus Abba de Basilica sancti Vincentii, vel Domni Germani, ubi ipse preciosus corpore requiescit, Clementia Regni nostri suggessit, & Præceptionem Domni & genitoris nostri bonæ memoriæ Pipini quondam Regis nobis ostendit relegendam. Ubi reperimus insertum* *, *qualiter propter nomen Domini, & ejus meritis compellentibus, beneficium præstitisse cognoscitur, ut annis singulis ubicum-*	CAROLUS *gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, atque Patricius Romanorum, omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, seu Junioribus nostris. Si opportuna beneficia ad loca Sanctarum Ecclesiarum vel Sacerdotibus præstare non desinimus, hoc proculdubio ad æternam nobis beatitudinem retribuendam profuturum confidimus. Igitur cognoscat Magnitudo seu Utilitas vestra, qualiter Venerabilis vir Rotbertus Abbas de Basilica sancti Vincentii vel Domini Germani, ubi ipse pretiosus* * *corpore requiescit, Clementiam Regni nostri accessit, & Præceptum Domini & genitoris nostri bonæ memoriæ Pipini Regis nobis ostendit relegendum. Ubi repperimus insertum, qualiter propter nomen Domini beneficium præstitisse cognoscitur, ut annis singulis quocumque in Regno nos-*

PRO MON. S. GERMANI;

* malè prætensus

* malè insertum.

AN. CH. 779.

CAROLI R. II.

que in Regno nostro negotiantes ipsius sancti loci pergere vellent (sicut ipse Hrobertus Abba mercari videtur) tam ad luminaria comparanda, vel pro reliqua necessitate discurrentes, tam extra Ligerim, quàm & citra Ligerim, vel in Burgundia, etiam & in Provincia, vel in Francia, quàm & in Neustria, ubicumque in Regna Christo propitio nostra pergere vellent, nulli teloneo, nec de saumis, nec de carrigine, neque de navigio, neque de qualibet redhibitione, exinde ad partem fisci nostri Missi sui discurrentes dissolvere debeant. Proptereà per præsens Præceptum (quod perpetualiter mansurum esse jubemus) ut per nullos portus, neque per civitates, tam in Rodomo, quàm & in Vuicus, neque in Ambianis, neque in Trejecto, neque in Dorstade, neque per omnes portos * ad sanctam Massentiano, neque alùnbi, neque in Parisius, neque in Ambianis, neque in Burgundia, in pagu Tricasino, neque in Senonico, per omnea covitates similiter ubicumque in Regna, Christo propitio, nostra aut pagis vel territoriis teloneus exigatur, nec de navale, nec de carrale, neque de saumis, neque de trana * evectione, nec rotatico, nec pontatico, nec pulveratico, nec salutatico *, nec cispitatico, nec ulla redhibitione, quod fiscus noster exinde poterat sperare, nec vos, nec juniores, successoresque vestri eisdem non requiratis, nec exactetis, sed omnia & in omnibus hoc propter nomen Domini, ipse Abba vel successores sui, aut memorata Ecclesia sancti Vincentii vel Domni Germani habeant indultum, vel ad luminaria ipsius sancti loci proficiat in augmentis. Adjungimus etiam teloneum illum, quem Gerhardus Comes de villa nova curte sancti Germani visus fuit recepisse, ut deinceps pars sancti Germani ipso teloneo cum omni integritate in nostra eleemosyna ipsius Ecclesia recipere debeant, absque alicujus contrarietate. Quam vestrâ auctoritate perpetuis temporibus valituram manu nostrâ propriâ decrevimus roborare. Sigillum Caroli Gloriosissimi Regis. Optatus ad vicem Radonis recognovit. Data sexto Kal. Aprilis, anno undecimo Regni nostri, & quinto. Actum Haristalio Palatio publico.

negotiantes ipsius sancti loci pergere velint, sicut ipse Robertus Abbas mercari videtur, tam ad luminaria comparanda, quàm pro reliqua necessitate discurrentes, tam extra Ligerim quàm citra, vel in Burgundia, etiam in Aquitania, vel in Provincia, seu in Francia, necnon & in Austria, quocumque in Regna Christo propitio nostra pergere voluerint, nullum theloneum vel de sarcinis aut de carricatione, neque de navigio vel de qualibet redhibitione, exinde ad partem fisci nostri Missi Abbatis discurrentes persolvere quicquam debeant. Proptereà præsenti Præcepto decernimus (quod perpetualiter mansurum esse jubemus) ut non per ullos partus, neque per civitates, tam Virodomn, quàm Aurelianis, vel Ambianis, neque in Trajecto, neque in Dorstade, vel Neomago, neque per omnes pontes, vel ad Sanctam Maxentiam, sive Parrhisius, seu Ambianis, neque in Burgundia, vel in pago Trecassino, neque in Senonico, vel per omnes civitates ubicumque in nostro, propitio Christo, Regno, aut pagis, vel territoriis, theloneus exigatur, nec de navali, vel de carrali, neque de saumis, seu de trana * evectione, vel rotaticum, vel pontaticum, nec pulveraticum, nec salutaticum *, nec cispitaticum, nec ullam redhibitionem, quam fiscus noster exinde possit sperare, nec vos, aut juniores, vel successores nostri ab eisdem requiratis seu exigatis, sed omnia hæc propter nomen Domini ipse Abbas, vel successores ejus, seu memorata Ecclesia S. Vincentii vel Domini Germani habeant indultum, ut ad luminaria ipsius Sancti loci proficiat in augmentis. Adjungimus etiam theloneum illum, quem Gerhardus Comes apud Villam novam in curte S. Germani visus fuit recipere, quia in nostrum rediit jus, ut deinceps adpartem S. Germani ipse thelnneus cum omni integritate in nostra eleemosyna ad luminaria ipsius sancta Ecclesiæ recipiatur absque alicujus refragatione. Quam vestrâ auctoritate perpetuis temporibus valituram manu propriâ signatione nostri sigilli studuimus roborare. Data VI. Kal. Aprilis, anno XI Regni nostri, & quinto Patriciatûs nostri. Actum Haristallio in Palatio: redintegratum vero Parrhisiis.

* meliùs potes.

* * Lindenbrog. extranea evectione.

* * Lindenbrog. salutatica.

AN. CH. 779. CAROLI R. II. XXVII.

E variis lectionibus, quas factâ utriusque editionis collatione deprehendes, pleræque nullius planè sunt momenti, nec vllâ indigent animadversione. Secus sentiendum de nonnullis, in quas breviter inquiremus. Caroli Regnum multas in provincias dividitur, quas antiquior editio sic comprehendit. *Discurrentes tam extra Ligerim quàm citra, vel in Burgundia, etiam in Aquitania, vel in Provincia, seu in Francia, necnon & in Austria.* Recentior sic. *Discurrentes tam vltra Ligerim, quàm & citra Ligerim, vel in Burgundia, etiam & in Provincia, vel in Francia, quàm & in Neustria.* Hanc autem editionem alteri præponendam ducimus, non tantùm quia nititur autographo, sed etiam quia post has voces, *tam ultra Ligerim quàm & citra Ligerim*, de Aquitania, quæ *vltra Ligerim* sita est, silet omnino, & vbi Neustriam ab Austria distinguit, Austriam Franciæ vocabulo designat. Antiquior enim editio Aquitaniam frustrà repetit post has voces *extra Ligerim*, & ætate Caroli per Franciam non Neustria vt olim, sed Austria significabatur. Ambæ quoque differunt editiones in portuum ac civitatum nominibus. Antiquior sic habet. *Ut non per ullos portus, neque per civitates, tam Virodomo, quàm Aurelianis.* Recentior sic. *Ut per nullos portus, neque per civitates, tam in Rodomo quàm & in Vuicus.* Jacobus *du Breul* legendum putat *in vicis*, quasi Carolus indulserit, *vt qui in civitatibus tam in ingressu quàm in egressu immunes essent à teloneo, pari quoque exemptione in vicis ac burgis fruerentur.* Restituendus fortè *Quantavicus*, portus aliàs celebris ad ostium Quantiæ *. Rodomum & Rotomagum promiscuè dici nullus ignorat, Virodomi verò nulla fit mentio. In recentiori editione non placet ista lectio. *Neque per omnes portos, ad Sanctam Massentiam*, &c. Hæc verò placet in antiquiori editione. *Neque per omnes pontes, vel ad Sanctam Maxentiam*, &c. Notus enim Pons Sanctæ Maxentiæ * ad Oesiam fluvium. Utraque editio varia commemorat teloniorum genera, de quibus alibi. Veniamus ad Characteres Chronologicos, de quibus hic præcipuè nobis disputandum. In vulgatis exemplaribus hæc occurrit subscriptio. *Data VI Kal. Aprilis, anno XI Regni nostri, & quinto Patriciatûs nostri.* Sed *in prototypo* desunt hæ voces, *Patriciatûs nostri*, vt advertit Jacobus *du Breul*, qui tamen eas existimat addendas; *neque enim duo*, inquit, *numeri ad Regnum referendi*, & *inepta esset locutio, vndecimo & quinto, pro decimo-sexto.* Longè autem aliter est ratiocinandum. In hoc enim Diplomate Carolus diversos annos ad diversa refert Regna, nempe annum undecimum ad Regnum Franciæ, annum quintum ad Regnum Italiæ seu Longobardiæ, neutrum ad Patriciatum. Sublatis igitur duobus hisce vocabulis, *Patriciatûs nostri*, servari debet hæc subscriptio, vt est in Originali. *Data sexto Kal. Aprilis, anno vndecimo Regni nostri, & quinto.* Id est, sexto Kalendas Aprilis, hoc anno, qui Caroli Regis vndecimus in Francia, quintus in Italia, per mensem Martium, imò & per mensem Aprilem numeratur, quia Carolus in Francia mense Septembri post Pippinum patrem anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo, in Italia mense Maio post Desiderium anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto regnare cœpit. De loco, vbi datum Diploma, non dissentiunt editiones. Jacobus *du Breul* ex autographo sic legit. *Actum Haristalio Palatio publico.* Et Guilielmus *Parvi*, sic. *Actum Haristallio in Palatio.* Sed hic proximè subjungit istas voces, *redintegratum verò Parrhisiis*, quæ non inveniuntur in Originali. Diploma, de quo nunc agimus, Historiæ Aimoinianæ Continuator capiti primo libri quinti inseruit, supposuitque illud à Carolo datum apud Haristallium, confirmatúmque posteà Parisiis ab eodem Rege, cùm ex Hispania reversus esset anno Christi septingentesimo septuagesimo-octavo, & ordinaris Aquitaniæ rebus, in qua multos Comites instituit, Lutetiam accessisset. At ad illum annum jam inficiati sumus Parisios tunc venisse Carolum, quem ex Aquitania Autissiodorum, Autissiodoro Haristallium citò pertexisse veteres pro-

* le Canche.

* Pont Sainte Maixence sur Oyse.

AN. CH. 779.

XXVIII. ET S. MARCELLI.

...dunt Annales. Abradendæ sunt igitur istæ voces, redintegratum verò Parrhisiis. Robertus Abbas, qui Guichardo in Abbatiam Sancti Germani successerat, non Lutetiæ sed apud Haristallium coram Carolo se stitit, & ab eo Præceptum, quod suprà descripsimus, hoc anno, sexto Kalendas Aprilis obtinuit. Atque inde corrigendus Aimoiniani Continuatoris Interpolator, qui postquam capite sexagesimo-tertio libri quarti secundum Caroli Regis adventum in Urbem Romanam, résque ceteras anno Christi septingentesimo octogesimo-primo gestas enarravit, idem caput sic absolvit. *Hisdem diebus, defuncto Guichardo Abbate Cœnobii Sancti Germani, Robertus in regimine substituitur.* Hæc periodus abest à Codice Seguieriano, quem sæpè laudamus.

Carolus apud Haristallium adhuc morabatur pridie Kalendas Maii, cùm pro Cabilonensi quoque Sancti Marcelli Monasterio Regium emisit Præceptum, quod magna ex parte in Antiquitatibus Cabilonensibus à Petro San-Juliano descriptum reperies, integrum autem apud Sammarthanos in Gallia Christiana [a], & apud recentiorem Anonymum in probationibus [b] ad Tomum secundum Historiæ Cabilonensis. *Carolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum, omnibus gentibus nostris tam præsentibus quàm futuris, juvante Domino, qui nos in solium Regni constituit [1]. Principale quidem Clementiæ nostræ [2] est, cunctorum accommodare aurem benignam utilitatibus, præcipuè in iis [3], quæ pro compendia animarum à prædecessoribus [4] nostris Regibus ad loca Ecclesiarum probamus esse indulta, devotâ mente debemus perpendere, & congrua beneficia, ut mereamur ad mercedem esse participes, non negare, sed robore majore pro nostris oraculis confirmare. Igitur magnificentia Hucbertus [5] Episcopus Rectórque [6] Basilicæ Sancti Marcelli, quæ ponitur sub oppidum Cabilonicæ urbis, ubi ipse [7] pretiosus Dominus in corpore requiescit, nostræ Celsitudini intulit suggestionem, eò quod antecessores nostri anteriores Reges, vel bonæ memoriæ Dominus & genitor noster Pipinus quondam Rex, per eorum Præceptiones integras, immunitates ipsi Monasterio concessissent, ut in villas, aut super terras ipsius Monasterii, nullus Judex publicus, nec ulla potestas ad causas audiendum, vel freda [8] exigendum, aut fidejussores tollendum, aut mansiones aut paratas faciendum, nec ullas requisitiones requirendum, ibidem ingredi non deberent. Unde & ipsas Præceptiones antecessorum Regum, & confirmationes eorum, jamdictus Hucbertus [9] Episcopus nobis ostendit relegendas, & ipsa beneficia moderna tempore asserit esse conservata. Sed per [10] confirmationis studium petiit Clementia Regni nostri, ut hac [11] denuò ipsi Monasterio nostra deberet authoritas confirmare. Cujus [12] petitionem pro mercedis nostræ augmento, plenâ & integrâ gratiâ usi, concessisse vestra comperiat Magnitudo. Propterea ergo [13] jubemus, ut inspectis ipsis priorum [14] Principum authoritatibus, neque [15] vos, neque juniores successores vestri, nec ullus quilibet de judiciaria potestate in villas ipsius Monasterii, quas præsenti tempore habere videtur, aut in antea à Deum [16] timentibus hominibus fuerint conlata, aut conlaturæ, nullus Judex publicus ad causas audiendas, vel freda [17] exigenda, aut fidejussores tollendum, vel mansiones aut paratas faciendum, nec ullas redhibitiones requirendum, ingredi [18] non præsumatis, nisi integrâ immunitate, sed sicut præcedentium antecessorum nostrorum Regum ipsi Monasterio usque nunc fuit conservatum, ita & deinceps per nostram authoritatem generaliter maneat inconvulsum, & si nunc actis temporibus, per aliquam negligentiam Abbatum, aut tepiditatem Rectorum, aut præsumptionem Judicum, de ipsis immunitatibus fuerit immutatum, aut raptum, evulsúmque, aut extractum, nostris authoritatibus & beneficiis restauretur; & ulteriùs quod concessimus [19], nec vos, neque minores vestri infringere, nec [20] violare præsumatis. Si quis autem fuerit aut [21] Dominus [22], aut Comes, Domesticus, Vicarius, seu qualiscumque [23] judiciariâ potestate succinctus, indulgentiâ bonorum, aut bonitate piorum Christianorum, aut Regum antecessorum [24] nostrorum, qui [25] ipsas irrumpere [26] aut violare*

a Tom. 4.
b Pag. 64.
1 Anonym. restituit.
2 Sammarth. deest nostra
3 Anonym. deest in iis.
4 Sammarth. à præcedentibus Regibus antecessoribus nostris
5 San-Julian. Sammarth. Hubertus
6 Sammarth. Rector Basilicæ
7 San Julian. deest ipse Sammarth. ille
8 San Julian. Anonym. freda exigendum.
9 San-Julian. Sammarth. Hubertus
10 Sammarth. pro confirmationis studio
11 Anonym. deest hoc
12 Anonym. deest hæc periodus.
13 Anonym. deest ergo
14 Anonym. piorum
15 Sammarth. neque nos juniores, neque successores nostri
16 Anonym. ad eum pertinentibus
17 Anonym. freda
18 Sammarth. ibidem ingredi
19 Sammarth. confirmamus.
20 Sammarth. vel
21 Sammarth. deest aut
22 Anonym. Domnus.
23 Sammarth. qualiscumque
24 Anonym. deest antecessorum nostrorum.
25 Sammarth. deest qui
26 Anonym. irrumpere & violare

AN. CH. 779. CAROL I R. 11. XXVII.

E variis lectionibus, quas factâ utriusque editionis collatione deprehendes, pleræque nullius planè sunt momenti, nec ullâ indigent animadversione. Secus sentiendum de nonnullis, in quas breviter inquiremus. Caroli Regnum multas in provincias dividitur, quas antiquior editio sic comprehendit. *Discurrentes tam extra Ligerim quàm citra, vel in Burgundia, etiam in Aquitania, vel in Provincia, seu in Francia, necnon & in Austria.* Recentior sic. *Discurrentes tam ultra Ligerim, quàm & citra Ligerim, vel in Burgundia, etiam & in Provincia, vel in Francia, quàm & in Neustria.* Hanc autem editionem alteri præponendam ducimus, non tantùm quia nititur autographo, sed etiam quia post has voces, *tam ultra Ligerim quàm & citra Ligerim*, de Aquitania, quæ *ultra Ligerim* sita est, silet omnino, & ubi Neustriam ab Austria distinguit, Austriam Franciæ vocabulo designat. Antiquior enim editio Aquitaniam frustrà repetit post has voces *extra Ligerim*, & ætate Caroli per Franciam non Neustria ut olim, sed Austria significabatur. Ambæ quoque differunt editiones in portuum ac civitatum nominibus. Antiquior sic habet. *Ut nec per ullos portus, neque per civitates, tam Virodomo, quàm Aurelianis.* Recentior sic. *Ut per nullos portus, neque per civitates, tam in Rodomo quàm & in Vuicus.* Jacobus *du Breul* legendum putat *in vicis*, quasi Carolus indulserit, *ut qui in civitatibus tam in ingressu quàm in egressu immunes essent à telonea, pari quoque exemptione in vicis ac burgis fruerentur.* Restituendus fortè *Quantavicus*, portus aliàs celebris ad ostium Quantiæ *. Rodomum & Rotomagum promiscuè dici nullus ignorat, Virodomi verò nulla fit mentio. In recentiori editione non placet ista lectio. *Neque per omnes portos, ad Sanctam Maxentiam*, &c. Hæc verò placet in antiquiori editione. *Neque per omnes pontes, vel ad Sanctam Maxentiam*, &c. Notus enim Pons Sanctæ Maxentiæ * ad Oesiam fluvium. Utraque editio varia commemorat teloniorum genera, de quibus alibi. Veniamus ad Characteres Chronologicos, de quibus hic præcipuè nobis disputandum. In vulgatis exemplaribus hæc occurrit subscriptio. *Data VI Kal. Aprilis, anno XI Regni nostri, & quinto Patriciatûs nostri.* Sed *in prototypo* desunt hæ voces, *Patriciatûs nostri*, ut advertit Jacobus *du Breul*, qui tamen eas existimat addendas; *neque enim duo*, inquit, *numeri ad Regnum referendi, & inepta esset locutio, undecimo & quinto, pro decimo-sexto.* Longè autem aliter est ratiocinandum. In hoc enim Diplomate Carolus diversos annos ad diversa refert Regna, nempe annum undecimum ad Regnum Franciæ, annum quintum ad Regnum Italiæ seu Longobardiæ, neutrum ad Patriciatum. Sublatis igitur duobus hisce vocabulis, *Patriciatûs nostri*, servari debet hæc subscriptio, ut est in Originali. *Data sexto Kal. Aprilis, anno undecimo Regni nostri, & quinto.* Id est, sexto Kalendas Aprilis, hoc anno, qui Caroli Regis undecimus in Francia, quintus in Italia, per mensem Martium, imò & per mensem Aprilem numeratur, quia Carolus in Francia mense Septembri post Pippinum patrem anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo, in Italia mense Maio post Desiderium anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto regnare cœpit. De loco, ubi datum Diploma, non dissentiunt editiones. Jacobus *du Breul* ex autographo sic legit. *Actum Haristalio Palatio publico.* Et Guilielmus Parvi, sic. *Actum Haristallio in Palatio.* Sed hic proximè subjungit istas voces, *redintegratum verò Parrhisiis*, quæ non inveniuntur in Originali. Diploma, de quo nunc agimus, Historiæ Aimoinianæ Continuator capiti primo libri quinti insertuit, supposuitque illud à Carolo datum apud Haristallium, confirmatúmque posteà Parisiis ab eodem Rege, cùm ex Hispania reversus esset anno Christi septingentesimo septuagesimo-octavo, & ordinatis Aquitaniæ rebus, in qua multos Comites instituit, Lutetiam accessisset. At ad illum annum jam inficiati sumus Parisios tunc venisse Carolum, quem ex Aquitania Autissiodorum, Autissiodoro Haristallium citò perrexisse veteres pro-

* le Canche.

* Pont Sainte Maixence sur Oyse.

AN. CH. 779. XXVIII.

dunt Annales. Abradendæ sunt igitur istæ voces, *redintegratum verò Parrhisiis*, Robertus Abbas, qui Guichardo in Abbatiam Sancti Germani successerat, non Lutetiæ sed apud Haristallium coram Carolo se stitit, & ab eo Præceptum, quod suprà descripsimus, hoc anno, sexto Kalendas Aprilis obtinuit. Atque inde corrigendus Aimoiniani Continuatoris Interpolator, qui postquàm capite septuagesimo-tertio libri quarti secundum Caroli Regis adventum in Urbem Romanam, résque ceteras anno Christi septingentesimo octogesimo-primo gestas enarravit, idem caput sic absolvit. *Hisdem diebus, defuncto Guichardo Abbate Cænobii Sancti Germani, Robertus in regimine substituitur.* Hæc periodus abest à Codice Seguieriano, quem sæpè laudamus.

XXVIII. ET S. MARCELLI.

Carolus apud Haristallium adhuc morabatur pridie Kalendas Maii, cùm pro Cabilonensi quoque Sancti Marcelli Monasterio Regium emisit Præceptum, quod magna ex parte in Antiquitatibus Cabilonensibus à Petro San-Juliano descriptum reperies, integrum autem apud Sammarthanos in Gallia Christiana [a], & apud recentiorem Anonymum in probationibus [b] ad Tomum secundum Historiæ Cabilonensis. *Carolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum, omnibus gentibus nostris tam præsentibus quàm futuris, juvante Domino, qui nos in solium Regni constituit [1]. Principale quidem Clementia nostra [2] est, cunctorum accommodare aurem benignam utilitatibus, præcipuè in iis [3], quæ pro compendio animarum à prædecessoribus [4] nostris Regibus ad loca Ecclesiarum probamus esse indulta, devotâ mente debemus perpendere, & congrua beneficia, ut mereamur ad mercedem esse participes, non negare, sed robore majore pro nostris oraculis confirmare. Igitur magnificus Hucbertus [5] Episcopus Rectórque [6] Basilicæ Sancti Marcelli, quæ ponitur sub oppidum Cabilonicæ urbis, ubi ipse [7] pretiosus Dominus in corpore requiescit, nostra Celsitudini intulit suggestionem, eò quod antecessores nostri, Reges, vel bona memoria Domnus & genitor noster Pipinus quondam ... torum Præceptiones integras, immunitates ipsi Monasterio concessissent, ... las, aut super terras ipsius Monasterii, nullus Judex publicus, nec ulla ... causas audiendum, vel freda [8] exigendum, aut fidejussores tollen... mansiones aut paratas faciendum, nec ullas requisitiones requirendum, ... gredi non deberent. Unde & ipsas Præceptiones antecessorum Regum, ... mationes eorum, jamdictus Hucbertus [9] Episcopus nobis ostendit rele... & ipsa beneficia moderno tempore asserit esse conservata. Sed per [10] con... ... petiit Clementia Regni nostri, ut hoc [11] denuò ipsi Monaste... deberet authoritas confirmare. Cujus [12] petitionem pro mercedis nostræ ... plenâ & integrâ gratiâ usi, concessisse vestra comperiat Magnitudo. ... ergo [13] jubemus, ut inspectis ipsis priorum [14] Principum authoritati... eque [15] vos, neque juniores successores vestri, nec ullus quilabet de judi... potestate in villas ipsius Monasterii, quas præsenti tempore habere videtur, ... antè à Deum [16] timentibus hominibus fuerint conlata, aut conlatura, Judex publicus ad causas audiendas, vel freda [17] exigenda, aut fide... s tollendum, vel mansiones aut paratas faciendum, nec ullas redhibitiones ... endum, ingredi [18] non præsumatis, nisi integrâ immunitate, sed sicut ... torum antecessorum nostrorum Regum ipsi Monasterio usque nunc fuit con... ... um, ita & deinceps per nostram authoritatem generaliter maneat inconvul... ... si antè actis temporibus, per aliquam negligentiam Abbatum, aut epi... ... m Rectorum, aut præsumptionem Judicum, de ipsis immunitatibus fuerit ... tatum, aut raptum, evulsúmque, aut extractum, nostris authoritatibus & ... ficiis restauretur; & ulterius quod concessimus [19], nec vos, neque minores ... ri infringere, nec [20] violare præsumatis. Si quis autem fuerit aut [21] Domi... [22], aut Comes, Domesticus, Vicarius, seu qualiscumque [23] judiciariâ po... ... te succinctus, indulgentiâ bonarum, aut bonitate piorum Christianorum, Regum antecessorum [24] nostrorum, qui [25] ipsas irrumpere [26] aut violare*

a Tom. 2.
b Pag. 69.
1 Anonym. restituit.
2 Sammarth. deest nostra
3 Anonym. deest in iis.
4 Sammarth. à prædecessoribus Regibus antecessoribus nostris
5 San-Julian. Sammarth. Hubertus
6 Sammarth. Rector Basilicæ
7 San Julian. deest ipse Sammarth. ille
8 San Julian. Anonym. freda exigendum.
9 San-Julian. Sammarth. Hubertus
10 Sammarth. pro confirmatione studio
11 Anonym. deest hoc
12 Anonym. deest hæc periodus.
13 Anonym. deest ergo
14 Anonym. piorum
15 Sammarth. neque nos juniores, neque successores nostri
16 Anonym. ad eum pertinentibus
17 Anonym. freda
18 Sammarth. ibidem ingredi
19 Sammarth. consensimus.
20 Sammarth. vel
21 Sammarth. deest aut
22 Anonym. Domnus.
23 Sammarth. qualiscumque
24 Anonym. deest antecessorum nostrorum.
25 Sammarth. deest qui
26 Anonym. irrumpere & violare violare

AN. CH. 779. CAROLI R. 11.

præsumpserit, solidorum sexcentorum munere se cognoscat culpabilem, itaut duas partes in Archivium ipsius Monasterii reddat, & tertiam[27] *partem ad fiscum nostro sacello componat*[28]*, ut non delectet, quod antecessores*[29] *nostri aut boni Christiani concesserunt, ab*[30] *impiis hominibus lacerari; & quicquid exinde fiscus noster potuerit sperare, in luminaribus*[31] *ipsius Ecclesiæ Sancti Marcelli Martyris, pro stabilitate Regni nostri, seu nostra subsequente progenie, proficiat in augmentum. Et ut hæc authoritas*[32] *tam præsentibus quàm futuris temporibus, Deo adjuvante, firmâ stabilitate debeat perdurare, subter eam*[33] *signaculis propriâ manu decrevimus roborari. Signum Gloriosissimi Regis. Data pridie Kalendas Maias, anno undecimo*[34] *& quinto Regnorum*[35] *nostrorum. Actum Haristallio*[36]. Hoc videlicet anno, qui Caroli Regis undecimus in Francia, quintus in Italia per mensem Aprilem numerabatur, ut observatum suprà. Nec altera probatur editio, quæ servato ad marginem anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono sic habet. *Data pridie Calend. Maias, anno decimo & quinto Regni nostri.* Annus enim Regni Carolini decimus-quintus per mensem Aprilem cum anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio coincidit.

[27] Sammarth. tertiâ parte
[28] Sammarth. multam componat.
[29] Anonym. nostri antecessores
[30] Sammarth. ab omnibus impiis
[31] Anonym. luminibus
[32] San-Julian. Anonym. hac authoritas firmâ stabilitate, &c.
[33] San Julian. deest eam
[34] Sammarth. decimo
[35] Sammarth. Regni nostro
[36] San Julian. Karistalio. Anonym. Karestalio.

XXIX. Rex, ut ex prædictis liquet, diem Natalem Domini & Paschalem Solemnitatem celebravit apud Haristallium, ibidémque pridie Kalendas Maias adhuc degebat. Id autem cave ne sic accipias, ut eundem Regem toto illo tempore ex Haristallio digressum, vel Aquas, quæ non procul absunt, aliquando profectum neges, ipsum enim hoc anno *Aquisgrani* morantem consuluit Gundelandus Laureshamensis Abbas, ut ex Chronico Laureshamensi dicemus infrà. Carolus relicto Haristallio Compendium se contulit, quid autem gesserit, postquàm egressus est Compendio, Laureshamensis Annalista sic prosequitur. *Cùm inde peracto propter quod venerat negotio reverteretur, occurrit ei Hildebrandus Dux Spoletanus cum magnis muneribus in villa Wirciniaco. Quem benignissimè recepit, & muneribus donatum in Ducatum suum remisit. Ipse animo ad Saxonicam expeditionem intento, Duriam venit, habitóque juxta morem generali Conventu Rhenum trajecit, & usque ad Lippiam cum exercitu pervenit. Cui cùm Saxones in quodam loco, qui Buchols vocatur, vanâ spe ducti resistere tentarent, pulsi fugatique sunt. Rex, Westfalorum regionem ingressus, omnes eos in deditionem accepit. Inde ad Wiseram veniens, castris positis in loco, nomine Medufulli, stativa per aliquos dies habuit. Ibi Angeri & Ostfali venientes & obsides dederunt, & sacramento juraverunt. Quibus peractis, Rex trans Rhenum ad Wormaciam civitatem in hyberna se recepit.* Eadem ad hunc annum refert Annalista Loiselianus, ad sequentem Tilianus, hic enim, ut suprà jam notavimus, uno anno tardiùs ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-quinto ad operis usque sui finem procedit, ideóque, nisi quid habeat peculiare, deinceps à nobis haud allegabitur. Adverte miram Caroli celeritatem. Apud Haristallium degit pridie Kalendas Maias. Inde Compendium venit. E Neustrasia redit in Austrasiam. Generalem ad Duriam habet Francorum Conventum, de quo sic Annalista Nazarianus. DCCLXXIX. *Mai campus ad Dura.* Adverte quoque terrorem, quem Carolus aucto per Italiam, per Hispaniam, per Germaniam, per Karinthiam Regno latè circumfert. Prospero tot bellorum eventu stupefactus Hildebrandus Dux Spoletanus ad eum cum muneribus advolat. Atque inde obiter nota Ducatum Spoletanum ad Sedem Apostolicam non pervenisse vi donationis à Carolo ante quinquennium factæ. Porrò cùm audis Saxones fusos fuisse ad oppidum *Buchols*, quod alii *Bochols*, *Buoholz*, *Bothsloz*, *Bolhoz*, *Botolz*, *Buochol*, & *Bohhot* appellant, adverte duo esse oppida illius nominis in Westphalia, alterum ad Hasam fluvium, alterum ad Aam. Hoc vicinius est Rheno, quapropter nonnulli pugnam illic initam suspicantur. At quia liquet ex antiquis Annalibus Carolum Rheno supra Lippiæ confluentes trajecto ad Lippiam per-

HILDEBRANDUM DUCEM SPOLETANUM CUM MUNERIBUS AD SE VENIENTEM SUSCIPIT.

SAXONES VINCIT,

AD HASAM FL.

AN. CH. 779. CAROLI R. II.

rexisse, Francos existimamus ad Lippiæ fontes penetrasse, certaménque posteà cum Saxonibus ad Hasam amnem in interiore Westphalia confertum fuisse. Saxones, antequàm istud prælium committeretur, *conspiraverunt, vt lectam virorum multitudinem de exercitu ad ipsum Monasterium Fuldense mitterent, & cuncta, quæ reperirent, igni comburerent, & servos Dei ferro trucidarent. Quod cùm comperisset S. Sturmi*, Abbas illius loci, *statim vocatis ad se fratribus, periculum, quod eis imminebat, innotuit, & consilium dedit, vt Sancti Martyris* Bonifacii Moguntiacensis quondam Archiepiscopi *corpore assumpta, ad Hamelenburg properassent. Ipse verò vir Dei Sturmi foras in Wedereiba*, id est, in Weteraviam, *perrexit, studium habens, si quo modo posset pravorum conspirationem prohibere. Nos autem fratres, discipuli ejus*, ait in ejusdem Sancti Sturmii vita Ægil Monachus tum Fuldensis ac pòst Abbas, *assumpto Sancti Martyris corpore de sepulchro, in quo annos viginti-quatuor*, ab anno videlicet Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto, *posit[illegible] fuerat, à Monasterio cum universis famulis Dei proficisci cœpimus. Mans[illegible]mus primâ nocte ad proximam Cellam, ubi Fuldæ alveo Fledenæ fluenta se [illegible]iscent. Inde surgentes mane, ad vlteriorem pervenimus Sinnam, ibíque fixim[illegible] us tentorium, in quo sacratissimum Christi Martyris statuimus corpus, & in circuitu milites Christi castra metati sunt. Ubi cùm in tabernaculis tres exegissemus noctes, quarto jam die Legati nostri venerunt, qui referebant de parte & gente nostra nonnullos congregatos contra Saxones bellum inire, eósque victus ad proprias aufugisse terras. Quod cùm audivissemus, sacra beati Martyris ossa sustulimus, & gaudentes ad Monasterium, unde digressi sumus, revertebamur, & Dei Martyris sancta sepulchro, quo priùs inerant, ossa humavimus, Christo Domino gratias referentes, quod, pace concessâ, nostro Monasterio inhabitare sineremur.* Qui Sancti Bonifacii Martyrium anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto consignant, ii sacrarum Reliquiarum avectionem ac revectionem vno quoque anno prævertant necesse est, quia post viginti-quatuor annos à nece Sancti Bonifacii, Saxones Monachis Fuldensibus timorem suprà descriptum incusserunt, illiúsque intercapedinis testem habere non potes certiorem Ægile, qui Monasticam vitam in [illegible] Fuldensi ducebat, cùm Saxones illi loco imminebant, ejusdémque cœnobii Præfecturam gessit. Antiquissimi enim post Sanctum Sturmium Abbates Fuldenses hoc recensentur ordine, Baugolfus, Ratgarius, Ægil. Hic [illegible]

STURMIUS ABB. FULDENSIS OB SAXONUM IRRUPTIONEM VALDE SOLLICITUS EST DE RELIQUIIS S. BONIFACII MARTYRIS.

XXX.

[illegible] nuperrimè citato mortem Sancti Sturmii, quæ hoc quoque anno, mense Decembri contigit, proximè sic subjungit. *Tunc iterum Rex Karolus ad confirmationem inchoatæ fidei Christianæ, cum exercitu ad illam terram perrexit, & venerandum Sturmen infirmum jam senectute*, annos quippe natum circiter septuaginta-quinque, *festum in Heresburg ad tuendam vrbem cum sociis suis sedere jussit. Dispositis secundùm voluntatem suam universis, Rex [illegible] rediret, sanctum virum paucos dies post reditum suum in supradicta vrbe [illegible] imperavit. Quo expleto, ad Monasterium vir Dei rediit, habito secum medico Domini Regis Karoli, cui nomen Wintarus, qui ejus subveniret infirmitati. Dum verò quadam die, artis suæ ei nescio quam potionem infuderat, quæ minuere debuit infirmitatem, sed ita auxit, vt validiùs & acriùs & lues aggereretur. Et anxius dicere cœpit, quòd ei Medicus, qui minuere morbum [illegible] erat, malum grande irrogasset. Currere citiùs ad Ecclesiam jubet, omnes [illegible]u, id est*, campanas, *pariter moveri imperavit, & fratribus congregatis, [illegible]m suum citò adfuturum nunciare præcepit, & pro se enixiùs orare postulavit. Congregatâ priùs omni familiâ, domum, in qua ipse jacebat, eam introfecit, atque omnem Congregationem his verbis adorsus est. Vos, inquit, fratres, studium meum cognovistis, qualiter vsque in hodiernum diem pro vtilitate & pace laboravi, & hoc maximè curavi, qualiter istud Monasterium post obitum meum perseverare in voluntate Christi valeret, & vos istic Do-*

ÆGROTAT.

AN. CH. 779. CAROLI R. 11.

mino servire sincerè cum charitate quiretis. O filii, nunc verò in concepto proposito omnes dies vitæ vestræ perseverate, Deum altissimum pro me orate, &, si quippiam pravè apud vos egi, vel aliquem injustè offendi, ignoscite mihi, & ego cunctis ex intimo corde omnia convicia, & omnes contumelias meas ignosco, necnon & Lullo, qui mihi semper adversabatur. Post ista & alia nonnulla bona verba, fratribus valedicens, dimisit eos. Egressis ergo fratribus, cœpit vir sanctus acriter languescere, & ad suprema perurgeri. Erat universis mœror, & tristitia magno animos obsidebat fratrum, qui solius Dei, lachrymabili voce, misericordiam implorabant, & obitum sancti ac venerandi Abbatis suò Sturmi maximis Domino commendabant precibus. Alterâ autem die, id est, XVI. Kal. Januarii, ingravescente languore ad extrema deductus est. Circumstantibus verò nobis, & videntibus ejus celerem fore exitum, aliquis è nobis exorsus est. Pater, inquit, nos non ambigimus te ad Dominum migraturum, & od vitam pervenire perennem. Quapropter Paternitatem tuam deprecamur, ut nostri memorori digneris, & tibi pro discipulis tuis Domino preces fundere, quomodo justum confidimus nobis profuturum, quòd talem præmittimus Patronum. Qui subitò intuens nos, exhibete, inquit, vosmetipsos dignos, & tales estote in vestris moribus, ut ritè valeam pro vobis orore, & ita faciam quod postulatis. OBIT. *Post verò verbo hæc, sancta illa animo carne soluta est, & de ergastulo corporis erepta, bonis meritis repleta, migravit ad Christum.* In ipso quoque operis sui Prologo se Sancti Sturmii discipulum sic Ægil testatur. *Ego Ægil in discipulatu illius*, nempe Sturmii Abbatis, *plusque à no XX annos conversatus eram, & sub ipsius Cœnobii disciplina ab infantia usque in hanc ætatem nutritus & eruditus sum.* Ad hunc annum in Chronico Mariani Scoti de duobus antiquissimis Abbatibus Fuldensibus SUCCEDIT BAUGOLPHUS. hæc leguntur. *Sanctus Sturmus Abbas primus Fuldensis obiit, cui successit Baugolphus Abbas.*

XXXI. EPISTOLA S. LUDGERO ADSCRIPTA REFELLITUR. In epistola Sancto Ludgero adscripta, cujus nonnulla jam fragmenta confutavimus, narrantur multa, quorum prior pars anno præterito, posterior pars hoc anno sic consignatur. *Anno à Nativitate Domini nostri septingentesimo septuagesimo-octavo, Indictione primâ, ferocissimi & perfidi Saxones & Westpholi, excitati spiritu satanæ ac inebriati calice Babylonis, cùm præfatus Carolus Rex esset cum toto suo exercitu in Hispania, putantes & videntes se habere aptum tempus ulciscendi damna, à Corolo & à Christianis ipsis sæpè illata, conglomeratè in invicem præceptis Sotraparum ipsorum venerunt cum validissimis & grandibus agminibus strenuorum & ferocium armigerorum depopulantes longè latéque crudeli ferro & edaci flammâ cuncta, quæ erant Christianorum. Veneruntque usque ad litora Rheni, & in tantùm sæviit ira & crudelitas ipsorum, ut nullatenus parcerent nec Ecclesiis Dei, nec sexui, nec ætati hominum, quin omnia consumerent ac demolirentur usque ad internecionem. Sed anno sequenti maxima vindicta subsequuto fuit, & denuò ad fidem revocati triumphali gladio Serenissimi Francorum Regis Caroli, propugnatoris fidei Christianæ, fuere. Quâ horridâ clade sæviente, prædicta ferocissima gentes Saxonum & Westphalorum ad Ecclesiam Sanctissimi Swiberti & ad oppidum Werdam ferocitatis suæ direxerunt gressum. Quod oppidum livore magno, feroci igne, & ferro, solo tenus destruxerunt. Eâdem tempestate Ecclesia cum Conventu Sancti Swiberti concremata fuit, Sacerdotes verò aut trucidati aut effugati, incolæ utriusque sexûs ferè occisi, libri sacri exusti, vicúsque ferè in solitudinem redactus est, dempto sacro corpore Sancti Swiberti, sagaciter subtus terram deposito & depresso, quod licèt industriè per totum Conventum quæsierint, minimè tamen invenire potuerunt. Et licèt essent Christiani vi adacti, & hæc crudelia agerent, oderant tamen Sanctum Swibertum eò quòd pridem Christianis Francigenis præstitisset victoriam contra eos, &, ut arbitrabantur, inimicus ipsorum esset, & defensor exercitûs Christianorum.*

XXXII. Hic Auctor superiùs Saxones in tres populos, in Saxones videlicet, Westphalos, & Angarios diviserat, itaut Saxonum nomine Ostphalos, seu Saxones

xones Orientales intellexisse videatur. Ideóque mirum nemini debet esse, quòd Saxones & Westphalos contra Francos rebellasse sæpè inculcet. Sed ubi Francos ipsos appellat Francigenas, utitur voce, quæ sapit ætatem Sancto Ludgero certè recentiorem. Nec aliter de *conventu* quàm de *Francigenis* fortè judicabis, Sancti enim Ludgeri ævo conventum pro congregatione seu Clericorum seu Monachorum plerumque sumptum, numquam pro ipso Monasterio vel ædificiis Monasterii usurpatum meminimus. Non igitur à Sancto Ludgero scripta est, quæ de clade oppido ac Monasterio Werdensi illata circumfertur narratio, imò à quocumque prodierit Auctore, fabulis est adnectenda. Hoc enim anno, quo clades illa consignatur, Saxones ad Rhenum usque penetrasse nullus antiquorum Annalistarum prodit, licèt non dissimulent eos anno prætetito ad illum usque fluvium profectos esse, cùm Carolus Francorum Rex bellum in Hispania contra Saracenos gerebat. Irruptionem illam Saxonum, malàque per eos invecta non reticuimus. At observavimus eos ad dexteram Rheni ripam substitisse, cùmque flumen transire non possent, ferro & igne depopulatos esse, *quicquid à Duicia civitate usque ad fluenta Mosella vicorum villarúmque fuit.* Est autem Duicia seu Tuitium è regione Coloniæ Agrippinæ & Mosella sinistram Rheni ripam supra Coloniam subit; Werda verò, ubi Sancti Swiberti Monasterium, Insula est Rheni infra Coloniam. Atque inde liquet Werdense Monasterium illo anno dirutum à Saxonibus haud fuisse, quia nec alveum Rheni trajecerunt, nec quidquam infra Duiciam ad illum fluvium depopulati sunt.

AN. CH. 779. CAROLI R. 11.

XXXIII. Sancti Swiberti Basilicam ut hoc anno dirutam, sic & anno proximo reparatam negamus adversùs Auctorem supradictæ epistolæ, qui falsò Ludgerum se dicit, & à Pippino Rege multa se audivisse comminiscitur. Varia miracula, quæ narrat ille, consultò prætermittimus, quia Werdense Monasterium à Saxonibus hoc anno concrematum supponunt.

XXXIV. Virgilius Salisburgiensis Episcopus, qui Modestum Episcopum, necnon Presbyteros aliósque Clericos superioribus annis in Karinthiam variis vicibus direxerat, eandem provinciam suæ Diœcesi attributam visitavit. Sic Hieronymus in ejus vita scribit. *Ad extirpandam funditus & eliminandam*, *quæ vigere visa est barbarica superstitionis idolalatria, atque ad confortandum eos in fide, frequenti prædicatorum diligentiâ plantatam sua Diœcesi plebem providens, ac providâ circumspecti Pastoris vigilantiâ, per villas Dei verbum vitæ ubertim seminando, diu desiderabiliter optatam vivificatricem visitationis præsentiam exhibuit.* De illo plura dicemus anno ..., quo visitationem suam vitámque clausit.

VIRGILIUS EP. SALISB. VISITAT KARINTHIAM.

XXXV. ... hujus anni finem, vel sub initium proximi, Bertam Carolo ex Hildegarde natam suadent ea, quæ suprà diximus ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-tertium.

BERTA NASCITUR.

XXXVI. ... Antiquitatibus San-Dionysianis [a], Carolus Ecclesiam Sancti Verani, ... Fulradus Abbas apud Haircbertingas super fluvium Brailiam in Alamannorum Ducatu construxerat, multis bonis locupletasse fertur septimo ... Septembris, cùm Duræ seu Duriæ versabatur, annúmque Regni in Francia undecimum, in Italia septimum numerabat. Subscriptio enim Regii præcepti talis est. *Data septimo Idus Septembris, anno undecimo & septimo Regni nostri. Actum Duriâ Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.* Sed hi characteres simul non conveniunt. Nam Carolus, qui generalem Francorum Conventum ad Duram seu Duriam hoc anno, Regni sui in Francia undecimo, celebravit, Duriâ discessit ante mensem Septembrem, & mensis ..., qui pertinebat adhuc ad annum Caroli Regis in Francia undecimum, ... anno ejusdem Caroli in Italia Regis septimo sed sexto illigabatur.

[a] Lib. 3. c. 6.

SUBSCRIPTIO REGII DIPLOMATIS EXAMINATUR.

XXXVII. Marcomannus Augustanus Episcopus hoc anno vitam clausit, cùm Diœcesiam annis novem ac viginti incompletis administrasset, ut Tomis supe-

MARCOMANNUS EP. AUGUSTANUS OBIIT.

AN. CH. 779. CAROLI R. II. rioribus probatum, ubi de Augustanorum Antistitum successione Chronologiáque disputavimus. Successit Symbertus, de quo pleraque sine fundamento scripserunt Bruschius in Catalogo Episcoporum Augustanorum & Bucelinus in parte prima Germaniæ Sacræ.

FABULÆ DE SYMBERTO SUCCESSORE REFELLUNTUR.

XXXVIII. Primò, Symbertus apud Bruschium *Dux Lotharingiæ* vocatur, apud Bucelinum *è Ducibus Lotharingiæ oriundus* dicitur. At multò serius auditum nomen Lotharingiæ.

XXXIX. Secundò, Symbertus apud Bruschium prædicatur *patre natus Amberto, matre verò Symphorianâ Caroli Magni sorore, religiosissimis conjugibus*, & apud Bucelinum nepos Caroli Magni nuncupatur. At inter filias, quas Pippinus Rex genuit, nulla reperitur Symphoriana. Deinde quis Pippinum, si vitam ad hunc usque annum duxisset, ætatem assecutum credat, quâ censeatur avus Episcopi tunc extitisse?

XL. Tertiò, Symbertus apud Bruschium *educatur in pietatis & literarum studiis in Maurbacensi perveteri ac prapotenti Alsatia Cœnobio, instituti Benedictini, cujus loci tandem est designatus Abbas, ubi sic piè & honestè vixit, ut toti suo Conventui exemplum honesta ac innocentis vita praferret*, & apud Bucelinum *Abbas Murbacensis* appellatur. In Chronologia Monasteriorum Germaniæ queritur Bruschius, quòd Abbatum Murbachiensium Indicem aliquoties enixè postularit, nec unquam consequi potuerit, atque in illa lucubratione duos duntaxat Abbates Murbacenses nominat, nempe Symbertum de quo nunc inquirimus & Joannem Rudolphum *de Stohr* cujus temporibus ipse calamo manum admovit. Felicior fuit Bucelinus in parte altera Monasteriologiæ Imperii Germanici, Murbacensium enim Abbatum nactus est Catalogum, in quo sic Abbates enumerantur, qui Pippino & Carolo Regibus floruerunt. *Baldobertus claruit an. Dn. 752. Hasibertus claruit an. Salutis 772. Amicus Abbas Monasterium gubernavit anno Christi 774. Guntramus ad clavum sedit anno Dn. 814.* Nullum ibi verbum de Symberto Abbate. Baldobertus seu Baldebertus Abbas obiit anno Christi septingentesimo sexagesimo-secundo. Successit Haribertus sive Hasibertus, cui post annos duodecim mortuo subrogatus est Amicus sive Amicho. Constant hæc ex Annalibus Nazarianis, quos ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-secundum sic allegavimus, DCCLXII. *Baldebertus obiit, Haribertus Abba ordinatus est*; & ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum, sic, DCCLXXIV. *Haribertus Abba obiit, & Amicho Abba ordinatus est.* Annales hi, quia desinunt in anno Christi septingentesimo nonagesimo, mortem haud notant Amichonis, qui vitam ultra illum annum produxit, proximúmque successorem habuit Guntramum anno Christi octingentesimo decimo-quarto commendatum. Symbertus igitur Abbatum Murbacensium Catalogo non est accensendus, & ex illius loci Monacho piissimo factus videtur Episcopus Augustanus.

XLI. Quartò, Symbertus apud Bruschium Episcopus Augustanæ Ecclesiæ constituitur, *cùm vacasset multis jam annis Augustanus Episcopatus*, ab anno videlicet Christi septingentesimo sexagesimo-quinto, ut & affirmat Bucelinus. At illis temporibus Augustana Ecclesia Interpontificio non laboravit. Marcomannus Episcopus ab anno Christi septingentesimo quinquagesimo-septimo ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-nonum per annos undetriginta incompletos Augustanæ Diœcesi præfuit, eique subrogatus est eodem anno Symbertus, qui munus Episcopale per annos triginta gessit.

XLII. a d. 3. Oct. EPISCOPI URGELLENS. Dotilla Urgellensis Episcopus, quandiu sedit, in Caroli Regno fuit, ad hunc annum mernotatur à Tamayo [a], successorem nactus est Felicem, de quo plura dicemus inferiùs.

XLIII. b Cp. 5. EBROICENS. In Chronico Fontanellensi [b], Gervoldus ex Capellano Berthradæ Reginæ, cujus obitum post quadriennium referemus, Ebroicensis Episcopus constituitur, at annus reticetur, quo res illa gesta est. *Gervoldus ex nobili-*

AN. CH. 779. CAROLI R. II.

bus parentibus ortus, dein Clericus effectus, atque ad Palatium perductus, Bertrada Regina Capellanus efficitur. Cujus obtentu, Ebroicina civitatis Sedes defuncto ejusdem urbis Præsule, à Domno Rege Carolo eidem attributa est. Proximum locum in Ebroicensium Episcoporum Catalogo debet obtinere post Maurinum, qui suâ subscriptione Placitum Attiniacense communivit anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto, ut ad illum annum Tomo superiore notavimus.

XLIV. SILVANECT.

In Annalibus Silvanectensibus hoc anno ponitur obitus Odonii sive Odonini vel Odoeni Silvanectensis Episcopi, cui successit Adelbertus.

XLV. BERCHTOLDUS EX MAGISTRO MON. SYLURNI FIT PRIMUS ABB.

Hoc eodem anno, cùm à Sylurni Monasterii dedicatione biennium jam effluxisset, & illius loci præfecturam gereret Berchtoldus cum Magistri titulo, placuit ipsis Cœnobii fundatoribus, ut Abbas fieret, sic enim apud Hundium [a] & Gewoldum loquuntur in Charta, cujus partem ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-septimum in illius Monasterii dedicatione jam descripsimus. *Post biennium* à dedicatione facta *complacuit fratribus eligere prædictum Perchtkos* seu Berchtoldum *ibidem Abbatem, & per consensum fratrum adduximus eum ad prædictum Episcopum*, id est, ad Aribonem Episcopum Frisingensem, *& juxta ordinem Regulæ Sancti Benedicti electum ordinavit, & nobis posuit Abbatem. Ideòque decrevimus cum consensu [1] ipsius prædicti Episcopi nostri, ut secundum authoritatem Sancti Benedicti Regulæ [2] teneretur ibidem, & regulariter de ipsis fratribus sibimet [3] ipsi eligerent Abbatem, ipso [4] ordinante Episcopo, de domo S. Mariæ [5] si ibidem forsitan defuerit [6] talis inter ipsos fratres, de domo Episcopali eligerent [6] Abbatem, ordinante Episcopo. Actum in prædicto Monasterio Schliersee [7].* Sequuntur notæ Chronologicæ. Apud Hundium sic. *Sub die Consul. quod fuit 12 Calend. Februar. Indict.* XII. *regnante Domino Tassilone, anno 32 Et ipsi subscripti fratres denique testes extiterunt.* Apud Gewoldum, sic. *12 Calen. Febr. In dict. 12. regnante Domino Thessalone, anno 32. cùm ipsi suprædicti fratres invicem testes extiterunt, anno Domini 1343.* Annus Thassilonis Ducis seu Præfecti Bojoariæ tricesimus-secundus per mensem Januarium cum anno Christi septingentesimo octogesimo componitur, quapropter Berchtoldi Abbatis electionem anno superiore, id est, hoc anno post natum Christum septingentesimo septuagesimo-nono consignandam duximus. Assertioni nostræ refragatur Indictio duodecima, per mensem enim Januarium anno Christi septingentesimo octogesimo currebat Indictio tertia. Sed facilis ad hanc objectionem patet responsio, quia priusquàm Carolus Imperator acclamaretur, Indictionis nota publicis instrumentis apud Francos apponi non consueverat. Apud Gewoldum duo distinguuntur tempora valdè diversa, unum quo scripta Charta, alterum quo transcripta. Scripta est mense Januario, anno Tassilonis Ducis tricesimo-secundo; transcripta est anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo-tertio, cui post Kalendas Septembris convenit Indictio duodecima. Nota igitur Indictionis ab anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo-tertio ad annum Tassilonis Ducis tricesimum-secundum perperam ab ignaris videtur translata.

XLVI. SICHARDUS FIT ABB. STABULENS. ET MALMUNDAR.

Apud Fisenum [b] sub hunc annum migrat in cælum Sanctus Albricus Abbas Stabulensis & Malmundariensis, eique succedit Sichardus vir doctus disciplinæ regularis observantissimus.

XLVII.

In Chronico Laureshamensi Gundelandus Abbas hoc anno moritur, qui jam Laureshamense Monasterium *rexit annos* XIII, ab obitu videlicet Chrodegangi fratris, anno Christi septingentesimo sexagesimo-sexto pridie Nonas * Martias ex hac vita sublati, quamvis administrationem Laurishamensis cœnobii susceperit eodem fratre in vivis superstite, sponteque regimen abdicante, ut Tomo superiore probatum est ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-tertium [c], quo Monasterium illud erectum fuit. Porrò Gundelandus *instante sibi divino vocationis bravio, misit ad Regem Aquis-*

[a] Tom. 3. Metrop. Salisburg.

[1] Gewold. cum consensu ejusdem Episcopi, ut

[2] Hund. Regulam regerent. & ibidem regulariter

[3] Gewold. sibi eligerent

[4] Gewold. deest ipso

[5] Hund. defuerint tales inter

[6] Hund. eligant

[7] Gewold. deest Schliersee.

[b] Ad. 5. Sept.

[a] Tom. 1. pag. 487. lin. 15 nobis

* excidit vox Kalendas pro Nonas, itaque error corrigi potest ex subsequentibus, quia vox Nonas non semel repetitur.

[c] Num. 6.

AN.CH. 779. CAROLI R. 11. * peragendi GUNDELANDUS ABB. LAURESHAM. OBIT.

grani, consulens & obsecrans, quatenus ei liceret extremum vitæ cursum peragenti * aliqua de Monasterii rebus impendia, pro animæ remedio, pauperum indigentiæ prærogare. Qui, ut erat prona in omnes clementia & maxima circa inopes compassionis, indulsit ei tertiam partem rerum duntaxat mobilium, in pauperum pro arbitrio suo distributionem. Hæc Auctor Chronici Laureshamensis, qui deinde sermonem ad Ecclesiarum Antistites sic convertit. Instruantur hoc exemplo nostri temporis Ecclesiarum Prælati, qui rebus earum & possessionibus sibi creditis insolenter abutuntur; cùm Pater iste, Imperialis Abbas, Regni Princeps, dives & præpotens, magna famæ, clari generis, nihil præsumpserit absque Regis vel consilio vel præcepto, etiam in ipso mortis articulo, de rebus Monasterii disponere. Tanta tunc erat Religionis cura, juris observantia, legum Regúmque reverentia. Laudamus hunc Auctorem, quòd Antistites, qui rebus ac possessionibus Ecclesiarum sibi creditis insolenter abutuntur, idoneâ redargutione castigarit, sed probare non possumus, quòd Gundelandum Imperialem Abbatem & Regni Principem dixerit. Tunc Imperii nomen in Occidente non audiebatur, & qui Monasteriis in Germania præerant Antistites, ii nec Imperiales Abbates nec Regni Principes appellabantur. Ante aliquot annos Gundelandus Laureshamense Monasterium cum rebus omnibus ad illud pertinentibus in manus & mundeburdem seu defensionem Caroli Regis tradiderat. Regium Diploma descripsimus *, in quo Carolus ita loquitur. Dum præfatus Gundelandus Abbas cerneret ipsius sancti loci imminere periculum, atque vereretur, ne desolatio propter intentionem iniquorum hominum & ipsis Monachis fieret, ad nostram visus est accessisse præsentiam, quæ & ipsum Monasterium in manu nostra tradidit, etiam & secum omnem Congregationem suam in mundeburdem & defensionem nostram pleniùs commendavit. Quem nos gratulanti animo tam propter mercedis augmentum quàm & pro eodem grege salvando visi fuimus percepisse. Habitâ istius mundeburdis seu protectionis ratione, Gundelandus Abbas res Monasterii sui specioso etiam eleemosynarum prætextu minuere non potuit absque Regis licentia, quem per nuncios idcircò consuluit.

* Ad an. 776. n. 14.

XLVIII. HELMERICUS SUCCEDIT.

De Gundelandi successore sic idem Auctor. Gundelando, deposito carnis onere, ad cælestia commigrante, substituitur Helmericus, vir religiosus & sapiens, fratrum quidem electione ex ipsius Congregationis corpore, & Gloriosi Regis Karoli institutione. Hic Ecclesiæ laquearia fecit, pavimentum stravit, tumbam Sancti Nazarii auro argentóque decoravit, altare etiam simili impensâ & operâ mirificavit, quod postea ad Ecclesiam Sancti Petri, quæ dicitur Altenmunster, translatum est. Iste pater amissis seu casu, seu imprudentiâ quibusdam Donationum Chartis, quibus res Monasterii continebantur insertæ, Regiam expetivit auctoritatem, quatinus ea, quæ bonâ fide & justo titulo absque omni interpellatione eatenus possidebat, iterato confirmaret Privilegio, quod in eodem Laureshamensi Chronico sic habetur. Karolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum. Notum sit omnibus fidelibus nostris tam præsentibus quàm & futuris, qualiter veniens Helmericus Abbas in præsentiam nostram nobis innotuit, eò quòd Carta per diversa loca Ecclesiæ suæ Sancti Nazarii perdita fuissent & naufragata, & res eorum per diversa loca habuissent, unde ad præsens vestiti essent in Regno nostro, Deo propitio, & ubicunque ad præsens vestiti fuissent. Nos pro ejus petitione tale Preceptum ei emisimus, atque prædecessoribus suis, dum ipsa casa Dei vestita fuit ad præsens, omnia & ex omnibus ex nostra auctoritate absque refragatione cujuscunque, quieto ordine, quicquid justè & rationabiliter anteà tenuerunt per dationes aut commutationes, ex nostra auctoritate habeant & defensare valeant secundùm legem, sicut per apertam Cartam usque nunc auctoritas Regum defensavit, & denuò confirmavit. Et ut hac auctoritas firmior habeatur, vel per tempora meliùs conservetur, de annulo nostro subter sigillavimus. Signum Karoli Gloriosissimi Regis. Gilsbertus ad vicem Radonis recognovi.

CONFIRMATIONEM REGIARUM DONATIONUM OBTINET A CAROLO R.

AN. CH. 779. CAROLI R. II. XLIX.

Ut in encomio Gundelandi Laureshamensis Abbatis Auctor Chronici suprà citati, sic & in Sanctæ Liobæ Bischofsheimiensis Abbatissæ vita Rudolphus Rabani Abbatis discipulus Carolum Aquisgrani commoratum testatur. Annus, quo Gundelandus Carolo in Aquensi Palatio degentem consuluit, in controversiam vocari non potest, quia Gundelandus morti proximus erat, obiitque anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono. Tempus, quo Hildegardis Regina, quæ tunc Aquisgrani cum Rege versabatur, ad Regale Palatium Liobam evocavit, haud ita determinatè notatur à Rudolpho, non alius tamen indicari videtur annus, Hildegardis enim Liobæ superstes vixit, & ab hoc anno quo Gundelandus è vita discessit, ad obitum usque Hildegardis Reginæ Carolus nec Haristallium nec Aquisgranum adiisse legitur. Accipe igitur hoc loco, quæcumque de Gestis Liobæ hoc anno post reditum ex Aquisgranensi Palatio mortuæ supersunt dicenda. *Hic*, nempe Carolus, *religiosam Dei virginem* Liobam, *ad se frequenter invitatam, cum magna reverentia suscepit, & dignis muneribus honoravit. Sed & Regina Hildegardis puro eam venerabatur affectu, atque ita ut animam suam diligebat, voluitque ut assiduè secum maneret, quatenus ad viam vitæ verbis ejus proficeret & exemplis. Sed illa ut veneni poculum, ita Palatinum detestabatur tumultum. Amabant eam Principes, suscipiebant Proceres, Episcopi cum exultatione amplectebantur. Et quia erat in Scripturis eruditissima, atque in consilio provida, verbum vitæ cum ea conferebant, & instituta Ecclesiastica sæpè tractabant. Illa verò omnem sollicitudinem erga id, quod cœperat, exercebat, & Monasteria puellarum quasi ductrix spiritualium tyronum visitans, certantibus studiis ambulantes ad perfectionis gloriam provocabat. Interdum etiam & ad Monasterium Fuldensium Monachorum causâ orationis venire solebat, quod nec priùs nec posteà ulli unquam fœminarum concedi potuit, quia locus ille, ex quo à Monachis habitari cœptus est, fœmineus negabatur ingressus. Tantùm autem huic soli concessum est propter hoc, quòd Sanctus Martyr Bonifacius eam senioribus commendavit, corpúsque illius ibi sepeliendum decrevit. Cujus tamen adventus ordine moderabatur. Relictis enim in vicina cella discipulabus ac pedissequis, ipsa cum una ceteris maturiore Monasterium diurno tantùm tempore adivit, & post orationem, completâ cum fratribus collatione, noctibus ad discipulas suas, quas in cella dimiserat, revertebatur. Cùm autem & provectioris jam esset ætatis, ordinatis omnibus, quæ sub cura sua erant Monasteriis, cum consilio Lul Episcopi Moguntiacensis venit in locum, qui vocatur Scoonersheim, quatuor millibus à civitate Moguntia ad Africum distans, ibique cum famulabus Dei secum commorantibus mansitavit, jejuniis & orationibus Deo serviens nocte & die. Intereà morante Rege Carolo in Aquensi Palatio, misit ad eam Regina Hildegardis deprecans ut ad se venire non gravaretur, quia desideravit enim videre eam, antequàm de corpore migrasset. Quod illa quamvis molestè ferret, propter antiquam tamen familiaritatem consensit. Pergit ergo, & cùm eâ, quò solita est, à Regina gratulatione esset suscepta, audivit causas, pro quibus invitata est, redeundi licentiam postulavit. Cùmque propensiùs rogaretur, ut aliquot ibi dies maneret, abnuit, ac solito affectu in amicam irruit, os, frontem, oculos deosculans, inhærens amplexibus, hujusmodi verbis salutatam reliquit. Vale in æternum domina & soror dilectissima, vale anima mea portio pretiosa, Christus creator & redemptor noster tribuat, ut nos in die judicii sine confusione videamus, ceterùm in hac luce nunquam ab hac die conspectu fruemur. Reversa est igitur ad Monasterium, & post paucos dies corporis incommodo correpta decidit in lectum. Cùmque ingravescente languore instare cerneret tempus dormitionis suæ, vocavit Torthertum venerabilem Presbyterum, natione Anglum, qui ei indesinenter adhærens, cum reverentia semper & amore serviebat: & accepto Corporis & Sanguinis Christi viatico hominem exuit, ac Creatori suo animam, quam dederat, mundam & immaculatam cum gaudio restituit. Obiit autem mense Sep-*

POSTRIMA GESTA LIOBÆ BISCHOFSHEIM. ABBATISSA.

MORS.

AN. CH. *tembri, quarto Calendas Octobris, corpúsque ejus Fuldenses Monachi susceptum,*
779. *cum prosecutione nobilium personarum, venerabiliter ad Monasterium suum transtulerunt. Recordati sunt itaque seniores eorum, dixisse Sanctum Bonifacium,*
CAROLI I R. 11. *quòd sua esset voluntatis, ut corpus illius ad ossa sua poneretur, sed quia metuebant sanctum sepulchrum beati Martyris aperire, consilio inito, sepelierunt*
SEPULTURA. *illud ad plagam Septentrionalem altaris, quod ipse Sanctus Bonifacius in honorem Domini Salvatoris nostri & Sanctorum duodecim Apostolorum ejus dedicaverat.*

L. Tomo superiore Gesta Sanctæ Glodesindis descripsimus ad annum usque Christi septingentesimum septuagesimum-secundum, quo Metas rediit, unde Treviros ad Rothildam amitam ante biennium profugerat post Oboleoi sponsi mortem ab Angelo velata. Cetera conglobatim hic accipe, ut à Joanne Abbate Gorziensi referuntur. *Urbem sibi patrocinijs divinis amicam*
GLODESINDIS MONASTERIUM. *Mettim repetiit. Vita illicò arctioris ingressum, cui jamdudum sanctus ejus spiritus toto desiderio aspirabat, ancillarum Christi secum grege collecto, summâ vi atque ope nitens arripuit. Est locus infra mœnia urbis ipsius, jure hereditario eunc parentum possessio, religiosiori instituto admodùm opportunus. Hunc sancta virgo divinis usibus dono dari sibi expostulans, nec mora, paratissimâ eorum liberalitate adeptum, Monasterium puellarum Dei hodie usque insigne pulchro materialiter decore construxit, pulchriori nihilominùs virtutum robore nobiliter gubernavit. In quo usque ad centenum numerum Collegium Christo famulantium adunavit, tíque omni vigilanter sedulitate institit gloriosa. Postquam idem Monasterium ad numerum sex illorum dierum, quibus praparationis sancta inecgritatis mirabili illo in Ecclesia duraverat jejunio, sex item annos feliciter re-*
PRÆFECTURA. *xerat Deo hominibúsque grata, vitâ quoque & signis magnifica, in sanctitatis proposito cursu fideliter consummato coronam justitiæ percepturu à Domino, spon-*
OBITUS. *sóque diu cupito celesti jam socianda thalamo immaculata migravit à seculo. Totum prætereà hujus spatium mortalitatis triginta annorum cursu eam emen-*
ÆTAS. *sam esse confirmant.* De mirabili illo sex dierum jejunio, quod in Glodesinde laudatur, actum ad annum Christi septingentesimum septuagesi-
a Num. 32. mum [a], quo Treviros se recepit. Biennio pòst rediit Metas, ibique Puellare Monasterium construxit, rexítque sex duntaxat anois, ab anno videlicet Christi septingeoresimo septuagesimo-tertio ad hunc annum Incarnationis Dominicæ septingentesimum septuagesimum-nooum, quo migravit in cælum octavo Kalendas Augusti. Dies io Martyrologio Gallicano notatur. Annus colligitur ex ejus ortu, quem anno Christi septingentesimo quadragesimo-nono consignavimus, cùm Regnum Francorum penes Childericum Tertium Regem esset. Lege ad illum annum quæ scripta sunt adversùs Auctores non paucos, qui longè alias opiniones de Glodesindis ætate publicarunt.

LI. Quod ad sepulturam attinet, *funus*, ut Gorziensis Abbas subjungit, *ex*
SEPULTURA. *consequenti debito honore curatur, & de more à se in eodem Monasterio jam inde ab initio instituto corpus ad Basilicam Sanctorum Apostolorum haud longè à mœnibus urbis ad portam Meridiem versùs effertur, atque ibi in crypta longè inferiùs demersa ad latus sinistrum deponitur. Nam hoc idem ipsa vivens, ut fieret, jusserat eò quòd cæmeterium sanctarum puellarum ejusdem loci in prædicta Apostolorum Ecclesia tunc temporis haberetur.* Hæc Basilica posterioribus seculis nomen Sancti Arnulphi Metensis quondam Episcopi gessit.

ANNUS

AN. CH. 780. CAROLI R. 12.

CHRISTI 780.

CAROLI R. 12. 9. 7.

CAROLUS Legi Salicæ ter addidit Capitula, quæ quoniam tribus adjecta sunt vicibus, in tres quoque partes distinguuntur. Ad hunc annum à Christo nato septingentesimum octogesimum pertinet ea pars, quæ septem constat Capitulis, nec ullo Charactere Chronologico consignatur. Aliæ enim duæ rejici debent in nonum seculum, quoniam editæ Carolo tum Imperatore, imò illarum una in suo titulo annum habet Caroli jam Imperatoris tertium, quocum annus Christi tertius supra octingentesimum componitur. Ut autem partem, quam mox daturi sumus, hoc anno promulgatam censeamus, id potissimùm nos impellit, quòd Carolus in Lege Longobardica, quam Româ reversus anno Christi septingentesimo octogesimo-primo tulit, Capitula quæ *præterito anno*, id est, anno Christi septingentesimo octogesimo, Legi Salicæ addiderat, non ulteriùs Capitula sed Leges dici, imò pro Lege Salica teneri jussit hac sanctione. *Generaliter omnes admonemus, ut Capitula, quæ præterito anno Legi Salicæ cum omnium consensu addenda esse censuimus, jam non ulteriùs Capitula, sed tantùm Leges dicantur, imò pro Lege Salica teneantur.* Hæc ad Chronologiam. Sequuntur Capitula.

I. CAROLUS R. ADDIT CAPITULA LEGI SALICÆ.

I. De justitia Ecclesiarum, vel viduarum, orfanorum, pupillorum, ut in publicis judiciis non despiciantur clamantes, sed diligenter audiantur. II.

II. De armis infra patriam non portandis, id est, scutis, & lanceis, & loricis. Si faidosus quis sit, discutiatur tunc quis è duobus contrarius sit & ut distringantur ad pacem etiamsi noluerint, &, si aliter pacificare noluerint, ducantur in nostram præsentiam. Et, si aliquis post pacificationem alterum occiderit, componat illum, & manum, quam perjuravit, perdat, & insuper bannum Dominicum solvat. III.

De juramento, ut nulli alteri per sacramentum fidelitas promittatur, nisi nobis & unicuique proprio seniori, ad nostram utilitatem & sui senioris, ex[illegible]ramentis, quæ justè secundùm Legem alter alteri debet. IV.

De perjuriis, ut caveantur, & non admittantur testes, ad juramentum, antequam discutiantur; &, si aliter discuti non possunt, separentur ab invicem, & singulariter inquirantur. Et non soli accusatori liceat testes eligere, absente accusato. Et omnino nullus, nisi jejunus, ad juramentum vel testimonium admittatur. Si refutatur, dicat ille, qui eum refutat, & probet quare illum recipere nolit. Et de ipso pago non de altero testes eligantur; nisi fortè longiùs extra comitatum causa sit inquirenda. Et, si quis convictus fuerit perjurus, manum perdat aut redimat. V.

De Advocatis, id est, ut pravi Advocati, Vicedomini, Vicarii, & Centenarii tollantur, & tales eligantur, quales sciant & velint justè causas discernere & terminare. Et, si Comes pravus inventus fuerit, nobis nuntietur. De Vicedominis, Vicariis & Centenariis actum suprà. VI.

I. De oppressione pauperum liberorum hominum, ut non fiant à potentioribus aliquod malum ingenium contra justitiam oppressi, sed diligenter inquiratur eorum causa. VII.

VII. De liberis hominibus, qui uxores fiscalinas regias, similiter fœminis liberis, quæ homines fiscalinos regios accipiunt, ut de hæreditate vel de causa qua[illegible]da ac testimonio pro hac re non abjiciantur; sed talis etiam nobis in hac cau- VIII.

AN. CH. 780. *sa honor servetur, qualem & ab antecessoribus nostris Regibus vel Imperatoribus servatum esse cognovimus.* Huc usque Capitula, quæ Carolus hoc anno Legi Salicæ adjecit, posteaque in Longobardica plurimùm commendavit.

CAROLI R. 12.

IX. PROFICISCITUR IN SAXONIAM. Hoc eodem anno Rex Pascha Wormaciæ celebravit septimo Kalendas Aprilis. *Inde autem, cùm primùm temporis opportunitas adesse visa est, iterum cum magno exercitu in Saxoniam profectus est, transiénsque per arcem Eresburgum ad fontes Lippiæ venit, ubi castrametatus per aliquot dies moratus est. Inde ad Orientem itinere converso ad Obacrum* * *fluvium accessit. Cui cùm ibi omnium Orientalium partium Saxones, ut jusserat, occurrissent, maxima eorum multitudo in loco, qui Horheim appellatur, solitâ simulatione baptizata est. Profectus inde ad Albiam* *, *castrísque in eo loco, ubi Hora & Albia confluunt, ad habenda stativa collocatis, tam ad res Saxonum, qui citeriorem, quàm & Sclavorum, qui ulteriorem fluminis ripam incolunt, componendas operam impendit. Quibus tunc pro tempore ordinatis atque dispositis, in Franciam reversus est.* Hæc Monachus Laureshamensis, quocum alii veteres Annalistæ conferendi.

* l'Okér.
* l'Elbe.

X. Carolus ad Lippiæ fontes Synodum tenuit. Id antiqui docent Annalistæ, Loiselianus, Bertinianus, & Metensis, addúntque baptizatos ultra Obacrum amnem in loco, cui nomen *Orheim* & *Orahim* sive *Orham* vel *Horheim*, Bardongavenses omnes ac multos de Nortliudis aut Nordivelis seu Nordludis vel Nortluidis sive Nortleudis aut Nordilendis. Fuerunt Bardongavenses Saxonum populi, Wisurgim * inter & Albim. Obacrus enim, quem Onacram quoque appellant, in sinistram Aleræ ripam egeritur, & Alera * dexteram Wisurgis ripam subit, Oram verò recipit Albis à læva, veterúmque Annalium castigandæ sunt aliquot editiones, quæ Caroli stativa non ad Oræ * sed ad Obacri confluentes in Albim sive Albiam collocant. Vestigium eorumdem Bardongavensium superest in oppido Bardovico *, quod infra Lunæburgum * est ad Ilmenonem * fluvium Nortliudi, quos Saxoniæ Borealis incolas vox ipsa declarat, trans Albim degebant, de illis enim in vita Caroli Monachus Egolismensis ita scribit. *In ipso quoque Paschæ tempore, Nortliudi trans Albiam sedentes, seditione commotâ,* &c. Episcopos, Presbyteros, & Abbates, ut populum erudirent, in Saxonia reliquit Carolus, nam teste Chronographo Moissiacensi *divisit ipsam patriam inter Episcopos, Presbyteros, & Abbates, ut in ea habitarent & prædicarent.* Hæc palàm ostendunt spem magnam de synceta Saxonum conversione tunc conceptam fuisse, licèt Monachus Laureshamensis eos solitæ simulationis reos afferat, quia post biennium à fide Christiana descivetunt. Rex, ut illius gentis conversionem magis promoveret, inter Rhenum & Albim loca quædam pro Sedibus Episcopalibus elegit. *At quia nondum omnes Saxones fidem Christi susceperant, non erat tutum in locis prædictis Episcopos ordinare. Erexit igitur Karolus quandam Ecclesiam in Paderborne, quàm commisit Episcopo Wirzeburgensi, donec de Episcopo posses eidem loco tutò providere. Et hæc Ecclesia incepta est anno Domini septingentesimo octogesimo; quo anno multi Saxones Orientales venerunt ad Karolum, & baptizati sunt.* Hæc Gobelinus Persona in Cosmodromio [a]. Atque inde corrigendum putamus Krantzium, cùm Episcopatum Osnaburgensem hoc eodem anno Christi septingentesimo octogesimo institutum dicit [b]. Id meliùs ab aliis post annos octo rejicitur. Quicquid enim consilii captum hoc anno, nullus Episcopatus ante Widikindi Baptismum erectus est in Saxonia. Ut igitur apud Paderbornam, sic & apud Osnaburgum, hoc anno jacta sunt Ecclesiæ fundamenta, seriùs verò Sedes Episcopalis, ut suis locis ostendemus, utrobique constituta. Reverendissimus ac Celsissimus Princeps Ferdinandus Furstenbergius Paderbornensis Episcopus ac Monasteriensis Coadjutor Monumenta Paderbornensia ex Romanorum, Francorum atque Saxonum Historiis eruit, & novis inscriptionibus, notis ac figuris illustravit

* le Veser.
* l'Alre.
* l'Ohre.
* Bardewick.
* Luneburg.
* l'Ilmenow.

EPISCOPOS, PRESBYTEROS, ET ABBATES RELINQUIT AD ERUDIENDOS SAXONES.

[a] Æt. 6. c. 31.
[b] Lib. 1. Metrop. c. 2.

AN. CH. 780. CAROLI R. 12.

vit anno Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo-secundo. Felicissimè, cùm hæc typis danda pararemus, pervenit ad nos illud opus, quod & eruditissimum est, & suo dignissimum Auctore, nec primâ vice potest à nobis auspicatiùs allegari, quàm hoc in loco, ubi sermonem facere de primis incunabulis Ecclesiæ Paderbornensis incipimus. Monumento quinto [a], cui Titulus, *Fontes Amisii*, describitur hic textus ex libro Taciti de Moribus Germanorum. *Nullas Germanorum populis urbes habitari, satis notum est; ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.* Atque inde ratio, cur Episcopales in Saxonia Sedes collocare non esset tutum, paulò pòst ita colligitur subjicitúrque. *Quia post Taciti ætatem ad Carolum M. nulla per Saxoniam civitates, in quibus ex Canonum sacrorum præscripto Episcoporum Sedes collocaret, uti ipse querebatur Carolus. Hinc illas in frequentioribus vicis & castellis posuit. Verum in quas urbes villæ ac vici illi Christianorum cultu pòst excreverint, testis Brema, Osnabruga, Minda, Verda, Monasterium, Paderborna, Halberstadium, Hildesium, Hamburgum, ne quid de Magdeburgo dicam, & aliis Episcoporum Sedibus.* Et Monumento decimo-tertio [b], cui Titulus, *Paderæ Fontes*, urbs Episcopalis quæ recentioribus Padeborna, Padeburna, Paderborna, & Padiburna dicta est, variis modis appellatur ex antiquis Auctoribus *Padabruna, Padabrunno, Padabruno, Padesbrun, Paderbrunnen, Paderbrunnon, Padesbrunen, Paderburnen, Paderburnum, Padrabprunno, Padrabrunne, Padrabrunno, Padresbrunnon, Padresburnon, Paterbrunna, Pathalbrunnon, Patherbronna, Patherbruna, Patresbrunnen, Patresbrunnas, Patresbrunno, & Patrübruna.* Hujus vocabuli, quocumque modo legatur, duæ sunt partes; prior fluvii nomen est, posterior fontem sonat. Illius autem fluminis in eodem Monumento [c] multiplex est appellatio, *Pada, Pader, Padera, Padra, Padus, Pather, & Patra.* Nomen hoc plerique derivant à Pado Italiæ fluvio, sed id Joanni Horrioni Paderbornensis elegantissimo Scriptori minùs placet, ut & aliis ... tis, qui licèt eruditione præstantissimi sint, ingenuè tamen fatentur nescire, unde profecta sit hæc nuncupatio. Uno à Paderborna milliari sub Castro Lipspringa * scaturit, qui variis quoque modis appellatur, in Annalibus Francorum celebris est Luppia * sive Lupia vel ... is Lippa. Hic amnis à læva prædictum Paderam * supra Neuhusium & Alisonem sive Almam * infra idem Neuhusium * accipit. ... anno, cùm ad fontes Lippiæ pergeret, iter per arcem Eresburgi ... De Eresburgo sæpè jam locuti sumus, ex quo Carolus bellum ... suscepit; placet hîc addere nonnulla ex nono Monumento ... menti, cui Titulus, *Eresburgum ad Dimolam.* Loci nomen variis editionibus invenitur, *Eresburg, Eresburgum, Heresburg, Heresburc, Heresburgk, ... rgum, Hiresburgum, Eresbererg, Eresbergh, Merseburg, Mersberg, Mars-mons Martis.* Etymon nominis, quoad posteriorem partem, seu *burg*, ... g, aut quid simile scribatur, clarum & obvium, obscurum autem ... ium quoad posteriorem. Gobelinus Persona natum vult à Religione, quòd in *loco*, inquit, *prædicto concursus pro sacrificiis ipsi idolo Ermun... iendis ex omni regione fiebat, à Veneratione locus ille Eresberg, id est, venerationis dictus est.* Idem aliam hanc affert notionem. *Locus dictus ... esberg, id est, Mons Hera, videlicet Junonis. Quòd autem Hera colebatur à Saxonibus, videtur ex eo, quòd,* &c. Germani apud Tacitum in libro ... rum moribus, *Herthum, id est, terram matrem colunt*, inde quis suspicari posset Heram eandem esse cum Hertho, & loco nomen dedisse. ... s Winkelmannus *Hiresburgum* legit, hoc est, sacrum burgum, an... is enim Saxonibus *hire* idem ac sacrum fuit. At ut idolum, quod colebatur, dictum est *Ermun-sul*, id est, *Martis columna tutelaris*, *Martis columna profugii*, sic *Ersberg* idem videtur ac *mons Martis*, eâ interpretatione, quam ad annum Christi septingentesimum septua-

[a] Num. 5.
[b] Num. 1.
[c] Num. 1.
* Lipspring.
* la Lippe.
* le Pader.
* l'Alme.
* Nienhus.

AN. CH. 780. CAROLI R. 12.

gesimum-secundum jam attulimus, Martem sonant omnia; urbis, montis, & fani nomen, cum toto idoli apparatu. Cave autem ne Martis nomine deceptus, Eresburgum ad Salam Thutingiæ fluvium colloces, ubi civitas Episcopalis Mersburgum, cui profectò non conveniunt multa quæ de *Eresberg* antiqui prodiderunt Auctores à nobis sæpè cùm citari tum citandi. In vetere Saxonia seu Westphalia stabat Eresburgum; ejus situm varii variè collocant, ad Visurgim, ad Lippiam, ad Ambram, ad Dimolam, ad Ruram, ad fontem Lippiæ, & ad arcem Iburgum seu Driburgum. Quæ scripta sunt à veteribus Annalistis de aquarum penuria, quâ Regius laboravit exercitus, cùm Carolus Eresburgum Castrum cepit & idolum Ermun-sul evertit[a], ea non favent illorum opinionibus, qui constituunt Eresburgum ad ripam cujusdam fluvii, sive is dicatur Visurgis, sive Lippia, sive Ambra, sive Dimola, sive Rura. Quænam enim ad amnem esse potuit aquæ penuria? Vetus tamen Eresburgum idem esse cum hodierno *Stadtberg*, & Dimolæ adsidere censet Reverendissimns ac Celsissimus Episcopus & Princeps Paderbornensis, in cujus sententiam imus lubentissimè. Fabulosam incolarum traditionem meritò spernit. *Majorum*, inquit, *habet traditio, quam incolæ referunt, Dimolæ aquas veneno à Saxonibus infectas, & cùm Carolus preces ad Deum fudisset, ejus equum in montis declivi descensu, quadrante circiter hora ab Eresburgo, ungulâ fontem elicuisse, cui hodiernum Regii fontis sit nomen, & aqua perennis. Sed vereor, ne equi fontem aperientis ungula Pegasi magis fabulam sapere, quàm Historiæ veritati consentire videatur.* At illa traditio, licèt commentis haud careat, argumento nihilominùs est Eresburgum Dimolæ impositum fuisse. Nec huic assertioni veteres Annalistas refragari credimus, in castris enim Regiis aquæ penuria potuit esse, quia Saxones sinistram Dimolæ ripam occupabant, adeóque tuebantur, ut Francos & amnis transitu & aquatione prohiberent. Ex accurata rerum tunc gestarum narratione colligere non potes fluvii transitum Francis liberum fuisse. Dimola * sinistram Visurgis ripam subit, Carolus ad illorum usque fluminum confluentes est progressus, & factâ pace Dimola Francici Regni limes constitutus est anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo. Posteris autem annis Rex Dimolam transiit, atque ad fontes usque Lippiæ, necnon & ulteriùs penetravit. Hoc anno, cùm ad fontes Lippiæ contenderet, per arcem Eresburgum transiit. Id probatissimi testantur Auctores. Annalista Laureshamensis jam citatus. *Cum magno exercitu in Saxoniam profectus est, transiénsque per arcem Eresburgum ad fontem Lippiæ venit.* Loiselianus, sic. *Rex iter peragens ad disponendam Saxoniam, ad Heresburgum pervenit, & inde ad locum ubi Lippia consurgit.* Tilianus, sic. *Rex ad Heresburgum veniens, & inde ubi Lippia consurgit, ibi Synodum tenuit.* Bertinianus, sic. *Rex iter peragens ad disponendam Saxoniam, ad Heresburgum Castrum pervenit, & inde ad locum ubi Lippia consurgit.* Metensis, sic. *Rex Saxoniam ingressus, ad Heresburc venit, & inde ad locum ubi Lippia consurgit.* Incertus Auctor in vita Caroli, sic. *Domnus Karolus iter aggressus ad disponendam Saxoniam, ad Eresburgum pervenit, & inde ad locum ubi Lippia fluvius oritur.* Monachus Egolismensis, sic. *Iter peregit ad disponendam Saxoniam, & pervenit ad Eresburgum, & inde ad locum ubi Lippia consurgit.* Et Regino, sic. *Carolus Saxoniam ingressus, ad Heresburgk venit, & inde ad locum ubi Lippia consurgit.* Tot auctoritates simul conglobamus, ut scias Eresburgum ad ripam Dimolæ non malè collocari, cùm legis illud Castrum Australius fuisse, & Carolo ad disponendam Saxoniam pergenti priùs occurrisse, quàm Lippiæ fontem, qui Borealior est. Atque inde corrige Reineccium, qui torrentem Eresburgo proximum, ut ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-secundum diximus, interpretatur *Bullerborn*, nam *Bullerborn* seu *Bulderborn* vel *Bolderborn* aut *Bulterborn*, quia *bulleren* sive *bulderen* aut *bolderen* Teutonicè cum strepitu blaterare vel deto-

a Vid. sup. ad an. 772. n. 5.

* *In Dimel.*

nare dicitur, idem est ac fons resonus seu fons tumultuarius, qui prope Beram veterem in sylva Teutoburgensi scaturit, ut expositio Monumenti Paderbornensis vicesimi fusiùs declarat. Inter Presbyteros autem, quos hoc anno Carolus in Saxoniam misit, ut promovendæ incolarum conversioni sedulam operam navarent, ultimum locum non tenuit Willehadus, cujus zelum in propaganda fide jam commendavimus. Hic relictâ Frisiâ Saxones hoc anno cœpit erudire. Sic enim in illius vita scribit Anscharius. *Gloriosissimus Francorum Rex Karolus, qui jam multoties in gente Saxonum elaboraverat, quò ad fidem Christianæ Religioni converterentur: sed illi aversi semper cordibus susceptam fidem sæpiùs deserentes, pristinis magis implicabantur erroribus, auditâ famâ viri Dei*, nempe Willehadi, *ad se eum accersiri præcepit, quem ad se venientem honorificè ac reverenter suscipiens, ejus confabulationi ac doctrinæ libenter animum attendebat, probatumque sanctis moribus ac fidei non fictæ constantiâ, misit in partes Saxoniæ ad pagum, qui dicitur Wigmodia, quò inibi auctoritate Regali & Ecclesias instrueret, & populis doctrinam sanctæ prædicationis impenderet, atque viam salutis æternæ liberè cunctis illic habitantibus nuntiaret. Quod ille ministerium devotè susceptum officiosissimè peregit, ac pertransiens cunctam in circuitu Diœcesim, multos ad fidem Christi evangelizando convertit, itaut in secundo anno tam Saxones quàm & Fresones in circuitu commorantes, omnes se pariter fieri promitterent Christianos.* Anno proximo agemus ea de re, Characterésque Chronologicos Anscharii diligenter examinabimus. Per Wigmodiam autem pagum intellige, cujus caput ad Visurgim Brema, ubi constituta pòst Episcopalis Sedes, institutúsque primus Episcopus ipsemet Willehadus, ut constat ex Caroli Regis Diplomate, quod infrà suo loco recitabimus.

AN. CH. 780. CAROLI R. 12.

XI. CUM SCLAVIS, ET FRISIIS.

Præter Saxones, ut prælaudatus Moissiacensis Chronographus subjungit, *Winidorum seu & Fresonum magna multitudo baptizata est.* Hic Auctor Winidos vocat, quos Monachus Laureshamensis Sclavos appellat, aitque à Saxonibus Albi interfluente distermінari. Carolus ad Oræ confluentes in Albim castra ponit, magnáque non Saxonum modò cis Albim sed etiam Sclavorum trans eundem fluvium fit ad Christianam Religionem accessio, nec id temerè videtur asseri de Frisiis, quia Saxonibus finitimi. Varii trans Albim populi promiscuè Sclavi, Wandali & Winidi reperiuntur dicti. Moissiacensis Chronographus videtur intelligendus de Abodritis sive Obotritis in ea Germaniæ parte sitis, quæ Ducatum posteà Megalopolitanum * constituit. Manserunt enim deinceps in amicitia Francorum, adeóque dilecti sunt à Carolo Rege, ut Wilsis, à quibus lacessebantur, anno Christi septingentesimo undenonagesimo bellum intulerit. Et anno pòst sexto in Annalibus Petavianis *Dux in Winedis* appellatur *Witsidus* seu Wiltzan Obotritorum Princeps, quem Saxones insidiis exceptum occiderunt.

* de Meckelbourg.

XII. VIRGILIUS EP. SALISBURG. ADIT & KARINTHIA.

Quod attinet ad Winidos strictiùs sumptos, illos ad ortum Bojoariæ positos erudiebat, atque in Christi fide, quam ab aliquot annis susceperant, egregiè admodum confirmabat Virgilius Salisburgensis Episcopus, cujus profectionem in illam regionem anno superiore attigimus. *Vir ille sanctitatis & gratia plenus, omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret, zelo pietatis obediens, Ecclesias consecravit, & per Karinthiam sensim transeundo, ad fines Hunnorum, ubi Dravus influit Danubium, quò etiam posteà, tempore Arnonis primi Archiepiscopi, territorii Saltzburgensis termini, Chronicis attestantibus, extendebantur, saluberrima visitationis usu officio pertransiit, palmitésque cælestis vineæ propagando Clericis ad sacros ordines promovendis, ut singulos arbitrabatur dignos, benedictionis sua manum imposuit.* Hæc Auctor vitæ, qui sermonem paulò pòst ad ejusdem Virgilii mortem convertit. *Inæstimabilis sanctitatis & meriti, beatus Dei Præsul Virgilius feliciter ac strenuè sui laboris cursu consummato, post emensas pelagi mundani tempestates, ad metam hujus peregrinationis & ad portum salutis Jesum Christum declinans, dissolutionem sui*

AN. CH. 780. CAROLI R. 12.

OBIT.

corporis, juxta necessitatem conditionis humanæ, imminentem, divinitus sibi revelatam præscivit. Rediens itaque celeriùs, & memoratam civitatem suam, nempe Salisburgum ubi Sedes Episcopalis, *intuitus, amarissimè fundendo lachrymas, hunc visus est decantare versiculum. Hæc requies mea, &c. Celebrato denique divini Sacramenti mysterio, levi morbo correptus, anno Dominicæ Incarnationis* DCCLXXX. *4. Kalend. Decemb. obdormivit in Domino cujus corpus in latere meridiano Monasterii, cujus ipse* XII *annis fabricator & in tertio decimo consecrator extitit, prout tantum decuit Pontificem, honorificè fuit repositum, sacer autem spiritus ejus, civium consortio gaudet supernorum.* In Annalibus quoque Salisburgensis Ecclesiæ, ut idem Auctor subdit, Virgilius obit *anno Incarnati Domini* DCCLXXX. Nec apud Hundium audiendi sunt, qui reponunt annum vel DCCLXXXIIII, vel DCCLXXXV. Manifestus est error, atque ex eo videtur emanasse, quòd, cùm olim annum, quo Virgilius ex hac vita migravit, omnes constantissimè notarint DCCLXXX, motâ verò de die controversiâ, diem alii IIII scripserint, alii V ante Kalendas Decembres, reperti sunt è recentioribus, qui duobus numeris, quorum alter annum, diem alter designabat, in unum coactis, Virgilium asseruerunt mortuum anno Christi vel DCCLXXXIIII vel DCCLXXXV. Falluntur quoque, qui Virgilium Episcopum per annos triginta fuisse contendunt. Nec etiam caret mendo præcitatus Anonymus, cùm eundem Virgilium Basilicæ, quam construxit, XII annis fabricatorem, & *in tertio-decimo* consecratorem dicit. Seriem totius Chronologiæ paucis accipe.

XIII. Virgilius anno Christi septingentesimo sexagesimo-secundo in Franciam venit; anno Christi septingentesimo sexagesimo-quarto missus est in Bojoariam, ut Episcopus Ecclesiæ Salisburgensis ordinaretur; usus est Chorepiscopo ad annum usque Christi septingentesimum sexagesimum-sextum, quo consecratus est Episcopus; Ecclesiam ædificare cœpit anno Christi septingentesimo sexagesimo-septimo, illámque anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio dedicavit; Presbyteros, qui Winidos seu Karantanos erudirent, non semel direxit, ipse totam regionem lustravit, ejúsque meruit Apostolus appellari; post varios labores, cùm Salisburgum reversus esset, illic obiit anno Christi septingentesimo octogesimo. Ergo nec annos in erigenda Ecclesia consumpsit duodecim, nec Episcopatum annis triginta gessit.

XIV. Post Sanctum Virgilium in Cathedra Salisburgensi sedit Bertricus Sancti Petri jam Abbas, cujus obitum anno sequenti consignabimus.

SUCCEDIT BERTRICUS ABB. S. PETRI.

XV. Carolo Rege cum copiis in Saxoniam profecto, res Italiæ nonnihil turbatæ sunt. Adrianus Papa cum Petro quodam à Neapolitanis misso circa festum Resurrectionis Dominicæ diem in colloquium frustrà venerat de patrimonio beati Petri in agro Neapolitano; Neapolitani postulatis Pontificiis non acquieverant, imò Terracinam, quam Pontifex haud pridem subegerat, juncti Græcis invaserant. Adrianus suspicatus ex consilio Aragisi Ducis hæc fieri, eum authorem illorum motuum sugillavit, veritúsque, ne defectionem moliretur cum Beneventanis, quorum regimini cum titulo Ducis à Carolo præpositus fuerat, & Adalgiso, cujus sororem duxerat, ac Præfecto Siciliæ se socium ad invadendam Italiam adjungeret, scriptis [a] literis Carolum Regem Francorum rogavit, ut Wulfrinum ad Kalendas Augusti dirigeret cum copiis, quibus non Terracina modò reciperetur, sed & Caieta prætereà expugnaretur ac Neapolis, & patrimonium beati Petri in territorio Neapolitano recoperaretur. Illarum literarum titulus talis est. *Domno Excellentissimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Principium earundem literarum est corruptum. Ea tamen, quæ superiùs enuntiavimus, posteà sic ibi describuntur. *Vobis*, inquit Pontifex, *de partibus insinuamus, qualiter nefandissimi Neapolitani & Deo odibiles Græci, præbente malignum consilium Arighis*

[a] Cod. Carol. ep. 64.

AN. CH. 780.

CAROLI R. 12.

CAROLUS LECTIS ADRIANI PP. LITERIS,

Duce Beneventano, subitò venientes, Terracinensem civitatem, quam servitio beati Petri Apostolorum Principis & vestro atque nostro anteà subjugavimus, nunc autem in valido consilio, iterum ipsi jam fati nefandissimi Neapolitani cum perversis Græcis invasi sunt. Nos quidem sine vestro consilio nullatenus ibidem dirigere voluimus. Sed poscimus vestram à Deo promotam Regalem Excellentiam, ut, sicut solita est, pro amore beati Petri, clavigeri Regni cælorum, disponere debeat, & celeriter nobis Wulfrinum dirigere, ut hîc apud nos Kalendis Augusti paratus esse festinet atque talem eidem mandationem facere jubeatis, ut cum omnibus Tuscanis, seu Spoletanis, atque cum ipsis nefandissimis Beneventanis, in servitio vestro paritérque nostro ad recolligendam ipsam civitatem Terracinensem adveniant, simúlque Domino annuente ad expugnandum Caietam seu Neapolim, nostrum recolligentes patrimonium, quod ibidem in territorio Neapolitano ponitur, occurrant, ut eos in omnibus subjugantes sub vestra atque nostra sint ditione. Placitum quidem cum ipsis fallacibus Neapolitanis per Missum eorum, nomine Petrum, in festum sanctum Pascha habuimus, patrimonium nos beati Petri Apostoli, quod ibidem in Neapoli ponitur, exquirentes, & in vestro servitio eos subjugare desiderantes, ut quindecim obsides ex nobilissimis eorum filiis nobis dantes, ipsam civitatem Terracinensem illi colligerent, sub ea videlicet ratione, ut issent ad Patricium eorum in Sicilia, &, si patrimonium nostrum reddere voluissent, ipsam civitatem & obsides reciperent. Sed nos sine vestro consilio neque obsides, neque ipsam civitatem reddere habuimus, eò quòd pro vestro servitio ipsos obsides apprehendere cupiebamus, quia eorum malignum consilium aliud non est, nisi unà cum infidelissimo Arichi Duce Beneventano tractantes, & quotidie Missos nefandissimi Patricii Siciliæ ipso Arichi suscipiente, impedimentum jam fatus Arichis solus fecit, ut minimè nos obsides à jam dictis Neapolitanis reciperemus, quia quotidie ad istam perditionem filium nefandissimi Desiderii dudum nec dicendi Regis Langobardorum expectabat, ut unà cum ipso pro vobis nos expugnent.

ITER IN ITALIAM SUSCIPIT.

Carolus tum illâ Pontificis suasione permotus, tum inito consilio orandi ac vota solvendi Romam iter suscepit. In itinere Constantiam ad Rhenum advenit, ubi tunc Episcopus erat Joannes, qui præter Episcopatum Constantiensem Monasteria quoque San-Gallense & Augiense ab anno Christi septingentesimo undesexagesimo gubernabat. Monachi pro suis Cœnobiis à Rege Privilegia postularunt impetrarúntque. Ratpertus Monachus San-Gallensis rem sic exponit in libro [a], quem de Monasterii San-Gallensis origine diversísque casibus composuit. *Joannes Monachus Augensis Constantiæ Episcopus ordinatus, amborum regimen suscepit Cœnobiorum. Qui tres nepotes suos educavit, quibus honorem suum in tribus illis locis situm post suum discessum distribuere cogitavit. Quo agnito, fratres utriusque Cœnobii Episcopum pariter adierunt, rogantes, ut Privilegia eis apud Principem acquireret, ac potestatem eligendi Abbates: se verò, si hoc fieret, eosdem illius nepotes sibi Abbates electuros pollicitis sunt. Quod ille consensit, ac se facturum promisit. Tempore verò transacto Karolus Rex cum Hildigarda conjuge sua Romam profecturus, Constantiam advenit. Tempus verò opportunum se invenisse existimantes, utriusque Monasterii fratres pro prædicta necessitate Principem adeunt, ejúsque Clementiam interpellant. Rex verò Episcopum, quid de hoc illi placeret, interrogavit. Episcopus autem æterna beatitudinis gaudia illum exinde percepturum respondit, si talem & tantam securitatem famulis Christi absque ulla perturbatione Domino serviendi concederet. Quod audiens Rex gavisus est, & protinus utriusque Cœnobii fratribus, Sancti Galli scilicet & Augensis, firmissimâ auctoritate Privilegium optatum contradidit, ac scripta emunitatis ad hæc eadem retinenda fieri præcepit, quæ signaculo suæ auctoritatis firmavit, constituens atque præcipiens, ut, post mortem Episcopi, Monachi prædictorum Monasteriorum potestatem haberent sibi eligendi Abbates, & ut nulli absque Regibus deinceps essent subjecti,* &c. Quid secutum sit, anno sequenti dicemus. XVI.

[a] Cap. 3.

EMITTIT PRÆCEPTA PRO MON. AUGIÆ ET S. GALLI.

AN. CH. 780. CAROLI R. 12.

Interim hic omittere non possumus, quòd Joannes Constantiensis Episcopus, teste Hermanno [a] editionis Canisianæ, *primum Romanæ Sedis Privilegium Augiæ ab Adriano Papa impetravit*, illúdque Privilegium Bruschius [b] ad Monasterium quoque Sancti Galli sic extendit. *Hic primus, Hermanno Contracto teste, utrumque, San-Gallense videlicet & Augiense Monasterium ab omni jugo Episcopali liberum ac immune reddidit, quod impetravit à Pontifice Max. Adriano Primo, sub Carolo Magno & Hildegarde Regina, & Heroldo Comite, anno 780.*

[a] Ad an. 759.
[b] In Augia divite, n. 6.

XVII. HYEMEM AGIT PAPIÆ.

Carolus Constantiâ Ticinum profectus est, ibíque hyemem egit. *Rex*, inquit Monachus Laureshamensis, *inito consilio orandi ac vota solvendi causâ Romam statuit proficisci, sumptísque secum uxore ac liberis, sine mora in Italiam profectus est, celebravítque Natalem Domini Ticini, atque ibi residuum hyemis mansit.* Habebat tunc ex duabus uxoribus quatuor filios; ex Himiltrude à multis annis mortua Pippinum, ex Hildegarde tum superstite Carolum, Carolomannum, & Ludovicum, sublato nuper è vivis Lothario, quem Paulus Diaconus [c] biennio duntaxat vixisse prodit; duos natu majores Pippinum & Carolum Wormatiæ reliquit, Carolomannum autem & Ludovicum necnon Hildegardem eorum matrem in Italiam secum proficisci voluit. Anonymus qui Chronico Nibelungi subjicitur, de reditu Caroli Regis è Saxonia déque profectione in Italiam sic scribit. *Divisit ipsam patriam inter Presbyteros & Episcopos, seu & Abbates, ut in ea baptizarent & prædicarent. Et inde revertens abiit in Italiam, & dereliquit filios suos in Wormatia, Pippinum & Carlum.* Eadem quoque leguntur in Chronico Moissiacensi, sic. *Divisit ipsam patriam inter Episcopos, Presbyteros, & Abbates, ut in ea habitarent & prædicarent*, &c. *Inde revertens abiit in Italia, & dereliquit filios suos in Wormatia Pipinum & Karolum.* De Carolomanno & Ludovico déque eorum matre Hildegarde verba rursum faciemus anno sequenti, quo Romam cum Carolo Rege pervenerunt. Interim obiter nota prælaudatos Auctores de Pippino Himiltrudis filio non minùs magnificè quàm de filiis Hildegardis locutos, illum enim primo loco nominarunt, & Carolo filiorum, quos Carolus Rex ex Hildegarde suscepit, natu maximo præposuerunt, unde concludas ut Himiltrudis sic & Hildegardis legitimas cum Carolo Rege nuptias fuisse, nec ad capessendam hæreditatem minùs idoneum quàm fratres habitum esse Pippinum, priusquàm conjurationis in patrem reus existimaretur.

[c] In lib. de Episc. Metens.

XVIII.

Hoc anno sublatum est schisma, quod in Monasterio Sancti Vincentii prope Vulturnum per aliquot annos duraverat. Illius loci Chronographus de Hairado & Pothone Abbatibus, sic scribit. *Hainrad Abbas S. Vincentii præfuit annis* III. *mensib.* X. *Obiit* IV *Nonas Novembris, anno ab Incarnatione Domini* DCCLXXX, *Indict.* III. *Poto Abbas S. Vincentii præfuit annis* II. *mensib.* V. *diebus* XVI. *Obiit* X *Kal. Maii, anno ab Incarnatione Domini* DCCLXXXIII, *Indict.* VI. De annis, quibus hi vitam clauserunt, non disputamus; Hainradum mortuum putamus IV *Nonas Novembris, anno ab Incarnatione Domini* DCCLXXX, *Indict.* III. seu potiùs *Indict.* IV jam inchoatâ. Pothonem ex hoc quoque seculo sublatum existimamus X *Kal. Maii, anno ab Incarnatione Domini* DCCLXXXIII. *Indict.* VI. Sed de numero annorum, quibus Abbatiale munus gesserunt, non convenimus. Inter Authpertum & Pothonem ortum est schisma, cujus mentionem Carolus Rex in suis ad Adrianum Papam literis ac vicissim Adrianus in suis ad Carolum literis fecerunt [d]. Authpertus anno Christi septingentesimo septuagesimo-octavo, Indictione secundâ jam cœptâ, vivere desiit. Illius asseclæ, cùm Pothonem sequi nollent, Hainrado se summiserunt. Hainradus, quem pars Authperti, ne ipsa Pothoni subderetur, Abbatem constituit, extinctus est IV *Nonas Novembris, anno ab Incarnatione Domini* DCCLXXX. Ergo titulum Abbatialem non *annis* III, *mensib.* X, sed annis

HAINRADUS ABB. S. VINCENTII MORITUR.

[d] Cod. Carol. ep. 72.

duntaxat duobus gessit. Eo sepulto, pax Monasterio statim reddita, nam **AN.CH.**
quarto post ejus obitum die, seu postridie Nonas Novembris, utraque pars **780.**
Pothoni parere cœpit, idque docet haud obscurè Chronographus Vincen- CAROLI
tinus, ubi ait Pothonem præfuisse *annis* II. *mensib.* V. *diebus* XVI, atque R.12.
obiisse X *Kal. Maii, anno ab Incarnatione Domini* DCCLXXXIII. *Indict.* VI.
A die enim proximo post Nonas Novembres anni à Christo nato septingente-
simi octogesimi, ad diem decimum ante Kalendas Maias anni post Chris-
tum natum septingentesimi octogesimi-tertii, numerantur anni duo com- SUCCEDIT
pleti cum minutiis mensium quinque dierúmque sexdecim. Suspicamur, POTHO
Hainrado adhuc superstite, inter partes conventum, ut is, qui alteri su- SCHISMA-
perviveret, toti fratrum Congregationi solus superesset. Agemus iterum TE TUM
de Pothone ad annum Christi septingentesimum octogesimum-tertium, SOPITO.
quo vitam clausit.

Ad hunc annum Caroli Regis duodecimum vetus pertinet Charta, quam **XIX.**
Sammarthani sic è schedis Pereskianis in Gallia Christiana [a] publicarunt. [a] Tom. 3. in
Cùm in Dei namine in Digna civitase publicè residerent Missi Domini nostri Ka- Episc. Massil. 14.
roli Regis Francorum & Langobardorum, seu & Patricii Romanorum, idem CHARTA
Viernerius & Arimadis unà cùm rationes burguis Dominicis, Marcellino, Hie- PRO MON.
ronymo, Gedeon, Regnarico, Corbino, Scabines lites, Scabinos ipsius civitatis, S. VICTO-
aut bonis hominibus, qui cum ipsis ibidem aderant, permultorum hominum al- RIS MAS-
tercationes audiendas, & negociis causarum dirimendis, & justis vel rectis ju- SIL.
diciis finiendis. Ibique veniens vir venerabilis Maurontus Episcopus urbis Mas-
siliensis, in eorum præsentia unà cum instrumentis Sancta Maria & Sancti Vic-
toris, quæ venerantissima & Dea sacratissima Adaltrudis, relicta Nemfidii,
quondam in ipsa Ecclesia Sancta Maria & Sancti Victoris Massiliensis delega-
*verat, in quibus sic habetur insertum. Quòd villa Caladius * unà cum appen-* * Chandol.
diciis suis, vel omnes adjumentias suas, mancipia tam rustica quàm urbana,
libertis, accolabus, inquilinis tam ibidem consistentibus, quàm & aliunde
*ibidem translatis, quod situm est in pago Dignense *, necnon & Alpibus,* * de Digne.
*quod situm est in pago Hebredunense *, vel omnia quidquid ad ipsas villas* * d'Am-
pertinere videatur; sed quomodo ipsa Carta ibidem ante ipsos relicta fuisset, brun.
sic in postmodum alium relatum ibidem ostendit . . . . quòd
Abbo Patricius juxta Legis ordinem de interitiane Cartarum inscribere in pu-
blico, vel coram bonis Sacerdotibus atque illustribus personis, sicut Lex est
roborata, ostendit de ipsis Cartis, quas Antener Patricius, malo ordine &
iniquo ingenia, de ipsa arca Sancti Victoris abstraxerat, & incendere ordina-
vit, hoc est Cartas, quas Gotricus & jamdicta Adaltrudis, vel quas alia
plures persona ibidem condonaverant ad ipsam casam Dei Sancta Maria vel
gloriosissimo Sancto Victori Massiliensi. Sed ipse Abbas tunc temporis fuit Ma-
gnus, quando ipsas Cartas, quas de Adaltrude Maurontus Episcopus ibidem
præsentavit, pro bono studia & pro bono ingenio in sua manica ipsa Adaltru-
des absconsas habuit, quando ipsas alias Cartas super altaria ipso misit, & ibi
sacramentum dedit, & sic juravit quòd ampliùs exinde in tota Massilia Carta
non adessent, de illa ratiane Sancti Victoris, nisi quantum super ipso altario con-
tinebatur. Et ipsas Cartas, quæ ibidem fuerunt, Antener ipsas totas in sua præ-
sentia incendia concremare jussit. Et ipsas cartas, quas Adaltrudes ibidem in
ipsa Ecclesia in sua manica absconsas habuit, in arca Sancti Victoris denuò resti-
tuit. Et ipse Episcopus jamscriptus ibidem aliud judicium ostendit. Qualiter per
ordinationem Domni Karoli Major. Dom. cauciarios suos Missos exinde jussit ad
ipsam casam revestire, quod ita confecit, sed quomodo per ipsas rixas vel can-
tentiones, quæ in Provincia fuerunt, ipsa casa Dei exinde devestita fuit, & si-
cut alias res ipsas, quæ justè ad Domnum Regem Karolum obtingebant in alade,
Antener adhaberet per ipsam misculatianem, seu & ipsam Caladium villam, vi-
sus fuit de ipsa casa Dei abstrahisse. Sed cùm ipsi Missi ipsas auctoritates vi-
dissent & relegere rogassent, sic amnes illos homines ingenuos de ipso pago Di-

AN. CH. 780. CAROLI R. 12. *gnense qui fuerunt & hoc cognitum habuerunt, ipsos per sacramentorum interpositionem jurare fecerunt, ut omnem rei veritatem ipsorum exinde dicere deberent. Sic omnes affirmaverunt, quòd ipsam pro beneficio Metrano, qui fuit Patricius in Provincia pro causa Massiliense, Sancta Maria & Sancti Victoris in beneficium concessit, quod ipsi Anremundo Vicedomino Massiliense ibidem descriptionem ad partes Sancti Victoris Massiliensis facere viderunt. Et ipsum Poleticum ipse Episcopus in ipsorum præsentia ibidem ostendit ad relegendum; sed cùm ipsas auctoritates audissent, sic ipsi etiam Missi interrogaverunt & adjuraverunt, ut veritatem exinde dicerent, sed contra Episcopum ipsum, vel contra ipsas Cartas aliquis sic rebellabat, quòd per annositatem, seu per Legem tricenariam in tempore pacis, ad ipsum beneficium sui Senioris, aut ad partes Domni Karoli Regis perportare volebant. Sed in nullis modis se instituit ad hoc faciendum. Cùm autem nullus homo hoc contradicere nec contendere voluit, ipsi Missi per ipsas auctoritates scripturarum, quæ ibidem ostensæ vel relectæ fuerant, ipsum Episcopum Mauronium revestire fecerunt, ut omni tempore deinceps ipsam casam dicti Sancti Victoris, ipsam villam cum suis appendiciis habeat vindicatas: testimoniaverunt Taurinus & Sanctebertus per interpositionem sacramenti, quòd ipsa villa Caladius propria fuisset Nemphidii Patricii quondam, & habuisset uxorem Adaltrudem, ex qua habuit filios tres. Et quòd ipse Nemphidius, & Adaltrudes, & filii, ipsam villam per Cartulam cessionis ad ipsam casam Dei M. delegassent. Et ipsi viderunt & cognitum habuerunt, quando Ansemundus Vicedominus, per ordinationem Abbonis Patricii, quondam ad partes supradictæ Ecclesiæ habuit, & omnem inde casom * recepit. Testimoniavit Transuarius, & Amatus similiter, Venantius Presbyter, & Villarius; testimoniavit Hunooldus & Theodolinus similiter; testimoniavit Christianus & Theudigilius. Hi sunt, qui præsentes fuerunt, quorum roborationes vel signacula subter tenentur inserta. Actum est enim * VIII Kal. Martii, anno XI. regnante Domino nostro Karolo *. Comes Marcellinus firmavit, Gedeon, Corbinus, Regnaricus *, Taurinus, Magnebertus, Sanctebertus firmavit.*

* Casam.
* die Mercoris.
* Indict. 11.
* Regnarius.

XX. In vulgato texru nonnihil Chronologiæ refragatur, ideóque quosdam Characteres, in quibus error erat, ad otam rejecimus. Textus sic legebatur. *Actum est enim die Mercoris, VIII Kal. Martii, anno XI. regnante Domino nostro Karolo, Indict.* 11. Illum sic restituimus. *Actum est enim VIII Kal. Martii, anno XI. regnante Domino nostro Karolo.* Annus duodecimus Caroli Regis per mensem Februarium cum anno Christi septingentesimo octogesimo coincidit. Annus autem Christi septingentesimus octogesimus, quia bisextilis, duplici literâ Dominicali, B & A, præditus fuit, B ante intercalationem bisexti, A verò post illam intercalationem. Dies igitur octavus ante Kalendas Martias, cui præfigitur in Kalendario litera D, anno Christi septingentesimo octogesimo dies Martis fuit, perperámque dies Mercurii seu *Mercoris* intrudebatur. Sustulimus & Indictionem, quia nec Indictionis nota tunc usurpabatur à Francis, nec anno duodecimo Caroli Regis per mensem Februarium conveniebat Indictio secunda, cujus loco restituenda esset tertia, priori mense Septembri jam inchoata.

XXI. EPISCOPI GENAVENSES. Obiit hoc anno Postbertus Genavensis Episcopus, cùm sedisset annos sexdecim. Successit Waltetnus, cui tribuuntur anni sex & triginta. Lege Tomo priore Chronologiam Genavensium Episcoporum ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-quartum [a] stabilitam.

[a] Num. 12.

XXII. MENFENICUS EP. ALETENSIS OBIT. Obiit & hoc anno Menfenicus Aletensis Episcopus, cùm Præsulatum annis duobus ac viginti gessisset, Episcopatus ad annum usque sequentem vacavit. Lege Armoricam Sanctam.

XXIII. EPISCOPI LINGONENSES. Apud Jacobum Vignerium in Chronico Lingonensi, Waldricus Abbas San-Benignianus sub hunc annum fit Lingonensis Episcopus, Arvulfo sponte Episcopatum abdicante. Hæc opinio non displicet. Arvulfus enim Episcopatum iniit Carolo Monarchiam totius Franciæ jam adepto, & Waldricus

dricus anno Caroli Regis decimo-quinto, sive anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio, Episcopus vocatur in vetere Charta, quam post triennium recitabimus. De Arvulfo prænominatus Auctor ita scribit [a]. *Arvulfus sive Ervulfus id unum inter cetera præstitit in gratiam Prioratûs apud Suevos à se constructi, & Sancto Wito consecrati, quòd ex Abbatia Sancti Benigni Divionensis partem Reliquiarum hujus beati Tutelaris eò transtulit, quò & ipse se recepit, idem pedum*, nempe Lingonense, *cedens Waldrico, sub annum 780.* Deinde hæc de Waldrico subjungit [b]. *Videtur autem Waldricus sive Baldricus fuisse primùm Abbas Sancti Benigni, eámque administrationem cum Episcopali retinuisse, atque exercuisse.* Hæc de Waldrico certissima sunt. Varias enim jam publicavimus Chartas, in quibus Abbas Sancti Benigni commendabatur, aliámque ad annum Christi septingentesimum octogesimum-tertium describemus, in qua simul & Episcopus & Abbas prædicabitur. AN. CH. 780. CAROLI R. 12.

[a] In Episc. 32.

[b] In Episc. 33.

Sub idem tempus, quo Lingonensem Episcopatum Arvulfus dimisit, in Elwacensi Monasterio vitam clausit illius loci fundatot ac primus Abbas Herulfus sive Hariolphus, qui Lingonensem etiam Episcopatum ante aliquot annos abdicarat. *Consequutus est Hariolphus fundator Privilegia, & corpora Sanctorum Sulpitii & Serviliani Martyrum à Papa Adriano.* Verba sunt Bruschii in Chronologia Monasteriorum Germaniæ. Sancti Sulpitius & Servilianus in Tabulis Ecclesiasticis duodecimo Kalendas Maii sic laudantur. *Romæ, Sanctorum Martyrum Sulpitii & Serviliani, qui prædicatione & miraculis beatæ Domitillæ Virginis ad Christi fidem conversi, cùm nollent idolis immolare, in persecutione Trajani, à Præfecto Urbis Aniano capite cæsi sunt.* XXIV. ABBATES ELWACENSES.

Hariolphus à Bucelino Beati Titulo decoratur in parte secunda Germaniæ sacræ sic. *Elwacensis Abbas B. Hariolphus.* Ejus epitaphium prædictæ Monasteriorum Chronologiæ inseruit Bruschius. Illud, ut in Elwacensi Templo legitur, integrum describemus, quia & diem obitûs, & successoris nomen indicat. XXV.

Clauduntur tumulo hoc Hariolphi Antistitis ossa,
Hunc qui fundavit jure locum proprio.
Pluribus erexit fœlix fœliciter annis,
Victerbóque pius liquit honoris onus.
Sic postquam Templi structuras istius almi,
Atque ut cernendum struxerat ad placitum:
Idibus Augusti resolutus, somata plasti
Commendans urano, sarxea sicque sablo.

Astipulari non possumus Bucelino, qui quem Hariolphum Elwacensis Monastetii primum Abbatem agnoscit, fratri deinceps Episcopum Lingonensium subrogat. Ambo fratres, licèt in Chronico Lingouensi prior posteriori *seu fratri seu nepoti* pedum resignet, successivè Lingonensem Diœcesim rexerunt. Prior Hariolphus sive Herulfus Elwacense Monasterium anno Christi septingentesimo sexagesimo-quarto condidit, & in amicitia fuit cùm Pippini, tum Carolomanni & Caroli Regum, quorum postremus in Burgundia, cujus pars Lingones, exeunte anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo regnare cœpit. Quot annos Arvulfus post Herulfi fratris mortem vel post abdicatum Episcopatum vixerit, haud scimus, in Elwacensi Monasterio cum fratre tumulatus jacet teste Bucelino. XXVI.

Illius Cœnobii secundus Abbas à Bruschio sic laudatur. Victerbus secundus Abas, factus est Episcopus etiam *Augustanus. Obiit anno Domini 752.* Et à Bucelino, sic. *2. S. Victerpus, postulatus posteà Episcopus Augustanus, vir Apostolicus obiit A. C. 752.* Iidem Auctores, ubi Catalogum Episcoporum Augustanorum edunt, ne sibi non constare videantur, Antistitum seriem interturbant, Wichterpo & Tozzone è suis locis in Pippini Regis tempora summotis. At quamcumque adhibeant artem, quî fieri potest, ut XXVII.

AN. CH. 780. CAROLI R. 12. Monasterii, quod à primo Abbate conditum anno Christi septingentesimo sexagesimo-quarto fatentur, secundum Abbatem anno Christi septingentesimo quinquagesimo-secundo, sive anno ante ipsius Cœnobii fundationem duodecimo mortuum suadeant? Herulfo sive Hariolpho Victerbum in Abbatialem Præfecturam successisse non inficiamur, sed eum distinguimus à Sancto Wichrerpo, qui longè ante Pippini Regis ætatem Ecclesiæ Augustanæ præfuit, ut probatum Tomis secundo & tertio. Victerbus igitur post Hariolphum Abbas fuit Elwacensis, vitámque non anno 752 sed anno 792 clausit. Emendationem hanc faciendam ipsimet docent Bruschius & Bucelinus simul collati. *Grimoldus* enim, qui Victerbo proximè successit, apud Bruschium *legitur præfuisse annis octo*, & *Orbaldus* Grimoldi successor apud Bucelinum *electus* asseritur *A. C. 800*. Interim testibus iisdem Auctoribus, Symbertus, cujus mentionem anno priore jam fecimus, *laudabiliter ac utilissimè cùm concionando ac docendo tum collapsa Templa pulchrè reparando* Diœcesim Augustanam *annis triginta* gubernavit, donec *evocatus est ex hac tandem lachrymarum valle plenus dierum, decimâ-tertiâ Octobrium, anni à nata salute humani generis sempiterna 809*, sive, ut Bucelinus ait, *præfuit* Ecclesiæ suæ *mira cum subditorum felicitate ab A. C. 778 usque 809*.

XXVIII. EPISCOPI WIRCEBURG. Luitrigus Episcopus, cùm Cathedram Wirceburgensem *annis tribus, mensibus quinque* tenuisset, ex hac vita sublatus est. Bruschius mortuum ait *vicesimâ-septimâ Februarii*. Successit in Episcopatum Egilwardus. Lege librum de Sancti Burchardi Translatione & Monasterio Sancti Andreæ, subjectum ejusdem Sancti Burchardi vitæ à Surio [a] publicatæ.

[a] d. 14. Oct.

XXIX. PLACENTINI. Obit & hoc anno Maurus Placentinus Episcopus, cùm annos quinque sedisset. Sepultus est in Ecclesia Sancti Ambrosii. Successit Julianus. Lege Vghellum [b].

[b] Tom. 2.

XXX. VERONENS. Circa hunc eundem annum obiisse dicitur & Anno Veronensis Episcopus. Quiescit sub ara S. Andreæ in Ecclesia Cathedrali. Tenuit Episcopatum annis ferè triginta. Multa præclarè gessit sub Longobardis ac Francis, quæ commemorantur ab eodem Ughello [c]. Successor ei datus Lotharius, quem idem Auctor laudat in Appendice ad Tomum quintum subjecta Tomo septimo.

[c] Tom. 5.

XXXI. S. FUSCÆ MON. ERIGITUR. Ad hunc annum primordia Monasterii prope Tarvisium in honorem Beatæ Mariæ Virginis, Sanctæ Crucis, & Sanctæ Fuscæ, à Gerardo Comite fundari, referuntur ab Anonymo, qui, sub initium undecimi seculi, Translationem Sanctorum Martyrum Theopompi & Senesii descripsit. *Anno Christi septingentesimo octuagesimo, Imperii autem Caroli Magni septimo*, id est, Caroli post extinctam Longobardorum dominationem regnantis in Italia septimo, *quidam Dux, vir Deo per omnia deditus, nomine Gerardus *, suæ saluti consulens *, prò anima sua remedio, quandam Ecclesiam ad honorem & venerationem Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Dei, Sanctæque Crucis, atque Martyris Fuscæ*, quæ Martyrium Idibus Februarii Ravennæ cum Maura nutrice sub Decio Augusto & Quintiano Præside subiit, *in suo proprio, magno cum studio ædificaverat, & Sancti Sylvestri Cœnobio Nonantulensi subdiderat. Ibique Monachos, ut regulariter Deo servirent, constituere curaverat. Cui omnia, quæ possederat *, provido atque syncero animo tradere studuerat, sui Salvatoris præceptum benè & fideliter sequens, ut ejus fieret discipulus, qui suis dixit fidelibus.* [*Si quis non renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*] Ex paulò pòst, illius Ecclesiæ situs ita notatur. *Hæc autem Ecclesia, quam prædiximus, sita est in quadam Insula, duobus fluminibus Caniano & Sylo circumdata, tertiâ stadii parte ab urbe Tervisio distans.* Cetera, quæ leguntur [d] in ejusdem Translationis Historia, pertinent ad alios annos, & suis locis à nobis referentur. Tarvisinam autem Diœcesim, cùm prædicti Monasterii jacta sunt fundamenta, regebat Fortunatus, de quo sermo non semel recurret.

* Gerardus. * nutulens. * possiderat.

[d] Ap. Vghell. Tom. 5. in Ep. Tarvis. 10.

AN. CH. 780. CAROLI R. 12.

XXXII. **ABBATES CELLÆ MONACHOR.**

In Chronologia Monasteriorum Germanicorum [a], cujus auctor Bruschius, Heddo sive Etho Strasburgensis quondam Episcopus & Abbas Cellæ Monachorum Ordinisque Monastici per Alsatiam insignis propagator, è loco, ubi primùm sepultus, hoc anno translatus dicitur ad Cellam Monachorum, ubi quiescit, ut observatum Tomo superiore [b]. Utrùm ad hunc eundem annum Hildolfus secundus Abbas illius loci pervenerit, haud scimus. De successoribus sic idem Bruschius. *Qui posteà verò præfuerunt, eorum non extat integer ampliùs Catalogus. Invenio tamen & Littholdum & Reginoldum Abbates Ethonici Monasterii*, id est, Cellæ Monachorum, cujus restauraror Etho, *sed quo tempore præfuerint hi, ignoratur.* Sequitur apud eundem Auctorem Index tecentiorum Abbatum, initio ducto à Burchardo, qui *circa annum Domini 1215* floruisse creditur.

[a] In Cella Monach.
[b] Ad an. 765. n. 4.

XXXIII. **ALTO-MONASTERIENS.**

In secunda parte Germaniæ Sacræ [c], Bucelinus Alto-Monasterienses Abbates recenset, S. Altonem Cœnobii conditorem, & S. Matinum ejus discipulum, de quibus dictum Tomo superiore. Deinde beatum Ethonem sic subjungit. *B. Etho S. Altonis discipulus & in munere Abbatiali successor claruit sub A. C. 780.* De successoribus autem ad annum usque Christi nongentesimum quinquagesimum-secundum hæc tantùm habet. *Gebzo Abbas, incertum quo loco post Ethonem ponendus, cùm fortè etiam ante ipsum & posteà aliqui Abbates desiderentur. Rudolphus Abbas designatus est sub A. C. 952.*

[c] In Weingarten.

XXXIV. **FABARIENS.**

Idem Auctor in sacra & prophana Rhætiæ Chronologia Martianum Fabariensem Abbatem, cui cognomen inditum *ipsa Nobilitas*, quia non minùs à genere, quàm dignis Nobilitate moribus commendabatur, mortuum testatur hoc anno, decimo Kalendas Martii. Successorem ei Fabarienses Monachi Bertransium seu Bertrantium substituerunt.

XXXV. **S. CRUCIS.**

In manuscripto Abbatum Codice, qui Sanctæ Crucis Monasterio prope Meldas præfuerunt, Milo, cùm munus Abbatiale per annos duodeviginti gessisset, hoc anno mortuus perhibetur. Ei successit Adam, qui Cœnobium annis viginti gubernavit.

XXXVI. **BENEDICTUS, E BURGUNDIA IN GOTHIAM REDIT.**

Benedictus Segestrensis Cellerarius, ne fieret Abbas, relicto Sancti Sequani Monasterio reversus est in patriam, id est, in Magalonensem Diœcesim, quæ pars erat Gothiæ seu Septimaniæ. Smaragdus in illius vita sic scribit. *Abbas eum summo colebat affectu, eò quòd esset in omnibus utilis, & sua vita cautus, & de aliorum salute sollicitus, & circa ministerium frequens, in loquendo rarus, ad obediendum promptissimus, in monendo affabilis. Contulerat siquidem illi divina pietas inter alias quamplures virtutes etiam intelligentiæ donum, eloquentiæ spiritalis copiam. Decurso quinquennii & octo mensium in salutiferis rebus spatio, Abbas præfati Monasterii migravit à seculo. Tunc omnes uno animo parique consensu Benedictum sibi præferri. At ille suis illorúmque non convenire moribus cernens, ad patrium concitus solum contulit pedem, ibique in patris suámque possessionem super rivulum, cui nomen est Aniana, necnon prope fluvium Araurim, cum præfato viro Vidmaro paucisve aliis, juxta Beati Saturnini permodicam Ecclesiam, Cellam exiguam ad habitandum construxit, quo in loco nonnullos annos magna cum penuria vixit.* Arauris *, usitatiùs Auraris, in Itinerario Antonini dicitur *Aurara*, Melæ *Araurariùs*, Ptolemæo Ἀραύριος, Straboni Ῥαύραρις, ab Gabalis ortus, Alesiæ, Luteva, Piscenarum, atque Agathæ territoria rigat, egeritúrque in mare mediterraneum receptis antè variis amnibus ac rivulis, inter quos est rivus Aniana sive Anianus, qui sinistram illius ripam subit.

* l. Airaur.

CELLAM AD ANIANAM RIVUM ERIGIT.

Ad hunc rivum Benedictus Cellam primùm erexit, cujus initia hoc anno, post extinctum Longobardorum Regnum sexto, sunt consignanda. Seriùs jacta Monasteriorum fundamenta, ut suis dicemus locis. Widmarus, quocum Benedictus Cellam construxit, à nobis ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum laudatus est, cùm eidem Benedicto ad Monasticen aspiranti salubre consilium dedit.

AN. CH. 780. CAROLI R. 12. XXXVII.

Ab hoc anno, quo Benedictus è Burgundia in Septimaniam reversus est, ad illam usque famem quæ Septimaniam vexavit anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio, nullus in ejusdem Benedicti vita Character occurrit, quo per annos tredecim Chronologia fulciatur. Res igitur, quæ tanto temporis interstitio gestæ sunt, conglobatim descriptas accipe. *Cùm Benedictus Cellam inchoavit, erant per idem tempus in provincia illa quidam summa sanctitatis strenui viri, Atilio scilicet, & Nibridius, necnon & Anianus, religiosè degentes, sed Regularem ignorantes custodiam, à quibus compertus non medicè diligebatur. Siquidem dum eum aliqua adversa impulsio paullulùm superare tentaret, mox strato asello ad Atilionem, qui ei vicinior erat, properare festinabat. Primo siquidem tempore ardenti animo perplures, seculo relicto, cum eo religiosè vivere tentabant, sed fracti animo novum formidantes genus vitæ, dum inauditam cogebantur arripere abstinentiæ viam, ut panem in pondere vinúmque in mensura perciperent, mox, ut sus ad cœnum, canísque ad vomitum, in calle salutis positum retrahebant pedem. Quorum instabilem vir Dei intuens fidem, turbatus ad proprium voluit redire Cœnobium. Qua de causa ad consulendum præfatum adiit virum, cui cùm velle suum narrasset, increpavit eum ille, dicens sibi esse ostensum cælitus, lucernam illum datum hominibus, quapropter cœptum constanter oportere implere bonum, fraude hoc antiqui fieri hostis, qui semper invidens, bonis infestus est actibus, cui assensus præbendus est nunquam. Sícque ejus consilio adminiculatus, intrepidè aggressus est, quod ardenti perficere optabat animo, non super alienum fundamentum ædificans, sed novo opere construere domos cœpit, ignotámque salutis pandere curabat viam. Igitur venerabilis vir Benedictus cum paucis sibi aggregatis fratribus, qui ejus compertâ opinione ad eum confluxerant, ut jam memoratus locus cœpit florere in Religione pia, & cæleste iter volens pandere gratis, properat laborare manibus, & ne aliis prædicans ipse reprobus inveniretur, quæ facienda monebat, per se implere curabat, non enim perterritus inopiâ cœptum deseruit opus, sed, ut ait Apostolus, in fame & siti, in frigore & nuditate positus, hortabatur inconcusso subjectos persistere corde, docens arctam & angustam viam esse, quæ ducit ad vitam, & non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelanda est Sanctis. Quo documento roborati, majoribus se atteri optabant laboribus. Nulla eis tunc erat possessio, non vinea, non pecora, non equi, unus tantùm erat asellus, cujus solamine, cùm alicubi pergendum esset, vicissim fratrum arcebatur defectus. Vinum tantùm diebus Dominicis solennibúsque percipiebant. Pellebatur aliquoties eorum esuries lacte delato ab aliquibus mulieribus, quoniam ariditate tabuerant corpora eorum, solo viventes pane & aquâ. Quapropter ut impigrum depellerent frigus, lectariis utebantur, cùm in Vigiliis Divinis assisterent. Erant quippe pauperes rebus, prædivites meritis, & quò eorum atterebantur inopiâ corpora, eò magis saginabantur virtutibus animæ, æstuabant siquidem amore cælesti, solaque lacrymæ illis in angustia ferebant solamen,* &c. *Cœpit intereà paulatim turba discipulorum crescere, & fama pia Religionis sensim per circà habitantium ora volitare, seséque extendens ad longè posita decurrere loca.*

DEINDE MONASTERIUM.

Et quoniam vallis, in qua primùm insederat, perangusta erat, paullulùm extra confinia ejus, Monasterium novo opere construere cœpit, laborantibúsque fratribus, ipse aliquando etiam eorum ad vescendum decoquere victum, librúmque etiam pariter circa coquinam scribere satagebat. Ligna verò sæpè, propter penuriam boum, humeris propriis cum discipulis deferebat, domus enim in eo erat loco, quo fundare moliebantur Monasterium, quam auctam in honorem Sanctæ Dei Genitricis consecrarunt Mariæ. Concurrentibus undique & illius se certatim subjicere Magisterio postulantibus, & fabrica Monasterii citò perficitur, & in rebus locus ditatus augmentatur dantibus singulis quæ habere poterant. Non enim ornatis parietibus, tegulísque rubentibus, vel pictis laquearibus, sed stramine viliqùe materiâ cooperire, vel facere domos decreverat. Licèt enim multiplex numerus fratrum augeretur, ille semper viliora

& humiliora appetebat, quapropter si quis de possessionibus suis aliquid conferre Monasterio vellet, suscipiebat, si verò servos ancillasque copulari niteretur, refugiebat, nec possus est quemquam per idem tempus per Chartam Monasterio tradi, sed, ut fierent liberi, imperabat. Vasa autem ad Christi conficiendum corpus nolebat sibi esse argentea, siquidem primùm ei fuerunt lignea, deinceps vitrea, sic tandem conscendit ad stannea, Planetam verò refutabat habere sericeam, &, si aliquis illi dedisset, mox aliis ad utendum praestabat. Praetereà surrexerunt in regione eadem vel circumquaque nonnulli viri religiosi aedificantes Monasteria, aggregantes Monachos, seséque ad exemplum beati viri exercitantes, ex ejus Magisterio imbuti, vitam pristinam pristinósque amputantes errores, quibus ipse, ut poterat, subsidium opémque ferebat, non spiritualium solummodo rerum, verùm & corporalium, quos sæpè visitans hortabatur cœptum non deserere opus, nec egestate perculsos, terroribúsque dejectos retrò respicere eminùs; sicque documento salubri fulta numerosa adsunt Cœnobia, & maxima Monachorum extat multitudo. AN. CH. 780. CAROLI R. 12.

In hoc textu nonnulla sunt observanda. Benedictus à tribus Anachoretis, Atilione, Nibridio, & Aniano, multùm diligitur. Ne redeat ad Monasterium Sancti Sequani, prohibetur ab Atilione. De Nibridio variè disputant Neoterici, utrùm idem sit cum Nibridio Abbate Grassensi atque etiam cum Nibridio Narbonensi Archiepiscopo, inquiremus infrà. Robertus Anianam sive Anianum Monasterium, cui nomen est ab Aniana sive Aniano rivo, perperam Cœnobium Sancti Aniani vocat, ab hoc fortè Aniano maximæ probitatis Anachoretâ. De primordiis illius Monasterii post annum Christi septingentesimum nonagesimum-tertium agemus. Benedictus enim in Cella, quam post suum è Burgundia reditum construxit, *nonnullos* duntaxat *annos* egit, eósque *magna cum penuria*. Deinde in vicino loco Monasterium erexit, quod statim abundè locupletatum est. Ibi degebat anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio, cùm Gothi validâ fame premebantur. Aliud posteà Cœnobium multò nobilius & elegantius à fundamentis extruxit, quod ut Aniana & Anianum ab Aniana sive Aniano rivo, sic & à Basilica Salvatori dicata Monasterium Sancti Salvatoris dicitur, atque etiamnum ad Anianam rivum perstat. XXXVIII.

ANNUS

CHRISTI		781.		
CAROLI	R.	13.	10.	8.
PIPPINI II.	R.	1.		
LUDOVICI	R.	1.		

AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1.

I. CAROLUS R. TICINO ROMAM PROFICISCITUR.

ANNO Christi septingentesimo octogesimo-primo Carolus, qui vertente anno superiore Ticinum venerat, Ticino Romam, Româ Mediolanum perrexit; Romæ Pascha decimo-septimo Kalendas Maii, Pentecosten Mediolani tertio Nonas Junii celebravit. In Italia mansio adeò diuturna suadet, ut Legem, quam Carolus pro Regno Longobardico tulit, cum Sigonio credamus tunc fuisse promulgatam; utrùm autem priusquàm Carolus Ticino Romam proficisceretur, an postquàm Roma reversus est in Longobardiam, manet in controversia. Sigonius pro priore stat opinione, nos posteriorem lubenter amplectimur, quia libro tertio Legis Longobardicæ Carolus in secunda sanctione Tituli sexti Palatium suum, suósque

AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1.

Missos à Palatio & à Missis filii sui distinguit. *Excepto*, inquit, *si de Palatio nostro, aut filii nostri, Missi veniant.* De profectione igitur Caroli Romam déque reditu in Longobardiam priùs nobis agendum quàm de sanctionibus ab eo latis, ut Longobardiæ Regnum, piè, justè, pacificéque gubernaretur.

II. PERALACRITER EXCIPITUR AB ADRIANO PP.

Carolus Ticino Romam contendit. Proficiscentem Episcopi ac civitates eximiis coluerunt honoribus, ac certatim opportuna rebus quisque suis Privilegia petierunt. Nec minore animi alacritate eundem Romæ Pontifex Hadrianus excepit, haudquaquam veterum & novorum erga Ecclesiam beneficiorum ejus oblitus. Hæc Sigonius [a]. Quæ verò gesta sunt Romæ, docent antiquiores Auctores. Ac primùm quidem Appendix ad Chronicon Nibelungi Comitis sic habet. *An.* DCCLXXXI. *perrexit Carlus Rex Romam, & baptizatus est ibi filius ejus, qui vocabatur ei Carlomannus, quem Adrianus Papa mutato nomine vocavit Pippinum, & unxit in Regem super Italiam, & fratrem ejus Hludowicum super Aquitaniam. Et ibi desponsata est Rotrud filia Regis Constantino Imperatori.* Annalista Loiselianus Pippinum ab Adriano baptizatum & de sacro fonte susceptum sic testatur. *Rex Carolus celebravit Pascha in Roma. Et ibi baptizatus est Domnus Pipinus filius supradicti domni Caroli Magni Regis ab Adriano Papa, qui & ipse eum de sacro fonte suscepit.* Monachus Lauteshamensis id negotii peractum scribit, *cùm* Carolus Romæ *sanctum Pascha celebraret.* In vita Caroli, quam incertus Auctor exaravit, Pippinus & Ludoviens à Pontifice quidem uncti dicuntur in Reges, sed à Carolo patre præfecti, ille Italiæ, hic Aquitaniæ. *Baptizatus est Domnus Pippinus filius Domni Regis Karoli ab Adriano Papa, & duo ejusdem filii uncti sunt Reges à supradicto Pontifice, Pippinus scilicet & Ludovicus. Præfecitque eos pater, Pippinum Italiæ, & Ludovicum Aquitaniæ.* Eò respexit Chronicon San-Dionysianum, in quo Carolus asseritur Regna sua inter filios suos divisisse, perperam autem anno præcedenti. Hallucinatur gravissimè Sigonius, dum vult duos Pippinos in comitatu Caroli patris fuisse, quorum alterum Adrianus Italiæ Regem innnxerit, alterum sacro lavacro tinctum de fonte ipso levaverit, nam verba supradictæ Appendicis clariora sunt, quàm ut ea super re dubium moveri possit. Suffragantur prætereà Monachus Lauteshamensis, Auctor Chronici Moissiacensis, Regino, & Annalista Fuldensis. Quin & Adrianus ipse, cujus testimonio standum nemo non censebit, eundem Pippinum Caroli filium, & Excellentissimum Regem Longobardorum, & proprium spiritalem filium suum sic appellat [b] in literis ad Carolum. *Misericors Deus, in cujus manu cor Excellentiæ vestræ regitur, unà cum Excellentissima filia nostra & spiritali commatre Domna Regina, seu Domno Pippino Excellentissimo Rege Longobardorum, & proprio spiritali filio nostro, ceteráque vestrâ nobilissimâ prole, corroboret cor vestrum & mentem vestram*, &c.

[a] Lib. 4. de Regn. Ital. in Car. M.

CAROLOMANNUS CAROLI R. FILIUS BAPTISATUR A PP. ET MUTATO NOMINE VOCATUR PIPPINUS IN FESTO PASCHÆ.

PIPPINUS ET LUDOVICUS REGES FIUNT, ILLE ITALIÆ, HIC AQUITANIÆ.

[b] Epist. 75. Cod. Carol.

III. ROTRUDIS EORUM SOROR DESPONDETUR CONSTANTINO IMP.

Quod attinet ad Rotdrudem, *hoc anno*, Constantini Imperatoris secundo, ut Theophanes docet, *Irene* Augusta *Constantinum Sacellarium & Mamalum Primicerium ad Carolum Francorum Regem delegavit, filiæ ejus* (Theophanes Erythrum, nostrates Rotdrudem vocant) *filio suo Constantino conjugis petendæ gratiâ. Pactísque conventis, & jurejurando ab utraque parte firmatis, Elisæum Eunuchum & Notarium, qui Græcorum litteras & linguam, receptósque per Imperium Romanum mores eam edoceret, reliquit.* Τούτῳ τῷ ἔτει ἀπέστειλεν Εἰρήνη Κωνσταντῖνον Σακελλάριον καὶ Μάμαλον Πριμικήριον πρὸς Κάρουλον ῥῆγα τῶν Φράγγων, ὅπως τὴν αὐτοῦ θυγατέρα, Ερυθρὼ λεγομένην, νυμφεύσηται τῷ βασιλεῖ Κωνσταντίνῳ τῷ υἱῷ αὐτῆς, καὶ γενομένης συμφωνίας καὶ ὅρκων ἀνὰ μεταξὺ ἀλλήλων, κατέλιπεν Ἐλισσαῖον τὸν εὐνοῦχον καὶ νοτάριον πρὸς τὸ διδάξαι αὐτὴν τά τε τῶν Γραικῶν γράμματα, καὶ τὴν γλῶσσαν, καὶ παιδεῦσαι αὐτὴν τὰ ἤθη τῆς Ῥωμαίων βασιλείας.

AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1.

IV. CAROLUS R. DAT SEDI APOSTOLICÆ TERRITORIUM SABINENSE.

Carolus Adriano Papæ & successoribus territorium Sabinense integrum concessit, neque enim Adrianus posteà patrimonium aliquod, ut olim, in territorio Sabinensi, sed ipsum Sabinense territorium integrum sibi tradi postulavit. Extant ejus ad Carolum super hoc negotio epistolæ [a], quas ad annum sequentem recitabimus. Sabinense territorium à Carolo Ecclesiæ Romanæ datum videtur loco Diœceseos Spoletanæ vicinarúmque, de quibus ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum locuti sumus in descriptione Ducatûs Spoletani, qui totus, exceptâ Sabinensi Diœcesi, sub potestate Francorum permansit.

[a] Cod. Carol. epp. 56. 69. 76. 78.

V. MITTIT NUNCIOS AD THASSILONEM BOJOARIÆ DUCEM.

Annalistæ Loiselianus & Laureshamensis Româ Legatos ad Tassilonem Bojoariæ Ducem ab Adriano Papa & Carolo Francorum Rege missos testantur. Laureshamensis, cujus stylus elegantior est, sic habet. *Cùm Carolus Roma esset, convenit inter ipsum atque Adrianum Pontificem, ut simul Legatos mitterent ad Tassilonem Ducem Bojoariæ, qui eum commonerent de sacramento, quod Pippino Regi & filiis ejus ac Francis juraverat, scilicet ut eis subjectus esset ac obediens. Electi ac directi sunt in hanc Legationem de parte Pontificis Formosus ac Damasus Episcopi, & de parte Regis Richolfus Diaconus atque Eberhardus Magister Pincernarum. Qui cùm, ut jussi erant, commemorato Duci locuti fuissent, in tantùm cor ejus emollitum est, ut diceret se statim velle ad Regis properare præsentiam, si sibi tales dentur obsides, sub quibus de sua salute dubitare nulla sit necessitas. Quibus datis, sine cunctatione apud Wormaciam ad Regem venit*, ut dicemus infrà.

VI. MEDIOLANUM PROFICISCITUR.

Carolus Româ statim post Pascha digressus Mediolanum venit, ubi filia ejus Gisla, quam per illos dies ex Hildegarde suscepit, ab ejus urbis Archiepiscopo Thoma baptizata est. Id quoque testatur Annalista Loiselianus, necnon Laureshamensis, cujus hæc sunt verba. *Rege verò Româ digresso, ac Mediolanum veniente, Thomas ejusdem urbis Episcopus baptizavit ibi filiam ejus nomine Gislam, & de sacro fonte suscepit.* Porrò, quoniam baptismus illâ ætate statis Paschæ ac Pentecostes temporibus conferebatur, ut Romæ Pippinum in festo Paschæ, sic Mediolani Gislam paucis post ortum diebus in festo Pentecostes baptizatam arbitrare.

VII. EDIT DECRETUM PRO REGNO LONGOBARUM.

Sigonius addit Pippinum Modoetiæ ferreâ coronâ donatum, sed quâ fultus auctoritate id prodat, haud comperimus. Idem Auctor eget emendatione, cùm res hoc anno à Carolo Rege in Italia gestas enarraturus initium facit à Legibus, quæ firmando Longobardiæ Regno plurimùm conducebant. *Sese*, inquit, *ad res Regni constituendas convertit, ac frequenti sacrorum profanorúmque Procerum conventu coacto, ex eorum sententia Leges, quæ nunc quoque leguntur, tulit, eásque Kalendis Martiis promulgavit.* At Carolus Decretum suum seriùs edidit, cùm Româ rediisset, Pippino Rege jam constituto, ut insinuavimus suprà. Sanctionum autem Carolinarum hanc epitomen non malè subjungit Sigonius. *Ut Archiepiscopi & Episcopi ea jura haberent, quæ legibus sancta essent, Monasteria eâ disciplinâ tenerentur, quâ à patribus fuissent obstricta. Reliqua inde sunt de homicidiis, latrociniis, & perjuriis puniendis, & de jure à Comitibus & Vassis Dominicis benignè reddendo.*

VIII.

Legis Longobardorum tres extant libri, variósque distinguuntur in Titulos, quibus insertum per fragmenta totum Caroli Decretum. Primus libri tertii Titulus inscribitur *de Episcopis & Clericis, & de his, quæ ad utilitatem publicam pertinent*. Sicque inchoatur. *Anno feliciter undecimo, regnante Domno nostro Karolo gloriosissimo Rege, in mense Maii, factum est Capitulare, qualiter in uno congregatis Synodali Concilio Episcopis, Abbatibus, virísque illustribus, unà cum piissimo Domno nostro Karolo, secundùm voluntatem Dei, pro causis opportunis*, &c. In dubium vocari non debet, quin Sigonius proximè citatus ad hunc Titulum respexerit, in quo sexdecim sunt sanctiones Caroli, penéque omnes de Archiepiscopis, Episcopis, ac Monasteriis, ut patebit infrà. Textu tamen superiùs allegato, Capitulare Caroli, nec mense

AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1. Maio, nec anno Caroli in Italia regnantis undecimo consignat, imò factum testatur Kalendis Martiis, anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, qui partim septimo, partim octavo Caroli post subactam Longobardiam anno illigatur. E duobus Characteribus, *mensem Maii* retinendum in Lege Longobardica putamus, annum verò Caroli regnantis in Italia septimum undecimi loco reponendum. Nec nos movet Imperatoris titulus, qui sanctionibus Caroli præfigitur, vitium est enim Collectoris, qui non Carolum modò, quem textus Legis Regem non semel nuncupat, sed & Pippinum Caroli filium, qui nunquam Imperator fuit, Imperatorem in apicibus sanctionum passim dicit.

IX. Ante biennium recitavimus explicuimúsque Capitulare Haristalliense. Illi autem Capitulari, & Decreto Carolino, de quo nobis hic agendum, eadem præponitur Præfatio. Id erroris inde profectum putamus, quòd utrobique similes sunt sanctiones haud paucæ, ut mox ostensuri sumus.

X. Primâ sanctione, quam in Lege Longobardica primus Titulus libri tertii repræsentat, Episcopi, Abbates, virique illustres *consenserunt Decretum, de Metropolitanis Episcopis, ut eorum suffraganei Episcopi secundùm Canones subjecti sint, & ea, quæ erga illorum ministerium emendanda cognoscunt, libenti animo emendent atque corrigant.* Hic est textus Legis Longobardicæ. Phrasim illam, *ut eorum suffraganei Episcopi secundùm Canones subjecti sint*, in Capitulari Haristalliensi sic exhibuit Sirmondus, *ut suffraganei Episcopi eis secundùm Canones subjecti sint*, & ex ipsa Præfatione sustulit vocem *Decretum*, quam tamen fatetur in libris ferè omnibus manuscriptis & Titulo primo Legis Longobardicæ haberi, quamvis minimè necessaria videatur, *quia*, inquit, *nomen ipsum Capitularis, Decretum significat capitulis digestum atque distinctum.*

XI. *II. De Episcopatibus, ubi præsentes Episcopi ordinati non sint sine tarditate ordinentur.* Clariùs apud Sirmondum in prædicto Capitulari sic. *De Episcopis, ut ubi in præsens ordinati non sunt, sine tarditate ordinentur.*

XII. *III. De Monasteriis, quæ regularia fuerint* [a], *ut secundùm regulam vivant necnon & Monasteria puellarum ordinem sanctum custodiant, & unaquaque Abbatissa in Monasterio suo sine intermissione residat*, addit Sirmondus, *& duo Monasteria non habeat.*

[a] Sirmond. fuerunt.

XIII. *IV. Ut Episcopi de Presbyteris & Clericis infra illorum parochiam & de suo ministerio potestatem habeant secundùm Canones facere.* Paulò breviùs Sirmondus, sic. *Ut Episcopi de Presbyteris & Clericis infra illorum parrochiam potestatem habeant secundùm Canones.*

XIV. *V. De teloneis, quæ jam antè forbannita fuere, ut nemo tollat, nisi ubi antiquo tempore consuetudo fuerit.* Sirmondus autem articulo Capitularis Haristalliensis decimo-nono sic legit. *De teloneis, qui jam anteà forbanniti fuerunt, nemo tollat, nisi ubi antiquo tempore fuerunt.*

XV. *VI. Ut infantulæ ætatis puellæ non velentur, antequàm eligere sciant, quid velint, salvâ canonicâ authoritate.*

XVI. *VII. Ut nullus cogatur ad pontem ire ad fluvium transeundum propter telonei causam, quando ille in alio loco compendiosiùs illud flumen transire potest. Similiter in campo plano, ubi nec pons, nec transjectus est, ibi omnino ut teloneum non exigatur, præcipimus.*

XVII. *VIII. Volumus atque jubemus, ut Episcopi suum in omnibus juxta vires suas peragere studeant ministerium in parochiis eorum, & ut prædicationes & confirmationes ibidem expleant. Et de Monasteriis, quæ infra eorum parochiam sunt, vigilantes curent, ut Canonici secundùm Canones, & Regulares secundùm Regulam vivant, & ubi aliter quàm ordo poposcit, invenerint, emendare faciant, &, si emendare nequiverint, nobis nuncietur.*

XVIII. *IX. Ut Episcopi, Abbates, per Xenodochia & Monasteria eorum, Hospitale, ubi antiquitus fuerit, faciant; & summoperè curent, ut nullatenus prætermittatur.*

X. Ut

X. Ut nullus Presbyter chartam scribat, neque conductor existat, suis senio- AN. CH.
ribus. 781.
XI. Volumus primò, ut neque Abbates, neque Presbyteri, neque Diaconi, CAROLI
neque Subdiaconi, neque quislibet de Clero, de personis suis ad publica vel ad R. 13.
secularia judicia trahantur, vel distringantur, sed à suis Episcopis judicati jus- PIPPINI
titiam faciant. Si autem de possessionibus, sive Ecclesiasticis, sive suis propriis, Ludov.
super eos clamor ad Judicem venerit, mittat Judex clamantem cum Misso suo RR. 1.
ad Episcopum, ut faciat ei per Advocatum justitiam percipere. Si verò aliqua XIX.
inter eos fuerit orta intentio, quam per se pacificare non velint, aut non pos- XX.
sint, tunc per Advocatum Episcopi, qualem jusserit, causa ipsa ante Comitem
veniat, vel Judicem, & ibi secundùm legem finiatur, antepósito sicut dictum
est, de persona Clericorum.
XII. Ut liber homo, qui in Monasterio Regulari comam deposuerit, & res XXI.
suas ibidem delegaverit, promissionem factam secundùm Regulam firmiter te-
neat.
XIII. De liberis hominibus, qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut XXII.
priùs hoc non faciant, quàm à nobis licentiam postulent. Hoc autem ideo dici-
mus, quia audivimus aliquos ex illis, non tam causâ devotionis hoc facere;
quàm pro exercitu, seu pro alia functione Regali fugienda. Quosdam verò
cupiditatis causâ, ab his, qui res illorum concupiscunt, circumventos audivi-
mus; & hoc ideo fieri prohibemus.
XIV. Ut loca, quæ semel Deo dicata sunt, ut Monasteria sint in perpe- XXIII.
tuum, nec possint ultrà fieri secularia habitacula.
XV. Ut si Clerici aliquod negotium habuerint, à suo Episcopo judicentur, XXIV.
nam non à secularibus, ut nec Monachus, nec Clericus, in secularia negotia
transeant.
XVI. Ut servum alterius nemo sollicitet ad Clericalem vel Monachalem as- XXV.
cendere ordinem, sine licentia domini sui & voluntate.

In eodem Titulo sequuntur sanctiones cùm Pippini, tum Ludovici & XXVI.
Lotharii, de quibus agemus infrà. Hìc enim ceteræ tantùm Caroli sanc-
tiones investigandæ sunt, ut integrum ejus de Regno Longobardico De-
cretum tibi repræsentetur.

In libro primo Legis Longobardicæ Tituli sunt triginta-septem, quibus XXVII.
inseruntur sanctiones Caroli non paucæ.

Tituli septimi, qui *de plagis & compositionibus liberorum hominum* inscri- XXVIII.
bitur, postremâ sanctione multa statuit Carolus, quæ describemus anno
post Christum natum octingentesimo primo.

Titulo nono [a], qui *de homicidiis liberorum hominum* inscribitur, Caro- XXIX.
lus ita decernit. *Qui Subdiaconum occiderit*, CCC *solid. componat. Qui Dia-* [a] Art. 27.
conum, CCCC. *Qui Presbyterum*, DC. *Qui Episcopum*, DCCCC. *Qui Mona-*
chum, CCCC. *De Episcopis & Sacerdotibus occisis, sicut statutum habemus,*
fiat, & de reliquis quibuslibet causis. Verumtamen de Presbyteris videtur nobis,
ut si liber est natus Presbyter, per triplam compositionem, secundùm legem
suam sit compositus ab eo, qui hoc perpetraverit: &, si plagatus fuerit, secun-
dùm qualitatem vel quantitatem plagarum, vel disciplinæ, per triplam compo-
sitionem, secundùm legem suam emendetur ab eo, qui hoc perpetraverit. Si au-
tem servus Presbyter natus fuerit, secundùm illius nativitatem, per triplam
compositionem, solvatur in plagis & disciplinis. De Diaconibus similiter fiat.

Titulo decimo, qui est *de parricidiis*, Carolus hanc habet sanctionem [b]. XXX.
Si quis de libertate sua interpellatus fuerit, timens ne in servitium cadat, ali- [b] Art. 3.
quem de propinquis, per quem in servitium casurus esset, occiderit, id est, pa-
trem vel matrem, patruum vel avunculum, vel quamlibet hujusmodi propinqui-
tatis personam, ipse, qui hoc perpetraverit, moriatur; agnatio ejus & consan-
guinitas in servitutem cadat. Et, si negaverit ipsum occidisse, ad novem vo-
meres ignitos ad judicium Dei examinandum accedat. Judicialis examinis per

AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1.

igniros vomeres illustre habes exemplum de Sancta Chunegunde in vita Sancti Henrici Imperatoris. *Invidus omnium bonorum diabolus, ubi totum immaculatum sauciare non potuit, zelotypiæ livore fœdare cogitavit, & ejus*, nempe Chunegundis, *saltem famam lædere, cui vulnus corruptionis infligere non potuit. Facta est igitur, auctore diabolo, suspecta criminis ea, quæ non noverat maculam corruptionis. Sed quia crudelis est, qui famam negligit, expurgationis gratiâ ad vomeres candentes illud sibi judicium delegit, quod propter duritiam hominum institutum esse cognoscitur. Cúmque dilecta Deo ad illud judicium, velut ovis ad occisionem, duceretur, ingemuit, & ait. Domine Deus creator cœli & terræ; qui probas renes & corda, judica judicium meum, & eripe me. Te enim testem & judicem hodie invoco, quia nec hunc præsentem Henricum, nec alterum quenquam virum carnali commistione unquam cognovi. Hoc dicto, stupentibus ac flentibus universis, qui aderant, vomeres candentes nudo vestigio calcavit, & sine adustionis molestia secura pertransiit. Ita Deus Omnipotens vinculum castæ dilectionis servavit, innocentiam comprobavit, & integritati custodiam humilitatis adhibuit.* Vomerum numerus non erat certus, varius enim in diversis occurrit sanctionibus, & judicium modò per plures, modò per pauciores vomeres examinatur. Porrò mos ille, qui nunquam habitus est Canonicus, à paganis ad Christianos transmigravit, ut observat

[a] In verbo vomeres.

in suo Glossario [a] Fridericus Lindenbrogius allegato Sophocle, qui Nuncium sic loquentem introducit in Antigone. *Eramus autem parati ignitum ferrum manu capere, & ire per ignem, & jurare, quòd non fecissemus, nec sciremus quenquam fecisse nostro consilio.*

Ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,
Καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ Θεοὺς ὁρκωμοτεῖν,
Τὸ μήτε δρᾶσαι, μήτε τῳ ξυνειδέναι
Τὸ πρᾶγμα βουλεύσαντι, μήτ' εἰργασμένῳ.

XXXI.

[b] Art. 3.

Titulo decimo-tertio [b], cujus hæc est inscriptio, *ne quis ad Regem venientibus injuriam faciat*, Carolus ita sancit. *Si quis liber super Missum Dominicum cum collecta & armis venerit, & missaticum illi injunctum contradixerit, aut contradicere voluerit, & hoc ei approbatum fuerit, quòd sciens esse Missum Dominicum, ad resistendum venisset, de vita componat, &, si negaverit, cum* XII *Sacramentalibus suis se idoneum faciat; & pro eo quòd cum collecta contra Missum Dominicum armatus venerit ad resistendum, bannum Dominicum componat. Simili modo Domnus Imperator de suis vassis judicavit.* Locus hic corruptus, atque ita restituendus videtur. *Simili modo Domnus Rex de suis vassis judicabit. Et, si servus hoc fecerit, disciplinæ corporali subjaceat.* De Sacramentalibus seu Juratoribus, quorum testimonio ac sacramento

[c] Ad an. 635. nu. 19. 45.

seu juramento reus se purgat à crimine, locuti sumus Tomo tertio [c]. Missus Dominicus est Nuntius seu Legatus Regis, & Missaticus est ipsa Legatio quam Missus obit. Si quis igitur liber collectâ multitudine sumptisque armis impedire voluit, ne Missus Regius Missaticum suum perficeret, de vita componat, si scivit Missum esse Dominicum. At si negat se scivisse, idque duodecim Sacramentalium seu Juratorum testimonio comprobat, de vita quidem componere non teneatur, tamen, quia cum multitudine & armis accessit, bannum Dominicum seu bannum Regis, id est, mulctam sive pecuniam Regi in tali casu pendi solitam persolvat. Eâdem pœnâ mulctatur vassus Dominicus seu vassus Regius, qui feudum à Rege immediatè accepit. Servus autem vapulat, & disciplinæ corporali subjacet.

XXXII.

[d] Art. 9. & seqq.

Titulo decimo-quarto [d] *de exercitalibus, & his qui in hostem*, id est, in exercitum, *ire contempserint*, insertæ sunt Caroli sanctiones septem.

XXXIII.

I. Si quis domum alienam cuilibet fregerit, quidquid exinde per virtutem abstulerit, aut rapuerit, aut furatus fuerit, secundùm legem & ewam illi cujus domus fuerit fracta aut expoliata, in triplo componat, & insuper bannum Do-

minicum solvat. Si servus fecerit, sententiam superiorem accipiat, & insuper secundùm legem suam camponat. In hac sanctione lex & ewa voces sunt synonymæ, & bannum Dominicum eo usurpatur sensu, quo suprà. AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1.

II. Si quis liber homo aliquod damnum cuilibet fecerit, pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum inwadiare sive impignorare *studeat, usquedum plenam compositionem adimpleat.*

III. Si quis messem aut annonam in hoste super bannum Dominicum rapuerit, aut furatus fuerit, vel paverit, aut cum caballis vastaverit, æstimato damno secundùm legem in triplo componat. Et, si liber homo hoc fecerit, bannum Dominicum pro hac re componere cogatur, servus verò secundùm legem triplum componat, damnum in loco restituat, & pro banno disciplinæ corporali subjaceat. In hac sanctione bannum Dominicum duplicem habet significationem, neque enim tantùm sumitur, ut suprà pro mulcta pecuniaria quam reus Regi persolvit, sed etiam pro edicto Regio; & quidem pro Regio edicto, cùm quis messem aut annonam *in hoste*, id est, in exercitu, *super bannum Dominicum* rapuisse dicitur, pro mulcta verò pecuniaria, cùm liber homo *bannum Dominicum* componere cogitur, ut servus *pro banno* disciplinæ corporali subjacet. XXXIV. XXXV.

IV. Si qualibet persona de hoc quoque interpellata fuerit, aut præsentialiter emendet, aut sacramentum reddat solus, quòd nec ipse fecerit, nec verè qui fecisset sciat; accusator verò priùs juret, quòd non eum injustè se sciente interpellasset. XXXVI.

V. Quicumque liber homo in hoste bannitus fuerit, id est, per edictum ad militiam fuerit evocatus, *& evenire contempserit, plenum heribannum secundùm legem Francorum, id est,* LX *sol. solvat, aut, si non habuerit unde illum summam persolvat, semetipsum per wadium in servitio Principis tradat, donec per tempora ipsum bannum ab eo fuerit persolutum, & tunc iterum ad statum suæ libertatis revertatur. Et, si homo ille, qui propter heribannum in servitio se tradiderit, in servitio illo defunctus fuerit, heredes ejus hæreditatem, quæ ad illos pertinet, non perdant, nec de libertate nec de ipso heribanno obnoxii fiant.* Heribannum, sive Herebannum, aut Haribannum, vel Aribannum, indictio est exercitûs, & mulcta non proficiscentis in exercitum, bannum enim, ut dictum suprà, mulctam & edictum significat, *hare* autem & *here* Saxonibus ac Germanis est exercitus. Sumitur & Heribannum pro tributo & subsidio, quod ad alendum exercitum conjicitur, & à Saxonibus vocatur *heregeld*. XXXVII.

VI Sanctio à nobis hîc omittitur, rejicitúrque in annum Redemptoris octingentesimum primum, quo Legi Longobardicæ addita est. XXXVIII.

VII Sanctionis par est ratio, eodem enim tempore, quo prior, adjecta est Legi Longobardicæ. XXXIX.

Titulo decimo-septimo [a], qui *de aggressione in vico facta, & de collectionibus rusticorum* inscribitur, Carolus *de sacramentis per gildoniam* sive adunationem *conjurandis* statuit, *ut ea nemo facere præsumat.* Lege quæ dicta sunt ad sanctionem decimam-septimam Capitularis Haristalliensis [b]. XL.

[a] Art. 7.

[b] Ad an. 779. n. 18.

Titulo vicesimo-secundo [c], qui *de venationibus* est, *& de damno, quod per eas acciderit*, sancit Carolus, *ut nemo pedicas in foresto Dominica, nec in quolibet regali loco tendere præsumat: &, si ingenuus hoc perpetraverit, bannum Dominicum solvat; &, si servus est, dominus illius emendet, sicut lex est.* XLI.

[c] Art. 7.

Titulo vicesimo-quinto [d], *de furtis & servis fugacibus*, insertæ sunt Caroli sanctiones duodecim. XLII.

[d] Art. 61. & seqq.

I. De latronibus ita præcipimus observandum, ut pro prima culpa non moriatur, sed oculum perdat. De secunda nasus ei scalpelletur. De tertia verò, si se non emendaverit, moriatur. Habet conformia Capitularis Haristalliensis ultima sanctio. XLIII.

II. De latrone forbannito seu proscripto, *si liber homo susceperit eum*, XV *sol. componat, &, si servus fuerit*, CXXV *ictuum percussionibus vapuletur.* XLIV.

AN. CH. 781. *III. Ut Comes, qui latronem in forbanno miserit, vicinis suis & aliis Comitibus notum faciat, eundem latronem à se forbannitum esse, ut illi eum non recipiant.*

CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1. *IV. Sed & hoc volumus, ut Comites de latronibus plenam justitiam faciant per eorum ministeria, ut fures & malefactores non pasantur quietè residere, sed semper eos, in quantùm valent, infestent.*

XLV. *V. Ut mancipia adventitia & fugitiva nullus præsumat recipere.*

XLVI. XLVII. XLVIII. *VI. De vindicta & judicio suo facto in latronibus, ut, testimonio Episcoporum, absque peccato Comites facere possunt, ita tamen ut absque invidia, aut alia occasione mala, faciant, & nihil aliud interponatur, nisi ad veram justitiam perficiendam & pacem confirmandam.* Confer Capitulare Haristallicnse, sanctione duodecimâ.

XLIX. *VII. Si quis latro de uno furto probatus fuerit, perdat oculum: &, si de duobus furtis probatus fuerit, nasus ei scalpelletur; &, si de tribus furtis probatus fuerit, moriatur.* Similis est & hæc sanctio postremæ Capitularis Haristalliensis.

L. *VIII. De duobus furtis, unde oculum & nasum perdere debet, constituimus ut dominus servi illius, secundùm legem, cui furta facta fuerint, solvere debeat; de tertio verò furta, unde mori debet, mors illius furta illa excludat. Et, si Comes, sine culpa, per invidiam aut occasionem injustam, nisi per justitiam & pacem faciendam, hominem diffecerit, honorem suum perdat, & legibus illi, contra quem injustè fecerit, pœnam, quam intulerit, emendet.* Lege in Capitulari Haristalliensi posteriorem partem sanctionis duodecimæ.

LI. IX Sanctio à nobis describetur ad annum Redemptoris octingentesimum primum, quia Legi Longobardicæ tunc adjecta est.

LII. X Sanctio eandem ob causam à nobis hic omittitur.

LIII. XI Sanctionis par ratio est ac nonæ & decimæ.

LIV. *XII. De fugitivis servis & ancillis fugacibus, advenis ac peregrinis, ut distinguantur, ut scire pessimus qui sint & unde veniant.*

LV. Titulo tricesimo [a] *de raptu*, Carolus ita statuit. *De desponsatis puellis, & postea ab aliis raptis, placuit nobis erui, & posteà eis reddi, quibus antè fuerunt desponsata: &, si eis à raptoribus vis illata constiterit, praiude statutum est à sacro conventu, ut raptor publicâ pœnitentiâ mulctetur. Raptam verò si sponsus recipere noluerit, & ipsa ejusdem criminis consentiens non fuerit, licentia alibi nubendi non denegetur, quia si ipsa consenserit, simili sententia subjaceat,* id est, pœnitentiâ publicâ cum raptore mulctetur. *Quòd si post hac se conjungere præsumpserint, uterque anathematizetur.*

[a] Art. 12.

LVI. Titulus tricesimus-quartus est de Regis actore, qui res Regias per fraudem alienavit. De illo, ut & de eo, qui res Ecclesiæ alienavit, ita decernit Carolus [b]. *Si quis præpositus aut ministerialis aliquas res Ecclesiæ, quas providere debet, aliquo inscriptionis titulo cuique concesserit, quod ad damnum ipsius Ecclesiæ pertineat, pro sacrilegio computetur. Similiter de rebus, quæ ad rem publicam pertinent, si Comes aut ministerialis rei publicæ, cuique concesserit, similiter pro infidelitate computetur.*

[b] Art. 1.

LVII. Titulus tricesimus-quintus est *de his, qui ad mortem fueriut judicati,* duásque tantùm sanctiones habet, à Carolo sic latas.

LVIII. *I. De illis hominibus, qui propter eorum culpas ad mortem fuerint judicati, & posteà vita eis concessa fuerit, si ipsi justitiam ab aliis, aut alii ab eis quærere voluerint, æquale judicium inter eos terminetur. Primùm enim omnium de illis causis, pro quibus judicati fuerint ad mortem, nullam posteà repetitionem facere possunt, quòd omnes res suæ secundùm judicium Francorum in publico sunt revocatæ. Et, si aliquid postmodum, postquàm eis vita concessa est, cum justitia acquirere potuerint, in sua libertate teneant, & defendant secundùm legem, sed in testimonio non suscipiantur, nec inter Scabinos ad legem judicandam locum teneant. Et, si sacramentum eis aliquod judicatum fuerit, quod jurare debeant,*

si aliquis ipsum sacramentum falsum dicere voluerit, tum armis contendat, id est, duello, quod intet vulgares criminum purgationes sæpè damnatas referri debet, ut alio loco fusiùs exponemus. Quod attinet ad Scabinos, ii Judiees erant atque adjutotes Comitum. A Misso Regio sive Dominico eligebantur cum assensu populi, mallísque publicis & causis tam capitalibus quàm eivilibus, nec terrestribus solùm, sed & maritimis, in quovis Comitatu & Civitate sub Comite præficiebantur.

LIX. *II. Si alicui homini, post judicium Scabinorum, fuerit vita toncessa, & ipse postmodum aliquod malum perpetraverit, & justitiam reddere noluerit, dicendo quòd mortuus sit, & ideo justitiam reddere non debeat, statutum est, ut superius juditium sustineat, quod anteà sustinere debuit. Et, si aliquis adversùs eum aliquod malum fecerit, secundùm æquitatis ordinem, licentiam habeat suam justitiam requirendi de causis perpetratis, postquàm ad mortem juditatus est, de præteritis vero maneat, sicut suprà judicatum est.*

LX. Tituli tricesimi-sexti *de culpis servorum* inseripti postrema hæc est sanctio à Carolo promulgata. *Nemini liceat dimittere servum suum propter damnum ab illo cuilibet illatum, sed juxta qualitatem damni dominus ejus pro illo respondeat, vel eum in compositionem aut ad pœnam petitoris afferat. Sin autem servus pro perpetrato scelere fugerit, ita ut à domino penitus inveniri non possit, cum sacramento dominus ejus extusare studeat, quod hot non sua voluntatis, nec consentiens fuisset, quòd servus ejus tale factum commisisset, & sit absolutus. Jubemus quoque, ut propter nullam districtionem, quam nos facere jubemus, pro quibuslibet tausis, servi non mittantur in districtionem, sed per Missos nostros, vel dominos eorum, aut illorum Advocatos, ipsi servi distringantur, ut ipsi, sicut lex jubet, rationem pro servis reddant, utrùm culpabiles sint, an non. Ipsi verò domini distringant & inquirant servos suos, sicut ipsos amant.*

LXI. Titulus tricesimus-septimus est *de faidosis, & armis infra patriam non portandis*. Ttes duntaxat sanctiones habet. Unam atque altetam sic edidit Carolus.

LXII. *Si quis pro faida pretium recipere noluerit, ad nos sit transmissus, & nos eum dirigamus, ubi damnum minimè facere possit. Simili modo etiam qui pro faida pretium solvere noluerit, net justitiam inde facere, tunc ad nos sit transmissus, & in tali loco eum mittere volumus, ut majus damnum non crescat.* Hanc sanctionem, vicesimæ tertiæ Capitularis Haristalliensis omnino consentaneam, ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-nonum jam retulimus, exposuimúsque quid esset faida.

LXIII. Altera Catoli sanctio talis est. *De armis infra patriam non portandis, id est, scutis, & lanceis, & loritis. Si faidosus*, sive in faida, *quis fuerit, discutiatur: & tunc qui è duobus tontrarius fuerit, pacatus fiat, & distringatur ad pacem, etiamsi noluerit. Et, si aliter se pacificare noluerit, adducatur ad nostram præsentiam; &, si aliquis post pacificationem alterum occiderit, componat illum, & manum illam quam perjuravit perdat, & insuper bannum Dominitum persolvat.*

LXIV. In secundo libto Legis Longobardorum, qui Titulos sexaginta complectitur, sunt etiam Caroli sanctiones haud paucæ.

LXV. Titulo sexto [a], de tempore infra quod viduis *velum vel maritum* accipere permissum sit, ita decernit Catolus. *De fœminis, quas defunctis viris lex Longobardorum prohibet ante anni spatium vestem religionis mutare, velúmque suscipere: petunt nostram licentiam, ut mox dum divina pietas Dei inspiravit eas, indemnes liceat suscipere. Nos autem considerantes, quia præterito tempore pro ipsa dilatione multæ etiam rapta intra idem spatium ad aliam partem distracta fuerunt, ideo petitionem earum, quam censemus esse justam, suscepimus, & eis fieri, ita toncedimus.*

LXVI. Titulo octavo, qui *de prohibitis nuptiis* inscribitut, duæ leguntut Caroli sanctiones. Ptima [b]; quacum quinta Capitularis Haristalliensis conferenda,

[a] Art. 2.

[b] Art. 9.

AN.CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. I.

sic habetur. *Ut Episcopi de incestuosis hominibus emendandi licentiam habeant; seu & de viduis infra suam parochiam potestatem habeant corrigendi. Et, si de ipsis incestuosis aliquis post judicium Episcopi in ipso incestu se iterum commiserit, si pradium, id est allodium, habuerit, ipsum in fiscum Regis recipiatur.* Altera [a], sic. *Illud prætereà per omnia praecaventes nos prohibere decrevimus, ut nullus præsumat ante annos pubertatis puerum vel puellam in matrimonio sociare, in dissimili ætate, sed coætaneos, & sibi consentientes, quia multas sæpiùs ex hujusmodi contractu nuptiali ruinas animarum factas audivimus, & tales fornicationes, quales inter gentes esse non debent. Ita planè, ut, si contigerit puerum adultum esse, & puellam parvulam, per virum cognata & socrus deprehendantur adultera, & è contrario si puella matura ætatis & puer tenera, & propter puellam adultam & puerum parvulum pater & frater pueri tanti peccati flagitiosi perveniunt irretiti. Unde qui hæc prohibita de cetero usurpare præsumpserit, ab omni consortio Ecclesiastico sit alienus, sed nec à publicis sit immunis judiciis.*

[a] Art. 10.

LXVII. Titulo duodecimo [b], *de conjugiis servorum*, sic loquitur Carolus. *Ut conjugia servorum non dirimantur, si diversos dominos habuerint, sed in uno conjugio servi permanentes, dominis suis serviant. Sic tamen ut ipsum conjugium legale sit, & per voluntatem dominorum suorum; juxta Evangelium,[quos Deus conjunxit, homo non separet.]*

[b] Art. 10.

LXVIII. Titulus decimus-tertius est *de eo, qui uxorem suam dimiserit, & aliam super eam duxerit.* Carolus super illo casu sanctiones duas habet. Unam [c], sic. *Ut nec uxor à viro dimissa, alium accipiat virum, vivente viro: nec vir aliam accipiat uxorem, vivente priore uxore.* Alteram [d], sic. *Quicunque propriâ uxore derelictâ, vel sine culpa interfectâ, aliam duxerit, armis depositis publicam habeat pœnitentiam, &, si contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in custodia mittatur, donec res ad nostram notitiam perducatur.*

[c] Art. 4.
[d] Art. 5.

LXIX. Titulo decimo-sexto *de adoptionibus* sic habet Carolus. *Qui filium legitimum non habuerit, & alium quemlibet hæredem sibi facere voluerit, coram Comite, vel coram Rege & Scabinis vel Misso Dominico, qui tunc ad justitiam faciendam in provincia fuerint ordinati, traditionem faciat.*

LXX. Titulo decimo-octavo *de ultimis voluntatibus*, Carolus duas edit sanctiones. Unam sic [e]. *Quicunque res suas pro anima sua ad casam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram testibus legitimis, & quæ in hoste,* sive in exercitu, *factæ sunt hactenus traditiones, de quibus nulla quæstio est, stabiles permaneant. Si verò aliquis alii res suas tradiderit, & in hoste*, id est, ad exercitum, *profectus fuerit, & ille, cui res traditæ sunt, interim mortuus fuerit, ipse, qui res suas tradiderit, cùm reversus fuerit, adhibitis testibus, coram quibus traditio facta est, res suas recipiat. Si autem ipse mortuus fuerit, hæredes ejus legitimi ipsam rem traditam recipiant.* Alteram, quæ legitur articulo quarto, describemus ad annum Redemptoris octingentesimum primum, quo lata est.

[e] Art. 5.

LXXI. Titulo vicesimo-primo [f] *de wadimoniis* statuit Carolus, *ut omnia quæ wadiari debent, juxta ea, quæ in lege continentur, pleniter secundùm ipsam Legem wadiata fiant, & postmodum vel Domnus Rex, vel ille, cujus est causa, juxta quod ei placuerit, misericordiam faciat.*

[f] Art. 29.

LXXII. Titulo vicesimo-secundo duæ sunt Caroli sanctiones *de quantitate solidorum.* Prima. *De omnibus debitis solvendis, sicut antiquitus fuit consuetudo, per* XII *denarios sol. solvantur, per totam Salicam legem, excepto si Leudes, id est, Saxo aut Friso Salicum occiderit, per* LX *denarios sol. solvatur. Inter Salicos verò ex utraque parte de omnibus debitis, sicut diximus, per* XII *denarios solid. solvatur, sive de homicidiis, sive de omnibus rebus.* Secunda. *Omnia debita, quæ ad partem Regis solvi debent, per* XII *denarios sol. solvantur: exceptâ fredâ, quæ in Lege Salica scripta est, eisdem sol. cum quibus cetera*

compositiones solvi debent, componatur. Est autem freda seu fredus aut fredum compositio quæ fisco debetur, ut Tomo primo [a] jam notavimus ex Gregorio Turonensi; qui libro quarto [b] de Miraculis Sancti Martini sic scribit. *Affirmavit Rex quosdam ex his, qui absoluti fuerant, ad se venisse; compositionemque fisco debitam, quam illi fredum vocant, à se indultam.*

LXXIII. Titulo vicesimo-octavo [c], qui *de rebus intertiatis* inscribitur, hæc occurrit sanctio Caroli. *Si res intertiata*, id est, missa in tertiam manum, *furto ablata fuerit, liceat ei, super quem res intertiata fuerit, cum sacramento se excusare de furto, quod nec sua voluntatis, nec consentiens fuerit, quod ablatum est: ut tantùm sine damno restituat.* Obscurior est hic textus, egétque emendatione, quam editio Capitulorum sic suppeditat libro sexto, capite ducentesimo nono. *Si res intertiata furto ablata fuerit, liceat ei, super quem res intertiata fuerit, sacramento se excusare de furto, quòd nec sua voluntatis aut conscientia fuisset, quòd ablatum est: & aliud tantùm sine damno restituat.* In Lege Ripuariorum [d], formulam habes intertiandi. *Si quis rem suam cognoverit, mittat manum super eam, & ille, super quem intertiatur, tertiam manum quarat, tunc in prasente ambo conjurare debent; cum dextera arma & cum sinistra ipsam rem teneant: unus juret quòd in propriam rem manum mittat, & alius juret quòd ad eum manum trahat qui ei ipsam rem dedit.* In Lege Longobardorum, ad sanctionem suprà descriptam hæc adduntur. *Si verò actor venerit, & rem intertiatam recipere voluerit, campo vel cruce contendat.* Omittuntur autem in Capitulo suprà citato. Actori seu Procuratori, qui rem intertiatam recipere voluerit, permittit Carolus, ut campo vel cruce contendat. Criminis explorandi purgandíque multa olim genera. Inter probationes vulgares sive non canonicas, quæ sæpiùs prohibitæ tandémque abolitæ sunt, annumerata judicia cùm campi tum crucis, de quibus alibi jam dictum.

LXXIV. Titulo tricesimo de servorum venditione sic præcipit Carolus. *Nemo præsumat hominem aliquem vendere aut comparare, nisi in præsentia Comitum aut Missorum nostrorum.* Item. *De mancipiis, quæ venduntur, ut in præsentia Episcopi vel Comitis sint vendita, aut Archidiaconi, & Centenarii, aut Vicedomini, aut Vicejudicis, vel Vicecomitis, aut ante nota testimonia. Et ut foras marcas nemo mancipia vendat. Et hoc qui fecerit, tantis vicibus bannum solvat, quanta mancipia vendiderit: &, si non habet pretium, in wadia pro servo semetipsum Comiti donet, usquedum ipsum bannum persolvat. Item, ut nemo andeat in furto mancipia emere, & in aliam regionem occultè ducere: ubi verò repertum fuerit, legali sententia subjaceat.* Lege sanctionem vicesimam Capitularis Haristalliensis.

LXXV. Titulo tricesimo-primo, emptionem futurorum fructuum sic prohibet. *Nemo propter cupiditatem pecunia aut avaritiam det pretium, ut futuram emptionem sibi præpares, vel duplum vel triplum accipiat, sed tunc tantùm, quantùm præsenses sunt fructus, sibi illos compares.*

LXXVI. Titulo tricesimo-tertio [e] statuit, *ut nemo colonus nec fiscalinus possit foras mixtos*, fortè foras marcas ut suprà, *traditionem facere.*

LXXVII. Titulo tricesimo-quarto [f], *De his qui se in potestate alterius subdiderint*, ita decernit. *Si liber homo se loco wadia in alterius potestate commiserit, ibique contigerit, ut damnum aliquod cuilibet fecerit, ille, qui hominem liberum in locum wadia suscepit, damnum solvat, aut hominem in mallo perductum dimittat, perdens eum, simul & debitum, propter quod eum in wadiam suscepit, &, qui damnum fecit, dimissus juxta qualitatem rei cogatur emendare. Si verò liberam fœminam habuerit, usquedum in pignus astiterit, & filios habuerit, liberi permaneant.*

LXXVIII. Titulo tricesimo-quinto *de manumissionibus* hæc habet. *Si quis per cartam ingenuitatis à domino suo legitimam libertatem est consecutus, liber permaneat. Si verò aliquis eum injustè inservire tentaverit, ille cartam ingenuitatis osten-*

[a] Ad an. 426. n. 152.
[b] Cap. 26.
[c] Art. 1.
[d] Tit. 33.
[e] Art. 6.
[f] Art. 2.

AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1.

dat. Et, si adversarius injustè eum inservire conatus fuerit, ille, qui id tentaverit, multam, quæ in ipsa carta scripta est, solvere cogatur. Si autem carta non apparuerit, sed jam ab illo, qui eum inservire voluerit, disfacta est, widrigilt ejus componat, duas partes illi quem inservire voluerit, tertiam Regi. Et ille iterum per Præceptum Regis suam libertatem conquirat.

LXXIX. Titulus quadragesimus est *de reverentia Ecclesiæ & immunitatibus debita, vel de his qui ad Ecclesiam confugium fecerint, aut in immunitate damnum dederint.* Tres autem sub eo Titulo [a] leguntur sanctiones Caroli. Prima. *Ut homicidæ & rei ceteri, qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam Dei confugiunt, non excusentur, neque eis ibidem victus detur.* Secunda. *Ut latrones illos de infra immunitatem Judices & Advocati ad Comitum placita, quando eis annuntiatum fuerit, præsentent. Et, si dixerint, quòd ipsos latrones præsentare non potuissent, jurare debent, quòd illos præsentare non potuissent, postquàm eis denuntiatum fuerit, nec pro ulla justitia dilatanda illis latronibus fugere consenserint, nec pro causa dilationis de illorum potestate, vel de suorum ministerio, latrones jactassent. Et hoc jurent, ut per suorum voluntatem, si potuerint, ipsos latrones præsentare debeant ad justitiam faciendam. Et, qui hoc non fecerint, beneficium & honorem perdant. Similiter & si bassi* seu vassi *nostri hoc non adimpleverint, beneficium & honorem perdant. Et qui beneficium nostrum non habuerit, bannum nostrum solvat.* Tertia. *Si quis in immunitate damnum aliquod fecerit,* DC *solid. componat: si autem homo furtum, aut homicidium, vel quodlibet crimen commiserit, & infra immunitatem fugerit, mandet Comes Episcopo, vel Abbati, vel Vicecomiti, aut qui locum Episcopi vel Abbatis tenuerit, ut reddat ei reum. Quòd si ille Episcopus, sive Abbas, sive Custos contradixerit, & eum reddere noluerit, in prima contradictione sol.* XV *culpabilis judicetur. Si nec ad secundam requisitionem eum reddere voluerit, sol.* XXX *culpabilis judicetur. Si nec ad tertiam inquisitionem consentire voluerit, quidquid reus damni fecerit, totum ille, qui infra immunitatem eum retinet, nec reddere vult, solvere cogatur. Et ipse Comes veniens habeat licentiam ipsum hominem infra immunitatem quærendi, ubicunque eum invenire potuerit. Si autem statim in prima inquisitione Comiti responsum fuerit, quòd reus infra immunitatem quidem fuisset, sed fugâ lapsus est, sic statim juret, sive Episcopus, sive Abbas, sive Custos, quòd ipse eum ad justitiam cujuslibet diffaciendam fugere non fecisset: & sit ei in hoc satisfactum. Si autem intranti in ipsam immunitatem Comiti collectâ manu quislibet resistere tentaverit, Comes hoc factum ad Regem vel ad Principem deferat, ibíque judicetur, ut sicut ille, qui in immunitate damnum fecerit,* DC *sol. componere debet, ita qui Comiti collectâ manu resistere tentaverit vel præsumpserit,* DC *sol. culpabilis, judicetur.* Harum sanctionum prima & altera conformes sunt Capitulari Haristalliensi, cujus sanctiones octavam ac nonam consule.

[a] Art. 2. & seqq.

LXXX. Titulo quadragesimo-tertio [b], *de his qui ad Placitum venire coguntur* sic statuit Carolus. *Ut nullus alius de liberis hominibus ad Placitum vel ad mallum venire cogatur, exceptis Scabinis & vassis Comitum, nisi ille, qui causam suam quærit, aut si alter illi quærere debeat, & ille qui respondet.* Item. *Ut nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærit, aut si alter ei quærere debet, exceptis Scabinis septem, qui ad omnia placita esse debent.*

[b] Art. 1. 2.

LXXXI. Titulus quadragesimus-quartus est *de his, qui ad placitum venire contempserint, & quibus de causis mannitio fieri debeat.* Sic autem decernit [c] Carolus. *Si quis ad mallum legibus mannitus* seu citatus *fuerit, & non venerit; si eum somnis,* id est, excusatio legitima, *non detinuerit, sol.* XV *culpabilis judicetur. Si ad secundam & tertiam vicem, similiter. Si autem ad quartam venire contempserit, possessio ejus in bannum mittatur, donec veniat, & de re, de qua interpellatus fuerit, justitiam faciat. Si autem infra annum non venerit, de rebus ejus, quæ in bannum missa sunt, Rex interrogetur, & quidquid exinde judicaverit, faciat. Prima mannitio* seu citatio *sit super* VII *noctes. Secunda super*

[c] Art. 1. 2.

super noctes XIIII. *Tertiò super noctes* XXI. *Quarta super noctes* XLII. *Similiter de beneficio hominis, si fortè res proprias non habuerit, mittatur in bannum, usquedum Rex interrogetur.* Item. *De manuitione verò, nisi de ingenuitate, aut de hareditate, non sit opus observare: de ceteris verò causis per districtionem Comitis ad mallum veniant, & justè examinentur ad justitiam faciendam. Comites verò non semper pauperes per placita opprimant.* Ceterùm per noctes computare fuit in usu plerisque populis. De Germanis ita scribit Tacitus. *Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant; sic constituunt, sic condicunt, ut nox ducere diem videatur.* Et de Gallis sic Cæsar. *Galli se omnes ab Dite patre progenitos prædicant, idque ab Druidibus proditum dicunt. Ob tam causam spatium omnis temporis non numero dierum sed noctium finiunt, & dies natales & annorum & mensium sic observant, ut noctem dies subsequatur.* Angli nunc etiam, teste Spelmanno in suo Glossario, simplicem septimanam septem noctes *Sevennight*, & geminatam septimanam quatuordecim noctes *Fortnight* appellant.

AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1.

LXXXII. Titulus quadragesimus-quintus est, *de his, qui aldiones defendere debeant, vel in placito repræsentare.* Aldiones filii sunt aldiorum; aldii verò sunt liberti cum impositione operarum facti. Ut servis adscribuntur aldiones, sic & libellarii, qui libello seu scripturâ contractûs interveniente pro certo pretio serviunt. Hac interpretatione præmissâ textum [a] Legis Longobardicæ nunc accipe. *Ut servi, aldiones, libellarii antiqui, vel alii noviter facti, qui non per fraudem neque per malum ingenium, de publico servitio se subtrahentes, sed, per solam necessitatem & paupertatem, terram Ecclesiasticam colunt, vel colendam suscipiunt, non à Comite, vel aliquo ministro illius, ad ullam angariam, seu servitium publicum vel privatum, cogantur vel compellantur, sed quidquid ab eis justè agendum est, à domino vel patrono suo ordinandum est. Si verò de aliquo crimine accusantur, Episcopus primò compelletur, & ipse per advocatum suum, secundùm quod lex est, juxta conditionem singularum personarum, justitiam faciat. Si verò culpabiles fuerint, sicut in capitulare Domni Imperatoris scriptum est ita fiat. Ceteri verò homines liberi, qui vel commendationem, vel beneficium Ecclesiasticum habent, sicut reliqui homines justitiam faciant.* Collector Legis Longobardicæ Carolum, ut alibi jam monuimus, non Regem sed Imperatorem sæpè appellat, licèt Carolus nondum Imperator esset, cùm Decretum pro Regno Longobardico promulgavit. Sequitur altera ejusdem Caroli sanctio. *Et quia sunt nonnulli, qui sine proprietatibus in Regno nostro degentes judicia Comitum effugiunt, & non habentes res aut substantiam, quibus constringi possint, ideò circumquaque malitias exercere non cessant: de illis verò placuit nobis, ut ipsi, cum quibus manere videntur, aut eos præsentent, aut pro eorum malefactis rationem reddant.*

[a] Art. 2. 5.

LXXXIII. Titulo quadragesimo-sexto Carolus, *apud quem potentiorum causa agi debeant*, ita decernit [b]. *Ut Episcopi, Abbates, & Comites, & quique potentiores, si causam inter se habuerint, & pacificare noluerint, ad nostram jubeantur venire præsentiam, neque illorum contentio alicubi judicetur, nec propter hoc pauperum & minùs potentum justitia remaneant. Neque ullus Comes Palatii nostri potentiorum causas, sine nostra jussione, finire præsumat, sed tantùm pauperum & minùs potentum ad justitias faciendas se sciat esse constitutum.*

[b] Art. 1.

LXXXIV. Titulo quadragesimo-octavo [c], de Advocatis, Vicedominis, Præpositis, Vicariis, Centenariis & Scabinis, duas habet sanctiones. Unam, sic. *De Advocatis, & Vicedominis, Vicariis, & Centenariis pravis, ut tollantur, & tales eligantur, qui sciunt, & volunt justitia causam discernere & determinare. Et, si Comes pravus inventus fuerit, nobis nuncietur, & Judices, Advocati, Præpositi, Centenarii, Scabini, quales meliores inveniri possunt, & Deum timentes constituantur, ad sua ministeria exercenda.* Alteram, sic. *Volumus, ut Advocati in præsentia Comitum eligantur, non habentes malam famam, sed tales eligantur, quales lex jubet eligere.* Lege quæ nuperrimè de Vicedo-

[c] Art. 1. 2.

minis & Scabinis, necnon Tomis primo ac secundo dicta sunt de Vicariis & Centenariis. Superest, ut obiter hic notemus, Præpositos eosdem esse cum Judicibus villarum.

Titulo quinquagesimo [a] Carolus de die Dominico sic statuit. *Ut etiam Dominicus dies, sicut decet, honoretur, & eum colere omnes studeant, ut liberi possint haberi: & mercata & placita à Comitibus, sicut sæpè ammonitum fuit, illo die prohibeantur.*

LXXXV. Titulo quinquagesimo-secundo, qui *de Testibus* inscribitur, octo sunt sanctiones [b] Caroli. Prima. *De perjuriis ut caveantur, & non admittantur*

LXXXVI. *testes ad juramentum, antequàm discutiantur. Et, si aliter discuti non possunt, separentur ab invicem, & singulariter inquirantur. Et non soli accusatori liceat testes eligere, absente suo causatore. Et omnino nullus nisi jejunus ad juramentum, vel ad testimonium admittatur. Et ille, qui ad testimonium adductus fuerit, si respuatur, dicat ille qui eum refutat, & probet quare eum recipere nolit. Et ut de ipso pago, non de altero, testes eligantur; nisi fortè extra Comitatum longiùs sit causa quærenda. Et, si quis convictus fuerit de perjurio, manum perdat, aut redimat.* Secunda. *Optimus quisque in pago, vel in civitate, in testimonium admittatur, ut is, contra quem testimonium dare debet, nullum crimen possit indicare.* Tertia. *Ut qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa vel alterius jurator existat.* Quarta. *Ut quandocumque testes ad rem quamlibet discutiendam quærendi aut eligendi sunt à Misso nostro & Comite, in quorum ministerio de re qualicunque agendum est, tales eligantur, quales meliores inveniri in ipso pago possunt. Et non liceat litigatoribus per præmia falsos testes adhibere, sicut hactenus fieri solebat.* Quinta. *Ut testes ad testimonium dicendum præmio non ducantur. Et nullus testimonium dicat, aut sacramentum juret, nisi jejunus. Et ut testes, priusquàm jurent, separatim discutiantur, quid dicere velint de illa re, unde testimonium reddere debent.* Sexta. *Volumus etiam atque jubemus, ut Comites & Judices non admittant testes, habentes malam famam, testimonium perhibere; sed tales eligantur, qui testimonium bonum habeant inter suos pagenses. Et primùm per ipsos Judices inquirantur, sicut ab illis Judices rectè inquirere potuerint, ita faciant, non voluntatibus malorum hominum assensum præstantes. Et ut ipsi Comites, & eorum Judices, qui noverint causam, de qua inter eos agitur, esse cooperatam sine blandimento ipsius qui causam habet, faciant testes ad eandem causam venire, & per eorum inquisitionem ita fiat diffinita. Et jubemus, ut testimonia ab invicem separentur, ut lex habet. Quia si ita agitur, multi falsi testes possunt esse superati, si separatim interrogati fuerint.* Septima. *Falsa persona non habet potestatem accusandi. Et, si in primo crimine convictus fuerit falsum dixisse testimonium, in secundo non habeat potestatem dicendi.* Octava. *Placuit nobis, ut nullus Comes, nec eorum juniores, nullatenus præsumant alicui homini sua testimonia tollere aut extrahere, sed permittant ei habere sua testimonia, quæ conquirere aut rogare potuerit. Et, si aliquis contra hoc facere præsumpserit, nostra est voluntas, ut ipse veniat in nostram præsentiam, & ibidem inde accipiat talem sententiam, quomodo nostra voluntas fuerit ad judicandum.*

LXXXVII Titulo quinquagesimo-tertio, qui est *de officio Judicis*, duodecim occurrunt sanctiones Caroli. Prima. *Si Comes in suo ministerio justitiam non fecerit, tunc Missus noster de hac causa sonare;* id est, inquirere; *faciat, usquedum justitia ibidem factæ fuerint. Et, si Vassus noster*, id est, Vassus Regius seu Dominicus, qui feudum à Rege tenet immediatè, *justitiam non fecerit, tunc Comes & Missus noster in ipsa causa*, vel potiùs *ad ipsius casam*, ut in Haristalliensi Capitulari Igitur sanctione vicesimâ-secundâ, *sedeant, & de suo vivant, quousque justitiam faciat.* Secunda. *Ut nullus homo in placitum Centenarii, neque ad mortem, neque ad libertatem suam amittendam, aut res reddendas vel mancipia judicetur, sed ea omnia in præsentia Comitum vel*

[a] Art. 1.

[b] Art. 1. & seqq.

Missorum nostrorum judicentur. Tertia. *Ut Judices jejuni causas audiant & discernant.* Quarta. *Ut nullus quislibet Missus noster, neque Comes, neque Judex, aut Scabinus, cujuslibet justitiam dilatare præsumat, si statim implere potuerit secundùm rectitudinem; neque præmia per hoc à quolibet homine per aliquod ingenium accipere præsumat.* Quinta. *Ut Comites pleniter justitiam faciant & diligant, & juxta vires eorum expleant, & justitiæ Sanctæ Dei Ecclesiæ vigilanti curâ insistant, & orphanorum, viduarum, pauperum, & omnium, qui in eorum ministerio permanent, & de causa quacunque ad eos venerit querela, plenissimâ & justissimâ deliberatione desinire decernant, &, sicut rectum & justum est, ita agant. Et ut primitus ad placita eorum, orphanorum, viduarum, necnon pauperum causæ deliberentur, nec propter aliquam dilationem eorum justitia à Judicibus dilatetur.* Sexta. *Ut ante Vicarios nulla criminalis actio diffiniatur, nisi tantùm leviores causæ, quæ facilè possunt judicari. Et nullus in eorum judicio aliquem in servitio hominem conquirat, sed per fidejussorem mittantur usque ad præsentiam Comitis. Et ad ingenuos homines nulla placita faciant custodire, postquàm illa tria custodiunt placita, quæ instituta sunt, nisi fortè contingat, ut aliquis aliquem accuset: exceptis illis Scabinis; qui cum Judicibus residere debent.* Septima. *Volumus, ut, sicut nos omnibus legem observamus, ita omnes Comites nostri nobis legem observare faciant, & plenam justitiam in eorum ministeriis, quidquid ad nos pertinet, facere studeant.* Octava. *Ut Judices, sive Missi nostri fiscalini; de qualibet causa non exigant fredam, priusquàm facinus componatur.* Nona. *Omnis controversia coram Centenariis diffiniri potest, exceptâ redhibitione rerum immobilium & mancipiorum, quæ non potest diffiniri, nisi coram Comite.* Decima. *Ut nullus ebrius suam causam in mallum possit conquirere, nec testimonium dicere: nec Comes placitum habeat nisi jejunus.* Undecima. *Ut placita publica vel secularia, neque à Comite, nec ab ullo ministro suo, vel Judice, nec in Ecclesia, nec in terris Ecclesiæ circumjacentibus vel cohærentibus ullatenus teneantur.* Duodecima. *Hoc quoque jubemus, ut Judices suprà nominati, sive Missi nostri fiscalini, de qualibet causa fredam non exigant, priusquàm facinus componatur. Si quis autem per cupiditatem illa transgressus fuerit, legibus componat fredam: ut autem non illi Judici, qui culpam commisit, sed illi, qui solutionem recipit, tertia pars coram testibus fisco tribuatur, ut pax perpetuâ stabilis permaneat.*

AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1.

Titulo quinquagesimo-quarto [a] Carolus, *ut Episcopi & Comites invicem sibi auxilium præstent*, sic præcipit. *Volumus, ut Episcopi & Comites concordiam & dilectionem inter se habeant ad Dei & Sanctæ Ecclesiæ tractatum peragendum, ut Episcopus suo Comiti, ubi ei necessitas poposcerit, adjutor & exhortator existat, qualiter suum ministerium explere possit. Similiter & Comes faciat contra suum Episcopum, ut in omnibus illis adjutor sit, qualiter intra suam parochiam Canonicum possit explere mysterium.* LXXXVIII.

[a] Art. 1.

Titulus quinquagesimus-sextus docet, *qualiter quisque se defendere debet de wadiis, & in quibus causis pugna prohibeatur, vel fieri debeat.* Sub eo Titulo sex occurrunt sanctiones [b] Caroli. LXXXIX.

[b] Art. 20. & seqq.

I. Ut sacramenta, quæ ad Palatium fuerint arramita seu promissa, *in Palatio finiantur, &, si sacramentales venire noluerint, jussione Dominicâ, aut sigillo, vel judicio, ad Palatium venire cogantur.* XC.

II. Omnia sacramenta in Ecclesiis, aut super Reliquias Sanctorum jurentur. Et quæ in Ecclesia juranda sunt, cum sex electis, aut si XII esse debeant, quales potuerint legibus invenire, & sic juret. Sit illum Deus adjuvet, & sancti, quorum Reliquiæ istæ sunt, ut inde veritatem dicat. XCI.

III. Ut infantes, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare sicut Gundebadâ * *Lege viventes faciunt*, id est, Lege viventes, quam Gundobaldus Burgundionum Rex Clodoveo Magno Francorum Regi synchronus promulgavit. *Et qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit postea, nec ad Sacramentum accedat, nec in sua causa vel alterius jurator existat.* XCII.

* *La loy Gombette.*

AN. CH. 781. Caroli R. 13. Pippini Ludov. RR. 1.

XCIII. *IV. Mentio etenim facta est à nonnullis, in placitis, quæ habuimus in anno præterito, & dictum est ibi, ut palàm apparet, quòd aut ille qui crimen ingerit, aut ille qui se vult defendere, perjurare se debeat, melius visum est, ut in campo cum fustibus pariter contendant, quam perjurium perpetrent in absconso.*

XCIV. *V. Ut nemo furem, cemphium de mancipiis, aut de quelibet causa, recipere præsumat, sicut sæpiùs Dominus Imperator commendavit.* De Imperatoris titulo Carolo Regi à Collectore Legis attributo dictum suprà. Camphius autem idem est ac campio.

XCV. *VI. De furto, vel de minoribus causis statuimus, si ille, cujus causa fuerit jurata, dicere voluerit, quòd ille qui juravit, se sciente, perjurasset, vel campo vel cruce contendat. Et, si ille, qui juravit, victus fuerit, quòd sciens perjurasset, suprascripta subjaceat sententiæ. Et, si ille, qui criminavit alium, perjurium non approbaverit, legem suam, cui perjuratum esse dixerit, persolvat. De majoribus verò causis lex, quæ à longo tempore fuit, observetur.* Confer sanctionem decimam Capitularis Haristalliensis de perjuriis, ex illa collatione disces *stare ad crucem* idem esse ac *cruce contendere*, ut ad idem Capitulare jam notavimus.

XCVI. [a Art. 3.] Titulo quinquagesimo-septimo [a], in quo statuitur, *qualiter diversarum Legum homines res suas diffinire debent*, Decreti Carolini mentio fit hac sanctione. *Sicut consuetudo nostra est, ut Longobardus, aut Romanus, si evenerit, quòd causam inter se habeant, observamus, ut Romani successiones juxta illorum Legem habeant: similiter & omnes scriptiones secundum Legem suam faciant. Et quando componunt, juxta Legem ipsius, cujus malum fecerint, componant. Et Longobardos illos convenit similiter componere. De ceteris verò causis communi Lege vivant, quam Dominus Karolus, Excellentissimus Rex Francorum atque Longobardorum, in edictum adjunxit.*

XCVII. [b Art. 2.] Titulo quinquagesimo-nono [b] Carolus perjurium sic plectit. *De eo, qui perjurium fecerit se sciente, nullam redemptionem habeat, nisi manum perdat.* Eâdem prorsus pœnâ mulctatur perjurus in Capitulari Haristalliensi, sanctione decimâ.

XCVIII. Titulo sexagesimo, *de his qui causam judicatam repetere præsumpserint*, sic statuit. *Si quis judicatam causam repetere in mallo præsumpserit, ibique à testibus convictus fuerit, aut XV sol. componat, aut XV ictus accipiat à Scabinis, qui causam ipsam priùs judicaverint.*

XCIX. In tertio Legis Longobardorum libro, qui Titulos quadraginta complectitur, pauciores quàm in præcedentibus occurrunt sanctiones Caroli. Decretum Carolinum à primo illius libri Titulo exorsi sumus, restat ut ceteros percurramus.

C. [c Art. 1. 2.] Titulo secundo [c], Carolus, *quando liceat alicui alterius Clericum accipere vel non*, ita definit. *Nulli Episcopo liceat alterius Clericum recipere, aut ordinare in aliquo gradu, sine dimissoria Episcopi sui, de cujus parochia est.* Item. *Nemo alterius Clericum sine commendatitiis aut dimissoriis literis recipere præsumat.* Lege in Capitulari Haristalliensi sanctionem sextam.

CI. [d Art. 1. & seqq.] Titulo tertio [d] *de decimis*, quatuor à Carolo sanctiones promulgantur. Prima. *De decimis, ut unusquisque homo suam decimam donet, atque per jussionem Episcopi sui dispensetur.* Secunda. *Præcipimus Comitibus, & omnibus fidelibus nostris, ut quicunque de rebus Ecclesiasticis beneficia habent, pleniter secundùm morem regionis nonas & decimas ad ipsas Ecclesias donent, absque ulla diminutione & dilatione, in quantum meliùs possunt, & juxta possibilitatem eorum. Et quando necessitas exegerit, dent operas ad ipsas Ecclesias restaurandas, & adjutorium faciant.* Tertia. *Ut vos, Episcopi, qui in omnibus nonas & decimas accipitis, in vestra providentia sit, quatenus Ecclesiæ & Capellæ, quæ in vestra parochia sunt, emendentur, & luminaria eis præbeatis, ut in eis Presbyteri vivere possint.* Quarta. *Ut decima populi in quatuor partes dividantur. Prima pars Episcopis detur, alia Clericis, tertia pauperibus, quarta in fabrica*

ipsius Ecclesiæ. Harum sanctionum prima de decimis in Capitulari quoque Haristalliensi legitur, ubi numero septima. Lege & in eodem Capitulari sanctionem decimam-quartam, in qua nonarum etiam ac decimarum mentio fit. AN. CH. 781. CAROLI R. 13.

Titulo quarto, qui *de iterantibus*, id est, iter agentibus, inscribitur, tres occurrunt sanctiones Caroli [a]. Prima. *De truste non facienda, ut nemo præsumat ad nos venienti mansionem vetare, & quæ necessaria sunt, sicut vicino suo, ei vendat.* Secunda. *De iterantibus, qui ad Palatium aut alicubi pergunt, ut eos cum collecta nemo ausus sit assalire. Et nemo herbam alterius, tempore defensionis, tollere præsumat, nisi vel in hostem pergendo, aut Missus noster sit. Qui aliter facere præsumpserit, emendet.* Tertia. *Ut Missis nostris discurrentibus, vel ceteris propter utilitatem nostram iter agentibus, nullus mansionem contradicere præsumat.* Lege in Capitulari Haristalliensi sanctionem decimam-quintam *de truste non facienda*, & duodevicesimam, *ut itinerantibus nullus impedimentum faciat.* PIPPINI LUDOV. RR. 1. CII.

[a] Art. 2. & seqq.

Titulus quintus, cujus est inscriptio *de cerariis, & tabulariis, & chartulariis, & ut portus custodiantur*, tribus constat Caroli sanctionibus. Harum prima decimæ-sextæ Capitularis Haristalliensis persimilis est. *De cerariis, & tabulariis, & chartulariis, sicut à longo tempore fuit consuetuda, ita observetur.* Secunda est de libellariis, de quibus ad Titulum quadragesimum-quintum libri secundi jam locuti sumus. *Stetit nobis de omnibus libellariis, ut nullus Comes, nec juniores eorum, ampliùs distringant, nec inquietent, nisi sicut à longo tempore fuit consuetudo.* Tertia talis est. *Sicut consuetudo fuerit sigilla & epistolas comprehendere, & viam vel portus custodire, ita nunc sit factum.* CIII.

Titulo sexto Carolus de Heribanno, cujus significationem jam explicuimus, tres habet sanctiones. Primam, sic. *De Heribanno volumus, ut Missi nostri heribannum hoc modo exactare fideliter debeant, absque ullius personæ gratia, vel blanditia, sine terrore, secundùm nostram jussionem, id est, de homine habente* VI *lib. in auro, & argento, bruneis, ferramento, pannis, caballis, bobus, vaccis, aut peculiis, ita ut uxores eorum, aut infantes non fiant expoliati pro hac re de eorum vestimentis, sed recipiatur legitimum heribannum, id est, libra tres. Qui verò non habuerint amplius in suprascripta pretio valente, nisi lib.* III. *solid.* XXX *ab eo exigantur, id est, libra una & dimidia. Qui autem non habuerit amplius, nisi lib.* II. *sol.* X. *Si verò unam lib. sol.* V. *ita ut iterum se valeat praeparare ad servitium Dei, & in nostram utilitatem. Et nostri Missi caveant, & diligenter inquirant, ne per aliquod malum ingenium subtrahant nostram justitiam alteri tradendo aut commendando.* Alteram, sic. *Ut heribannum, aut aliquem conjectum* seu victum, *pro exercitali causa Comes de liberis hominibus recipere aut requirere non præsumat, excepta si de Palatio nostro, aut filii nostri*, id est, Pippini Regis in Longobardia jam constituti, *Missi veniant, qui illum heribannum requirant.* Tertiam, sic. *Ut illi, qui heribannum solvere debent, conjectum faciant ad heribannitorem* sive heribannatorem, id est, ad eum qui heribannum colligit. CIV.

Titulo octavo Carolus *de beneficiis & terris tributariis* ita statuit. *Quicumque suum beneficium, occasione proprii, desertum habuerit, & infra annum, postquàm Comes vel Missus noster notum factum habuerit, illud emendatum non habuerit, ipsum beneficium amittat.* Item. *Quicunque tributariam terram, unde tributum ad partem nostram exigi solebat, vel ad Ecclesiam, vel cuilibet alii tradiderit, is, qui eam suscepit, tributum, quod exinde solebat exire, omnibus modis ad partem nostram tribuat, nisi fortè talem firmitatem habeat de parte nostra, per quam ipsum tributum sibi perdonatum possit ostendere.* Item. *Si quis terram censualem habuerit, quam antecessores sui ad aliquam Ecclesiam, vel ad villam nostram dederint, nullatenus eam secundùm Legem tenere potest, nisi ille voluerit, ad cujus potestatem illa Ecclesia vel villa pertinet, nisi fortè* CV.

AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1. *filius ejus, aut nepos ejus sit, qui eam tradiderit, & ei eadem terra nostra ad tenendum placita sit. Sed in hac re considerandum est, utrum ille qui eam tenet, dives aut pauper sit, & utrùm alind beneficium habeat vel etiam proprium; & qui eorum neutrum habuerit, erga hunc misericorditer agendum est, ne ex toto expolietur, ut in egestatem incidat, & ut talem censum inde persolvat, qualis fuerit constitutus ei, vel portionem inde aliquam in beneficio accipiat, unde se sustinere valeat.*

CVI. Titulo duodecimo Carolus, *ne liberi homines opprimantur*, hac cavet sanctione. *Audivimus etiam quòd juniores Comitum, vel aliqui ministri rei publicæ, sive etiam nonnulli fortiores Vassi Comitum, aliquas redhibitiones, vel collectiones, quidam per pastum, quidam sine pasto, quasi desperando à populo exigere solent. Similiter quòd operas, collectiones frugum, arare, seminare, runcare, vel cetera his similia, à populo per easdem vel alias machinationes exigere consuevere, non tantùm ab Ecclesiasticis, sed etiam à reliquo populo. Quæ omnia nobis ab omni populo justè removenda esse videntur, quia in quibusdam locis tantùm inde populus oppressus est, ut multi ferre non valentes, per fugam à dominis vel patronis suis lapsi sunt, & terra ipsa in solitudinem redacta sunt. Potentioribus autem, vel ditioribus, ex spontanea tantùm voluntate vel mutua dilectione, volentibus solatia præstare invicem minimè prohibemus.*

CVII. Titulo decimo-septimo de bruneis seu bruniis sic statuit Carolus. *De bruneis, ut nullus extra Regnum nostrum vendere præsumat.* Huic sanctioni conformis est vicesima-prima Capitularis Haristallienſis.

CVIII. Titulo duodevicesimo decernit Carolus, *ut mercatum nullo loco habeatur, nisi ubi antiquitus fuerit, & legitimè debet esse.*

CIX. Titulo undevicesimo Carolus eum, qui alium injustè in judicio adjuvare præsumpserit, ita mulctat. *Si quis in judicio injustè hominem contra alium altercantem per malum ingenium præsumpserit adjuvare, atque inde coram Judicibus vel Comitibus increpatus fuerit, & negare non potuerit, xv sol. culpabilis judicetur.*

CX. Titulo vicesimo Carolus de Aldionibus & Aldiis sanctionem habet, quam describemus ad annum Redemptoris octingentesimum primum. Interim consule quæ suprà notavimus ad Titulum quadragesimum-quintum libri secundi.

CXI. Titulo vicesimo-primo, *de his, qui Legem servare contempserunt*, statuit Carolus, *ut per fidejussorem in præsentia Regis deducantur.*

CXII. Titulo vicesimo-secundo legitur hæc Caroli de mensuris sanctio. *De mensuris, ut secundùm jussionem nostram æquales fiant.*

CXIII. Titulo vicesimo-tertio Carolus decernit, *ut nullus præsumat hominem ad judicium mittere, nisi judicatum fuerit.*

CXIV. Titulo vicesimo-quarto vetat, ne per vitam Regis vel filiorum juretur. *Nullus*, inquit, *præsumat per vitam Regis vel filiorum ejus jurare.*

CXV. Titulo vicesimo-quinto, *ne quis judicem suum prætermittat*, sic prohibet. *Ut causa, quæ adhuc coram Comite non fuerit finita, & is, qui se reclamat, propter suam stultitiam aut contumaciam, & Comitem inde appellare noluerit, iterum Comiti commendetur.*

CXVI. Titulo vicesimo-sexto hæc de excommunicatis occurrit sanctio. *Placuit nobis, secundùm Sanctorum Patrum auctoritatem, si quis ab Episcopo suo justè excommunicatus fuerit, à nullo penitus recipiatur, antequàm in præsentia sui Episcopi veniat, pro culpa satisfactionem redditurus.*

CXVII. Titulo vicesimo-septimo statuitur, *ut Presbyter, qui sanctum chrisma dederit ad judicium subvertendum, postquàm de gradu suo expulsus fuerit, manum amittat.*

CXVIII. Titulo duodetricesimo, adversus eum, *qui bonum denarium refutaverit*, sic decernit Carolus. *Quicumque liber homo denarium merum & benè pensantem recipere noluerit, bannum nostrum, id est, LX solid. componat. Si verò servi*

Eccleſiaſtici vel Vaſſallorum noſtrorum hoc facere præſumpſerint, LX *ictus accipiant: aut ſi Magiſter eorum, aut Advocatus, qui liberi homines ſunt, eos vel Comiti vel Miſſo noſtro præſentare voluerint, prædictum bannum, id eſt*, LX *ſolid. componant.* AN CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1.

Titulo triceſimo ſancitur, ut *ſi mulier filium vel filiam ſuam per fraudem aliquam coram Epiſcopo ad confirmandum tenuerit, propter fallaciam ſuam pœnitentiam agat, à viro tamen ſuo non ſeparetur.* CXIX.

Titulo triceſimo-primo de Capitulis Legi Salicæ additis ſic loquitur Carolus. *Generaliter omnes admonemus, ut Capitula, quæ præterito anno Legi Salicæ cum omnium conſenſu addenda eſſe cenſuimus, jam non ulteriùs Capitula, ſed tantùm Lege dicantur, imò pro Lege Salica teneantur.* Hæc ſanctio reſpicit ad ſeptem Capitula, quæ Legi Salicæ Carolus anno ſuperiore addiderat. Illorum enim pleraque repetuntur in ipſa Lege Longobardica; ſecundum, libro primo, Titulo triceſimo-ſeptimo [a] *de faidoſis, & armis infra patriam non portandis* inſcripto; quartum, libro ſecundo, Titulo quinquageſimo-ſecundo [b] *de teſtibus*; quintum, eodem libro, Titulo duodequinquageſimo [c] *de Advocatis & Vicedominis*; his adde & primum, cui multa conformia ſunt in eodem ſecundo libro, Titulo quadrageſimo-nono. CXX.

[a] Art. 2.
[b] Art. 2.
[c] Art. 1.

CXXI. CAROLUS PIPPINUM FILIUM IN ITALIA RELINQUIT. LUDOVICUM MITTIT IN AQUITANIAM.

Carolus è Longobardia cum Hildegarde Regina Wormariam rectà rediit. Sigonius ait Pippinum in Italia remanſiſſe. Id facilè credimus. Nam & Carolus in Aquitaniam miſit Ludovicum, qui cunali geſtamine delatus Aureliam, ibi congruentibus accinctus armis, & equo impoſitus in Aquitaniam tranſiit, adhibito teneræ admodum ætatis præcipuo tutore Arnoldo. Sic enim in ipſius Ludovici vita ſcribit Auctor coætaneus. *Rex Carolus filium ſuum Ludowicum Regem regnaturum in Aquitaniam miſit, præponens illi bajulum Arnoldum, aliósque miniſtros ordinabiliter decentérque conſtituens, tutelæ puerili congruos. Qui uſque Aurelianam civitatem cunali eſt evectus geſtamine. Sed ibi congruentibus ejus ætati armis accinctus, equo impoſitus, & in Aquitaniam eſt, Deo annuente, tranſpoſitus.*

CXXII. CONVENTUM FRANCORUM CELEBRAT VORMACIÆ.

Reverſo ex Italia Carolo, *Wrmatiâ civitate venerunt Franci ad Placitum.* Ita ſcribit Annaliſta Petavianus. Placitum illud *Maii campum* Nazarianus ſic appellat. DCCLXXXI. *Carolus Rex reverſus eſt de Roma, & Mais campum ad civitatem Wagionum habuit.* Adſtipulatur Auctor Chronici Moiſſiacenſis. *Reverſus eſt Rex in Francia, & conloquium habuit cum Taſſilone. Et magnum Francorum Conventum, id eſt, Magii-Campum, apud Wormatiam habuit civitatem.* Porrò cùm Carolus Pentecoſten Mediolani tertio Nonas Junii celebrarit, deinde Mediolàno Wormatiam profectus ſit, Placitum Wormatiæ non habuit menſe Maio. Atque inde obſerva Conventum Francorum, qui temporibus Pippini Regis à menſe Maio Campo-madius & Maii Campus notari cœpit, idem ſub ejus poſteris nomen retinuiſſe, quamvis alio menſe celebraretur. Certè Carolum medio menſe Julio Papiæ adhuc moratum inſinuant Sammarthani, Vulfardum enim Abbatem Monaſterii Martiniani commendant [d], quòd ejus petitione *Carolus Rex & Hildegardis uxor quaſdam res huic Eccleſiæ*, nempe Martinianæ, *causâ veſtimentorum conceſſere apud Papiam civitatem 17 Calend. Aug.*

[d] Tom. 4. Gall. Chriſt.

CXXIII. JURAMENTUM FIDELITATIS CUM OBSIDIBUS ACCIPIT A TASSILONE BOJOARIÆ DUCE.

Placito Wormatienſi, Taſſilo Boioariæ Dux ſeu Præfectus interfuit. *Sine cunctatione*, inquit Monachus Laureshamenſis, *apud Wormaciam ad Regem venit; ſacramentum, quod jubebatur, juravit; obſides* XII, *qui imperabantur, ſine mora dedit, quos Suidbertus Reginenſis Epiſcopus de Bajoaria in Cariſiaco ad conſpectum Regis adduxit.* Soluto enim Conventu relictâque Wormacia Carolus in villam Cariſiacum ſe contulit, ibique, teſte eodem Scriptore, *hyemem tranſigens, & Natalem Domini & Paſcha celebravit.* Reginenſis autem ſeu Reginoburgenſis Epiſcopus, quem hic Auctor Suidbertum vocat, ab aliis appellatur Sympertus aut Synobertus, Epiſcopatúmque Reginoburgenſem ab anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-primo ad annum uſque

AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1.

Christi septingentesimum nonagesimum-primum per annos triginta tenuit. Tomo tertio, cum de Sancti Emmerammi Episcopatu sermonem ad annum Christi sexcentesimum nndequinquagesimum [a] faceremus, suppositium Leonis Tertii Papæ Diploma refutavimus, in quo Emmerammus *Episcopus Pictavia* vocatur, & Reginobnrgensis Episcopi Sedes, quæ prius ad Sancti Emmerammi Basilicam extra urbem erat, in civitatem *anno ab Incarnatione Domini* DCCXCVIII translata dicitur. Huic commentitio Diplomati, quod apud Hundium post Catalogum Ratisbonensium Episcoporum sub signo *B* legerant, obstinatiùs adhæserunt Brunnerus [b] & Adlzreiterus [c]. Ne subscribamus, duæ res prohibent: Symperti mortem anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo vetus consignat Annalista, Reginoburgensis Episcopi Sedem *sub Simpetto Episcopo* intra muros urbis translatam scribit Arnolfus Comes Vochburgensis in Miraculis Sancti Emmerammi. Brunnerus Arnolfum ita scripsisse non negat, sed eo loco corrigendum sic contendit. *Errore lapsum Arnolfum Comitem Vochburgensem dicere necesse est, accuratissimum cætera Scriptorem, qui Sedis translationem ad annos Simperti Episcopi, qui Adalwinum antecessit, retulit.* Arnolfo præfert literas cùm Caroli Regis, tum Leonis Tertii Papæ, quas Indiei Ratisbonensium Episcoporum subjectas apud Hundium sub signis *A* & *B* reperit. *Eodem*, inquit, *anno*, nempe septingentesimo nonagesimo-octavo, *Sedes Episcopalis ab Adalwino Episcopo in urbem translata est. Ostenduntur literæ, quibus Rex & Pontifex factum probant, & Monasterii ab Episcoporum deinceps jure liberi tutelam profitentur.* Utrasque verò literas Tomo tertio jam ostendimus esse commentitias, nec argumenta, quibns tunc usi fumus, opus est nunc repetere. Literæ Caroli totæ spectant ad Immunitatem, quam Rex Monasterio Sancti Emmerammi concessisse fertur, nec nllam Sedis Episcopalis in urbem sive à Symperto sive ab Adalwino translatæ mentionem faciunt. Regiam Immunitatem literæ confirmant Pontificiæ, in quibus Leo Papa sic loquitur. *Christianissimus Imperator & Augustus, nomine Carolus, quoddam Monasterium juxta muros civitatis, quæ modò vulgò appellata est Reginasburch, ubi præclarissimus Martyr corpore requiescit Emmeranus, in nostram Immunitatem successorùmque nostrorum gratiâ defensionis transfudit.* Et paulò pòst de translatione Sedis Episcopalis ita scribit. *Episcopus ejusdem civitatis tertius, nomine Adalwinus, juxta decreta Canonum, in Synodali Conciliorum judicio Episcoporum, Clericorum, necnon nobilium laicorum, de eodem loco*, id est, de Monasterio Sancti Emmerammi, *Cathedram Pontificalem mutavit.* Denique & Immunitatis Regiæ confirmationem, & Sedis Episcopalis translationem in annum Christi septingentesimum nonagesimnm-octavum sic rejicit. *Hæc mutatio & confirmatio fuit anno ab Incarnatione Domini* DCCXCVIII. Sunt in his textibus multa, quæ fidem Diplomati detrahunt. An Leo Pontifex Carolum, cujus capiti coronam Imperialem ante annum Redemptoris octingentesimum non imposuit, Imperatorem & Augustum anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo nuncupavit? An Regum Francorum Immunitates à Romanis Pontificibns solitæ confirmari? Præterea Carolus, cur Sancti Emmerammi Monasterio Præceptum Immunitatis largiatur, has affert rationes, *propter nomen Domini & æternam remunerationem, seu pro opportunitate dilectissimi filii nostri Ludovici Regis.* Et Leo Romanus Pontifex illud Immnnitatis Præceptum à Carolo Rege emissum ait *anno ab Incarnatione Domini* DCCXCVIII. Ad istum autem annum cum Bojoariâ, ubi Reginoburgum, quid commercii fuit Ludovico Regi, quem in consortium Regni tantùm Aquitanici Carolus pater adsciverat, & procul à Bojoaria rebus Aquitanicis Hispanicisque tunc intentum vetustissimi probant Auctores? In superiorum Diplomatum confirmationem literæ quoque Ludovici Regis apud Hundium loco jam citato sub signo *C* proferuntur in hunc modum. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi, Dei Omnipotentis, Ludovicus divinâ favente*

[a] Nu. 16. & seqq.
[b] Lib. 6 n. 3.
[c] Part. I. S. n. 22.

AN.CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. I.

vente gratiâ Rex. Oportet igitur nos, qui divinâ sumus gratiâ quodammodo ceteris mortalibus sublimati, ejus in omnibus parere preceptis, cujus clementiâ existimus prælati, atque cujus præcellimus munere, loca utique ipsius sibi dicata ante omnia nostris rebus sublimare atque dilatare. Quoniam hoc procul dubio ad salvationem corporis & animæ nostræ fore creditur. Idcircò oportet nos, ob amorem Domini nostri Jesu Christi & matris ejus Mariæ, invidiam destruere malignorum spirituum & hominum, quam nolumus manere, quæ est in Ratisbona civitate, inter Ecclesiam Sancti Stephani protomartyris, ubi modò Sedes est Episcopalis, & inter Ecclesiam Sancti Emmerani pretiosi Martyris, juxta muros ejusdem civitatis, ubi Cathedra erat Pontificis usquedum pater meus Carolus Magnus anno ab Incarnatione Domini DCCXCVIII *cum autoritate Leonis Papæ destruxit, & cum consensu Adalwini Episcopi ejusdem civitatis in civitatem statuit, & confirmavit Ecclesiam pretiosi Martyris Emmerani rectâ ratione ad potestatem Imperatorum sive Regum pertinere, & Rectorem ejusdem Cœnobii unoquoque anno Romam persolvere 7 aureos ad altare Sancti Petri. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, solertia, quòd nos confirmamus eandem Ecclesiam cum autoritate Eugenii Papæ, absque omnium hominum contradictione, omni tempore permanere in regimine Imperatorum sive Regum, & eundem censum ad Romam dare eâ videlicet ratione confirmamus, ut neque Dux, neque Episcopus, ullam potestatem habeant intus aut foris. Sed totum, quod ad eandem Ecclesiam pertinet, in jus & donationem Sancti Emmerani provisorúmque ejus tradimus atque transfundimus. Et per hoc nostræ autoritatis Præceptum, pleniùs in Dei Nomine confirmatum, nullo inquietante, sed Deo auxiliante, ad servitium Sanctæ Mariæ & Sancti Petri Sanctíque Emmerani Martyris, Monachorúmque ejus, qui ibidem Domino famulantur, omni tempore absque ullius contradicentis obstaculo, tradita & confirmata permaneant. Et, ut hæc autoritas confirmationis nostra firmior habeatur, & per futura tempora meliùs conservetur, cum sigillo Papæ & de annulo nostro subter jussimus sigillari.*
Eugenius Secundus Papa, cujus mentionem Ludovicus in prædictis literis facit, ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-septimum sedit. At illis temporibus, Ludovicus Caroli Magni filius non Regem sed Imperatorem & Augustum se dixit, ab anno enim Redemptoris octingentesimo decimo-tertio, ut Annalistæ Loiselianus, Laureshamensis, aliique testantur, Imperii consors à patre factus est. Deinde ut Carolum Regem ad Leonem Tertium, sic & Ludovicum Imperatorem ad Eugenium Secundum negamus recurrisse, ut Immunitatis Præcepta pro Monasterio Sancti Emmerammi firmiora redderentur. Sunt & in Ludovici literis alia non pauca, quæ, quoniam commentitiis Caroli Leonísque Diplomatibus simillima sunt, majorem nequaquam sibi fidem conciliant. Sedem igitur Episcopalem, quæ priùs erat in Basilica Sancti Emmerammi, non ab Adalwino Episcopo sed à Symperto Adalwini decessore translatam esse in urbem non immeritò jam asseruimus, licèt annum, quo res illa gesta est, certò designare nequeamus.

CXXIV. ANNUIT POPULO SUPPLICANTI UT EPISCOPI DEINCEPS AD EXERCITUM NON PERGANT.

Quieverunt hoc anno Franci, sive, ut Annalista Petavianus scribit, *sine hoste fuit hic annus*. Ex pace, quâ tunc Franci gaudebant, colligimus ad hunc annum pertinere generalem populi supplicationem, quam pro Sacerdorum causa, ne deinceps in exercitum aut pugnam pergerent, apud Carolum Regem habitam & in Conventu Wormatiensi firmatam docet Benedictus Levita libro sexto [a] Capitularium. *Flexis omnes precamur poplitibus Majestatem vestram, ut Episcopi deinceps sicut hactenus non vexentur hostibus, sed quando vos nósque in hostem pergimus, ipsi propriis resideant in parochiis, Deóque fideliter famulari studeant, & earum sacrosancta mysteria canonicè & Deo placitè peragere satagant, atque pro vobis & cuncto exercitu unà cum omnibus sibi commissis orare viriliter, Missásque decantare, & Letanias atque eleemosy-*

[a] Cap. 185.

AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1.

nas agere decertent. Quosdam enim ex eis in hostibus & praliis vulneratos vidimus, & quosdam periisse cognovimus. Hac verò valdè periculosà, & oppidò sunt cavenda, qua idcircò suggerimus, ne pro talibus vos & nos simul pereamus. Novit Dominus, quando eos in talibus videmus, terror adprehendit nos, & quidam ex nostris timore perterriti propter hoc fugere & inimicis terga vertere solent. Plures enim potestis habere praliatores, si illi propriis resident in parochiis, quàm si vobiscum pergunt, quoniam illi, qui eos pravident, omnes tunc pugnabunt, quod modò nequaquam faciunt, sed eos tantummodo custodiunt. Nam sine dubio potiùs vobis nobísque proficere possunt, si remanserint, quàm si in hostem vel ad pugnam perrexerint, quia tunc eorum precibus adjuvamur, & modò eorum pressuris gravamur. Quando verò Moyses expansis ad cælum manibus orabat, vincebat Israel, & quando à precibus cessabat, & manus ejus gravabantur, priusquàm substentata fierent, & ipse precibus insisteret, vincebatur, & terga vertebat. Talibus ergo & multis aliis exemplis fulti, quorum prolixitatem vitantes modò non dicimus, quia sapienti semel dicta sufficiunt pradicta, obnixè omnes precamur, & ut concedantur rogamus, quia nullatenus volumus adsentire, ut nobiscum ad talia pergant, nisi duo aut tres benè docti, electione videlicet ceterorum, ad benedictionem dandam, & ad periclitantium reconciliationem faciendam, ne vos & nos simul cum pluribus pereamus, sed eorum precibus, ut jam memoratum est, fulciamur. Quam formam & de Sacerdotibus tenere optamus, id est, ut nec illi in hostem nisi benedicti, & ipsi electione atque permissione propriorum Episcoporum, qui tamen tales sint, de quorum scientia & vita ac conversatione omnes securi esse possimus. Illud tamen vobis & omnibus scire cupimus, quòd non propterea hac petimus, ut eorum res aut aliquid ex eorum pecuniis, nisi ipsis aliquid sponte nobis dare placuerit, aut eorum Ecclesias viduari cupiamus, sed magis eis, si Dominus posse dederit, augere desideramus, ut & ipsi & vos & nos salviores simus, & Deo potiùs ipso amminiculante placere mereamur. Scimus enim res Ecclesia Deo esse sacratas, scimus eas esse oblationes fidelium, & pretia peccatorum, quapropter si quis eas ab Ecclesiis, quibus à fidelibus collata Deóque sacrata sunt, aufert, procul dubio sacrilegium committit. Cacus enim est, qui ista non videt. Quisquis ergo nostrum suas res Ecclesia tradit, Domino Deo illas offert atque dedicat, suísque Sanctis & non alteri, dicendo talia, & agendo ita. Facit enim scripturam de ipsis rebus, quas Deo dare desiderat, & ipsam scripturam coram altari aut suprà tenet in manu dicens ejusdem loci Sacerdotibus atque Custodibus. Offero Deo atque dedico omnes res, qua hac in chartula tenentur inserta pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum, aut pro quocumque illas Deo deliberare voluerit, ad serviendum ex his Deo in sacrificiis Missarúmque solenniis, orationibus, luminariis, pauperum ac Clericorum alimoniis, & ceteris divinis cultibus, atque illius Ecclesia utilitatibus. Si quis autem eas inde, quod fierinullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, districtissimas reddas rationes. Ponit etiam in ea alias conjurationes, quas enumerare longum est. Nam qui eas inde posteà aufert, quid agit nisi sacrilegium? Si ergo amico quippiam rapere furtum est, Ecclesia verò fraudari vel auferri indubitanter sacrilegium est. Unde & in sacris Canonibus spiritu Dei conditis habetur ita. Si quis oblationes Ecclesia extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit prater Episcopi conscientiam, vel ejus, cui hujuscemodi sunt officia commissa, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit. Absit enim, ut rerum Ecclesiarum cupiditate vel ablatione sacrilegi aut anathema efficiamur, aut talibus laqueis unquam devinciamur, quoniam scimus anathematos homines, vel sacrilegos, non solùm infames, & à consortio fidelium, priusquàm hac per publicam satisfactionem Ecclesia & Episcoporum reconciliationem manúsque impositionem emendent, alienos esse, sed etiam à Regno Dei extorres fieri, si in talibus defecerint, non dubitamus. Ut ergo omnis suspicio à nobis, cunctis Sacerdotibus, & omnibus Christi & Sancta Dei Ecclesia fidelibus funditus auferatur, profitemur omnes

stipulam dextris in manibus tenentes, eámque propriis è manibus ejicientes coram Deo & Angelis ejus, ac vobis cunctísque Sacerdotibus & populis circumstantibus, nec talia facere, nec facere volentibus consentire, sed magis Deo auxiliante resistere. Et hoc vobis omnibúsque fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris notum esse cupimus, quòd cum his, qui absque voluntate aut consensu vel datione Rectoris illius Ecclesiæ, cui ipsa res justè esse debentur, & maximè proprii Episcopi, res Ecclesiæ à Regibus petere, aut retentare, vel auferre, aut invadere, vel vastare præsumpserint, nec in hostem, nec ad pugnam ire, nec cibum sumere, nec ad Ecclesiam, vel ad Palatium, aut in itinere pergere, nec etiam nostros homines cum eorum hominibus, aut caballos, vel reliqua pecora nostra cum eorum pecoribus, aut ad pastum ire, aut simul habitare, vel manere, nec ullam participationem cum eis, nisi pro emendatione, ante publicam emendationem & Ecclesiæ satisfactionem unquam scienter aut libenter habere debeamus, ne pro eorum iniquitatibus atque flagitiis unà cum eis nos & nostri, quod absit, pereamus. Scimus enim, quia perit justus pro impio. Tales verò à nobis, si nos fideles habere vultis, segregate, & in ergastulum sub publica pœnitentia redigite, & postulata concedite. Ut ergo hæc omnia à vobis, & à nobis, sive à successoribus vestris, & nostris, futuris temporibus, absque ulla dissimulatione conserventur, scriptis Ecclesiasticis inserere jubete, & inter vestra Capitula interpolare præcipite. Huc usque populi supplicatio. Caroli concessio sequitur in hunc modum [a]. *Omnibus notum esse volumus, quia non solùm ea, quæ super Episcoporum & Presbyterorum hostium vexationibus & precibus pro nobis & vobis fieri rogitastis, concedere optamus, sed quicquid pro Sancta Dei Ecclesia & Sacerdotum sive totius populi & vestra utilitate inveneritis, concedere paratissimi sumus, & modò ista sicut petistis concedimus, & quando vità comite, Deo auxiliante ad generale Placitum venerimus, sicut petistis, consultu omnium fidelium nostrorum, scriptis firmare nostris, nostrorumque atque futuris temporibus inrefragabiliter manenda firmissimè Domino amminiculante cupimus. Modò ea, quæ generalia sunt, & omnibus conveniunt ordinibus statuere, ac cunctis Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque fidelibus ob Dei Omnipotentis amorem & recordationem tradere parati sumus, & ad proximum Synodalem nostrum Conventum ac generale Placitum, ubi plures Episcopi & Comites convenerint, ista, sicut postulastis, firmabimus.* In populi supplicatione & Caroli concessione suprà recitatis nulla Wormatiensis Conventûs fit mentio, fit autem in hoc titulo, quem Benedictus prædictæ supplicationi præfixit. *De generali totius populi supplicatione apud Principem pro Sacerdotum causa, ne in hostem aut pugnam pergerent, & quale eis omnibus ex hoc immineat periculum, ex Capitulis Domni Karoli Imperatoris Wormatia generaliter decretis, atque ab omnibus firmatis, & cunctis pro lege tenendis contraditis.* Ibi Carolus dicitur Imperator, non quòd Imperator jam esset, sed quòd Imperator posteà factus sit. Nec hæc interpretatio caret fundamento. Carolus enim apud Ansegisum initio libri primi sic præfatur. *Regnante Domino nostro Jesu Christo in perpetuum, ego Karolus gratiâ Dei ejúsque misericordiâ donante Rex & Rector Regni Francorum, & devotus Sanctæ Ecclesiæ defensor humilisque adjutor, omnibus Ecclesiasticæ pietatis ordinibus, seu secularis potentiæ dignitatibus, in Christo Deo æterno perpetuæ pacis & beatitudinis salutem. Considerans,* &c. Eidem tamen præfationi in qua Carolus non Imperatorem sed Regem se nuncupat, titulus hic præponitur. *Præfatio Domni Karoli Serenissimi Imperatoris.* Plures Wormatiæ Conventus habuit Carolus; unum anno Christi septingentesimo septuagesimo, alterum anno post Christum natum septingentesimo septuagesimo-secundo, alios multò seriùs. Populi supplicationem Carolique Regis concessionem, de quibus agimus, Cæsar Baronius in primo Wormatiensi Conventu firmatas ait, vultque in secundo Conventu actum de purgatione Sacerdotum, quam Benedictus libro septimo [b] Capitularium inseruit. At Capitulum de purgatione Sacerdotum pertinet ad Conventum Wormatiensem, qui celebratus est *Trichulfo* seu

AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI Ludov. RR. 1.

[a] Cap. 286.

[b] Cap. 205.

AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1.

Richulfo tum *Maguntiacensi Metropolitano*, Lulli, de quo sermo non semel recurret, proximo successore. Quapropter ut Capitulum de purgatione Sacerdotum, quod secundo Conventui Wormatiensi Baronius attribuit, in tempora longè posteriora rejicimus, ita supplicationis ac concessionis prædictarum confirmationem, quam idem Baronius in primo Conventu Wormatiensi factam contendit, rejicimus in Placitum Wormatiense, quod habitum est hoc anno, cùm Francorum Regnum altâ pace potiebatur. Neque enim quis facilè sibi persuadebit Carolum adeò indulgentem fuisse, ut supplicationem populi suprà descriptam in procinctu belli firmaret.

CXXV. BERTRICUS EP. SALISB. ET ABB. S. PETRI OBIT.

Obiit hoc anno Bertricus Salisburgiensis Episcopus & Abbas Sancti Petri. Beato enim Virgilio, cui successit in Episcopatum, superstes uno duntaxat anno fuit. In ea sunt opinione, Bruschius, Hundius, & Bucelinus, ubi Catalogum vel Episcoporum Salisburgiensium vel Abbatum Sancti Petri texunt, licèt à nostra Chronologia integro differant quadriennio, & Bertrici mortem in annum Christi septingentesimum octogesimum-quintum rejiciant. Bertricus igitur anno uno Salisburgiensem Episcopatum, annis octo Monasterium Sancti Petri rexit. Ei successit in utrumque munus Arno, de quo sæpius acturi sumus.

SUCCEDIT ARNO.

CXXVI. THEODULFUS IN GALLIAM VENIT EX ITALIA.

Hoc anno Theodulfus, qui postea factus est Aurelianensis Episcopus, in Galliam cis-Alpinam ex trans-Alpina primùm venit. *Illum ab Italia, propter scientiæ prærogativam quâ pollebat, à Carolo Magno abductum in Galliam*, quibusdam ex Chronicis refert Jacobus Sirmondus in notis ad illius Carmen contra Judices. Id autem hoc anno contigisse suadet ejus ætas, suadet & Aurelianensium Episcoporum Catalogus. Ab Italia recessit susceptis priùs liberis amissâque conjuge, nec obiit ante annum Christi vicesimum-primum post octingentesimum. Gislæ filiæ suæ quartum inscribit Carmen libri tertii, & Carmine sexto libri quarti numerat annum septimum ab obitu Caroli Magni. In Aurelianensium Episcoporum Nomenclatura Sanctum Eucherium, cujus obitus in annum Christi septingentesimum quadragesimum-tertium incidit, proximè sequuntur hi quinque, Bertinus, Adalinus, Nadatimus, Deorhimus, & Guibertus Theodulfi decessor. Index Anristitum tam copiosus vetuit, ne Theodulfum in Galliam adductum suspicaremur anno Caroli Regis aut sexto quo de Longobardis triumphavit, aut octavo quo Forojuliense bellum confecit. Commodior visus est hic annus Caroli Regis decimus-tertius, Christi septingentesimus octogesimus primus, quo Carolus Romam secundò profectus est. Seriùs autem à Carolo abductus ex Italia Theodulfus asseri non potest, quia priùs Aurelianenses Infulas obtinuit, quàm Carolus aliam trans Alpes profectionem susciperet. Ea de re fusiùs post quinquennium disputabimus. Intra hoc quinquennium Theodulfus & Radulpho Abbati in Abbatiam Floriacensem, & Guiberto Episcopo in Aurelianensem Episcopatum successit, ut patet ex Regio Diplomate, quod ad annum Christi septingentesimum octogesimum-sextum describemus examinabimúsque.

FIT ABB. FLORIACENSIS, ET EP. AURELIANENSIS.

CXXVII. MULTI SAXONES ET FRISII CHRISTIANAM SE FIDEM AMPLEXUROS PROMITTUNT.

Egimus anno priore de Willehado Presbytero, qui, cùm verbum Domini multis annis apud Frisios in Ostergoa, Humarchæ trans Lavicam fluvium, & in Drentia prædicasset, tunc à Carolo Rege missus est in Saxoniam, ut illius quoque regionis incolas erudiret. Pius hic Sacerdos suis concionibus apud gentem paganam adeò profecit, ut hoc anno, qui secundus numerabatur, ex quo Saxoniam adierat, in circuitu pagi, cui nomen Wigmodia, Saxones Frisiique Christianam se fidem amplexuros ultrò promiserint. Id in ipsius Willehadi vita sic docet Anscharius. *Multos ad fidem Christi evangelizando convertit, itaut in secundo anno tam Saxones, quàm & Fresones in circuitu commorantes, omnes se pariter fieri promitterent Christianos. Hoc itaque factum est anno Incarnationis Domini* DCCLXXXI, *Regni verò*

AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1.

memorati Principis Karali XIV. *qui tamen Imperiali necdum fuerat apice sublimatus, quem posteà per manus Reverendissimi Leonis Apostolici Imperatorem Roma consecratum, anno Regni ejus* XXXIV, *Catholica Europa consistens Christi venerata pariter & gratulabunda suscepit Ecclesia.* Ne quem tibi scrupulum moveant hi Charactetes, quos fortè rectâ niti Chronologiâ vix credas, obiter nota modum, quo constanter Anschatius in annis Caroli computandis utitur. Hic Auctor annos incompletos instar completorum ubique numerat. Annum Christi septingentesimum duodeseptuagesimum, quo Pippinus Rex obiit, ut Pippini Regis ultimum, sic primum Caroli dicit; deinde secundum Caroli Regis annum anno illigat Christi septingentesimo undeseptuagesimo, & sic de ceteris; eâque ratione annum Caroli Regis decimum-quartum cum anno Christi septingentesimo octogesimo-primo componit. Similiter annum Caroli Regis tricesimum-quartum cum anno Christi octingentesimo primo comparat, quo idem Carolus à Leone Papa coronatus est Imperator in eorum opinione, qui principium anni desumunt à festo Nativitatis Dominicæ, quo die Carolus in Imperatorem fuit acclamatus. Hæc ad elucidandam Chronologiam. *Willehadus* autem, successu tam prospero vehementer inflammatus, *per Wigmodiam*, ut Anscharius subjungit, *Ecclesias cœpit construere, ac Presbyteros super eas ordinare, qui liberè populis salutis ac Baptismatis conferrent gratiam.*

CXXVIII. Apud Cornelium Margarinum Tomo secundo Bullarii Casinensis ad hunc extat annum Regia Constitutio [a], quâ Carolus Brixiense Monasterium Sancti Salvatoris seu Sanctæ Juliæ à jurisdictione cujuscumque Judicis & à quocumque temporali onere declarat immune, bonáque ejusdem Cœnobii sic confirmat. *Carolus, gratiâ Dei, Rex Francorum & Longobardorum, & Patricius Romanorum, omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Actionariis, vel reliquis fidelibus nostris, tam præsentibus, quàm futuris. Maximè * Regni nostri in hoc augeri credimus munimentum, si petitionibus Sacerdotum, vel Ancillarum Dei, in quo nostris auribus fuerint prolata, libenti animo obtemperamus, atque in Dei Nomine ad effectum perducimus; Regiam, inquam, exercemus consuetudinem, & ad remedium animæ nostræ pertinere confidimus. Quapropter compertum sit omnium vestrum Magnitudini, qualiter Radoara Abbatissa ex Monasterio Domini Salvatoris in Brixia Clementiam Regni nostri petiit, ut omnes res, quas moderno tempore justè & rationabiliter ipsum Monasterium possidet, sub Immunitatis nomine confirmare deberemus, quatenus nullus Judex publicus ibidem ad causas audiendas, vel freda exigenda, seu mansiones vel paratas faciendum, nec fidejussores tollendum, nec nullas redhibitiones publicas requirendum, Judiciaria potestas quoquo tempore ingredere, nec exactare penitus non præsumat. Cujus petitionem pro divino intuitu denegare noluimus, sed ita præstitisse atque in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes etiam jubemus, ut nullus quislibet de Judiciaria potestate, tam de Curtes vel rebus supradicti Monasterii, quas nunc tempore, legitimo ordine possidere videtur, ad causas audiendas, vel freda exigenda, seu mansiones aut paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, neque ullas redhibitiones publicas requirendas, ullo unquam tempore ingredere, nec exactare nullatenus præsumat, sed sub Immunitatis nomine, ... * valeant Rectrices ipsius Monasterii quietè * vivere & sedere, quatinus die noctuque nobis, uxorique, nostræ etiam proli valeant Domini misericordiam jugiter exorare. Et, ut hæc auctoritas firmiùs credatur, manu propriâ subter eam * decrevimus roborari, & de anulo nostro subter jussimus sigillari.* Hoc Præceptum ex Archivio prædicti Monasterii Brixiensis descriptum fuit, &, quamvis Charactere Chronologico careat, adscriptum *anno Christi 781.* Radoara nuper in administrationem Cœnobii successerat Antipergæ Desiderii quondam Regis filiæ, de qua sermonem ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum [b] fecimus, quo Franci de Brixia totâque Longobardiâ triumpharunt. Theodaldum

Margin notes: [a] Constit. 22. — * Maximè. — PRÆCEPTUM PRO MON. S. JULIÆ BRIXIENS. — * cuncto omnes fretes concessos — * quietam — * cum — RADOARA ABBATISSA. — [b] Num. 37.

AN. CH. 781. CAROLI R. 13. PIPPINI LUDOV. RR. 1.

Brixiensem * Episcopum tunc in vivis superstitem laudavimus. Hunc in
Brixiensium Episcoporum Catalogo proximè sequitur Vitalis [a], qui Pon-
tificatum procul dubio gerebat, cùm Præceptum suprà recitatum Carolus
Rex ab Abbatissa Radoara rogatus emisit.

* de Bresse.
[a] Tom. 4. Ital. Sacr.
VITALIS EP. BRIXIENS.
[b] Lib. 3. c. 6.
VARIA DIPLOMATA EXAMINANTUR.

In Antiquitatibus San-Dionysianis [b] extat Regium Diploma, datum
Wormatiæ, quo *Carolus Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius
Romanorum*, à Fulrado Abbate ac *Monachis de Basilica Domni Dionysii Mar-
tyris sociorúmque ejus Rustici & Eleutherii* rogatus, *Ecclesia Lebraha, quæ sita
est in pago Alsacensi, ubi Domnus & Sanctus Alexander Martyr corpore requies-
cit, omnium terrarum ad ipsam Ecclesiam pertinentium decimas* concedere per-
hibetur *in anno* Regni *decimo-tertio*. Carolus ex Italia Wormatiam accessit
anno Regni in Francia decimo-tertio adhuc currente, id in dubium non
vocamus, tamen Charta, de qua loquimur, supposititia nobis videtur, quia
CXXIX. Carolus in ea Fulradum nepotem suum sic appellat. *Venerabilis Abbas nepos
noster Fulradus cum Monachis de Basilica Domni Dionysii Martyris, sociorúmque
ejus Rustici & Eleutherii, ad nos accedens petivit, ut,* &c. Extat & in iis-
dem Antiquitatibus aliud Diploma *datum duodecimo Kal. Maii, Aquisgrani
Palatio, anno 13. regnante Domno & Gloriosissimo Rege Karolo, in Dei nomine
feliciter, Indictione nonâ.* Sed & hoc Præceptum apertissimè commenti-
tium ostenditur, quoniam hoc anno, qui per mensem Maium cum anno
Regni Carolini decimo-tertio componitur, Carolus totum mensem Maium
in Italia transegit ab Aquisgrano procul dissitus. Deinde hoc anno mensis
Maius non Indictione nonâ sed quartâ consignatur. Addequòd Carolus
antequàm Imperator acclamaretur, in publicis instrumentis Indictionem
non apposuit.

ENDRIGETTUS EP. FELTRENSIS OBIT.
[c] Tom. 5. in Episc. Bellun. & Feltr.
AYROLDUS EP. BELLUNENS.

CXXX. Endrigettus in provincia Foro-Juliensi Feltrensis Episcopus Pilono teste
vitam ad hunc usque annum produxit. Palatium construxit Episcopale. Le-
ge Ughellum [c], apud quem Ayroldus in eadem quoque provincia Bellu-
nensis Episcopus hoc anno commendatur.

[d] Tom. 1. Ital. Sacr.
JOANNES PIT EP. LUCENSIS.

Idem etiam Auctor [d] observat Lucenses Infulas hoc anno delatas esse
Joanni viro pio, patriâ Lucensi, ac Teoperti filio, qui Pontificatum ad an-
num usque Christi septingentesimum nonagesimum-nonum per annos duo-
deviginti tenuit. Qualis hic Joannes fuerit, docet membrana Vaticana in
Sancti Reguli Translatione, de qua nos inferiùs. *Joannes Episcopus, aspectu
CXXXI. Angelicus, sermone nitidus, opere sanctus, fide Catholicus, consilio magnus,
inter cleros potentissimus, charitate diffusus, quando hostiam Deo sanctificabat,
ad prædicationem ejus copiosa turba currebat.*

JOANNIS EP. CONSTANTIENSIS, ABBATIS AUGIENSIS ET SAN-GALLENSIS OBITUS.
[e] Tom. 1. antiq. Lect.
[f] Num. 21.
[g] Num. 6.

Obiit hoc anno Joannes Episcopus Constantiensis, Abbásque Monaste-
riorum San-Gallensis & Augiensis, de quo consule quæ dicta sunt anno
CXXXII. priore. Hermannus Contractus apud Canisium [e] ad hunc annum sic habet.
*Constantia Episcopus & Abbas obiit: pro quo Egino Episcopus annos 32, & Petrus
Augia Abbas annos 5, & apud Sanctum Gallum Rudpertus Abbas annum unum
præfuerunt.* Sepultus est Joannes in Divitis Augiæ Sacello, cui nomen in-
ditum Sancti Chiliani. Lege Bruschium in Episcopis Constantiensibus [f] &
in Abbatibus Augiensibus [g].

SUCCESSORES.

Post hunc Joannem, inquit idem Auctor in Episcoporum Constantien-
sium Nomenclatura, *ponunt quidam Catalogi tres alios Episcopos Constantien-
ses, Gongolphum, Fidelem, & Theobaldum, sed numeri annorum non conve-
niunt, nisi fortè isti tres uno anno ex hac vita emigrarint omnes. Nec meminit
horum Hermannus Contractus, ergo & hoc loco omittendos duxi. Præter nomina
CXXXIII. enim nihil etiam de ipsis extat.* In Episcopatum igitur proximè Joanni suc-
cessisse credimus Eginonem, de quo plura dicemus inferiùs ex Herman-
no, ex Ratperto, & ex Chronico Constantiensi.

CXXXIV. In illo Chronico, quod è Joannis Pistorii Bibliotheca prodiit, Mona-
chi cùm Augienses tum San-Gallenses Carolum Regem, ut anno superiore

AN. CH. 781. CAROLI R. 13 PIPPINI LUDOV. RR. 1.

narravimus, Constantiæ morantem adeunt, per Præceptum Regium liberam eligendorum Abbatum potestatem sibi postulant concedi, votorúmque facti compotes ad sua læti Monasteria revertuntur. At Joannes Episcopus Chartas utrorumque, quas Rex fieri jussit, apud se retinet. Hinc oritur dissidium inter eos haud parvum. Utrique Monachi, si Rex eis permitteret, ut liberè suos Abbates eligere possent, Episcopo promiserant se nepotibus illius, ut ambiebat, Abbatiales Infulas delaturos. In eodem consilio cùm San-Gallenses persisterent, Joannes morti proximus ad Augiam profectus est, & istius loci Monachis Chartam anno superiore à Rege datam exhibuit. Hi verò cùm illam multùm depravatam, atque aliter, quàm Carolus præcepisset aut ipsi vellent, conscriptam agnoscerent, Joannis nepotem neglexerunt Abbatem eligere. Quo facto provocati San-Gallenses alterum Episcopi nepotem pariter contempserunt. *Cùm igitur Præsul*, ait Auctor prælaudati Chronici, *præsentis vitæ finem sibi imminere agnosceret, assumptâ Augensium fratrum Chartâ, ad Monasterium venit. Chartam autem Fratrum Monasterii S. Galli in scriniis Constan. Ecclesiæ dereliquit, eò quòd voluissent nepotem eligere.* Augienses, *quia senserant Chartam à Rege datam multùm esse depravatam, multóque aliter quàm Rex juberet, seu res eorum indigeret, esse conscriptam, idcircò nepotem sibi Abbatem eligere neglexerant. Similiter etiam fratres alterius Monasterii fecerunt.*

CXXXV. *Postquàm igitur Præfatus Episcopus vitâ excessit, Augenses quendam senem Presbyterum & Monachum, nomine Petrum, sibi elegerunt Abbatem, cum consilio Hildegardæ Reginæ, cujus etiam adminiculo res apud illos ita perstitit, quia à Geroldo Comite, germano prædictæ Reginæ, locus ipse maximè constitit, & augebatur.* Verba sunt, quibus Ratpertus caput tertium suæ lucubrationis clausit. Goldastus autem hanc eidem capiti subjecit observationem. *Nota quòd de Rutperto Abbate hic non fit mentio, qui secundùm Regulam & Chronicam post Johannem annum unum dicitur Abbatiam tenuisse immediatè, sed tantùm mentio fit Waldonis Abbatis, cujus alibi in Chronica nulla fit mentio, sed in Regula.* Quem Rudpertum Abbatem San-Gallensem Hermannus Contractus, Cunradus de Fabaria, Joachimus Vadianus, Gaspar Bruschius, Claudius Robertus, Sammarthani fratres, Gabriel Bucelinus agnoverunt, agnoscimus quoque freti tot auctoritatibus, & Joanni ut Eginonem in Episcopatum Constantiensem & Petrum in Abbatiam Augiensem, sic & Rudpertum, quem varii libri Raudpertum, Ruopertum, Rautpertum, Raupertum & Raubertum vocant, in Abbatiam San-Gallensem successisse credimus.

CXXXVI. EPISCOPI ALETENSES. Hoc anno Benedictus seu Budicus ordinatus est Aletensis Episcopus, seditque annos undecim. Lege Armoricam Sanctam.

CXXXVII. ABBATES MANSEENSES. Opportunus Abbas Manseæ, quem anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo dedicationi Monasterii Chrembsensis interfuisse diximus, ad hunc usque annum pervenit. De illius ætate sic Gewoldus in additionibus ad Hundium [a]. *Abbas primus fuit Opportunus ab an. 748. præfuit an. 32. obiit an. 781. Kalend. Januar.* Hic Auctor de anno, quo Cœnobium illud conditum est, non benè convenit. Duas proponit opiniones, *fundatum* enim ait *circa an. 739. vel juxta alios 748*, posteriorem amplectitur opinionem, priore, quæ fuit Hundii, postpositâ. Nobis Hundius hoc loco magis placet, ut Tomo superiore [b] jam monuimus. Obiit igitur Opportunus suscepti regiminis anno non 32. sed 42. Successit Henricus, de quo non semel locuturi sumus.

[a] Tom. 2. Metrop. Salisburg.

[b] Ad an. 739. n. 46.

CXXXVIII. BECCO MUNIFICUS ERGA MON. S. VITONI. Hoc eodem anno, qui partim cum decimo-tertio, partim cum decimo-quarto Caroli Regis anno componitur, Becco Canonicus erga Cœnobium Sancti Vitoni munificum se præbuit, cùm Fremodo Abbas administrationem illius Cœnobii gereret. Illam Donationem Hugo Flaviniacensis Abbas in Chronico Virodunensi sic exponit. *Temporibus ipsius Fremodonis*,

AN.CH. 781. *hoc est*, XIV *anno Regni Caroli, qui erat ab Incarnatione Domini* DCCLXXXI, *dedit quidam vir nobilis Becco Canonicus Sancto* Vitono *& famulantibus ejus pro anima sua & pro anima Amlingi germani sui in ipso cœmeterio sepulti res proprietatis suæ, quas habebat in pago Vn. . . . . . . loco qui dicitur Gaalana curtis super fluvium Agira, id est, Ecclesiam in honore Sancti Christophori, cum omnibus quæ ad ipsam villam pertinere videbantur, sicut in Charta continetur.*

AN. CH. 782. Caroli R. 14. Pippini Ludov. RR. 2.

ANNUS

CHRISTI		782.
CAROLI	R.	14. 11. 9.
PIPPINI II.	R.	2.
LUDOVICI	R.	2.

I. Adrianus PP. varias Carolo scrisit epistolas pro recuperatione territorii Sabinensis,

ANNO Christi septingentesimo octogesimo-secundo, Adrianus Papa quatuor epistolas ad Carolum scripsit pro Sabinensi territorio, quod Apostolicæ Sedi, prout ab eo Rege nupertimè concessum fuerat, integrum tradi poscebat. Unam per Agathonem Diaconum & Theodorum Consulem ac Ducem nepotem suum, alteram per Petrum Episcopum direxit. Quis duas alias tulerit, haud liquet. Ex harum altera constat pleraque bona in territorio Sabinensi olim ab Imperatoribus Ecclesiæ Romanæ data, nec à Desiderio Longobardorum Rege occupata quantumvis hoste Romanorum Pontificum, ipsum verò territorium Sabinense Apostolicæ Sedi à Carolo Francorum Rege integrum *noviter*, hoc est, anno præterito, traditum fuisse. Alterâ Pontifex asserit velle se stare judicio Itherii & Maginarii Regiorum Oratorum, Deúmque testem invocat, quia *nullorum fines irrationabiliter* appetit.

II. Epistola [a], quam Agatho Diaconus & Theodorus Consul detulerunt, talis est. *Domno Excellentissimo filio nostróque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Beatus David Rex & Propheta, Spiritu Sancto repletus, pro futuri Regni vestri erga beati Petri Apostolorum Principis sanctam Ecclesiam benevolentia, dignáque solatia ac splendidissima rutilantia orans, canit & dicit.* [*Manda, Domine, virtutem tuam; confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis à Templo sancto tuo, quod est in Jerusalem, tibi offerunt Reges munera.*] *Ex quibus muneribus ditata spiritalis mater vestra sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, per vestra à Deo protecta laboriosa certamina relevata exultat, à Templo sancto beati Petri, fautoris vestri,* [*confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis,*] *crebrò orantibus in vobis triumphum, & mandat cotidie virtutem suam per beatum Petrum Apostolorum Principem, vobis subjiciens omnes barbaras nationes, dilatans atque ampliùs exaltans, in toto Orbe terrarum, vestrum splendidissimum Regnum. Et quoniam non valet lingua nostra ferculum, ut dignum est, de vestro præcelso mihíque dulcissimo amore explicare, Apostolicâ vobis voce proclamamus, dicentes.* [*Multifariè multísque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissimè diebus istis*] *per Unigeniti sui magnifica operationis virtutem ostendit magnalia in Orbe terrarum, donans vobis per beatum Petrum clavigerum Regni cælorum, victorias, per quas, dexterâ Dei cooperante & protegente, multis documentis de vestris allatis muneribus, Ecclesia beati Petri enituit, tam de civitatibus, quàm de diversis territoriis sub integritate eidem Dei*

[a] Cod. Carol. ep. 69.

Apostolo

*Apostolo à vobis offertis *. Et ideo poscentes vestram à Deo promotam Regalem Clementiam, petimus ut sicut à vestra praecellentissima Excellentia, beato Petro nutritori vestro, pro luminariorum concinnationibus atque alimoniis pauperum, Savinense territorium sub integritate concessum est, ita id tradere integrum eidem Dei Apostolo, praesidiante vestro praecellentissimo annisu, dignemini. Quicquid enim Regni caelorum Janitori, beato Petro Apostolo adfertis, in sempiterna memoria pro vobis, simúlque & praecellentissima filia nostra & spiritali commatre Domna Regina, & pro vestris Nobilissimis atque Excellentissimis natis; necnon & pro omni Christo dilecta genealogia vestra, sacrificium purissimum atque holocaustum divinae suavitatis odore flagrante in ara vestri pectoris, ejus invisibili Majestati mactatis, & pro tam magna vobis concessa à Deo super omnes Reges per beatum Petrum gratia, nullus sit de adversariis, qui vestro mellifluo cordi suadere valeat ab amore beati Petri Apostoli seu à nostra dilectione, quam usque optantes permanemus, ut non deficiat laus vestra per totum Orbem terrarum de ore hominum, victorias vobis à Deo concessas praedicantium ac disfamantium. Magnoperè enim direximus vestrae Regali Potentiae fidelissimos Missos nostros, videlicet dilectissimum filium nostrum Agathonem Diaconum, seu Theodorum nominatissimum Consulem & Ducem nostrúmque nepotem, qui vice nostrâ vobis euncleatius, sicut ejus in ore posuimus, poscentes suggerant. Quos petimus, pro amore beati Petri Apostoli, benignè cum nimio amore eos suscipere, & illis pro causis beati Petri Principis Apostolorum, vestrâ à Deo protectâ Regali Potentiâ suggerentibus dignemini obaudire preces, ut dum à vobis remeaverint, & nobis vestram renuntiaverint prosperitatem, referentes simul de causis ejusdem Dei Apostoli effectum, & noster pro hoc revelatus fuerit animus, dignè valeamus cum Propheta psallentes orare. [Domine, salvum fac Regem, & exaudi nos in die quâ invocaverimus te.] Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam suam, quam coepit, perficiat, atque vitam vestram, unà cum praecellentissima filia nostra & spiritali commatre Domna Regina, vestrâque nobilissima prole, & hic per multorum annorum curricula extendat; simul gubernacula annuat in ampliori culmine victoriis perfrui, & post longa tempora seniòque provecto in caelestis vos patriae congregationem recipiat, ut ibidem sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.*

AN. CH. 782.
CAROLI R. 14.
PIPPINI LUDOV. RR. 2.
* id est, oblatu.
ANTEA SIBI AB EODEM CAROLO DATI.

III. [a] Cod. Carol. ep. 76.

Epistola [a], quam Petrus Episcopus attulit, talis est. *Domno Excellentissimo filio nostróque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Nectareas mellifluásque Regalis Excellentiae vestrae per harum transvectorem Petrum Reverendissimum & Sanctissimum Fratrem jam & Coepiscopum nostrum, suscepimus syllabas, in quibus de ejus ordinatione reperientes, illicò benigna voluntatis vestrae mandata, sicut soliti sumus, implevimus. Quem petimus pro amore beati Petri Apostolorum Principis, fautoris vestri, & nostra invicem firma dilectione, in omnibus eum tenentes, ampliùs illum exaltare dignemini. Sic enim decet, ut qui ab Apostolica Sede ordinatus fuerit, omnibus in honore canonicae institutionis, sicuti mos antiquitus fuit, partibus illis praecellat. Quantam enim fiduciam atque gloriationem in vestra praecelsa Regali potentia habemus, lingua, ut reor, humana fari non potest. Quatenus ipse jam fatus Petrus Reverendissimus & Sanctissimus Frater & Coepiscopus noster insinuare potest, quantâ amoris ferventiâ cor nostrum in vestra triumphantissima Praecellentia die noctúque existit. Et dum tantam fiduciam de vestra à Deo protecta Regali Excellentia gerentes habemus, nimis expectabiles sumus, sicut vobis poscentes direximus de Savinensi territorio, ut ea, quae mercede animae vestrae, paritérque spiritalis filiae nostrae atque commatris, necnon vestrae nobilissimae prolis, beato Petro Apostolorum Principi in integro concessistis, adimplere per fidelissimos Missos vestros, qui & causam ex parte examinaverunt, sicut & antiquitus fuit, & contradere nobis jubeatis, uti ab ipso Regni caelorum clavigero, dignam retributionem hic & in futuro recipere mereamini. Enimverò praedictus Reverendissimus & Sanctissimus Frater & Coepiscopus noster obtulit*

AN. CH. 782. CAROLI R. 14. PIPPINI LUDOV. RR. 2.

nobis pseudopyctacium à Paulino, sicut fatus est, pro Theodosio quondam interpretatum, & à vestra Excellentia nobis directum. Habens insuper adscriptum Breviarium Chalcedonensis Concilii à quodam Verecundo Episcopo editum, quem in apocryphis reperientes, falsidicus invenietur. Sancta verò Catholica & Apostolica spiritalis mater vestra Romana Ecclesia non breviter, sed totum sanctum & venerabile quartum Chalcedonense amplectens prorsus veneratur, & non audet relinquere sanctum & venerabile ejus constitutum, & exsequi à quodam factum Breviarium, nullam consanantiam sanctæ institutionis habens. Nos quidem pro tanto amore, quem erga vestram à Dea institutam Regalem potentiam habemus, direximus vobis ex eodem sancto & venerabili Concilio ante actionem ejus exemplar epistolæ Sancti Leonis Pontificis ad Clerum & Nobiles Constantinapolitanos atque populum ejusdem civitatis directa, post actum iniquum & perversum in Ephesina urbe secundum Concilium adversùs sanctum & venerabilem Flavianum eundem Constantinopolitanum Episcopum. Condemnans impiissimum Dioscorum atque prophanum Eutychem, adhortans atque commonens prædictum populum, ut in ea fide permaneat, in qua Christianissimum Principem eorum novit permanere. Talis enim almus & venerabilis vir, atque in toto Orbe sanctus Leo Papa noster præcessor opinatissimus, prædicabilis fuit, ut si aliquid in fide adversùs Theodosium Imperatorem scandalizatum fuisset, nunquam post actum iniquum & latrociniosum secundò in Epheso factum, ipse præcipuus beatus Pater Sanctus Leo hæreticos damnans, laudasset fidem Theodasii. Sed magis pariter cum ipsis, velut consentaneum eum damnasset. Nos quidem, sicut fati sumus, apocryphos libros non sequimur, sed eos veneramur & amplectimur, quos Sancta Catholica & Apostolica suscepit Ecclesia, in qua fundati unà cum filia nostra & spiritali commatre Domna Regina, atque vestra triumphantissima sobole per multorum annorum curricula Regno perfrui dignemini, & cum Sanctis omnibus præmia æterna in vita perpetua habere valeatis. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

IV. Tertiam Adrianus epistolam [a] per suos Missos cum hoc direxit tenore. *Domno Excellentissimo filio nostróque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Divinitus præordinatam vestram à Deo protectam summam Regalem potentiam procul dubia credimus, quia super pristinos omnes ac fidelissimos Orthadoxósque Reges atque Imperatores, erga Sanctam Catholicam & Apostolicam spiritalem matrem vestram Romanam Ecclesiam, veram dilectionem habentes, innumerabilia bona per vestra laboriosa certamina cotidie offertis. Et pro hoc nempe certi facti estote, quia quantùm caput totius mundi, eandem Sanctam Ecclesiam, ejúsque Rectorem simúlque Pontificem amplectendo seu fovendo, honorabilitérque glorificando, diligitis, tantùm vos beatus Petrus Apostolorum Princeps inconcussos facit triumphos hìc & in futuro victores super omnes regnare Reges. Prorsus quippe confidimus, quia quantùm per vos Sancta Catholica & Apostolica spiritalis mater vestra Romana Ecclesia exaltata triumphat, tantùm cæleste vos ambire atque hæreditare per intercessionem Apostolorum Principis concedit in perpetuum Regnum. Veniente igitur hìc apud nos fidelissimo Maginario, denuntians nobis vestra sospitates Regalis Potentiæ, nimis pro hoc nuntio noster relevatus est animus. Replèti sumus omni lætitiâ & exultatione. Qualiter verò ei præcepit vestra à Deo promota triumphantissima Excellentia pro Savinensi territorio, ut nobis sub integritate contraderet, sicut beato Petro clavigero Regni cælorum tribuistis, minimè propter malignos ac perversos homines potuit. Totam enim justitiam, quam beatus Petrus Apostolus protector noster ex ipso territorio habet præsentaliter, jam fatus Maginarius Missus vester vidit, tam per Donationes Imperiales, quàm per ipsorum protervorum Regum Langobardorum, ipsum territorium cum mansis sibi pertinentibus enucleatiùs designantes. Si verò perfidus Desiderius dudum Rex, non sub integritate, sed tantummodò massas nobis, quantùm reperiri potuit, quas ex antiquitus sancta Romana Ecclesia tenuit, ut nullus ex illis partibus Langobardorum ausus est resistere. Quantò magis vestra à*

[a] Cod. Carol. ep. 78.

Deo protecta Regali potentia in omnibus obedientes existentes jussa vestra adimplere debuerant? Nos quidem neque Imperatoribus neque Regibus gratias agimus, nisi tantummodo vestra triumphantissima Excellentia, quia noviter cum beato Petro Apostolorum Principi sub integritate caudonastis. Pro hoc enim fidelissimos Missos nostros, unà cum monitionibus nostris, apto tempore vestra Regali Potentia dirigimus, ut liquidâ perscrutatione divinitus inspiratus eas indagans, justitia beato Petro Apostolo eveniant ad effectum, ut pracelsum à Deo promotum Regale vestrum culmen, atque memoria vestra in Ecclesia beati Petri nutritoris vestri, usque in finem seculi inter Sanctos nominetur, sed sicut semper in ejus sacratissima aula orantes pro vobis persistimus, omnipotens, clemens, & misericors Deus, in cujus manu cor Excellentia vestra regitur, unà cum Excellentissima filia nostra & spiritali commatre Domna Regina, seu Domno Pippino Excellentissimo Rege Langobardorum & proprio spiritali filio nostro, ceterâque vestrâ nobilissimâ prole, corroboret cor & mentem vestram, & brachiam sua potentia vobis extendat, ut victores vos super omnes barbaras nationes faciat, quatenus omnes sub vestro brachio humiliati vestigia pedum vestrorum osculentur, ut amplius Ecclesia Dei per vestram à Deo institutam Regalem Potentiam nimirum exaltata permaneat. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Quartam sic [a]. *Domno Excellentissimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Recordari vos credimus, Excellentissime & à Deo protecte fili, & Magne Rex, quomodo disposuistis vestros prudentissimos ac fidelissimos Missos, ut cum nostris pariter Missis pergerent ad suscipiendam in integro patrimonium nostrum Savinense *, quod, pro vestra anima mercede & venia delictorum, beato Petro protectori vestro concedi jussistis. Dum verò nostri vestríque illuc pergerent Missi, inventi sunt ibidem fidelissimi atque seniores testes annorum plùs minùs centum, qui testificantes super altare intus Ecclesiam Sancta Dei Genitricis Maria, in loco quidem Forobono, coram sanctis Evangeliis, in prasentia fidelissimorum ac nobilissimorum vestrorum Missorum, scilicet Itherii & Maginarii *, absque prasentia nostrorum Missorum; adfirmantes dixerunt (quod & ipsi vestri Missi vobis suppliciter, sicut testes illi jurati patefecerunt, referre possunt) quomodo antiquitus ipse beatus Petrus, sanctáque nostra Romana Ecclesia idem detinuit patrimonium, & minimè ipsum suscepimus in integro patrimonium, vel nostris Missis contraditum est, sicut isti testes adfirmantes, coram sanctis Christi Evangeliis testificantes dixerunt. Sed petimus te, Excellentissime fili, & Magne Rex, atque spiritalis compater, ut vestram adprehendere debeant dexteram, & jurantes dicant ipsi vestri nobilissimi, quid de eodem patrimonio Savinensi beati Petri pr.viderunt atque cognoverunt. Testem enim invoco Deum, quia nullorum fines irrationabiliter appeto, sed, sicut ex antiquitus fuit ipsum jam fatum patrimonium, & id in integro beato Petro Apostolo concessistis, ita suscipere optamus. Petimus vestram pracelsam Regalem potentiam, ut pro amore ejusdem Dei Apostoli atque nostro, ipsos jam fatos fidelissimos Missos vestros, aut unum ex illis cum alia persona, qua vobis placuerit, dirigere jubeatis, ut ipsum patrimonium Savinense, sicut cœpistis, in integro, justitiâ annuente, nobis contradatur. Quapropter usque in finem perseverare debeat vestra Regalis Potentia, sicut idem patrimonium in integro, eidem Dei Apostolo, pro vestra anima mercede, concessistis atque tradidistis, ut hic & in futuro, à Domino Deo nostro & ab ipso clavigera Regni calorum, retributionem boni operis suscipere mereamini, unà cum Excellentissima filia nostra, Domna Regina, nostrâque spiritali commatre, & vestra nobilissima prole, atque memoriale vestrum in Ecclesia ejusdem Dei Apostoli opinatissimè in aternum permaneat. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.* V.

[a] Cod. Carol. ep. 56.

* Ravennense.

* Magnarii tantummodo vestri Missi.

Adrianus in quatuor epistolis suprà recitatis, Carolum spiritalem suum compatrem, Reginam spiritalem suam commatrem vocat; & in tertia Pippinum Regem Longobardorum suúmque proprium spiritalem filium dicit. Pippinus proprius spiritalis filius Adriani factus est, Réxque Longo- VI.

AN. CH. 782. CAROLI R. 14. PIPPINI LUDOV. RR. 2.

bardorum esse cœpit anno Christi DCCLXXXI. Hildegardis Regina, quam Adrianus post ejusdem Pippini baptismum spiritalem commatrem appellavit, discessit è vita pridie Kalendas Maias anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio. Quatuor igitur epistolæ, quas descripsimus, hoc anno post Christum natum septingentesimo octogesimo-secundo datæ videntur. Recitatæ quidem sunt à nobis eo potissimùm consilio, ut Sabinensis territorii Donationem à Carolo Rege factam probaremus, sed præter validissimam istius negotii confirmationem res alias complectuntur, quas fusiùs explicare non pigebit.

VII. In epistola, quam secundo loco citavimus, Adrianus, occasione libelli sibi oblati atque inter apocryphos amandandi, Theodosium Juniorem Augustum vindicat à calumnia, pseudo-synodum Ephesinam damnat, rejectóque quodam Chalcedonensis Concilii Breviario totum illud Concilium amplectitur. Ut autem intelligas, quàm benè sic scribat, adverte quid apud Ephesum, quid apud Calchedonem gestum sit. Anno Christi quadringentesimo tricesimo-primo Ephesinum Concilium generale tertium, adversùs hæresim Nestorii Episcopi Constantinopolitani celebratum est, Cælestino tum Papâ, cui successit anno proximo Sixtus Tertius, tum Leo Magnus post annos fermè octo. Anno Christi quadringentesimo quadragesimo-nono habitum pseudo-concilium Ephesinum, in quo Eutyches est absolutus. Obiit anno sequenti Theodosius Augustus, quem in Orthodoxa pietate permansisse vel ex eo patet, quòd ejus fidem Leo Pontifex, etiam post prædatorium seu latrocinale Concilium Ephesinum, commendavit. Eodem Leone Papâ, Calchedonense Concilium generale quartum, adversùs hæresim Eutychetis Archimandritæ ac Dioscori Patriarchæ Alexandrini, celebratum est anno Christi quadringentesimo quinquagesimo-primo.

VIII. DONATIONES IMPP. ET LONGOBARD DISTINGUIT A CAROLINA.

In epistola, quam tertio loco produximus, Adrianus Donationem Carolinam à Donationibus cùm Imperatorum tum Regum Longobardorum distinguit. Apostolicæ Sedi patrimoniola quædam in territorio Sabinensi concesserant Imperatores, concesserant & Reges Longobardiæ, Carolus verò Francorum Rex ipsum Sabinense territorium integrum tradidit. Massas autem, quas ante Donationem Carolinam Ecclesia Romana sub Imperatoribus aut Regibus Longobardorum in territorio Sabinensi tenuit, interpretare mansos, seu fundi portiones, quarum unaquæque domicilium ad unam familiam suscipiendam idoneum habeat, ut Tomo superiore [a] jam explicuimus.

[a] Ad an. 763. n. 1.

IX. CAROLUS AUDIT LEGATOS DANORUM ET HUNNORUM.

Carolus in villa Carisiaco *Pascha celebravit* septimo Idus Aprilis, & *æstatis initio*, ut Annalista Laureshamensis prosequitur, *cùm jam propter pabuli copiam exercitus duci poterat, in Saxoniam eundum, & ibi, ut in Francia quot annis solebat, generalem Conventum habendum censuit. Trajectóque apud Coloniam Rheno, cum omni Francorum exercitu ad fontem Lippiæ venit, & castris ibi positis, per dies non paucos ibidem moratus est. Ubi, inter cetera negotia, & Legatos Sigefridi Regis Danorum, & quos ad se Caganus & Jugurrus Principes Hunnorum velut pacis causâ miserunt, & audivit & solvit. Cúmque Conventu completo trans Rhenum in Galliam se recepisset, Widikindus, qui ad Nordmannos profugerat, in patriam reversus, vanis spebus animos Saxonum ad defectionem concitavit. Intereà Regi allatum est, quòd Sorabi Sclavi, qui campos inter Albim & Salam interjacentes incolunt, in fines Turingorum ac Saxonum, qui eis erant contermini, prædandi causâ fuissent ingressi, & direptionibus atque incendiis quædam loca vastassent. Qui statim accitis ad se tribus Ministris suis, Adalgiso Cubiculario, Geilone Comite Stabuli, & Worado Comite Palatii, præcepit ut, sumptis secum Orientalibus Francis atque Saxonibus, contumacium Sclavorum audaciam quamcelerrimè comprimerent. Qui, cùm jussa facturi Saxonia fines ingressi fuissent, compererunt Saxones ex consilio Widikindi ad bellum*

COPIAS MITTIT ADVERSUS SORABOS.

Francis inferendum esse paratos, omißóque itinere, quo ad Sclavos ituri erant, cum Orientalibus Francorum copiis ad locum, in quo audierant Saxones congregatos, ire contendunt. Quibus in ipsa Saxonia obviavit Thedericus Comes, propinquus Regis, cum iis copiis, quas auditâ Saxonum defectione raptim in Ripuaria congregare potuit. Is festinantibus Legatis consilium dedit, ut primò per exploratores, ubi Saxones essent, vel quid apud eos ageretur, quantâ possent celeritate cognoscerent: tum, si loci qualitas pateretur, simul eos adorirentur. Cujus consilio collaudato, unà cum illo usque ad montem, qui Sontal ad Munderam oppidum [a] hodiernæ ditionis Brunsvicensis *appellatur, in cujus Septentrionali latere Saxonum castra erant posita, pervenerunt. In quo loco eùm Thedericus castra posuisset, ipse, sicut cum eo convenerant, quò faciliùs montem circuire possent, transgressi Visuram *, in ipsa fluminis ripa castra posuerunt. Habitóque inter se colloquio, veriti sunt ne ad nomen Thederici victoria fama transiret, si eum in eodem prælio secum haberent. Ideóque sine eo cum Saxonibus congredi decernunt, sumptísque armis non quasi ad hostem in acie stantem, sed quasi ad fugientem contendunt. Terga insequi, spoliáque diripere, prout quemquam velocitas equi sui tulerat, quà Saxones in acie pro castris stabant, unusquisque eorum summâ festinatione adoriuntur. Quò cùm esset perventum, malè etiam pugnatum est. Nam commisso prælio, circumventi à Saxonibus, penè omnes interfecti sunt. Qui tamen evadere potuerunt, non in sua, unde profecti sunt, sed in Thederici castra, quæ trans montem erant, fugiendo pervenerunt. Sed major Francis quàm pro numero jactura fuit, quia Legatorum duo, Adalgisus & Geilo, Comitum quatuor, aliorúmque clarorum atque nobilium usque ad* XX *interfecti, præter cæteros, qui hos secuti potiùs cum eis perire, quàm post eos vivere maluerunt. Cujus rei nuncium cùm Rex suscepisset, nihil sibi cunctandum arbitratus, collecto festinanter exercitu in Saxoniam proficiscitur, accitísque ad se cunctis Saxonum Primoribus, de auctoribus facta defectionis inquisivit. Et cùm omnes Widikindum hujus sceleris auctorem proclamarent, ipsum tamen tradere nequirent, eò quòd re perpetratâ ad Nordmannos se contulerat, ceterorum, qui persuasioni ejus morem gerentes tantum facinus peregerunt, usque ad* MMMMD *traditi, & super Alaram fluvium, in loco, quò Ferdi vocatur,* hodie Verdam * appellant, *jussu Regis omnes unâ die decollati sunt. Hujusmodi vindictâ perpetratâ, Rex Theodonis villam in hyberna concessit, ibique & Natalem Domini & Pascha more solito celebravit.*

AN. CH. 782. CAROLI R. 14. PIPPINI LUDOV. RR. 2.

[a] Reinecc. in not. ad Poet. Saxon. hoc an.

* *le Weser.*

CLADEM SUIS A WIDIKINDO ET SAXONIBUS ILLATAM ULCISCITUR.

* *Werden.*

X.

Bellum illud Saxonicum attigit Anscharius in vita Sancti Willehadi, rebus enim, quas pius hic Presbyter *secundo anno* suæ prædicationis in Wigmodia, sive *anno Incarnationis Dominicæ* DCCLXXXI, feliciter confecit, enarratis, sermonem ad Widikindi rebellionem & ad persecutionem in Christianos ab eo concitatam statim sic convertit. *Sequenti anno, instigante diabolo totius boni invido, quidam extitit perversioris consilii Widikindus, qui rebellare contra Regem visus Karolum, multam secum Saxonum multitudinem aggregavit, qui etiam unanimiter eos, qui in fide Christi stabiles videbantur, persequi ac punire, servos quoque Dei per loca quaque vagantes dispergere, atque à finibus suis effugare cœperunt. Quâ persecutione commotâ servum Dei* Willehadum *contigit, secundùm mandatum Domini præcipientis, [si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam,] de Wigmodia transire in Utriustri, ibique conscendens navim mare circa Fresiam transfretavit, sicque opitulante Christi gratiâ persecutionem eorum evasit. Porrò Saxones crudelitatem, quam circa Magistrum nequiverant, in discipulos ipsius exardescente irâ ferventiùs exercuerunt. Siquidem Folcardum Presbyterum cum Emmingo Comite in pago denominato Leri, Benjamin autem in Ciblruistri, Atrebanum verò Clericum in Thiatmaresgao, Gerwalfum quoque cum sociis suis in Brema, odio nominis Christiani, gladio peremerunt. Et ipsis quidem ita ad Regna cœlestia effusione proprii sanguinis feliciter evocatis, persecutionis tamen procella diutiùs postmodum desævit Saxonibus. Quo facto vir Dei cognoscens nullam sibi tunc tem-*

WILLEHADUS OB PERSECUTIONEM DISCEDIT E SAXONIA.

AN. CH. 782. CAROLI R. 14. PIPPINI LUDOV. RR. 2.

poris prædicandi opportunitatem inesse, arrepto itinere Pippinum Langobardorum Regem adiit, sicque prospero cursu Romam pervenit, ubi consistens multis lacrymis & precibus ad Sedem sacratissimam beatissimi Petri Apostolorum Principis se cunctámque fidelium turmam sedulus ac devotus divina commendabat clementia, illos præcipuè, quorum cura maximè cordi erat, ne forsan suscepta in partibus Saxoniæ Christianitas machinatione diabolicâ penitus adnullaretur. Inde autem discedens, & consolatione Venerabilis Papæ Hadriani non modicè corroboratus servus Dei gaudens repedabat in Franciam. Cis Alpes reversus in Asternacensi sive Epternacensi Monasterio degit, idem enim Auctor hæc paulò pòst subjungit. *Ab itinere concepto reversus, transivit ad locum, qui dicitur Asternacha, ibíque discipuli ejus, qui propter metum persecutionis passim dispersi fuerant, ad eum sunt denuò copulati. Quos ille benignâ consolatione refocillans, ut pro fide Christi constanter in omnibus se agerent, piè admonere studuit. Quique in eodem loco duobus ferè annis demoratus*, id est, ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum quartum, quo aliud vitæ genus elegit. Tunc Epternacensis Abbas erat Beonradus seu Berardus, de quo locuti sumus Tomo superiore [a].

IT ROMAM. CIS ALPES REVERSUS DEGIT IN MON. EPTERNACENSI.

[a] Ad an. 770. num 33.

XI. Quis ille Thedericus seu Theodericus vel Theodoricus fuerit, qui *Comes & propinquus Regis* in Annalibus Laureshamensibus suprà citatis appellatur, &, auditâ Saxonum defectione, statim è Ripuaria, ut dictum suprà, copias adversùs eos eduxit, hodie viri quærunt eruditi. Bessius in Historia Ducum Narbonensium [b], hunc Theodoricum, quem Aymericum quoque dictum contendit, primum Comitem Narbonensem constituit, eique Milonem in Comitatu successorem subrogat, utrique verò Danielem Archiepiscopum Narbonensem synchronum asserit. At Theodoricum alium ab Aymerico fuisse jam probavimus [c], idque patet ex Charta inferiùs recitanda, quæ Milonem ostendit Narbonensem Comitem eâdem extitisse æstate, quâ Theodoricus, in Saxonia cum copiis in Ripuaria collectis versabatur. Primus Narbonensis Comes fuit Aymericus, secundus Milo; uterque Comitatum tenuit, cùm Archiepiscopales Infulæ penes Danielem erant, hic enim regnante Pippino in Archiepiscopali Cathedra sedere cœpit. Theodoricus aliam Præfecturam procúlque à Gallia Narbonensi gessit, in Ripuaria ut suspicamur ex textu suprà citato. Cur *propinquus Regis* dicatur, Auctores haud quoque consentiunt. Uxor ei fuit Aldana, quam quidam [d] filiam volunt fuisse Caroli Majoris-domûs & Rotrudis anno Christi septingentesimo vicesimo-quinto mortuæ, ut ad illum annum ex Annalistis Nazariano & Petaviano retulimus. Hoc Aldanæ genus si probatur, Theodoricus sororem Pippini Regis, amitam Caroli Magni, duxit. Dubouchetus alterâ parte Commentarii de vera Origine Regum Francorum, aliam texit Genealogiam, Theodoricum enim Childebrandi Ducis filium, Nibelungi Madriacensis Comitis fratrem natu minorem, & Pippini Regis fratrem patruelem statuit, ideóque propinquum Regis appellatum scribit. Alia congerit argumenta, quæ non videntur spernenda, nec à nobis omittentur, cùm de Theodorici filiis ac nepotibus agemus. Fabulosa verò sunt, quæ Wernherus Teschenmakerus de eodem Theodorico parte Annalium secundâ scribit in Comitibus Clivorum ex prosapia prima.

[b] Capp. 5. 6.

THEODORICUS AN COMES NARBONENSIS?

[c] Ad an. 775. Num. 8.

[d] Bessus in Duc. Narbon. cap. 5.

CUR DICTUS PROPINQUUS REGIS.

XII. Causa, quæ vertebatur inter prædictos Danielem Archiepiscopum Narbonensem & Milonem Narbonensem Comitem, tertio Nonas Junias hoc anno Caroli Regis decimo-quarto terminata est. Ipsum judicium, cujus autographum in Archivo Narbonensi custoditur, primi publicarunt Sammarthani Tomo primo [e] Galliæ Christianæ, deinde Bessus inter Chartas quæ spectant ad illustrandam comprobandámque Ducum Narbonensium Historiam. Initium apud Sammarthanos tale est. *In Dei Nomine hæc est notitia traditionis Judicis. Cùm residerent Missi à Gloriosissimo*, &c. Legitur au-

MILO COMES NARBONENS. CAUSA CADIT ADVERSUS DANIELEM ARCHIEP.

[e] In Archiep. Narbon. num. 25.

AN. CH. 782.
CAROLI R. 14.
PIPPINI LUDOV. RR. 2.

tem apud Bessum, sic. *Daniele Archiepiscopo Hierosolymam profecto, remansit Causidicus Arluinus. Igitur nunc in Dei Nomine hæc est notitia traditionis Judicis. Cúmque residerent Missi à Gloriosissimo atque Excellentissimo Domino nostro Carolo Rege Francorum in Narbona Civitate, die Martis propter multorum altercationes audiendas & rectis negotiis terminandas, ordinatione* [1] *eorundem Missorum, id est, Galterii, Adalberti, Fulconis, & Gibonii, Vassorum; & Dominicorum, id est, Rodestagni, & Abundantii; & Judices, qui missi sunt causas dirimere, & legibus definire, id est, Guntarius* [2], *Discolius, Leoderieus, Petrus Bona Vita, Sigfredus* [3], *& alii boni homines qui ibidem aderant, id est., Garibertus, Vidalus* [4], *& Galbertus, Arninus* [5], *Vicar, Wisulfus, Arila, Samul, Donadeus, Agemundus, Ursio, Agimirus, Anselmus, Warnarius eo in judicio, vel præsentia, quos causa fecit esse præsentes. Cùm, inquam, inde præscripti Missi & Judices, vel plures boni homines in Narbona civitate residerent ad causas dirimendas, ad eorum judicium veniens Arluinus assertor & Causidicus & Mandatarius Danielis Archiepiscopi, ordinatione Regis nostri Caroli, dixit. Jubete me audire cum isto præsente Milone Comite, quia multas villas seu possessiones Sanctorum Justi, & Pastoris, & Sancti Pauli, &* [6] *Sancti Stephani, quæ sunt in pago Narbonensi, iste retines injustè. Quorum hæc sunt nomina; Quintianus & Mujanus, singula ex medietate, villa puteus Valerii, Baxanius, Malianus, quæ villæ duæ sunt ultra pontem Septimium Sanctorum Justi & Pastoris ab integro, villa Antonianus, Trapalianicus, Paredina, Agellus, Medullanus, Buconianus, Fallopianus, Amoianus ex medietate, Magrinianus, Leaula, Centumpinus* [7], *Christimanicus, Petrurio ab integro, Cavato, Troilo, Laureolis, Curta Oliva media, Prexanus media, Caúna* [8], *Nivianus, Insula Caneoa, Gorgocianus, Caunia, & Casula, Baya, Ursariea, Quilianus ab integro, Labedati, quarta pars Colonica, Mercuriani quarta pars, Magliacum, Fontedicto, Buconianus, Callarus, Cauna longa, Abinuanus media, Leorianum medium, suburbia Sala super pontem Septimium in valle, Gabinianus ex medietate, Crota, Caquanus, Sancti Marcelli, Totonis, Sancti Georgii, Calianus, Sancti Crisanthi, Sancta Maria, Segelma ex medietate, Graquanus, Aquaviva ex medietate, Massimianus ex medietate. Has omnes villas, quidquid scilicet in eis debet habere Archiepiscopus, Milonem totum tenere injustè certis approbavit* [9] *conditionibus. Tunc interrogaverunt Missi & Judices prædictum Milonem, an ita esset, & super hujusmodi respondere jusserunt. Ad hoc Milo respondit. Ipsas villas Rex Carolus mihi dedit in beneficium. Missi igitur & Judices Dominici & Vassi quæsiverunt à Milone, utrùm posset habere judicium, vel testes quibus hoc suis partibus vendicaret. Milo ad hæc. Nec judicium veritatis, nec testimonia hinc habeo, sed nec ullo tempore habere potero, vel habere spero. Interrogatus ergo Arluinus, an haberet assertionis suæ testimonia. Habeo, inquit, plurima, & illicò protulit. Procedunt igitur testes veraces & legitimi* [10], *Undila, Aurelianus, Cairato, Narbonellus, Dodenirus, Lunares, Silentius, Bonus, Æneas, Gumerinus, Winteringus, Theodesingus, & Servandus, dicentes: Vidimus Danielem Archiepiscopum has villas supradictas cum omnibus suis finibus & terminis habentem ab integro. Et hoc juraverunt in præsentia prædictorum* [11] *Judicum in Ecclesia Beata Maria, quæ sita est infra muros Civitatis Narbonæ. Cognitâ igitur veritate & probatâ, reddita* [12] *sunt Arluino Causidico villæ, quas calumniabatur, & Miloni exemptæ, unde gavisus est Arluinus plenariam se excepisse justitiam. Data judicio notitia traditionis, tertio Nonas Junii* [13], *anno* [14] *decimo-quarto Caroli Regis Francorum. Signum Milonis, qui hanc notitiam traditionis judicii & evacuationis feci, & firmari rogavi. Signum* [15] *Gariberti, Widaldi, Ingoberti, Arnini, & aliorum. Ego Waltarius* [16] *Notarius Bosonis hanc notitiam traditionis judicii scripsi die & anno quo suprà.*

XIII. PROFECTUM HIEROSOLYMAM.

Ex hac Charta, ut edita est à Besso, Danielem Archiepiscopum Narbonensem hoc anno Hierosolymam profectum accipimus. Daniel regnante Pippino factus est Narbonensis Archiepiscopus, ejusdémque Regis do-

[1] Sammarth. terminatione
[2] Sammarth. Gontarius.
[3] Bess. & Sigfredus.
[4] Bess. Widalus.
[5] Bess. Arnimus.
[6] Bess. & Stephani.
[7] Bess. Centucupinus.
[8] Sammarth. Cauna. &c. has omnes villas.
[9] Bess. approvabat
[10] Sammarth. legitimi. &c. dicentes. Vidimus
[11] Bess. prædictorium
[12] Bess. reddita
[13] Sammarth. Iulii.
[14] Sammarth. anno 14.
[15] Sammarth. S. Gariberti, & aliorum,
[16] Sammarth. Valtarius

AN. CH. 782. CAROLI R. 14. PIPPINI LUDOV. RR. 2.

no, ut Tomo superiore [a] diximus, medietatem Civitatis Narbonensis obtinuit. Bessus ipsum Danielem ac deinceps illius in Archiepiscopatu Narbonensi successores vocat Condominos Narbonenses ob eandem Civitatis Narbonensis medietatem, quâ potiti sunt ex prædicta Pippini Donatione à multis posteà Regibus confirmata. Quod ad Comites Narbonenses attinet, tres Archiepiscopo Danieli synchronos, Aymericum, Milonem, & Chorsonem seu Torsonem vel Torsinum constituit [b]. Qui primum in Comitum Narbonensium Catalogis locum tenet Aymericus, is à Pippino Rege post expulsos Narbonâ Saracenos Comes institutus videtur. Milonem hoc anno, quo causâ cecidit, Comitem Narbonensem fuisse non inficiamur. Secus de Chorsone seu Torsino sentimus, hunc enim Comitem Tolosanum agnoscimus, Narbonensem nequaquam. Bessus nititur potissimùm Chartâ, quæ pro murorum Alectensium constructione data dicitur decimo Kalendas Februarias, anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto, cùm Carolus Magnus Regnum Francorum obtineret, & Tetcinus seu Torsinus sub eo Princeps esset *Tolosensis & Narbonensis*. At hæc Charta supposititiis accensenda, nam Chorso seu Torsinus, qui Tolosanam Præfecturam seu Tolosanum Comitatum anno Christi septingentesimo septuagesimo-octavo gerere cœpit, exauctoratus est anno Christi septingentesimo nonagesimo, ut inferiùs ad illum annum probabimus.

a Ad an. 769. num. 1.
b Capp. 5. 6. 7.

AN CHORSO COMES NARBON.

XIV. GILBERTUS EP. TORNAC. ET ABB. ELNON. OBIT.

Auctor Chronici San-Dionysiani sæpiùs à nobis citati, rebellionem Saxonum & mortem Gisleberti Episcopi sic ad hunc annum perstringit. DCCLXXXII. *Saxones rebellantes plurimos Francos interfecerunt, & Karlus congregatos Saxones jussit eos decollare, & hoc anno Gislebertus Episcopus obiit* x *Kal. Jun.* De Saxonibus actum hactenus. Gislebertum cave ne distinguas à Gilberto Episcopo Tornacensi ac Noviomensi & Abbate Elnonensi, qui Gilebertus in suo epitaphio apud Vassorium & Gislebertus apud Buzelinum libro secundo Gallo-Flandriæ nominatur. Sub finem Tomi superioris ad annum Christi septingentesimum septuagesimum [c] locuti sumus de Didone seu Dodone Noviomensi ac Tornacensi Episcopo, déque Gilberto Elnonensi tunc Abbate. Hic pòstea in Episcopatum eidem Didoni successit, & aliquot annis in Pontificatu exactis vitam hoc anno terminavit. Apud Gazetum in Catalogo Tornacensium Episcoporum, apud Cousinum libro secundo [d] Historiæ Tornacensis, apud Buzelinum libro secundo [e] Gallo-Flandriæ, & apud Vassorium libro tertio [f] Annalium Noviomensium, mentio fit insignis permutationis ab Episcopis Tornacensi & Atrebatensi factæ. Gazetus nullam allegavit probationem; Cousinus fretum se dixit Chronico ac monumentis Elnonensibus, nullum tamen ex illis monumentis & Elnonensi Chronico textum citavit; Vassorius Cousinum transcripsit; Buzelinus rem literis sic mandavit. *Suberat olim Martianensis Abbatia & Parochia Tornacensi Episcopo, contrà D. Amandi oppidum Atrebatensi, magno utriusque loci & Pontificis incommodo, idcòque tandem ipsi Præsules permutavere, dum Insulis Noviomensibus ornaretur Gislebertus, qui vitam finiit anno post Christi Natales septingentesimo & octuagesimo-secundo.* Nullus è tot Auctoribus invenitur, qui permutationis annum notet, aut Atrebatensis Episcopi nomen exprimat. Scrupulum non levem movet hæc reticentia. Deinde Rictrudis in Martianense Monasterium secessura consuluit Autbertum Episcopum, qui tunc Ecclesias Atrebatensem & Cameracensem administrabat, & illud Cœnobium non ab Eligio Tornacensi tunc Episcopo sed ab eodem Autberto Atrebatensi Episcopo dedicatum est. Lege Tomo tertio, quæ dicta sunt ad annos Christi sexcentesimum quadragesimum-sextum [g], & sexcentesimum quinquagesimum tertium [h]. Hæ nos rationes impellunt, ut Cœnobia, Marchianense seu Martianense in Episcopatu Atrebatensi, in Tornacensi Elnonense sive Amandinum, sita semper fuisse censeamus, & permutationem à Gilberto Tornacensi Episcopo cum Atrebatensi factam inficiemur.

c Num. 20.
d Cap. 49.
e Cap. 1.
f Cap. 15.

NULLA FACTA PERMUTATIONE CUM EP. ATREBAT.

g Num. 2.
h Num. 28.

AN. CH. 782.

CAROLI R. 14.

PIPPINI LUDOV. RR. 2.

inficiemur. Ceterùm toto tempore, quo Gilbertus Episcopus Ecclesias Tornacensem ac Noviomensem rexit, Atrebatensem & Cameracensem gubernavit Albericus Episcopus, quem Tomo superiore non semel laudavimus, denuóque laudaturi sumus ad annum Christi septingentesimum nonagesimum, quo vitam cum morte commutavit. Gilberto successit in Episcopatum Pleon seu Pileon aut Plereon, *plùs nomine quàm factis cognitus*, ut scribit Buzelinus libro tertio Annalium. De Abbatibus Elnonensibus ad proximam ætatem nihil occurrit. Observatum de Gilberto, quòd æger in suum Monasterium deferri voluit, ibique mortuus est ac sepultus in Basilica Principum Apostolorum ad dexteram altaris. Lege Vassorium [a], apud quem hoc etiam epitaphium reperies ex manuscripto Codice descriptum.

SUCCEDIT PLEON IN EPISCOP.

[a] Lib. 5. c. 15.

Qui Pastoralis fastûs ambitû honores,
Cernite quàm citò gloria præterit hujus honoris,
Et quàm districtum manet hunc examen honorem,
Quod tamen evasi Domino mihi subveniente.
Me Gillebertum, quem prætulit Elnonensis
Grex sibi Pastorem, pòst Clerus Noviomensis,
En vermes rodunt, nec Virga, nec Infula prodest.

XV.

RUDPERTUS ABB. S. GALLI MORITUR.

Apud Hermannum editionis Canisianæ moritur hoc anno Rudpertus Abbas San-Gallensis exacto administrationis anno uno. Succedit Waldo præéstque *anno uno & dimidio*. Diuturniorem utrique Præfecturam non tribuit Conradus de Fabatia. Joachimus Vadianus Rudperti Præfecturam prorogat ad sesquiannum, illiúsque mortem notat tertio Kalendas Maii. Sed hæc simul stare non possunt. Rudpertus enim, si munus Abbatiale gessit *annum I. mens. V. dies* XXX, vitámque hoc anno, III. *Kal. Maii* terminavit, Monasterii regimen non anno priore ut asseruimus, sed anno Christi septingentesimo octogesimo, mense Octobri exeunte suscepit. At Joannes ejus decessor, cujus Præfecturam aperuit annus Christi septingentesimus undesexagesimus, vixit ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum-primum, quia præter *ann.* XXI completos, administrationem *m.* VI. *d.* XXI gessit, atque hæ mensium ac dierum minutiæ palàm ostendunt illius mortem sub initium anni contigisse. Certè Hepidannus, etsi de annis Incarnationis Dominicæ nobiscum non conveniat, Rudpertum, sive, ut vocat, Rautpertum anno post ejus electionem proximo mortuum scribit. Ad annum enim DCCLXXVIII sic habet. *Rautpertus Abba constituitur.* Et ad annum DCCLXXIX. *Rautpertus moritur. Waldo Abbas constituitur.* Rudpertum omittit Ratpertus in libro [b] de casibus Sancti Galli, Waltonem enim seu Waldonem Joanni proximè sic subrogat. *Post obitum Johannis Episcopi fratres nostri Waltonem concœnobitam, virum sapientem, sibi Abbatem, Rege permittente, constituerunt.* In tanta opinionum varietate stamus ab Hermanno suprà laudato. Joanni Rudpertum anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, Rudperto Waldonem anno Christi septingentesimo octogesimo-secundo subrogamus.

[b] Cap. 4.

SUCCEDIT WALTO.

XVI.

EPISCOPI AUSCIENSES.

Hoc eodem anno Ernaldus sive Armaldus vel Brinaldus Ausciensis Episcopus, cùm annos in Pontificatu quindecim egisset, vitam clausit. Successit Aster sive Aster, uam qui post Ernaldum in vulgatis Catalogis ponitur Lupus, is citiùs sedit, ut probatum Tomo priore.

XVII.

HILDEGARDIS NASCITUR.

Hoc anno, nec ante finem mensis Junii, Carolus ex Hildegarde auctus est filiâ Hildegarde æquè dictâ, prout colligitur ex ipsius puellæ epitaphio, quod anno sequenti describemus ex Paulo Diacono [c].

[c] In lib. de Episc. Met.

XVIII.

ABBATES S. MARTINI TURON.

Itherius & Maginarius Oratores Regii, quorum mentionem Hadrianus Papa suis in literis fecit, exeunte hoc eodem anno Româ reversi sunt, & Iterius Vulfardo in Martiniani Cœnobii regimen apud Turonos successit. Utrumque ex rerum gestarum serie atque ordine sic probatur. Anno Christi

AN CH. 782.
CAROLI R. 14.
PIPPINI LUDOV. RR. 2.

septingentesimo octogesimo-primo Vulfardus Abbas in vivis superstes erat. Anno Christi septingentesimo octogesimo-secundo, Itherius Legationem apud Adrianum Papam obiit, & in Pontificiis literis [a] eodem anno conscriptis Abbas neutiquam vocatus est. At sexto Idus Maias, anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio, cùm apud Theodonis villam in Regio comitatu degebat, Abbas jam erat, Abbásque nuncupatus est in literis eodem anno directis à Papa, qui vel ipsum Itherium vel Maginarium Romam denuò mitti postulabat.

[a] Cod. Carol. ep. 56.

XIX.

Caroli R. Præceptum pro Ecclesia Mutinensi.

Geminianus Mutinensis Episcopus Regium obtinnit Diploma [b] sexto Kalendas Octobris, hoc anno, Caroli Regis in Francia decimo-quarto, in Italia nono. *Carolus Gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patritius Romanorum, omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Gastaldis, atque omnibus Manasteriis Deum timentibus, præsentibus & faturis. Maximum Regni nostri in hoc augeri credimus muuimentum, si petitionibus Sacerdotum ac servorum Dei, in qao nostris auribus fuerint producta, libenti animo obtemperamus, atque ad effectum perducimus. Quapropter noverit solertia vestra, qualiter nos ad petitionem venerabilis viri Geminiani Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ Episcopi, quæ est constructa in honorem pretiosissimi Confessoris Christi Geminiani Antistitis ipsius Ecclesiæ, tale circa ipsum sanctum locum concessisse beneficium, ut in Monasteria & Xenodochia, seu Ecclesias Baptismales, vel reliquas possessiones, quæ ad dictum Episcopatum pertinent, tam de Donatione Regis quàm Reginarum seu reliquorum Deum timentium hominum, unde moderno tempore ipsa casa Dei justè investita est, aut quod divina pietas ibi amplificare valuerit, nullus Judex publicus, ad causas audiendum, vel fodra undique exigendum, seu mansiones aut paratas faciendum, nec fidejussiones tollendum, neque hominibus ipsius Episcopatûs distringendum, nec ullas redbibitiones publicas requirendum, judiciaria potestas ibidem quoquam tempore ingredi, vel exactare penitus non præsumet. Propterea hanc Immunitatem conscribere jussimus, per quam specialiter decernimus ordinandum, ut nullus quilibet de vobis, neque de junioribus vestris à modò & deinceps, ut diximus, in Monasteria, vel Xenodochia, seu Ecclesias Baptismales, vel reliquas possessiones, quæ ad ipsum Episcopatum, ut diximus, de datione Regum aut Reginarum, seu reliquorum Deum timentium aspiciunt, nullus Judex publicus ad causas audiendum, vel fodra undique exigendum, seu mansiones aut paratas faciendum, nec fidejussiones tollendum, nec ullas redbibitiones publicas requirendum, vel exactandum, judiciaria potestas ibidem quoquam tempore ingredi vel exactare penitus non præsumat, sed sub Immunitatis nomine cum omni freda concessa valeant omni tempore Rectores ipsius Episcopatûs, hominésque eorum quietè vivere & residere. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel diuturnis temporibus cognoscatur, manûs propria subscriptione eam decernimus roborari. Signum Caroli Gloriosissimi Regis. Wigbaldus ad vicem Radoni recognovi. Dat. sexto Kal. Octobris, anno decimo-quarto & nono Regni nostri.* Id est, sexto Kalendas Octobris, hoc anno, post Christum natum septingentesimo octogesimo-secundo, nam Carolus post patris obitum Rex elevatus est Noviomi septimo Idus Octobris anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo, & in Longobardia mense Maio regnare cœpit anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto. Sigonius [c] Veronæ datum hoc Diploma contendit sexto Kalendas Octobris, anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo, quo Carolus audaciam Arigisi Ducis Beneventani repressit, factúsque votorum compos in Franciam quantocyùs remeavit. At nec anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo conveniunt Characteres suprà descripti, nec illo anno Carolus erat Veronæ sexto Kalendas Octobris, nam Thassilo Boioariorum Dux quinto Nonas Octobris ad eum venit eodem anno, ut legitur in Appendice ad Chronicon jussu Nibelungi Comitis conscriptum; priùs autem quàm Thassilo Carolum adiret, hic relictâ Longobardiâ Wormatiam

[b] Ap. Ughell. Tom. 2. Ital. Sacr. in 10. Episc. Mutin.

[c] Lib. 4. de Regn. Ital. ad an. 787.

AN. CH. 782.
CAROLI R. 14.
PIPPINI LUDOV. RR. 2.

ſe contulit, Conventum Procerum ibi habuit, Legatos miſit in Boioariam, & com exercitu ad Lycum uſque pervenit. Porrò Sanctus Geminianus, quem Mutinenſis Eccleſia Patronum agnoſcit, Mutioenſis Epiſcopus fuit, hujus nominis primus, quartóque ſeculo vixit. Illius vitam à Silingardo editam Ughellus Italiæ ſacræ inſeruit [a].

XX. GEMINIANUS EP. MUTIN.

De Geminiano Epiſcopo, qui Diploma Caroli ſuprà deſctiptum accepit, idem Ugbellus hæc addir ex Sigonio. *Eidem*, oempe Geminiano, *Carolus plebaniam Gazaneti dono dedit, pluráque alia bona.* Deinde hæc obſervat. *Geminianus autem quartam partem bonorum ſui Epiſcopatûs, ſua Eccleſia Capitulo donavit, ut Mutinenſes Canonici commodiùs alacriúſque divinum opus poſſent urgere.* Denique Donationem illam à Regibos Italiæ ſeu Longobardiæ decimo ſeculo confirmatam teſtatur.

XXI. LITERÆ ADRIANI PP. AD EGILAM EP. ILLIBERITAN.

Ad hunc annum pertinet epiſtola, quæ nomero eſt nonageſima-quinta in Codice Carolino. In his enim literis Adrianus Papa de Carolo Rege déque Petro Ticinenſi ſeu Papienſi Epiſcopo ſic ſcribit. *Nobis per fideliſſimum Miſſum ſuum, videlicet Reverentiſſimum & Sanctiſſimum Petrum Ticinenſis Eccleſia Epiſcopum, præcellentiſſimus ac præfulgidus filius & ſpiritalis compater noſter Domnus Carolus Rex Francorum & Langobardorum ac Patricius Romanorum, pro tua dilectione*, &c. Anno ſuperiore Carolus Adtiani compater factus eſt, annóque proximo agemus de morte Petri, qui Papienſem Epiſcopatum quinquennio duntaxat admioiſtravit. Hoc igitur anno intermedio datæ videntur literæ ſuprà citatæ. Inſcribuntur *Egila Epiſcopo*, quem Adrianus hortatur, ut Orthodoxam teneat fidem, & jejunium ſextâ feriâ Sabbatóque celebret. Egilam cum Cixila Toletano Antiſtite perperam confundit Mariana [b]. Illiberitanum Epiſcopatum io Hiſpania geſſit Egila, ut ex Epiſcoporum Illibetitanorum Caralogo [c] liquet. A Wlchario ſeo Wilicario Archiepiſcopo Senonenſi, de quo nihil poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimom-ſeptimum legitut, otdinatus eſt Epiſcopus, ut in Hiſpania concionaretur. Id docet Adrianus io aliis litetis [d], quas *omnibus Orthodoxis Epiſcopis per univerſam Spaniam commorantibus* inſcribit. *Dudum*, inquit, *Wlcharius Archiepiſcopus Galliarum ſuggeſſit nobis pro quodam Egila, ut eum Epiſcopum conſecraret, valdè nimíſque eum in fide Catholica & in moribus atque actibus laudans, ut conſecratum veſtris partibus emitteret ad prædicandum; nos verò prædicti Wlcharii Archiepiſcopi petitioni credentes conſuetam illi licentiam tribuimus, ut canonicè eum examinaret, quatenus ſi poſt diſcuſſionem & veram examinationem, rectum & Catholicum eum inveniſſet, Epiſcopum ordinaret, & nullam quamlibet alienam Sedem ambiret vel uſurparet, ſed ſolummodò animarum lucra Deo offerret, qui unà cum Johanne Presbytero in partibus veſtris veniens*, &c. Utrique literas [e] idem Adriaous ſic inſcribit. *Adrianus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectiſſimis nobis, Egila Epiſcopo ſeu Joanni Presbytero.* In his literis utrumque laudat ob booum Wilicarii Senonenſis Arcbiepiſcopi teſtimonium, cujus ita meminit. *Quàm laudabiliter fidei veritatem noveritis, & quàm ſollicitè Dominico gregi devotionem officii Paſtoralis impendatis, frater noſter Wulcharius Archiepiſcopus provinciæ Galliarum, cui & licentiam dedimus de veſtris ordinationibus, atque auctoritatem dirigere vos pro Orthodoxa fidei Sanctaque Catholica Eccleſiæ prædicatione in partibus Spanienſis provinciæ, pro vobis nobis inſinuavit.* In iiſdem literis multos carpit errotes, qui contra fidem Catholicam in Hiſpaniæ partibus orti fuerant, oullam autem mentionem hæreſeos Felicianæ facit, quam ſetiùs audiri cœptam vel ex hoc ſilentio collige. Egila ſecundùm Indices Illiberitanorum Antiſtitum moritur anno Chriſti ſeptiogenteſimo octogeſimo-quinto. Sub exitum vitæ cum Joanne Preſbytero declinavit à Catholica diſciplina. Quam mutationem Adrianus in literis [f] ad omnes Orthodoxos Hiſpaniarum Epiſcopos, quarum fragmentum jam recitavimus, ita deplotat. *Qui unà cum Johanne Presbytero in partibus veſtris veniens, quod pejus*

[a] Tom. 2. in Epiſc. Mutin.
[b] Lib. 7. c. 6.
[c] Ap. Tamayum, d. 17. Aug.
[d] Epiſt. 97. Cod. Carol.
[e] Epiſt. 96. Cod. Carol.
[f] Epiſt. 97. Cod. Carol.

AN. CH. 782. CAROLI R. 14. PIPPINI LUDOV. RR. 2. *est, ut ejus fama in auribus nostris sonuit, non rectè ille Egila prædicat, sed errores quosdam Migentii Magistri sui sequens, extra Catholicam disciplinam, ut fertur, conatur docere, & alia plura capitula, quæ absque norma Ecclesiastica aliis suadere videtur. Quod si ita est, vestra fidelissima dilectio, quæ normam & disciplinam sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ consequitur, nullomodo eorum insaniam credere vel sequi studeat. Quia procul dubio minimè nos credimus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ignorare disciplinam, sed potiùs admonentes ad veram & Orthodoxam fidem eos reducere studeatis.* In iisdem literis Adrianus Elipandum Toletanum Antistitem ejúsque asseclas redarguit, qui *filium Dei adoptivum confiteri non erubescunt.* Hujus hæreseos, de qua sæpè inferiùs, author Felix, qui Pontificatum Urgellensem per illa tempora gerebat, successerat enim Dotillæ, cujus mentionem ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-nonum fecimus.

XXII. In Appendice ad Sanctæ Gertrudis vitam adjecta, puella quædam contracta Hildegardi Reginæ præsentatur anno Caroli Regis decimo-quinto, deinde ad Nivigellense Monasterium ducitur, ibique sanitatem ope beatissimæ Gertrudis in festo Dominicæ apparitionis sive Epiphaniæ recuperat. Annus Caroli Regis decimus-quintus, quia inchoatur octavo Kalendas Octobris, anno Christi partim septingentesimo octogesimo-secundo, partim septingentesimo octogesimo-tertio illigatur. Puella igitur illa conspectum Hildegardis Reginæ subiit exeunte hoc anno Christi septingentesimo octogesimo-secundo, proximóque mense Januario liberata est infirmitate quâ laborabat. Henschenius, ut in Commentario vitæ Sanctæ Gertrudis prævio testatur, duplex Appendicis prædictæ nactus est exemplar, unum ex Codice Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ, alterum ex Monasteriensi Codice Bernardi Rottendorfi; prius tantùm publicavit [a], omisso posteriore quod elegantiore stylo amplificatum est. Hoc Dacherius & Mabillonus aliunde acceptum evulgarunt [b]. In utraque editione annus Caroli Regis decimus-quintus cum anno post Sanctæ Gertrudis obitum centesimo vicesimo-septimo componitur. In Henscheniana, sic. *Temporibus Caroli Imperatoris, anno decimo-quinto Regni illius, post obitum sacræ Virginis anno centesimo vigesimo-septimo.* In Benedictina, sic. *Anno centesimo vicesimo-septimo ab obitu sanctissimæ Gertrudis, Regni autem Caroli magnifici Imperatoris quinto-decimo.* Ad illum locum Henschenius reponendum putat annum centesimum trigesimum-octavum, additque hanc notatiunculam, *scilicet ab anno 664 ad 782, qui erat 15 annus Regni Caroli Magni,* sed insignis est error, ab anno enim 664 ad annum 782 numerantur anni tantùm 118 non autem 138. Benedictini substituunt annum centesimum tricesimum; *legendum*, inquiunt, *anno centesimo tricesimo in sententia nostra, qui Sanctæ Gertrudis obitum anno DCLVIII illigamus, cùm annus Regni Caroli Magni quintus-decimus anno Christiano DCCXXCII respondeat,* sed nec admitti potest hic calculus, ab anno enim DCLVIII ad annum DCCXXCII computantur anni tantùm CXXIV non autem CXXX. Sancta Gertrudis Abbatissa Nivigellensis ad Deum migravit decimo-sexto Kalendas Aprilis, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-nono. Id fusè probatum Tomo tertio. Annus igitur Christi septingentesimus octogesimus-secundus quâ parte cum anno Caroli Regis decimo-quinto convenit, cum anno quoque post Sanctæ Gertrudis obitum centesimo vicesimo-quarto comparatur. Si conjecturis agere licet, annus post Sanctæ Gertrudis transitum centesimus vicesimus-septimus in Appendicem suprà citatam transiisse videtur ex Diplomate, quo possessiones Ecclesiæ Nivigellensi collatas Otho Primus Imperator confirmavit. Hæc enim apud Miræum [c] ibi leguntur. *Anno centesimo vicesimo-septimo post transitum S. Gertrudis, tradidit quædam puella, nomine Richurgis, omnem hæreditatem suam in terra Ribuariensi in villa Buezefels.* An ea puella, quæ Richurgis in Othonis Diplomate nomi-

[a] d. 17. Mart.

[b] Sec. 2. Benedict. a. 658. d. 18. Mart.

[c] In Notit. Eccles. Belgic. c. 62.

AN. CH. 782. CAROLI R. 14. PIPPINI LUDOV. RR. 2.

natur, alia censeri debeat ab ea, quæ Richburga dicitur in Appendice prolixiori, post quadriennium inquiremus. Hæc ad stabiliendam Chronologiam dicta sunto, narrationem rei gestæ nunc accipe.

XXIII. HILDEGARDIS REGINÆ PIETAS ERGA PUELLAM CONTRACTAM.

Erat quadam puella parvula, in pago Riboariensi, omni parte membrorum debilis, & omnibus facultatibus destituta. Contigit verò ut aspectui Domina Hildigarda Regina præsentaretur, ut ei suam eleemosynam largiretur, qua misericordiâ mota super eam, præcepit eam ad Palatium duci, ut ibidem sua largitatis misericordiâ aleretur, quod & factum est. Post aliquod verò tempus præcepit eam ad Nivella Monasterium duci, atque ibidem diebus vita sua suâ eleemosynâ sustentari. Sic habet editio Henscheniana, prolixior est Benedictina, sic. *Erat in pago Riboariensi puella quadam, Richburga nomine, ita à primis annis contracta, ut tota genibus suis incumberet, nec pedes ad gressum extendere, nec superiores corporis partes ad adspectus hominum erigere valeret. Cum hoc morbo, egestatis quoque incommodo laborabat, cui propria debilitas operandi facultatem negaverat, & parentum paupertas necessaria ministrare non sufficiebat. Tandem ut eleemosynam peteret, Hildegardis Regina oculis oblata est. Qua tanta debilitatis novitate stupefacta, compuncta est animo, jussitque puellam ad Palatium transferri, & de mensa Regia sufficienter sumere necessaria. Ubi dum aliquanto tempore contra valitudinem suam mansisset, & jam ob infirmitatis molestiam, varios tumultus Regiam amplitudinem comitantes ferre non posset, petiit se ad Nivialense Monasterium mitti, ibíque Regiâ eleemosynâ commodiùs sustentari. Audierat enim plurima Virginea pietatis insignia, & ideo cupidè ire volebat, vel anima sua vel ægroto corpori vel utrique forsitan consultum fore fidelissimâ spe præsumebat. At Regina votis ejus benignè adquiescens, fecit ipsam ad Cœnobium beata Geretrudis deportari, ubi à Sanctimonialibus misericorditer excepta est, & in cella quadam opportunè relocata. Commissa est etiam peregrina cuidam in Congregatione commanenti, qua ei ministraret, & Psalterium doceret. Suscepta itaque, & de his, qua exteriùs ad curam corporis pertinebant, facta secura, totam animam suam ad orationis studium convertit, & benignum Deum ac clementissimam benignitatem Virginis pro diuturna debilitate devotissimè interpellare cœpit. Quam misericorditer superna gratia respicians, per ministram pietatis sua B Geretrudem non distulit visitare.* Cetera pertinent ad annum sequentem. Porrò nota pagum hic Riboariensem dici, qui Ripuariensis vocari solet.

XXIV. JOANNES EP. LUCENSIS MULTAS RELIQUIAS LUCAM TRANSFERT.

Sanctus Frigidianus Lucensis quondam Episcopus, qui migrarat ad Deum tertio Idus Martias anno Christi quingentesimo septuagesimo-octavo, sepultúsque fuerat in Ecclesia Sancti Vincentii à se constructa, repertus est hoc anno, decimo-quarto Kalendas Decembres, atque translatus in decentiorem locum ejusdem Ecclesiæ, quæ nomen illius accepit abjectâ priore Sancti Vincentii nomenclaturâ. Tunc Lucensis Episcopus erat Joannes, cujus mentionem anno superiore jam fecimus. Plurimùm laudatur hic Antistes ab Ughello [a], quòd Lucam multas Reliquias ex aliis locis transtulerit. Pauca de singulis subnectemus.

[a] Tom. 1. Ital. Sacr. in Ep. Lucens. 28.

XXV.

Primò, Joannes, cùm effigies Sancti Crucifixi, quam Nicodemus effecit, Hirosolymâ Lunam delata esset, à Deo mandatum accepit per Angelum, ut, Episcopo Lunensi de divina voluntate priùs admonito ac certiore facto, tantum thesaurum Lunâ Lucam inferret. Paruit jussis, & *Vultum Sanctum*, ut vulgò appellant, lætantibus populis Lucam transtulit, atque in Ecclesia Cathedrali collocavit. Luna civitas Etruriæ in confinio Liguriæ ad Macræ fluminis ostium Cathedra decorabatur Episcopali, quæ Sarzanam posteà translata est, atque inde dicti sunt deinceps promiscuè Lunenses & Sarzanenses Episcopi. Lunensium autem Episcoporum Catalogus per octavum seculum mutilus est, ut ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum [b] jam notavimus.

[b] Num. 54.

XXVI.

Secundò, Joannes Sanctum Regulum Episcopum & Martyrem ex agro

AN.CH. 782. CAROLI R. 14. PIPPINI LUDOV. RR. 3.

Populonienſi Lucam tranſtulit, poſuitque in Eccleſia Sancti Martini, quam Beatus Frigidianus Epiſcopus olim à fundamentis ædificarat. Regulus Epiſcopus ex Africa in Italiam cum Cerbone venit, Martyrium prope Populoniam ſubiit neci traditus à militibus Totilæ Regis Oſtrogothorum, ibidem ſepultus eſt à Cerbone, latuitque donec ex divino monitu Lucam delatus eſt à Joanne Epiſcopo. Hiſtoriam Tranſlationis Ughellus ex membrana Vaticana fusè deſcribit. In Tabulis Eccleſiaſticis memoria Sancti Reguli Kalendis Septembris celebratur. In Martyrologio metricè ſcripto, cujus authorem quidam falsò Bedam conſtituunt, hi leguntur Verſus longè poſt ejuſdem Bedæ mortem compoſiti, ſiquidem prædictam Sancti Reguli Tranſlationem memorant.

Septembris Regulus tenet orditúrque Kalendas;
Regulus Antiſtes, ſibi qui caput enſe peremptum
Portavit binis Chriſto ſtadiis faciente,
Cujus Reliquias nunc urbs Lucenſis adorat.

XXVII. Tertiò, Joannes corpora Sancti Geneſii & Sanctæ Lucinæ; quæ Romæ quieſcebant, Lucam tranſtulit. Fama eſt illas Reliquias in Eccleſia Cathedrali latere.

AN. CH. 783. CAROLI R. 15. PIPPINI LUDOV. RR. 3.

ANNUS

CHRISTI		783.
CAROLI	R.	15. 12. 10.
PIPPINI II.	R.	3.
LUDOVICI	R.	3.

I. ANNUS Chriſti ſeptingenteſimus octogeſimus-tertius Carolo Regi luctuoſiſſimus fuit domeſticis funeribus, amiſſis Hildegarde uxore pridie Kalendas Maias in Vigilia Aſcenſionis, necnon filiâ ejuſdem nominis menſe Junio, & Bertâ matre quarto Idus Julii. De Reginis Hildegarde & Berta teſtes ſunt Annaliſtæ Loiſelianus & Lauteshamenſis, de puella Hildegarde teſtis eſt Paulus Diaconus in Epiſcopis Metenſibus, ubi illam ait Hildegardi matri quadraginta diebus ſuperſtitem vix fuiſſe. Sed antequàm ſtylum ad Regalia funera convertamus, ratio temporis ſuadet, ut hic agamus de puella contracta, cujus mentionem anno ſuperiori jam fecimus, quo ſingularem Hildegardis Reginæ erga pauperes ac membris debiles pietatem experta eſt. *Præfata puella, cùm* in Nivigellenſi Cœnobio *moraretur, omnibus ſororibus ad officium nocturnale pergentibus, ſola in lectulo remanſit, & ecce conſpicit beatam virginem* Gertrudem *ingredientem cubiculum in quo conſiſtebat, ferentem in manu cereum miri candoris & fulgoris, ex cujus lumine tota illuminata eſt cellula, tum inquit ad eam. Quare omnimodis quieſcere non videris? At illa, nequeo, inquit, Domina. Tum illa ſubridens, loquere, ait, Sororibus, quoniam ego Gertrudis tibi apparui, ſi verò tibi credere noluerint, craſtinâ ante horam diei tertiam ſignum tibi dabo, quod omnimodis credent. Et hæc dicens abſceſſit. Diluculo verò hæc referens fecit ſe portari in domum, in qua Chriſti virgo nutrita fuerat. Quam cùm laviſſent & veſtimentis induiſſent, ſubitò reſpexit, & vidit iterum ſanctam virginem ante ſe ſtantem, in quam cùm intenderet, diſſoluta ſunt vincula manuum pedúmque illius, ſtatímque erigens ſe puella ſtetit ſupra pedes ſuos, vidítque beatam virginem egredientem, atque in porticu, quæ eſt dedicata in honorem Sanctæ Agathæ, ubi*

PUELLA CONTRACTA SANATUR OPE S. GERTRUDIS.

AN.CH. 783. CAROLI R. 15. PIPPINI LUDOV. RR. 3.

ipsa Christi virgo de mundo transiens cælestia petivit, cum cereo stantem. Cúmque supradicta puella in ipso loco pedibus staret, & clamitaret videre se aliquem, quædam ex Sororibus, quæ eam custodiebat, dixit ad eam. Quid vidisti, filia? Illa ait. Dominam Gertrudem intueor tenentem cereum candidum in manu sua. Tunc apprehensâ manu puella duxit eam in Ecclesiam Beatæ Mariæ, statuitque eam ante sedile, in quo Christi virgo sedere consueverat. Cúmque tertiâ vice sanctam virginem se clamaret videre, omnis Congregatio ad tale spectaculum convenit, inveneruntque puellam stantem & glorificantem Deum. Tunc omnis Congregatio laudans & glorificans Deum, duxit eamdem ad Basilicam Beati Petri ad sepulchrum virginis sacræ, quæ pergens cum omnibus glorificabat Deum pro data sibi sanitate, atque ita omnibus diebus vitæ suæ in sanitate sibi data permansit. Hæc apud Henschenium [a] in Appendice ad Sanctæ Gertrudis vitam adjecta reperies, poterísque conferre cum prolixiori Appendice quam Dacherius & Mabillonus ediderunt [b], hîc abstinemus ab utriusque collatione, quia quæcumque intercedit differentia, tota consistit in verbis, & nullius est momenti.

[a] d. 17. Mart.

[b] Sec. 2. Benedict. a 658. d. 18. Mart.

II. Rex apud Theodonis villam Pascha celebravit decimo Kalendas Aprilis, &c, ut Annalista Laureshamensis prosequitur, *arridente veris temperie, cùm ad expeditionem Saxonicam se præparasset (nam de omnimoda eorum defectione perlatum fuerat) priusquàm de memorata villa se moveret, Hildegardis Regina uxor eius decessit pridie Cal. Maii. Cujus funeri cùm more solenni justa persolvisset, in Saxoniam, sicut disposuerat, duxit exercitum.* Ado quoque Hildegardem in Theodonis villa mortuam scribit. Ceterùm Annalista Loiselianus pridie Kalendas Maii, quo die decessit, celebratam Ascensionis Dominicæ Vigiliam sic affirmat. *Tunc obiit Domna ac benè merita Hildegardis Regina pridie Kal. Maii, quod evenit in die tunc in tempore Vigiliæ Ascensionis Domini.* Unde colligas Pascha cum die 23 Martii coincidisse, currente tùm literâ Dominicali E, corrigásque apud Robertum in Gallia Christiana tabulam Paschatum, quæ diei 23 loco diem habet *25 Martii.* Hildegardem *apud urbem Metensem in beati Arnulfi Oratorio* tumulatam docet, ejúsque mox epitaphium sic subjungit Paulus Diaconus in libello de Metensibus Episcopis.

HILDEGARDIS REGINA MORITUR.

Aurea quæ fulvis rutilant elementa figuris
Quàm clara extiterint membra sepulta docent.
Hîc Regina jacet Regi præcelsa potenti
Hildegard Carolo quæ benè nupta fuit.
Quæ tantùm clara transcendit stirpis alumnos,
Quantùm quo genita est Indica gemma solum.
Huic tam clara fuit florentis gratia formæ,
Qua non occiduo pulchrior ulla foret.
Haud cujus tenerum possunt æquare decorem,
Sardonix Pario, lilia mixta rosis.
Attamen hanc speciem superabant lumina cordis,
Simplicitas animæ, interiórque decor.
Tu mitis, sapiens, solers, jucunda fuisti,
Dapsilis, & cunctis condecorata bonis.
Sed quid plura feram, cùm non sit grandior ulla
Laus tibi, quàm tanto complacuisse viro?
Cúmque vir armipotens scriptis junxisset avitis
Liniferúmque Padum, Romuleúmque Tibrim:
Tu sola inventa es, fueris quæ digna tenere
Multiplicis Regni aurea sceptra manu.
Alter ab undecimo rursum te sustulit annus,
Heu genitrix Regum! heu decus, atque dolor!
Te Francus, Suevus, Germanus, & ipse Britannus,

AN. CH. 783. CAROLI R. 15. PIPPINI LUDOV. RR. 3.

Cùmque Getù durù plangit Hybera cohors.
Accola te Ligerù, te deflet & Itala tellus,
Ipsáque morte tuâ anxiâ Roma gemit.
Movisti ad fletus & fortia corda virorum:
En lacryma clypeos inter & arma cadunt.
Heu! quantis sapiens & firmum robore semper
Ussisti flammus pectus herile viri!
Solatur cunctos spes hac, sed certa, dolentes,
Pro dignis factis, quòd sacra Regna tenes.

III. UDALRICUS EJUS FRATER LAUSANN. EPISC.

Obiit Hildegardis Regina pridie Kalendas Maias, anno ætatis vicesimo-sexto, sive, ut ad verba Poetæ magis accedamus, anno ætatis bis decimo-tertio. Nupserat Carolo Regi anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio, ætatis suæ decimo-sexto, vixit cum marito per decennium, eique novem peperit liberos, è quibus duo, Lotharius videlicet & Adheleis ante matrem extincti sunt, & Hildegardis eidem matri dies vix quadraginta superfuit, ut ex ejus epitaphio mox probaturi sumus. Hildegardi Reginæ frater fuit Waldricus sive Udalricus Lausannensis Episcopus, sed non eodem, ut quidam volunt, editus partu, Pontificatum enim anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto jam gerebat. Bruschius, in Chronologia Monasteriorum Germaniæ, multa fabulosè scribit de Hildegarde Regina, déque Campidonensi Monasterio, quæ breviter in epitomen redacta paucis confutabimus. Si vera narrat hic Auctor, fratet est Carolo Talandus ex ejus noverca Leutburga; Carolus in procinctu belli Saxonici Talando Hildegardem cum Regno commendat; Talandus exardet in amorem Reginæ, mox conjicitur in carcerem, veniam frustrà postulat, squalore & inediâ non parum vexatur, donec certum de proximo Regis reditu nuncium ad Reginam defertur; Hildegardis, ut omnes sui publicíque gaudii participes faciat, Talandum etiam è custodia dimittit, nec ab eo quidquam sibi metuit, quia nullius est reatûs conscia; venienti Regi primus occurrit Talandus, & interrogatus cur adeò macer sit, respondet se detentum hactenus in ergastulo, quòd Reginam adulterari volentem oculatiùs observaret; Rex irâ percitus Hildegardem in fluvium projici jubet, hæc clàm admonita furori Regis se subducit, casu posteà detegitur, & à Rege traditur apparitoribus, ut in sylvam abripiatur ibíque excæcetur; adest Dei nutu vir nobilis, & pro Regina subdit catulum, cujus eruti oculi ad Carolum deferuntur; Hildegardis huic erepta periculo Romam abit cum duabus puellis, Medicam artem, cujus semper studiosa fuit, adeò feliciter exercet, ut non Romæ tantùm sed in aliis etiam regionibus maximæ sit admirationi; tunc & Talandus usum oculorum amittit, auditóque quòd Romæ degat fœmina, quæ ægrotis omnibus, præsertim ophtalmiâ laborantibus facillimè subveniat, Carolum Romam adeuntem sequitur, mulierem inquirit, ad ejus ædes accedit; pulsanti januam occurrit una ex puellis, quæritque quid velit; respondet ille, Talandum se esse, Caroli Francorum Regis fratrem, venisse ut fœminæ loquatur, quæ dicitur oculorum doloribus mirâ promptitudine mederi; Hildegardis rem omnem per puellam edocta, jubet illi nunciari, ut abeat, sua Sacerdoti peccata plenè confiteatur, & ubi per veram pœnitentiam illa defleverit, redeat posteà, se visuram interim quid ei collyriorum applicet pro visûs ablati restitutione; Talandus jussis obtemperat, sequenti die redit, accipit medicamina, post pauculos dies sanatur; mulierem Rex & Pontifex mirantur, eam per nuncios ad Palatium vocant; ait illa venire se ad Palatium non posse, sed postero die venturam in Vaticanum Templum, atque illorum conspectum subituram; sequenti die Basilicam ingreditur Sancti Petri, statim agnoscitur à Rege, cui, præsente Summo Pontifice, totam suarum calamitatum originem & seriem longâ mox exponit oratione; Carolus innocentiam

FABULA DE HILDEGARDE

tiam uxoris intelligit, abjectis concubinis ipsam in gratiam recipit, & charissimis liberis dulcissimam matrem restituit, Talandum verò, cui viram precibus Reginæ mitigatus ægrè concedit, jubet in Insulam deportari; post aliquot menses Hildegardis cum Carolo domum revertitur, eóque annuente construit ex suo patrimonio Monasterium Campidonense *, cujus primum lapidem ponit anno Domini septingentesimo septuagesimo-tertio Rolandus Regis è sorore Bertha nepos. Bruschius præter hanc narrationem, quam fusiore stylo dilatatam exhibet, alia non pauca, nec minùs fabulosa, de Campidonensi Cœnobio sic repræsentat. *Fundatum est pro nobilibus ac illustribus viris Deo & Ecclesiæ Dei servituris anno Christi 777 à Domina Hildegarde Regina, Caroli Magni laudatissimi Regis tum verò nondum Imperatoris tertia, & omnium, ut veteres Scriptores unanimi consensu omnes affirmant, charissima conjuge. Donatum est libertatibus maximis à Summo Pontifice Adriano, à quo etiam consecratum ac dedicatum est anno Domini 777, undecimâ Maii Dominica Ascensioni sacrâ, cùm is Imperatricem ex Italia in Germaniam sequutus esset, trecentis & quinquaginta, Cardinalibus, Episcopis, & Abbatibus, comitatus. Primum ejus loci Abbatem ipsa designavit fundatrix virum eruditione & pietate præstantem Andelgarium, quem aliqui Amelgarium vocant, & Rolandi omnium Gallorum bellicosissimi Ducis filium fuisse affirmant. Hinc ista Cœnobii inscriptio nata, quæ anno 1484 columnæ indita, ambulantibus per ambitum obvia est.*

AN. CH. 783. CAROLI R. 15. PIPPINI LUDOV. RR. 3.

* de Kempten.

Hildegardis	*773*	*fundavit.*
Carolus	*774*	*confirmavit.*
Adrianus	*777*	*dedicavit.*
Audegarius	*778*	*inchoavit.*

IV. O miram commentorum congeriem! Quis ex veteribus Annalistis Talandum celebravit? Quis ejus matrem Leutburgam uxorem Pippini dixit aut novercam Caroli cujus mater Berta Pippino multos annos superstes vixit? Carolus Romam ter Adriano Pontifice profectus est, annis videlicet octavi seculi, septuagesimo-quarto, octogesimo-primo, & octogesimo-septimo. Hildegardis ante annum Christi septingentesimum octogesimum-septimum è vita discessit; ergo Romæ cum Carolo non est versata, nisi anno Christi vel septingentesimo septuagesimo-quarto vel septingentesimo octogesimo-primo. Nupsit in procinctu belli Longobardici, id est, anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio; liberos igitur, quibus redderetur, anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto non habebat. Habebat autem tres filios cum duabus filiabus anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, sed ante illum annum cæsus occubuit Rolandus. Anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto Hildegardis Adeleidem in castris ad Papiam peperit, illo anno cum Rege Romam profecta non legitur; at seu mansit in castris, seu maritum Romam usque comitata est, ab ejus amicitia non exciderat. Anno Christi septingentesimo octogesimo-primo Pascha Romæ cum Carolo Rege celebravit. Illo de itinere sic Annalista Loiselianus. *Præclarus Rex sumpto consilio ut iter perageret orationis causâ partibus Romæ unà cum uxore sua domna Hildegarde Regina, & celebravit Natalem Domini in Papiam civitatem, & immutavit se numerus annorum in* DCCLXXXI. *& Rex Carolus supradictum iter peragens celebravit Pascha in Roma.* Assentiuntur huic Annalistæ, Laureshamensis, Bertinianus, & Merensis, necnon Regino, Monachus Egolismensis & Auctor incertus in vita Caroli. Præterea Gislam Regiam prolem, quæ nuperrimè lucis usuram acceperat, Mediolani baptizavit Thomas illius civitatis Archiepiscopus. Id unanimi consensu testantur Auctores prædicati. Solum Laureshamensis Annalistæ textum accipe. *Rege Româ digresso ac Mediolanum veniente, Thomas ejusdem urbis Episcopus baptizavit ibi filiam ejus nomine Gislam, & de sacro fonte suscepit.* Hæc palàm ostendunt fabulis accensenda esse, quæcumque scripta sunt à Bruschio de Hildegarde Romam profecta, ut irato

REFELLITUR.

AN.CH. 783. CAROLI R. 15. PIPPINI LUDOV. RR. 3.

conjugi se subduceret. Quæres quid igitur causæ fuerit, cur Hildegardis erexerit Monasterium Campidonense. Constructum hoc ab Hildegarde Cœnobium inficiamur, instauratum atque amplificatum lubentissimè concedimus. Lege quæ de primis illius loci conditoribus atque habitatoribus dicta sunt Tomis secundo & tertio. De tempore, quo primùm Hildegardis erga Campidonenses Ascetas munificam se præbuit, nihil determinatè potest asseri. Carolus Hildegardem anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio in uxorem duxit, mortuam amisit anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio, conjugati vixerunt annos decem, quorum cancellis epochæ suprà memoratæ circumscribuntur, nec tamen ideò certæ fiunt & indubitatæ. Sibimetipsi non constat Bruschius, annum enim fundati seu restaurati Cœnobii modò 773, modò 777 scribit. Posterior numerus magis placet, eodem enim anno, quo nupsit Hildegardis, ab ea conditam seu reparatam Campidonam vix quispiam sibi persuadeat. Quocumque autem id anno gestum sit, malè refertur actum in gratiam duntaxat nobilium & illustrium virorum, qui Deo & Ecclesiæ serrituri essent, nam Sanctus Benedictus ignobiles ac pauperes à sua Congregatione non excludit. Donationem, quam Hildegardis Campidonensi Monasterio fecit, anno proximo confirmatam à Carolo non diffitemur, sed illius Cœnobii Dedicationem negamus anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo, in festo Ascensionis, undecimâ die Maii, ab Adriano Papa peractam, qui trecentos & quinquaginta Cardinales Episcopos & Abbates secum haberet, atque Imperatricem ex Italia in Germaniam cum tanto comitatu secutus esset. Ab anno Christi septingentesimo undeseptuagesimo, qui nuptias Hildegardis & Adriani Pontificatum anteceffit, ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum-quintum, qui secundus ab ejusdem Reginæ morte numerabatur, festum Ascensionis in diem undecimam Maii non incidit, & anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo celebratum est die octavâ illius mensis. Deinde Adrianus in Germaniam numquam venit, Hildegardis Titulum Imperatricis haud gessit, illâque ætate perperam Cardinalatûs excellentia tantoperè prædicatur, quæ seculis longè posterioribus enitere cœpit. Malè quoque qui primus Abbas ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-octavum nominatur Andegarius, is Rolandi filius, nepos Berthæ, pronepos Pippini Regis exhibetur; talem genealogiam non admittit ætas Pippini, cujus ortus cum anno Christi septingentesimo decimo-quarto coincidit. Rectiùs apud Bucelinum [a] idem Andegarius dicitur *consanguineus Hildegardis*, quæ Monasterii restaurationem ac ditationem procurarat. Hic Auctor, qui Bruschium legit atque in epitomen redegit, annum, quo munus Abbatiale suscepit Andegarius, haud notat, eâque reticentiâ declarat ignorari prorsus annum quo cœpit Abbas esse, nec aliud quidpiam de Præfecturæ inchoatione certò sciri, quàm quòd Carolo Regi nupta tunc esset Hildegardis. In hanc imus opinionem. Campidonense Monasterium, cujus initia multò illustriora censemus, ab Hildegarde Regina instauratum est, túncque Abbatem accepit Andegarium ipsius Reginæ consanguineum, de quo tamen ad hunc usque annum, quo Hildegardis obiit, sermonem facere noluimus rati locum non esse magis idoneum, ut simul res conglobentur, quæ pertinent ad Hildegardem, & singulos per annos ne probabili quidem conjecturâ digeri possunt. Andegarius Abbas Hildegardi Reginæ superstes annis tredecim vixit, anno enim Christi septingentesimo nonagesimo-sexto vitam terminavit.

[a] Part. 2. German. Sacr.

ANDEGARIUS ABB. CAMPIDON.

V. DONATIO PACTA MON. S. MARTINI TURON. CONFIRMATUR A CAROLO R.

Decimo post ejusdem Hildegardis obitum die, seu sexto Idus Maii, Carolus, cùm adhuc in Theodonis villa morabatur, postulante Itherio Sancti Martini Turonensis Abbate, Donationem eidem Monasterio ab Autlaudo sive Auctolando illius loci quondam Abbate factam confirmavit.

Regii Diplomatis fragmentum Sammarthani Tomo quarto Galliæ Christianæ sic è Pancarta Sancti Martini publicarunt. *Iterius Abbas S. Martini innotuit, quòd antecessor suus Autlandus Abbas quasdam villas instituerit, qua fratribus mensuatim per totum annum succurrerent.* Addunt hoc Præceptum datum *Theodonis Palatio publico.* Sed error cùm in Titulos Caroli, tum in Characteres Chronologicos irrepsit. *Carolus Rex Francorum & Aug. & Patritius Romanorum* prædicatur. At Patritius Romanorum dici desiit, ubi proclamatus fuit Augustus, ideóque nuncupandus est in hoc Diplomate *Rex Francorum & Lang.* id est, Langobardorum seu Longobardorum, *& Patritius Romanorum.* Carolus Præceptum emisisse fertur, *6 Idus Maii, an. 6 Regni.* Vitiosus est anni Character; anno enim Regni per mensem Maium sexto, sive anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto, Carolus in Italia versabatur, expungendus igitur *an. 6.* ejúsque loco reponendus *an. 15.*

AN. CH. 783. CAROLI R. 15. PIPPINI LUDOV. RR. 3.

VI. OBIT HILDEGARDIS EJUSDEM CAROLI FILIA.

Hildegardis, Caroli Regis & Hildegardis Reginæ filia, dies vix quadraginta matri superfuit, obiitque primo ætatis anno nondum completo, ut in illius epitaphio testatur Paulus Diaconus [a].

Hildegard; rapuit subitò te funus acerbum,
Ceu raptat Boreas vere ligustra novo.
Explevit necdum vita tibi circulus annum,
Annua nec venit lux geminata tibi.
Parvula non parvum linquis virguncula luctum,
Confodiens jaculo Regia corda patris
Matris habens nomen, renovas de morte dolorem,
Post quam vixisti vix quadraginta dies.
Pectore nos mæsto lacrymarum fundimus amnes,
Tu nimiùm felix gaudia longa petis.

[a] In Lib. de Episc. Met.

VII.

Prope matrem Metis in Oratorio Sancti Arnulfi sepulta est. Locum autem illum sepulturæ præ ceteris electum scribit idem Auctor, quia Francorum Reges Carolus ejúsque pater Pippinus originem suam à Sancto Arnulfo repetebant. *Hildegard,* inquit, *apud urbem Metensem in beati Arnulfi Oratorio requiescit. Pro eo denique quòd à beato Arnulfo jam fati Reges originem ducerent, suorum ibi carorum defuncta corpora posuere. Nam ibi humata sunt dua Regis Pippini filia, quarum una Rodthaid, altera Adelaid appellata est. Ibi quoque & junioris Regis Karoli dua nihilominùs tumulata sunt nata, scilicet Adelaid & Hildegard. Qua Hildegard materno nuncupata nomine matrem morientem citiùs subsecuta est. Quarum omnium epitaphia à nobis jussu gloriosi Regis Karoli composita, ut de eis liquidò Lectori satisfieret, subter annotare curavi.* De singulis egimus suprà. Miramur autem post adeò validum Pauli testimonium non deesse, qui nonnulla ex illis Alcuino velint adscribere.

VIII. OBIT ET BERTA CAROLI R. MATER.

Hildegardi nepti suæ vix mensem supervixit avia Berta seu Bertrada, cujus obitus hoc eodem anno, quarto Idus Julii, consignatur in Annalibus Loiselianis & Laureshamensibus. Quanto in honore apud Carolum ad mortem usque fuerit, sic docet Eginhardus in ipsius Caroli vita. *Mater ejus Bertrada in magno apud eum honore consenuit. Colebat enim eam cum summa reverentia, itaut nulla unquam invicem sit exorta discordia, prater in divortio filia Desiderii Regis, quam, illâ suadente, acceperat.* Deinde illius obitum ac sepulturam sic attingit. *Decessit tandem post mortem Hildegarda, cùm jam tres nepotes suos, totidémque neptes in filii domo vidisset. Quam ille in eadem Basilica, quâ pater situs est, apud Sanctum Dionysium cum magno honore fecit humari.* Eo loci Eginhardus aliquâ eget interpretatione, omissâ enim Himiltrudis sobole, quam despectui semper habuit, allusit ad solos Hildegardæ liberos, Carolum, Pippinum, Ludovicum, Rotdrudem, Bertam, & Gislam, qui superstites in vivis erant, cùm avia Bertrada migravit ex hac vita. Nurui suæ Hildegardi duos ferè menses cum dimidio supervixit Bertrada,

vitámque clausit *in Cauciaco* *, teste Auctore Chronici San-Dionysiani, *sed inde translata Parisius sepulta est juxta virum suum in Basilica Sancti Dionysii Martyris*, ut Metensis Annalista prosequitur. Obiit Carolo contra Saxones jam profecto, sepultáque quievit in Cauciaco donec idem Carolus è Saxonia reversus esset.

* Choisy sur Aisne.

IX. CAROLUS SAXONES BIS ACIE VINCIT.

Belli hoc anno in Saxonia gesti meminerunt Annalistæ Nazarianus & Petavianus, fusiorem iniit descriptionem Loiselianus, hoc modo. *Domnus Rex Carolus iter fecit partibus Saxoniæ, eò quòd Saxones iterum rebelles fuissent, & cum paucis Francis ad Theotmallim * pervenit. Ibi Saxones præparaverunt pugnam in campo. Quo viriliter Domnus Carolus Rex & Franci solito more super eos irruentes, & Saxones terga vertentes, Domino auxiliante, Franci victores extiterunt. Et cecidit ibi maxima multitudo Saxonum, itaut pauci fugam evasissent. Et inde cum victoria venit suprascriptus gloriosus Rex ad Paderbrunnen *, ibi conjungens exercitum suum. Et perrexit ubi iterum Saxones se conjunxerunt ad fluvium, cujus vocabulum est Hasa. Ibi iterum pugna inita, non minor numerus Saxonum cecidit, & auxiliante Domino Franci victores extiterunt. Et iter peragens jam dictus Domnus Rex Wisoram fluvium transiit, ad Albiam usque pervenit, & inde reversus præfatus Magnus Rex in Franciam.* Utramque Francorum victoriam Eginhardus in vita Caroli commemorat, & eundem Carolum, quandiu bellum Saxonicum duravit, duabus hisce duntaxat vicibus acie seu pugnâ in campo præparatâ cum Saxonibus decertasse sic observat. *Hoc bellum, licèt per multum temporis spatium traheretur, ipse non ampliùs cum hoste quàm bis acie conflixit; semel juxta montem, qui Osneggi dicitur, in loco Theotmelli nominato, & iterum apud Hasam fluvium, & hoc, uno mense, paucis quoque interpositis diebus. His duobus præliis hostes adeò profligati ac devicti sunt, ut ulteriùs Regem neque provocare, neque venienti resistere, nisi aliquâ loci munitione defensi, auderent.* Hasa * fluvius Osnaburgum * alluit, & in dexteram Amasii * ripam ad Meppenam * exoneratur. De utroque loco, ubi feliciter à Carolo pugnatum est, paulò distinctius inquirendum videtur. Exsurgit in Diœcesi Paderbornensi saltus Teutoburgiensis ab antiquo Teutoburgio sic appellatus, pérque ditiones hodiernas, Lippiensem, Ravensbergensem, Osnabrugensem, Monasteriensem, & Oldenburgensem, longissimo montium sylvarúmque tractu porrigitur. Lapsu temporis Teutoburgium abiit in Teutomellum, quod variis modis in vetustis Francorum Annalibus effertur; *Theotmells, Thietmelle, Thiotmelli, Teotmala, Theotmallin, Theotmaldi, Teotmalli, Thietmalli.* Philippus Cluverius Teutomellum idem esse cum Teutoburgio sic docet libro tertio [a] antiquæ Germaniæ. *Dietmelle oppidum esse antiquum illud Teutoburgium, à quo Teutoburgiensis saltus cognomen accepit, ipsa hodierna adpellatio manifestò indicat, quidpe Diet idem esse nomen quod Theuth jamdudum innumeris argumentis probatum habeo. Atque vulgare quidem fuit hoc tractu vocabulum Theuth, locis impositum; nam ab eodem dictus est antiquissimo nomine vicus ille, medio inter Luppiæ fontem & Theutomellum situ, Teutenmeyer; item oppidum Diedenhille, xv millibus passuum ab Theutomello in Orientem versùs dissitum.* Ut Teutoburgium in Teutomellum, sic & Teutomellum in Dethmoldiam posterioribus seculis deflexum est. Locus ille propter Quintilii Vari cladem & Caroli Magni victoriam in Romanorum ac Francorum Historiis celeberrimus. In vicino colle *Osnegge* dicto, Carolus, ut gratias Deo referret, erexit sacellum, cui nomen à divino auxilio indidit. Id testatur Krantzius libro secundo Saxoniæ [b], sic. *Ego montem accipio, in quo à memoria Karoli erecta est Capella Divini Auxilii nominata, hoc referens posteris, quòd propter cæleste præsidium in eo loco missum, memoria ibi magni Miraculi consecrata est. Laici vocant montem Sancti Adjutorii.* Et Chronographus Tremoniensis apud Stangefolum in Annalibus [c] Circuli Westphalici, sic. *Carolus Rex in monte ab antiquo Asneggi dicto, miliare à Lemgaw civitate distante,*

* Desmolde. * Paderborn.

* la Hase. * Osnabrug. * l Ems. * Meppen.

[a] Cap. 19.

[b] Cap. 4.

[c] Lib. 2. ad an. 784.

Saxones usquequò rebelles, iteratò aggressus, illos ad internecionem occidit, & transfugas dissipat. Qua in pugna manifestum ei divinum adfuit auxilium, eapropter religione tactus, ne ingratus erga Deum reperiretur, montem hunc divino cultui consecravit, Montem Sancti Adjutorii eum baptizando, atque Ecclesiam ibi fundando, ubi posteris multis seculis piâ & ab antiquo usitatâ devotione, illinc peregrinantes divinum auxilium non rarò senserunt. Sacellum jacet dirutum, imò funditus destructum, loco tamen nomen Germanicum mansit *Sant Hulffe* in hodierno Comitatu Lippiensi. Porrò, quia in Diepholtano Comitatu haud procul arce Diepholdiâ vicus extat *Sant Hulffe* quoque dictus, neoterici quidam Teutomellum clade Saxonum quondam nobile procul Dethmoldiâ collocant, & Divini Auxilii sacellum, quod Carolus in partæ victoriæ memoriam erexit, non in hodierno Comitatu Lippiensi sed in Diepholtano constructum volunt. At nihil obest, quo minùs ut eodem mense diebúsque paucis interpositis duplex à Carolo triumphus de Saxonibus est reportatus, sic & ab eo Rege duplex Auxilii Divini sacellum ædificatum censeatur; unum in hodierno Lippiensi Comitatu, Saxonibus ad Teutomellum oppidum devictis; alterum in Comitatu Diepholtano, iisdem hostibus ad amnem Hasam iterum profligatis. Posteriorem hanc victoriam ad Diepholdiæ vicum Drebbenam contigisse perhibent Chronica Brunswicense & Saxonicum manuscripta, necnon & Hermannus Hamelmannus in delineatione urbium Westphalicarum, Metianus in topographia Westphaliæ, Justus Winckelmannus, aliique; sed his Auctoribus assentiri non possumus, quia locus ille remotus ab Hasa flumine, prope quod inter Francos & Saxones dimicatum veteres Annalistæ constanter asserunt. Bernardus Wittius prælii locum Haselunæ assignat, oppido Hasæ fluvio incumbenti. *Vero autem similius videri ait Henricus Turckius in Annalibus manuscriptis de Inferiori Germania, uno milliari ab Osnabrugo, apud Hasam flumen, ubi incolæ celebrant Wallenhorstiam pagum, & Bocholtiam vicum, prope Parthenonem Rullensem, Saxonum castris ac stativis nobilitatos, inter utrumque locum concurrisse exercitus, devictósque Saxones.* Si plura cupis, lege quartum Monumentum Paderbornense, cui titulus est *saltus Teutoburgiensis.*

AN. CH. 783. CAROLI R. 15. PIPPINI Ludov. RR. 3.

X. FASTRADAM DUCIT UXOREM.

Carolus cis Rhenum reversus Wormatiæ substitit, ibíque Fastradanem seu Fastradam uxorem duxit. *Cùm Warmaciam pervenisset Domnus Rex Carolus, sociavit sibi in matrimonium Domnam Fastradanem Reginam.* Hæc Annalista Loiselianus. Fastrada, ut Eginhardus in vita Caroli scribit, *de Orientalium Francorum, Germanorum videlicet gente erat.* Eam Laureshamensis Annalista *filiam* dicit *Radolfi Comitis, natione Francam.* Observandum autem maximè, quod in Appendice ad Chronicon Nibelungi Comitis, & in Chronico Moissiacensi, Carolus *eam Reginam* constituit. Quâ phrasi, Reginæ, qualis fuit Fastrada, ex illustrissimo quippe loco nata, patre Comite, distingui videntur à concubinis, quæ tamen, ut sæpè jam diximus dicemúsque, legitimo conjugii nexu sociabantur.

XI. ADRIANI PP. EPP. AD CAROLUM R.

Extant Adriani Pontificis aliquot epistolæ, in quibus Carolum spiritalem compatrem vocat, nullámque mentionem Reginæ facit, unde suspicari licet eas scriptas hoc anno, cùm Adrianus Hildegardis obitum jam rescivisset, nec adhuc quicquam audiisset de Fastradæ conjugio.

XII. a Epist 68. Cod. Carol.

Unà testatur [a] Itherium & Maginarium Regios Oratores, quorum alterum Abbatem, alterum Capellanum dicit, in Franciam reversos esse, cùm strenuè priùs allaborassent, ut integrum Sabinense territorium Apostolicæ Sedi restituerent, prout in mandatis habebant cupiebántque. Addit directum quoque in Franciam à se Stephanum Sacellarium, quocum alterum è prædictis Itherio ac Maginario Romam denuò mitti postulat. *Domno Excellentissimo filio, nostróque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Ad referendum*

DE TERRITORIO SABINENSI.

AN. CH. 783. CAROLI R. 15. PIPPINI LUDOV. RR. 3.

praecellentissima Regalis Potentia vestra beneficiis gratias, &c. *Euntes autem apud Savinense territorium nostri vestríque fidelissimi Missi, videlicet filius noster Itherius venerabilis Abbas, seu Maginorius religiosus Capellanus, sicut per vestrum bonum dispositum, voluerunt nobis contradere in integro jam fatum Savinense territorium, & minimè potuerunt, mittentes varias occasiones perversi & iniqui * homines; tamen & ipsi jam fati fidelissimi Missi omnia vobis subtiliter vice nostrâ referre possunt. Quapropter vestra à Deo protecta Regali Potentia Reverendissimum Missum nostrum Stephanum, dudum Sacellarium, direximus suggerendum, ut pro mercede anima vestra, sicut cœpistis, ita in integro jam fatum territorium Savinense beato Petro, Regni cælorum clavigero, contradere jubeatis, ut ipse Dei Apostolus pro vestra à Deo promota Regali Praecellentia praecipuè suffragans, cum Sanctis omnibus regnare mereamini, quatenus pro ejusdem Dei Apostoli amore, & mercede anima vestra, unum è duobus jam fatis Missis, cum praefato Stephano Misso nostro, nobis dirigere jubeatis, ut, sicut ex antiquitus fuit, & in veritate jam fati vestri fideles Missi satisfacti sunt, in integro nobis contradere praecipiatis, & signa inter partes constituentes, ut sine qualibet contentione aut controversia maneamus, ut opinatissima vestra memoria pro hoc in cælestibus Regnis maneat ampliata. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.*

* nominativus absolutus.

XIII. Alterâ [a] Saxones, de quibus in paganismum relapsis quid agendum esset iidem Oratores Itherius & Maginarius interrogabant, respondet post longam pœnitentiam ad Ecclesiæ consortium posse recipi. *Domno Excellentissimo filio nostróque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum Adrianus Papa. Vestra à Deo protecta Regalis Excellentia suscipientes Missos, scilicet Itherium & Maguenarium Religiosos Abbates, sciscitati sunt nos interrogantes de Saxonibus, qui Christiani fuerunt, & ad paganismum reversi sunt, qualem pœnitentiam eis Sacerdotes indicere * debeant. Hoc praedecessorum nostrorum Sanctorum Pontificum dudum decretum est, quòd qui resipiscentes & ruinas suas cogitantes redire maluerint, sub longa pœnitentia satisfactione admittendi sunt, ut * iterum pœnitentia satisfactione purgentur qua non tam temporis longitudine quàm cordis compunctione pensanda sunt. Et ideò Excellentissime & à Deo protecte fili, oportet Sacerdotes partibus illis pastoralem circumdare solertiam, atque Episcopalem induere vigilantiam, & in eorum arbitrio indicere pœnitentiam, considerantes piaculum tam voluntatis, quámque extra voluntatem coacti ad suum revertentes vomitum, & tunc canonicâ promere sententiâ, quatenus si veraciter reversi in fide Orthodoxa maluerint perseverare, promissuros se omnem adimplere Episcopalem praedicationem, indiculum Orthodoxa fidei exarantes secundùm antiquam patrum traditionem, unum confitentes Baptismum sub jurejurando pollicentes Ædem Christianitatis servaturos, in gremio suscipiantur Orthodoxa fidei Ecclesia, ut copiosa merces vobis adscribatur in cælis. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.*

[a] Epist. 80. Cod. Carol.

* indicare

* &

DE SAXONIBUS IN PAGANISMUM RELAPSIS;

XIV. Tertiâ [a] Regem hortatur, ut in ea, quam pollicitus est, fide ac dilectione erga Principem Apostolorum permaneat, curétque tradi Romanæ Sedi, quæ vel ab ipso vel ab ejus patre Pippino fuerunt olim oblata. *Domno Excellentissimo filio nostróque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Gratiâ Sancti Spiritûs, igniti calore, nullâ quiescimus plùs ratione cuilibet terrena potestatis splendido, praeterquam vestra à Deo promota Regali Potentia, cùm opportunitas datur, ex totis nostris praecordiis intimare, quam tam firmam stabilémque annexam fideliter, ac ita unanimes in unitate conglobatos esse speramus, ut nullomodo credamus, quamlibet magnam parvámque personam, inter Apostolicam Sedem & vestram Excellentiam posse eam dirimere, talem prorsus vestrum praefulgidum in triumphis Regnum erga amorem beati Petri Apostolorum Principis fautoris vestri, & nostram dilectionem agnoscentes usque hactenus persistere & indissolubilem per-*

[a] Epist. 75. Cod. Carol.

DE DONATIONIBUS FACTIS APOSTOLICÆ SEDI;

AN. CH. 783. CAROLI R. 15. PIPPINI LUDOV. RR. 3.

manere. Quòd numquam possit quamlibèt callida versutia hominum ab amare clavigeri Regni cælorum disjungere, quem prorsus auxiliatorem in opinatissimis vestris triumphis, nobis poscentibus atque precantibus, credimus & propugnatorem habere, procedens & introducens vestrum præcelsum regalémque triumphum calcare super omnes barbaras nationes. Quatenus semper pro vobis divinam exorantes clementiam, Deique timorem præ oculis habentes, atque pro anima sanctæ recordationis præcellentissimi genitoris vestri Domni Pippini summi Regis, & pro omnibus fidelibus Francis, simúlque divinum considerantes judicium, nitebamur emendare de pravis atque perversis actibus, videlicet Eleutherium & Gregorium, ineptos atque inutiles nugaces. Qui pro eorum proterva contumacia, non sinebant in eorum judicari partibus, Ravenna inopes atque pusillos opprimentes miserè, tam in venalitate hominum apud paganas venundantes gentes, quàm de panibus eorum absque ulla misericordia avidè deglutiebant, ex qua pestilentia plurima pars deficientes atque ruentes dissipati sunt; ènsuper ignobilium vulgus catervámque cruentorum nequiter congregantes, non intermittebant cotidie nefandas perpetrare neces. Unde dum in Ecclesia quadam die Missarum celebrarentur solemnia, & eâdem horâ quidam Diaconus sanctum Christi Evangelium populis prædicaret, intus in eadem sanctuario, ab eorum impiissimis hominibus sanguis effusus est innocens, pro sacrificio laudis homicidium perpetrantes. Et dum ipsi certi existerent, quòd nos tales iniquas, tetras, atque perversas operationes, minimè illos in Christiano populo peragere sineremus, idcircò superbâ arrogantiâ elati, conati sunt, sine nostra scientia, ad vestros properare Regales obtutus, existimantes se per eorum infidelem atque iniquam fallaciam à fide puritatis & dilectione beati Petri & nostra vos separare, nescientes miseri & infelices, quia qui præcipui fideles ejusdem Dei Apostoli sunt, & vestri felicissimi Regni fideles sunt pariter; & qui ejus inimici esse videntur, vestri proculdubiò inimici sunt. Quapropter poscentes quæsumus vestram à Deo protectam Regalem Potentiam per beatum Petrum Apostolorum Principem, cui à Domino potestas ligandi solvendíque peccata in cælo & in terra data est, & ipsum sanctum Baptisma, quod inter nos per Spiritum Sanctum habere videmur, illarum procacitati vester præfulgidus aspectus & hilaris minimè manifestetur. Neque recipere ipsas nefandas vultu dulcissimo dignemini, sed tanquam inimicos beati Petri & vestros existentes, eorum superbam gloriationem respuentes. Ad nos dehonestati per fidelissimos Missos vestros humiliter veniant, ut omnia, quæ fati sumus, eorum comprobemus præsentiâ: quatenus qui agunt talia, iniqua atque perversa, per eos emendentur, & illibata oblatio, quæ à sancta recordationis genitore vestro Domno Pippino Magno Rege allata, & vestris præfulgidis Regalibus manibus in Confessione beati Petri, clavigeri Regni cælorum, oblata, atque nimirum confirmata sunt, inconcussa & immaculata in æternum permaneant, ut ante tribunal Christi ipse protector vester beatus Petrus Apostolus dignus retributor vobis appareat, & sicut in hoc terrenum Regnum unà cum præcellentissima sobole vestra & omnibus fidelibus Francis in triumphis pollentes tuetur & protegit, ita & in æatheriis arcibus cum Sanctis omnibus faciat sine fine regnare. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

XV. Quartâ [a] Regi commendat Abbatem Sancti Vincentii, falsò proditionis ab adversariis insimulatum. *Domno Excellentissimo filio nostróque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Dum tanto ex puro cordis amore omnes generaliter agnoscunt, quod erga beatum Apostolorum Principem Petrum fautorémque vestrum & nos crebrà fideliter vestra Regalis Potentia prorsus gerit, convenit nempe ex totis nostris præcardiis, quæ ad salutem pretiosissimæ animæ vestræ pertinent, libenti suggerere animo. Proinde salutantes paternam dilectionem indicamus vestræ præcelsæ Regali Potentiæ, quia cuncta Congregatio venerabilis Monasterii Sancti Christi Vincentii unam concordiam pro hoc simul habentes poposcerunt à nobis, ut nostris apicibus pro Abbate ipsorum, qui insons apud vos accusatus, intercede-*

[a] Epist. 79. Cod. Carol.

DE PAULO ABB. VINCENTINO.

AN. CH. 783. CAROLI R. 15. PIPPINI LUDOV. RR. 3.

remus; imò & per vestram præfulgidam jussionem exinde ablatus, vestris Regalibus vestigiis præsentatus, cum vobis in omnibus commendaremus, eò quòd nullo modo vestra Regali Potentia infidelitatis reum quispiam ex accusatoribus suis facere aut comprobare valebit, eo quòd omninò falsum ei crimen objicitur. Et ideo pro amore beati Petri, Regni calorum clavigeri, magnoperè petentes fiducialiter quæsumus, ut eum venusto vultu ac vibranti animo clementissimè recipere jubeatis. Justum quippe est, quemadmodum tam magnam Congregationem religiosis moribus suis regulariter atque naviter regere valuit, à vestris procelsis obtutibus sospitem absolvi, & in pristinum statum clementissimis jussis vestris, nobis poscentibus restitui, quia valdè idoneum ad commissum sibi officium seu vestra fidelitatis, sicut ab omni ejus Congregatione didicimus, eum agnovimus. Deus Omnipotens, in cujus manu omnia Regna mundi reguntur, ipse per suffragia Apostolorum Principis Petri, semper nos faciat de vestro Regali culmine latari, & in hoc mundo unà cum præcellentissima sobole vestra super omnes barbaras nationes dominantes longo avo Regni gubernacula fruere valeatis, atque in athereis arcibus cum Sanctis omnibus regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. Vincentinum hunc Abbatem non alium putamus à Paulo, qui Pothoni hoc eodem anno nupertimè successerat. In Chronico Vincentino [a] hæc leguntur de Pothone. *Poto Abbas S. Vincenti præfuit annis II, mensib. V. diebus XVI. Obiit X Kal. Maii, anno ab Incarnatione Domini DCCLXXXIII. Indict. VI.* Egent autem interpretatione, quam ad annum Christi septingentesimum octogesimum in obitu Hainradi jam præmisimus. Monasterium enim Potho gubernavit annis duntaxat duobus, mensibus quinque, diebus sexdecim, si Præfecturam ejus à quarto post Hainradi mortem die ordiaris. At, si muneris Abbarialis primordia repetas à tempore, quo se gessit Abbatem adversùs Autpertum, sex administrationis annos numeres oportet. De Paulo, quem Carolus magnâ prosecutus est benevolentiâ, non semel recurret sermo. Impræsentiarum observa talem eum fuisse, qualem Adrianus Papa Carolo Regi suis in literis delineavit.

[a] Lib. 1.

XVI. DEODATUS ARCHIEP. BITURIC. OBIT.

Deodatus Bituricensis Archiepiscopus, ut Auctor Patriarchii Bituricensis scribit, *Pontificatûs sui anno nono sanctè & piè moritur magnum sui desiderium apud Bituriges relinquens, utpote vir Deo gratus, hominibus amabilis, prudens, justus, clemens; pauperum, pupillorum, ac viduarum necessarius patronus, & defensor opportunus.* Demochares, Chenutius & Robertus annos quoque novem Archiepiscopo Deodato tribuunt, à notis autem Chronologicis abstinent hoc loco Sammarthani, quia Landrarium, Deodatum, Segolenum, & Davidem, quos prædicti Nomenclatores Berlanno præponunt, suis è locis nolunt movere, licèt Berlannum seu Bertellannum temporibus Pippini Regis sedisse fateantur. Deodato successit in Archiepiscopatum Ermenbertus, de quo plura post triennium dicemus.

SUCCEDIT ERMENBERTUS.

XVII. Obiit & hoc anno Petrus Papiensis Episcopus, cùm sedisset annos quinque. Lege quæ dicta sunt ad annos Christi septingentesimum septuagesimum-octavum [b] & septingentesimum octogesimum-secundum [c]. Petro subrogandum arbitramur Hieronymum, quem Ugbellus [d] hoc exornat encomio. *S. Hieronymus Papiensis non sine miraculo ad hanc Sedem vocatus est, siquidem mortuo decessore, quem ille Augustinum nos Petrum remur, cùm populus Clerúsque consensissent, ut novum Antistitem eligerent, vox pueri admonuit orantes, ut futura electioni omnes civitatis Sacerdotes advocarent. Posterâ die, cùm ibidem omnibus vocatis, ut sibi videbantur, Sacerdotibus, ad ferenda suffragia convenissent, ex admonitu ejusdem vocis sensere non adesse omnes. Aberat enim quidem Hieronymus Rector Ecclesia S. Maria ad perticas, quem cùm in cœtum Electorum eligendorúmque subitò compulissent, eadem vox illum esse, quem Papiensem Episcopum selegisset Deus, pronuntiavit. Itaque populus Clerúsque Hieronymum inauguratum ad divinum cultum evexerunt ad Sedem,* qui

[b] Num. 31.
[c] Num. 21.
[d] Tom. 1.

HIERONYMUS INSIGNI MIRACULO FIT EP. PAPIENSIS.

AN. CH. 783. CAROLI R. 15. PIPPINI LUDOV. RR. 3. XVIII.

qui posteà & sanctè vixit, & sibi creditam piè administravit Ecclesiam, claruitque miraculis.

Idem Auctor [a] obitum Thomæ Mediolanensis Archiepiscopi circa hunc annum collocat. Thomas ritus Ecclesiasticos optimè callebat, Ambrosianorum acerrimum se præbuit defensorem, ob innocentem vitam Carolo Regi percbarus fuit. Quiescit in Basilica Laurentiana. Successit in Archiepiscopatum Petrus, qui priùs Adriano Papæ fuerat ab epistolis, & stante adhuc Longobardorum Regno Legationem apud Carolum Francorum Regem obierat, ut initio hujus Tomi [b] dictum est. Lege Josepbum Ripamontium decade primâ [c] Historiæ Mediolanensis.

PETRUS FIT ARCHIEP. MEDIOLAN.

In Chronicis Frisingensibus ab anno Christi septingentesimo septuagesimo ad annum Christi octingentesimum decimum per annos quadraginta recensentur hi duo duntaxat Episcopi Frisingenses Aribo & Atto, quorum posterior sedet *annis 27*. Hoc igitur anno decessit Aribo, nec *annis 23*, sed annis tantùm 13 gessit Episcopatum. Lege Hundium in Episcopis [d] Frisingensibus. Multa de Aribone jam scripsimus. Hic literis commendavit vitam Sancti Corbiniani quam Tomo quarto examinavimus. Auctor Thassiloni Bojoariæ Præfecto fuit, ut eundem Sanctum Corbinianum Maiis *, ubi quiescebat, Frisingam transferret. Thassilo quandiu consiliis sapientissimorum Episcoporum Virgilii Salisburgiensis & Aribonis Frisingensis usus est, optimum egit Principem, post utriusque verò mortem defecit à Carolo Rege suæque perfidiæ pœnas mox luit, ut dicemus infrà.

XIX. EPISCOPI FRISINGENSES.

Auctor Armoricæ Sanctæ mortuos ait hoc anno duos Episcopos, Luchenardum Venetensem, qui sedit annos septemdecim, & Guyomarkum Leonensem, qui sedit annos duodequinquaginta. Lucheuardo subrogat hoc eodem anno Bilium, sed Guyomarko successorem ante annum sequentem nou attribuit.

XX. VENETENSES. LEONENSES.

Hoc anno, Caroli Regis decimo-quinto, mense Junio, Vulfricus Clericus munificum erga Monasterium Sancti Benigni se præbuit. Chartam Donationis Stephanus Perardus ita publicavit. *Sacrosancta Ecclesia Sancti Benigni sub oppido Divion. constructa, ubi ipse pretiosus Martyr requiescit in corpore, & venerabilis Domnus Waldricus Episcopus praesse videtur Pontifex, & David Presbyter Custos, ego in Dei Nomine Vulfricus Clericus, servus servorum Dei, cogitans quomodo misericordiam Dei invenire possem, & veniam peccatorum meorum consequi, destinavi de rebus meis aliquid conferre ipsi sancto loco, atque inibi Deo servientibus. Cedo igitur, cessúmque in perpetuum, ut permaneat volo, hoc est, quicquid in pago Divionensi in villa Dusmensi seu in Disto, quicquid ibidem visus sum habere, & de genitore meo Fulcario, quondam in legitima hæreditate ad me pervenit, aut pervenire potest, ei portio mea est, tam mansis & suprapositis campis, vineis, pomiferis, aquis, aquarúmque decursibus, sylvis, pascuis, exiis & regressis, totum ad integrum, à die præsenti, ad ipsum sanctum locum cedo, & de meo jure & dominatione in potestatem Rectorum ipsius Monasterii transfundo, ita ut ab hac die, quicquid ex ipsis rebus facere voluerint, liberam in omnibus habeant facultatem, absque alicujus contradictione. Si quis verò, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut ullus de hæredibus meis, aut quislibet ulla emissa persona, quæ contra hanc Donationem meâ voluntate factam venire aut calumniare voluerit, non valeat evindicare quod repetit, sed insuper inferat Rectoribus ipsius Basilicæ unà cum socio fisco, auri sol. v. & nichilominùs præsens hæc cessio, meâ voluntate facta, firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum Divione ad Basilicam Sancti Benigni publicè. Signum Vulfridi, qui hanc cessionem fieri & firmare rogavit. Signum Fulcomeri, fratris sui, qui consensit. Signum Erloini. Signum Benedicti. Signum Adalgaudi. Ego in Dei Nomine Leodonus Diaconus, rogatus scripsi, & subscripsi, & datavi, post Kl. Junias, anno XV. regnante Domino nostro Karolo Rege.* Waldricus, cujus mentio fit in hac Charta, dicitur Episcopus & Pontifex, quia Lingonensis est Episcopus

XXI. VULFRICUS CLERICUS MUNIFICUS ERGA MON. S. BENIGNI.

[a] Tom. 4. Ital. Sacr.
[b] An. 772. n. 35. & 773. n. 1.
[c] Lib. 9.
[d] Nn. 4. 5.
* Marsch.

AN. CH. 783. CAROLI R. 15. PIPPINI LUDOV. RR. 3.

& Abbas Sancti Benigni, ut ante triennium jam monuimus.

In eadem Diœcesi Reomaensis Abbas erat Valdo, cui Waldricus *tres Ecclesias Asiaci, Similiaci, & apud Vineas, ad Monachorum sustentationem addixit*, ut Petrus Roverius in Historia Reomaensis Monasterii scribit [a]. Hic Auctor suspicatur Waldricum è Lingonensibus Episcopis primum extitisse, qui Reomaense Monasterium hac locupletavit ratione, quam ab Abbate Valdone excogitatam sic affirmat. *Cùm rei familiaris angustiis Monastica disciplinæ ac ordinis incrementa præpedirentur, primus inter hujus Monasterii Abbates Valdo eam rationem excogitavit rei familiaris amplificandæ, quæ apud posteros subinde impendiò est propagata, ut nec Principis fisco, quod ad Sancti Joannis & Silvestri tempora factum docent Præcepta Clodovei & Clotarii, nec Episcopis onerosa esset Monachorum multiplicatio. Ecclesias enim in agris, vel conditas à Monachis, vel excultas, Monasterio in perpetuum attribui depoposcit, ratus, quod eventus docuit, populum exemplis ac virtutibus Monachorum pellectum copiosiùs illuc suas seu decimas, seu dona alia convecturum, laxatísque angustiis plures ad Dei cultum & Ecclesiarum subsidium convolaturos. Placuit tum vulgo id inventum Episcopis. Itaque Valdoni, ut suspicor, primus è Lingonensibus Episcopis Guidricus, quem alii Gualdricum aut Valdricum efferunt, tres Ecclesias*, &c. ut suprà. De Regiis Clodovei Primi & Clotarii Primi Præceptis actum Tomo primo [b]. Clodoveus in sua Præceptione sic loquitur. *Monachis verò ibidem per diversas cellulas manentibus seu mansuris omnia necessaria secundùm numerum quo fuerint, à nobis, & successoribus nostris Regibus, ex nostro censu Regio præbeantur.* Et Clotarius. *Sumptus verò, quos genitor noster Monachis ad vestiendum, calciandúmque, & victum præbuit, similiter & nos nostríque successores Reges ex nostra camera vel fiscalibus reditibus Abbati Silvestro, ejúsque Monachis, & successoribus liberaliter conferemus.*

XXII. Nova ratio ditandorum Monasteriorum.

[a] In Abb. 15.

[b] An. 496. n. 121. & seqq. an. 539. n. 22.

XXIII. Abbates Condatescens.

Guichenonus in Episcoporum Bellicensium Catalogo, cùm de Sancto Hippolyto Condatescensi Abbate ac Bellicensi Episcopo sermonem instituit, Condatescense Chartularium sic allegat. *Sanctus Hippolytus fuit Abbas istius Cœnobii annis 26. Hic postmodum fuit Episcopus Bellicensis, & quamdiu fuit in humanis cum Bellicensi Ecclesia dictum rexit Cœnobium. Fuit autem temporibus Pipini & Caroli Francorum Regum. Hic expleto vicesimo-sexto anno sui regiminis feliciter migravit ad Dominum, sepultúsque fuit in Ecclesia Sancti Eugendi.* Hippolytus, de quo sæpè mentionem superiore Tomo fecimus, factus est Abbas Condatescensis anno Christi septingentesimo quadragesimo-primo, Bellicensis Episcopus anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto; Bellicensem Episcopatum & Condatescense Monasterium annis proximè sequentibus simul rexit.; Episcopatum Bellicensem abdicavit anno Christi septingentesimo quinquagesimo-septimo, deinceps solum Condatescense Monasterium ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum-tertium per annos sex ac viginti gubernavit, id est, per annos undecim Pippino Franciæ tunc Monarchâ, per annos tres Rege Carolomanno cui Burgundia parebat, per annos duodecim Carolo Franciæ Monarchiam post fratris mortem consecuto. Carolomannus omittitur in præcitato textu, soli recensentur Reges Pippinus & Carolus, quia Carolomanni, cujus Principatûs triennis tantùm fuit, nullum in Archivo Condatescensi repertum Præceptum, reperta verò plurima cùm Pippini tum Caroli. De Pippininis actum sub Pippino, de Carolinis idem Auctor ex eodem Chartulario hæc subjungit. *Carolus verò Rex tempore istius Sancti* Hippolyti *dedit ipsi Cœnobio villam Quintiniaci cum appenditiis suis, in quibus villis prælibatus Sanctus Prioratus construxit, & dictas villas ipsis Prioratibus applicavit retentâ ipsi Cœnobio certâ pensione annuatim perpetuò reddendâ, insuper verò prælibatus Carolus Rex indulsit ipsi Cœnobio authoritatem cudendi monetam, & omnia Privilegia per Imperatores & Francorum Reges ipsi Cœnobio concessa confirmavit & expressè renovavit.* Colitur Sanctus Hippolytus duode-

cimo Kalendas Decembris. Ei successit in administrationem Monasterii Riebertus.

XXIV. VEDASTINI.

Apud Locrium in Chronico Belgico, Sigibertus anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio fit Abbas Vedastinus, vitámque claudit anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo, nec ei successor ante annum Christi septingentesimum octogesimum-tertium datur *conquiescente perturbato rerum Ecclesiasticarum statu à morte Leonis Quarti*, quæ anno Christi septingentesimo octogesimo contigit, *sensímque virtute Caroli Magni compressis tumultibus, & confectis magnâ laude bellis, dum melioris auræ spes in dies affulget*. At Sigibertus, ut Tomo superiore probavimus, anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo curam Cœnobii suscepit, nec Abbatiale munus post ejus mortem vacavit ob rerum Ecclesiasticarum statum à Leone Augusto perturbatum, quid enim commercii fuit Orientis Imperatori cum Monasterio Vedastino? Sigibertum igitur existimamus Abbatem extitisse ab anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo ad hunc usque annum, quo Radfridus ejus successor in Chronico Vedastino sic commendatur. *Radfridus anno dati mundo Servatoris 783 creatus Abbas explevit desiderium Pastoris, cum se re ipsâ exhibens, quem dignitate referebat.*

XXV. DUPLEX CHIEMENSE MON.

In Chronicis [a] Salisburgiensibus Ecclesia Monasterii Chiemensis hoc anno dedicatur. Erat autem duplex Chiemense Monasterium; unum virorum, de quo sub finem Tomi superioris locuti sumus [b]; alterum puellarum, vulgò *Frawenword*, de cujus origine & Abbatissis usque ad Irngardam Ludovici Regis cognomento Germanici neptem sic Henricus Rex in Diplomate, quod apud Hundium [c] anno Christi millesimo septuagesimo-septimo, Indictione primâ, datum legitur. *Ad solam Dei gloriam & laudem, ob salutem animæ, ob remedium peccatorum suorum, Thessalo Rex* (ab iis, qui gluriæ cùm Caroli Magni tum Francorum invident, Thessalo seu Thassilo *Rex* appellatur, qui Dux tantùm seu Præfectus Bojoariæ sub Regibus Francorum fuit) *Chiemensem substituit & fundavit Ecclesiam. Substituit, inquam, prædiis his dotavit, Evenhausen, Leuchtental, Schonsteten, Tegingen, Sapienzmunster, Puech, Fraunhoven, Hofnaim, Fridlfingen, Fraundorff, Palchingen. His verò, ut dictum est, dotavit, aliisque pluribus. Dotavit & perfectissimam libertatem dignâ & religiosâ institutione, cum judicio in Insula sua, quæ Nunwerd dicitur, & in omnibus Hofmarchiis suis, ritè & legitimè habendo, sicut aliud Regale Cænobium tenetur, liberè & principaliter eidem Ecclesiæ tradidit, & solis tantùm Regibus in tutelam & patrocinatum decrevit. In hac libertate ad Carolum usque Regem successorem suum pervenit, à Carolo usque ad Ludovicum Regem, qui ob . . . . . ejusdem Ecclesia, quam sibi præ.ceteris habuit specialem, filiam suam Irngardam ibidem præfecit Abbatissam.* Porrò quam Chronica Salisburgiensia factam hoc anno Chiemensis Ecclesiæ Dedicationem testantur, de Monasterio virorum intelligendam censemus.

[a] Tom. 6. antiq. Lect.
[b] Ad an. 771. num. 40.
[c] Tom. 2.

AN. CH. 784.
CAROLI R. 16.
PIPPINI LUDOV. RR. 4.

ANNUS		
CHRISTI		784.
CAROLI	R.	16. 13. 11.
PIPPINI II.	R.	4.
LUDOVICI	R.	4.

I. EINHILDIS ABBATISSA ERGA SUUM MON. MUNIFICA.

OCTAVO Kalendas Aprilis, anno decimo-sexto Caroli Regis, id est, anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto secundùm nostram computationem, annum enim à Kalendis Januariis inchoamus, aut anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio, si principium anni petis à Pascha quod tertio Idus Aprilis anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto celebratum est, Monasterio *Milize* Donationem insignem fecit Einhilt illius loci fundatrix primáque Abbatissa. Donationem illam liber secundus [a] Traditionum Fuldensium sic exhibet. *In Nomine Dei Summi. Ego Einhilt * Abbatissa, memor humana conditionis, quia brevis vita hominis super terram, totam me in futuram extendens, & ad superna erigens, ubi nostra abscondita cum Christo vita in Deo est, atque ut amplior mihi portio in terra viventium reddatur. Quocirca propria hareditatis mèa terram in diversis videlicet locis tam paterno quàm & de materno jure ad me pertinentem dono, trado atque concedo, pro anima mea remedio, Omnipotenti Salvatori nostro Deo, & Sancta Dei Genitrici Maria, atque ancillis Dei, qua in Monasterio meo ad Milize, die noctúque Domina Deo, sub Regula Sancti Benedicti deserviunt, & stabilitatem ibi habent promissam, & in anteà promittunt, his etiam ista Donatio & Traditio firma permaneat & stabilis, id est, in loco, qui priscarum vocabulo dicitur Milize, & in Hendingen, & in tribus hobeimis in Sulzdorfe, & in geochusis, & in tribus percubis, in conquisito & in paterno, & in Wielantesheim, & in Helidongam, & in aliis locis quamplurimis, qua paterni & materni juris mei, & mei proprii conquisitûs sunt; unà cum domibus, adificiis, mancipiis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmque decursibus, cum pecuniis omnis generis, cum mobilibus & immobilibus, cum omni adjacentia eorum, & cum Monasterio super posito, qua ego ipsa proprio labore construxi & adificavi, omnia ad integrum sine ullius hominis prajudicio, sanâ mente sanóque consilio, ut suprà dixi, dono, trado, atque transfundo Omnipotenti Salvatori nostro Deo & Sancta Dei Genitrici Maria, & ancillis Dei, qua in isto Monasterio rectè & regulariter, secundùm Regulam Monacharum * Dei fideliter sine ulla falsitate deserviunt, & nullam unquam volunt vagandi habere potestatem de isto Monasterio, sed semper stabiles hic & firma permanent. In ea tamen ratione, ut, dum advivo, Monasterium hoc habeam semper sine ullius contradictione hominis, & post obitum itaque meum atque de hac luce discessum, tum Congregatio ipsa hanc Donationem habeat, teneat, atque possideat, quam ego nunc, testibus coràm astantibus, trado Domino Deo, & Sancta Maria, ad illas Sancta Maria Reliquias, qua propria mea sunt, qua ego ipsa conquisivi, & qua in ipsa capsa mea propria sunt, & Chrismale, ad quas ancilla Dei, qua in hoc eodem Monasterio Domino deserviunt, votum primitus Sanctitatis & Monastica conversationis & Religionis ordinem promiserunt, & quicquid proprium & terris & mancipiis & aliis rebus habuerunt, donarunt. Hac verò Congregatio prafata, ut dixi, post obitum meum habeat potestatem cum consilio Sacerdotum, id est, spiritalium Magistrorum de ipsa familia talem sibi Abbatissam eligere, qua secundùm Deum ipsam Congregationem firmiter regat & custodiat, qua non dissipet, sed plantet, adificet & corrigat, &*

[a] Tradit. 38.
* Einhilt.
* Monacharum

*ad potestatem aeterna beatitudinis ipsam Congregationem adducat, incitet atque erudiat. Utensilia verò Monasteris mei ex parte ad ipsum Monasterium dono, ex parte verò pro anima mea remedio, Episcopis, Presbyteris, Monasteriis, pauperibúsque erogentur. Hac verò omnia subtus à me denominata, ad ipsas Jesu Christi & Sancta Maria Reliquias, qua propria, sine communione ullius hominis mea sunt, ut dixi, veraciter pertineant, in quibus non est communio cum Reliquiis illis, qua in altari sunt: quamodo, qua in illa capsa sunt, singulariter mea sunt: & omnes Donationes, qua nobis in commune tradita fuerunt, ad ipsas omnimodis sunt donata, & ad illas nunc spontanè tradidi, qua suprà scripta sunt, & trado, qua subsequuntur, id est, patinas argenteas, & calices offertorios, & thuribula, capsas, & cruces, fabricoturam altaris, & omnia indumenta altarium, & Missarum vestimenta, cortinas, & aqua manilia, urciolos, necnon & conchas, & diversorum Patrum Sanctorum veteris & novi testamenti libros quamplurimos, culcitras & cervicalia, omnia verà alia, qua remaneant, ita dividentur, ut pradixi, id est, lectaria, sive villosi, sive manutergia, sive canifelli, sive cujuscunque sint vestimenta, linea vel lanea. Hanc verò Donationem ita firmare & roborare curavi, ut ab omni secularium hominum potestate sit separata, & in Sororum potestate in commune Deo, sub Regula Sancti Benedicti Patris, servientium post obitum meum permaneat. Si quis verà, quod fieri non credo, si ego ipsa, aut aliquis de haredibus aut proharedibus * meis aut alia ulla apposita persona, qua contra hanc Donationem meam venire conata fuerit, aut eam infringere voluerit, iram Dei Omnipotentis incurrat, & Sancta Dei Genitricis Maria offensam; insuper inferat juxta pœnam seculi cum cogente fisco partibus ipsius Ecclesia aut Agentium suorum auri libras duas, argenti pondera quinque esse multandos, & quod repetunt, evindicare non valeant, sed prasens Donatio ista omni tempore firma & perennis maneat testium & manumissorum substipulatione subnixa. Actum in vico publico & villa qua dicitur Milize, anno Incarnationis Christi* DCCLXXXIII. *& anno Regni Domini nostri Caroli Regis Francorum* XVI. *die quo fecit mensis Martii die* XXV. *Isti sunt testimoniales, qui viderunt istam Donationem, Roggo Comes, Gundacar, Nercolf, Friccheo, Nordberath, Nordin, Egeold, Hemming, Liutfrid, Ercanberi, Hariger, Otperaht, Fresco, Hrogger, Wigperaht, Hoz. Notitia qualiter postquàm ista Donatio facta fuerat, Eboracar ille Comes, & Hruodharto, & Job, & Roggo ille Comes, portiones illorum, quas habuerunt in villa basilica ad Milizes unà cum Reliquiis, qua sunt in illo altari, & terris ac mancipiis, quantùm partes eorum illis hareditarunt, & quantùm ad illos pertinebat, totum & ad integrum tradiderunt coram testibus & regenburgis ad ipsas Reliquias, quas Einhildis Abbatissa donavit & tradidit illis nonnanis ad Milize, quorum nomina subter scripta sunt, qui omnia hac viderunt & veraciter videndo cognoverunt. Ego Einhildis Abbatissa hanc donationem à me factam subscripsi. ✠ Signum Williboldi Episcopi, qui hanc Donationem Einbilda Abbatissa subscripsit. ✠ Signum Eburacar Comitis. ✠ Signum Job.* Ceteris parcimus subscriptionibus, numerum enim implent trium ac triginta, quarum hæc est postrema. *Ego Theolalfus Presbyter scripsi * rogatus ab Einhilde Abbatissa.* Observanda præcipuè Willibaldi Episcopi subscriptio. Ex ea quippe deprehendimus in Eystettensi Diœcesi, cui Willibaldus præerat, situm *Milize* Monasterium, atque hoc adhuc anno in vivis ipsum fuisse Willibaldum, quem plerique anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, ætatis septuagesimo-septimo, Pontificatûs tricesimo-sexto mortuum contendunt. Hæc opinio Willibaldum anno Christi septingentesimo quadragesimo-quinto Episcopum ordinatum supponit, at ordinationem illam triennio antevertendam probavimus Tomo superiore [a], nec dubium, quin Willibaldus ut ætatem suam ultra septuaginta-septem annos sic & Præsulatum ultra sex ac triginta protogarit, annos enim jam natus erat unum & quadraginta, cùm promotus est ad Episcopatum, annóque decimo-sexto Caroli Regis atque etiam seriùs superstes vixit.

* pro haredibus

* rogatus scripsi.

[a] An. 742. nn. 12. & seqq.

AN.CH. 784. CAROLI R. 16. PIPPINI LUDOV. RR. 4.

II. Hoc eodem nanno DCCLXXXIV *Carolus Rex ad Lippaham transivit unà cum Francis Rhenum, & devastavit Saxones*, ut habet Annalista Nazarianus. Suffragatur Petavianus paulò fusiùs, sic. DCCLXXXIV. *Iterum Domnus Rex Karolus venit in Saxoniam, terram illam vastantes, & destruentes omnia. Et eodem anno verni temporis obsedit Domnus Rex Karolus Herisburgo, & Franci sederunt in gyrum per borderes.* Observat Loiselianus celebratum à Carolo Pascha in Haristallio, deinde bellum, quod hoc anno gestum est, ita describit. *Rebellati sunt iterum Saxones solito more, & cum eis pars aliqua Frisonum. Tunc deinde Domnus Carolus Rex iter peragens, Rhenum transiit ad Lippiam, & ingressus est Saxoniam circuiendo & vastando, usquequò pervenit ad Huculin. Ibi consilio inito, eò quòd nimiùm inundationes aquarum fuissent, ut per Thoringiam de Orientale parte introisset super Ostfalaos, & filium suum Domnum Carolum dimisisset una cum scara contra Westfalaos. Quod ita factum est. Domnus Rex Carolus perrexit per Thoringiam usque ad fluvium Albiam, & inde ad Stangfurd, & inde ad Scaingi. Ibique conventione factâ, reversus est in Franciam supradictus Gloriosus Rex. Wesffalai verò voluerunt se congregare ad Lippiam. Quo audito, supradictus filius Domni Caroli Regis obviam eis accessit una cum scara, quæ cum eo dimissa fuit in pago, qui dicitur Dragini, & inierunt bellum. Auxiliante Domino, Domnus Carolus filius Magni Regis Caroli victor extitit unà cum Francis, multis Saxonibus interfectis. Volente Deo inlæsus remeavit ad genitorem suum in Warmatiam civitatem. Ibique inito consilio cum Francis, ut iterum hiemis tempore iter faceret supradictus Domnus Rex in Saxoniam. Quod ita & factum est. Et celebravit Natalem Domini juxta Skidrioburg in pago Wanzanaga, super fluvium Ambra, in villa Luidi.* Huic Annalistæ consentiunt, Laureshamensis, Bertinianus ac Metensis. Carolus Caroli Regis filius, cùm de Westfalis triumphavit, octo duntaxar annorum puer erat. In epistola, quæ Sancto Ludgero perperam adscribitur, multa de bello Saxonico reperies ad annum superiorem scripta, quæ consultò prætermittimus, quia Caroli Junioris victoriam uno anno antevertunt, abundéque jam refutata corruunt ex eis, quæ de Monasterio Werdensi seu Swibertino diximus. Lippiæ & Ambræ fluminum vicini sunt fontes in Diœcesi Paderburnensi; Lippia scaturit apud *Lipsspring*, apud *Emmerborn* Ambra vulgò *Emmer*; Lippia fluit ab ortu ad occasum, ut in dexteram Rheni ripam sese exoneret; ab occasu ad ortum, ut sinistram Visurgis ripam subeat, fluir Ambra per pagum, cui nomen olim *Huthagoe* & *Wanzannaga*, rigárque Steinhemium, Sehiram * antiquis *Schidiebrug*, & Ludam * priscis *Liudi*. Res hoc anno gestas in Saxonia sic perstringit Auctor Chronici San-Dionysiani. DCCLXXXIV. *Carlus tribus vicibus regressus est in Saxonia, & ibidem commoratus.* At Auctor Appendicis Chronico Nibelungi subjectæ duas tantùm ad hunc annum in Saxoniam impressiones Caroli memorat. *An.* DCCLXXXIV. *Iterum Rex perrexit in Saxoniam per duas vices.* Adstipulatur Auctor Chronici Moissiacensis. Lectis hisce Scriptoribus, qui simul convenire non videntur, quæres utrùm per duas, an verò per tres vices hoc anno Carolus in Saxoniam exercitum duxerit. Ambas autem opiniones facilè conciliabis, si Francos hoc anno dixeris in Saxoniam ter irrupisse, semel duce Carolo Caroli Regis filio, bis duce ipsomet Carolo Rege.

SAXONES FUGANTUR A CAROLO R. ET AB EJUS FILIO CAROLO.

* Schier.
* Lude.

III. In Appendice ad Nibelungi Chronicon, hoc anno mors trium clarissimorum virorum sic consignatur. *Helmericus Abba, & Folradus Abba, & Albricus Episcopus, obierunt.* Item in Chronico Moissiacensi, ubi iidem Abbates nominibus nonnihil mutatis *Olimricus* & *Fulradus* appellantur. De Helmerico sive Olimrico, qui curam Laureshamensis Monasterii post Abbatis Gundelandi mortem anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono suscepit, id unum ex Chronico Laureshamensi subnectendum hic habemus ad nostræ Chronologiæ confirmationem, quòd obiit *expletis in regimine annis* V. Successit

ABBATES LAURESHAM.

AN CH. 784. CAROLI R. 16. PIPPINI LUDOV. RR. 4.

ei Richbodo, cujus encomium in eodem Chronico sic legitur. *Substituitur Richbodo, vir planè dilectus Deo & hominibus, simplex & sapiens, atque tam in divinis quàm in secularibus disciplinis adprimè eruditus. Deinde per * annos decem in Archiepiscopatum Treverensem à piissimo Rege Karolo provectus, præsedit ibidem annos* x, *menses* VIII. *Qui statim in primordio destructis ligneis domibus, in quibus fratres catenus commanebant, in Aquilonali videlicet parte, claustrum muris circumdans ad Meridianam partem, uti nunc videtur, transtulit. Dormitorium quoque cum Ecclesia triplici fecit, cancellos circa requiem beati Nazarii ex auro argentóque mirificè vestiens, pavimentum etiam caram altari varia stratum marmore sublimavit. Præfuit Laureshamensi Monasterio annis* XX, *mensibus* VIII. *Treveris defunctus, Laurissa sepultus est.* Hic textus nævo non caret, quia Richbodonem Laureshamensem Abbatem cum Richboldo Metropolita Trevirensi confundit, innuit enim Richbodonem Abbatem Laureshamensem extitisse annis decem, deinde & Archiepiscopum Trevirensem annis quoque decem mensibúsque octo, donec obiit anno Christi octingentesimo quinto, cùm Laureshamense Monasterium ab anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto per annos viginti mensésque octo gubernasset. At anno Christi septingentesimo nonagesimo-quarto, quo Richbodo Laureshamensis Abbas decimum sui regiminis annum absolvit, Sedes Metropolitana Trevirensis haud vacavit, eam enim Richboldus Archiepiscopus ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-sexto ad annum usque Christi octingentesimum quartum per annos duodetriginta tenuit.

* legendum post

IV. FULRADI ABB. S. DIONYS. OBITUS.

Fulradus Abbas San-Dionysianus, quem sæpè laudavimus, maximis rebus pro Ecclesia Dei gestis, ac vitâ sanctè peractâ, præmium laborum suorum à Domino perceptutus, in cælos hoc anno migravit. Atque ex hac epocha multæ in Antiquitatibus. San-Dionysianis [a] refelluntur Chartæ, sive anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto, sive annis Caroli regnantis in Francia, vicesimo-secundo, vicesimo-tertio, tricesimo-tertio, & quadragesimo-quarto, Fulradum in vivis superstitem fingunt. Antequàm Abbas Sancti Dionysii fieret, multa Monasteria Cellásque cùm in Alsatia tum in Alamannia & in Diœcesi Metensi construxerat. Hæc autem omnia Monasterio San-Dionysiano agri Parisiensis subjecit. Id posteà sic testari sunt Episcopi apud Vermeriam anno Christi octingentesimo quinquagesimo-tertio, Indictione primâ, mense Augusto, congregati. *Cùm inter cetera Ecclesiastica negotia de ordinabili dispositione Monasterii S. Dionysii dispaneremus, venerunt Monachi ipsius sacri Cœnobii in præsentia veneranda Synodi, deferentes auctoritates, videlicet Testamentum, quod Sanctæ Recordationis Abba Fulradus, de Monasterio Lebbraha, ubi Sanctus Alexander Martyr quiescit humatus, & de Cella, quæ ad Sanctum Hippolytum nominatur, seu de aliis rebus, quas per idem Testamentum isdem Venerabilis Abbas Sancto Dionysio contulerat.* Illud Testamentum ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-septimum [b] descripsimus. Obiit Sanctus Fulradus decimo-septimo Kalendas Augusti. Sepultus est in Æde San-Dionysiana. Quiescit tamen hodie Lebrahæ in Alsatia, ibíque solemni cultu decimo-tertio Kalendas Martii celebratur. Inde orta inter Neotericos controversia, cùm super obitûs die, tum super loco sepulturæ. Diem Argentogilense Necrologium sic notat. XVII *Kal. Augusti obiit Domnus Fulradus nostræ Congregationis Monachus & Abbas.* In Cœnobio igitur Lebrahensi non obitûs sed Translationis dies recolitur. Eò translatæ sunt Reliquiæ è Monasterio San-Dionysiano. Certè Alcuinus Fulradum in Basilica Sancti Dionysii tumulatum non obscurè innuit his versibus.

Presbyter egregius, valdè & venerabilis Abba,
Strenuus actu, opere, pectore, mente pius:
Corpore Fulradus tumulo requiescit in isto,
Notus in orbe procul, noster in orbe Pater.

[a] Lib. 3. c. 6.

[b] Num. 8.

SEPULTURA.

AN. CH. 784. CAROLI R. 16. PIPPINI LUDOV. RR. 4.

Inclytus iste sacra fuerat Pastórque Capella:
Hic decus Ecclesia, promptus in omne bonum.
Hac domus alma Dei magno est renovata decore,
Ut cernis, Lector, tempore quippe suo.
Iste pios Patres magno dilexit amore,
Relliquias quorum hac domus alma tenet.
Credimus idcircò cælo societur ut illis,
In terris quoniam semper amavit eos.

V. Clariùs in Epitaphio Maginarii, qui Fulrado proximè successit in regimen Monasterii, & prope eundem Fulradum, Magistrum quondam suum, conditus fuit.

Hic sit sub pedibus tibi, Maginare, Magistri
Jam sacra mundanis temporibus requies.
Te pius ille Pater teneris nutrivit ab annis,
Tu quoque successor ejus honoris eras.
Hoc (heu!) perparvum rexisti tempus ovile:
Floribus in mediis mors mala te tulerat.
Sed quem Christus amat, illi mors nulla nocebit:
Post mortem meliùs vivit in arce poli.

VI. Sancti Fulradi temporibus, ut ex ejus Epitaphio liquet, Ecclesia Sancti Dionysii *magno est renovata decore.* Opus à Pippino cœptum, augustiùs à Carolo consummatum docet verus Anonymus [a], qui de Sancti Dionysii Miraculis libros edidit à nobis ad ejusdem rei confirmationem sub utroque Rege jam allegatos. Idem Auctor [b] Magenarinm seu Maginarium Sancti Fulradi proximum successorem sic exhibet. *Tempore Magenarii Abbatis, qui, Fulrado feliciter decedente, Cœnobio suffectus est, civis quidam Parisiacus*, &c. Is est Maginarius, quem Legatione apud Papam cum Irherio jam functum observavimus [c].

[a] Lib. 1. c. 14.
[b] Lib. 1. c. 19.
SUCCESSOR,
[c] An. 782. num. 5.

VII. OFFICIA. Erat Fulradus Caroli Regis Archicapellanus & Apocrisiarius Sedis Apostolicæ, ut de proximis successoribus Engelramno & Hildiboldo restatur Sirmondus in notis ad quinquagesimum-quintum Canonem Synodi Francofordiensis, ubi de Hildebaldo sive Hildiboldo Archiepiscopo Coloniensi sic ait. *Fuit, ut ex hoc loco apparet, Caroli Regis post Angilramnum summus Capellanus, & Apocrisiarius Apostolica Sedis.* Utrumque munus sub uno Apocrisiarii nomine complectitur Hincmarus Remensis Archiepiscopus in Opusculo [d] ad Proceres Regni pro Institutione Carolomanni Regis. Magna tamen inter Archicapellanos Regii Palatii & Apocrisiarios Romanorum Pontificum differentia. Reges Francorum suos olim habebant Archicapellanos, qui Romanæ Sedis Apocrisiarii neutiquam erant; & Romani Pontifices Constantinopolim suos mittebant Apocrisiarios, qui non erant Imperatorum Archicapellani. Apocrisiarii Romanæ Sedis in Francia visi non sunt ante Gregorii Tertii Pontificatum, qui per Nuncios seu Legatos aut Apocrisiarios apud Carolum Majorem-domûs, penes quem Franciæ tunc anarchiâ laborantis erat omnis administratio, bis egit anno Christi septingentesimo quadragesimo-primo, ut rejecto Longobardorum fœdere partes Imperatoris amplecteretur, & auxilio consilióque Romanis esset. Qui Romanum Pontificatum post Gregorium Tertium gesserunt, ii frequentius Nuncios direxerunt in Franciam, résque statim eò devenit, ut præter Legatos, qui pro novis causis emergentibus Româ mittebantur, Apocrisiarius Apostolicæ Sedis in Comitatu Regis assiduè maneret, nec raro id muneris à Romano Pontifice collatum est ei, quem Rex Archicapellanum Palatii sui constituerat. Fulradus ut Pippini ac Caroli Regum sic & Stephani Papæ Tertii successorúmque sibi conciliavit amicitiam, & in gravissimis negotiis utilitatem Sedis Apostolicæ procurandam semper suscepit, unde contigit ut & Regis Archicapellanus & Apocrisiarius Papæ fieret.

[d] Opusc. 14. cc. 12. & seqq.
ARCHICAPELLANUS ET APOCRISIARIUS DIFFERUNT.

Hincmarus

AN. CH. 784.
CAROLI R. 16.
PIPPINI LUDOV. RR. 4.

VIII.
OFFICIUM APOCRISIARII.

Hincmarus Apocrisiarium interpretatur *Responsalem negotiorum Ecclesiasticorum*, & exordium hujus ministerii repetit à tempore, quo Constantinus Magnus relictâ Româ Byzantium migravit, ibique Sedem Imperii sui collocavit, & *Responsales tam Romanæ Sedis, quàm & aliarum præcipuarum Sedium in Palatio pro Ecclesiasticis negotiis excubabant.* Ἀπόκρισις *responsum* significat, & ἀποκρίνομαι Latinis est *respondeo*, idcóque Apocrisiarium interpretes *ad Responsum* & *à Responsis* dicunt. Nonnulli Dynamium & Candidum Apocrisiarios seu Nuntios Gregorii Papæ Primi perperam vocant, eos enim in Galliis Rectores tantùm patrimonii seu patrimonioli fuisse constat ex ejusdem Gregorii Magni literis, quarum fragmentum, Tomo secundo [a] jam descriptum, denuò repetere non piget. *Quoniam Dynamius Patricius, qui ex nostra commendatione rebus ipsis sollicitudinem impendebat, eas modò gubernare, ut cognovimus, non potest, ne patrimoniolum ibidem constitutum faciente negligentiâ deperirèt, idcircò præsentium portitorem dilectissimum filium nostrum Candidum Presbyterum ad id gubernandum transmisimus.* Lege Peyratium in Antiquitatibus [b] Regiæ Capellæ. Hincmarus, quoniam eo tempore, quo scribebat, Apocrisiarius Apostolicæ Sedis ab Archicapellano Regii Palatii non distinguebatur, idem ab ætate Clodovei Magni factitatum putavit, & quos sub Meroveadis Regibus utroque munere functos censuit, ob Sedis Apostolicæ dignitatem Apocrisiarios appellavit, hoc certè loco corrigendus, quia in comitatu Meroveadarum Regum non erat Apocrisiarius Apostolicæ Sedis, erat autem Archiclericus seu princeps Clericorum Regii Palatii, qui, postquàm hæ voces, *Capella & Capellanus*, usurpari cœperunt, dictus est Capellanus & Archicapellanus, viri enim eruditi [c] Scriptorem, qui Capellæ nomine sit usus, haud agnoscunt antiquiorem Marculfo, qui medio seculo septimo duos formularum libros exaravit. Plura de Apocrisiario ante Fulradi Abbatis ætatem non opus est inquirere.

[a] Ad an. 595, num. 25.
[b] Lib. 2. c. 43.
[c] Peyrat. L. 1. cap. 3.

IX.
ARCHICAPELLANI TITULI ET OFFICIA.

Archicapellanus variis exornatur titulis, de quibus antiquos Auctores apud Peyratium [d] consule. *Capellanus, Archicapellanus, Capellanorum Primas, summus Regis Capellanus, summus Capellanus Palatii, sacræ Capellæ Primicerius, Pastor sacræ Capellæ, summus Capellanus, Antistes Palatii, sacri Palatii Clericorum summus, Archipresbyter Franciæ, Custos Palatii* vocatus invenitur. Ejus munus sub Apocrisiarii nomine describit Hincmarus in Opusculo suprà citato. *Apocrisiarius, quem nostrates Capellanum vel Palatii Custodem appellant, omnem Clerum Palatii sub cura & dispositione sua regebat.* Et paulò pòst, ubi Ministros Palatii, Capellanum videlicet, summum Cancellarium, Camerarium, Comitem Palatii, Senescalcum, Buticularium, Comitem stabuli, Mansionarium, Venatores principales quatuor, & Falconarium unum recensuit, ceteris Capellanum & Comitem Palatii sic anteponit. *Quamvis præfati Ministri, unusquisque de suo Ministerio, non sub alio, vel per alium, nisi per seipsum, solum Regem, vel quantùm ad Reginam vel gloriosam prolem Regis respiciebant, caput ponerent: non tamen omnes æqualiter de ceteris rebus vel ceterorum necessitatibus Regem adibant, sed mensurâ suâ quisque contentus erat, & ubi vel ubi ratio poscebat, solatium alterius requirebat. E quibus præcipuè duo, id est, Apocrisiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatii Custos, de omnibus negotiis Ecclesiasticis vel Ministris Ecclesiæ, & Comes Palatii de omnibus secularibus causis vel judiciis, suscipiendi curam instanter habebant: ut nec Ecclesiastici, nec seculares, priùs Domnum Regem, absque eorum consultu, inquietare necesse haberent, quousque illi prævidercnt, si necessitas esset, ut causa ante Regem meritò venire deberet. Si verò secreta esset causa, quam priùs congrueret Regi quàm cuiquam alteri dicere, eundem dicendi locum eidem ipsi præpararent, introducto priùs Rege, ut hoc juxta modum personæ, vel honorabiliter, vel patienter, vel etiam misericorditer susciperet.* Deinde hæc speciatim de Capellano proximè subjungit. *Apocrisiarius quidem de omni Ecclesiastica religione vel ordine, necnon etiam de Canonica vel*

[d] Lib. 2. c. 45.

AN. CH. 784. CAROLI R. 16. PIPPINI LUDOV. RR. 4. *Monastica altercatione, seu quacunque Palatium adibant pro Ecclesiasticis necessitatibus sollicitudinem haberet, & ea tantummodò de externis Regem adirent, quæ sine illo pleniùs definiri non potuissent. Ceterùm, ut non solùm de his, quæ ad eos specialiter de omni ornamento vel officio Ecclesiastico infra Palatium agenda pertinebant, verùm quoque & omnem consolationem spiritalem, sive consilium totius Palatii quicumque quæreret, apud eum, ut necesse erat, fideliter inveniret: & qui non quæreret, & tamen ipse apud aliquem necessarium esse sentiret, juxta personæ qualitatem, & à perverso sensu vel opere retrahere, & ad viam salutis convertere studeret. Et cetera spiritualia, quæcunque Palatia, tam ab assiduè conversantibus, quámque & à supervenientibus, sive secundùm Deum, sive secundùm seculum, ut providerentur & præviderentur, erant necessaria, quæ enumerare longum est, ad ejus specialiter curam pertinebant. Non ita, ut aliter ullus, sive Palatinus, sive externus superveniens, sapientiâ & verâ devotione per Dei gratiam illuminatus, tale aliquid minimè ageret: sed maximè consuetudo erat, ut aut cum eodem Apocrisiario pariter, aut certè per ejus consilium, quod erat agendum, ageret, ne fortè quid minùs utile aut indignum Regi subriperet.* Hæc Hincmarus è libello descripsit, cujus Auctor Adelhardus propinquus Caroli Regis. *Adelhardum*, inquit, *senem & sapientem Domni Caroli Magni Imperatoris propinquum, & Monasterii Corbeiæ Abbatem, inter primos Consiliarios primum in adolescentia mea vidi. Cujus libellum de ordine Palatii legi & scripsi, in quo*, &c.

X. EX QUO GENERE CLERICORUM ASSUMPTUS SUB MEROVEADIS RR. Qui sub Meroveadis Regibus exercuerunt Officium, de quo nunc agimus, fuerunt ex Episcoporum numero, sic enim scribit idem Hincmarus. *Per successiones Regum*, à conversione videlicet Clodovei Magni ad Pippinum usque Regem, *Sancti Episcopi ex suis Sedibus, & tempore competenti Palatium visitantes, vicissim hanc administrationem disposuerunt.* Frustrà quis igitur in texendo illorum Catalogo tempus insumat; nonnullos, ut occurrerunt, notavimus suis locis.

XI. SUB CAROLIDIS. *A tempore verò Pippini & Caroli interdum per Presbyteros, interdum per Episcopos Regiâ voluntate, atque Episcopali consensu per Diaconos vel Presbyteros magis quàm per Episcopos hoc Officium executum extitit: quia Episcopi continuas vigilias supra gregem suum debent assiduè exemplo & verbo vigilare, & non diutiùs, secundum sacros Canones, à suis abesse Parochiis. Neque juxta Decreta ex sacris Canonibus promulgata Beati Gregorii, Pratoria, quæ nunc Regia, & usitatiùs Palatia nominantur, debent inutiliter observare, ne incurrant judicium, ut contra Placita Canonum sibi in ordinatione sua tradita facientes, ipsi se honore privent Ecclesiastico. Et ut de licitis exempla ponamus, & de illicitè usurpatis non taceamus, tempore Pippini & Caroli hoc Ministerium consensu Episcoporum per Fulradum Presbyterum, tempore etiam Caroli per Engelramnum & Hildiboldum Episcopos, tempore denique Hludowici per Hilduinum Presbyterum, & post eum per Fulconem item Presbyterum, deinde per Drogonem Episcopum extitit hoc Ministerium executum.* Hæc idem Hincmarus. De solo Fulrado nobis hic agendum.

XII. Fulradus Archicapellanus fuit cùm Pippini tum Caroli, superstes enim Pippino Regi vixit, & anno Caroli Regis decimo-sexto vitam terminavit. Præcipuum hoc Regii Palatii Ministerium obivit *consensu Episcoporum*, quia Presbyter. Hincmarus enim Archicapellanos in duas distinguit classes, quarum unam Diaconi & Presbyteri, alteram Episcopi componunt, observátque Episcopum ad Archicapellani Ministerium assumi *Regiâ voluntate, Episcopali* verò *consensu* Diaconum potiùs aut Presbyterum quàm Episcopum, licitè quidem Diaconum vel Presbyterum, at Episcopum illicitè, *quia Episcopi continuas vigilias supra gregem suum debent assiduè exemplo & verbo vigilare, & non diutiùs, secundùm sacros Canones, à suis abesse Parochiis.* Fulradus in eadem sententia versabatur, & veritus, ne præter voluntatem suam Episcopus ordinaretur, Romanum Pontificem, ut id fieri prohiberet, supplex rogavit. Id patet ex Apostolico Diplomate, quod Tomo superiore [a]

LAUS FULRADI.

[a] Ad an. 757. num. 2.

AN. CH. 784.

CAROLI R. 16. PIPPINI LUDOV. RR. 4.

ANGELRAMNUS EP. METENS. FIT ARCHICAPELLANUS.

HUIC PAULUS DIACONUS DICAT LIBRUM DE METENSIBUS EPISCOPIS,

[a] Num. 10.

ET AB INVIDIS ACCUSATUS MITTITUR IN EXILIUM.

desetipsimus. *Et hoc*, inquit Stephanus Papa Tertius, *Beati Petri Principis Apostolorum anctoritate promulgantes sancimus, ut nullomodo Concilium Episcoporum & laicorum, absque voluntate Excellentissimi filii nostri Pippini Regis, vel tua dilectionis, Deo amabilis vir, te audeat quoquomodo Episcopum consecrare.* Ab exemplo Sancti Fulradi recessit ejus successor Angelramnus, qui, cùm Metensis Episcopus ab anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo jam esset, retento Episcopatu Archicapellanus Regis & Apocrisiarius Apostolicæ Sedis esse non noluit, ut liquet ex Hinemari textu jam eitato, & ex Canone quinquagesimo-quinto Synodi Francofurtanæ, de quo fusiùs alibi. Sub hoc tempus Angelramno librum de Metensibus Episcopis obtulit, ac paulò pòst in exilium missus est Paulus Diaconus. Lege quæ per antecessum ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-tertium [a] dicta sunt aliâ occasione. *Paulus à puero liberalibus disciplinis eruditus, maximam ob præstantem industriam apud Regem* Longobardorum *Desiderium familiaritatis gratiam invenit, atque Aquilegensis Patriarchii Diaconus fuit. Captâ verò*, ut ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum observavimus, *Papiâ urbe, cùm Regi* Francorum *Carolo pro sua prudentia carus admodum, ac familiaris factus esset, accusatus est ab invidis apud Regem, quòd ex affectu Desiderii, illi pararet insidias. Quem cùm Rex comprehensum adduci ad se jussisset, interrogat an vera sint, qua de illo dicerentur. Tum ille constanter se Domini sui fidelissimum asseveravit, & in eadem fide, quoad viveret, perseveraturum. His auditis, Rex irâ succensus, jussit illi incunctanter manus abscidi. Sed continuò mutatâ sententiâ, memor illius sagacitatis atque prudentia, suspiránsque, & si, inquit, ei manus abscindimus, ubi tam elegantem Scriptorem reperire poterimus? Atque ad Proceres conversus, quidnam de tali viro agendum esset, percontabatur. Illi eruendos ei oculos monebant, ne ullas adversùs Regem litteras scriberet. Et ubinam, ait ille, vel quando talem reperiemus Historicum? Illi verò Regis clementiam propensámque ad virum pietatem attendentes, suaserunt ut illum apud Diomedis Insulam, (qua hodie Trimiti dicitur) exilio relegaret. Sicque factum est.* Hæc Leo, libro primo Chronici Casinensis, capite decimo-septimo in vulgatis exemplaribus, decimo-quinto in editione Angeli de Nuce. Anonymus Salernitanus Paulum non per invidiam sed seriò accusatum refert, quòd *Regi Carolo mortem molitus* esset *pro sui Regis Desiderii fide.* Textus ex Leone suprà descriptus, ab Angelo de Nuce sic profertur. *Hic post captam Papiam, cùm Regi quoque Hcarolo pro sua prudentia admodùm carus & familiaris effectus esset, ac non multò pòst accusatus eidem Regi fuisset à quibusdam invidis, quòd eum propter fidelitatem Desiderii Domini sui voluisset occidere, fecit eum idem Rex comprehendi, & coram se adduci. Quem cùm interrogasset, utrùm vera essent, qua super morte sua de eo dicerentur, constanter respondit, se pro certo fidelissimum Domini sui fuisse, & in eadem se fidelitate cum vita perseverare.* De Paulo non adeò sinistrè sentimus, ut eum censeamus in Caroli vitam conjurasse. Fuit Notarius Desiderii Regis. Citatur ab Angelo de Nuce Regium Diploma cum hisce subscriptionibus. *Paulus Notarius & Diaconus ex jussione Domini nostri Desiderii Serenissimi Regis scripsi. Actum Civitate Papiâ. Data verò anno Regni ejusdem Gloriosissimi Regis quinto, mense Decembris, Indict. 15. Desiderius gratiâ Dei Rex Langobard.* Paulus acceptorum beneficiorum memorem semper se præbuit, ingrato erga Desiderium nunquam fuit animo. Plerique, quibus mores adeò generosi & integri displicebant, in eum per invidiam odium Caroli concitarunt. Secutum exilium. Vulgares Leonis editiones peculiarem loquendi formulam non habent, ex qua deprehendere Lector possit, quantum temporis intervallum ad ablegationem usque Pauli post expugnatam Papiam effluxerit. E Codice Angeli de Nuce expungenda est vitiosissima hæc connexio, *non multò pòst*, à capta enim Papia usque ad exilium Paulo imperatum decem numerantur anni, quia Carolus Papiam ce-

AN. CH. 784. CAROLI R. 16. PIPPINI LUDOV. RR. 4.

pit anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto, & Paulus, cùm in aula & amicitia Caroli adhuc esset, Angelramno librum de Metensibus Episcopis dicavit post Fastradæ Reginæ nuptias, quas exeunte anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio celebratas antiqui produnt Annalistæ. Paulum *in Insulam quandam* relegatum scribit Anonymus Salernitanus, Leo vel alium Auctorem vel rei famam secutus, *Diomedis Insulam* locum exilii distinctè notavit. Olim Geographi Diomedæas Insulas quinque commendarunt in mari Adriatico, quarum præcipua, quæ Tremetus Tacito dicta, Sancti Nicolai * nomen hodie gerit. Illic exulavit Paulus, donec ad Aragisum Ducem Beneventanum, Desiderii Longobardorum quondam Regis generum, fugâ clàm se recepit, ut suo loco dicturi sumus.

* *Saint Nicolas de Tremiti.*

XIII. ALBRICUS EP. ULTRAJECT. OBIIT.

Quod attinet ad Albricum Episcopum, cujus obitus, in Appendice ad Nibelungi Chronicon, hoc anno cum morte Fulradi Abbatis conjungitur, non alius est ab Episcopo Ultrajectino, qui septimo anno, postquàm Ludgerum in Ostergoam miserat, vitam clausit, Altfrido id in ipsius Ludgeri vita sic testante. *Cùm vir Dei Lindgerus in eadem regione*, id est, in Ostracha sive Ostergoa, *annis ferè septem in doctrina studio persisteret, consurrexit radix sceleris Widukind Dux Saxonum, eatenus gentilium, qui evertit Fresones à via Dei, combußitque Ecclesias, & expulit Dei famulos, & usque ad Fleo fluvium fecit Fresones Christi fidem relinquere, & immolare idolis juxta morem erroris pristini. Sed & Albricus Episcopus in ipsa perversa commotione de hac luce migravit.* Hic est annus septimus, ex quo Ludgerus in Ostergoam ab Albrico directus est, & duodecimus, ex quo Carolus bellum cum Saxonibus primâ vice gessit. Exeunte anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo Ludgerus in Ostergoam profectus est; certè non citiùs, iter enim in illam regionem suscepit post aliquam temporis intercapedinem ab obitu Sancti Gregorii, póstque ordinationem Albrici Episcopi; neque etiam seriùs, quia, cùm *annis ferè septem in doctrina studio* illic *persisteret*, expulsus est à Wittekindo Duce, qui nuncium idolis anno Christi septingentesimo octogesimo-quinto remisit. Adamus [a] Ludgeri secessum ex Ostergoa refert *ad annum rebellionis Saxonum* XII, quocum annus Christi septingentesimus octogesimus-quartus coincidit, anno enim Christi septuagesimo-secundo supra septingentesimum prima Caroli Regis in Saxoniam profectio consignatur.

[a] lib. 1. c. 9.

XIV. WITTEKINDUS AD FLEVUM USQUE CUM SAXONIBUS PROGREDITUR.

Annalista Loiselianus, ut suprà notavimus, ad hunc annum sic scribit. *Rebellati sunt iterum Saxones solito more, & cum eis pars aliqua Frisonum*, id est, incolæ ulterioris Frisiæ, quam Flevus à citeriore disterminabat. Atque hic Annalista rectè cum Altfrido convenit adversùs Wittechindum excandescente, quòd *usque ad Fleo fluvium fecit Fresones Christi fidem relinquere.* De divisione Frisiæ in citeriorem & ulteriorem actum Tomo quarto. Flevus, qui limes utriusque Frisiæ fuit, variè pronuntiatur, Flevus, Fleus, Flevo, Fleha, Flea, Fleon, & Fletio. Rectè inter ostia Rheni olim numerabatur. Nam, teste Melâ [b], *Rhenus ab Alpibus decidens, prope à capite duos lacus efficit, Venetum & Acronium. Mox diu solidus, & certo alveo lapsus, haud procul à mari huc & illuc dispergitur, sed ad sinistram etiam tum & donec effluat Rhenus, ad dexteram primò angustus & sui similis, pòst ripis longè ac latè recedentibus, jam non amnis sed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur, ejusdémque nominis Insulam amplexus, fit iterum artior, iterúmque fluvius emittitur.* Apud Ubbonem [c] *Flevus quondam fluvius non magnus, etiam inter ostia Rheni à veteribus numeratus, ingens nunc maris sinus, agris eluvione absorptis, influens in lacum illum vel sinum potiùs magnum, quem Australe mare vulgò jam nuncupant.* Et Henschenius, in notis ad vitam [d] Sancti Ludgeri, cùm Melam suprà citatum allegat, nonnulla instar commentarii præmittit subjicitque in hunc modum. *Rhenus ad dextram per fossam Drusianam ductus, primò angustus & sui similis, etiam immisso Isalâ amne, post ripis longè*

[b] Lib. 3. c. 2.

[c] Lib. 2. rer. Frisic.

[d] Ad cap. 3.

& latè recedentibus, jam non amnis, inquit Pomponius Mela, sed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur, ejusdémque nominis Insulam amplexus, fit iterum arctior, iterúmque fluvius emittitur; nunc autem, cùm reliquum palustrium illarum terrarum perfractis aggeribus hausit Oceanus, mare est Austrium, vulgò de Zuyder-zée: de quo multa ejus regionis Scriptores. Nobis satis est ostendisse, ubi fuerit lacus, quem Flevum sive Fleum dicebant, quidam etiam Fletionem; quique in MS Budic. Fleon, Fleba fluvius apud Browerum, à Werthinensibus Flea appellatur.

AN. CH. 784. CAROLI R. 16. PIPPINI LUDOV. RR. 4.

XV. Sæviente Wittechindi persecutione, Basilicísque citerioris Frisiæ combustis, Ludgerus Romam secessit atque inde in Ducatum Beneventanum, ubi Casinense Monasterium, in quo Regulam Benedictinam didicit. Sic enim Altfridus in ejus vita scribit. *Liudgerus necessitate compulsus deseruit partes illas, & dispositâ turbâ discipulorum, duos ex eis secum adsumens, Hildgrimum scilicet germanum ejus, & Gerbertum qui cognominabatur Castus, perrexit Romam, & inde progrediens pervenit ad Monasterium Sancti Benedicti in agro Beneventino, & illic in sancta conversatione consistens didicit Regulam ejusdem Sancti Patris Benedicti. Erat enim cupiens in hereditate sua Cœnobium construere Monachorum.* Apud Browerum Ludgerus ad montem Casinum secessisse dicitur, *ut in Monasterio Sancti Benedicti, beati Ordinis conspiceret disciplinam, etenim Pater illius Monasterii genere sibi propinquus erat.* Hic est Theodemar, seu Theodemarus, vel Theotmarus, qui Potoni in Abbatiale munus anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo successit, & in metrica Sancti Ludgeri vita nepos ejus, id est, consanguineus, sic vocatur.

LUDGERUS E FRISIA SECEDIT IN ITALIAM, CUM DUOBUS DISCIPULIS.

ADIT MONTEM CASINUM, UBI PROPINQUUS EJUS THEODEMARUS ABB.

Ibat ad Monachos in Casino positos
Monte Benedicti inter Sanctos scripti.
Hic bono omine, Theotmarum nomine,
Invenit nepotem Liudgerus Abbatem.

XVI. Hic Abbas *juxta Ecclesiam Sancti Benedicti, quam prædecessor ejus construxerat, ædificavit pulchro opere Templum in honorem Sanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ, super ipsum videlicet fontem, unde Liris * fluvius manat. Cujus Templi quadrifida fabrica supra duodecim columnas erigitur, & super eas celsa turris à subjectis porticibus sublata porrigitur, aliis quatuor turribus, per singulos porticûs angulos, per gyrum ejusdem turris erectis. Id autem Templum operuit plumbeis laminis, & figuris pulcherrimis, versibúsque ornavit. Quódque his majus est, omnium ferè Apostolorum, & multorum Martyrum, Confessorúmque magnificis Reliquiis nobilitavit. Ecclesiam quoque Sancti Michaelis Archangeli, quam indedicatam reliquerat decessor suus, cum omni honore dedicari fecit, juxtáque claustrum, & habitacula nonnulla construxit.* Lege Chronicon Casinense [a]. Cetera Theotmari Gesta suis prosequemur locis.

CONDITOR INSIGNIS TEMPLI.

* Gariglia-no.

[a] Lib. 1. c. 13. vet. edit. c. 11. novæ edit

XVII. Ludgero in Italiam abeunti Willehadus Presbyter socius peregrinationis ab Adamo tribuitur. *Confessor Dei* Willehadus *majus adhuc lucrum expectans de conversione plurimorum, legitur secundùm Evangelicum Preceptum de civitate in civitatem fugisse, dispersísque ad prædicandum sociis ipse Romam cum Luidgero venisse. Ubi Sanctissimi Papæ Adriani consolatione relevati, Luidgerus in montem Cassinum recessit ad Confessionem Sancti Benedicti. Willehadus in Galliam ad sepulchrum Sancti repedavit Willebrordi. Itaque biennio uterque reclusi, contemplativæ vitæ operam dabant, apprimè orantes pro persecutoribus & gente Saxonum, ne jactum in eis semen verbi Dei inimicus homo zizaniis oppleret, impletúmque est quod Scriptura dicit, [multùm valet deprecatio justi assidua.] Hæc de vita ejus ad sensum excerpta protulimus.* Ita scribit Adamus capite nono libri primi; deinde capite undecimo ejusdem libri hæc habet. *Extat vita actuúmque ejus insignis liber, quem successor ejus* IIII *fideli stilo exaravit Ansgarius. Ad cujus lectionem, quia nos ad alia properamus, cupientem scire transmittimus.* Opus hoc Coloniæ editum est anno Christi mille-

AN. CH. 784. CAROLI R. 16. PIPPINI LUDOV. RR. 4.

simo sexcentesimo quadragesimo-secundo cum Gestis ipsiusmet Sancti Ansgarii sive Anscharii & Remberti Pontificum Bremensium, nuperrimèque à Luca Dacherio & Joanne Mabillono ex manuscripto Codice Corbeiæ * Saxonicæ insertum Tomo secundo Seculi tertii Benedictini. Differt autem plurimùm ab Actis apud Adamum laudatis capite nono libri primi, quod ex parte suprà transcripsimus. Nullam Ludgeri mentionem facit, & Willehadi profectionem in Italiam, ut suo loco diximus, apertè consignat anno Christi septingentesimo octogesimo-secundo, id est, biennio, priusquàm Ludgerus ad partes Italiæ se receperit. Ludgerus, teste Altfrido, *post duos annos & menses sex* à die quo pervenerat ad Montem Casiuum, *reversus est ad patriam suam*, anno videlicet Christi septingentesimo octogesimo-septimo, ut infrà dicturi sumus. Willehadus verò, cùm Romam anno Christi septingentesimo octogesimo-secundo profectus esset, eodem anno cis Alpes reversus ad Epternacense Monasterium se contulit, ibique, teste Anschario, *duobus ferè annis*, id est, ad hunc usque annum, *demoratus, elegit solitariam inclausus ducere vitam, ubi etiam non mediocriter vivens, cùm lectioni atque orationi operam daret, tum præcipuè scriptioni interdum deditus erat. Námque scripsit ibi epistolas beati Pauli in uno volumine, aliáque quamplurima, quæ à successoribus ipsius ob monimentum sanctæ recordationis ejus servata, hactenus manent inconvulsa. Multi quoque in eodem loco exemplis ejus & monitis ad meliorem sunt vitam correcti, & ad servitium Domini non ignaviter accensi.* Agemus anno sequenti de altera illius in Saxoniam profectione, & Anscharii Chronologiam validè confirmabimus. Hæc impræsentiarum sufficiant adversùs Adamum, qui Willehadum & Ludgerum Romam simul profectos finxit.

* Corvey.

WILLEHADUS SOLITARIAM VITAM DUCIT.

XVIII. Ex Appendice ad Nibelungi Chronicon & ex Altfrido in vita Sancti Ludgeri, si simul conferuntur, tria hæc certissima sunt & hoc anno consignanda; Widechindi persecutio ad Flevum usque fluvium, Ludgeri Presbyteri secessus in Italiam, & obitus Albrici Trajectensis Episcopi. De Widekindo & Ludgerô recurret sermo. Albrici elogium Joannes de Beka [a] sic claudit. *Aelbricus XII Calendas Septembris in pace migravit ad Dominum, postquàm aliquantis annis Trajectense rexisset Episcopium, quare ad præfatam Ecclesiam*, id est, ad Ecclesiam S. Salvatoris, *deductus est, & prædecessori suo* Sancto Gregorio *consepultus est*. Apud Molanum, Sanctus Albricus colitur decimo-octavo Kalendas Decembris *in Ecclesia Susterensi Diœcesis Leodiensis*. Suffragatur Molano Saussaius in Supplemento Martyrologii Gallicani. De Sanctorum Gregorii & Albrici sepultura, uno eodémque modo ratiocinamur. Ambos Trajecti sepultos, deinde Susterenum partem Reliquiarum translatam putamus, atque inde factum, ut Sanctus Gregorius duobus diebus valdè diversis, octavo Kalendas Septembris, & sexto Idus Octobris, item Sanctus Albricus duodecimo Kalendas Septembris & decimo-octavo Kalendas Decembris celebretur. Sancto Albrico in Episcopatum successit Theodardus.

[a] In Episc. 4.

THEODARDUS FIT EP. ULTRAJECT.

XIX. Walto San-Gallensis Abbas, cùm Monasterio præfuisset *annum unum, & dimidium, dies V*, locum cessit Werdoni, de quo sic ad hunc annum Hermannus editus à Canisio. *Apud Sanctum Gallum Werdo Abbas præfuit annos 25.*

WALTO ABB. SANGALLENSIS,

XX. De Waltone Abbate déque Eginone Constantiensi Episcopo Ratpertus, in libro [b] de origine & diversis casibus Monasterii San-Gallensis, hanc narrationem contexuit. *Fratres nostri Waltonem concœnobitam, virum sapientem, sibi Abbatem, Rege permittente, constituerunt. Sed non in finem res ita permansit, quia post obitum Johannis Episcopi Egino Episcopii Constantiensis jura suscepit. Qui mox omnia insidiarum genera circa Monasterium nostrum exercere non metuens, sicut Sidonius Sanctum Othmarum, ita & iste Waltonem persequi cœpit Abbatem, quatenus iterum perverso more Antecessorum suorum Episcopatui subjiceret Monasterium. Hujus igitur rei gratiâ, Optimatibus Regis prædia & pe-*

[b] Cap. 14.

A MONASTERIO PULSUS AB EGINONE EP. CONSTANTIENS.

AN. CH. 784. CAROLI R. 16. PIPPINI LUDOV. RR. 4.

*cunias contulit infinitas, illósque ad consensum suum provocans, muneribúsque, ut scriptum est, etiam sapientium obtutus excæcans, quod nequiter cœpit illorum adminiculo pessimè complevit, iterúmque Monasterium non æqui observatione Episcopio subjici fecit. Karolus verò Serenus Augustus, cùm voluisset prædictum Abbatem cum Episcopo pacificare, eo videlicet pacto, ut Episcopi præcepto obediens, Abbatis locum in Monasterio ageret, præfatus Walto * non valens diutiùs præsens intueri tantam dejectionem suorum, tale fertur Regi dedisse responsum. Cùm enim, inquit, semel manus * vestræ dominationis ingressus, tantæ Celsitudinis merui dominio sublimari, nequaquam posthac, dum horum trium digitorum vigorem integrum teneo (nam Scriptor erat eximius) vilioris personæ manibus me subdere decrevi. Itaque cum consensu ipsius Imperatoris ad vicinum Monasterium, quod Auva * nominatur, ibidem commoraturus devenit, ubi posteà Abbas electus atque ordinatus, ad ultimum, Monasterium Sancti Dionysii suscepit regendum.*

* Waldo. * manus. * Anna.

XXI. Ista distinctiùs exponit Hermanous in editione Canisiana, cujus hi sunt textus. Anno 782, *apud Sanctum Gallum Waldo Abbas præfuit anno uno & dimidio.* Anno 784, *apud Sanctum Gallum Werdo Abbas præfuit annos 25.* Anno 786, *Augiæ post Petrum Waldo Abbas 11x præfuit annis 20.* Anno 806, *Augia Waldone Abbate ad regendum Sancti Dionysii Cœnobium transposito, Heyto nonus Abbas præfuit annos 17.* In Catalogis Abbatum San-Dionysianorum hactenus editis desideratur Walto seu Waldo, qui tamen in libris primo ac secundo de Miraculis Sancti Diooysii medius inter Fardulfum & Hilduinum collocatur. Auctor enim caput vicesimum-primum libri primi sic orditur. *Post Fardulfi obitum Walto gubernandi Cœnobium beatorum Martyrum curam suscepit.* Et caput primum libri secundi, sic. *Regimen præfati sæpenumero Monasterii post Waltonem Hilduinus emeruit.* Corrigendus igitur Hepidannus [a], ubi Werdonem Waldoni mortuo subrogatum sic asserit. *Waldo moritur. Werdo Abbas constituitur.* Waldo non obiit hoc anno, sed ab Eginone Constantiensi Episcopo, qui facultates Monasterii San-Gallensis sibi vendicare conabatur, ex illo Cœnobio pulsus secessit ad Auvam, Hermanno Augiam, Duchesnio corruptè Annam, ibíque Monachum egit sub Abbate Petro, donec eidem in munus Abbatiale successit, ut post biennium ex Hermanno probabimus. Interim abdicato per vim Waltone *præfatus Episcopus* Constantiensis Egino, *assumens quendam Presbyterum forensem, nomine Werdonem, obtulit eum ad nostrum Monasterium, ut Abbatem illum constituisset, ne, si de Monachis eidem aliquem ordinasset, res ab eo aliquatenus cedere videretur. Quem tamen Monachi in tali habitu commanentem minimè susceperunt Abbatem. Quod cùm sensisset idem Werdo, cum conversatione habitum mutavit, & tunc demùm Monachicis indutus vestimentis susceptus, atque, ut decreverat Episcopus, Abbas est ordinatus.* Hæc Ratpertus [b], qui de utroque proximè sic conqueritur. *Tum quodam perversa fidei pacto inter Episcopum & Abbatem contra Monachorum necessitudines effecto, res nostra magis ac magis in desolationem vergere cœperunt, cum hi, qui tutores esse debuerant, afflixissent, & nullus esset ex nostris, qui eos prohibere posset.*

[a] Ad an. 781.

MONACHUM AGIT APUD AUGIAM.

WERDO FIT ABB. SANGALL.

[b] Cap. 5.

XXII. Metolus Cenomannensis Episcopus hoc anno Pootificatûs sui decimo vitam clausit decimo-quinto Kalendas Aprilis. Commentitia sunt, quæ de Rotlando per idem tempus io Armoricam misso circumferuntur, Rotlandus enim aote sex annos obierat, ut ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-octavum [c] observavimus. Egregiæ laudi cessit Merolo, quòd Caroli Regis auctoritate fretus resarciendis damnis, quæ Gaucilenus Ecclesiis intulerat, Hodingi decessoris exemplo studiosè invigilavit. Sepultus fuit in Basilica Victorii. Res mira tunc contigit, nam cùm illuc deferretur, cadente pluviâ feretrum eósque à quibus gestabatur ne gutta quidem tetigit. Successit in Episcopatum Josephus. Lege sub initium hujus Tomi ad annum Christi [d] septingentesimum septuagesimum-secun-

EPISCOPI CENOMANN.

[c] Nu. 3. 4.

[d] Nu. 21. & seqq.

AN. CH. 784. CAROLI R. 16. PIPPINI LUDOV. RR. 4.

dum, quæ præmissa sunt de Cenomannensium Episcoporum Chronologia.

XXIII. LEONENS. In eadem Provincia Turonensi Leonotius, cùm Sedes ab anno prætetito vacaret, ordinatus est Leonensis Episcopus, ut habet Auctor Armoricæ Sanctæ.

XXIV. LEODIENSES. Agilfridus Leodiensis Episcopus & Abbas Gandensis, de quo non semel locuti sumus, hoc anno Pontificatûs sui decimo-sexto vitam clausit. Ægidius enim in additionibus ad Anselmum sic scribit. *Sub isto Agilfrido Ecclesia Leodiensis multa acquisivit, sicut testantur Privilegia à Rege Carolo sibi collata. Obiit autem circa annum Domini septingentesimum octuagesimum-quartum.* Et Placentius in quarto Antistite Leodino. *Agilfridus obiit anno salutis 784. anno administrationis sexto-decimo, sepultus in Collegio Divi Lamberti.* Successit in Episcopatum Leodiensem Gerbaldus, cujus mentionem ABBATES GANDENSES. faciunt iidem Auctores. In regimen Gandensis Monasterii successit Eynoldus, quem Sanderus ad annum usque Christi septingentesimum nonagesimum-quartum vixisse testatur in Auctatio ad Tomum primum Flandriæ illustratæ. Nævum, qui circa Gandensium Abbatum seriem apud illum Auctorem invenitur, Tomo superiore correximus ad annum Christi septingentesimum septuagesimum [a].

[a] Nn. 17. 18.

XXV. EPISCOPI CURIENSES. Obiit & hoc anno, octavo Kalendas Octobris, Tello Curiensis Episcopus. Egregia pietatis & magnificentiæ reliquit monimenta, Cathedralem enim Ecclesiam maximis sumptibus extrulit, & Disertinense Monasterium splendidè reformavit. Successit in Episcopatum Constantinus seu Constantius. Hunc Antecessoris ejúsque fratrum hæredem *omnium ferè ex asse possessionum* scribit Bucelinus, additque concessa Constantio multa Privilegia, quæ Carolus, cùm Autissiodori degebat, anno Regni sui decimo-septimo confirmarit. Sed ex antiquis Auctoribus, qui res à Carolo gestas per annos digesserunt, enim toto anno Regni decimo-septimo procul ab Autissiodoro abfuisse constat. Lege Curiensium Episcoporum Indices apud Bruschium & Bucelinum, necnon apud eundem Bucelinum Chronologiam Rhætiæ sacram & prophanam.

XXVI. MON. S. AMBROSII CONDITUR A PETRO ARCHIEP. MEDIOLAN. Petrus Mediolanensis Archiepiscopus, quem ad Pontificales Infulas anno priore promotum diximus, Ambrosianum Monasterium Mediolani condidit, eíque Benedictum primum Abbatem præfecit. *Inter hæc*, inquit Tristanus Calchus [b], *Mediolani Divi Ambrosii Ædes notabili additamento augetur. Nam cùm uno tantùm Canonicorum ordine celebris esset, Petrus Archiepiscopus Monachos adjecit, & ædificato Cœnobio domos, quas inhabitarent, & proinde cultiorem locum facerent, novis Sacerdotibus dedit. Horum Antistes Abbas Hebraico vocabulo, quod patrem sonat, nuncupatus est. Factum ipsum Diplomate Caroli confirmatur.* Josephus Ripamontius [c] sub Archiepiscopo Petro rem eandem describit ex antiquo Diplomate, quod ad annum Christi septingentesimum octogesimum-nonum, quo datum est, integrum recitabimus. Neuter horum Auctorum determinatè notat annum, quo Mediolani conditum est Monasterium Sancti Ambrosii. Ferdinandus autem Ughellus [d] hunc annum à Christo nato septingentesimum octogesimum-quartum distinctè sic consignat. *Petrus pietate præcipuâ fuit erga Sanctos, Ambrosium, Gervasium, atque Protasium. Quamobrem sui Pontificatûs initio insigne Monasterium ædificavit anno 784, quod pro domicilio Monachis esset, sacrum illud depositum custodituris.*

[b] Lib. 5.

[c] Dec. 1. l. 9.

[d] Tom. 4. Ital. Sacr. in Archiep. Mediol. 51.

XXVII. DITATUR A THEOPERTO CLERICO PAPIENSI. Joannes Petrus Puricellus, ut idem Ughellus testatur, inter Ambrosianæ Basilicæ Monasteriique Ambrosiani monumenta vetus publicavit documentum, quod sic incipit. *Regnante Domino nostro, Viro Excellentissimo Carolo, & Pippino, Regibus in Italia, anno undecimo, & quarto, quinta die. . . . Indictione septimâ, Benedictus venerabilis Presbyter & Abbas Monasterii, quem constituit sanctissimus vir Petrus Archiepiscopus sanctæ Mediolanensis . . . . . .*

Sancti

Sancti Ambrosii, in qua ejus corpus requievit juxta civitatem hanc Mediolani, Theoperto humili Clerico Papiensis Diœcesis, &c. Undecimus Caroli Regis in Italia, Pippini quartus, Indictióque septima cum anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto rectè conveniunt. In hac Charta Benedictus Abbas recolit contextum ac tenorem Donationis à prædicto Theoperto factæ, eíque concedit usumfructum ex permissione Petri Archiepiscopi. Quapropter eidem Chartæ sic subscribit. *Benedictus indignus, nomine Abbas, in hac concessione, ex permissione Domini Petri Archiepiscopi à me facta, relegi & subscripsi.* Præter Abbatem subscribunt ex eodem Monasterio Bunipertus Diaconus & Atigausus Subdiaconus, cum tribus testibus & Ermoaldo Notario.

AN. CH. 784. CAROLI R. 16. PIPPINI Ludov. RR. 4.

XXVIII. Tomo superiore [a] Racarium seu Riocarium Catalaunensem Episcopum Pippino Regi superstitem diximus. Illum existimamus mortuum regnante Carolomanno Pippini filio, anno videlicet Christi septuagesimo supra septingentesimum. Ab hac opinione non longè recedendum suadent anni proximorum Pontificum. Sequuntur Gilloboldus seu Willebaldus, & Bovo seu Bono, tum Hildegrinus Liudgeri Mimigardevordensis Episcopi frater natu minor. Apud Carolum Rapinium Villebaldus secundùm duos manuscriptos Codices annis sedet quatuordecim, Bovo Pontificatum annis viginti gerit. Aliunde verò constat de Hildegrino, quòd ad Episcopatum Catalaunensem promotus est, cùm ejus frater Liudgerus Mimigardevordensis Episcopus jam factus esset, initium autem Mimigardevordensis Episcopatûs in annum Redemptoris octingentesimum secundum conjicitur. Sic igitur Chronologia Catalaunensium Episcoporum rectè statui potest. Willebaldus seu Gilloboldus Episcopatum init anno Christi septingentesimo septuagesimo, tenet annis quatuordecim, obitque hoc anno post Christum natum septingentesimo octogesimo-quarto. Succedit eodem anno in Episcopatum Bovo seu Bono, sedétque annis viginti, id est, ad annum usque Redemptoris octingentesimum quartum, qui secundus est à Liudgeri promotione in Episcopum Mimigardevordensem.

[a] Ad an. 761. num. 10.

EPISCOPI CATALAUN.

ANNUS

CHRISTI		785.	AN. CH 785.
CAROLI	R.	17. 14. 12.	CAROLI R. 17.
PIPPINI II.	R.	5.	PIPPINI Ludov.
LUDOVICI	R.	5.	RR. 5.

I. INEUNTE anno Christi septingentesimo octogesimo-quinto, Carolus Rex qui super Ambram * fluvium Natalem Domini celebrarat, iter in Saxoniam persecutus est, atque insignem de Saxonum idololatria & perfidia triumphum egit. Ea de re sic disserit Annalista Loiselianus. DCCLXXXV. *Tunc Domnus Rex Carolus supradictum iter peragens, usque ad Rimee pervenit super fluvium Wisoram, ubi confluit Waharna. Et propter nimiam inundationem aquarum inde reversus est Heresburgum; uxorem suam Domnam Fastradanem unà cum filiis & filiabus suis ad se venire jussit. Ibi totâ hyeme residens, ibidem Pascha jam fatus Excellentissimus Rex celebravit. Et, dum ibi resideret, multotiens scaras misit, & per semetipsum iter peregit. Saxones, qui rebelles fuerunt, depradavit, & castra cepit, & loca eorum munita intervenit, & vias mundavit. Dum tempus congruum venisset, Synodum publicam celebravit apud Paderbrunnen. Et inde iter peragens, vias apertas faciens, nemine contradicente*

* l'Emmer.

CAROLUS PASCHA CELEBRAT IN SAXONIA.

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

per totam Saxoniam, quocumque voluit. Et tunc in Bardengauvi venit. Ibique mittens post Windochindum & Abbionem, utrosque ad se conduxit, & firmavit, ut non se subtraxissent, nisi in Francia ad eum pervenissent, petentibus illis, ut credentias haberent, quòd inlasi fuissent, sicut & factum est. Tunc Domnus Carolus Rex reversus est in Franciam, & mittens ad supradictos Windochindum & Abbionem obsides per Missum suum Amalluvionem. Qui cùm recepissent obsides illos, secum deducentes conjunxerunt se ad Attiniacum villam ad Domnum Regem Carolum. Et ibi baptizati sunt supranominati Windochindus & Abbio, unà cum sociis eorum. Et tunc tota Saxonia subjugata est. Et in eadem villa celebravit sæpedictus gloriosus Rex Natalem Domini. Textus hic explicandus est per partes, & ex aliis Auctoribus confirmandus elucidandúsque.

II. CUM UXORE AC LIBERIS.

Pascha celebratum est quarto Nonas Aprilis. Tunc Carolus Heresburgi cum Regia familia morabatur, id est, cum uxore Fastrada, liberísque susceptis ex Himiltrude & Hildegarde, quatuor videlicet filiis, Pippino, Carolo, altero Pippino, & Ludovico, totidémque filiabus, Rothaide, Rotrude, Berta, & Gisla. Ludovicum ex Aquitania evocatum à patre sic testatur vetus Anonymus in illius vita. *In Aquitaniam est, Deo annuente, transpositus. Ubi dum non multis moratur annis, id est, quatuor,* ab anno videlicet Christi septingentesimo octogesimo-primo ad hunc usque annum Christi septingentesimum octogesimum-quintum, *gloriosus Rex Carolus assiduos duròsque Saxonibus inferebat referebátque conflictus. Inter quos cavens, ne aut Aquitanorum populus propter ejus longum abscessum insolesceret, aut filius in tenerioribus annis peregrinorum aliquid disceret morum, quibus difficulter expeditur ætas semel imbuta, misit & accersivit filium jam benè equitantem, cum omni populo militari; relictis tantùm Marchionibus, qui fines Regni tuentes, omnes, si fortè ingruerent, hostium arcerent incursus. Cui filius Ludewicus pro sapere & posse obedienter parens occurrit ad Patrisbrunam habitu Vasconum cum coævis sibi pueris indutus, amiculo scilicet rotundo, manicis camisiæ diffusis, cruralibus distentis, calcaribus caligulis insertis, missile manu ferens. Hæc enim delectatio voluntásque ordinaverat paterna. Mansit ergo cum patre inde usque ad Herisburg cum eo vadens, usquequò Sol ab alto declinans axe, ardorem æstivum autumnali condescensione temperaret. Cujus extremo tempore, licentiâ à patre acceptâ, hyematum in Aquitaniam rediit.*

III. Carolus iter Visurgim versùs ante mensem Junium denuò non suscepit. Id Auctor Appendicis Chronico Nibelungi subjectæ sic insinuat. *Rex Carlus demoratus est in Saxonia ad Heresburg de Natale Domini usque in mense Junio, & reædificavit ipsum Castellum, & Basilicam ibidem construxit. Placitúmque habuit ad Padresbrunnon cum Francis & Saxonibus. Et tunc demùm perrexit fluvium Wisaraha.* Hic textus benignâ eget interpretatione, Carolus enim, qui Pascha celebravit apud Herisburgum, non illic à Natali Domini ad mensem usque Junium resedit, sed ut ad Waharnæ confluentes in Visurgim ante Pascha progressus inde rediit ob aquarum inundationem, sic & Paderbornæ post Pascha Conventum egit non tantùm Francorum, sed etiam Saxonum, id est, Saxonum in ea, quam subegerat, Saxoniæ parte degentium. Mense autem Junio Visurgim trajecit, &, ut Auctor Chronici Moissiacensis observat, *pervenit usque in Barduic*, id est, ut alii scribunt, *in Bardengauvi.* Barduicum sive Bardovicum * amisso veteri splendore sedet ad Ilmenovium * amnem infra Lunæburgum *, quod ex ejus ruinis crevit. E situ Bardovici colligimus Carolum eâdem quâ priùs viâ processisse ad ostium Vaharnæ, qui sinistram Visurgis ripam subit, atque inde contendisse Bardovicum, quod duobus vix milliaribus Germanicis ab Albi fluvio distat. Werrha & Fulda non ignobiles amnes infra Mundam confluunt, & qui Werrha priùs dicebatur, nomen Visurgis accipit geritque, donec in Oceanum effunditur. Variis autem modis scriptus occurrit, Wi-

AD ALBIM USQUE PENETRAT.
* Bardewick.
* Ilmenou.
* Luneburg.

ſctaa, Wiſaracha, Wiſura, Wirraha, Wiſora, Wiſor, Wiſara, Wiſira, Wiſaraha, Wirra, & Wiſera. Siniſtram Viſurgis ripam ad pagum *Remen* ſubit Waharna, ídque teſtatur Annaliſta Loiſelianus, quo Auctore Carolus, *uſque ad Rimee pervenit ſupra Wiſoram, ubi confluit Waharna*, aliis Werna *, Warana, Wagarna, Vinharna, Waahna, & Warna. In hodierno Comitatu Rauenſbergico * ad Wernæ & Viſurgis confluentes conſpicitur vicus, cui nomen Rema *, olim Rimi, Rum, Rhime, Rimia, Rimee, & Rime. Illic Templum à Carolo Magno conditum affirmat Henricus de Hervordia [a], cui rei fidem pietas ejuſdem Regis abundè conciliat. Quod autem addit hic Auctor Carolum Remæ nomen indidiſſe à Remis Galliarum urbe percelebri ſecundæque Belgicæ Metropoli, licèt id Meibomius facilè ſe credere fateatur, quia familiare Carolo Magno fuit peregrina nomina Germanicis locis inferre, ſtandum tamen putamus à Reverendiſſimo Celſiſſimóque Epiſcopo ac Principe Paderbornenſi, qui Remæ nomen ad confluentes Warnæ & Viſurgis antiquius Carolo Magno notat, ídque patet ex Annalibus Laureshamenſibus, apud quos idem locus *Rimi* ſub Pippino Rege nuncupatur, ut Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-tertium [b] obſervavimus. Rema eſt extra fines Diœceſis Paderbornenſis, & in diviſione Epiſcopatuum, quos Carolus in Saxonia fundavit, attributa fuit Mindenſi. Conſule monumentum Paderbornenſe octavum, cui Titulus *Rema*.

* *La Werne.*
* *de Ravensberg.*
* *Remen.*
[a] Lib. 2. c. 69.
[b] Num. 37.

IV. WILLEHADUM PRESBYTERUM MITTIT IN SAXONIAM.

Willehadus Preſbyter, qui ſolitariam vitam ab anno priore ducebat, Carolum Remâ reverſum & apud Ereſburgum commorantem adiit, & ab eo rurſum in Saxoniam miſſus eſt hoc anno quo Widikindus Baptiſmum ſuſcepit. Sic enim ſcribit Anſcharius in ipſius Willehadi vita. *Venerandus Domini Sacerdos Regem adiit Karolum, qui tunc fortè in Caſtello conſederat Saxoniæ Ereſbur, proponens voluntatis ſuæ devotiſſimam in præparatione Evangelii pacis affectionem, atque ipſius in hoc æquiſſimam requirens præceptionem. Qui pro conſolatione laboris ac præſidio ſubſequentium ejus, dedit ei in beneficium quamdam Cellam in Francia, quæ appellatur Juſtina, præcepitque ei ut iterum pro nomine Chriſti cœptam repeteret Parochiam. Quod ille gratanter ac religiosè ſuſcipiens, rurſus venit Wigmodiam, & fidem Domini publicè ac ſtrenuè gentibus prædicabat, Eccleſias quoque deſtructas reſtauravit, probatáſque perſonas, qui populis monita ſalutis darent, ſingulis quibuſque locis præeſſe diſpoſuit. Sícque ipſo anno, divino ordinante inſtinctu, gens Saxonum fidem Chriſtianitatis, quam amiſerat, denuò recepit. Sed & totius mali auctor incentórque perfidiæ Widikindus eodem anno, Regi ſe ſubdens Karolo, Baptiſmi eſt gratiam conſecutus, ſícque ad tempus ſedata ſunt mala, quæ illius fuerant ingeſta pernicie.*

V. LUDOVICUM FILIUM IN AQUITANIAM REMITTIT

In Chronico Moiſſiacenſi, *Gerundenſes homines Gerundam civitatem* hoc anno *Karolo Regi* tradidiſſe dicuntur. Ea potuit eſſe cauſa, cur Carolus Ludovicum filium, de quo ſuprà, tam celeriter in Aquitaniam remiſerit. Atque inde obiter nota poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-octavum, quo Carolus Cæſarauguſtam uſque victor penetravit, Gerundam in Saracenorum poteſtatem rediiſſe.

ACCEPTO NUNCIO DE RECUPERATA GERUNDA,

Tamayus [c] ait Epiſcopi nomen ignorari, *cujus auxilio urbs Gerundenſis à Sarracenorum jugo ſoluta eſt*, & ideò *Carolus multa Eccleſiæ donaria, oppida, villas, & Caſtrum Balloſanum conceſſit. Is Epiſcopus* apud eundem Auctorem *poſt Hiſpanicum excidium primus Gerundenſis invenitur, qui fraternitatem & ſocietatem inter Gerundenſem & Puigenſem* ſive Anicienſem vel Podienſem *Eccleſias inſtituit.* Certè non alius fuit ab Adaulfo, qui Concilio Narbonenſi poſt annos ſex, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo ſubſcribet. In Catalogo Gerundenſium Epiſcoporum, poſt Mironem, qui Concilium Toletanum decimum-ſextum Erâ ſeptingenteſimâ-triceſimâ-primâ, ſive anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio, cum aliis

VI. PER AUXILIUM ADAULFI EPISCOPI.

[c] d. 3. Sept.

AN.CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

Præsulibus celebravit, nullus invenitur Gerundensis Antistes ad tempora usque Caroli Magni, qui Gerundâ potitus unum ex Aniciensibus Canonicis Episcopum illic ordinandum curavit; inter utramque Ecclesiam, Aniciensem videlicet ac Gerundensem, institutâ fraternitate ac societate, de qua Gisseyus [a] cùm ex Archivo Podiensi, tum ex nupera relatione Christophori *du Verdier* Canonici Podiensis & Abbatis Piperacensis Gerundam profecti.

VII. Sub idem tempus, quo Gerunda Francicis ditionibus accessit, in Diœcesi Gerundensi prima Monasterii Balneolensis * fundamenta jecit Emetius *, sive Amerius, aut Emeteus. Hujus Abbatis vitam Domeneccus [b], Yepezius [c], Bollandus [d], aliique publicarunt; at mendis adeò scatentem, ut eam ad veterum Sciptorum fidem revocare nemo facilè possit.

VIII. Porrò Carolus *audiens Widikindum & Albionem esse in Transalbina Saxonum regione, primò eis per Saxones, ut omissâ perfidiâ ad suam fidem venire non ambigerent, suadere cœpit. Cúmque ipsi facinorum suorum sibi conscii, Regis fidei se committere dubitarent, tandem acceptâ ab eo, quam optabant, impunitatis sponsione, atque impetratis, quos sibi dari precabantur, sua salutis obsidibus, quos eis Amalwinus unus aulicorum à Rege missus adduxerat, cum eodem ad ejus præsentiam in Attiniaco villa venerunt, atque ibi baptizati sunt. Nam Rex, postquàm ad eos arcessendos memoratum Amalwinum direxit, in Franciam reversus est.* Hæc Annalista Laureshamensis. In Chronico Moissiacensi, Saxones, *cùm se* Carolo Regi *dedissent, Christianitatem, quam pridem respuerant, iterum recipiunt, nullóque rebellante, posteà*, cùm videlicet Amalwinus Regios obsides ad Widikindum & Albionem duxisset, *rediit domum suam.*

IX. Auctor Chronici San-Dionysiani sæpè à nobis citati res hoc anno gestas ad duo capita, nempe ad bellum Saxonicum de quo suprà, & ad Widikindi conversionem de qua mox acturi sumus, summatim suo stylo eóque barbaro sic reducit. *Carlus adquisivit Saxonia, & Widichinus convertitur.* Widikindus acceptis obsidibus Carolum in Attiniaco villa commorantem adiit, ibíque suscepto tandem Baptismo factus est Christianus. Hæc antiquissimi docent Annalistæ, Loiselianus & Laureshamensis suprà descripti. Suffragantur alii. Tilianus sic. *Rex reversus in Franciam venit ad Attiniacum. Ibi Witikingus baptizatus est.* Moissiacensis sic. *Rex rediit domum suam. Guiduchint tot malorum auctor ac perfidiæ incentor venit cum sociis suis ad Attinaco Palatio, & ibidem baptizatus est; & Rex suscepit eum à fonte.* Bertinianus sic. *Misit ad supradictos Widochindum & Albionem obsides per Missum suum Amalluvinum. Quos cùm recepissent, illos secum deducentes, conjunxerunt se ad Attiniacum villam ad Domnum Regem Carolum. Et ibi baptizati sunt supranominati Widochindus & Albio cum sociis eorum.* Metensis sic. *Acceptis obsidibus, ad Regem in villa Attiniaco* Widichindus & Abbio *venerunt, ibíque baptizati sunt.* Fuldensis sic. *Wittikind Saxo Attiniaci ad fidem Carli venit, & baptizatus est.* Item Regino sic. *Acceptis obsidibus, ad Attiniacum, ad Regem* Widichindus & Albio *venerunt, ibíque baptizati sunt.* Incertus Auctor in vita Caroli Magni sic. *Misit Widochindo & Abbioni obsides per Missum suum Amaluvinum. Qui receptis obsidibus secum illos deducentes, occurrerunt Domno Regi Karolo apud Attiniacum villam, & ibi baptizati sunt cum sociis eorum.* Et Monachus Egolismensis in ejusdem Caroli vita sic. *Misit illis*, nempe Widochindo & Abioni, *obsides per Missum suum Amalwonem. Quos cùm recepissent, cum ipsis adjunxerunt se ad Domnum Regem Carolum ad villam Attiniacum. Ibi baptizati sunt Widochindus & Abio unà cum sociis eorum.* Tot antiquos Auctores simul congerendos duximus, ut abundantiùs refellantur fabulæ recentiorum, qui laudantur à Joanne Bollando ad diem septimum Januarii in encomio Wittekindi, & ab Hermanno *Stangefol* ad hunc annum in Opere Chronologico Circuli Westphalici, finguntque Widekin-

WIDICHINDUM ET ALBIONEM AD SE VENIENTES BENIGNE SUSCIPIT;

[a] Lib. 2. c. 1.
* *de Banyoles.*
* *Mer,*
[b] Lib 2. de SS. Catalan.
[c] Tom. 3. ad hunc an.
[d] d. 27. Jan.

dum non Attiniaci, sed vel Bardevici, vel Mittebachii, vel in villa *Belhem* Diœceseos Osnaburgensis baptizatum fuisse.

X. Cum Widichindo baptizatus est & Albio sive Abbio vel Abio. Id veteres quoque testantur Annalistæ, Loiselianus, Laureshamensis, Bertinianus ac Metensis, necnon Regino cum Auctore incerto & Monacho Egolismensi in vita Caroli Magni. Nec audiendus Annalista Circuli Westphalici prænominatus, ubi conversionem ac Baptismum Albionis in annum Christi septingentesimum octogesimum-septimum rejicit. De die quo Widichindus & Albio baptizati sunt, quæstio moveri potest. Neoterici, quia Baptismus in Solemnitatibus Paschæ ac Pentecostes olim conferebatur, Paschalem festivitatem notant, scribúntque res miras, quas in die Parasceves & in die Paschæ gestas affirmant. Negotium autem adeò grave, quod in utilitatem Orbis Christiani totum cedebat, dilatum haud putamus in annum sequentem atque in ipsum Pascha, quod nono Kalendas Maii celebratum est. At ut aliàs Clodoveus Magnus ex Episcoporum consilio Baptismum in festo Nativitatis Dominicæ suscepit, sic & in eadem festivitate, quam hoc anno Carolus Attiniaci celebravit, Widichindum & Albionem baptizatos arbitramur. Widichindum *Rex suscepit à fonte, ac donis magnificis honoravit*, ut Chronographus Moissiacensis & Auctor Appendicis Chronico Nibelungi subjectæ restantur. BAPTIZATOS AFFICIT MUNERIBUS.

XI. Annalista Nazarianus Carolum, quòd hoc anno *Saxones in pace conquisivit*, haud immeritò commendat. Saxonia enim, quæ continuis penè bellis à longo tempore flagraverat, altâ pace per aliquot annos gaudere cœpit, postquàm in Francorum potestatem devenit, atque in provinciam à Carolo redacta est. SAXONIAM IN PROVINCIAM REDIGIT.

XII. Nuntium de rebus à Rege feliciter gestis, & de Saxonibus ad fidem conversis, Romam per Andream Abbatem citò delatum est. Id patet ex Adriani Papæ literis [a], quas anno sequenti describemus. Ceterùm hic Abbas non alius nobis videtur ab Andrea, qui locum vicesimum-tertium in Catalogo Luxoviensium Abbatum apud Sammarthanos [b] obtinet. Ab anno Christi septingentesimo quadragesimo-septimo, quo Trudoaldus Abbas esse cœpit, ad annum usque Christi octingentesimum decimum-quintum, quo florebat Ansegisus, Abbates Luxovienses hoc ordine recensentur, *Trudoaldus, Gayleubus, Ayribrandus, Buoso, Grimoaldus, Andreas, Dotto aliàs Docto, Sikelmus, Dadinus, S. Ansegisus*. In hoc Indice sola singulorum nomina leguntur, excepto quòd *Buoso tempore Gedeonis Archiepiscopi Bisontini circa annum Christi 790* vixisse dicitur. Hariseus Gedeonis decessor anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto Placitum Attiniacense, Bernuinus ejusdem Gedeonis successor anno Christi octingentesimo undecimo Testamentum Caroli Magni suis subscriptionibus communiunt. Medius inter utrumque sedit Gedeon; at ut ignorantur anni, quibus obitus Harisci & ordinatio Bernuini debeant consignari, sic & deprehendi nequeunt anni quibus Gedeon Archiepiscopatum iniit desiitque vivere. Diuturnus sanè fuit Gedeonis Pontificatus, & in ejus initium longè ante annum Christi septingentesimum nonagesimum incidit munus Abbatiale Buosonis, cui primùm successit Grimoaldus, deinde Andreas de quo loquimur, tum Dotto quem anno Caroli Regis vicesimo-secundo sive anno Christi septingentesimo nonagesimo cum Gedeone litem de Cella Sancti Lupicini movisse docet vetus apud Perardum Diploma. Trudoaldum & Gayleubum Luxovienses Abbates Tomo superiore laudavimus; his successerunt, Ayribrandus, Buoso, Grimoaldus, Andreas quem hoc anno proximóque in vivis fuisse testantur Adriani Papæ literæ [c]. ABBATES LUXOVIENSES.

XIII. Carolus, cùm è Saxonia reversus ad Attiniacum Palatium contenderet, iter habuit per Diœcesim Moguntinam, cui Lullus tunc Archiepiscopus præerat, ut docet instrumentum Donationis [d], quam idem Archiepisco-

[a] Cod. Carol. ep. 91.

[b] Tom. 4. Gall. Christ.

[c] Cod. Carol. ep. 91.

[d] Ap. Brower. in Antiquit. Fuld. lib. 3. cap. 11.

AN CH. 785.
CAROLI R. 17.
PIPPINI LUDOV. RR. 5.

ERGA MON. FULDENSE MUNIFICI, LULLUS ARCHIEP. MOGUNT.

pus Fuldensi Monasterio Rege præsente contulit. *In Nomine Domini. Regnante Domino Carolo Francorum & Longobardorum Rege ac Patricio Romanorum, die XXV mensis Septembris, die Dominica, cùm idem Gloriosissimus Rex Carolus curiam haberet apud nos, ego Lullus Dei gratiâ Moguntinæ Sedis Archiepiscopus tradidi Domno meo S. Bonifacio Archiepiscopo & Martyri coemptionem prædiorum, quam coemi in villa Fargalaha, quæ sita est in pago Thuringiæ, super fluvium Vnstruth nuncupatum, eâ conditione ut pars mea sit cum Domno & Patre meo Sanctissimo, Bonifacio Martyre & Archipontifice, in Regno Dei, & ut fratres Fuldenses mei perpetuò sint memores. Dedíque consilium quibusdam fidelibus nostris, quatuor videlicet nobilissimis viris, Waltoni, Reginaldo, Warmundo, Burchardo, qui prædia in confinio ejusdem villæ Fargalaha in proprietatem habebant, ut partes suas S. Bonifacio traderent, eúmque suum hæredem facerent in terris, ut sui cohæredes fierent in cœlis, qui & ita fecerunt. Et hæc traditio coram Rege confirmata est.* In hunc annum, quo dies vicesimus-quintus mensis Septembris cum Dominico coincidit, Donationem illam rejicimus, quoniam ab obitu Pippini Regis ad mortem usque Lulli Archiepiscopi, duo tantùm reperiuntur anni, qui per mensem Septembrem literâ Dominicali B præditi fuerint, anni videlicet post Christum natum septingentesimus septuagesimus-quartus & septingentesimus octogesimus-quintus. Ex variis autem itineribus, quæ Carolus Rex anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto confecit, apertè colligimus eum illo anno, die vicesimo-quinto Septembris, extra fines Moguntinæ Diœcesis degisse. Carolus, ut ad eundem annum ex probatis Auctoribus observavimus, ex Italia magnis itineribus reversus substitit Ingelhaimii, Laureshamensis Ecclesiæ dedicationi præsens interfuit *in capite Kalendarum Septembrium*, id est, postridie Idus Augusti, tum rediit Ingelhaimium, atque inde Haristallium, tum Duram seu Duriam profectus est. Apud Haristallium versabatur Kalendis Septembribus, apud Duram decimo-octavo Kalendas Octobres. Utrumque constat ex subscriptionibus Regiorum Præceptorum ad illum annum jam descriptis. Primum, sic. *Data Kalend. Septembr. anno VI. regnante Carolo Piissimo Rege, Aristalio Palatio.* Alterum, sic. *Datum octavo-decimo Kalend. Octob. anno sexto, regnante Domno nostro Carolo Gloriosissimo Rege. Actum Durâ Palatio publico.*

XIV. Willibaldus Eystettensis Episcopus Fuldense Monasterium octavo Idus Octobris, hoc eodem anno, cùm annus Caroli Regis duodevicesimus jam numerabatur, insigni locupletavit Donatione, quæ libro secundo [a] Traditionum Fuldensium sic habetur. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi, ego Willibald concedente gratiâ Divina Majestatis Episcopus, imò & Catholicæ Christi vernaculus Ecclesiæ, juxta quod testantur Divina Oracula, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, idcircò cogitans, quomodo aqua ignem extinguit, ita eleemosynarum largitio resistere queat peccatis, in eleemosynam meam & remissionem peccatorum meorum trado ad Monasterium Sancti Bonifacii; quod est constructum super ripam amnis, qui dicitur Fuldanensis, ubi religiosus & præclarus Paugolf Abbas, cum magna Monachorum multitudine Deo servire cognitus est, post obitum meum, id est, in supradicto loco novem trado colonias (hoc sunt hobunna) integras cum omnibus adjacentiis & finibus suis, in arialis, in terris arduriis, in silvis, in campis, in pratis, in pascuis, aquis, aquarúmve decursibus, adicfiiis, molinoriis, muncipia cum omni supellectili eorum, & hæc nomina seu numerus eorum. Egilwart cum conjuge ejus & cum uno infante, Adalwih & duo infantes cum ea, & una fœmina Tagalind nomine, Irminfrid & conjux ejus cum duobus infantulis, Adalhart & uxor ejus & quatuor infantes cum eis, Meginhilt cum duobus parvulis, Ruodolf cum uxore sua & tribus infantulis, Gozleib, Perahpald, omniúmque viginti octo, & in villa nuncupata Ibestat unam coloniam, sicut supradictum est, in eleemosynam meam trado ad jam dictum Monasterium, totum & integrum, scilicet ut post exitum vitæ meæ su-*

[a] Tradit. 25.

WILLIBALDUS EYSTETTENSIS EP.

prædictam rem, Domino volente, melioratam & imminutam & incontradictam in omnibus rebus vos & secutores vestri habere ulterius, frui perenniter, sicut hac præsens Traditionis continet Chartula, cum testium manibus suppositis & signis adhibitis liberam ac firmissimam in omnibus habeatis potestatem, cum stipulatione subnixa. Actum in Monasterio Fuldanensi, anno XVIII inchoato, *regnante Carlo Gloriosissimo Rege Francorum & Langobardorum atque Patricio Romanorum, die 8 mensis Octobris, & ego Asger indignus Presbyter rogatus scripsi, ✠ signum Eburacaris Comitis, ✠ signum Eggi, &c.* Ut & hujus & aliarum Fuldensium Traditionum voces nonnullas intelligas, quarum usus in solis penè Germanorum Chartis invenitur, hobunnam, hobam, hiobam, hubam, houbam & obam, mansum interpretare seu colonicam; voces quoque synonymas, aream, areolam, arealem, arialem, arealam, & ariolam arbitrare; & ardurias terras easdem ac atatutias existima. AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

Browerus in Fuldensibus Antiquitatibus hunc undecimo capiti libri tertii præfigit titulum. *Sancti Bonifacii pia vota consiliáque, ut optatis ab ipsius obitu successibus exaucta, & quâ, sive Ecclesia ab ipso erecta, sive populi ab eo conversi, pietate & beneficentiâ Fuldense Monasterium & Martyris memoriam prosecuti sunt.* Primum documentum sumit *à quatuor Bojoariæ Ecclesiis*, alterum *à Traditione Lulli Episcopi*, tertium *à S. Willibaldi Donatione*, quartum *à populis Christianâ lege Bonifacii studio imbutis*, quintum *à cunctis promiscuè Christi fidelibus*. Actum de primo ad annum Christi septingentesimum undequinquagesimum [a], de secundo ad hunc annum [b] suprà. Tertium sic exhibetur. *Willibaldus etiam Eichstatensis Ecclesiæ Episcopus obtulit Deo & B. Bonifacio, cujus ipse quondam fidelis erat discipulus, fratribúsque suis Fuldensibus, in oblationem, villam unam in pago Sualefeldensi, Kucheste nuncupatam, ut annuo censu fratres pro sui commemoratione consolationem & oblectationem & pitantiam habeant.* Quartum quindecim millia mansorum complectitur, *in Saxonia* MMM *mansorum, totidem in Thuringia, item in provincia Hessanum & Weteresbiorum, item in provincia Rheni & Wormatiæ tria millia, similiter in provincia Bojaria & Alamannia* seu Sueviæ. Quintum Donationem Leideratti Comitis inter alias ita repræsentat, Lullo, de quo proximè, Moguntiacensem Archiepiscopatum tunc obtinente. *Leideratus verò Comes per manus Lulli Archiepiscopi Moguntini omne patrimonium suum Wormaticensis tractûs huic Congregationi tradidit, & in urbe Moguntia complures domos & familias. Permulta quoque vitiferis è locis Rhenus dona vini undique convehebat.* XV.

a Num. 5.
b Num. 23.
LEIDERATUS COMES.

In editione Veneta tertius Conciliorum Tomus octoginta Canones Hadriani Papæ cum hoc Titulo repræsentat. *E Græcis & Latinis Canonibus & Synodis Romanis atque Decretis Præsulum ac Principum Romanorum hæc Capitula sparsim collecta sunt, & Ingilramno Mediomatricæ urbis Episcopo Romæ à Beato Papa Adriano tradita sub die* XIII *Kalend. Octob. Indict.* XI. *quando pro sui negocii causâ agebatur.* Baronius [c] nonam reponit Indictionem, eámque anno Christi septingentesimo octogesimo-sexto perperam illigat, per mensem enim Septembrem illius anni decima jam currebat Indictio. Servatâ igitur Indictione nonâ, quam Binius, Sirmondus, aliíque Conciliorum Collectores constantissimè retinuerunt, hunc annum à Christo nato septingentesimum octogesimum-quintum meritò adscribes. Apud hos Auctores hic Capitulis præfigitur Titulus. *Hadriani Papæ Capitula, quæ ex Græcis & Latinis Canonibus, & Synodis Romanis, atque Decretis Præsulum ac Principum Romanorum sparsim collecta sunt, & Ingilramno Mediomatricæ urbis Episcopo Romæ à Beato Hadriano Papa tradita sub die* XIII *Kalendas Octobris, Indictione* IX. *quando pro sui negotii causâ agebatur.* Dubium non est, quin ista Capitula Hadriano Papæ jam ab ævo Hincmari Remensis Archiepiscopi tributa sint, hic enim in Opusculo [d] adversùs Hincmarum Laudunensem XVI.

c Tom. 9. ad an. 786. n. 6.
d Cap. 24.

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

Epiſcopum ſic ſcribit. *De Synodis verò, quæ dicuntur ex Græcis & Latinis Canonibus, & Synodis Romanis, atque Decretis Præſulum ac Ducum Romanorum collecta ſub Adriano Papa, & Engelramno Metenſium Epiſcopo data, quando pro ſui negotii cauſa agebatur, ex quibus*, &c. Vetuſti tamen Codices manuſcripti reperiuntur, qui prædicta Capitula non ab Hadriano Papa ſed ab ipſomet Ingelramno ſive Angelramno Metenſi Epiſcopo collecta & Hadriano Papæ oblata teſtantur. In Bibliotheca Monaſterii Sancti Victoris Pariſienſis, ſic, *incipiunt Capitula collecta ex diverſis Conciliis ſive Decretis Pontificum Romanorum ab Agilramno Metenſi Epiſcopo & Adriano Papa oblata.*

ANGELRAMNUS EP. METENS. NOVAM CAPITULORUM COLLECTIONEM OFFERT ADRIANO PP.

Item in Bibliotheca Monaſterii Lætienſis, ſic, *liber Capitulorum ex diverſis Conciliis ſive Decretis Romanorum Pontificum collectorum ab Anilramno Metenſi Epiſcopo.* Antonius Auguſtinus iſta Capitula Hadriano abjudicat, interlocutori enim dicenti, quòd *Capita ad Ingelramnum, cùm Hadriani nihil habeant, ejus nomine feruntur*, annuit Dialogo decimo-quinto, additque *de his ſatis in Notis ſcriptum*, id eſt, in Notis, quibus eadem illuſtravit Capitula. Lectis illis Notis, vir eruditus in libro [a] de Judiciis Canonicis Epiſcoporum, prædicta Capitula ſuſpicatur ex eadem officina prodiiſſe cum Decretalibus epiſtolis Romanorum Pontificum à Clemente ad Siricium, quas ſuppoſititias eſſe non inficiatur. Illarum epiſtolarum Collectio, è qua multæ ſententiæ in ſupradicta Capitula tranſierunt, ante annos undecim ignota erat Hadriano, Codex enim, quem Carolo Regi, cùm Romæ eſſet, anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto obtulit, Decreta Romanorum Pontificum *à Siricio* duntaxat *ad Gregorium Juniorem complectitur.* Ambæ Collectiones adeò differunt, ut ex earum diſcrepantia rectè concludas Hadrianum Capitulorum nec Auctorem nec Collectorem fuiſſe. Quis enim ſibi perſuadeat Codices adeò diverſos, unum in quo Canones antiquarum Synodorum cum genuinis ac veris Romanorum Pontificum epiſtolis, alterum in quo fragmenta quædam Synodicorum Canonum ac Cæſarearum Legum cum falſis ac commentitiis Romanorum Pontificum epiſtolis continebantur, ab eodem Papa intra ſpatium annorum undecim oblatos eſſe, illum Carolo Regi, ut per omnes Francorum ditiones obſervaretur, alterum Ingelramno Epiſcopo Metenſi, ut eidem Epiſcopo contra adverſarios tuitioni ac præſidio eſſet?

[a] Cap. 25. art. 1.

XVII. Suppoſititiæ Romanorum Pontificum epiſtolæ à Clemente ad Siricium, *circa annum 780*, ut Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica [b] de Scriptoribus Eccleſiaſticis aſſerit, in lucem primùm prodierunt. Multas inde ſententias Ingelramnus Metenſis Epiſcopus deſcripſit, illáſque Capitulis inſeruit, quæ anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-quinto, *quando pro ſui negotii cauſa agebatur*, Hadriano Papæ obtulit. Moguntiacenſis Archiepiſcopus tunc erat Lullus, eíque biennio pòſt in Archiepiſcopatum ſucceſſit Riculfus, qui prædictarum epiſtolarum librum allatum ex Hiſpania primus Gallorum acceperat ac publicarat. Hæc ad Chronologiam, ne ſcrupulum tibi moveat præcitatus Auctor libri de Judiciis Canonicis Epiſcoporum, capite decimo-quinto, articulo primo ſub finem, vel Petrus *de Marca* libro ſeptimo de Concordia Sacerdotii & Imperii, capite viceſimo. Ille enim poſtquàm Romanorum Pontificum epiſtolas à Clemente ad Siricium, quæ vulgatæ ſunt ab Iſidoro, ſuppoſititias non ſemel aſſeruit, rem Chronologicis intricare difficultatibus conatur, ut Lector, in cujus manus venerint, dubius impoſterum hæreat, utrùm eas probare tanquam legitimas, an improbare tanquam ſpurias debeat. Hic verò Capitulorum Collectionem, quemcumque nacta ſit Auctorem, vetuſtiorem cenſet Iſidoro, quem iiſdem Capitulis uſum dicit *in adornanda Collectione epiſtolarum apocrypharum.* Illarum epiſtolarum Collector ætate Hincmari Remenſis Archiepiſcopi creditus eſt Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, idem enim Hincmarus teſtatur *ſcriptum in quodam ſermone ſine exceptoris nomine de Geſtis*

[b] In S. Iſidoro Hiſpal. Ep.

Sancti

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

Sancti Silvestri excepto, quem Isidorus Episcopus Hispalensis collegit cum epistolis Romanæ Sedis Pontificum à Sancto Clemente usque ad beatum Gregorium, eundem Sanctum Silvestrum decrevisse, ut &c. Sed ipsemet Collector Isidoro Hispalensi, quem anno Christi sexcentesimo tricesimo-sexto obiisse constat, in operis sui Præfatione multò recentiorem se profitetur, nam Concilii, *temporibus Agathonis Papæ & Constantini Imperatoris*, id est, anno Christi sexcentesimo octogesimo-primo, apud Constantinopolim celebrati meminit. Hispanum se prodit hac periodo. *In principio voluminis hujus, qualiter Concilium apud nos celebretur, posuimus, ut qui nostrum ordinem sequi voluerint, sciant qualiter hoc agere debeant.* Celebrandi enim Concilii totum ordinem è quarto Concilio Toletano desumit, ut patet ex ipsius ordinis Titulo, qui primo Conciliorum Tomo sic exhibetur. *Ordo celebrandi Concilii, desumptus ab Isidoro Mercatore ex quarto Concilio Toletano cap. 4. & Garsiæ Loaysa Hispanicorum Conciliorum editoris diligentiâ emendatus.* Monachus creditur ex hoc Præfationis initio. *Isidorus peccator, servus Christi, conservo suo & parenti fidei, in Domino salutem.* In manuscriptis Codicibus, modò *peccator*, modò *mercator* cognominatur. Ejus librum, ut suprà jam notavimus, ex Hispania in Gallias allatum primus Gallorum accepit ac publicavit Riculfus, is qui Lullo in Archiepiscopatum Moguntiacensem anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo posteà successit. Hincmaro enim Laudunensi Episcopo Hincmarus Remensis Archiepiscopus ita rescribit [a]. *Fortè putasti neminem alium easdem sententias* Ingelramni, *vel ipsas epistolas* ab Isidoro collectas, *præter te habere, idcircò talia liberè te existimasti posse colligere; res mira est, cùm de ipsis sententiis plena sit ista terra, sicut & de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus Episcopus in hujusmodi, sicut & in Capitulis Regiis, studiosus obtinuit, & istas regiones ex illo repleri fecit.* In postrema Conciliorum [b] editione Philippus Labbeus, ut suum de Romanorum Pontificum epistolis ab Isidoro collectis judicium ferret, insignem ad eas observationem edidit hoc exordio. *Mirum est, viris doctissimis, Turriano, Binio, & quibusdam aliis in tanta eruditionis Ecclesiasticæ luce probari potuisse Decretales illas epistolas, à quocumque, seu Mercatore, seu Peccatore fabricatas, & antiquis Romanæ urbis Pontificibus suppositas, adeò enim perspicacibus viris deformes videntur hoc saltem tempore, ut nullâ arte, nullâ cerussâ, aut purpurisso fucari possint. Eas omnes, saltem plerasque earum repudiarunt eruditissimi quique tractatores Catholici, Baronius, Bellarminus, Perronius, Contius, Antonius Augustinus, Lorinus, Sirmondus, Ducæus, Petavius, Marca, Bosquetus, ut alios modò, sive antiquiores, sive recentiores, silentio obvolvam.* Omittere tamen ob eruditionem ac dignitatem non possumus Eminentissimum Cardinalem Bonam, qui post Labbei mortem duos rerum liturgicarum libros edidit Romæ, tertióque capite libri primi Stephanum Durantum, Josephum Vicecomitem, Joannem Baptistam Scoriam, aliósque sic carpsit. *Ex Romanis Pontificibus primi & secundi seculi testimonia nullius roboris coacervant: dudum enim ab eruditis observatum est illorum Epistolas Decretales usque ad Siricium suppostitias esse à quodam Hispano sub nomine Isidori (quicumque ille fuerit) sub finem septimi seculi piâ fraude confictas, & ex sententiis veterum Canonum, Legum etiam civilium, & Sanctorum Patrum, qui quarto & quinto seculo floruerunt, turpi anachronismo, eodémque ferè stylo ac dicendi charactere magna ex parte contextas, quas primùm ex Hispania in Galliam detulit labente octavo seculo Riculfus Episcopus Moguntinus, & inde in alias regiones disseminata ac communiter recepta sunt. Sed tandem impostura detecta est, & Baronius de his Epistolis disserens anno 865, earum falsitatem agnoscit, & apertè fatetur, ne quis, inquit, calumniari possit ab Ecclesia Romana aliquid hujusmodi commentum esse.* Ingilramnus sive Ingelramnus in condendis Capitulis usus est potissimùm Epistolis, Anacleti, Evaristi, Alexandri, Telesphori, Hyginii, Pii, Aniceti,

[a] Opusc. 55. cap. 24.

[b] Tom. 1.

EX SUPPOSITITIIS POTISSIMUM EPISTOLIS AB ISIDORO COLLECTIS.

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

Eleuthetii, Zephytini, Callisti, Fabiani, Stephani, Felicis, Eutychiani, Matcellini, Eusebii, & Julii, Romanorum Pontificum; singulatum epistolarum textus cum ipsis Capitulis confetendos producemus, subjiciemúsque notatiunculas, quas ad earumdem oram posuit in nuperrima Conciliorum Collectione ptælaudatus Labbeus Societatis Jesu Presbyter. Plures de Decretalibus illis Epistolis observationes non præmittemus, quia locus hic tantùm postulat, ut agamus de Capitulis, quorum Auctor Ingelramnus Metensis Episcopus. Sententias appellat Hincmarus [a] Remensis Archiepiscopus, ejúsque judicio *quàm dissona inter se habeantur, qui legit satis intelligit, & quàm diversa à sacris Canonibus, & quàm discrepantes in quibusdam ab Ecclesiasticu judiciis habeantur.* Nonnullas allegat, quas præcipuè reprehendit. Regiis tamen Capitularibus ferè omnes insertæ sunt, ut Antonius Augustinus in suis ad eas notis manifestissimè demonstrat. Ingelramnus, *quando pro sui negotii causa agebatur*, eas Hadtiano Papæ obtulit, ut sibi patrocinium contra advetsatios comparatet. Singulas accipe cum quibusdam notatiunculis.

[a] Opusc. 33. cap. 24.

XVIII. Ptimum Capitulum. *Dei ordinationem accusat, in qua constituuntur, qui Episcopos accusat vel condemnat, dum minùs spiritualia quàm terrena sectantur. Unde & Propheta ait. [Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Hujus Capituli pars prima sumitur ex epistola Telesphori Papæ, quæ sic habet: *Dei ergo accusat ordinationem, qui eos, qui ab eo constituuntur, Sacerdotes accusat, vel damnari cupit*; pars verò postrema petitur ex epistola prima Eusebii Papæ, in qua citatur idem textus Sacræ Scripturæ. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Lege librum sextum Capitularium, cap. CCLXXX. Epistola Telesphori πολλοῖς *viris eruditis suspecta.* Epistolæ Eusebii *conficta ac spuria omnes.* Hæc est Labbei censura in ultima Conciliorum editione.

XIX. *II* Capitulum. *Placuit, ut quæcumque persona contra Episcopum vel Actores Ecclesiæ, se proprium crediderit habere negotium, priùs ad eum recurrat caritatis studio, ut familiari colloquio commonitus, ea sanare debeat, quæ in querimoniam deducuntur. Quam rem si differre voluerit, sententiam suscipiat excommunicationis.* Ingelramnus hoc excerpsit Capitulum è Synodo Aurelianensi quinta, anno duodequadragesimo Childeberti Regis, id est, anno Christi quingentesimo undequinquagesimo celebrata, cujus Canon decimus-septimus sic habet. *Placuit etiam, ut si quæcumque persona contra Episcopum vel Actores* seu Procuratores *Ecclesiæ, se proprium crediderit habere negotium, priùs ad eum recurrat caritatis studio, ut familiari aditione commonitus, sanare ea debeat, quæ in querimoniam deducuntur. Quam rem si differre voluerit, tunc demùm ad Metropolitani audientiam veniatur. De qua re cùm literas suas Metropolitanus ad comprovincialem Episcopum dederit, & causa ipsa inter utrosque quacumque transactione amicis mediis non fuerit definita, ut ipsi Metropolitano necessarium sit in eodem negotio iterare rescriptum, & secundò admonitus sanare, mittere aut venire distulerit, tamdiu à caritate Metropolitani sui noverit se esse suspensum, donec ad præsentiam ejus veniens, causa ipsius, de qua petitur, reddiderit rationem. Quòd si patuerit Episcopum ipsum contra justitiam fatigatum, is qui eum injustâ interpellatione pulsavit, anni spatio à communione Ecclesiastica suspendatur. Si verò Metropolitanus à quocumque comprovinciali Episcopo bis fuerit in causa propria appellatus, & cum audire distulerit, ad proximam Synodum, quæ constituetur, negotium suum in Concilio habeat licentiam exercendi, & quidquid pro justitia à comprovincialibus suis statutum fuerit, studeat observare.* Lege librum sextum Capitularium, cap. CCLXXXVII.

XX. *III* Capitulum. *Nullus Episcopus, nisi canonicè vocatus, & in legitima Synodo suo tempore Apostolicâ auctoritate convocata (cui jussione Domini & meritis beati Petri Apostoli, singularis congregandorum Conciliorum auctoritas, & Sanctorum Canonum ac venerandorum Patrum Decretis multipliciter privata tradita

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

est potestas) super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur vel impetatur. Si aliter præsumptum à quibuslibet fuerit, in vanum deducatur quod egerint. Nec inter Ecclesiastica ullo modo reputabitur, nec ullas habebit vires, quicquid ei obviaverit. Quoniam eadem Sedes testante veritatis voce primatum obtinuit; nec prima diceretur, si aliam super se haberet. Quæ etiam caput est omnium Ecclesiarum, à qua omnes sumpsere originem. Primatum enim non Synodalibus aut aliquibus commentis meruit institutis, sed Domino largiente, qui ait; [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam] & reliqua talia, & his similia. Quibus si aliquis superbo oculo obviaverit præceptionibus, non exeat impunitus, sed gradûs sui periculo subjacebit. Lege additionem quartam ad Capitularia, cap. XII. Ingelramnus tertium hoc Capitulum mutuatus est ex epistola prima Julii Papæ, quæ sic habet. *Prævidentes sancti Patres insidias & illicitas altercationes, unanimiter in prædicta Nicæna statuerunt Synodo, ut nullus Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolicâ auctoritate convocata, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, id est, judicetur vel damnetur. Sin aliter præsumptum à quibusdam fuerit, in vanum deducatur quod egerint, nec inter Ecclesiastica ullo modo reputabitur.* Et paulò pòst. *Ipsa* Sedes Apostolica *omnibus major & prælata est Ecclesiis, quæ non solummodò Canonum & Sanctorum Patrum Decretis, sed Domini Salvatoris nostri voce singularem obtinuit Principatum. [Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam] & reliqua. Et, [quæcumque ligaveris super terram & solveris, erunt ligata & soluta in cælo & in terra.] Porrò dudum à Sanctis Apostolis successoribúsque eorum in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hactenus sancta & universalis Apostolica tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari, quoniam Sanctam Romanam Ecclesiam primatem * omnium Ecclesiarum esse voluerunt.* * *primariam* Ad marginem autem hujus epistolæ legitur hæc Philippi Labbei notatiuncula. *Hæc* epistola *cum seqq. supposita Baronio aliisque eruditis meritò videtur, non secus atque alia Isidori merces.* Nec omittendum, quòd in Nicæna Synodo, quam Julius allegat, nullum est talis Decreti vestigium.

IV Capitulum. *Placuit ut semper primò in accusatione Clericorum fides & vita blasphemantium perscrutetur. Nam fides omnes actus hominis debet præcedere, quia dubius in fide infidelis est. Nec eis omnino esse credendum, qui veritatis fidem ignorant, aut non recta conversationis vitam ducunt, quoniam tales facilè & indifferenter lacerant, & criminantur rectè & piè viventes & credentes. Ideo suspicio eorum discutienda est primò, & corrigenda.* Eadem prorsus reperiuntur capite undecimo additionis quartæ ad Capitularia. Ingelramnus totum hoc Capitulum transcripsit ex secunda Julii Papæ epistola, cujus caput undecimum tale est. *Placuit, ut semper in accusatione Clericorum, primò persona, fides, vita, & conversatio blasphemantium perscrutetur. Nam fides omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide infidelis est. Nec eis omnino est credendum, qui veritatis fidem ignorant, nec recta conversationis vitam ducunt, quoniam tales & facilè & indifferenter lacerant & criminantur rectè & piè viventes. Ideò suspicio eorum discutienda est primò, & corrigenda, neque accusatoribus suspectis & de inimicorum domo prodeuntibus est credendum.* In eadem versantur materia complures antiquiorum Pontificum epistolæ. Iisdem verbis usus est Sixtus epistolâ primâ sub finem. Sixti verba non retinuit, sed ejus sensum reddidit Pius epistolâ quoque primâ. Ceteros prætermittimus, quos Antonius Augustinus in notis ad hoc Capitulum citat. Adversùs secundam Julii Papæ epistolam sufficit notatiuncula superiori Capitulo ex Labbeo subjecta, qui suum de vetustiorum Pontificum epistolis ab Antonio Augustino productis judicium in margine sic tulit. *Omnes illæ epistolæ supposititiæ, tom. 1. & 2. vide suis locis.* XXI.

V Capitulum. *Sancta Synodus Romana dixit. Hæc sunt, quæ deinceps, propter malorum hominum insidias, qui in Ecclesiam & Ecclesiasticos indifferen-* XXII.

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

ter saviunt viros, conservari firmissimè volumus in secula. Si quis Episcopus ab illis accusatoribus, qui recipiendi sunt, fuerit accusatus, postquàm ipse ab eis caritativè conventus fuerit, ut ipsam causam emendare debeat, & eam corrigere noluerit, non olim, sed tunc ad summos Primates causa ejus Canonicè deferatur. Qui congruo in loco, infra ipsam provinciam, tempore à Canonibus præfixo Nicanis, Concilium Canonicè convocare debebunt, itaut ab omnibus ejusdem provinciæ Episcopis in eo audiatur. In quo & ipse Canonicè convocatus, si eum aut infirmitas, aut alia gravis necessitas non detinuerit, adesse debebit, quia ultra provinciæ terminos accusandi anteà licentia non est, quàm audientia rogetur. Nam si suis fuerit rebus exspoliatus, aut quod absit, quod alienum ab omnibus debet esse fidelibus, à Sede propria ejectus, aut in detentione aliqua à suis ovibus fuerit sequestratus, tunc Canonicè, antequàm in pristinum restituatur honorem, & sua omnia, quæ insidiis inimitorum suorum ei ablata fuerant, redintegrentur, nec convocari, nec judicari poterit, nisi ipse pro sua necessitate, minimè tamen judicandus, advenire sponte elegerit. Nec omnino à quoquam respondere cogatur, antequàm omnia integerrimè, quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati ejus ab honorabili Concilio redintegrentur, & Præsul priùs statui pristino restituatur, & ipse dispositis ordinatísque liberè ac securè suis, tunc Canonicè convocatus, ad tempus Synodo in Legitima & Canonica veniat ad causam, &, si ita justè videtur; accusantium propositionibus respondeat. Nam hoc summoperè providendum est, ne, antequàm hæc omnia fiant, coactus respondeat, quia contentio semper vitanda est. Adimi namque Episcopo Episcopatum, antequàm causæ ejus exitus appareat, nulli Christiano videri jure potest. Quòd si ægrotans fuerit Episcopus, aut aliqua eum gravis necessitas detinuerit; pro se Legatum ad Synodum mittat, nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum Judicum die statutâ literis evocatus minimè occurreris, hoc est, nisi alia præoccupaverit necessitas, infra duorum vel trium mensium spatium & eo amplius, prout causa dictaverit. Quòd si ex utraque parte ad causam dicendam venerint, quia unus absque altero audiri non debet, quærendum est in judicio, cujus sint conversationis & fidei atque suspicionis accusatores, aut quâ intentione hoc faciant, quia ad hoc admitti non debent nisi bonæ conversationis & rectæ fidei viri, & ii qui omni suspicione careant, & bonâ vitâ clareant, neques infames existant. Quòd si accusatorum persona in judicio Episcoporum culpabiles apparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias habuerint causas, non tamen criminales vel Ecclesiasticas. Infamis enim persona nec Procurator potest esse, nec Cognitor. Absente verò adversario non audiatur accusator, nec sententia absente parte aliâ à Judice dicta ullam obtinebit firmitatem. Neque absens per alium accusare, aut accusari potest. Nec affinis testis admittatur. Neminem ergo exhiberi de provincia ad provinciam, vel ad Comitatum oportet, nisi ad relationem Judicis, ad quem fuerit appellatum, id est, ut Actor semper rei forum sequatur. Si quis autem Judicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, quam nulli oportet negari. Idem est hoc Capitulum cum octavo additionis quartæ ad Capitularia. Descriptum fuit ab Ingelramno ex epistola secunda Felicis Papæ, quæ sic habet. *Sancta Synodus dixit. Hæc sunt, quæ deinceps propter malorum hominum insidias, qui in Ecclesiam & in Ecclesiasticos saviunt viros indifferenter, & conservare firmissimè volumus in secula. Si quis Episcopus ab illis accusatoribus, qui recipiendi sunt, fuerit accusatus, postquàm ipse ab eis caritativè conventus fuerit, ut ipsam causam emendare debeat, & eam corrigere noluerit, non olim, sed tunc ad summos Primates causa ejus Canonicè deferatur. Qui in congruo loco intra ipsam provinciam, tempore congruo, id est, autumnali vel æstivo, Concilium regulariter convocare debebunt, itaut ab omnibus ejusdem provinciæ Episcopis inibi audiatur. Quò & ipse regulariter convocatus; si eum aut infirmitas, aut alia gravis necessitas non detinueris, adesse debebit, quia ultra provinciæ terminos accusandi antè licentia non est, quàm audientia rogetur. Nam si suis fuerit aut Ecclesia sibi*

commissa rebus exspoliatus, aut (quod absit, quod alienum ab omnibus esse debet fidelibus) à Sede propria ejectus, aut in detentione aliqua à suis ovibus fuerit sequestratus, tunc Canonicè, antequàm in pristino statu restituatur, cum omni privilegio sui honoris, & sua omnia, quæ insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerunt, legibus redintegrentur, nec convocari, nec judicari poterit, nisi ipse pro sua necessitate (minimè tamen judicandus) advehire sponte elegerit. Nullatenus ergo à quoquam respondere rogetur, antequàm integerrimè omnia, quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati ejus ab honorabili Concilio legali ordine redintegrentur. Præsul verò cum omni honore statui pristino reddatur, & ipse dispositis ordinatisque liberè atque sécurè diu suis, tunc regulariter infra quatuor vel quinque, sex aut septem menses, juxta quod possibilitas ei fuerit, & non ante, convocatus ad tempus, Concilio in Legitimo & Canonico, veniat ad causam, &, si ita justè videtur, accusantium propositionibus respondeat. Nam hoc summoperè providendum est, ne, antequàm hæc omnia fiant, coactus respondeat, quia contentio semper vitanda est. Adimi namque Episcopo Episcopatum, antequàm causa ejus exitus appareat, nulli Christiano videri jure potest, quia talis præsumptio, sacrilegium est; & auctor talium, sacrilegus. Quòd si ægrotans fuerit Episcopus, aut aliqua eum gravis necessitas detinuerit, pro se Legatum ad Synodum mittat. Nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum Judicum die statutâ literis evocatus, minimè occurrerit; hoc est, nisi eum aliqua præoccupaverit necessitas infra spatium prædictorum mensium, & eo ampliùs, prout causa dictaverit. Quòd si ex utraque parte ad causam dicendam venerint, quia unus absque altero audiri non debet, quærendum est in judicio, cujus sint conversationis & fideî atque suspicionis accusatores, aut quâ intentione hoc faciant, quia ad hoc admitti non debent, nisi bona conversationis & recta fidei viri, hi videlicet, qui omni suspicione careant, neque infames existant. Quòd si accusatorum persona in judicio Episcoporum culpabiles apparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias causas asserere (non tamen criminales vel Ecclesiasticas) voluerint. Infamis enim persona nec Procurator potest esse, nec Cognitor. Absente verò adversario, non audiatur accusator; nec sententia absente parte aliâ à Judice dicta ullam obtinebit firmitatem; neque absens per alium accusari aut accusare potest, nec affinis testis admittatur. Neminem ergo exhiberi de provincia ad provinciam vel ad Comitatum oportet, nisi ad relationem Judicis, ad quem fuerit appellatum, id est, ut Actor semper rei forum sequatur. Si quis autem Judicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, quam nulli oportet negari. Hanc Felicis epistolam non tantùm transcripsit, sed etiam interpolavit Ingelramnus. Duas interpolationes breviter observa. Ingeltamnus, ut potiorem auctoritatem assertioni suæ conciliet, citatam à se Synodum, Romanam sic vocat, *Sancta Synodus Romana dixit.* Vox *Romana* non legitur in epistola Felicis Papæ, cujus hic est textus, *Sancta Synodus dixit*, & ad marginem apposite Labbeus in sua notatiuncula monet nondum patere quæ fuerit illa Synodus & quo tempore fuerit habita, quia nihil è supposititia Felicis epistola colligi potest. *Sed quæ*, inquit, *quove tempore, nondum patet. Ex hac enim epistola, quæ spuria est, nihil colligi potest.* Deinde hanc ejusdem epistolæ locutionem, *in congruo loco, intra ipsam provinciam, tempore congruo, id est, autumnali vel æstivo, Concilium regulariter convocare debebunt*, ita reddit Ingelramnus, *congruo in loco, infra ipsam provinciam, tempore à Canonibus præfixo Nicænis, Concilium Canonicè convocare debebunt*, & inde teste Labbeo *arguitur fraus Interpolatoris*, qui textui ex epistola Felicis Papæ longè ante Concilium Nicænum mortui desumpto mentionem Canonum Nicænorum insetit, ipsâ Synodo Nicænâ, quæ nihil simile statuit, ne quidem consultâ.

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

VI Capitulum. *Si quis autem putaverit se à proprio Metropolitano gravari, apud Primatem Diœceseos, aut apud Constantinopolitanæ civitatis Sedem, agat judicium, & reliqua.* Hoc Capitulum idem est cum decimo-tertio addi- XXIII.

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

tionis quartæ ad Capitularia. Sumitur è Concilio Calchedonensi, in cujus Canone decimo-septimo hæc leguntur. Εἰ δέ τις παρὰ τοῦ ἰδίου ἀδικεῖτο Μητροπολίτου παρὰ τῷ Ἐξάρχῳ τῆς διοικήσεως, ἢ τῷ Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ δικαζέσθω. Et à Dionysio Exiguo sic redduntur. *Quod si quisquam à suo Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceseos, aut apud sanctam Constantinopolitanam Sedem judicetur, sicut superiùs dictum est.* Sic autem ab Isidoro Mercatore, *si quis verò putaverit se à proprio Metropolitano gravari, apud Primatem Diœceseos, aut apud Constantinopolitanæ civitatis Sedem, agat judicium, sicut dictum est*, id est, Canone nono, cujus hæc est postrema sanctio. Εἰ δὲ πρὸς τὸν τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας Μητροπολίτην ἐπίσκοπος ἢ κληρικὸς ἀμφισβητοίη, καταλαμβανέτω ἢ τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, ἢ τὸν τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον, καὶ ἐπ' αὐτῷ δικαζέσθω. *Quòd si adversùs ejusdem provinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem Diœceseos, aut Sedem Regiæ Urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam judicetur.* Ita Dionysius Exiguus. Isidorus verò Mercator, sic. *Si verò contra ipsius provinciæ Metropolitanum Episcopum Episcopus sive Clericus habeat controversiam, pergat ad ipsius Diœcesis Primatem, aut certè ad Constantinopolitanæ Regiæ civitatis Sedem, ut eorum ibi proprium negotium exquiratur.* Ingelramnus, ut ex capite decimo-septimo liquet, interpretationem Isidori sequitur. Plerique Romanum Pontificem per Diœceseos Exarchum seu Primatem intelligunt. Sed hæc Antonio Augustino, cui lubenter assentimur, *dura est interpretatio.* Diœcesis sex habet significationes, quas dilucidè Joannes Morinus nostræ Congregationis Presbyter in Exercitationibus [a] Ecclesiasticis exponit. Cùm Primas Diœcesim gubernare dicitur, Diœcesis multas provincias continet, ut enim unicuique provinciæ præficitur Metropolitanus, qui plures Episcopos regat, ita cuilibet Diœcesi suus præponitur Primas, qui pluribus Metropolitis præsit, atque ut ab Episcopis ad Metropolitas, sic à Metropolitis ad Exarchos seu Primates ratæ sunt appellationes. Primates autem in duplici differentia ponuntur; alii enim Patriarchæ subsunt, alii minimè. Hæc Primatum distinctio ex Concilio Constantinopolitano, quod anno Christi trecentesimo octogesimo-primo celebratum est, manifestè colligitur. Olim præter Romanum, Alexandrinum & Antiochenum, nullus erat Patriarcha, unicuique Patriarchatui complures suberant Diœceses, cuilibet Diœcesi complures provinciæ. Diœceses Romani Patriarchatûs erant in Occidente, in Oriente Diœceses Patriarchatuum Alexandrini & Antiocheni. Canone secundo Concilii Constantinopolitani, extra Patriarchatus Alexandrinum & Antiochenum, tres in Oriente commemorantur Diœceses, quæ neutri prædictorum Orientalium Patriarchatuum subjacent. Τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπους, ταῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις μὴ ἐπιέναι, μηδὲ συγχέειν τὰς ἐκκλησίας· ἀλλὰ κατὰ τοὺς κανόνας τὸν μὲν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον τὰ ἐν Αἰγύπτῳ μόνον οἰκονομεῖν. τοὺς δὲ τῆς ἀνατολῆς ἐπισκόπους τὴν ἀνατολὴν μόνην διοικεῖν, φυλαττομένων τῶν ἐν τοῖς κανόσι τοῖς κατὰ Νίκαιαν πρεσβείων τῇ Ἀντιοχέων ἐκκλησίᾳ· καὶ τοὺς τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως ἐπισκόπους τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν μόνην οἰκονομεῖν. καὶ τοὺς τῆς Ποντικῆς, τὰ τῆς Ποντικῆς μόνον. καὶ τοὺς τῆς Θρᾴκης, τὰ τῆς Θρᾳκικῆς μόνον οἰκονομεῖν. Id est, secundùm interpretationem Dionysii Exigui; *Qui sunt super Diœcesim Episcopi, nequaquam ad Ecclesias, quæ sunt extra præfixos sibi terminos, accedant, nec eas hac præsumptione confundant; sed juxta Canones Alexandrinus Antistes quæ sunt in Ægypto regat solummodò; & Orientis Episcopi Orientem tantùm gubernent, servatis Privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Ecclesiæ Antiochenæ tributa sunt. Asianæ quoque Diœceseos Episcopi ea solùm, quæ sunt in Asiana Diœcesi, dispensent; necnon & Ponti Episcopi ea tantùm quæ sunt in Ponto; &*

[a] Exercit. 11.

Thraciarum, qua in Thraciis sunt, gubernent. Amplissimæ erant tres hæ Diœceses. In Notitia enim Imperii descripta sub Arcadio & Honorio, qui decimo-quarto post Concilium Constantinopolitanum anno imperare cœperunt, Asianæ Diœcesi decem provinciæ, totidem Ponticæ, Thracicæ sex adnumerantur. Singulis provinciis sui fuerunt Metropolitæ, Diœceseon verò primarii Metropolitæ Primates & Exarchi dicti, nec ulli subjecti Patriarchæ, idque Petrus *de Marca* ex præcitato Canone sic infert in Dissertatione de Constantinopolitani Patriarchatûs institutione. *Asiana ergo Diœcesis, Pontica, & Thracica, nulli Patriarchæ suberant.* Porrò, cùm nec sibi quidquam in tres eas Diœceses arrogaret ullus Patriarcharum, nec tres eædem inter se Diœceses commiscerentur, maximum Constantinopolitanos subiit desiderium illas invadendi, novúmque instituendi Patriarchatum, ut Regia civitas, quæ Novæ Romæ nomine cohonestabatur, secundum locum post veterem Romam in rebus Ecclesiasticis obtineret. Id uno impetu non est peractum. Obtenta primùm quædam Privilegia, quibus Antistiti Constantinopolitano parabatur aditus ad Patriarchalem dignitatem. Huic Privilegium Honoris seu Sessionis post Romanum Episcopum sic tribuit Canon tertius Concilii Constantinopolitani. Τὸν μὲν τοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην. Accessit aliud ex occasione Privilegium, quod ad Patriarchalem administrationem seu jurisdictionem pertinebat. Ex omnibus Imperii provinciis sub specie negotiorum Ecclesiasticorum frequentes in Imperatoris aula degebant Episcopi, si quod dubium Canonicum incidebat, ab illis consulendus erat secundæ dignitatis Episcopus, qui, ne spretos haberet tot Episcopos in Urbe commorantes, eos in consilium adhibebat, ut prudenti juxta Canones responso proposita quæstio finiretur. Hic tot Episcoporum Conventus, cui Regiæ Urbis Antistes secundum locum post Romanum Episcopum in Constantinopolitano Concilio jam adeptus præsidebat, statim Synodi nomen sortitus est, & quod ex occasione introductum fuerat, ipsâ pòst consuetudine firmum Canonicæ Synodi robur assumpsit. Inde dictæ Σύνοδοι ἐνδημοῦσαι, seu Σύνοδος τῶν ἐπισκόπων ἐνδημούντων, id est, Episcoporum in Civitate morantium, atque in hujuscemodi Synodis Antistites Constantinopolitani de rebus fidei, déque Metropolitanorum relationibus cognoverunt. Si plura cupis, præcitatam de Constantinopolitani Patriarchatûs institutione Dissertationem consule. Hæc autem breviter attingere debuimus, quoniam ad hujuscemodi Synodos ἐνδημούσας sive ἐπισκόπων ἐνδημούντων respiciunt Canones nonus ac decimus-septimus Concilii Calchedonensis, è quibus Capitulum, de quo nunc agimus, concinnavit Ingelramnus, ut, *si quis putaverit se à proprio Metropolitano gravari, apud Primatem Diœceseos, aut apud Constantinopolitanæ civitatis Sedem, agat judicium.*

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

VII Capitulum. *Accusationis ordinem dudum canonicis institutum Decretis servari jubemus. Ut si quis Clericorum in accusatione pulsatus fuerit, non statim reus æstimetur qui accusari potuit, ne subjectam innocentiam faciamus. Sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in judicium veniat, namen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiæ similitudinem, habitâ tamen dignitatis æstimatione, patiatur; nec sibi fore noverit licentiam mentiendi, cùm calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.* Ingelramnus ista mutuatus est ex secunda Eutychiani Papæ epistola, cujus hoc est fragmentum. *Accusationis verò ordinem talem & dicimus, & servari jubemus, id est, si quis Clericorum in crimine impeditur, non statim reus existimetur, qui accusari potuit, ne suspectam innocentiam faciamus. Sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in judicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiat similitudinem, habitâ tamen dignitatis æstimatione patiatur, nec fore * sibi noverit licen-* XXIV.

* ferat

AN.CH. 785. CAROLI R.17. PIPPINI LUDOV. RR.5.

tiam mentiendi, cùm calumniantes ad vindictam poscat similiendo supplicii. Suppositiam hanc esse epistolam varii produnt textus sacræ Scripturæ, qui teste Labbeo publicati sunt juxta versionem mixtam ex Italica & Hieronymiana, ipsóque Eutychiano longè recentiorem.

XXV. *VIII* Capitulum. *Si quis Clericus super quibuslibet criminibus pulsatus fuerit, in provincia, in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerat actiones, nec astimet eum accusator suus alibi aut longiùs pertrahendum ad judicinm. Illi verò, qui pulsatus fuerit, si Judicem suspectum habuerit, liceat appellare.* Hoc Capitulum simillimum est nono additionis quartæ ad Capitularia. Sumitur ex epistola Eleutherii Papæ, quæ sic habet. *Si quis super quibuslibet criminibus quemlibet Clericum pulsandum crediderit, in provincia, in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerceat actiones, nec astimet eum alibi aut longiùs ad judicium protrahendum. Illi verò qui pulsatus fuerit, si judicem suspectum habuerit, liceat appellare.* Supposititiam hanc Eleutherii epistolam Contius, Antonius Augustinus, aliíque jam dixerunt.

XXVI. *IX* Capitulum. *Salvo Romana Ecclesia Primatu, manifestum est, quòd illa qua sunt per unamquamque provinciam, ipsius provincia Synodus dispensee, sicut in Nicano constat decretum esse Concilio.* Ingeltamnus hoc Capitulum mutuatus est ex secunda Pii Papæ epistola, sub cujus finem id legitur. *De cetero (salvâ in omnibus Apostolicâ auctoritate) quacunque sunt ad Religionis observaneiam pertinentia, locis suis & à sua Diœceseos Synodis audiantur.* Ipsum Ingelramni Capitulum, libro sexto Capitularium, partem efficit capitis ducentesimi octogesimi-septimi, nulláque est inter utramque editionem differentia, si voces istas excipias, *salvo Romana Ecclesia Primatu*, quarum loco in Capitularibus hæc substituuntur, *salvâ qua scripta est de gubernationibus Regulâ*, nec ad discrepantem possunt sensum detorqueri, quia eodem capite hæc præmittuntur, *sine prajudicio tamen Ecclesia Romana.* Pii autem Papæ epistolam, quæ tantoperè placuit Ingelramno, præter alia argumenta supposititiam ostendit hæc falsa temporis consignatio, *data Idibus Martii, Claro & Severo Viris Clarissimis Consulibus*, ut Labbeus in margine jam notavit.

XXVII. *X* Capitulum. *Ultra provincia terminos accusandi licentia non progrediatur. Omnis accusatio intra provinciam audiatur, & à comprovincialibus terminetur.* Eadem prorsus leguntur in Capitularibus, prædicto capite ducentesimo octogesimo-septimo libri sexti.

XXVIII. *XI* Capitulum. *Accusationes & accusatores, atque ea negotia, qua seculares non adsciscunt leges, divinâ ac Synodicâ fundiens à Clericis repelli auctoritate censemus, quia indignum est superiores pati ab inferioribus, qua inferiores ab eis pati despiciunt.* In secunda Julii Papæ epistola jam explosa, pars hujus Capituli sic legitur. *Accusatores & accusationes, quas leges seculi non adsciscunt, & nos unanimiter submovemus.*

XXIX. *XII* Capitulum. *Prudentissimè justissiméque Nicana sive Africana Decreta definierunt, quacumque negotia in suis locis, ubi orta fuerint, finienda, maximè quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit Cognitorum, ad Concilium sua provincia, vel etiam universale*, id est, totius Diœceseos, *provocare.* Hæc quoque leguntur in Capitularibus, prædicto capite ducentesimo octogesimo-septimo libri sexti.

XXX. *XIII* Capitulum. *Placuit Episcopos ejectos, atque suis rebus exspoliatos, Ecclesias proprias primò recipere, & sua omnia eis reddi; & posteà, si quis eos accusare vellet, aqua periculo facere. Judices esse decernentes Episcopos recta sapientes, in Ecclesiam convenientes, ubi testes essent singulorum, qui oppressi videbantur.* Hoc quoque Capitulum legitur in Capitularibus, prædicto capite ducentesimo octogesimo-septimo libri sexti. Desumptum est ex secunda Zephyrini Papæ epistola, quæ sic habet. *Praceptum est ergo in antiquis statutis, Episcopos ejectos, atque suis rebus expoliatos Ecclesias proprias recipere*

cipere, & primò sua omnia eis reddi, & tum demùm, si quis eos justè accusare voluerit, æquo periculo facere, judices esse decernentes, Episcopos rectà sapientes, & in Ecclesia convenientes, ubi testes essent singulorum, qui oppressi videbantur. De ambabus autem epistolis Zephyrini, Labbeus in margine prioris hanc posuit notatiunculam. *Hac cum seq. Ant. Aug. aliisque eruditis supposititia habetur.* AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

XIV Capitulum. *Nullus Metropolitanus Episcopus, absque ceterorum omnium comprovincialium Episcoporum instantia, aliquorum audiat causas eorum, quia irrita erunt, immo etiam causam in Synodo pro facto dabit. Nec reliquorum aliquis Episcoporum suorum Sacerdotum causas audiat, absque præsentia Clericorum suorum, quia irrita erit sententia Episcopi, nisi præsentiâ Clericorum confirmetur.* Hoc Capitulum convenit cum decimo additionis quartæ ad Capitularia. Prior pars in prima Hyginii Papæ epistola sic habetur. *Ceterùm, fratres, salvo in omnibus Romanæ Ecclesiæ privilegio, nullus Metropolitanus, absque ceterorum omnium comprovincialium Episcoporum instantia, aliquorum audiat causas eorum, quia irrita erunt, aliter acta quàm in conspectu eorum ventilata, & ipse, si fecerit, coerceatur à fratribus.* De duabus autem epistolis Hyginii sic Labbeus in margine prioris. *Suspecta quoque cum sequenti dicitur vv. eruditis* XXXI.

XV Capitulum. *Primò semper vita & persona accusantium diligenter inquiratur, & posteà, quæ objiciuntur, fideliter pertractentur, quia nihil aliter fieri debet, nisi impetitorum priùs vita discutiatur.* Lege librum quintum Capitularium, cap. CCXXXIX. Ingelramnus hoc Capitulum ex secunda Stephani Papæ epistola descripsit, cujus fragmentum accipe. *Primò semper accusatorum persona, fides, vita, & conversatio est enucleatim inquirenda, & posteà, quæ objiciunt, fideliter sunt pertractanda, quia nihil priùs fieri debet, quàm impetitorum persona, fides, vitàque & conversatio diligenter discutiantur, ne alicujus invidiâ aut inimicitiâ vel intentione malâ quisquam vexetur.* De duabus autem Stephani epistolis sic Labbeus ad oram primæ. *Hac & sequens, non secus ac præcedentes, adulterina viris eruditis censentur.* XXXII.

XVI Capitulum. *Ii, qui non sunt bonæ conversationis, vel quorum fides, & vita libertas nescitur, non possunt Sacerdotes accusare: nec viles personæ in accusationem eorum admittantur.* Lege librum sextum Capitularium, cap. CCLXXVI, & cap. CCLXXVIII. Ingelramnus hoc Capitulum sumpsit ex secunda Callisti Papæ epistola, quæ sic habet. *Hi, qui non sunt rectæ conversationis ac fidei, & quorum vita est accusabilis, non permittuntur majores natu accusare, nec quorum fides, vita & libertas nescitur. Neque viles personæ in eorum recipiantur accusationem.* At Antonius Augustinus in Dialogis [a] de emendatione Gratiani testatur epistolas Callisti Papæ rejectas à selectis viris, qui Romæ operam in corrigendo Gratiano navarunt, causámque reddit, quòd *Isidoro* Mercatori *parum credendum putarent, cujus auctoritate ista epistola fulcirentur*, &c, ut Labbeus ad oram epistolæ primæ subjungit, *idem sentiunt viri eruditi, & res ipsa clamat.* XXXIII.

[a] Lib. 1. Dial. 4.

XVII Capitulum. *Ii, qui in aliquibus criminibus irretiti sunt, vel qui sunt suspiciosi, vocem adversùs majores natu non habeant accusandi, sed ii, qui omni suspicione careant.* Lege librum septimum Capitularium, cap. LXV. Ingelramnus hoc Capitulum descripsit è tertia Fabiani Papæ epistola, in qua legitur hæc periodus. *Similiter hi, qui in aliquibus criminibus irretiti sunt, vel qui sunt suspiciosi, vocem adversùm majores natu non habeant accusandi, quia suspiciosa vox & inimica veritatem solet opprimere.* De tribus Fabiani Papæ epistolis hoc est Labbei judicium. *Tres illæ ep. pariter suppositæ ac spuriæ viris doctis habentur, & meritò.* XXXIV.

XVIII Capitulum. *Nullus Episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare, absque ejus voluntate, vel judicare, quia sicut irrita erit ejus ordinatio, ita & judicatio, quoniam censemus nullum alterius judicis nisi sui sententiâ teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus* XXXV.

AN.CH. *poterit.* Lege librum ſeptimum Capitularium, cap. CCXXIX. Prior pars
785. hujus Capituli nititur Canone decimo-ſexto Concilii Nicæni. Εἰ δὲ καὶ
CAROLI τολμήσειέ τις ὑφαρπάσαι τὸν τῷ ἑτέρῳ διαφέροντα, καὶ χειροτονῆσαι ἐν τῇ αὐτοῦ
R. 17. ἐκκλησίᾳ, μὴ συγκατατιθεμένου τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, οὗ ἀνεχώρησεν ὁ ἐν τῷ
PIPPINI κανόνι ἐξεταζόμενος, ἄκυρος ἔστω ἡ χειροτονία. Id eſt, ſecundùm interpre-
LUDOV. tationem Dionyſii Exigui. *Si quis autem ad alium pertinentem audacter in-*
RR. 5. *vadere, & in ſua Eccleſia ordinare tentaverit, non conſentiente Epiſcopo, à quo diſceſſit is, qui Regulæ mancipatur, ordinatio hujuſcemodi irrita comprobetur.* Ingelramnus poſteriorem Capituli partem mutuatus videtur ex ſecunda Julii Papæ epiſtola jam rejecta, quæ ſtatutum in Nicæna Synodo teſtatur, *ut nullum ſententia, niſi à ſuo Judice dicta, conſtringat.*

XXXVI. XIX Capitulum. *Peregrina judicia generali ſanctione prohibemus, quia indignum eſt, ut ab externis judicetur, qui provinciales & à ſe electos debet habere Judices.* Ingelramnus hoc Capitulum deſcripſit è tertia Fabiani Papæ epiſtola, quæ ſic habet. *Peregrina verò judicia, ſalvâ in omnibus Apoſtolicâ auctoritate, generali ſanctione prohibemus, quia indignum eſt, ab externis ut judicetur, qui provinciales & à ſe electos debet habere Judices, niſi fuerit appellatum.* De auctoritate epiſtolarum, quæ Fabiano adſcribuntur, actum ſuprà. Lege librum ſeptimum Capitularium, cap. CCXXX.

XXXVII. XX Capitulum. *Nullus Epiſcopus extra ſuam provinciam ad judicium devocetur; ſed vocato ſe canonicè, in loco omnibus congruo, tempore Synodali ab omnibus comprovincialibus Epiſcopis audiatur, qui concordem ſuper eum canonicámque proferre debent ſententiam. Quia ſi hoc minoribus tam Clericis quàm laicis conceſſum eſt, quantò magis de Epiſcopis ſervari convenit? Nam ſi ipſe Metropolitanum, aut Judices ſuſpectos habuerit, aut infeſtos ſenſerit, apud Primatem Diœceſeos, aut apud Romanæ Sedis Pontificem judicetur.* Ingelramnus hoc Capitulum ſumpſit è ſecunda Julii Papæ epiſtola, quæ ſic habet. *Salvâ Apoſtolicæ Eccleſiæ auctoritate, nullus Epiſcopus extra ſuam provinciam ad judicium devocetur; ſed evocatus ipſe canonicè, in loco omnibus congruo, tempore Synodali, ab omnibus comprovincialibus Epiſcopis audiatur, qui concordem ſuper eum canonicámque proferre debent ſententiam; quoniam, ſi hoc minoribus tàm Clericis quàm laicis conceſſum eſt, quantò magis de Epiſcopis ſervari convenit? Nam ſi ipſe Metropolitanum aut Judices ſuſpectos habuerit, aut infenſos ſenſerit, apud Primates Diœceſeos aut apud Romanæ Sedis Pontifices judicetur.* Actum quoque ſuprà de Julii epiſtolis & earum auctoritate. Lege librum ſeptimum Capitularium, cap. CCXXXIV.

XXXVIII. XXI Capitulum. *Placuit, ut nullus ſervus, nullus libertus, nulla infamis perſona Sacerdotem accuſet. Omnes verò infames eſſe dicimus, quos leges ſeculi infames appellant, & omnes, qui culpis exigentibus ad Sacerdotium non poſſunt provehi. Indignum eſt enim, ut illi eos accuſent, qui eſſe non poſſunt quod ipſi ſunt, quoniam ſicut majores à minoribus non judicantur, ita nec criminari poſſunt.* Lege librum ſeptimum Capitularium, capp. LXXVI. & CCCXXXIV. In epiſtola prima Felicis Papæ ſecundi, quam, teſte Labbeo, *falſam quoque meritiſſimo jure dixeris*, hæc extant. *Nullus ſervus, nullus libertus, nullus infidus, nullus criminibus irretitus, nullus calumniator, nullus qui inimicitiis ſtudet, nullus qui frequenter litigat, & ad accuſandum vel detrahendum eſt facilis, nulla infamis perſona, vel omnes, quos ad accuſanda crimina publica leges publicæ non admittunt, permittantur Epiſcopos accuſare, quoniam accuſatores, & accuſationes, quas leges ſeculi non recipiunt, quâ ratione Sacerdotalis eas recipere debet ordo, invenire nequeo, cùm hæc & in Nicæna Synodo prohibita ſint, & illi magis ab iſtis, non iſti ab illis judicari debeant, & Apoſtolus dicat. [Spiritualis judicat omnia, ipſe verò à nemine judicatur.]* Potioris non ſunt auctoritatis epiſtolæ Fabiani Papæ, quarum ſecunda quaſdam habet ſententias huic quoque Capitulo conformes.

XXII Capitulum. *Placuit, ut nullus Episcopus quemquam Clericorum judi-
care, aut damnare præsumat, nisi accusatus legitimos accusatores præsentes ha-
beat, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Lege librum septi-
mum Capitularium, cap. CXXX. Ingelramnus hoc Capitulum sumpsit ex
epistola secunda Julii Papæ, quæ sic habet. *Nec oportet quemquam judicari
aut damnari, antequam suos accusatores præsentes habeat, locúmque defendendi
accipiat spatiosum ad abluenda crimina.*

XXIII Capitulum. *Placuit, si Episcopus accusatus appellaverit Romanum
Pontificem, id statuendum quod ipse censuerit.* Lege librum septimum Capi- XXXIX.
tularium, cap. CCXXXV. Ingelramnus hoc Capitulum è tertia Fabiani XL.
Papæ epistola descripsit, in qua hæc leguntur. *Placuit etiam, ut si Episcopus
accusatus appellaverit ad Apostolicam Sedem, id statuendum, quod ejusdem Sedis
Pontifex censuerit.*

XXIV Capitulum. *Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel qui- XLI.
libet Clerici, apud Episcopos, quia alibi non oportet, à qualibet persona fuerint
accusati, quicumque fuerit ille, sive sublimis vir honoris, sive ullius alterius di-
gnitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, noverit docenda pro-
bationibus, monstranda documentis se debere inferre. Si quis verò circa hujus-
modi personas non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat se
jacturam infamia propria sustinere, ut damno pudoris, existimationis dispendio,
discat sibi aliena verecundia impunè insidiari saltem de cetero non licere, sed
qualem fratri paraverat damnationem, talem in se suscipiat.* Ingelramnus hoc
Capitulum ex epistola Gaii Papæ mutuatus est, hæc enim ibi leguntur. *Et
si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel qualibet Clerici, apud Episcopos,
(quia alibi non oportet à qualibet persona, quæ rite recipienda est) fuerint accu-
sati, quicumque fuerit, sive ille sit sublimis vir honoris, sive ullius alterius di-
gnitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, noverit probationis do-
cumenta se debere inferre. Si quis ergo circa hujusmodi personas non probanda
detulerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat se jacturam infamia sustinere, ut
damno pudoris, æstimationis dispendio discat, sibi aliena verecundia impunè insi-
diari, saltem de cetero non licere.* Sed hæc epistola, inquit Labbeus, *supposi-
ta ab Isidoro, ut cetera, de quibus, suis locis.* Lege librum septimum Capitu-
larium, cap. CCCXXXV.

XXV Capitulum. *Nullus Archiepiscoporum, nisi qui primas Sedes tenent, XLII.
appelletur Primas, aut Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, vel aliquid
hujusmodi; sed tantùm ille, qui in Metropoli sedet, aut Metropolitanus, aut Ar-
chiepiscopus vocetur, & suum in Canonibus præfixum non excedens teneat cum
humilitate modum. Et ille, qui primam Sedem retinet, tantummodo prima Se-
dis appelletur Episcopus; salvâ semper in omnibus auctoritate beati Petri Apostoli.*
Hoc Capitulum breviùs clariúsque libro septimo Capitularium sic inser-
tum est. CCCXXXVI. *Nulli alii Metropolitani appellentur Primates, nisi illi,
qui primas Sedes tenent, & quos Sancti Patres Synodali & Apostolicâ auctori-
tate Primates esse decreverunt. Reliqui verò, qui alias Metropolitanas Sedes
sunt adepti, non Primates sed Metropolitani vocentur.* Ingelramnus autem
consuluit suppositiciam Aniceti Papæ epistolam, quæ sic habet. *Nulli Archi-
episcopi Primates vocentur, nisi illi, qui primas tenent civitates, quarum Epi-
scopos Apostoli & successores Apostolorum regul riter Patriarchas & Primates esse
constituerunt, nisi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui necesse sit, pro-
pter multitudinem eorum, Primatem constitui. Reliqui verò, qui alias Metropo-
litanas Sedes adepti sunt, non Primates, sed Metropolitani nominentur.*

XXVI Capitulum. *Judicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum XLIII.
plenâ inquisitione discutere, interrogandi ac proponendi, adjiciendíque patientiâ
præbitâ ab eo, ut ibi actio partium limitata sit pleniter, nec priùs litigantibus
suâ velit sententiâ obviare, nisi quando ipsi peractis omnibus jam nihil habuerint
in quæstione quod proponant, & tam diù actio ventiletur, quousque ad rei veri-*

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

tatem perveniatur. Frequenter ergo interrogari oportet, ne aliquid fortè prætermissum remaneat, quod annecti conveniat. Lege librum quintum Capitularium, cap. CCXLVI. Ingelramnus descripsit adulterinam Eleutherii Papæ epistolam, cujus hæc sunt verba. *Judicantem tamen oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plenâ inquisitione discutere, interrogandi ac proponendi, adjiciendíque præbitâ patientiâ ab eo, ut ibi actio ambarum partium limitata sit pleniter. Nec litigantibus Judex priùs suâ velit sententiâ obviare, nisi quando ipsi jam, peractis omnibus, nihil habeant in quæstione, quod proponant. Et tamdiu actio ventiletur, quousque rei veritas inveniatur. Frequenter interrogare oportet, ne aliquid prætermissum fortè remaneat, quod annecti conveniat.*

XLIV. *XXVII* Capitulum. *Sunt nonnulli, qui indiscussos potestate tyrannicâ non canonicâ auctoritate damnant, & sicut nonnullos gratiâ favoris sublimant, ita quosdam odio invidiâque permoti humiliant, & levi opinionis aurâ condemnant, quorum crimina non adprobant. Ideóque communi decreto censemus, ut quandocumque aliquis Episcoporum criminatur, congregatis omnibus ejusdem provinciæ Episcopis causa ejus audiatur, ut non occultè judicetur vel condemnetur, qui ab aliis priùs judicari non potest, nisi ab iis à quibus ordinari potuit. Quod si aliter factum fuerit, nullas vires habebit.* Hoc Capitulum Hincmarus Remensis Archiepiscopus rectè retorquet adversùs Hincmarum Episcopum Laudunensem, qui specie appellandi Romanum Pontificem judicium comprovincialium Episcoporum fugiebat. *Bona*, inquit [a] Hincmarus Remensis, *hora, tantùm laborasti, ut nulli subditus esses, nisi Apostolicæ Sedis Pontifici, & nullus te judicare posset, nisi Apostolica Sedes, cum ex ipsis sententiis* Ingelramni, *quas ad defensionem tui munimінis protulisti, hoc contra te proferatur, quia ipsis es subditus, & ab his potes judicari, à quibus potuisti ordinari. Miranda, vel potiùs miseranda tua mirabilis, immo miserabilis sapientia, quia hæc in ipsis sententiis videre non potuisti, vel videre non voluisti.* Idem Capitulum libro septimo Capitularium legitur insertum cap. CCXL. Sumptum videtur è tertia Fabiani Papæ epistola, cujus hic est textus. *Oportet, si aliquis Episcoporum super certis accusetur criminibus, ut ab omnibus audiatur, qui sunt in provincia, Episcopis, quia non oportet accusatum alicubi quàm in foro suo audiri.*

[a] Opusc. 33. cap. 24.

XLV. *XXVIII* Capitulum. *Si Clericus vel laicus habuerit causam adversùs Episcopum proprium vel adversùs alterum, aut Episcopus adversùs quemquam, apud Synodum provinciæ judicetur. Quòd si adversùs ejusdem provinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habuerit querelam, petat Primatem Diœceseos; ut apud ipsum judicetur, aut apud Sedem Apostolicam.* Lege librum septimum Capitularium, cap. CCXLI. Prior pars hujus Capituli nititur Canone nono Concilii Calchedonensis. Εἰ δὲ κληρικὸς ἔχοι πρᾶγμα πρὸς τὸν ἴδιον ἐπίσκοπον, ἢ πρὸς ἕτερον, παρὰ τῇ συνόδῳ τῆς ἐπαρχίας δικαζέσθω. *Quòd si Clericus habet causam adversùs Episcopum proprium, vel adversùs alterum, apud Synodum provinciæ judicetur.* Ita vertit Dionysius Exiguus. Posterior pars ejusdem Capituli sumitur ex epistola Aniceti Papæ, quam, teste Labbeo, *supposititiam censent vv. eruditi. Si aliquis Episcoporum*, inquit Anicetus, *proprium Metropolitanum suspectum habuerit, apud Primatem Diœceseos, aut apud hanc Apostolicam Sedem audiatur.*

XLVI. *XXIX* Capitulum. *Si quis Episcopus super certis accusatur criminibus, ab omnibus audiatur, vel judicetur, qui sunt in provincia, Episcopis.* Hoc Capitulum sumitur è tertia Fabiani Papæ epistola, cujus textum suprà recitavimus ad Capitulum vicesimum-septimum. Lege librum septimum Capitularium, cap. LXXIX.

XLVII. *XXX* Capitulum. *Si quis Episcopus judicaverit vel ordinaverit alterius parochianum sine consilio & voluntate Episcopi sui, oportet eum non sine increpatione in communi Concilio admitti, itant Ecclesiasticum ultrà non solvat Canonem.* Vide suprà, quæ dicta sunt ad Capitulum duodevicesimum.

XXXI Capitulum. *Placuit eorum, accusandi Sacerdotes, & testificandi in* AN. CH.
eos, vocem obstruere, quos non humanis sed divinis vocibus mortuos esse scimus, 785.
quia vocem funestam potiùs intercidi quàm audiri oportet. Lege librum septi- CAROLI
mum Capitularium, cap. CCXLII. Per eos, quorum accusationem & tes- R. 17.
timonium adversùs Episcopum recipi vetat hæc sanctio, alii criminosos, PIPPINI
alii Monachos intelligunt, utrosque, ni fallimur, Ingelramnus, secutus LUDOV.
Pelagium Papam, hujus nominis Secundum, qui de criminosis hæc pri- RR. 5.
mùm scribit [a]. *Similiter & omnes, quos divina leges mortuos appellant, sub-*
movendos esse ab eadem accusatione Episcoporum, & publica pœnitentia submit- XLVIII.
tendos judicamus. Et paulò pòst de Monachis hæc subjungit. *Nullus quoque* [a] Ep. 2.
Monachus talia unquam arripiat, nec sæcularia aut Ecclesiastica negotia pertur-
bare præsumat, quia mortua in talibus vox est eorum.

XXXII Capitulum. *Placuit, ut accusato, si Judicem suspectum habuerit,* XLIX.
liceat appellare, quia non oportet negare audientiam roganti. Lege librum sep-
timum Capitularium, cap. CCXLIII. Lege & suprà, quæ dicta sunt ad
octavum Capitulum.

XXXIII Capitulum. *Non est credendum contra alios eorum confessioni,* L.
qui criminibus implicantur, nisi se priùs probaverint innocentes, quia periculosa
est, & admitti non debet rei adversùs quemcumque confessio. Lege librum sep-
timum Capitularium, cap. CCXLIV. In eadem materia versatæ suprà ple-
ræque sanctiones, quas consule.

XXXIV Capitulum. *Si quis Judicem adversum sibi senserit, vocem appella-* LI.
tionis exhibeat, ut, cùm ei concessum fuerit, integro negotio apud alium Judicem
amotis dilationibus possit audiri. Lege librum septimum Capitularium, cap.
CLXX. Lege & suprà quæ dicta sunt ad quintum Capitulum. In epistola
quoque tertia Fabiani Papæ, quam inter suppositas ac spurias à viris erudi-
tis recenseri jam monuimus, hæc leguntur. *Si quis verò Judicem adversum*
sibi senserit, vocem appellationis exhibeat.

XXXV Capitulum. *Clericus sive laicus, si crimine aut lite pulsatus fuerit,* LII.
non alibi quàm in foro suo provocatus audiatur. Lege librum septimum Capi-
tularium, cap. CCLI. Vide & suprà, quæ dicta sunt ad octavum Capitulum.

XXXVI Capitulum. *Appellantem non debet afflictio ulla, aut carceris aut* LIII.
detentionis injuriare custodia; si liceat appellatori vitiatam causam appellationis
remedio sublevare. Lege librum septimum Capitularium, cap. CCLII. In-
gelramnus hoc Capitulum mutuatus est è tertia Fabiani Papæ epistola, quæ
sic habet. *Appellantem autem non debet afflictio ulla, aut detentionis injuriare*
custodia: sed liceat appellatori vitiatam causam appellationis remedio sublevare.

XXXVII Capitulum. *Liceat etiam in causis criminalibus appellare, nec* LIV.
appellandi vox denegetur ei, quem in supplicium sententia destinarit. Ingelram-
nus hæc è tertia quoque Fabiani Papæ epistola descripsit. *Liceat etiam in*
causis criminalibus appellare. Cetera è jure civili videntur arrepta.

XXXVIII Capitulum. *In criminalibus causis, nec accusator nisi per se* LV.
aliquem accusare potest, nec accusatus per aliam personam se defensare permitti-
tur. Lege librum septimum Capitularium, cap. CCLXXI.

XXXIX Capitulum. *Constitutiones contra Canones, & Decreta Præsulum* LVI.
Romanorum, vel bonos mores, nullius sunt momenti. Lege librum septimum
Capitularium, cap. CCLXV.

XL Capitulum. *In Clericorum causa hujusmodi forma servetur, ne quem-* LVII.
quam eorum sententia non à suo Judice dicta constringat. Lege librum septi-
mum Capitularium, cap. CCLXVI. Vide & suprà, quæ dicta sunt ad Ca-
pitulum duodevicesimum.

XLI Capitulum. *Omnis, qui falsa alii intulerit, puniatur, & pro falsi-* LVIII.
tate ferat infamiam. Lege librum sextum Capitularium, cap. CCLXXVII.

XLII Capitulum. *Ut provincialis Synodus retractetur per Vicarios Roma-* LIX.
ni Pontificis, si ipse decreverit. Lege librum septimum Capitularium, cap.

CCLXVII. Ingelramnus hoc Capitulum descripsit è secunda Julii Papæ epistola, cujus hæc eadem sunt verba. *Et provincialis Synodus retractetur per Vicarios Romani Pontificis, si ipse decreverit.*

XLIII Capitulum. *De iis, qui in accusationem majoris natu veniunt, & ut Episcopum nulli criminoso liceat accusare.* Vide suprà, quæ dicta sunt ad Capitulum decimum-septimum.

XLIV Capitulum. *Si quando in causa capitali, vel in causa status, inter-
LX. *pellatum fuerit, non per Procuratores, sed per ipsos est agendum.* Lege librum
LXI. septimum Capitularium, cap. CCLXXIV. Vide & suprà, quæ dicta sunt ad
Capitula vicesimum-secundum & tricesimum-octavum.

LXII. *XLV* Capitulum. *Placuit, ut à quibuscumque Judicibus Ecclesiasticis ad alios Judices Ecclesiasticos, ubi major est auctoritas, fuerit provocatum, audientia non negetur.* Lege librum quintum Capitularium, cap. CCL. Ingelramnus hoc Capitulum mutuatus est è secunda Julii Papæ epistola, cujus hæc ipsissima sunt verba. *Placuit ut à quibuscumque Judicibus Ecclesiasticis ad alios Judices Ecclesiasticos, ubi est auctoritas major, fuerit provocatum, audientia non negetur.*

LXIII. *XLVI* Capitulum. *Si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam pertinet propriam solummodo parrochiam, sine consilio & voluntate omnium comprovincialium Episcoporum extrà aliquid agere tentaverit, gradûs sui periculo subjacebit, & quod egerit, irritum habeatur & vacuum. Sed quicquid de provincialium Coepiscoporum causis, suarúmque Ecclesiarum & Clericorum atque secularium necessitatibus, agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu comprovincialium agatur Pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillimâ & concordi omnium administratione; sicut Dominus ait. [Non veni ministrari, sed ministrare.] Et alibi. [Qui major est vestrum, erit minister vester.] Et reliqua. Similiter & ipsi comprovinciales Episcopi cum ejus consilio, nisi quantùm ad proprias pertinet parrochias, agant juxta sanctorum Constituta Patrum, ut uno animo, uno ore concorditer sancta glorificetur Trinitas in secula.* Lege librum septimum Capitularium, cap. CCLXXV. Ingelramnus hoc Capitulum descripsit è secunda Julii Papæ epistola, quæ sic habet. *Si quis Metropolitanus Episcopus (nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam) sine consilio & voluntate omnium comprovincialium Episcoporum, aliquid agere tentaverit, gradûs sui periculo subjacebit, &, quod egerit, irritum habeatur & vacuum. Sed quidquid de comprovincialium Episcoporum causis, suarúmque Ecclesiarum & Clericorum atque secularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omni consensu comprovincialium agatur Pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillimâ & concordi administratione, sicut Dominus ait. [Non veni ministrari, sed ministrare.] Et alibi. [Qui major est vestrum, erit minister vester.] Et reliqua. Similiter & ipsi comprovinciales Episcopi cum ejus consilio (nisi quantùm ad proprias pertinet parochias) agant juxta sanctorum Constituta Patrum, ut uno ore, uno animo concorditer sancta glorificetur Trinitas in secula.*

LXIV. *XLVII* Capitulum. *Quod in laicis reprehenditur, id multò magis debet in Clericis prædamnari.* Lege librum septimum Capitularium, cap. CCLXXVI. Ingelramnus hoc Capitulum accepit è Concilio Carthaginensi primo, cujus Canon decimus-tertius sic habet. *Quod in laicis reprehenditur, id multò magis in Clericis oportet prædamnari.*

LXV. *XLVIII* Capitulum. *Ut laici contemptores Canonum excommunicentur; Clerici verò honore priventur.* Ingelramnus hoc quoque Capitulum mutuatus est ex Concilio Carthaginensi primo, cujus postrema sanctio contemptores Canonum sic plectit. *Si quis verò statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, si laicus est, communione; si Clericus est, honore privetur.*

LXVI. *XLIX* Capitulum. *Delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. Delatores autem sunt, qui invidiâ produnt alios.* Lege librum septi-

mum Capitularium, cap. CCLXXVII. Hincmarus [a] Archiepiscopus Remensis, inter Ingelramni sententias, quæ *diversa à sacris Canonibus & discrepantes ab Ecclesiasticis judiciis* habentur, hoc Capitulum meritò reponit. Et Antonius Augustinus in Notis ad idem Capitulum, rectè redarguit eos, qui volunt Hadrianum Papam istius Constitutionis authorem extitisse. *Non erat*, inquit, *Hadriani, hoc decernere, sed referre, quod in Codice Theodosiano scriptum fuerat, vel potiùs in epitome Constitutionum Constantini Imperatoris lib. 10. tit. 1. constit. 1.* Quis unquam audivit Ecclesiasticâ lege sancitum, ut homini criminoso vel capularetur lingua, vel caput amputaretur? Hujuscemodi pœnas, quæ mutilatione reos afficiunt aut morte, Judices abhorrent Ecclesiastici. AN.CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

[a] Opusc. 31. cap. 24.

L Capitulum. *Qui in alterius famam, in publico scripturam, aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non probaverit, flagelletur: & qui ea priùs invenerit, rumpat, si non vult auctoris facti causam incurrere.* Lege librum septimum Capitularium, cap. CCLXXVIII. Antonio Augustino *hoc etiam* Capitulum *non esse ex Pontificio jure videtur.* LXVII.

LI Capitulum. *Si quis iratus crimen aliquod cuilibet temerè objecerit, convitium non est pro accusatione habendum, sed permisso tractandi studio, id, quod iratus dixit, per scripturam se probaturum esse fateatur; aut si fortè resipiscens post iracundiam, qua dixit, iterare aut scribere noluerit, non ut reus criminis habeatur.* Lge librum septimum Capitularium, cap. CCLXXXI. Ingelramnus hoc Capitulum descripsit ex tertia Fabiani Papæ epistola, quæ sic habet. *Si quis ergo iratus crimen aliquod cuilibet temerè objecerit, convicium non est pro accusatione habendum, sed promisso tractandi spatio, id, quod iratus dixit, per scripturam se probaturum esse fateatur, ut, si fortassè resipiscens, quæ præ iracundia dixit, iterare aut scribere noluerit, non ut reus criminis teneatur.* LXVIII.

LII Capitulum. *Qui crimen objicit, scribat se probaturum reverà; & ibi causa agatur, ubi crimen admittitur, ut qui non probaverit quod objecit, pœnam, quam intulerit, ipse patiatur.* Lege librum septimum Capitularium, cap. CCLXXXII. Ingelramnus hoc Capitulum ex eadem tertia Fabiani epistola descripsit, cujus hic est textus. *Omnis ergo, qui crimen objicit, scribat se probaturum. Reverà semper ibi causa agatur, ubi crimen admittitur. Et qui non probaverit quod objecit, pœnam, quam intulerit, ipse patiatur.* LXIX.

LIII Capitulum. *Caveant Judices Ecclesiæ, ne absente eo, cujus causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit, immò & causam in Synodo pro facto dabunt.* Lege librum sextum Capitularium, cap. CCLXXIX. Ingelramnus hoc Capitulum cepit ex Eleutherii Papæ epistola, in qua hæc leguntur. *Caveant etiam Judices Ecclesiæ, ne absente eo, cujus causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit, imò etiam & causam in Synodo pro facto dabunt.* LXX.

LIV Capitulum. *Ejus qui frequenter litigat, & ad accusandum est facilis, accusationem nemo absque grandi examine recipiat.* Lege librum quintum Capitularium, cap. CCXLV. Ingelramnus hoc Capitulum mutuatus videtur à Felice Papa, hujus nominis Secundo, in cujus epistola secunda præter alios quos omittimus, frequenter litigantes, & ad accusandum vel detrahendum faciles non permittuntur Episcopos accusare. *Nullus, qui frequenter litigat*, inquit Felix, *& ad accusandum vel detrahendum est facilis, nulla infamis persona, vel omnes, quos ad accusanda crimina publica publicæ leges non admittunt, permittantur Episcopos accusare.* Ante Felicem Secundum Julius Primus epistolâ secundâ scripsisse fertur, *ne facilè litigantes suscipiantur accusatores.* Et utroque vetustior Pontianus epistolâ secundâ inter eos, quos *accusatores esse & testes* prohibet, *facilè litigantes* annumerat. De scriptis Julii ac Felicis actum suprà. Epistolæ verò Pontiani, teste Labbeo, *ficta itidem ac supposita doctis viris habentur ex Gregorii & Sixti præsertim laciniis consuta.* LXXI.

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

LV Capitulum. *De accusationibus Episcoporum Constantinus Imperator inter cetera sic ait. Vestra, inquit, accusationes tempus habebunt proprium, id est, diem magni judicii, judicem verò illum, qui tunc futurus est omnibus judicare. Mihi ergo homini constituto de hujusmodi rebus non licet habere auditorium, Sacerdotum scilicet accusantium simul & accusatorum. Quos minimè convenit tales debere monstrari, qui judicentur ab aliis, cùm ab ipso Domino magis sint ipsi judicandi, de quibus ait Propheta.* [*Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deus discernit.*] *Neque possunt humano condemnari examine, quos Deus*

LXXII. *suo reservavit judicio. Et reliqua talia, & his similia.* Lege librum sextum Capitularium, cap. CCCI. Ingelramnus hoc Capitulum desumpsit ex Sozomeno, qui libro primo [a] Historiæ Ecclesiasticæ Constantinum Augustum de accusationibus Episcoporum sic loquentem introducit. αὗται μὲν αἱ κατηγορίαι καιρὸν οἰκεῖον ἕξουσι τὴν ἡμέραν τῆς μεγάλης κρίσεως: δικαστὴν δὲ, τὸν μέλλοντα πᾶσι τότε κρίνειν· ἐμοὶ δὲ οὐ θεμιτὸν ἀνθρώπῳ ὄντι, τοιαύτην εἰς ἑαυτὸν ἕλκειν ἀκρόασιν, ἱερέων κατηγορούντων καὶ κατηγορουμένων, ἥκιστα γὰρ χρὴ τοιούτους ἑαυτοὺς παρέχειν, ὡς παρ' ἑτέρου κρίνεσθαι. *Ista accusationes tempus quidem sibi præscriptum habent, magni judicii diem: judicem verò eum qui omnes judicaturus est. Mihi verò, cùm homo sim, nefas est hujusmodi rerum cognitionem mihi arrogare, cùm & qui accusant & qui accusantur, Sacerdotes sint. Neque enim illos oportet tales se præbere, ut ab aliis judicentur.*

[a] Cap. 17.

LXXIII. *LVI* Capitulum. *Neque Præsul summus à quoquam judicabitur, quia, dicente Domino,* [*non est discipulus super magistrum.*] Lege librum primum Capitularium, cap. CXXXIX. Vide & infrà, quæ dicturi sumus ad Capitulum septuagesimum-secundum.

LXXIV. *LVII* Capitulum. *Judex criminosum discutiens non antè sententiam proferat capitalem, quàm aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes testes convincatur.* Lege librum quintum Capitularium, cap. CLVI. Ingelramnus hoc Capitulum accepit è prima Zephyrini Papæ epistola, quæ sic habet. *Patriarcha verò, vel Primates, accusatum discutientes Episcopum, non antè sententiam proferant finitivam, quàm Apostolicâ fulti auctoritate, aut reum seipsum confiteatur, aut per innocentes & regulariter examinatos convincatur testes.* At multùm intercedit discriminis inter sententiam finitivam & sententiam capitalem, non enim quælibet sententia finitiva, quæ litem omnem terminat, dici potest capitalis, & Hincmarus Remensis Archiepiscopus [b] hoc Ingelramni Capitulum, quod capitalem sententiam habet, meritò reprehendit, quia sententia capitalis non est Ecclesiastici fori.

[b] Opusc. 33. cap. 24.

LXXV. *LVIII* Capitulum. *Irritam esse injustam Episcoporum damnationem, idcircò à Synodo retractandam.* In prima Felicis Papæ epistola, hoc Capitulum cum superiore sic conjungitur. *Primates quoque accusatum discutientes Episcopum, non antè sententiam proferant damnationis, quàm Apostolica freti authoritate, aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes & canonicè examinatos regulariter testes convincatur. Aliter irritam esse censemus & injustam Episcoporum damnationem, & idcircò à Synodo retractandam, itaut oppressis ab omnibus, in cunctis subveniatur causis.* Ambo Capitula Julius epistolâ secundâ distinxit, & posterius sic edidit. *Irritam esse injustam Episcoporum damnationem decernimus, & idcircò à Synodo retractandam, itaut oppressis ab omnibus, in cunctis subveniatur causis.* Ingelramnus non Felicem sed Julium in hoc Capitulo secutus est.

LXXVI. *LIX* Capitulum. *Ut ne quis, dum in ea durare poterit, qualibet necessitate suam relinquat Ecclesiam.* Ingelramnus hoc Capitulum sumpsit ab Evaristo Papa, in cujus epistola secunda hæc leguntur. *Sicut vir non debet adulterare uxorem suam, ita nec Episcopus Ecclesiam suam, id est, ut illam dimittat, ad quam sacratus est, absque inevitabili necessitate.* Epistolæ autem Evaristi, ut Labbeus observat, *eruditis Catholicis suppositiția* videntur.

LX Ca-

L X Capitulum. *Pulsatus ante suum Judicem causam dicat ; & non ante* AN. CH.
suum Judicem pulsatus, si voluerit, taceat, & ut pulsatis, quoties appellaverint, 785.
induciæ dentur. Lege librum septimum Capitularium, cap. CCLXXXIII. CAROLI
Ingelramnus hoc Capitulum descripsit è tertia Fabiani Papæ epistola, in R. 17.
qua textus hic legitur. *Pulsatus ante suum Judicem causam dicat, & ante non* PIPPINI
suum Judicem pulsatus, si voluerit, taceat ; & ut pulsatis, quoties appellaverint, LUDOV.
induciæ dentur. RR. 5.

L X I Capitulum. *Si quis contra suam professionem vel conscriptionem vene-* LXXVII.
rit, si Clericus fuerit, deponatur, si laicus, anathematizetur. Lege librum LXXVIII.
sextum Capitularium, cap. CCXXXII. in quo tamen nulla de laicis mentio fit.

L X I I Capitulum. *Si quis Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconem fal-* LXXIX.
sis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei esse communionem. Ingelramnus hoc Capitulum descripsit è Concilio Illiberitano, cujus hic est Canon septuagesimus-quintus. *Si quis autem Episcopum, Presbyterum, vel Diaconum falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei esse communionem.*

L X I I I Capitulum. *Si qui inventi fuerint libros famosos legere, vel canta-* LXXX.
re, excommunicentur. Lege librum sextum Capitularium, cap. CCXLIII. Ingelramnus hoc quoque Capitulum mutuatus est ex Concilio Illiberitano, cujus hic est Canon quinquagesimus-secundus. *Si qui inventi fuerint libellos famosos,* seu famam cujuspiam lædentes, *in Ecclesia ponere, anathematizentur.*

L X I V Capitulum. *Ut nullus Episcopus vel infrà positus die Dominico cau-* LXXXI.
sas judicare præsumat. Lege librum sextum Capitularium, cap. CCXLV. Ingelramnus hoc Capitulum sumpsit è Concilio Tarraconensi primo, cujus Canon quartus sic incipit. *Ut nullus Episcoporum, aut Presbyterorum, vel Clericorum, die Dominico, propositum cujuscumque causæ negotium audeat judicare.*

L X V Capitulum. *Ut si quis potentum quemlibet exspoliaverit, & admo-* LXXXII.
nente Episcopo non reddiderit, excommunicetur. Lege librum sextum Capitularium, cap. CCXLVI. Ingelramnus hoc Capitulum accepit è Concilio Toletano primo, cujus Canon undecimus in editione Garsiæ Loaisæ hunc habet titulum. *Ut si quis potentium quemlibet spoliaverit, & admonente Episcopo non reddiderit, excommunicetur* Canon verò talis est. *Si quis de potentibus Clericum, aut quemlibet pauperiorem, aut religiosum expoliaverit, & mandaverit ad ipsum Episcopus, ut eum audiat, &, si contempserit, invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ Episcopos, & quoscumque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur, donec audiatur, ut reddat aliena.*

L X V I Capitulum. *Ut nullus Clericus ab Episcopo suo recedat, & ad alium* LXXXIII.
se transferat. Lege librum sextum Capitularium, cap. CCXLVII. Ingelramnus hoc quoque Capitulum accepit ex eodem Concilio Toletano primo, cujus Canon duodecimus hunc habet titulum. *Ut nullus Clericus ab Episcopo suo recedat, & ad alium se transferat.* Canonis autem hoc est initium. *Item, ut liberum nulli Clerico sit discedere ab Episcopo suo, & alteri Episcopo communicare.*

L X V I I Capitulum. *Homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefi-* LXXXIV.
ci, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magósque cucurrerint, nullatenus ad accusationem vel ad testimonium erunt admittendi. Lege librum sextum Capitularium, cap. CCXCVIII. Ingelramnus hoc Capitulum descripsit è secunda Eutychiani Papæ epistola, quæ sic habet. *Homicida quoque, atque malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magósque concurrerint, nullatenus ad accusationem sunt admittendi.*

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5. LXXXV. LXXXVI.

LXVIII Capitulum. *Qui crimen intendit, agnoscendum est, si ipse antè non fuit criminosus, quia periculosa est, & admitti non debet, rei adversùs quemcumque professio.* Lege suprà, quæ dicta sunt ad Capitulum tricesimumtertium.

LXIX Capitulum. *Occurrere quisque fidelium ruinis miserorum debet subsidio quo valet, & ex relevatione aliena vindictâ à se Dei removere vindictam. Libat enim Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa.* Lege librum sextum Capitularium, cap. CCL. Ingelramnus hoc Capitulum sumpsit è tertia Fabiani Papæ epistola, quæ sic habet. *Occurrere quoque quisque fidelium ruinis debet oppressorum & miserorum subsidio, quo valeant, ex relevatione aliena vindictâ, à se Dei removere vindictam. Libat enim Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa.*

LXXXVII *LXX* Capitulum. *Majus periculum est judicantis, quàm ejus qui judicatur, unde unicuique providendum est, ne aliquem injustè judices, aut punias.* Lege librum septimum Capitularium, cap. CCLXXXVII.

LXXXVIII. *LXXI* Capitulum. *Accusationes adversùs Doctorem nemo suscipiat, quia non potest humano condemnari examine, quem Deus suo judicio reservavit.* Lege librum septimum Capitularium, cap. CCLXXXVIII. Ingelramnus hoc eruit Capitulum ex epistolis Anacleti Papæ, quarum prima sic habet. *Audimus, fratres, quòd quidam detrahunt, & accusant Sacerdotes Dei, cupientes eos damnari, non intelligentes forsitan, quòd injuria Sacerdotum ad Christum pertinet, cujus vice funguntur.* Altera, sic. *Summi Sacerdotes, id est, Episcopi, à Deo sunt judicandi, non ab humanis aut prava vita hominibus lacerandi, sed potiùs ab omnibus fidelibus portandi, ipso Domino exemplum dante, quando per seipsum, & non per alium, vendentes & ementes ejecit de templo, & mensas nummulariorum & cathedras vendentium proprio evertit flagello, & ejecit de templo.* Tertia, sic. *Doctor autem vel Pastor Ecclesiæ, si à fide exorbitaverit, erit à fidelibus corrigendus: sed pro reprobis moribus magis est tolerandus, quàm distringendus, quia Rectores Ecclesiæ à Deo judicandi sunt, sicut ait Propheta. [Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.]* At de illis Anacleti epistolis ita Labbeus in marginali notatiuncula. *Has epistolas non ausus est Bellarminus indubitatas affirmare, nec negat in eas aliquos errores irrepsisse. Eruditis verò Catholicis videntur suppositæ.*

LXXXIX. *LXXII* Capitulum. *Presbyter non adversùs Episcopum, non Diaconus adversùs Presbyterum, aut Subdiaconus adversus Diaconum, non Acolytus adversùs Subdiaconum, non Exorcista adversùs Acolytum, non Lector adversùs Exorcistam, non Ostiarius adversùs Lectorem det accusationem aliquam. Et non damnabitur Præsul nisi in LXXII testibus. Neque Præsul Summus à quoquam judicabitur, quoniam scriptum est. [Non est discipulus super magistrum.] Presbyter autem in cardine constitutus, non nisi in XLIV testibus damnabitur. Diaconus cardinarius constitutus urbis Romæ, nisi in XXVI non condemnabitur Subdiaconus, Acolytus, Exorcista, Lector, nisi, sicut scriptum est, in VII testibus non condemnabitur. Testes autem sine aliqua sint infamia, uxores & filios habentes, & omnino Christum prædicantes.* Lege librum primum Capitularium, cap. CXXXIX. Ingelramnus hoc Capitulum descripsit è Concilio Romano secundo sub Silvestro Papa, cujus Canon tertius talis est. *Fecit gradus in medio Synodi, ut non Presbyter adversùs Episcopum, non Diaconus adversùs Presbyterum, non Subdiaconus adversùs Diaconum, non Acolytus adversùs Subdiaconum, non Exorcista adversus Acolytum, non Lector adversùs Exorcistam, non Ostiarius adversùs Lectorem, non laicus det accusationem aliquam. Et non damnabitur Præsul nisi in septuaginta duobus, neque Præsul Summus à quoquam judicabitur, quoniam scriptum est. [Non est discipulus super magistrum.] Presbyter autem nisi in quadraginta quatuor testimoniis non damnabitur. Diaconus autem cardine constructus urbis, nisi in triginta sex, non condemnabitur. Subdiaconus, Acolytus, Exorcista, Lector, nisi (sicut scriptum est) in septem testimo-*

nulis, filios & uxores habentes, & omnino Christum prædicantes. Idem testium adversùs Episcopum numerus in epistola prima Zephyrini Papæ requiritur. *Patriarcha verò vel Primates*, inquit Zephyrinus, *accusatum discutientes Episcopum, non antè sententiam proferant finitivam, quàm Apostolicâ fulti auctoritate, aut reum seipsum confiteatur, aut per innocentes & regulariter examinatos convincatur testes, qui minori non sint numero, quàm illi discipuli fuerunt, quos Dominus ad adjumentum Apostolorum eligi præcepit, id est, septuaginta duo.* De Summo Præsule, præter Capitulum quinquagesimum-sextum, quod suprà recitatum est, & Synodi Romanæ Secundæ sub Silvestro Papa celebratæ Canoni tertio conforme reperitur, haud omittendus sermo, quem ante Silvestri Pontificatum Melchiades Presbyter in Concilio Sinuessano, cùm Marcellini Papæ crimen suum fatentis damnationi subscriberet, clarâ voce sic protulisse legitur. *Justè ore suo condemnatus est, & ore suo anathema suscepit maranatha, quoniam ore suo condemnatus est. Nemo enim unquam judicavit Pontificem, nec Præsul Sacerdotem suum, quoniam prima Sedes non judicabitur à quoquam.* Presbyter *in cardine constitutus* & Diaconus *cardinarius constitutus* vel *cardine* seu *constructus* seu *constrictus*, non alii sunt à Presbytero & Diacono Cardinalibus. De Presbyteris Cardinalibus actum Tomo superiore ad annum Christi septingentesimum duodequinquagesimum [a], & ex eodem loco, quem consulere poteris, facilè intelliges quinam priscis illis temporibus fuerint Diaconi Cardinales. Antonius Augustinus in notis ad Capitulum, de quo nunc agimus, observat, in quibusdam exemplaribus nullam cardinis fieri mentionem, & Ingelramni textum de quocunque Presbytero ac quocumque Diacono intelligendum esse. Numerus testium adversùs Diaconum in variis editionibus diversus est, ut patet ex textibus suprà citatis, quorum alter sex ac viginti, alter sex ac triginta testes habet. Hincmarus Archiepiscopus Remensis [b] inter Ingelramni sententias, quas alienas *à sacris Canonibus* & inimicas *Ecclesiasticis judiciis* ait, ex hoc eodem Capitulo, de quo loquimur, reponit illam, quæ statuit, ut *testes sint uxores & filios habentes.*

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

[a] Num. 25.

[b] Opusc. 55. cap. 24.

XC. *LXXIII* Capitulum. *Testimonium laici adversùs Clericum nemo suscipiat.* Hoc quoque Capitulum damnat Hincmarus [c] Remensis Archiepiscopus. Ab hoc Auctore quatuor Ingelramni Capitula recensentur à sacris Canonibus aliena & Ecclesiasticis judiciis inimica. Unum sic refertur. *Delatori aut linguo capuletur, aut convicto caput amputetur.* Alterum, sic. *Judex criminosum discutiens, non antè sententiam proferat capitalem, quàm aut reus ipse confiteatur, aut per innocentes testes convincatur.* Tertium, sic. *Testes autem sine aliqua sint infamia, uxores & filios habentes, & omnino Christum prædicantes.* Quartum, sic. *Testimonium Clerici adversùs laicum nemo suscipiat.* Deinde hoc de illis judicium profertur. *Quæ quantùm aliena sint à sacris Canonibus, & quantùm inimica sint Ecclesiasticis judiciis, nemo est qui ignoret.*

[c] Opusc. 55. cap. 24.

XCI. *LXXIV* Capitulum. *Nemo enim Clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in Ecclesia, & reliqua.* Ingelramnus hoc Capitulum sumpsit è secunda Synodo Romana sub Silvestro habita, cujus hic est Canon decimus-quintus. *Nemo enim Clericum quemlibet in publico examinet, nisi in Ecclesia.*

XCII. *LXXV* Capitulum. *Episcopi Pontifici, à quo consecrati probantur, præjudicium inferre nullum possunt. Quòd si præsumptum fuerit, viribus carere non dubium est, nec posse inter Ecclesiastica ullo modo statuta censeri.* Lege librum septimum Capitularium, cap. LXXXV. Ingelramnus hoc Capitulum descripsit è secunda Marcellini Papæ epistola, quæ sic habet. *Nec Episcopi Pontifici, à quo consecrari probantur, præjudicium inferre ullum possunt. Quòd si præsumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter Ecclesiastica ullo modo statuta censeri.* Marcellini autem utraque epistola, ut Labbeus

notat, *suppofita*, & posterioris initium *omnes pseudo-Isidori merces evertit, proscribítque eruditorum virorum judicio.*

LXXVI Capitulum. *Non licet Imperatori, vel cuipiam pietatem custodienti, aliquid contra mandata divina præsumere.* Lege librum quintum Capitularium, cap. CCXLVIII. Ingelramnus hoc Capitulum sumpsit ex prima Callisti Papæ epistola, in qua hæc leguntur. *Nulli Imperatori, vel cuipiam pietatem custodienti, licet aliquid contra mandata divina præsumere.*

LXXVII Capitulum. *Providendum est, ne in aliquo Apostolica, aut Ca-*
XCIII. *nonica Decreta violentur.* Lege librum septimum Capitularinm, cap. XC.
XCIV. *LXXVIII* Capitulum. *Injustum judicium, & definitio injusta, Regio metu*
XCV. *vel jussu à Judicibus ordinata, non valeat.* Lege librum quintum Capitularium,
cap. CCLI. Ingelramnus hoc Capitulum mutuatus est à Callisto & Marcellino Romanis Pontificibus. Callisti textus hic est epistolâ primâ. *Injustum ergo judicium, & diffinitio injusta, Regio metu aut jussu, aut cujuscumque Episcopi aut potentis, à Judicibus ordinata vel acta non valeat.* Textus verò Marcellini talis est in epistola secunda. *Injustum enim judicium, & definitio injusta, Regis metu vel jussu à Judicibus ordinata, non valeat.*

XCVI. *LXXIX* Capitulum. *Sic odit Deus eos, qui adversùs Patres armantur, ut Patrum invasores, qui in omni mundo infamiâ notantur.* Lege libtum septimum Capitularium, cap. CCLXXXIX. Ingeltamnus hoc Capitulum accepit è prima Alexandri Papæ epistola, cujus hic est textus. *Sic odit Deus eos, qui adversùs Patres*, id est adversùs Episcopos, *armántur, ut Patrum invasores vel destructores. Qui ideo infames efficiuntur, quia Patres persequuntur.*

XCVII. *LXXX* Capitulum. *Item generali Decreto constituimus, ut execrandum anathema, & velut prævaricator Catholica fidei apud Deum reus existat, quicumque Regum vel potentum, deinceps Canonum censuram in quocumque crediderit, vel permiserit violandam.* Lege libtum sextum Capirularium, cap. CCXLIX.

XCVIII. Prædicta Capitula in omnibus editionibus non eodem distribuuntur modo. Antonius Augustinus duo ranrùm agnoscit supra septuaginta, quia non semel è duobus vel è tribus unum conflat. Decimum-quintum cum duobus sequentibus conjungit; item tricesimum-octavum cum tricesimo-nono, quadragesimum-septimum cum quadragesimo-octavo, septuagesimum-secundum cum duobus proximè sequentibus, & septuagesimum-sextum cum septuagesimo-septimo & septuagesimo-octavo. Quibus è scriptis singula sint eruta, necnon quibus Capitularium libris & additionibus posteà fuerint inserta, brevibus, ut res postulabat, ostendimus notatiunculis, &, ubi plures Auctores eandem uni Capitulo conficiendo materiam suppeditasse visi sunt, illum duntaxat descripsimus, cujus nomen, seu genuinum sit seu fictitium, ceteris præstat antiquitate. In istis Capitulis multæ res sunt præclaræ, ex Conciliis & ex Patribus excerptæ, sed non ejusdem generis sunt eæ, quas à sacris Canonibus alienas & Ecclesiasticis judiciis inimicas ex ipsa lectione facilè deprehendes. Non desunt, qui Collectionem affirment laudabiliter concinnatam, ut aliquis esset litium & accusationum modus ac finis. Alii hunc Collectori scopum fuisse volunt, ne Episcoporum judicia, quæ Synodis comprovincialium Episcoporum ac Metropolitanorum priùs summittebantur, Romani Pontificis auctoritati novo jure reservaret. Si Ferdinando de Mendoza in notis ad quinquagesimum-secundum Canonem Illiberitani Concilii fides est, *Adrianus Papa* Collectionem *Decretorum ex diversis Conciliis Græcis & Latinis compilavit, ad judicium litis, quam ei Tharasius Archiepiscopus Constantinopolitanus intenderat;* sed in antiquis monumentis & Annalibus Ecclesiasticis altum illa de lite
[a] Tom. 9. ad an. 786. n. 6. silentium. Cæsar Baronius [a] eandem Collectionem ab Hadriano Pontifice factam affirmat, addítque illam ab eo datam *Ingelramno Episcopo Mediomatricis civitatis tunc Romæ degenti, ut causam suam adversùs falsos accusatores*

defenderet. In hujus Auctoris opinione, postrema phrasis, quâ titulus Collectionis ita clauditur, *quando pro sui negotii causa agebatur*, non ad Hadrianum Pontificem, ut Ferdinandus de Mendoza putavit, sed ad Ingilramnum Metensem Episcopum refertur, cujus causa tunc agebatur. Ingilramnum *absolutum, hisce Canonibus communitum* Hadrianus *remisit ad suos. Postulabat ea causa, ut colligeret idem Pontifex Canones spectantes ad accusationem Episcoporum, & ad jura Romana Ecclesiæ pertinentes, ex qua adversùs oppressiones illatas Episcopis à Principibus defensio prodire solet, eâ verò oppressâ, omnes cum ipsa Ecclesias opprimi sit necesse.* Hæc idem Baronius, qui & existimat *ex more tunc celebratam esse Synodum, in qua de jurisdictione Romanæ Ecclesiæ inspici Canones opus fuerit adversùs oppressiones Episcoporum, quorum judicia eidem primariæ Ecclesiæ sint reservata.* Aliter autem se res habuit, non enim Hadrianus Papa Canones collegit, ut præsidio esset Ingilramno, sed ipsemet Ingilramnus eos concinnavit, ut novo se patrocinio tueretur, & sui Metropolitæ Belgicorúmque Episcoporum judicio se subduceret. Quænam tunc Ingilramni causa fuerit, nemo prodit. Suspicari licet Episcopos de illo conquestos esse, quòd Archicapellani munus obeundum anno priore post obitum Fulradi Presbyteri suscepisset. Hincmarus Remensis Archiepiscopus in Opusculo [a] ad Proceres Regni pro institutione Carolomanni Re-., Archicapellanos in duas distinguit classes, quarum una Diaconis & resbyteris, Episcopis altera componitur. *A tempore*, inquit, *Pippini & Cali interdum per Presbyteros, interdum per Episcopos Regiâ voluntate, atque piscopali consensu per Diaconos vel Presbyteros magis quàm per Episcopos hoc fficium executum extitit.* Episcopum igitur ad Archicapellani munus assumi ægerrimè ipsimet ferebant Episcopi, nec carebant ratione, quâ se tuerentur, *quia Episcopi continuas vigilias supra gregem suum debent assiduè exemplo & verbo vigilare, & non diutiùs secundùm sacros Canones à suis abesse Parochiis.* Diacono vel Presbytero Ministerium Archicapellani licitè, illicitè collatum Episcopo sic sentit Hincmarus. *Ut de licitis exempla ponamus, & de inlicitè usurpatis non taceamus, tempore Pippini & Caroli hoc Ministerium consensu Episcoporum per Fulradum Presbyterum, tempore etiam Caroli per Engelramnum & Hildiboldum Episcopos, tempore denique Hludowici per Hilduinum Presbyterum, & post eum per Fulconem item Presbyterum, deinde per Drogonem Episcopum, extitit hoc Ministerium executum.* Suam quoque sententiam prævalido fulcit argumento, *neque enim juxta Decreta ex sacris Canonibus promulgata beati Gregorii, Prætoria, quæ nunc Regia, & usitatiùs Palatia nominantur,* Episcopi *debent inutiliter observare, ne incurrant judicium, ut contra placita Canonum sibi in ordinatione sua tradita facientes, ipsi se honore privent Ecclesiastico.* Si sensus hic Episcoporum fuit, anno Christi octingentesimo octogesimo-secundo, cùm Hincmarus ista scribebat, quis putet Episcopis anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto placuisse factum Ingilramni Metensis Episcopi, qui tunc Archicapellani munus iniit, auctorémque pravi se præbuit exempli, quod posteri post annos nonaginta-octo tanquam illicitum damnarunt? Suscepto, quod Diacono vel Presbytero meliùs conveniebat, Officio Palatino, Ingilramnus spiritualia minùs sectari quàm terrena visus est, & adversùs accusatores patrocinium statim sibi quæsivit hoc primo Capitulo. *Dei ordinationem accusat, in qua constituuntur, qui Episcopos accusat vel condemnat, dum minùs spiritualia quàm terrena sectantur. Unde & Propheta ait.* [*Nolite tangere Christos meos & in Prophetis meis nolite malignari.* Tres hujus Capituli sunt partes. Primam Ingilramnus sumpsit è supposititia Telesphori Papæ epistola, quæ sic habet. *Dei ergo accusat ordinationem qui eos, qui ab eo constituuntur, Sacerdotes accusat, vel damnari cupit.* Postremam descripsit è commentitia pariter Eusebii Papæ epistola, in qua citatur idem textus Sacræ Scripturæ. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Mediam autem, quæ constat hac

EA COLLECTIONE CAUSAM SUAM TUETUR.

[a] Opusc. 14. cc. 14. 15.

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

phrasi, *dum minùs spiritualia quàm terrena sectantur*, ipse pro lubitu inseruit, nec evidentiùs indicare potuit argui se, quòd spiritualia minùs quàm terrena sectaretur. Hujus se delicti reum palàm ostendit, ex quo munus Archicapellani cœpit exercere, nam deinceps contra sacros Canones, ut Hincmarus jam citatus loquitur, à sua diutiùs absuit Parochia, Palatium inutiliter observavit, honore se privavit Ecclesiastico.

XCIX. Ingilramni sive Angelramni Collectio placuit Hadriano Papæ, à quo factus est etiam Apostolicæ Sedis Apocrisiarius, eóque Titulo licentiam assiduè in Palatio manendi propter utilitates Ecclesiasticas obtinuit. Eodem quoque pòst munere cum pari licentia functus est Hildebaldus Coloniensis Archiepiscopus, ut patet ex Canone quinquagesimo-quinto Synodi Francofurtanæ, qui sic habet. *Dixit etiam Dominus Rex* Carolus *in eadem Synodo, se à Sede Apostolica, id est, ab Hadriano Pontifice, licentiam habuisse, ut Angilramnum Archiepiscopum in suo Palatio assiduè haberet propter utilitates Ecclesiasticas. Deprecatus est eamdem Synodum, ut eo modo sicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildebaldum Episcopum habere debuisset, quia & de eodem, sicut & de Angilramno, Apostolicam licentiam habeat. Omnis Synodus consensit, & placuit eis eum in Palatio esse debere propter utilitates Ecclesiasticas.* Hæc Synodus habita est anno Christi septingentesimo nonagesimo-quarto, ut ad illum annum dicturi sumus, per antecessum observa longè alienum ab Episcoporum officio visum fuisse, ut in Regio comitatu procul à suis Diœcesibus assiduè quocumque prætextu versarentur, siquidem Rex post acceptam ab Apostolica Sede sive ab Hadriano Papa licentiam, ut Hildebaldum Coloniensem Archiepiscopum assiduè in suo Palatio haberet, super ea re consensum adhuc Episcoporum in Synodo cum precibus expostulavit, &, quamvis Synodi consensus accesserit, sequenti seculo celeberrimi non defuerunt Episcopi, qui consuetudinem illam illicitam dixerint, damnarintque in libris pro Regis institutione publicatis. Ex his observationibus facilè deprehendi potest, quàm malè apud alios Episcopos is audierit, qui pravum hoc exemplum in Regnum primus introduxit, cúrque Capitulorum, quæ ex Græcis & Latinis Canonibus, & Synodis Romanis, atque Decretis Præsulum ac Principum Romanorum sparsim collecta sunt, specioso titulo novum sibi patrocinium adversùs eos aliunde compararit.

C. UTUNTUR ET ALII EPISCOPI.

Episcopi non pauci, cùm Synodum ac judicium comprovincialium declinare vellent, eâdem Ingilramni Collectione posteà sunt usi. Varia suis locis exempla proferemus examinabimúsque. Depositiones Episcoporum, apud Francos, ante Caroli Magni ætatem, in Synodis actas non est cur inficiari quis possit. Anno Christi quingentesimo quinquagesimo-primo Saffaracus Parisiensis Episcopus in Concilio Parisiensi depositus est. Anno Christi quingentesimo septuagesimo-nono in Cabilonensi Concilio depositi Salonius Ebredunensis Metropolitanus, & Sagittarius Vapincensis Episcopus. Anno Christi quingentesimo nonagesimo Ægidius Remensis Metropolitanus in Concilio Metensi depositus. Anno quoque Christi sexcentesimo septuagesimo-septimo Dido Cabilonensis Episcopus aliique in Synodo depositi. Nulla tunc appellationis ad Apostolicam Sedem facta mentio, nulla Romanorum Pontificum propter tot Episcopos inconsultâ Sede Apostolicâ depositos audita tunc querela. Non ignoramus apud Gregorium Turonensem in vulgato capite vicesimo-primo libri quinti hæc legi,

INTERPOLATOR GREGORII TURON. REJICITUR.

quæ nobis opponantur. *Salonius Ebredunensis urbis, Sagittariúsque Vapigensis Ecclesia, Sacerdotes statuuntur. Sed adsumpto Episcopatu in proprium relati arbitrium, cœperunt in pervasionibus, cædibus, homicidiis, adulteriis, diversísque in sceleribus, insano furore grassari: itaut quodam tempore, celebrante Victore Tricastinorum Episcopo solemnitatem Natalitii sui, emissâ coborte, cum gladiis & sagittis inruerent super eum. Venientésque sciderunt vestimenta ejus, ministros ceciderunt, vasa & omnem adparatum prandii auferentes, relinquentes Epi-*

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

ſcopum in grandi contumelia. Quod cùm Rex Guntebramnus comperiſſet, congregari Synodum apud urbem Lugdunenſem juſſit. Conjunctique Epiſcopi cum Patriarcha Nicetio beato, diſcuſſis cauſis, invenerunt eos de bis ſceleribus, quibus accuſabantur, valdè convictos, præceperúntque, ut, qui talia commiſerant, Epiſcopatûs honore privarentur. At illi cùm adhuc propitium ſibi Regem eſſe noſſent, ad eum accedunt, implorantes ſe injuſtè remotos, ſibíque tribui licentiam, ut ad Papam urbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum, datis epiſtolis eos abire permiſit. Qui accedentes coram Papa Joanne, exponunt ſe nullius rationis exiſtentibus cauſis dimotos. Ille verò epiſtolas ad Regem dirigit, in quibus locis ſuis eoſdem reſtitui jubet. Quod Rex ſine mora, caſtigatis priùs illis verbis multis, implevit. Neque nos etiam fugiunt argumenta, quæ Petrus de Marca capite decimo-nono libri ſeptimi de Concordia Sacerdotii & Imperii, & N. David in judiciis canonicis Epiſcoporum, capite decimo-quarto, articulo primo, ex illo vulgati textu Gregorii deducunt, ut opiniones invicem pugnantes & à noſtra plurimùm alienas corroborent. At adversùs utrumque pro noſtra ſententia ſufficit repetere, quòd vulgatum caput viceſimum-primum libri ſeptimi Gregoriani non eſt genuinus Gregorii fœtus, ſed opus interpolatoris in multos errores lapſi, abeſt enim à Codicibus, Bellovacenſi, Corbeienſi, Metenſi, ac Bignonio, in quibus vulgaria reperiuntur ejuſdem libri proxima capita, nempe viceſimum quod præcedit, & viceſimum-ſecundum quod ſubſequitur.

In Chronico Senonenſi [a], multa narrantur de Angelramno Metenſi Epiſcopo atque Abbate Senonienſi, quæ ſpectant ad Monaſterium Senonienſe, nec à nobis omitti debent, licèt certo Charactere Chronologico deſtituantur. CI.

[a] Lib. 2. cc. 3. 4.

Angelramnus Reliquias Sancti Simeonis Epiſcopi quondam Metenſis ad Senonias tranſtulit, ſed eas Senonienſes Monachi ſuſcipere noluerunt, ſuum enim oderant Abbatem. Hic autem *volens illorum ad tempus quaſi vir prudens declinare indignationis ferociam, in clivo montis, qui ad Meridiem Monaſterio præminet, Capellam conſtruxit, & ibidem illum incomparabilem & ſanctum theſaurum collocavit.* Poſteà cùm aliis ſe negotiis implicitum videret, inito conſilio munus Abbatiale dimiſit, & *virum religioſum Norgandum* Senonienſem conſtituit Abbatem. Mutato tunc animo fratres illius loci *corpus Sanctiſſimi Simeonis, quod ſuperiùs in Oratorio collis diximus collocatum, ad Monaſterium* tranſtulerunt, poſuerúntque *in Eccleſia Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli.* De Norgando Abbate plura non legimus. CII.

TRANSLATIO S. SIMEONIS EP. METENSIS.

ABBATES SENONIENSES.

Exeunte hoc anno, Paulus Diaconus, cùm annum unum & ampliùs, ſive, ut Leo loquitur [b], *annos aliquot exulans duxiſſet*, ex Inſula Diomedæa Beneventum fugâ ſe proripuit. Hoc negotium ſic idem Auctor enarrat. *Homunculus quidam, qui ei propter Dominum obſequia præſtabat, clàm illum ex Inſula aſportans, cum eo pariter Beneventum perrexit. Quo viſo Archis, ſive* Aragiſus Dux Beneventanus, *qui filiam prædicti Deſiderii* Longobardorum Regis *Adelpergam habebat uxorem, valdè tam ipſe quàm eadem ipſius conjunx gavisi ſunt, eúmque ſecum in Palatio honorificè detinuerunt. Quo in tempore, utrumque Palatium ejuſdem Principis (alterum ſiquidem Beneventi, Salerni alterum conſtruxerat) idem Paulus verſibus luculentiſſimis exornavit.* De aliis Pauli lucubrationibus, quas in aula Ducis Beneventani compoſuit, agemus anno ſequenti. CIII.

[b] Lib. 1. c. 17.

PAULUS DIACONUS EX INSULA DIOMEDÆA BENEVENTUM PROFUGIT.

In Monaſterio Fabarienſi Bertrantius Abbas moritur ſexto Nonas Martii. Succedit ei Criſpio. Lege Bucelinum in Chronologia Rhætiæ ſacra & profana. CIV.

ABBATES FABARIENSES.

Hiltrudis, quæ poſt impoſitum ab Epiſcopo Cameracenſi velamen ſeptemdecim duntaxat annis vixit, hoc circiter anno migravit ad Deum quinto Kalendas Octobris. Ejus vitam à Valciodorenſi Monacho conſcriptam Lucas Dacherius & Joannes Mabillonus tertio Seculo Benedictino [c] pu- CV.

[c] Tom. 2. a. circ. 790. d. 27. Sept.

AN. CH. 785. CAROLI R. 17. PIPPINI LUDOV. RR. 5.

blicarunt. Erant Hiltrudi, pater Wibertus Comes, mater Ada, Lescienfis Monasterii conditores; frater Guntradus ejusdem Cœnobii primus Abbas. Illo septemdecim annorum spatio, quo Hiltrudis post acceptum velum in vicinia prælaudati Monasterii permansit, parentes ejus Wibertus & Ada, quoscumque sibi constituerunt hæredes, mortuos defleverunt. *Eâ tempestate, Deo digni parentes ejus cunctis, quos hæredes sibi adsciverunt, immaturâ morte sublatis privati sunt, quorum corpuscula in sæpedicta Ecclesia continentur sepulta*, id est, in Ecclesia Lescienfis seu Lætienfis Monasterii, Deo sub nuncupatione Sancti Lamberti dicata. Hæredibus aliis sic extinctis *factum est, ut filiæ suæ Hiltrudi virgini possessionum suarum domi forisque Donationem facerent, à villa scilicet Molibamio* *, *ubi venerabilis Ada Ecclesiam Domino ædificaverat, usque ad villam Seanescum*, quæ teste Mabillono, Vallis * bodie nuncupatur & Lætienfi Monasterio etiamnum subjicitur.

* *Molbain.*

* *Vaux.*

Quam procul dubio Donationem hæreditario testamento in manu ejus firmaverunt, ut ipsis, nempe villis Molibamio & Seanesco, *præesset dum viveret, & post decessum ejus in jus Ecclesiæ Sancti Lamberti ad usus ibidem Domino servientium cederent.* Hiltrudi morienti præsentes adstiterunt pii parentes, necnon Guntradus frater cum Monachis Lætienfibus. *Requievit* Hiltrudis *mense Septembri sub die* v *Kalendarum Octobrium, cui collocaverunt sepulchrum, quale decebat virginem Christi, à dextris altaris Sancti Lamberti, in parte Aquilonari. Imposuerunt sepulchro laminam lapideam hoc modo inscriptam. HIC JACET HILTRUDIS CHRISTI VIRGINIS CORPUS, QUÆ OBIIT V KALEND. OCTOBRIS.* Nec omittendum, quòd *piissimi genitores Testamentum suum*, de quo suprà, *plumbo sigillatum, benè occultâ intentione in futurum prospicientes, illi consepeliri fecerunt.* Quandiu filiæ suæ superstites hi fuerint, haud scimus, *venerabilis filius eorum Abbas Guntradus in porticu Monasterii ejusdem in parte Meridiana, sicut decebat, eos sepelivit. Nam id loci ad sepulturam delegerant, & se hic collocari mandaverant; ubi patrem in lecto excelsiori, & matrem in humiliori sepoſuit. Hic enim humilitatis gratiâ, ut introeuntes sibi orarent ad animarum requiem, providerunt carnis pausationem, indignos se arbitrantes, qui intra Ecclesiam dormitorium haberent.* Posteà & *ipse* Guntradus *mortis debitum solvit, beatámque animam cælo in æternum victuram misit. Corpus ejus à fratribus, quos secundùm Dominum rexerat, & ut sui memores essent petierat, in medio Oratorii Sancti Lamberti collocatum est, ubi & nomen & meritum ejus usque in hodiernum diem præsto est. Post cujus decessum annis multis perseveravit & valuit hoc in loco Ordo & Religio Monachorum*, id est, quandiu regnarunt Carolus Magnus ejúsque filius Ludovicus Pius, ut idem Monachus Valciodorensis, quem consulere poteris, inferiùs testatur. Abbatum tamen, qui Lætiense Monasterium post Guntradum rexerunt, interierunt nomina.

IN MON. LESCIENSI SEPELITUR HILTRUDIS VIRGO, CUM SUIS PARENTIBUS, ET FRATRE ABBATE.

CVI. RABANUS NASCITUR MOGUNTIÆ.

Hoc anno natus est Rabanus, de quo sæpè locuturi sumus. Ejus patria controvertitur à nuperis Auctoribus, aliis enim Britannia est, aliis Germania, nec inter se conveniunt, qui vel Britanniam vel Germaniam scribunt, nam Britannia Scotiam & Angliam complectitur, éstque duplex Germania, cisrhenana videlicet ac transrhenana. Rabanum Britannum negamus, seu Scotum intelligas sive Anglum; negamus & Germanum transrhenanum, quia in eadem sepultus est urbe in qua natus ac baptizatus, tumulatus est autem apud Moguntiam in Æde Sancti Albini, ibíque ad annum usque Christi millesimum quingentesimum decimum-quintum quievit, ut affirmant Trithemius in vita Sancti Maximi Moguntiacensis olim Episcopi, Serarius libro quarto [a] rerum Moguntiacarum, & Bollandus in Commentario [b] vitæ ipsius Rabani prævio, quem potissimùm consule [c]. Wimpfelingius, quocum tres Auctores præcitati, necnon Wion in ligno [d] vitæ, Browerus in Antiquitatibus [e] Fuldensibus, aliique consentiunt, Epitaphium, quod in Sancti Albini Templo positum fuit, ab ipsomet Rabano vivo ac spirante

[a] In Archiep. 7.
[b] Paragr. 1.
[c] d. 4. Febr.
[d] Lib. 2. c. 26.
[e] Lib. 1. c. 2.

ſpirante conſcriptum aſſerit. Ex hoc autem Epitaphio Colvenerius in Prolegomenis ad opera Rabani, Baronius Tomo decimo [a] Annalium Eccleſiaſticorum, & Bollandus loco jam citato, Rabanum in eadem urbe, in qua lucis uſuram baptiſmúmque ſuſceperat, ſepulturâ quoque donarum pronuntiant. Nec id poteſt in dubium vocari, ſi benè diſtichon ex eorumdem Auctorum ſententia ſic interpungatur.

Urbe quidem hac genitus ſum, ac ſacro fonte renatus:
In Fulda poſthac dogma ſacrum didici.

[a] Ad an. 856. num. 16

CVII. Natus eſt igitur Rabanus Moguntiæ, & quia civitas illa pertinebat ad Galliam, erátque Germaniæ primæ ciſrhenanæ ſeu Gallicanæ Metropolis, jure Germano-Francus & Gallo-Francus dici poteſt, aut abſolutè Francus, quoniam Moguntiacum Carolo Francorum Regi tunc parebat. Non deſunt qui ſecus ſentiant, & Rabanum apud Fuldam in lucem editum putent; in horum numero ſunt Browerus & Serarius, qui diſtichon ſuprà deſcriptum ſic interpungunt.

Urbe quidem genitus ſum, & ſacro fonte renatus
In Fulda: poſthac dogma ſacrum didici.

CVIII. At prior præſtat interpunctio, quæ diſtichon ſic interpretandum proponit. Rabanus Moguntiæ natus eſt ac baptizatus, deinde ſacras literas apud Fuldam didicit. Hæc expoſitio clariùs ex tetraſticho patet, quia Rabanus in poſteriore diſticho Fuldenſis Monachus apud Baronium ſic oſtenditur.

Urbe quidem hac genitus ſum, ac ſacro fonte renatus:
In Fulda poſthac dogma ſacrum didici.
Quâ Monachus factus, ſeniorum juſſa ſequebar:
Norma mihi vita Regula ſancta fuit.

CIX. Præterea Bollandus obſervat per illam ætatem nec urbis nec oppidi nomen inditum Fuldæ, licèt hic locus in pleriſque Diplomatibus & à variis Scriptoribus ſæpè commendatus inveniatur. Itaque Fuldæ convenire non poteſt hoc hemiſtichium.

Urbe quidem hac genitus ſum.

CX. Joannes Trithemius Rabani vitam tribus libris complexus eſt. Ejus ortum poſt triennium rejecit, atque in errore permanſit ad finem uſque libri ſecundi, quo biennium ſolùm ſtatuit inter Rabani depoſitionem ab Abbatiali munère & promotionem ad Archiepiſcopatum Moguntiacenſem, cùm alii Scriptores interponerent quinquennium, quod & ipſe teſtituit in Chronico Hirſaugienſi, ſic. *Anno* DCCCXLII, *qui Abbatis Linthberti quartus annus erat*, Rabanus *de Fuldenſi Monaſterio per fraudes quorundam incitatus exiit, atque ad Ludovicum, filium Ludovici Senioris Imperatoris confugiens, uſque ad mortem Otgarii Archiepiſcopi Moguntinenſis, qui eum expulerat propter quam neſcio cauſam, quaſi exul remanſit. Sed poſt annos quinque mortuo Otgario Rabanus Archiepiſcopus in locum ejus ſuffectus anno Domini* DCCCXLVII, *Indictione* X, *omnium ſuffragio.* Hæc paucis te monitum volumus, quia reliquo hoc Tomo, maximâque ſubſequentis parte, Chronologiam Trithemii circa Rabani ætatem integro triennio prævertemus.

AN. CH. 786.
CAROLI R. 18.
PIPPINI Ludov. RR. 6.

ANNUS

CHRISTI		786.	
CAROLI	R.	18. 15. 13.	
PIPPINI II.	R.	6.	
LUDOVICI	R.	6.	

I. ANNO Christi septingentesimo nctogesimn-sexto Carnlus, ut veteres Annalistæ [a] scribunt, in Attiniaco villa, ubi hyemem egerat, Pascha nono Kalendas Maii celebravit. *Hic annus*, ait Annalista Petavianus, *fuit sine hoste, nisi tantùm in vernis temporis.* Phrasis hæc barbara Franciam, exceptn quòd verno tempore nonnihil civilium motunm experta est, ab omni prorsus bello quievisse significat. Duplex autem compressus est hoc annn tumultus in provinciis lnngissimè dissitis, unus in Turingia, alter in Britannia.

[a] Loisel. Lauresham. & alii.

II. TUMULTUS BRITANNICUS COMPRIMITUR. Annalista Lniselianus de rebus Britannicis ita Inquitur. DCCLXXXVI. *Tunc Domnus Carolus Rex misit exercitum suum partibus Britanniæ unà cum Misso suo Audulfo Sinescalco, & ibi multos Brittones conquisierunt, unà cum Castellis & firmitatibus eorum, locis paludtribus seu & incesis. Et, sicut suprà diximus, in multis firmitatibus Brittonum prævaluerunt Franci, & cum victoria, Domino volente, reversi sunt. Et Capitaneos eorum ad Synodum repræsentabant supradicto Domno Regi Carolo in Warmatiam.* Quomodo Britnnes iram Caroli Regis in se concitarint, Laureshamensis Annalista paucis aperit. *Is*, inquit, *populus, à Regibus Francorum subactus, ac tributarius factus, impositum sibi vectigal, licèt invitus, solvere solebat. Cúmque, eo tempore, dicto audiens non esset, missus illuc Regiæ mensæ Præpositus Audulfus, perfidæ gentis contumaciam mirâ celeritate compressit, Regíque apud Wormaciam & obsides quos acceperat, & complures ex populi Primoribus adduxit.* Ut hoc tibi clariusfiat, in memoriam revoca, quod de Britnnibus Tomn primo dictum est. Clodoveus Magnus, postquàm Regnum Britanniæ cismarinæ subegit, plerisque civitatibus Comites præfecit, quns Franciæ beneficiarios esse Regiśque nnmine præcepit abstinere. Gregorius Turonensis id apertè sic docet in Historia Ecclesiastica Francorum [b]. *Semper Brittani sub Francorum potestatem post obitum Regis Chlodovechi fuerunt, & Comites non Reges appellati sunt.* Britones igitur, cùm Carolum difficili belln contra Saxnnes nccupatum scirent, ei se summissos ægerrimè tulerunt, ausíque rebellare pœnas, ut par erat, prnximn luerunt vere. Civitatem Venetntum tunc nbsessam captámqne testantur rerum Armnricarum Scriptores.

[b] Lib. 4. c. 4.

III. CUM TURINGICO. Turingiæ tumultus, quem Carnlus post Pascha trans Rhenum profectus cnmpressit, longè gravinr ac periculosior habitus est. Rem illam Annalista Laureshamensis anno priore perstrinxit; Fuldensis conjuratinnem annn superiore initam compressámque tradit, pœnas tamen de præcipuis authoribus sumptas hoc annn refert; totum negotium multò fusiùs hoc æquè annn describit Nazarianus, cui suffragantur Auctor Appendicis ad Chronicnn Nibelungi Cnmitis, & Auctor Chronici Moissiacensis; fortè qund facinus anno superiore conceptum fuerat, in lucem hoc anno prorupit, subitóque extinctum est. Sic autem se res habet in Annalibus Nazarianis. DCCLXXXVI. *Thuringi autem consilium fecerunt, nt Carolum Regem Francorum dolo tenerent, & occiderent. Si ergo hoc scelus atque nefandissimum crimen perpetrare non prævalnissent, saltim hoc cupiebant constituere, ut non ei obe-*

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

*dissent, neque obtemperassent jussis ejus. Quod nequam consilium Regi multa tempora latere nequaquam potuit. Ille enim, eò quod erat prudens ac mitis valdè, patientissimè hoc deportabat. Igitur transactis aliquot * temporibus, transmisit jam præfatus Rex Legatum suum ad aliquem de illis Thuringis propter filiam suam, sponsam scilicet unius Franci, quam secundùm legem Francorum sponsatam habuisse cognoscebatur, ut tempore statuto ei reddidisset sponsam suam. Ille enim parvi pendens jussa Regis, non tantùm spopondit se illam reddere, sed etiam insuper congregavit penè universos Thuringos, proximósque suos, & voluerunt se defendere de Rege Francorum. Rex namque hæc audiens iratus est valdè, atque indignans hoc, missis ex satellitibus suis contra eos, qui sagaciter atque fiducialiter contra eos perrexerunt, prædia possessionésque eorum devastantes. Thuringi namque timore perterriti, ad corpus beati Bonifacii Martyris confugerunt, ut per merita venerationémque ipsius Sancti Rex relaxaret * illis noxam, dolum insidiásque, quæ præparare conati fuerant. Porrò Pater Monasterii illius consolabatur eos verbis pacificis, dulcibúsque sermonibus, per nunciúmque suum intimavit hæc omnia Regi. Rex ergo destinavit ad eos Legatum suum, ut ad se cum pace venirent. Qui mox ad eum profecti sunt, steterúntque coram Rege. Rex nempe sciscitabatur ab eis, si verum an falsum fuisset, quod ei intimatum fuerat de illis, scilicet ut de morte ejus cogitarent, & si constituere nisi fuissent, ut parvi pendissent mandata illius? Illi enim nullo modo poterant, neque condignaverunt hoc negare. Fertur namque unum ex illis dixisse ad Regem. Si Collegæ sociíque mei mihi consentire comprobarentur, tu numquam postmodum citra Rhenum fluvium transire vivus cognoscebaris. Rex verò, quia erat mitissimus atque sapientissimus super omnes Reges, qui fuerant ante eum in Francia, moderantissimè illud deportavit. Transactis igitur quibusdam diebus, transmisit Rex ipsos Thuringos unà cum Missis suis aliquos in Italiam, & ad Sanctum Petrum, quosdam verò in Neustriam, atque in Aquitaniam, per corpora Sanctorum, scilicet ut jurarent fidelitatem Regi liberísque ejus, quod & ita actum esse comprobatur. Qui exinde revertentes, nonnulli ex illis detenti sunt in via, & evulsi esse noscuntur oculi eorum; aliqui verò pervenerunt ad civitatem Wagionum, & ibidem comprehensi sunt, & exinde exiliati, & illuc evulsi esse cognoscuntur oculi eorum. Possessiones verò vel agri * eorum omnes infiscati esse noscuntur.*

* aliquis

* relaxaretur

* agros

Prædictorum motuum meminit Eginhardus in vita Caroli Magni. Bellum Britannicum eo, quo præcitati Scriptores, modo sic perstringit. *Domuit & Brittones, qui ad Occidentem in extrema quadam parte Galliæ super littus Oceani residentes, dicto audientes non erant, missâ in eos expeditione, quâ & obsides dare, & quæ imperarentur se facturos polliceri coacti sunt.* Duas inferiùs conjurationes in Carolum describit, unam de qua loquimur, alteram de qua sermonem ad annum Christi septingentesimum nonagesimumsecundum faciemus. Agit primùm de posteriore, deinde priorem, de qua nunc inquirimus, sic attingit. *Facta est alia priùs contra eum*, nempe Carolum, *in Germania valida conjuratio, cujus auctores partim luminibus orbati, partim membris incolumes, omnes tamen in exilium acti sunt; neque ullus ex eis interfectus est, nisi tres tantùm, qui cùm se, ne comprehenderentur, strictis gladiis defenderent, aliquos etiam occidissent, quia aliter coerceri non poterant, interempti sunt. Harum tamen conjurationum*, quarum posteriorem post annos sex examinabimus, *Fastrada Regina crudelitas causa & origo extitisse creditur. Et idcircò in ambabus contra Regem conspiratum est, quia uxoris crudelitati consentiens, à suæ naturæ benignitate ac solita mansuetudine immaniter exorbitasse videbatur.* IV.

Annalista Laureshamensis [a] auctorem sceleris ultra Rhenum commissi notat Hartradum Comitem, atque præcipuos conjurationis duces oculis privatos & in exilium amandatos fuisse. *Facta est*, inquit, *eodem anno trans Rhenum apud Orientales Francos adversùs Regem immodica conjuratio, cujus auctorem Hartradum Comitem fuisse constabat. Sed hujus indicium citò ad Re-* V.

[a] Ad an. 785.

REI PUNIUNTUR.

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6. *gem delatum est, ejúsque solertiâ tam valida conspiratio citra ullum grande periculum in brevi conquievit, auctoribus ejus partim privatione luminum, partim exilii pœnâ condemnatis.* Idem Annalista posteriorem conjurationem ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-secundum exponit, obser-vátque illam factam *à seniore Pipino, & quibusdam Francis, qui se crudelitatem Fastrada Regina ferre non posse asseverabant.* Hunc autem Annalistam Laureshamensem ab Eginhardo non malè quoque ex eo distingues, quòd Fastradæ crudelitatem non utriusque conjurationis, ut Eginhardus, sed posterioris tantùm causam fuisse contendit.

VI. Utrumque supplicium, quo prioris conjurationis auctores in Annalibus Laureshamensibus puniti dicuntur, notat etiam Appendix ad Chronicon Nibelungi Comitis, ut ostendemus infrà, cùm agemus de Synodo apud Wormatiam habitâ. Exilii non meminit Chronicon Moissiacense. Annalista Fuldensis addit vitam nonnullis ereptam. *Auctores*, inquit, *conspirationis contra Regem, partim morte, partim cacitate & exilio damnantur.* Eginhardus suprà citatus tres tantùm interemptos scribit, qui quosdam jam occiderant, cùm, ne ipsi comprehenderentur, strictis gladiis se defenderent. Plures non existimamus occisos. Alii, qui participes flagitii se præbuerunt, aut oculis orbati sunt, aut in exilium ablegati, nec ullam conjurationi causam suis moribus dedit Fastrada.

VII. Id sceleris non solos involvit Turingos, sed per alios vicinatum quoque regionum populos serpsit. Ideóque quam Annalista Nazarianus apud Turingos, Laureshamensis apud Orientales Francos, conjurationem *in partibus Austriæ* factam sic explicant Auctor Appendicis ad Chronicon Nibelungi Comitis & Chronographus Moissiacensis. *Rebellare* * *conati sunt quidam Comites, nonnulli etiam nobilium, in partibus Austriæ, & conjurantes invicem, quos potuerunt coegerunt, ut contra Carolum Regem insurgerent.* Rex periculum ratus in mora, trans Rhenum cum exercitu profectus est. Certo hujus itineris indicio est colloquium, quod ipse cum seditiosis habuit in provincia utique transrhenana, ut ex his verbis, quibus eundem Regem unus eorum allocutus est, apertè constat. *Si Collegæ sociique mei mihi consentire comprobarentur, tu numquam postmodum citra Rhenum fluvium transire vivus cognoscebaris.* Pleríque, cùm propter delictum sibi plurimùm timerent, confugerunt ad Monasterium, in quo Sanctus Bonifacius Martyr quiescebat, eósque quo potuit solatio refecit Abbas illius loci, ut ex Annalibus Nazarianis jam retulimus. Cœnobium illud non aliud erat à Fuldensi; cujus tunc Abbas Baugolffus jam laudatus.

* Rebellari

MULTI CONFUGIUNT AD MON. FULDENS.

VIII. In Appendice ad Chronicon jussu Nibelungi Comitis conscriptum hæc leguntur de Carolo. *Procedente autem tempore in mense Augusto apud Wormatiam Synodum Episcoporum ac Conventum magnificum coire fecit. Ubi decernens, quòd hi, qui potissimè in hac conjuratione devicti sunt, honore simul ac luminibus privarentur, atque exilio damnarentur. Eos verò, qui innoxii in hac conjuratione seducti sunt, clementer absolvit.* Chronographus Moissiacensis Aprilem Augusti loco posuit. Certè Synodus Wormatiensis mense Aprili non est habita, neque enim eo mense Aufidus Wormatiam se conferre potuit debellatis Britannis, quos Carolus Paschâ jam celebrato lacessendos primùm curavit, ut probatum suprà.

IX. Ad hunc annum refertur erectio quorumdam Episcopatuum in Saxonia, quam Carolus Christianæ potiùs Religioni quàm suis ditionibus assertam gloriabatur. Wittekindo sub anni prioris exitum baptizato, res per omnem Saxoniam fuere tranquilliores. Carolus nonnullas ei restituit arces, alias præsidiis firmavit. Imprimis autem de construendis Ecclesiis, quibus Episcopi præficerentur, sollicitum se præbuit, quia solo propagandæ fidei desiderio totus flagrabat. Id ubi Wittekindus agnovit, idoneum obtulit locum in circo non exiguo cujusdam arcis, quam suo jure servabat ad ri-

ERIGUNTUR EPISCOPATUS IN SAXONIA.

MINDENSIS.

AN. CH. 786.

CAROLI R. 18.

PEPPINI LUDOV. RR. 6.

pam Wisurgis, addiditque vernaculâ Saxonum linguâ *min din*, id est, *meum & tuum*, ut significaret Ducis & Episcopi communem fore possessionem. Atque inde Albertus Krantzius in sua Metropoli [a], Petrus Bertius in Commentariis [b] rerum Germanicarum, aliique nomen Mindæ derivatum scribunt. Mindensis Ecclesiæ primus Episcopus ordinatus est Herimbertus, de quo sic idem Krantzius. *Erat vir præcipuâ religione Herimbertus, qui quum Carolum latere non posset, dignus est habitus, quem primum præficeret Ecclesiæ Mindensi Episcopum. Adjecit illi ministeriales non paucos nec parvos, ut haberet Ecclesia defensores suos. Ornata est autem Ecclesia jam tum ab initio multis Sanctorum Reliquiis, Feliciani Fulginatis Episcopi & Martyris, Theodori Episcopi, Carpophori & Habundi Martyrum. Profecit autem Ecclesia tam in spiritualibus quàm temporalibus sub hoc Pontifice, agente novitio fervore in populo recens converso, instante nihilominùs bono Pontifice, qui frugem divini verbi curavit in populo multiplicari.* Falluntur, qui Wittekindum ab Herimberto Episcopo baptizatum volunt, ille enim Baptismum priùs suscepit, quàm hic ad Episcopatum promoveretur. Præter Episcopatum Mindensem erectus in Saxonia Verdensis hoc eodem anno, ut Godefridus Henschenius [c] affirmat in Commentario Historico [d] de Sancto Suiberto Episcopo, Frisonum & Boructuariorum Apostolo. Sedes Episcopi non fixa est primùm Verdæ, sed in alio loco, unde Verdam posteà translata. *Verdensis Episcopatus*, inquit Bruschius [e], *in Orientali Saxonia ultra Visurgin amnem, inchoatus est devictis Saxonibus, & liberalissimè dotatus à Carolo Magno Galliarum Rege potentissimo ac Romanorum Imperatore laudatissimo, annum Christi circiter 776*; repone *786*. *Cœpit autem primùm hæc Ecclesia in honorem Beatæ Virginis Mariæ in loco Konende, aut, ut alii volunt, in civitate Bardevicensi; mox verò majoris commoditatis ergò, ad Verdense clarius tum & nobilius, quàm est hodie, oppidum translata.* Qua de re sic Krantzius [f] Bruschio vetustior. *In Orientali Saxonia, ultra Visurgum, jussit Rex esse Episcopatum in loco Konende, illo tempore satis celebri atque habitatoribus frequenti. Sed commodiorem deinde conspicati locum, in Verdam (oppidum tunc quàm nunc celebrius) transtulerunt.* Illius regionis Episcopatum primus gessit Swibertus, de quo sic idem Krantzius. *Ibi consecratus est jussu Regis Episcopus, vir magnæ Sanctitatis, Swibertus, professione Monachus, Abbas, natione Anglicus.* Et paulò inferiùs. *Swibertus in Anglia moratus, quum audiret congentiles suos Saxones Anglos, (qui nomen Insula mutarunt, ut ex Britannia diceretur Anglia) jam auscultare Evangelio, domitos armis Caroli, præstitit hoc Christo, præstitit hoc genti (quam sibi & suis cognatam intellexit) ut transito mari convolaret in provinciam prædicatoribus indigentem, quòd messis multa & pauci cernerentur operarii. Hujus viri zelum cernens Rex Carolus jussit Ecclesiæ novæ Verdensi primum Episcopum consecrari. Vir autem Sanctus, zelo Dei satis fervens, provinciam sibi creditam solerter obivit, serens verbum Dei in agro cordis humani, multos convertit ad Christum, & sacra Religionis adeò implevit officium, ut & populum Deo credulum quotidie multiplicaret, & ipse bonis exemplis iter cælestis Regni commonstraret, multis clarescens miraculis dum viveret, pluribus etiam effulgens dum jam seculo & vitâ functus migrasset ad Christum.* De ceteris Episcopatibus Saxoniæ, ut singulorum erectiones occurrent, agemus alibi. Hic tantùm observa Mindensem & Verdensem diversis provinciis, hunc Moguntinæ, illum Coloniensi attributos fuisse, Lullus tunc Archiepiscopus erat Moguntinus, Coloniensis Richolphus. X.

Sub initium hujus anni, cùm nuntium de rebus à Carolo feliciter gestis, & de Saxonibus ad fidem conversis, Romam per Andream Abbatem Luxoviensem, de quo jam locuti sumus [g], delatum esset, Adrianus Papa literas [h] in hunc modum scripsit: *Domno Excellentissimo filio nostróque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Præstolatos nimísque nobis optabiles Regales vestros susce-*

[a] Lib. 1. c. 9.
[b] Lib. 3.
VERDENSIS.
[c] d. 1. Mart.
[d] § 8. n. 62.
[e] Tom. 1. cap. 14.
[f] Lib. 1. Metrop. c. 6.
[g] Ad an. 785. n. 12.
[h] Cod. Carol. ep. 91.
LITERÆ ADRIANI PP. AD CAROLUM R.

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

pimus affatus, per fidelissimum vestrum latorem atque Missum, videlicet Andream religiosum Abbatem, quos reserantes reperimus in eis, de vestra præcelsa Regalis Potentia, & comparis, subolisque vestræ, seu cunctorum præcipuorum vestrorum nostrorúmque fidelium sospitate, & incolumi ac sincerissima prosperitate, in quibus redemptori mundi consuetas retulimus grates. Magis autem inibi de vestris à Deo præsidiatis Regalibus triumphis comperientes, qualiter sævas adversásque gentes, scilicet Saxonum, ad Dei cultum & sua Sancta Catholica & Apostolica Ecclesia rectitudinem fidei perduxeritis, atque Domino auxiliante, & Petri Paulíque Apostolorum Principum interventione suffragante, sub vestra eorum colla redacta sunt potestate ac ditione, eorúmque Optimates subjugantes divinâ inspiratione, Regali annisu, universam illam gentem Saxonum ad sacrum deduxistis Baptismatis fontem. Unde nimis ampliùs divina Clementia retulimus laudes, quia nostris vestrísque temporibus gentes paganorum in veram & magnam deducta Religionem, atque perfectam fidem, vestris Regalibus substernuntur ditionibus. In hoc quippe freta vestra à Deo fundata existat potentia, quia si, ut pollicita est fautori suo beato Petro Apostolo, & nobis, puro corde atque libentissimo animo adimpleverit, maximas ac robustiores illarum gentium, suis præcipuis suffragiis, vestris substernet pedibus, ut, nemine eos persequente, vestris Regalibus subjiciantur potentiis, & maximum fructum in die judicii ante tribunal Christi de eorum animarum salute offerre mereamini dignissimum munus, & pro amore animarum lucra infinita mereamini adipisci in Regno cælesti. Illud autem, quod vestra Regalis intimavit Excellentia, ut in uno mense, vel in una die, pro hujuscemodi operibus, scilicet stabilitatis vestra victoria, laudes Deo gerentes caneremus; & unâ vel duabus feriis Letanias perageremus, valdè hoc nobis delectabile existit, quatenus Apostolicâ exarantes censurâ, decrevimus, in omnibus nostris partibus, quæ sub ditione spiritalis matris vestræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ existunt, illicò celebrari easdem unà nobiscum disponentes emisimus. Domino protegente, videlicet vicesimâ-tertiâ die, & vicesimâ-sextâ, atque vicesimâ-octavâ hujus advenientis Junii mensis, quæ sunt in primis Vigilia beati Johannis Baptistæ, & Natalis Sanctorum Johannis & Pauli, necnon & Vigilia beati Petri Apostoli, similiter & vestra Regalis potentia in suis dirigat universis finibus seu transmarinis partibus, ubi Christiana moratur gens, similiter perficiendas triduanas Letanias. Et ideo tale protelatum emisimus spacium, propter tam longinquas Christianas nationes ultra vestrum Regale morantes Regnum. Nos quippe non solùm unam vel duas, ut nobis insinuastis, celebrandas Letanias prævidimus, sed etiam pro vestra, ut soliti sumus, indesinenter orare Excellentia cupientes, decrevimus perficere, & Redemptori mundi canere laudes, ut ipsæ gentes, quæ per vestrum Regale certamen ad Christianam perductæ sunt fidem, usque in ævum per vestrum maneant adminiculum, & nostris vestrísque finibus omnes repelli faciat ægritudinis morbos, & procul ejiciat pestilentiam, ut nostris vestrísque diebus populus nobis à Deo commissus in magna degentes ubertatis affluentia, simúlque sincerissima sospitatis lætitia, longiori ævo, unà cum Domna Regina, vestráque nobilissima prole, mereamini Regni gubernacula perfrui, & in æthereis arcibus sine fine regnare, ut per vestra laboriosa certamina magis magísque spiritalis mater vestra, Sancta Romana Ecclesia, maneat exaltata. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. Illas literas hoc anno scriptas variæ probant observationes simul collatæ. Adrianus Carolum spiritalem compatrem vocat; de Saxonum conversione tanquam de re nupera loquitur; Reginæ bis meminit, eóque nomine Fastradam designat, Reginam enim, cui benè precatur, commatrem non dicit.

XI. PRIVILEGIA PRO MON. S. DIONYSII ET S. MARTINI EXAMINANTUR.

Ejusdem Adriani duo circumferuntur Privilegia, mense Junio, Indictione nonâ, id est, hoc anno, data; unum pro Monasterio San-Dionysiano in agro Parisiensi, alterum pro Cœnobio Sam-Martiniano prope Turonensem civitatem. Privilegium San-Dionysianum à Dubleto primùm in Antiquitatibus [a] San-Dionysianis, deinde à Sirmondo publicatum est Tomo se-

[a] Lib. 2. c. 4.

cundo Conciliorum in Galliis habitorum, atque inde in generalem Conciliorum Collectionem posteà transiit. Privilegium Sam-Martinianum magna ex parte à Sammarthanis editum est Tomo quarto Galliæ Christianæ, integrum autem à Monsnyero ipsius Ecclesiæ Sam-Martinianæ Canonico in juribus ejusdem Ecclesiæ propugnatis [a]. Utrumque accipe, primum ex Dubleto & Sirmondo, alterum ex Monsnyero cum variis Sammarthanorum lectionibus in margine positis.

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

[a] Cap. 2.

EPISTOLA ADRIANI PP. AD ABBATEM SAN-DIONYSIANUM ex Dubleto.	EPISTOLA HADRIANI PP. AD ABBATEM SAN-DIONYSIANUM ex Sirmondo.	EPISTOLA HADRIANI PP. AD ABBATEM SAM-MARTINIANUM ex Monsnyero.	
ADRIANUS Episcopus, servus servorum Dei, Magenario Religioso Abbati venerabilis Monasterii Sancti Christi Martyris Dionysii, in Parisiaco, ubi venerabile ejus corpus quiescit, & per eum in eodem venerabili Monasterio in perpetuum.	*HADRIANUS Episcopus, servus servorum Dei, Maginario Religioso Abbati venerabilis Monasterii Sancti Christi Martyris Dionysii, siti in Parisiaco, ubi venerabile Sancti corpus quiescit, & per eum eidem venerabili Monasterio in perpetuum.*	*IN Nomine Domini, ego Hadrianus Papa, servus servorum Dei, Eterio [1] Religioso Abbati eximii gregis Beati Martini Patroni vestri [2].*	XII. [1] Iterio [2] nostri.
Cùm summa & Apostolicæ Sedis apex in hoc divini prospectûs nitore dinoscitur præfulgere, cùm in exercendis Dei sui laudibus studuerit impensiùs laboris exhiberi certamen.	*Tum summa Apostolicæ dignitatis apex in hoc divini prospectûs nitore dinoscitur præfulgere, cùm in exercendis Dei laudibus sui impensiùs studebit laboris exhibere certamen.*	*Innotuisti profectò dignè auribus nostris, qualiter idem grex nunc usque degerit, ac quæ Privilegia, tam Regalia, quàm prædecessoris nostri Domini Adeodati, habuerit, ut sepositâ authoritate [3] Episcopali Turonicæ urbis, quidquid in suprafato grege disponendum erat, sive regendum aut corrigendum, Abbas ejus Monasterii cum suo Præposito necnon Decano, cæterísque probatissimis viris, sub sua tenuerit ditione.*	[3] potestate
Ob hoc denique nos ejusdem Apostolicæ pastoralis compulit solicitudinis cura, quæque ad stabilitatem piorum pertinere dinoscitur locorum, ubertim promulgari, atque inolitam consuetudinem eisdem venerabilibus locis Apostolicæ institutionis censurâ confirmari.	*Ob hoc debita nos ejusdem Apostolicæ pastoralis compulit sollicitudinis cura, quæque ad stabilitatem piorum pertinere dinoscitur locorum, ubertim promulgari, atque olitanam consuetudinem eisdem venerabilibus locis Apostolicæ institutionis censurâ confirmari.*	*Ob hoc debita nos ejusdem consulit sollicitudinis cura, quæque ad stabilitatem piorum* (perperam *temporum* in exemplaribus editis) *pertinere dignoscitur locorum nobilium.*	
Igitur quia postulastis à nobis	*Igitur quia postulastis*	*Ideò secundùm antiquam con-*	

AN. CH. 786.
CAROLI R. 18.
PIPPINI LUDOV. RR. 6.

nobis quatinus Privilegium nostra Apostolicæ dignitatis vobis concederemus,

auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis fulti, in jam venerabili Monasterio dicto vestro statuentes promulgamus, ut penitus liceat ibidem habere Episcopum, sicut à priscis temporibus & usque hactenus fuit, per cujus prædicationem populus, qui à diversis regionibus devotá mente quotidie ad sancta ejusdem Martyris Christi Monasterii limina concurrit, remedium consequi mereatur animarum.

Quando autem Episcopus præfati sancti loci de hoc seculo migraverit, & alius ab Abbate ex Monachis dignus electus fuerit, sine qualibet controversia, pro longitudine itineris, à vicinis Episcopis, sicut mos extitit, consecretur. Quòd si pro qualibet occasione aut invidia ordinare distulerint, tunç licentiam tribuimus ad Sedem Apostolicam cum testimonio Abbatis sui & Monachorum propriis eorum manibus simul decretum subscriptum ferens, pro consecrationis

tis à nobis quatenus Privilegium, quod prædecessoris nostri sanctæ recordationis Domni Stephani Junioris Papæ, in prædicto Monasterio vestro Apostolica ejus sanxit auctoritas, demùm confirmaremus.

Idcircò vestris annuentes votis, prælati prædecessoris nostri institutionis decretum prorsus Apostolicis Infulis sancimus, simúlque eadem roboramus Apostolicâ in ævo serie.

Quapropter auctoritate B. Petri Apostolorum Principis fulti, in jam dicto venerabili Monasterio statuentes promulgamus, ut penitus liceat ibidem habere Episcopum, sicut à priscis temporibus, & usque hactenus fuit, per cujus prædicationem populus, qui à diversis regionibus devotá mente quotidie ad sancta ejusdem Martyris Christi Monasterii limina convenerit, remedium consequi mereatur animarum.

Et quando Episcopus præfati sancti loci de hoc seculo migraverit, & alius ab Abbate & Monachis dignus electus fuerit, sine qualibet controversia, pro longitudine itineris, à vicinis Episcopis, sicut mos extitit, consecretur. Quòd si pro qualibet occasione aut invidia ordinandi se distulerint, tunc licentiam tribuimus, ut ad Sedem Apostolicam cum testimonio Abbatis & Monachorum propriis eorum manibus simul decretum subscriptum ferens, consecrationis causâ adveniat, & con-

consuetudinem eidem venerabili loco Apostolicæ institutionis censuram confirmari à nobis deposcit, quatinus Privilegium, quod à prædecessore nostro sanctæ recordationis Domino Adeodato claruit, in isto tempore nostra Apostolica ejusdem authoritas confirmaret.

Idcircò vestris annuentes votis, præfati Patris institutionis decretum prorsus Apostolicis Infulis sancimus, simúlque eadem roboramus, Apostolicam sequendo normam.

Quapropter authoritate Beati Petri Apostolorum Principis fulti, decernimus condicto [4] Monasterio vestro, statuentes prorsus omnia, quæ usque nunc sunt, & ut liceat ibidem habere Episcopum, sicut à priscis temporibus usque hactenus fuit, per cujus prædicationem populus, qui à diversis regionibus, devotà mente, quotidie ad sancta ejusdem Confessoris Christi Monasterii limina concurrit, remedia percipiat à creatore [5] animarum.

Et quando Episcopus sancti præfati loci de hoc seculo migraverit, & alius ab Abbate necnon eadem Congregatione Religiosus electus fuerit, sine qualibet controversia, ne longitudo itineris obsit, à vicinis Episcopis, sicut mos extitit, ordinetur, & si, quod absit, Episcopi aliquo livore infecti atque invidiâ ordinandi, distulerint, hac licentiâ sive Privilegii jure revocati, per institutionem hanc Apostolicam, cum testimonio Abbatis sui, & Clericis, propriis eorum

[4] cum dicto
[5] recreatore

tionis causa advenire, atque sacrationem accipere, quia nolumus, ut lumen, quod ibidem hactenus tanto. tempore per Episcoporum prædicationem claruit, nullis temporibus extinguatur.

& consecrationem accipiat, quia nolumus, ut lumen, quod ibidem hactenus tantu tempore per Episcoporum prædicationem claruit, nostris temporibus extinguatur.

rum manibus decreto hoc subscripto ferente, sine dilatione ordinetur pro consuetudine, ut lumen, quod ibidem hactenus tanto tempere per Episcopi prædicationem claruit, illis temporibus non minoretur [6] *omnino, aut, quod nefas est, extinguatur.*

Et nemo' Episcoporum provincialium de præfato venerabili Monasterio, vel de Cellis, Ecclesiarúmve Titulis, ditioni ipsius constitutis, pro quacumque exquisita re distringere vel ad se Presbyteros convocare præsumat, sed per hanc auctoritatem Apostolici Privilegii Episcopus ex ipso venerabili Monasterio canonicè curam pastoralem & sollicitudinem ministerii sui habeat in subjacentibus eidem Monasterio locis, & quæque emendanda & corrigenda sunt, cum consensu Abbatis ipsius Monasterii canonicâ institutione & secundùm ordinem cuncta peragat.

Et nemo Episcoporum parrochianis in præfato Monasterio, in Cellis, Ecclesiis, vel Titulis, seu Oraculis, sub ditione ipsius constitutis, ordinationes facere, sive pro Chrismate conficiendo, aut quacumque exquisita re, agere, aut distringere, vel ad se Presbyteros convocare præsumat. Sed per hanc auctoritatem Apostolici Privilegii nostri, Episcopus ex ipso venerabili Monasterio canonicè curam pastoralem sollicitudinis ministerii sui, in prælatis adjacentibus vel subjacentibus locis habeat; & quæque emendanda & corrigenda sunt, cum consensu Abbatis sui, canonicâ institutione, & secundum ordinem cuncta peragat.

Neque Episcoporum Metropolitanus de præfato venerabili Monasterio in Cellulis ejusdem [7]*, sive Titulis, sive Oratoriis, ditioni ipsius constitutis, aut Ordinationes facere, sive pro Chrismate conficiendo venire, atque exquisitare* [8]*, agere aut distringere, vel ad se Presbyteros convocare præsumat, sed per hanc authoritatem Privilegii nostri Episcopus ex ipso venerabili Monasterio canonicè curam pastoralem & sollicitudinem ministerii sui in prælatis adjacentibus vel subjacentibus nominati* [9] *venerabilis* [10] *loci habeat, & quæque emendanda & corrigenda sunt, cum consensu Abbatis sui canonicâ institutione & secundùm ordinem cuncta peragat.*

Si verò qualibet discordia inter vicinos Episcopos sive Episcopum prædicti Monasterii, quod non optamus, orta fuerit, nullus audeat, Abbate minimè annuente, sæpiùs nominati Monasterii Episcopum distringere, vel in qualibet judicare parte. Quòd si Abbas ejusdem Monasterii nullo modo valuerit inter eos ortam contentionem sedare, habeat eos ad majorem audientiam, videlicet Romanam, invitare, ut ibi fiat discriminatum, cui tortitu-

Si verò qualibet discordia inter vicinos Episcopos seu Episcopum prædicti Monasterii, quod non optamus, orta fuerit, nullus audeat, Abbate minimè annuente, sæpiùs nominati Monasterii Episcopum distringere, vel in qualibet judicare parte. Quòd si Abba ejusdem Monasterii ulls modo voluerit inter eos declamari, nostris Apostolicis eveniant obtutibus concordiâ reformandi.

Si verò qualibet discordia inter vicinos Episcopos seu Episcopum præfatum orta fuerit, nullus audeat, Abbate minimè annuente, sæpiùs nominati Monasterii Episcopum distringere, vel in qualibet judicare parte; quòd si Abbas ejus Monasterii nullo modo valuerit inter eos delimari, nostris Apostolicis adveniat obtutibus concordiâ reformandi.

[6] memoretur

[7] ejusdem Ecclesiæ.

[8] exquisitâ re,

[9] nominatis

[10] venerabilem

AN. CH. 786.
CAROLI R. 18.
PIPPINI LUDOV. RR. 6.

dinis seu rectitudinis adscribatur judicium.

Statuimus etiam Apostolicâ censurâ, sub divini judicii obtestatione, & anathematis interpositionibus, ut nullus unquam nostrorum successorum Pontificum, aut qualibet dignitate præditus vel potestate, vel alia quacumque magna parváque persona, præsumat contra hoc nostrum Apostolici Privilegii præceptum agere, potiùs autem firmum atque stabile ejus ac temporibus eum decernimus permanendum.

Si quis autem quolibet tempore (quod nullo modo credimus) hujus decretum Privilegii præfirmatum, in toto vel in parte temerare temptaverit, suaque præsumptionis noxam dignâ emendatione minùs correxerit, sciat se, auctoritate Domni & Beati Petri Apostolorum Principis, anathematis vinculo esse innodatum, & à Regno Dei alienum, atque cum diabolo & ejus atrocissimis pompis æterno incendio deputatum, & perpetua condemnationi submissum: at verò qui observator & custos hujus nostri Privilegii extiterit, benedictionis gratiam vitámque æternam à misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Christophori Notarii & Scriniarii Sedis nostræ. In mense Jun. Indictione nona. ✠ Benè valete. Data Kalend. Jul per manus Anastasii Primicerii, regnante Domino Deo & Salvatore nostro Jesu Christo, cum

Statuentes Apostolicâ censurâ sub divini judicii obtestatione, & anathematis interpositionibus, ut nullus unquam nostrorum successorum Pontificum, aut qualibet dignitatis præditus potestate, vel alia quacumque magna parváque persona, præsumat contra hoc nostrum Apostolici Privilegii præceptum agere: potiùs autem firmum atque stabile nostris temporibus illud decernimus permanendum.

Si quis autem quolibet tempore, quod nullomodo credimus, hujus decretum Privilegii, Apostolicâ auctoritate firmatum, in totum vel in parte temerare tentaverit, suámque præsumptionem dignâ emendatione minùs correxerit, sciat se, auctoritate Domini mei Beati Apostolorum Principis Petri, anathematis vinculo esse innodatum, & à Regno Dei alienum, atque cum diabolo, & ejus atrocissimis pompis, æterni incendii supplicio deputatum, & perpetuæ condemnationi summissum. At verò qui observator & custos hujus nostri Apostolici Privilegii extiterit, benedictionis gratiam vitámque æternam à misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Christophori Notarii & Scriniarii Sedis nostræ, in mense Junio, Indictione IX. Benè valete. Dat. Kalendis Juliis per manum Anastasii Primicerii, regnante Domino Deo & Salvatore Jesu Christo,

Statuentes Apostolicâ censurâ sub divini judicii obtestatione & anathematis interpositionibus, ut nulli unquam nostrorum successorum Pontificum, aut qualibet dignitate præditus, potestate, vel alia quacumque magna parváque persona, præsumat, contra hoc nostrum Apostolicum Privilegii præceptum agere, potiùs autem firmissimum atque stabilem eum, ejus temporibus decernimus permanendum.

Si quis autem quolibet tempore (quod nullomodo credimus) hujus decretum Privilegii Apostolicâ authoritate firmatum, in toto vel in parte temerare temptaverit, suaque præsumptionis audaciam, dignâ emendatione minùs correxerit, sciat se, authoritate Domini mei Beati Apostolorum Principis Petri, anathematis vinculo esse innodatum, & à Regno Dei alienum, atque cum diabolo & ejus atrocissimis pompis æterni incendii supplicio deputatum, & perpetuæ condemnationi submissum; at verò qui observator & custos hujus nostri Apostolici Privilegii extiterit, benedictionis gratiam vitámque æternam à misericordissimo Domino nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Eustachii Notarii & Scriniarii Sedis nostræ, in mense Junio, Indictione 9. Carolo Romanorum Patritio. Benè valete.

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

cum Deo Patre Omnipotente, & Spiritu Sancto, per infinita secula. Anno, Deo propitio, Pontificatûs Domni nostri Adriani Papæ primo, in Apostolica sacratissima Beati Petri Sede.

to, cum Deo Patre Omnipotente, & Spiritu Sancto, per infinita secula. Anno, Deo propitio, Pontificatûs Domini nostri in Apostolica sacratissima Beati Petri Sede XV. Indictione IX.

De duobus hisce Privilegiis sic ratiocinatur Joannes Launoius in Assertione [a] Inquisitionis in Privilegium Monasterii Sam-Medardensis. *Privilegia hæc duo sunt chartæ veluti pariculæ, exceptis, quæ ad Abbatum & Monasteriorum nomina referuntur. Utriusque suppositio paribus ferè argumentis ostenditur.* XIII.

[a] Part. 2. c. 32.

Ordiemur à San-Dionysiano. Istius Privilegii ambæ editiones, Dubletana videlicet ac Sirmondana, de die & Indictione conveniunt, de anno Pontificatûs nequaquam. Dubletus annum ponit Adriani Papæ primum, Sirmondus decimum-quintum. Discrepant hi Scriptores, quia primus annus Adriani Papæ cum anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo & Indictione decima componitur. Quod animadvertens Sirmondus, aut is cujus schedas consuluit, alterutrum necessariò corrigendum novit, aut annum Pontificatûs, aut Indictionem; i servatâ Indictione nonâ reposuit annum Papæ decimum-quintum, qui benè cum anno Christi septingentesimo octogesimo-sexto & Indictione nona comparatur. At quis audeat in dubium revocare, quin annus Adriani Papæ primus inveniatur in originali ipsius pseudo-Privilegii scripto, quod Dubleto Monacho San-Dionysiano, qui publicavit, teste, legitur exaratum in cortice ligneo, studiosèque servatur in eodem Monasterio Sancti Dionysii? Primus annus Adriani Papæ per menses Junium & Julium anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo Indictionique decimæ illigatur. At qui Privilegium concinnavit, is in alia versatus videtur opinione, ratúsque quòd annus Adriani primus per menses Junium ac Julium cum anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo & Indictione nona conveniret. Non enim desunt Auctores valdè celebres, qui Romanorum Pontificum Chronologiam per illam ætatem vel uno vel duobus annis antevertant. Apud Marianum Scotum Adrianus anno Christi septingentesimo septuagesimo Pontificatum init. Hoc igitur loco sua Dubletò stet fides, qui primum annum Adriani, ut in autographo sui Monasterii reperit, cum Indictione nona comparavit. Error autem, qui deprehenditur in duobus hisce Characteribus, quoniam inter se differunt, ipsúmmet, quod tanta cum fiducia prædicatur autographum, manifestè suppositicium ostendit, indicátque illius concinnatorem procul ab Adriani Papæ temporibus absuisse, quandoquidem primum hujus Pontificis annum Indictioni cum currenti non benè illigavit. XIV.

Deinde Maginarius seu Magenarius Abbas, cui Privilegium legitur inscriptum, Monasterii San-Dionysiani regimen nondum adeptus erat anno Adriani Papæ primo, sive illum cum anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo & Indictione nona, sive illum cum anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo & Indictione decima compares. Annis sequentibus, præter epistolas ejusdem Adriani, varia occurrerunt monumenta, quæ Fulradum Magenarii decessorem tum superstitem atque Abbatem San-Dionysianum clarissimis indiciis manifestarunt. Vixit Fulradus ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum-quartum. Id constat ex Chronico Moissiacensi & ex Appendice ad Chronicon Nibelungi. Quapropter Dubletus, ut Diplomati, quod impugnamus, auctoritatem conciliet, ait, per absentiam Fulradi publicis negotiis occupati, Constramnum, Maginarium & Fardulsum successivè vices Abbatis gessisse, vel, si verè Abbates fuerunt, Fulradum bis Monasterio præpositum Abbatem, XV.

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6. semel ante Constramnum, iterum post Fardulfum. Sed neutra defendi potest opinio, quia Constramno Fulradus in munus Abbatiale successit, Fulrado Maginarius, Maginario Fardulfus, & Fulrado superstes vixit Maginarius, ut ex eorum epitaphiis apud Alcuinum liquet.

XVI. In editione Sirmondana prædictis difficultatibus non datur locus. Annus enim decimus-quintus Adriani Papæ per menses Junium ac Julium cum Indictione nona & anno Christi septingentesimo octogesimo-sexto componitur, eóque anno Monasterium San-Dionysianum regebat Maginarius, qui Fulrado ante biennium mortuo fuerat subrogatus. Utrique autem editioni, seu pseudo-originali San-Dionysiano & schedis Sirmondanis, fidem haberi vetat annus Adriani Papæ in fine Diplomatis annotatus. Quamdiu Roma sub Imperatoribus fuit, in Pontificiis Diplomatibus duplex appositus est Character Chronologicus, Indictio videlicet & annus Imperatoris, nequaquam autem annus Pontificis. Exemplum non longè repetemus. Penè ad Caroli Principatum pervenit Paulus Papa, cujus obitus cum anno Christi septingentesimo sexagesimo-septimo coincidit. Romanus hic Pontifex suas ad Joannem Abbatem literas, de Ecclesia ac Monasteriis à se erectis in paternis ædibus sub titulo Sanctorum Stephani Papæ & Martyris & Silvestri Papæ & Confessoris, hac munit subscriptione. *Datum quarto Nonas Julii* *, *imperante Domino Constantino Augusto à Deo coronato Magno Imperatore, anno quadragesima-primo, ex quo cum Patre regnare cœpit, & post Consulatum ejus anno vigesimo-primo, Indictione decima-quartâ.* Id est anno Christi septingentesimo sexagesimo-primo. Constantinus enim anno Christi septingentesimo vicesimo in die Paschæ cum Leone patre primùm imperavit, solúsque Imperium post patris mortem suscepit decimo-quarto Kalendas Juliás anno Christi septingentesimo quadragesimo-primo. Lege quæ de duplici illa Constantini Imperatoris epocha déque Chronologicis Pontificiorum Diplomatum Characteribus ad annum Christi septingentesimum quadragesimum-primum [a] dicta sunt. Longè seriùs Romani Pontifices annis suorum Pontificatuum Diplomata sua consignare cœperunt. Variis id argumentis infrà demonstrabimus. Interim consule doctissimum Joannem Morinum nostræ Congregationis Presbyterum, qui multa simul ad hanc materiam spectantia congessit in suo Constantino [b], diversásque notas Chronologicas, quibus Romani Pontifices in consignandis Diplomatibus pro diversis temporibus usi sunt, accuratissimè distinxit. Suppostitia igitur est apud Dubletum ista subscriptio. *Data Kalend. Jul. per manus Anastasii Primicerii, regnante Domino Deo & Salvatore nostro Jesu Christo cum Deo Patre Omnipotente & Spiritu Sancto, per infinita secula. Anno, Deo propitio, Pontificatus Domini nostri Adriani Papæ primo, in Apostolica sacratissima Beati Petri Sede.* Et apud Sirmondum hæc. *Dat. Kalendis Julii per manum Anastasii Primicerii regnante Domino Deo & Salvatore Jesu Christo cum Deo Patre Omnipotente & Spiritu Sancto per infinita secula. Anno, Deo propitio, Pontificatûs Domini nostri in Apostolica sacratissima Beati Petri Sede* XV. *Indictione* IX. Atque inde colligimus ab ætate Adriani Papæ procul remotum fuisse, qui Privilegium Monasterii San-Dionysiani concinnavit.

* Jnnii.

[a] Nu. 61. & seqq.

[b] Part. 3. c. 25.

XVII. Hoc Privilegium in alterius confirmationem emissum asseritur apud Sirmondum, sic. *Quia postulastis à nobis, quatenus Privilegium, quod prædecessoris nostri sanctæ recordationis Domni Stephani Junioris Papæ in prædicto Monasterio vestro Apostolica ejus sanxit auctoritas, demùm confirmaremus; idcircò vestris annuentes votis, prælati prædecessoris nostri institutionis decretum prorsus Apostolicis Infulis sancimus, simúlque eadem roboramus Apostolicâ in ævo serie. Quapropter auctoritate B. Petri Apostolorum Principis fulti*, &c. Apud Dubletum Diplomatis à Stephano Papa dati mentio sic omittitur. *Quia postulastis à nobis, quatinus Privilegium nostra Apostolica dignitatis vobis concederemus, auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis fulti*, &c. Utrique tamen

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

editioni præfigitur eadem Hadriani præfatio, quæ docet in hoc Diplomate novum haud promulgari Privilegium sed antiquum confirmari. Lege quæ dicta sunt ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-septimum de literis, quas, Constramno Abbate San-Dionysiano tum superstite, Stephanus Tertius Papa Fulrado aliorum Monasteriorum Abbati direxit. Illarum literarum duplex exhibuimus exemplar, unum editum à Dubleto, alterum publicatum à Sirmondo. In editione Dubletana duæ res occurrunt, quæ desiderantur in Sirmondana, nempe confirmatio Privilegii à Landerico Parisiensi quondam Episcopo Monachis San-Dionysianis concessi, promulgatióque novi Privilegii pro eodem Sancti Dionysii Monasterio, ut proprium ei liceat Episcopum habere. *Quoniam ad preces Chlodovii, filii Dagoberti Regis, Domnus Landericus Parisiaca urbis Episcopus à sua & omnium successorum suorum potestate deinceps cum consilio suorum Canonicorum & fratrum suorum Coepiscoporum regionis illius, Cœnobium vestrum & omnes ad eum servientes Clericos quorumcumque ordinum in procinctu vestri Monasterii absolvit, nos etiam idem, & habere vobis Episcopum, per singulare privilegium, concedimus, qui de vobis ab Abbate vel à fratribus in Monasterio vestro electus, & à fratribus nostris Episcopis de illa regione consecratus, illa vestra Monasteria à vobis ædificata provideat, & vice nostri nominis ubi & ubi fuerint regat, & prædicationi tam in ipso vestro Monasterio, quàm in sibi subjacentibus deserviat.* Hæc literis Apostolicis inserta sunt ab Interpolatore, nec benè cum ipso Stephani Papæ Diplomate congruunt, idque ostensum suo loco. Mirum sanè, quòd Dubletus, ubi literas Stephani Tertii Papæ recitat, eas exhibet auctas interpolatione, quâ Stephanus *per singulare Privilegium* Monasterio San-Dionysiano concedit, ut proprium ei liceat habere Episcopum; ubi verò recitat Adriani Diploma, quo confirmatur Episcopatus in Cœnobio San-Dionysiano à Stephano Papa constitutus, nullam Stephani vel Privilegii ab eo dati mentionem facit. Econtrà Sirmondus interpolationem resecat è literis Stephani, sed eandem interpolationem in Adriani Privilegio laudat. Nos ut interpolatas Stephani literas, ita suppositititium Adriani Privilegium existimamus.

XVIII. Cur Dubletus in Adriani Privilegio de literis Stephani tacuerit, hæc præcipuè videtur intercessisse causa, quòd Adrianus in suo Diplomate statuit, *ut penitus liceat ibidem*, id est, in Monasterio San-Dionysiano, *habere Episcopum, sicut à priscis temporibus & usque hactenus fuit.* Quâ enim fronte Adrianus anno primo sui Pontificatûs asseruisset id *à priscis temporibus* observatum, quod anno Christi septingentesimo quinquagesimo-septimo ex singulari Privilegio concessum esset? Nec ad antiquiorem Stephanum patet subterfugium, quia Stephanus Primus Martyrio coronatus est tertio seculo, cùm nondum staret Cœnobium San-Dionysianum, & Stephanus Secundus, postquam electus est, quatriduo duntaxat vixit anno Christi septingentesimo quinquagesimo-secundo, nullúmque prædicto Monasterio Privilegium concessisse traditur; at esto, concesserit; ab ejus Pontificatu ad annum usque Christi septingentesimum septuagesimum-primum, quo Dubletus, habitâ ratione Indictionis nonæ, Pontificium Diploma consignat, effluxerunt anni tantùm novemdecim, an Adrianus affirmavit id *à priscis temporibus* in usu fuisse, quod ab annis duntaxat undeviginti per singularem indulgentiam factum norit? Atque inde suppositititium probatur, quod apud Dubletum laudatur Adriani Diploma pro Monasterio San-Dionysiano.

XIX. Est & inter hujus Diplomatis editiones, quas examinamus, multùm discrepantiæ, nec illæ cum interpolatis Stephani Tertii literis benè conveniunt. Apud Dubletum, ex Adriani Privilegio, post Episcopi mortem, unus ex Monachis San-Dionysianis, ut ordinetur Episcopus, à solo eligitur Abbate; apud Sirmondum, futurus Episcopus ab Abbate simul & à Mo-

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

nachis eligitur, seu Monachus, seu non Monachus; & in Stephani literis interpolatis unus è Monachis cum ab Abbate tum à Monachis eligitur. Suspecta fraus in opinionibus adeò diversis; addequòd nullus recensetur Episcopus, cujus ordinatio vel Stephani Tertii vel Adriani Papæ Privilegio nitatur.

XX. Differunt iterum editiones præcitatæ, Adrianus apud Dubletum statuit, ut *nemo Episcoporum provincialium de præfato venerabili Monasterio* San-Dionysiano, *vel de Cellis, Ecclesiarúmve titulis ditioni ipsius constitutis, pro quacumque exquisita re distringere vel ad se Presbyteros convocare præsumat*; apud Sirmondum autem, ut *nemo Episcoporum parrochianis in præfato Monasterio, in Cellis, Ecclesiis, vel Titulis, seu Oraculis, sub ditione ipsius constitutis, ordinationes facere, sive pro chrismate conficiendo, aut quacunque exquisita re, agere, aut distringere, vel ad se Presbyteros convocare præsumat.* Sensus ita diversus fictionis etiam indicium est haud obscurum.

XXI. Hæc sufficiant adversùs suppositititium Adriani Papæ pro Monasterio San-Dionysiano Privilegium, transeamus ad aliud pro Cœnobio quoque Sam-Martiniano suprà descriptum paritérque suppositititium. Hujus Privilegii fragmentum Joannes Launoius ex Gallia Christiana Sammarthanorum sic retulit loco nuper citato. *Quapropter auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis fulti decernimus cum dicto *Monasterio vestro, statuentes prorsus omnia, quæ usque nunc sunt, & ut liceat ibidem habere Episcopum, sicut à priscis temporibus usque hactenus fuit, per cujus prædicationem populus, qui à diversis regionibus devotâ mente quotidie ad sancta ejusdem Confessoris Christi limina concurrit, remedia percipiat à recreatore * animarum. Et quando Episcopus sancti præfati loci de hoc seculo migraverit, & alius ab Abbate, necnon eadem Congregatione Religiosus electus fuerit, sine qualibet controversia, ne longitudo itineris obsit, à vicinis Episcopis, sicut mos extitit, ordinetur.* Deinde ipsum Privilegium variis impugnavit objectionibus, quibus loco quoque jam notato respondit Radulphus Monsnyerus. Utriusque rationes hic expendemus eo prorsus modo, quo superiùs ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-quartum [a] examinavimus pugnantes inter se eorumdem Auctorum opiniones de Adeodati Papæ Privilegio, in cujus confirmationem Adrianus suum concessisse dicitur.

* Monsnyer. condicto.

* Monsnyer. creatore.

[a] Nu. 33. & seqq.

XXII. Primò Launoyus Privilegium, cujus fragmentum recitavit, suppositititium ex eo contendit, quòd *è pancarta Monasterii Sancti Martini* erutum asseratur. *Pancarta hæc*, inquit, *fabularum pancarta est, & se ipsa talem apud omnes ostendit.*

XXIII. Sammarthani, quos Launoius consuluit, Privilegium *è pancarta Turonensi* publicatum à se testantur. Panchartam illam sic laudat Monsnyerus. *Pancharta Sancti Martini Turonensis, quam Nigram vocant, ad alterius distinctionem, quæ Alba dicitur, nihil aliud est quàm Transcriptum, seu Transcriptio quarumdam Chartarum, Testamentorum & Præceptorum Imperatorum, Regum, Principum, Episcoporum, Canonicorum, Clericorum, & fidelium utriusque sexûs, qui à nongentis ferè annis, quatuor primis nongentorum illorum annorum seculis, pro remedio animarum suarum, ob ingentem quam habebant ad pretiosum corpus Sancti Martini devotionem, dominia, possessiones & bona sua Turonensi concesserunt Ecclesiæ, ut pro eis per Clericos ejusdem Ecclesiæ futuris perpetuis temporibus Deus oraretur. Unde cùm ex his bonis Præbenda pro Canonicorum victu, & aliis ad vitam necessariis creata sint & fundata, quibus ab his temporibus sustentantur Canonici, Dignitates, & alii, qui etiam nunc Baronias, Castellanias, & Toparchias possident, quorum, in dicta Pancharta Nigra, aliqua descripta sunt instrumenta, quæ plurimis supremæ Curiæ Parlamenti Arrestis confirmata sunt, quis nisi præcipiti falsóque judicio præventus dicere audeat illa omnia meras esse fabulas, non verò res, verámque bonorum possessionem, quibus gaudet & fruitur Ecclesia Sancti Martini, quorúmque omnium germana autogra-*

pha in Tabulario suo asservat, & majoris commoditatis gratiâ exscriptiones in Pancharta sua Nigra inseruit. Et, paucis interjectis, hæc addit. *Quòd autem sub finem hujus Pancharta descripta habeantur antiqua ejusdem Ecclesia Privilegia Pontificia, inter qua Hadriani Papa I. Rescriptum legitur, nihil id officit autographorum seu originalium, ut vocant, veritati, qua integra summo studio conservantur in Archivis ejusdem Ecclesia; neque ideircò Privilegium istud Hadriani minus erit legitimum, quòd ex prafata Pancharta eruatur, si Pancharta illa non fabularum, sed verum, seu, ut ita dicam, veritatum Pancharta fuerit, uti reverà est.* AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

At illa de Pancharta idem ac de aliis similibus judicium est ferendum. Omnis auctoritas pendet ex autographo, quod si germanum, fidem Panchartæ conciliat, secus, si suppositicium. Et quoniam in unaquaque Pancharta plures transcribuntur Chartæ, sæpè contingit, ut Pancharta partim vera sit, partim falsa, nec à falsis distingui possint quæ veræ sunt Chartæ, nisi singularum fiat examen. Talem existimamus Panchartam Turonensem, quæ cùm multas contineat Chartas, non caret suppositititiis, in quarum numero utrùm ea de qua nunc agimus, ponenda sit, manet investigandum. XXIV.

Secundò Launoius, ut Panchartam Turonensem ostendat esse fabularum Panchartam, è Privilegii fragmento, quod descripsit, duo proponit, quæ dicit esse commentitia. *Primùm, quòd longè ante Hadrianum Abbas & Monachi Monasterii Sancti Martini Episcopum è suo gremio habuerint. Deinde, quòd habendi Privilegium à Romanis Pontificibus habuerint.* XXV.

Primum caput hac impugnat ratiocinatione. *Ante annum* DCLXIX, *quo Adeodatus sedere cœpit, Episcopum proprium, ut eorum verbis utar, non habuerunt. Nam Pontificis hujus ostentant Privilegium, in quo nullus illis Antistes proprius conceditur, sed certa quadam tantùm immunitas, qua alibi expendetur commodiùs*, parte videlicet tertiâ, capite vicesimo. *In hoc igitur Privilegio nondum proprius Monasterii extat Episcopus, sed Turonensis adhuc Episcopus ad faciendas Ordinationes & conficiendum Chrisma retinetur.* [*Reverentissimo Episcopo, in cujus parœcia memoratum venerabile Monasterium, vel res ejus ac possessiones constiterint, facienda tantùm ordinationis ac promotionis Sacerdotum atque Levitarum, vel conficiendi Chrismatis sit tantùm concessa licentia.*] *Sic necesse est, ut post Adeodati tempus Episcopum habere cœperint. Inter annum* DCLXXV, *quo Adeodatus obiit, & annum* DCCLXXII, *quo Hadrianus I Romana Ecclesia clavum tenere cœpit, complures habuerunt Episcopos, cùm unus intervallum tanti temporis implere non potuerit: sed hos Episcopos pertinax obruit silentium Auctorum omnium, seu domesticorum, seu externorum, qui tunc floruerunt.* XXVI.

Launoius parte tertiâ prædictæ assertionis, capite vicesimo, contra Privilegium Adeodati duodecim proposuit argumenta, quibus diluendis operam navavit Monsnyerus capite primo libri de juribus Ecclesiæ Sam-Martinianæ propugnatis. Utriusque scripta Tomo tertio simul contulimus ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-quartum, & post longum examen dissentire coacti sumus à Papyrio Massono, qui Privilegium Adeodati primus evulgavit [a], asseruitque Adeodatum illo Privilegio permisisse, ut Monachi, qui degebant in Monasterio Sancti Martini, *peculiarem Episcopum haberent.* XXVII.

[a] Lib. 2. in Adeodat.

Adeodatus secundùm Launoii calculos Pontificatum gerit ab anno Christi sexcentesimo undeseptuagesimo ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-quintum; secundùm nostram computationem ab anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-septimum. Sive autem obiit anno Christi sexcentesimo septuagesimo-quinto, sive ad annum usque Christi sexcentesimum septuagesimum-septimum vitam produxit, ab ejus obitu ad annum Christi septingente- XXVIII.

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

simum septuagesimum-secundum, quo Hadrianus Papa sedere cepit, effluxit seculum penè integrum. Launoius ait tanto temporis spatio nullam Episcopatûs Sam-Martiniani mentionem extare apud Auctores cùm domesticos, tum exteros, qui tunc vixerunt.

Monsnyerus, adversùs opinionem Launoii, tres commemorat Episcopos Sancti Martini, Amaraldum circa annum Christi septingentesimum, Nicentium circa annum Christi septingentesimum tricesimum-secundum, & Paternum circa annum Christi septingentesimum sexagesimum.

XXIX. Tomo quarto Amaraldum & Nicentium ex Episcoporum albo ad annum

XXX. Christi septingentesimum decimum-septimum [a] abrasimus. Locum illum adi. Paterni par est ratio. Monsnyerus hæc tantùm scribit. *Paternus Episcopus S. Martini Turonensis circa annum 760. In Charta Autberti Turonensis Metropolitani.* Ignoramus, cur ipsius Chartæ textum non allegarit. At scimus Autbertum Turonensem Archiepiscopum longè ante annum Christi septingentesimum sexagesimum obiisse, nec id Tomo superiore dissimulavimus.

[a] Nu. 9. & seqq.

XXXI. Præterea contra quoscumque Episcopos, quos Monsnyerus aut quis alius Ecclesiæ Sam-Martinianæ attribuerit, potentissimum est hoc argumentum. Adeodatus Abbati ac Monachis Sam-Martinianis, ut peculiarem Episcopum haberent, haud concessit, haud concesserunt & ejus successores, qui Hadrianum Primum antecesserunt, solius enim Adeodati meminit Hadrianus in Diplomate quod examinamus. Ergo per totum tempus, quod ab Adeodati obitu ad Adriani Pontificatum effluxit, nemo fuit, qui se diceret Episcopum Ecclesiæ Sam-Martinianæ.

XXXII. Eandem rem Launoius ita probat. *Quòd autem ab Adeodati excessu usque ad Hadriani inaugurationem Privilegium à Romanis Pontificibus nullum impetraverint, certo certius est. Et primùm quidem quisnam Pontifex concesserit, nec designatur, nec designari potest. Deinde Privilegio hujusmodi repugnat Romanæ Ecclesiæ disciplina, quam & ab ipsis Pontificibus, Martino I. Vitaliano, Gregorio II. Zacharia, Paulo I. expositam vidimus*, nempe capitibus undecimo ac proximè sequentibus. *Tum ipsa repugnat fidei professio, quam unusquisque Pontifex per illud tempus emisit: & verà ita repugnat, ut non possit repugnare magis.*

XXXIII. Launoio sic respondet Monsnyerus. *Non obstat quod opponit Adversarius, Privilegio ejusmodi Romana Ecclesia disciplinam acriter repugnare. Esto enim, Privilegium, quod est stricti & peculiaris juris, ordinariè sit præter disciplinam, numquam tamen censetur esse contra disciplinam Ecclesiæ, maximè temporis illius; hoc autem Privilegium eligendi proprium Episcopum ab Abbate & Monachis, qui omnibus locis Monasterio Sancti Martini subditis Pastorali curâ præesset, quemadmodum præest Episcopus sua Diœcesi, est quidem præter disciplinam Romanæ Ecclesiæ hujus temporis; non tamen contra, imò conforme satis & consentaneum, cùm eo tempore in usu essent vigerêntque plurimùm Electiones.*

XXXIV. At hic nec agitur de Electionibus, nec de Privilegiorum jure, sed quæritur quis ex Adeodati successoribus ante Hadrianum Primum Abbati & Monachis Sam-Martinianis concesserit, ut peculiarem Episcopum eligerent haberéntque. Post Adeodatum in Cathedra Romana sederunt, Donus, Agatho, Leo Secundus, Benedictus Secundus, Joannes Quintus, Conon, Sergius, Joannes Sextus, Joannes Septimus, Sisinnius, Constantinus, Gregorius Secundus, Gregorius Tertius, Zacharias, Stephanus Secundus, Stephanus Tertius, Paulus, Stephanus Quartus Hadriani Primi decessor. Nullum horum Pontificum, qui Privilegium pro Ecclesia Sancti Martini emiserit, nominat Monsnyerus. Imò Hadrianus Primus in Charta, quam examinamus, unius duntaxat Adeodati Privilegium, nec semel laudat. Primò, cùm ait accepisse se ab Eterio Abbate Sam-Martiniano, qualiter vivant illius loci Monachi, & quænam eis tradita sint Privilegia. *Innotuisti*,

[...]nisti, inquit, *profectò dignè auribus nostris, qualiter idem grex nunc usque degerit, ac qua Privilegia, tam Regalia, quàm prædecessoris nostri Domini Adeodati habuerit.* Deinde, cùm se rogatum, ut idem Adeodati Privilegium confirmaret, ita testatur. *A nobis deposcit quatinus Privilegium, quod à prædecessore nostro sanctæ recordationis Domino Adeodato claruit, in isto tempore nostra Apostolica ejusdem authoritas confirmaret.* Nullus igitur Pontifex Romanus, si Adeodatum excipias, Ecclesiæ Sam-Martinianæ Privilegium ante Hadrianum dedit, &c, quia Monachis Sam-Martinianis, ut peculiarem Episcopum haberent, Adeodatus in suo Diplomate nusquam concessit, Launoius proprium Ecclesiæ Sam-Martinianæ sub Hadriani prædecessoribus Episcopum fuisse meritò negat. AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

Tertiò, Launoius ex antiqua consuetudine, quam temporibus Gregorii Magni viguisse, nec adhuc ætate Adriani exoletam ait, sic ratiocinatur. *Secundùm Gregorii Magni institutionem, quæ tunc nondum exoleverat, vix erat unus in Monasterio Presbyter, tantùm abest, ut contra sacros Canones Monachis proprium habere Episcopum permitteretur.* XXXV.

Respondet Monsnyerus complures Presbyteros ad Abbatiale munus assumptos in Galliis, etiam ætate Gregorii Magni. XXXVI.

Ab ea non recedimus opinione, quam multis exemplis aliàs confirmavimus. At licèt *Monasteria qualibet*, ut hic Auctor subjungit, *Abbatem communiter, & aliquos saltem ex suis Monachis Presbyteros habuerint*, nihil existimamus inde colligi, quod cuipiam suadere possit *insigniora præ ceteris Monasteria, quale fuit haud dubiè Sancti Martini Monasterium, facultatem obtinuisse à Romanis Pontificibus sibi proprium eligendi Episcopum.* XXXVII.

Quartò, Launoius quatuor objicit Canones, duos è Synodo Nicæna, totidem è Chalcedonensi. *Sine utilitate*, inquit, *ulla, sine necessitate ulla solvendi fuissent plures Canones. Nicæni duo; quartus, in quo provincialium Episcoporum ordinatio, [& eorum omnium, quæ per unamquamque geruntur provinciam, firmitas Metropolitano tribuitur Episcopo;] octavus, in quo prohibetur, [ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.] Deinde Calchedonenses duo, quartus & octavus, ubi Clerici & Monachi juxtà in Episcoporum potestate collocantur.* XXXVIII.

Monsnyerus negat solvendos fuisse Canones, Martinopolis enim seu Sancti Martini Castrum vel Burgus, ubi Monasterium Martinianum, à civitate Turonensi per campi planitiem ad quinquaginta passus supra quingentos extensam tunc dividebatur. Hac autem urbium separatione positâ, unaquæque proprium habere potuit Episcopum, salvâ Canonum Nicænorum & Chalcedonensium auctoritate. Martinopolitanus Episcopus ordinabatur a Metropolita Turonensi, sicque, juxta quartum Canonem Nicæni Concilii, jus suum Metropolitano servabatur Episcopo. Non violabatur Canon octavus ejusdem Synodi, nam duo in eadem existere civitate non probabantur Episcopi, siquidem unus erat in Turonensi, alter in Martinopolitana. Canones Chalcedonensis Concilii quartus & octavus pariter observabantur, ut enim Clerici ac Monachi Turonenses Archiepiscopo Turonensi, sic & Clerici ac Monachi Martinopolitani Martinopolitano suberant Episcopo. Quod attinet ad utilitatem vel necessitatem novi apud Martinopolitanos Episcopatûs, quam Launoius omnino negat, illam Monsnyerus ex hac Diplomatis Pontificii periodo colligit. *Ut lumen, quod ibidem*, id est, in Ecclesia Martiniana, *hactenus tanto tempore per Episcopi prædicationem claruit, aliis temporibus non minoretur omnino, aut, quod nefas est, extinguatur.* XXXIX.

Adversùs ista sufficit repetere, quod non semel inculcavimus, proprium in Ecclesia Martiniana Episcopum ante Hadriani Pontificatum haud extitisse, quia Privilegium Hadriani solo Adeodati Diplomate nititur; Adeodatus verò Monachis Sam-Martinianis, ut peculiarem Episcopum habe- XL.

AN.CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

tent, in suo Privilegio nusquam concessit. Ne tamen adversarii causæ suæ nimiùm fidant, ipsam impugnamus rationem, propter quam Episcopos in Monasteriis Dionysiano & Martiniano instituros volunt. Aiunt id *à priscis temporibus* factum, *ut per Episcopi prædicationem populus, qui à diversis regionibus, devotâ mente, quotidie ad sancta Martyris Christi* Dionysii, vel *Confessoris Christi* Martini, *limina concurrit* seu *convenerit, remedium consequi mereatur animarum*, seu *remedia percipiat à creatore animarum*; addúntque id ab Adriano Papa confirmari, qui non vult, *ut lumen quod tanto tempore per Episcoporum prædicationem claruit, ullis temporibus extinguatur*, seu *minoretur omnino, aut, quod nefas est, extinguatur.* At ante Hadriani tempora, nec in Ecclesia Dionysiana nec in Æde Martiniana peculiaris fuit Episcopus. Ergo nec Hadrianus confirmavit Privilegium, quod anteà concessum esset, nec lumen in prælaudatis Basilicis per propriorum Episcoporum ibi constitutorum prædicationem claruit. Præter Ecclesias suprà nominatas aliæ quoque fuerunt intra Francicarum ditionum fines frequenti populorum concursu celeberrimæ; quis unquam audiit à Romanis Pontificibus emissa Privilegia, ut illic ad prædicandum Dei verbum vel instituerentur vel confirmarentur Episcopi? Fulcuinus in libro [a] de gestis Abbatum Lobiensium, ubi rationem investigat, cur illius loci primus Abbas Ursmarus non Abbas modò sed etiam Episcopus dicatur, ita scribit. *Quare autem eum*, nempe Ursmarum, *Episcopum fuisse dicimus, sæpè à nobis quæsitum est, nam textus descriptionis ipsius vitæ Episcopum eum fuisse docet, locum autem, vel tempora ordinationis ejus, vel à quibus ordinatus sit, omni modo silet, sed in Chartis sub ejus tempore factis, ac perantiquis membranarum pecatiolis* *, *quæ continentur in Ecclesiæ nostræ Archivis, inscriptum eum invenimus sub nomine Episcopi & Pontificis. Varia de hoc est seniorum nostrorum relatio, dicentibus quibusdam, quòd prædicandi gratiâ, ut competebat tunc rudimentis novellæ fidei, ad compescendos superfluos ritus gentis barbaricæ Episcopus fuerit ordinatus, quod factum quoque de Sancto Amando legimus; quibusdam dignitatem hanc loco tribuentibus, opinionémque suam ratione quadam tuentibus, quòd videlicet locus Regius, Regiâ munificentiâ constructus, Regio Palatio contiguus, scilicet Liptinis* *, *nulli committeretur, nisi priùs ordinatus esset Episcopus; quam dignitatem & in plerisque successorum ejus durasse, in subsequentibus dicemus. Quid horum verius sit, Lectoris arbitrio committimus, nec in utramvis partem Sancto viro derogamus, dum quidquid horum sit, eum fuisse Episcopum non denegamus.* Et paulò pòst [b] de ejusdem Sancti Ursmari prædicatione hæc subjungit. *Sanctus autem Ursmarus, ut erat semper lucrandis animabus intentus, prædicandi gratiâ se Flandriæ intulit versùs Menapum fines, qui ritu gentis adhuc detinebantur vanis superstitionibus, cujus doctrinâ ad fidem conversi.* Si Cœnobia Dionysianum & Martinianum octavo seculo in finibus provinciarum tunc ethnicarum sita deprehenderemus, ultrò fateremur quosdam illorum locorum Abbates, Episcopos etiam fuisse regionarios, qui fixas Sedes non haberint, & regionum in idololatriæ tenebris degentium saluti per Christianæ fidei prædicationem invigilarint. Procul autem à prædictis Monasteriis aberant gentes ethnicæ, nec quos Dubletus & Monsnyerus Episcopos agnoscunt, eos admittunt regionarios fuisse, nam certas ac determinatas utrisque Sedes attribuunt, Dionysianis Ecclesiam Dionysianam, Martinianis Martinianam, imò Sedes has assignant adeò fixas, ut eos illic prædicationi vacasse velint assiduè, nec ad aliud opus ordinatos Episcopos asserant. Huic tamen opinioni refragatur Stephanus Tertius, ut editus est à Dubleto, testatur enim peculiarem Monachis Dionysianis Episcopum *per singulare Privilegium* concedi, *qui prædicationi tam in ipso Monasterio* Dionysiano, *quàm in sibi subjacentibus deserviat*, sive in Alsatia sive in Belgio vel alibi hæc sita sint. Monsnyerus haud aliter ratiocinatur de Episcopo Martiniano, cui multas etiam Ecclesias in Diœcesibus,

[a] Cap. 3.

* pitaciolis

* Lestines

[b] Cap. 4.

Bituricensi, Lemovicensi, ac Lingonensi, subjicit [a]. Porrò, si conciona- AN.CH.
torio munere et in locis adeò dissitis fungi debent Episcopi cùm Dionysia- 786.
ni tum Martiniani, certè à primariis Ecclesiis, id est, à sanctis liminibus CAROLI
cùm beati Dionysii Martyris tum beati Confessoris Martini, coguntur sæ- R. 18.
pè abesse. Atque inde prævalidum eruitur argumentum adversùs vulgata PIPPINI
Privilegia, quibus Hadrianus Papa statuisse dicitur, *ut Monachis penitus* LUDOV.
liceat in Monasteriis Dionysiano & Martiniano *habere Episcopum, per cujus* RR. 6.
prædicationem populus, qui à diversis regionibus devotâ mente quotidie ad sancta, [a] Cap.1.art.1. §. 1.
vel Martyris Christi Dionysii, vel *Confessoris Christi* Martini, *limina concurrit,*
remedium consequi mereatur animarum.

Quintò, Launoius impugnat hanc inscriptionem Privilegii. *In Nomine* XLI.
Domini, ego Hadrianus Papa, servus servorum Dei, Iterio Religioso Abbati eximii gregis Beati Martini Patroni nostri. Duo redarguit; primum, quòd Hadrianus Martinianum Monachum se faciat his verbis, *Patroni nostri;* secundum, quòd Hadrianus non Episcopum sed Papam se dicat, *ego Hadrianus Papa.*

Respondet Monsnyerus in autographo legi, *Patroni vestri*, & in Codice Carolino multas cùm Hadriani tum decessorum epistolas inveniri, in quibus Romanus Pontifex non Episcopum sed Papam se nominat. XLII.

Non displicent istæ responsiones. Mendosam putamus illam lectionem, *Patroni nostri*, cujus loco reponendam hanc arbitramur, *Patroni vestri*. A temporibus Caroli Martelli varias è Codice Carolino citavimus epistolas, quibus contra Launoium tueri se potest hoc loco Monsnyerus. Papam se dicit Gregorius Tertius in epistolis ad Carolum Martellum, *Domno Excellentissimo filio Carolo Subregulo Gregorius Papa*; item Stephanus Tertius in epistolis ad Pippinum ejúsque filios Carolum & Carolomannum, *Domnis Excellentissimis filiis, Pippino Regi & nostro spiritali compatri, seu Carolo & Carolomanno item Regibus, & utrisque Patritiis Romanorum, Stephanus Papa*; necnon Paulus in epistolis ad eosdem, *Domno Excellentissimo filio & nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa*, &c, *Domnis Excellentissimis filiis Carolo & Carolomanno Regibus Francorum, & Patritiis Romanorum, Paulus Papa*; item Stephanus Quartus in epistolis ad Carolum & Carolomannum, *Domnis Excellentissimis filiis, Carolo & Carolomanno Regibus Francorum, & Patritiis Romanorum, Stephanus Papa*; & Adrianus in epistolis ad Carolum, *Domno Excellentissimo filio, Carolo Regi Francorum, & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa*. Sed, etsi tot Romani Pontifices ita scripserint, & unusquisque eorum in suis epistolis Papam se passim nominarit, superest inquisitioni locus, cur Hadrianus, qui duo Privilegia eodem tempore, iisdémque penè verbis, unum pro Monasterio Dionysiano, alterum pro Cœnobio Martiniano emisit, in uno Episcopum, in altero Papam se nuncupavit. *Hadrianus Episcopus, servus servorum Dei, Maginario Religioso Abbati venerabilis Monasterii Sancti Christi Martyris Dionysii*, &c. *In Nomine Domini, ego Hadrianus Papa, servus servorum Dei, Eterio Religioso Abbati eximii gregis Beati Martini*, &c. Fortè nonnihil fraudis ac suppositionis ex hac styli varietate suspicandum haud temerè judicabis. XLIII.

Sextò, Launoius Hadriani Diploma supposititium esse contendit, quia contra scribendi consuetudinem, quâ Romani Pontifices Hadriano vetustiores, aut ei tempore proximi usi sunt, idem Hadrianus Adeodatum vocat Dominum, & votis Itherii Abbatis annuit, quæ nec pia sunt nec honesta, quoniam eò pertinent, ut contrarium sacris Canonibus Privilegium concedatur. XLIV.

Monsnyerus in Itherii votis, qui jus eligendi proprium & peculiarem Episcopum, quod olim concessum fuerat, denuò confirmari postulabat, nihil non pium, nihil non honestum fuisse respondet. Deinde asserit Ste- XLV.

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

phanum Tertium à Paulo & Stephano Quarto Dominum vocatum esse, atque in assertionis confirmationem allegat Diploma Pauli pro immunitate Monasterii Sancti Hilarii Galiatensis sub Ecclesia Ravennate positi, & literas Stephani Quarti ad Carolum & Carolomannum fratres, tum Francorum Reges. Paulus in suo Diplomate sic loquitur. *Sanctæ recordationis Dominus & germanus noster beatissimus Stephanus, hujus Apostolicæ Sedis Præsul.* Et Stephanus Quartus in literis ad Carolum & Carolomannum Reges Francorum, sic. *Sanctæ recordationis prædecessor noster Dominus Stephanus Papa.* In Codice Carolino hæc Stephani Quarti epistola numero est quinta supra quadragesimam. Ex eodem Codice tertium ad responsionem Monsnyeri roborandam afferri potest exemplum, epistolâ enim decimâ-sextâ Paulus Stephanum Tertium, fratrem ac decessorem suum sic laudat, *Dominum & germanum nostrum, sanctissimum Stephanum Papam.*

XLVI. Regnantibus in Francia Pippino ejúsque filiis Carolo & Carolomanno, Romani Pontifices hoc sederunt ordine, Stephanus Tertius, Paulus Primus, Stephanus Quartus, Hadrianus Primus, Leo Tertius. Porrò, si Stephanum Tertium Paulus Primus & Stephanus Quartus Dominum appellarunt, quæ suspicio commenti vel fraudis in eo potest esse, quòd Hadrianus Primus Adeodatum similiter Dominum vocarit? Hadriani Diploma respuendum potiùs videtur, quia Privilegium Adeodati sic confirmat, ut jus etiam eligendi proprium ac peculiarem Episcopum amplectatur, quod ab Adeodato numquam concessum fuit.

XLVII. Privilegium Hadriani, quà respicit ad Adeodati Diploma, duas in partes dividi debet, quarum una cum Privilegio Adeodati convenit, altera minimè.

XLVIII. Quod Crotpertus Turonensis Episcopus Privilegium Monasterio Sancti Martini concessit, Adeodatus Papa Pontificio pòst Diplomate confirmavit. Illud autem Privilegium in hoc consistit, ut Episcopus Turonensis, in cujus Diœcesi Monasterium Sancti Martini situm est, nullam in isto Cœnobio potestatem habere præsumat, nisi quòd Monachis & sacros conferat Ordines, & sanctum Chrisma concedat. Cetera, quæ pertinent ad administrationem Monasterii seu spiritualem seu temporalem, relinquuntur in Abbatis potestate. Ipsum audi Adeodatum in suo Privilegio sic loquentem. *Dum Ægiricus Religiosus Presbyter & Abbas Monasterii Sancti Martini, in quo venerabile corpus ejus est situm, visendas ex desiderio veniens Apostolicas Confessiones & atria, nostris se repræsentaret obtutibus, commendationémque fratris nostri Crotperti Turonicæ Ecclesiæ Præsulis obtulisset, supplici voce precatus est, ut Privilegia Apostolicâ auctoritate subnixa ob munitionem venerabilis Monasterii, quod beatæ recordationis Confessor Christi Martinus & Præsul Turonensis Ecclesiæ in Gallicanis partibus ad conversorum salutem sui sacratissimi Corporis consecratione decoravit, cui nunc præesse se perhibens, scriptis ostenderat, ei concedere deberemus. Parumper autem ambigimus, idcircò quòd mos atque traditio sancta nostræ Ecclesiæ plùs non suppetat à regimine Episcopalis providentiæ religiosa loca secernere. Verùm & ubi prædicti fratris nostri Crotperti Turonensis Ecclesiæ Præsulis Monachicam libertatem, hoc est, liberam dispensandi licentiam scripto concessam, religiositate ejus exemplaria proferente, comperimus, in cujus volumine & aliorum per Gallicanam videlicet provinciam constitutorum Antistitum, ad id consensum præbentium, subscriptiones subter annexas inspeximus, nullatenus jam exortem rationis ac canonicæ regulæ tantorum Episcoporum consonam sententiam fore perpendimus. Propterea & nos erga quod iidem fratres nostri Reverentissimi Præsules conferre providerunt, simili censurâ, ex authoritate profectò Principis Apostolorum, cui claves ligandi atque solvendi conditor atque redemptor omnium tribuit, identidem firmari concessimus, ut Apostolicâ fulti auctoritate per Privilegii seriem, nullas gravedines à quolibet Episcoporum, sub prætextu disensionis, Religiosus Abbas, vel Monachi ibidem degentes sustineant; neque*

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

rursus hospitandi sibi apud eos licentiam vendicantes dispendia hiis æque insolentiis angariorum imponant; neque per occasionem Regularis disciplinæ rimandæ atque servandæ quaslibet eis importent injurias; sed liberam licentiam habere statuimus, salvâ profectò Monachicarum Regularum custodiâ, Religioso Abbate, quicumque pro tempore præerit præfato venerabili Monasterio, id procurante, ut erga quod prisca traditionis ejus articulus continet, & ipse conservare nitatur, & quicumque sub ejus reguntur dispensatione, solerter custodire commoneat, districtéque compellat. Reverentissimo verò Episcopo, in cujus parochia memoratum venerabile Monasterium, vel ejus res ac possessiones constiterint, facienda tantùm ordinationis & promotionis Sacerdotum atque Levitarum, vel conficiendi Chrismatis sit tantùm concessa licentia. Dispositionem autem venerabilis loci gerere, ac conversationem Monachicam exquirere, Religioso Abbati, ejúsque Præposito, vel qui probatissimi fuerint in eodem Monasterio, quod etiam præfati Præsules consonâ sententiâ definierunt, decernimus. In hoc Adeodati Privilegio nihil est, quod falsitatis argui possit, aut formulæ Marculfi refragetur. Ab Adeodato non recedit Hadrianus in prima Privilegii sui parte, quâ sic Itherium Abbatem Martinianum alloquitur. *Innotuisti profectò dignè auribus nostris, qualiter idem grex*, id est, grex Sancti Martini, *nunc usque degerit, ac quæ Privilegia, tam Regalia, quàm prædecessoris nostri Domini Adeodati, habuerit, ut sepositâ authoritate * Episcopali Turonicæ urbis, quidquid in suprafato grege disponendum erat, sive regendum aut corrigendum, Abbas ejus Monasteris cum suo Præposito necnon Decano* (abest ab Adeodari Privilegio nomen Decani) *cæterísque probatissimis viris sub sua tenuerit ditione. Ob hoc debita nos ejusdem consulit sollicitudinis cura, quæque ad stabilitatem piorum * pertinere dignoscitur locorum nobilium. Ideo secundùm antiquam consuetudinem eidem venerabili loco Apostolicæ institutionis censuram confirmari à nobis deposcit, quatinus Privilegium, quod à prædecessore nostro sanctæ recordationis Domino Adeodato claruit, in isto tempore nostra Apostolica ejusdem authoritas confirmaret. Idcircò vestris annuentes votis, præfati Patris institutionis decretum prorsus Apostolicis Infulis sancimus, simúlque eadem roboramus, Apostolicam sequendo normam. Quapropter authoritate Beati Petri Apostolorum Principis fulti decernimus condicto * Monasterio vestro, statuentes prorsus omnia, quæ usque nunc sunt.*

* Sammarth. potestate

* Monsnyer. temporum

* Sammarth. cum dicto.

Sequirur apud Hadrianum alrera pars Privilegii, totáque spectat ad Episcopatum Martinianum, cujus nulla prorsus apud Adeodatum mentio. XLIX. *Et ut liceat ibidem*, ait Hadrianus, *habere Episcopum, sicut à priscis temporibus usque hactenus fuit, per cujus prædicationem populus*, &c. Posteriorem hanc Privilegii partem cum priore connectit conjunctio *&*. Abest autem hæc conjunctio à Privilegio San-Dionysiano, quod in editione Dubletana novum est Privilegium, nec in alterius Privilegii confirmationem emittitur; secus in Sirmondana, quæ Privilegium à Stephano Tertio datum supponit ac laudat. Edirio enim Dubletana sic habet. *Quia postulastis à nobis quatinus Privilegium nostræ Apostolicæ dignitatis vobis concederemus, auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis fulti, in jam venerabili Monasterio dicto vestro statuentes promulgamus, ut penitus liceat ibidem habere Episcopum, sicut à priscis temporibus & usque hactenus fuit, per cujus prædicationem populus*, &c. Sirmondana verò sic. *Quia postulastis à nobis quatenus Privilegium, quod prædecessoris nostri sanctæ recordationis Domni Stephani Junioris Papæ, in prædicto Monasterio vestro Apostolica ejus sanxit auctoritas, demùm confirmaremus. Idcircò vestris annuentes votis, prælati prædecessoris nostri institutionis decretum prorsus Apostolicis Infulis sancimus, simúlque eadem roboramus Apostolicâ in ævo serie. Quapropter auctoritate B. Petri Apostolorum Principis fulti, in jam dicto venerabili Monasterio statuentes promulgamus, ut penitus liceat ibidem habere Episcopum, sicut a priscis temporibus, & usque hactenus fuit, per cujus prædicationem populus*, &c. In utraque autem Privilegium eò totum tendit, quò Martinianum, ut Monachis cùm Dionysianis tum Martinianis liceat pro-

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

prium ac peculiarem Episcopum habere. Sublatâ conjunctione, *&*, in quam inquirimus, ambo Privilegia valdè conformia redduntur. San-Dionysianum, quod ex editione Sirmondana proximè jam descriptum habes, Diplomate Stephani Tertii confirmato, in gratiam Monasterii San-Dionysiani concedit, *ut penitus liceat ibidem habere Episcopum, sicut à priscis temporibus, & usque hactenus fuit, per cujus prædicationem populus*, &c. Similiter Martinianum, quod ex Monsnyero suprà quoque descripsimus, Adeodati Diplomate confirmato, Monachis Martinianis eandem, ut Episcopum habeant, licentiam permittit. *Authoritate*, inquit, *Beati Petri Apostolorum Principis fulti, decernimus condicto* * *Monasterio vestro, statuentes prorsus omnia, quæ usque nunc sunt, ut liceat ibidem habere Episcopum, sicut à priscis temporibus usque hactenus fuit, per cujus prædicationem populus*, &c.

* Sammarth. cum dicto

L. Ceterùm in Privilegio, de quo disputamus, Hadrianus Papa, seu Privilegium Adeodati confirmaret tantùm, seu præter illius confirmationem novum quoque concederet, jure non potuit his uti verbis, *sicut à priscis temporibus usque hactenus fuit*. Nam nec Adeodatus, nec ullus è successoribus, qui Hadrianum antecesserunt, Ecclesiæ Martinianæ Privilegium dedit, ut proprium ac peculiarem Episcopum haberet. Eodem quoque modo ratiocinandum adversùs Hadriani Privilegium pro Monachis San-Dionysianis, in quo persimilis, ut suprà notavimus, hæc occurrit locutio, *sicut à priscis temporibus & usque hactenus fuit*. Licentiam enim habendi proprium Episcopum Monasterio San-Dionysiano nec Stephanus Tertius, cujus mentio fit in editione Sirmondana, nec quis alius ex antecessoribus Hadriani contulit.

LI. Septimò, Launonius hanc ultimam impugnat clausulam. *Scriptum per manum Eustachii Notarii & Scriniarii Sedis nostræ, in mense Junio, Indictione 9. Carolo Romanorum Patricio. Benè valete.* Duobus utitur argumentis, unum sumit à nomine Notarii, alterum à titulo Caroli. Observat enim eandem clausulam in fine Privilegii pro Monasterio San-Dionysiano sic edi. *Scriptum per manum Christophori* * *Notarii & Scriniarii Sedis nostræ, in mense Junio, Indictione* IX. *Bene valete.* Deinde inter utriusque Privilegii clausulam duas ostendit insignes differentias. *In eodem*, inquit, *mense & eadem Indict. hic est Notarius nomine Christophorus, illic Notarius nomine Eustachius; hic Privilegium non consignatur Carolo Romanorum Patricio, illic consignatur; quæ consignandi ratio inusitata est.*

* Dublet. Christofori.

LII. Monsnyerus, ut objectionem solvat, varia profert exempla Pontificiorum Diplomatum, quæ per manus Notariorum, Scriniariorum, Bibliothecariorum & Cancellariorum Sedis Apostolicæ scripta sunt consignatáque Regum atque Imperatorum nominibus.

LIII. Hæc responsio non satisfacit. Launoius enim Privilegium per manum Notarii & Scriniarii Sedis Apostolicæ scriptum non negat, sed duas objicit Chartas veluti pariculas eodem mense eádemque Indictione scriptas, in quarum una Notarius Eustachius, in altera Christophorus vocatur. Haud etiam negat Imperatoris nomen atque etiam annum apponi solitum, ut tempus indiceretur, quo datum est Pontificium Diploma, sed inusitatam arguit consignandi rationem, quæ Patriciatu nititur. Mense Junio, Indictione nonâ, Adriano Pontifice, sive anno Christi septingentesimo octogesimo-sexto, Carolus Patritius erat Romanorum, talis & dictus est, talem & se dixit. Epistolas plerasque *Domno Excellentissimo filio Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa* inscripsit [a] ante annum Christi septingentesimum octogesimum-primum, necnon etiam post illum annum addito compatris titulo sic [b], *Domno Excellentissimo filio nostróque spirituali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa.* Carolus *gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, filius & Defensor Sanctæ Dei Ecclesiæ*, Leone, Papâ superstite, literas Elipando Toletanæ civitatis Metropolitano

[a] Cod. Carol. epp. 49. & seqq.

[b] Codex Carol. epp. 65. & seqq.

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

dicitur. At quamvis Carolus Patritium se dicat Romanorum, & talis ab Adriano vocetur, nullum tamen occurrit Adriani Diploma, quod Caroli Patriciatu consignatum sit, nec, si occurrat, deest suspicio fraudis in subscriptione quam examinamus, quoniam ex duobus Privilegiis eodem mense eâdemque Indictione datis, unum consignatur Carolo Romanorum Patricio, alterum non consignatur, nec illius discrepantiæ datur ratio.

LIV.

De utroque quid sentianus, ex prædictis apertè liquet. Neutrum probamus; neutrum, ut hodie legitur, emissum ab Hadriano arbitramur. Si Privilegium Adeodati Papæ pro Monasterio Martiniano scriptis ad Itherium Abbatem Martinianum literis, & Privilegium Landerici Parisiensis Episcopi pro Cœnobio Dionysiano literis ad Maginarium Abbatem Dionysianum datis hoc anno confirmasse diceretur Hadrianus, id videtetur tolerandum, quia nec de Episcopatu Martiniano in Privilegio Adeodati Papæ, nec de Episcopatu Dionysiano in genuino Landerici Parisiensis Episcopi Privilegio ullum extat verbum, sed contra Chronologiam multùm peccant, & à vero procul aliena sunt, quæ de prædictis Episcopatibus Martiniano & Dionysiano ex Diplomatibus Hadriani suprà descriptis circumferuntur. Illa de re post quadriennium locus erit iterum differendi.

LV. ALTHEUS ABB. AGAUN.

Carolus domesticis bellis perfunctus Romam proficisci statuit. In itinere Monasterium adiit Agaunense, cui tunc præerat Alpheus sive Altheus aut Alteus Benedicti Tomo superiore laudati proximus successor. De Regis adventu ad illud Cœnobium testis est Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Sedunensium Episcoporum Catalogo. Id Sammarthani Tomo Tertio [a] Galliæ Christianæ confirmant ex Agaunensi Tabulario, cujus auctoritate nixi eundem quoque Altheum Romam in Regio comitatu profectum asserunt. Carolum, ut Agaunense Monasterium inviseret, permovit loci Religio. Sedunensis Episcopus tunc erat Aloborgus, de quo recurret adhuc sermo. Ceterum Carolus Alpes tantâ celeritate superavit, ut Florentiæ in Etruria Natalem Domini celebrarit. Ob hanc festinationem meritò laudatur à Sigonio [b], quia Wormatiæ degebat adhuc Nonis Novembris, cùm Præceptum pro Parisiensi Monasterio Sancti Germani dedit. Apud Aimoini Continuatorem initio libri quinti duo leguntur Caroli Præcepta pro Cœnobio Sancti Germani prope Parisios sito. Subscriptio prioris, ut Breulius fatetur, in Originali talis est. *Data sexto Kal. Aprilis, anno undecimo Regni nostri, & quinto.* Id est, anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono, per cujus mensem Martium Carolus annum Regni sui undecimum in Francia, quintum in Italia numerabat. Subscriptio posterioris, ut idem Breulius testatur, in Prototypo talis est. *Data Nonis Novembris anno nono-decimo Regni nostri, &* XIII. *Wormatio Palatio in Dei Nomine feliciter.* Huic Auctori fidem eò potiorem habemus, quòd in Monasterio Sancti Germani Monachum agebat, cùm Diplomatis Carolini, de quo nobis hîc nunc agendum est, ipsum autographum consuluit. In utraque tamen subscriptione secutus est editionem Guilielmi *Parvi*, cúmque diversos annos ad diversa Caroli Regna, priorem videlicet ad Regnum Franciæ, posteriorem ad Regnum Italiæ, referendos ignoraret, alterum perperam ad Caroli Patriciatum sic retulit. *Data sexto Kal. Aprilis, anno undecimo Regni nostri, & quinto Patriciatûs nostri.* Et, *data Non. Novembris, anno nono-decimo Regni nostri, & Patriciatûs* XIII. Magna nihilominùs laude dignus videtur, quod singulas subscriptiones brevibus illustravit notariunculis, quæ primariarum Chartarum fidem astruunt, & interpolationem à Guilielmo *Parvi* primùm factam manifestissimè condemnant. Ad oram enim primæ subscriptionis ita scripsit. *In Prototypo deest, Patriciatûs nostri.* Et ad oram alterius, sic. *Desideratur in Originali, Patriciatûs.* De priore Præcepto actum ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-nonum. Posterius accipe ex edi-

ALOBORGUS EP. SEDUNENSIS.

CAROLUS MUNIFICUS ERGA MON. S. GERMANI.

[a] In Episc. Sedun. n. 15.

[b] Lib. 4. de Regno Ital. hoc an.

AN.CH. 786. CAROLI R.18. PIPPINI LUDOV. RR.6.

tionibus, quas suprà commemoravimus, simul collatis. *Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Langobardorum, ac Patricius Romanorum, omnibus fidelibus nostris præsentibus & futuris. Quicquid enim locis venerabilibus, ob amorem Domini & opportunitatem servorum Dei, benivolâ deliberatione concedimus, hoc nobis ad æternam beatitudinem vel remedium animæ nostræ pertinere confidimus. Quapropter compertum sit omnium vestrum Magnitudini, qualiter donamus ad Monasterium Sancti Germani, quod est prope Parisius civitatem constructum, ubi ipsius pretiosum corpus quiescit humatum, quod venerabilis vir Hrobertus Abba in regimine habere videtur, donatúmque ad eundem locum & fratribus ibidem degentibus esse volumus, hoc est, villam nostram nuncupatam Madriolas in pago Milidunensi super fluvium Sequana cum omni integritate ad eam pertinente vel aspiciente, sicuti à longo tempore, & nunc justè & rationabiliter ad eundem visum est pertinuisse, vel sicut moderno tempore Autbertus Comes per nostrum beneficium tenere videtur, id est, cum terris, domibus, ædificiis, accolis, mancipiis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmve decursibus, mobilibus & immobilibus, & portum, qui est inter pagum Senonicum & Milidunensem à Balsiaco villa præfati Sancti Germani, usque Monasteriolum Sancti Mauricii, ex utraque ripa fluminis Sequanæ, cujuscumque sit terra, itaut nullus inibi portum vel aquam habeat, nisi jam dicta potestas almi Germani, neque teloneum aut rotaticum, seu vultaticum, cepsasticum, ripaticum, vel salutaticum cuiquam accipere liceat. Mercatum quoque omniáque ex omnibus quicquid dici aut nominari potest, ad integrum ad ipsum sanctum locum ejúsque Rectoribus ac Monachis à die præsenti tradimus perpetualiter ad possidendum. Propterea hanc Præceptionem auctoritatis nostræ conscribere jussimus, per quam omnino statuentes decernimus, quod circa ipsum Abbatem vel Rectores ipsius Ecclesiæ perpetualiter volumus esse mansurum, ut nullus de Judiciaria potestate aut de parte fisci nostri, aut qualiscumque persona de prædicta villa Madriolis, vel quicquid ad eam aspicit, ipsum Abbatem vel Monachos in eodem Monasterio consistentes inquietare vel contra rationis ordinem aut calumniam ingerere præsumat. Sed ab hodierna die Rectores ipsius Monasterii eam habeant, teneant, atque possideant, quatenus meliùs delectet jam dictum Abbatem vel ipsos Monachos pro nobis, uxoréque nostra, & filiis, necnon pro stabilitate Regni nostri, Domini misericordiam attentiùs deprecari. Et ut hæc auctoritas firma habeatur, vel nostris & futuris temporibus meliùs conservetur, manu propriâ subter eam decrevimus roborare, & annulo nostro jussimus sigillari. Signum Caroli Gloriosissimi Regis. Wigbaldo ad vicem Radonis recognovi. Data Non. Novembris, anno nono-decimo Regni nostri, & XIII. Wormatiæ in Palatio, in Dei nomine feliciter.* In hoc Diplomate Jacobus *du Breul* corruptè legit *cepsasticum*, Guilielmus *Parvi* corruptiùs *seu pistaticum*, alii quoque malè *cispitaticum*, repone *cespitaticum* à cespite sic dictum. Cespitaticum autem, ut Breulius in suis notis observat, *est teloneum, quod ad complanandas vias, atque etiam saxis, si opus sit, sternendas exigitur.* In eodem Diplomate, necnon in aliis, ubi *salutaticum* occurrit, Lindenbrogius *saltuaticum* restituit teloneum à saltu sic nuncupatum, alii *salaticum* legunt à sale. Porrò Madriolæ, quarum Donationem Diploma proximè recitatum complectitur, ab Icaunæ confluentibus in Sequanam unâ duntaxat leucâ distant, & Madriolarum Prioratus à Breulio commendatur.

LVI. CERTIOR FACTUS DE MOTIBUS AB ARAGISO DUCE BENEVENT. CONCITATIS PROFICISCITUR IN ITALIAM.

Wormatiâ Carolus in Italiam, ut insinuatum suprà, celerrimè contendit. Tres itineris suscepti rationes proferuntur, quòd decrevisset invisere limina Apostolorum, res Italiæ disponere, cum Legatis Imperatoris colloquium habere. *Rex Carolus*, ait Annalista Loiselianus, *prospiciens se ex omni parte, Deo largiente, pacem habere, sumpsit consilium, devotionis causâ ad limina beatorum Apostolorum iter peragendi, & causas Italicas disponendi, & cum Missis Imperatoris Placitum habendi de convenientiis eorum*, sive, ut Auctor incertus in ipsius Caroli vita scribit, *de conventionibus eorum.* Ad hunc enim annum referendæ videntur literæ *; quibus Adrianus Amalfitanorum in Ducatu

* Cod. Carol. ep. 66.

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

Ducatus Neapolitano villas incensas ab Aragiso Duce Beneventano, & quamplures Beneventanorum, etiam primarios viros, à Neapolitanis, qui venerant in auxilium Amalfitanorum, aut trucidatos aut captos fuisse sic testatur. *Hoc vestræ Regali potentiæ innotescimus, quia Arichis Beneventanus Dux justitias de hominibus suis quærens, exercitum duxit super Amalfitanos Ducatus Neapolitani, & undique eos circumvallans incendit omnes possessiones eorum atque habitacula foris posita. Quo audito, Neapolitani direxerunt in adjutorium ipsorum plures homines, qui vincentes eos interfecerunt plurimam multitudinem Ducatus Beneventani. Unde cùm ceteros plures, tum Optimates captivos apud se habent. Quod in his verò partibus actum est, vobis enucleatiùs enunciare festinavimus.* Quin & *Aragisus* Dux Beneventanus, ut Sigonius ait [a], *superbiâ elatus defecit. Superbia ejus illud certo sit argumento, quòd ultrò novo Titulo se pro Duce Principem appellari, & ab Episcopis suis tanquam Regem inungi & coronâ ornari jusserat, atque in suis Diplomatibus, EX NOSTRO SACRATISSIMO PALATIO, subscribere instituerat.* Amens hic rectè dicitur, quòd nec miserabilem Desiderii soceri casum exhorruit, nec latè patentem Caroli potentiam formidavit. Pergit Sigonius. *Numero peditum equitúmque idoneo comparato, ineunte hyeme,* Rex *Alpes tantâ celeritate superavit, ut solemnia Natalicia Florentiæ in Etruria celebrarit. Hæc urbs à Totila Gothorum Rege quondam eversa, hoc tempore Caroli jussu dicitur esse refecta.* Carolus *in Florentia civitate* Natalem Domini celebravit. Id vetustissimi referantur Annalistæ [b]. Varinus Carolum, ut ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum [c] jam notavimus, ob instaurationem Florentiæ plurimùm laudavit in ejusdem urbis illustratione [d]. Ceterum *Paulus filius Pandonis Reatinus*, ut in Chronico Monasterii Farfensis sive Acutiani legitur, *querelatus est Domino Karolo Regi, dum esset in finibus Florentinis ad vadum Medianum, de Monasterio Sancti Angeli juxta civitatem sito Reatinam, dicens quòd de suis parentibus fuisset, & sibi pertineret. Tunc inquisitus Dux* Spoletanus *Hildeprandus respondit.* [*Monasterium istud à Palatii potestate inveni, quod ego donavi Guigberto Episcopo, & confirmavi in Monasterio Sanctæ Mariæ de Acutiano, & per vestræ potestatis Præceptum inibi confirmatum est.*] *Et præcepit illi Dominus Rex, ut revertens Spoletum cum suis Judicibus causam ipsam diligenter inquisitam finiret. Et reversus Dux cœpit hoc unà cum Judicibus sollicitè investigare. Et affuit hujus Monasterii Abbas Raganbaldus cum suis Monachis, & dixit, quòd ipsum Monasterium in diebus Teudici Ducis ad partem Palatii per sacrum mandatum firmatum est, & judicatum exinde factum est per jussionem Theodici Ducis, per manum Degari * Castaldi & Referendarii. Et interrogatus est Pando de ipso judicato, confessus est se illum igni combussisse, quia contrarius ei extiterat. Sed & Degarus Castaldus dixit. Ego interfui, & ad partem Palatii causa victa est, & ipse * judicatum manibus meis scripsi. Post hæc Pando dixit, & attestatus est, dicens. Omnia vera sunt, sicut Degarus Castaldus dicit, & sacra mandata exinde facta sunt, & judicatum ipsum nos combussimus, & exinde nulla alia munimina habemus. Tunc ab omnibus decretum est, ut idem Pando guadiam cum suis daret ad partem Palatii, & componeret juxta Edicti paginam de ipso judicato incenso, & pars prædicti Abbatis haberet & possideret prænominatam Ecclesiam Sancti Angeli. Et ita finitum est. Quod etiam Totemanus Notarius scripsit.* Teudicus seu Theodicus vel Theodicius Dux fuit Spoletanus ante Hildeprandum sub Desiderio Longobardorum Rege. Duces enim Spoletani per illa tempora sic enumerantur in eodem Chronico. *Theodicius Dux Spol. Hildeprandus Dux Spol. Guinichis Dux Spol.* Ex præcitata Charta & ex aliis, quæ sunt in eodem Codice, Farfenses sive Acutianos Abbates regnante Carolo deprehendimus, Probatum, Raganbaldum & Benedictum. De Probato egimus ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum, quo Carolus Longobardiam subegit. Raganbaldus Monasterio præerat hoc ipso anno, cùm Carolus Florentiam

NATALICIA DOMINI CELEBRAT FLORENTIÆ.

ACUTIANI MONAST. CAUSAM CURAT EXAMINARI.

[a] Lib. 4. de Regno Ital. hoc an.

[b] Loisel. Lauresh. & alii

[c] Num 58.

[d] Lib 1.

* Degarini

* ipsi

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6. venit. De Benedicto sermonem ad annum tertium noni seculi faciemus. Hos autem Acutianos Abbates commemoramus, quia Monasterium Acutianum, quamvis esset in territorio Sabinensi, quod Carolus Apostolicæ Sedi Regiâ munificentiâ concesserat, sub ejusdem tamen Caroli successorúmque protectione permansit, Abbatibus id præsertim optantibus, quia possessiones amplissimas extra ditionis Pontificiæ limites obtinebat. Si quid exinde litis aliquando natum, suis explicabitur locis.

LVII. HADRIANI PP. postulationes apud Carolum. Hadrianus in iisdem literis, quibus Carolum de motibus Italiæ ab Aragiso concitatis certiorem fecit, duas quoque postulationes exposuit, unam de trabibus majoribus ad Ecclesias instaurandas, alteram de stanno ad Ecclesiam Sancti Petri recooperiendam. Illas enim literas sic exorsus est. *Domino Excellentissimo filio nostróque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Sæpè vestra à Deo protecta Regali potentia poscentes direximus, ut pro mercede animæ vestræ trabes majores ad Ecclesias Dei restaurandas per vestrum Regale præsidium emittere juberetis, & nullum ab illis, quibus præceptum est, suscepimus effectum, quatenus & ipsa Ecclesia, in quibus nobis trabes majores necessaria sunt, ex parte ruerunt, & alias ruere conspicimus, & ipsas trabes præstolantes, quid agemus, nescimus, & pro hoc in magna tristitia degentes existimus. Quapropter obnixè vestram triumphatorissimam Excellentiam poscentes quæsumus, ut nulla deinceps eveniat mora, sed per vestrum à Deo protectum Regale dispositum nobis ipsas trabes majores celeriùs emittere præcipiatis, ut nullo modo quemlibet neglectum ponere audeant, quia confidentes prorsus existimus, quanta Dei Ecclesia ex ipsis trabibus restaurata fuerint, in vestrum sempiternum memoriale seu Domnæ Reginæ, vestræque nobilissimæ subolis, restaurantur. Quapropter poscimus, ut vestrum proprium idoneum Missum dirigere jubeatis, qui ipsos auctores, qui pro jam dictis trabibus neglectum ponere ausi sunt, distringere debeat, ut ipse nobis eas tradere per vestrum dispositum studeat, ut exinde magnam, ut fati sumus, recipere valeatis mercedem.* Deinde easdem literas sic claudit. *Hoc recordari credimus vestram à Deo promotam Præcellentiam, qualiter pro amore Beati Petri clavigeri Regni calorum, & ejusdem Ecclesia restaurationis, pro ipsius aula tecto vestra Excellentia nobis est pollicita dirigere stanni libras mille. Simili modo & Itherius vester fidelissimus per vestrum eximium dispositum similiter alias mille libras dirigere promisit. Pro quo poscentes petimus vestram Regalem Præcellentiam, ut ipsum stannum nobis per vestrum bonum dispositum dirigere jubeatis, quia ipsa Ecclesia fautoris vestri Beati Petri tempore verno ab aquis nimis invaluit, & unde ejus aula tectum restauremus, minimè habemus. Sed obnixè petimus, ut per Comites vestros, qui in Italia sunt actores, ipsum jam dictum stannum dirigere jubeatis, per unumquemque Comitem libras centum, ut dignam pro hoc ab ipso Dei Apostolo retributionem suscipere mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.*

LVIII. PRODIGIA. A Chronographo Moissiacensi varia narrantur prodigia. *Eo*, inquit, *anno, mense Decembri, adparuerunt acies terribiles in calo, quales antea nostris temporibus numquam apparuerunt. Necnon & signa Crucis apparuerunt in vestimentis hominum, & nonnulli sanguinem dixerunt se videre pluere. Unde pavor ingens & metus in populos irruit, ac mortalitas magna postea sequuta est.* Plura commemorantur in Appendice Chronico Nibelungi subjecta. *Multa etiam referuntur signa apparuisse eodem anno, signum enim Crucis in vestimentis hominum apparuit, ac sanguinem de terra ac de calo profluere. Necnon & alia multa signa apparuerunt, unde pavor ingens ac timor in populo salubriter inruit, ita ut se multi corrigerent. Et sex dies ante Natale Domini tonitrua & fulgura immensa apparuerunt, ita ut Ecclesias concussit in Widli, & penè per totam Franciam auditum fuit, & multi homines interfecti fuerunt, etiam aves cali ab ipso tonitruo occisi sunt, & arcus cali in nubibus apparuit per noctem, & postea verò mortalitas magna fuit.*

AN CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

LIX. Sub hunc annum, Adrianus Pontifex ex auctoritate Apostolica concessit[a] usum Pallii Ermemberto Archiepiscopo Bituricensi, quia Metropolitanam in Aquitania Sedem obtinebat. *Domno Excellentissimo filio nostro spiritalique compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Directus à Regali Potentia vestra Reverentissimus & Sanctissimus Vir, scilicet Ermenbertus Episcopus, nostrisque adpræsentatus Apostolicis ospectibus, obtulit nobis præcelsa Excellentia vestra sagacissimos atque honorabiles Regales affatus. Quos cum nimio amplectentes amore, Regi Regum, in cujus potestate sunt omnia Regna mundi, gratias egimus, qui nos de vestra inclyto sospitate lætos crebrò efficit, eò quòd per hujus mundi Regna, cælestia magis ambire atque hæreditare concedit per Beatum Petrum Apostolorum Principem de sævitia adversariorum triumphantes. Reperimus quippe in ipsis Regalibus affatibus vestris, ut prælato Ermenberto Episcopo Pallium Sacerdotalibus Infulis decoratum ex Apostolica auctoritate concederemus, quia civitas Metropolis in Aquitania videtur esse patria, quæ Bituricas nuncupatur, ubi nunc præfatus Venerabilis Vir præesse dinoscitur, curámque Pastoralem devotus exercere videtur, quatenus ignorantes, si canonicè in provincia partibus illis jam ordinatus tam à prædecessoribus nostris quámque à nobis fuisset, enucleatiùs eum indagari curavimus, ne usurpationis locus aliquis Sacerdotibus in alterius jure concedatur. Qui præfatus Sanctissimus Vir nobis confessus est, ut sub nullius Archiepiscopi juris ditione esse videretur. Quapropter pro nimio vestro Regali ex intimo cordis amore, prædicto Ermenberto, à nostra Apostolica Sacratissima Sede atque auctoritate Archiepiscopo constituto in Metropolitanam civitatem, quæ Bituricas cognominatur, sicut dudum mos exstitit, sub jure sanctæ Romanæ Ecclesiæ degenti, usum Pallii concessimus fruendi. Et ideo quæsumus, ut per vestrum præcelsum Regale adminiculum ministerium sibi commissum dignè sibi valeat & canonicè dispensare, Sacerdotali moderamine suscipiente affectum, ut dum plebs sibi concessa ab insidiatoribus inconvulsa atque intacta permanserit, simúlque à vestro Regali Culmine tuta fuerit, ab ipso clavigero Regni cælorum Beato Petro Apostolo dignam mereamini suscipere retributionem, ut unà cum Excellentissima & spiritali filia Domna Regina, vestrâque præcelsâ subole, Redemptor omnium Deus longo ac prospero senio ampliùs exaltati Regni gubernaculo faciat perfrui, & vitam æternam pariter vobis tribuat possidendam. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.*

ERMEMBERTUS ARCHIEP. BITURIC. OBTINET USUM PALLII.

[a] Cod. Carol. Ep. 87.

LX. In his literis nullus occurrit Character Chronologicus, qui determinatè nobis exhibeat annum quo datæ sunt. Sirmondus[b] annum adscripsit Christi septingentesimum octogesimum-sextum. Sirmondum secuti sunt Sammarthani[c]. Certè Hadrianus, cùm Caroli Regis uxorem *Excellentissimam & spiritalem filiam Domnam Reginam* vocat, nec appellat commattem, manifestè declarat se non de Hildegarde loqui, sed de Fastrada, quam Carolus duxit exeunte anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio. Atque ex hac observatione patet usum Pallii ante annum Christi septingentesimum octogesimum-quartum Ermemberto concessum haud fuisse. Hæc autem ratio nos movit, ut Ermenario sive Herminardo, qui Romanam Synodum cum aliis Præsulibus anno Christi septingentesimo undeseptuagesimo celebravit, & Ecclesiæ Bituricensi per annos duntaxat septem præfuit, Ermembertum proximè subrogandum inficiaremur, medióque inter utrumque loco substitueremus Deodatum, cujus obitum anno Pontificatûs nono, Christi septingentesimo octogesimo-tertio consignavimus. Ermembertus *quinque*[d] *annis & tribus diebus* Pastoralem curam administravit. Obiit igitur anno Christi septingentesimo duodenonagesimo, usúmque Pallii nec citiùs anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto, nec seriùs anno Christi septingentesimo duodenonagesimo impetravit, at incompertum manet quonam ex annis intermediis datum sit hujuscemodi Privilegium

[b] Tom. 2. Conc. Gall.

[c] Tom. 1. Gall. Christ. in Archiep. Bituric. 40.

[d] Patriarch. Bituric. c. 44.

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

LXI. EPISCOPI DERTHONENS. PATAVINI.

Ughellus [a] Flaviano Derthonensi Episcopo successorem hoc anno tribuit Hieronymum, qui sedit annos septem, & anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio vitam clausit. Hic Auctor [b] non adeò accuratè de Patavinis Episcopis scribit. Ab anno enim septingentesimo tricesimo ad annum vicesimum-quartum sequentis seculi sic habet. *Theodosius renunciatus est Episcopus an. 729 vel 730. Rodingus Patavinam Ecclesiam rexit post Theodosium an. 8. Bodo natione Gallus Episcopatum gessit an. 13. Luitardus sedit an. aliquot. Dominicus fuit Episcopus Patavinus, ut narrat Donesmundus in Historia Ecclesiastica Mantuana, p. 2. Qui Mantuano Concilio interfuit, ad dirimendas controversias, litésque inter Aquileiensem & Gradensem Patriarchas, congregato anno 824.* Omittit in hoc Indice Josephum Episcopum, qui Patavinum Præsulatum ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-ptimo ad annum usque Christi septingentesimum octogesimnm-sextum gessit. Hujus Episcopi meminit Robertus in Anristitum Patavinorum Catalogo, quem ad calcem Galliæ Christianæ publicavit. At huic Auctori suus est etiam nævus, ubi Roscium, qui longè seriùs floruit, hoc anno in demortui Josephi locum subrogat. Josepho succeſſit Bodo, qui primus è Gallis ad Episcopatum Patavinum promotus est; eo enim tempore, quo Franci Longobardiam subegerunt, Episcopales Infulas jam obtinebat Josephus.

[a] Tom. 4.
[b] Tom. 5.

LXII. WIRCEBURG.

Hoc eodem anno consignandus est obitus Egilwardi Wirceburgensis Episcopi, qui sedit *annis sex, mense uno, diebus viginti-tribus*, ut testatur Auctor libri de Translatione S. Burchardi & restaurątione Monasterii Sanct-Andreani. Apud Bruschium *huic mortali vita valedicit 24 Aprilis.* De successore non levis est difficultas, quam Tomo superiote [c] jam attigimus. Vulgati Codices Egilwardo Wolfgerum, Wolfgero Humbertum sufficiunt. Sed hæc Nomenclatura stare non potest, quia Wolfgerus, cujus Episcopatus annorum duorum ac viginti sexque mensium spatio circumscribitur, anno secundo Ludovici Pii Imperatoris cum Ratgario Fuldensi Abbate concordiam de quibusdam controversiis fecit. Wolfgero præponendum putamus Humbertum, qui Wirceburgensem Cathedram renuit *annis decem, mensibus tribus, diebus octo.*

[c] Ad an. 751. nu. 63. 64.

LXIII. ABBATES AUGIENSES.

Obiit & hoc anno Petrus Abbas Augiæ Divitis, nam, teste Walafrido, cui recentiores suffragantur, Monasterium quinque duntaxat annis rexit. *Homo senex ac decrepita ætatis* dicitur Bruschio. *Obiit*, inquit Bucelinus, *A. C. 786. 9. Cal. Maii.* Hæc pro certis habemus, at dubiæ sunt aut nullius fidei, quæ scribit idem Auctor de Petri genere, quem ex Alemanniæ Ducibus oriundum & Hildegardis Reginæ fratrem facit. Nostram Chronologiam confirmat Hermannus Canisianus. Petro succeſſit in munus Abbatiale Walto seu Waldo, qui San-Gallensis quondam Abbas & ab Eginone Constantiensi Episcopo è Monasterio suo pulsus Monachum apud Augiam tunc agebat. Lege quæ dicta sunt ante biennium [d].

[d] Ad an. 784. nn. 19. & seqq.

LXIV. MANASSES FLAVINIAC. ABB. REGIAS OBTINET LITERAS PRO CONDENDO MON. CORBINIACI.

Inter analecta monumentorum Flaviniacensium, qnæ Philippus Labbeus [e] ex schedis Sirmondanis publicavit, extant hæ Caroli Regis literæ. *Karolus gratiâ Dei Rex Francorum, ac Patricius Romanorum, Abbati Manasſæ Flaviniacensis Cœnobii salutem. Benedictum nomen Domini in seculum, quod juxta Monachorum tuorum laudabilem conversationem plurimùm glorificatur in gentibus, eò quòd laus ejus semper in ore vestro versatur. Petitionem itaque de constructione Cœnobii apud Corbiniacum, quam per Theodulfum Episcopum Aurelianensem atque Abbatem Cœnobii Floriacensis libenter suscepimus, & clementer concedimus, & præcipimus, ut Monachi, quos ibi mittetis, ne aliquando mandatorum Dei viam obliti, sæpiùs in Flaviniacum revertantur Cœnobium, ibique officia sua confirment, & meliorati jussu tuo & Monachorum tuorum revertantur. Censum verò quemcunque statueris eis omni tempore solvant. Ab alio verò censu, tuo amore, liberos reddo, uti reddidi Flaviniacum. Mitto autem vobis capsam argenteam sepulchri Salvatoris Sancti Jacobi Apostoli fratris Domini Reliquias continentem: orans & supplicans, ut mei memores pro me & filiis nostris*

[e] Tom. 1. Bibliot.

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

assiduè apud Dominum ipsum interveniatis. Saluto te, & omnem Congregationem nostram. Ego Rado scripsi, dictavi anno 8 Domini nostri prædicti Regis Karoli, regnante Domino nostro Jesu Christo in æternum. Huc usque literarum exemplar, sed anni 8 loco restituendus est annus 18, quia Theodulphus octavo Caroli anno, quocum annus Christi septingentesimus septuagesimus-sextus concidit, Episcopatum Aurelianensem adeptus nondum videtur. Apud plerosque, qui nostrâ ætate Catalogum Aurelianensium Episcoporum texuerunt, Theodulphi decessor Guibetrus anno Christi octingentesimo quarto sedet. Sed id suo loco facilè refelletur, quia puro innititur commento. Literis, quas descripsimus, sua stabit fides, si duodevicesimus Caroli Regis annus reponatur, cum anno enim Christi septingentesimo octogesimo-sexto convenit, & Manasses Flaviniacense Monasterium ab anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum-septimum gubernavir.

LXV. Antequàm Labbeus schedas Sirmondanas in lucem emitteret, prælaudatas Caroli Regis literas Robertus publici juris in Gallia Christiana jam fecerat, cùm ageret de Corbiniaco * seu sancti Leonardi Monastetio Benedictino in Augustodunensi Diœcesi. *Corbigny.* Quicquid autem Rex scripserit, hujus Cœnobii primordia non altiùs quàm ab anno Christi octingentesimo sexagesimo-quarto repetuntur, ut docet vetus membrana fundationis, quam apud Georgium *Viole* in calce Apologiæ pro Sancta Regina, & apud Sammarthanos Tomo quarto Galliæ Christianæ in Corbiniaco reperies. In illa tamen Charta mentio fit Catoli Magni Regis & Manassis Flaviniacensis Abbatis, nec omittitur erigendi apud Corbiniacum Monasterii desiderium, quod animum ejusdem Manassis tunc subierat. *Religiosus Flaviniacensium Manasses Abba olim à Rege Francorum Ducéque Longobardorum ac Patricio Romanorum, Magno scilicet Carolo, licentiâ acceptâ ad * . . . . duodenos Monachos, quibus perpetuo jure tam Abbas quàm Monachi memorati Flaviniacensis Cœnobii praessent omni tempore, universis conlaudantibus fratribus, Cœnobium Avalinse seu Nevernense voluerunt ædificare Comitatu apud Ammonias, in loco, qui à Corbone viro inclyto Corbiniacus dicitur, patre videlicet sanctæ memoriæ Guideradi Abbatis, qui ipsum Corbiniacum cum omnibus villis & eorum appenditiis, tradidit Domino Jesu Christo Sanctóque Prajecto, dum in ejus honore Flaviniacum condidit Cœnobium.* *colligendos congregatis aliis* Lege quæ de Flaviniacensis Monastetii conditu Tomo quarto dicta sunt ad annum Christi septingentesimum vicesimum-secundum [a]. Wideradus seu Guideradus secundus Abbas Flaviniacensis obiit anno Christi septingentesimo quadragesimo-septimo; successit Gayronius seu Gayronus, cujus mors anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto consignatut; de Manasse proximo Gaytonii successote sic Hugo ejusdem loci Abbas. *Hic corpus beati Prajecti Martyris è Volovico * delatum Ecclesiæ suæ intulit octavo Idus Novembris.* *Volvic.* *Hic etiam Cellam primus Corbiniaci instituere volens ab Imperatore Carlomanno obtinuit nec tamen fecit. Obiit anno* DCCLXXXVII, *Nonis octobris, trigesimo-tertio anno suæ ordinationis.* NEC TAMEN FACIT. De Translatione Sancti Præjecti Martyris actum Tomo superiore ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-tertium [b], quo facta est regnante tum Pippino. Flaviniacense Monasterium ad honorem Sancti Præjecti construxit Wideradus, ut ex ipsius Wideradi Testamento & aliis patet monumentis, quæ Tomis quarto & quinto protulimus [c], cùm sermo de eodem Widerado esset. Ea de causa Manasses Sancti Præjecti Reliquias ad Flaviniacense Monasterium detulit. In Hugonis textu proximè citato vox *Carlomanno* posita pro *Carlo Magno*. Id vitii frequenter occurrit corrigendum. Manasses igitur Flaviniacensis Abbas Monasterium apud Corbiniacum *primus* instituere voluit, & ab Imperatore Carolo Magno, sive à Catolo Magno tum Rege, pòst Imperatore, licentiam accepit, *nec tamen fecit*. Cur autem non fecetit, potior ratio non

[a] Nu. 55. & seqq.
[b] Num. 2.
[c] Ad ann. 722. 747.

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

potest afferri, quàm quòd sub exitum vitæ suæ Regias acceperit literas, & ne faceret quod animo meditabatur, morte sit prohibitus. Atque inde non leve petitur argumentum, ut in Caroli literis annus Regni duodevicesimus probetur rectè restitutus, quia Manasses anno proximo vitam terminavit.

LXVI. CAPITULARE THEODULFI EP. AURELIAN. Theodulfus, qui non tantùm Abbas Flotiacensis sed etiam Aurelianensis Episcopus in Diplomate suprà recitato nominatur, sub Episcopatûs initium, quod procul ab hoc anno statui nequit, Capitulare condidit, *in quo saluberrima, tum Presbyterorum propria, tum communia, quibus subditas sibi plebes informare debeant, vitæ Christianæ documenta describuntur.* Hoc Capitulare, quod Cæsar Baronus in lucem primus emisit, deinde Joannes Busæus, Carolus Saussеyus, Jacobus Sirmondus, & ultimi Conciliorum Collectores ediderunt, sex & quadraginta constat Capitulis cum hac inscriptione. *Theodulfus fratribus & compresbyteris nostris Aurelianensis Parrochiæ Sacerdotibus in Domino salutem.*

LXVII. Capitulo primo Theodulfus Presbyteros hortatur, ut & subditarum plebium profectum curent, & suæ dignitatis memores semper existant. *Obsecro vos, fratres dilectissimi, ut erga subditarum plebium profectum & emendationem vigilanti ssimâ curâ laboretis, quatenus illis viam salutis ostendentes, & eos verbis & exemplis instruentes, & vos de eorum profectu, & nos de vestro, Domino nostro Jesu Christo auxiliante, fructuosos illi manipulos reportemus. Obsecro etiam fraternitatem vestram, ut hæc Capitula, quæ ad emendationem vitæ breviter digessi, assiduè legatis, & memoriæ mandetis, & eorum sive Sanctarum Scripturarum lectione mores componatis, vitam emendetis, & cum subditis plebibus, opitulante Domino, ad Regna cælestia pergere certetis. Veraciter nosse debetis, & semper meminisse, quia nos, quibus regendarum animarum cura commissa est, pro his, qui nostrâ negligentiâ pereunt, rationem reddituri sumus; pro his verò, quos verbis & exemplis lucrati fuerimus, præmium æternæ vitæ percipiemus. Nobis enim à Domino dictum est. [Vos estis sal terræ.] Quòd si populus fidelis cibus est Dei, ejus sibi condimentum nos sumus. Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum & penè conjunctum esse. Sicut enim Episcopi Apostolorum in Ecclesia, ita nimirum Presbyteri ceterorum discipulorum Domini vicem tenent; & illi tenent gradum Summi Pontificis Aaron, isti verò filiorum ejus. Unde oportet vos semper memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ consecrationis, memores sacræ, quam in manibus suscepistis, unctionis, ut nec ab eadem dignitate degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacro unguine delibutas peccando polluatis, sed cordis & corporis munditiam conservantes, plebibus exemplum benè vivendi præbentes, his, quibus præestis, ducatum ad cælestia Regna præbeatis.*

LXVIII. Capitulo secundo Theodulfus Presbyteris lectionem & orationem commendat. *Oportet vos & assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi, quia vita viri justi lectione instruitur, ornatur, & assiduitate lectionis munitur homo à peccato, juxta illum qui dicebat. [In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.] Hæc sunt enim arma, lectio videlicet & oratio, quibus diabolus expugnatur; hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur. His armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur.*

LXIX. Capitulo tertio Theodulfus Presbyteris opus quoque manuum commendat. *Sed & si quando à lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi, quia otiositas inimica est animæ; & antiquus hostis, quem à lectione sive oratione vacantem invenerit, facilè ad vitia rapit. Per usum namque lectionis discetis, qualiter & vos vivatis & alios doceatis. Per usum orationis, & vobis, & his, quibus in caritate conjuncti estis, prodesse valebitis. Per manuum operationem & corporis macerationem, & vitiis alimenta negabitis, & vestræ necessitatibus subvenietis, & habebitis quod necessitatem patientibus porrigatis.*

LXX. Capitulo quarto Theodulfus apparatum, quo Presbyteri debeant ad Synodum venire, sic exponit. *Quando more solito ad Synodum convenitis, ves-*

tiones, & libros & vasa sancta, cum quibus vestrum ministerium & injunctum officium peragitis, vobiscum deferte. Necnon duos aut tres Clericos, cum quibus Missarum solemnia celebratis, vobiscum adducite, ut probetur, quàm diligenter, quàm studiosè Dei servitium peragatis. AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

Capitulo quinto Theodulfus docet, quanta Presbyteris esse debeat cura panis, vini, & aquæ, cum quibus Missæ celebrantur. *Panes, quos Deo in sacrificium offertis, aut à vobis ipsis, aut à vestris pueris coram vobis, nitidè ac studiosè fiant: & diligenter observetur, ut panis, & vinum, & aqua, sine quibus Missa nequeunt celebrari, mundissimè atque studiosè tractentur, & nihil in his vile, nihil non probatum inveniatur juxta illud quod ait Scriptura. [Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.]* LXXI.

Capitulo sexto Theodulfus ad altare, cùm Missæ celebrantur, fœminas vetat accedere. *Fœminæ, Missam Sacerdote celebrante, nequaquam ad altare accedant, sed locis suis stent, & ibi Sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat. Memores enim esse debent fœminæ infirmitatis suæ, & sexûs imbecillitatis, & idcircò sancta quælibet in ministerio Ecclesiæ contingere pertimescant, quæ etiam laici viri pertimescere debent, ne Ozæ pœnam subeant, qui, dum arcam Domini extraordinariè contingere voluit, Domino percutiente periit.* LXXII.

Capitulo septimo Theodulfus prohibet, ne Presbyter Missam solus celebret. *Sacerdos Missam solus nequaquam celebret, quia, sicut illa celebrari non potest sine salutatione Sacerdotis, responsione nihilominùs plebis, ita nimirum nequaquam ab uno debet celebrari. Esse enim debent, qui ei circumstent, quos ille salutet, à quibus ei respondeatur, & ad memoriam illi reducendum est illud Dominicum. [Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, & ego in medio eorum.]* LXXIII.

Capitulo octavo Theodulfus in Ecclesiis præter res sacras nihil patitur recondi. *Videmus crebrò in Ecclesiis messes & fœnum congeri. Unde volumus & hoc penitus observetur, ut nihil in Ecclesia, præter vestimenta Ecclesiarum, & vasa sancta, & libros, recondatur, ne fortè, si alia ibi, quàm oportet, negotia exerceantur, à Domino audiamus. [Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum.]* LXXIV.

Capitulo nono Theodulfus statuit, ut nemo præter paucos, qui talem locum defunctis suis corporibus per vitæ meritum acquisierint, in Ecclesia sepeliatur. *Antiquus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorum usus fuit, & plerumque loca divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hostias præparata, cœmeteria sive polyandria facta sunt. Unde volumus, ut ab hac re deinceps abstineatur, & nemo in Ecclesia sepeliatur. Nisi fortè talis sit persona Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, quæ per vita meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit. Corpora verò, quæ antiquitus in Ecclesiis sepulta sunt, nequaquam projiciantur, sed tumuli, qui apparent, profundiùs in terram mittantur, & pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, Ecclesiæ reverentia conservetur. Ubi verò tanta est multitudo cadaverum, ut hoc facere difficile sit, locus ille pro cœmeterio habeatur, ablato inde altari, & in eo loco constructo, ubi religiosè & purè Deo sacrificium offerri valeat.* LXXV.

Capitulo decimo Theodulfus vaniloquia & prophanas omnes actiones ab Ecclesia prohibet. *Non debetis ad Ecclesiam ob aliam causam convenire, nisi ad laudem Domini, & ejus servitium faciendum. Disceptationes verò, & tumultus, & vaniloquia, & cetera actiones, ab eodem sancto loco penitus prohibendæ sunt. Ubi enim Dei nomen invocatur, Deo sacrificium offertur, Angelorum frequentia inesse non dubitatur, periculosum est tale aliquid dicere, vel agere, quod loco non convenit. Si enim Dominus illos de Templo ejecit, qui victimas, quæ sibi offerrentur, emebant vel vendebant, quantò magis illos iratus inde abjiciet, qui mendaciis, vaniloquiis, risibus, & hujusmodi nugis, locum divino cultui mancipatum fœdant?* LXXVI.

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

Capitulo undecimo Theodulfus Missas alibi quàm in Ecclesia celebrari vetat. *Missarum solemnia nequaquam alibi nisi in Ecclesia celebranda sunt, non in quibuslibet domibus, & in vilibus locis, sed in loco, quem elegerit Dominus, juxta illud quod scriptum est. [Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus, ut ponat nomen suum ibi.]*

LXXVII. LXXVIII. Capitulo duodecimo Theodulfus nulli omnino fœminæ permittit, ut habitet in una domo cum Presbytero. *Nulla fæmina cum Presbytero in una domo habitet. Quamvis enim Canones matrem & sororem, & hujusmodi personas, in quibus nulla sit suspicio, cum illo habitare concedant; hoc nos modis omnibus idcircò amputamus, quia in obsequio, sive occasione illarum, veniunt aliæ fæminæ, quæ non sunt ei affinitate conjunctæ, & eum ad peccandum illiciunt.*

LXXIX. Capitulo decimo-tertio Theodulfus præcipit Presbyteris, ut ab ebrietate & tabernis abstineant, nec temerè cum quibuslibet conveniant. *Observandum vobis est, ut & vos ab ebrietate abstineatis, &, ut plebes subdita abstineant, prædicetis: & neque per tabernas eatis bibendo aut comedendo, neque domos aut vicos curiositate qualibet peragretis, neque cum fæminis, aut cum quibuslibet impuris personis convivia exerceatis. Nisi fortè paterfamilias quilibet vos ad domum suam invitaverit, & cum sua conjuge & prole velit vobiscum spiritali gaudio lætari, & verborum vestrorum refectionem accipere, & vobis refectionem carnalem caritatis officio exhibere. Oportet enim, ut si quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, à vobis reficiatur epulis spiritalibus.*

LXXX. Capitulo decimo-quarto Theodulfus pœnas decernit adversùs Presbyterum, qui fideles aliarum Ecclesiarum ad suam pertrahere nitatur. *Nullus Presbyter fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ de alterius Presbyteri Parrochia persuadeat, ut ad suam Ecclesiam concurrant relictâ propriâ Ecclesiâ, & suas decimas sibi dent. Sed unusquisque suâ Ecclesiâ & populo contentus, quod sibi non vult fieri, alteri nequaquam faciat, juxta illud Evangelicum. [Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, hæc eadem facite illis.] Quisquis autem contra hæc constituta venerit, aut his monitis nostris reniti tentaverit, aut gradum se sciat amissurum, aut in carcere longo tempore retinendum.*

LXXXI. Capitulo decimo-quinto Theodulfus vetat, ne Presbyter Clericum alterius sollicitet aut recipiat. *Hoc quoque modis omnibus prohibemus, ut nullus vestrum alterius Clericum sollicitet aut recipiat, quia gravis de hac re in sacris Canonibus sententia est.*

LXXXII. Capitulo decimo-sexto Theodulfus pœnam statuit adversùs Presbyterum, qui muneribus Ecclesiam alterius ambiat. *Si quis Presbyter inventus fuerit alicui Clerico aut laico munera dare, aut dedisse, ut Ecclesiam alterius Presbyteri subripiat, sciat se, pro hac rapina & sæva cupiditate, aut gradum amissurum, aut in carceris ærumna longo tempore pænitentiam agendo detinendum.*

LXXXIII. Capitulo decimo-septimo Theodulfus Presbytero præcipit, ut ægrotantem parvulum, è qualibet allatum Parrochia, sine mora baptizet. *Si parvulus ægrotans ad quemlibet Presbyterum baptismi gratiâ, de cujuslibet Parrochia allatus fuerit, ei Baptismi sacramentum nullomodo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectaverit, & ille parvulus absque Baptismatis gratia mortuus fuerit, noverit se ille, qui eum non baptizavit, pro ejus anima rationem redditurum.*

LXXXIV. Capitulo duodevicesimo Theodulfus vasa sacra vetat in alios usus detorqueri. *Nullus Presbyter, seu laicus, præsumat calicem, aut patenam, aut qualibet vasa sacra, & divino cultui mancipata, ad alios usus retorquere. Nam quicumque de calice sacrato aliud petit præter Christi Sanguinem qui in Sacramento accipitur, & patenam ad aliud officium habet quàm ad altaris ministerium, deterrendus est exemplo Balthasar, qui, dum vasa Domini in usus communes assumpsit, vitam pariter cum Regno amisit.*

LXXXV. Capitulo undevicesimo Theodulfus Scholas præscribit, ad quas Presbyteri suos nepotes aut consanguineos possint mittere, si velint. *Si quis ex Presbyteris*

byteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum, ad Scholam mittere, in Ecclesia Sanctæ Crucis, aut in Monasterio Sancti Aniani, aut Sancti Benedicti, aut Sancti Lifardi, aut in ceteris de his Cœnobiis, quæ nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi concedimus.* Anno sequenti fusiùs de Scholis Episcopalibus & Cœnobialibus agemus. Interim hîc observa, Scholas Episcopales in Ecclesia Cathedrali Sanctæ Crucis, Cœnobiales in Monasteriis Sancti Aniani, Sancti Benedicti, Sancti Lifardi, & aliis Episcopatûs Aurelianensis, institutas esse, sic tamen ut privatæ essent utræque, nec publicè cuilibet paterent, quandoquidem Presbyteri nepotibus ac consanguineis, ut eas adire possent, loco Privilegii concessum est ab Episcopo Diœcesano. Celeberrima tunc erant in Aurelianensi Diœcesi Monasteria, Aurelianense Sancti Aniani, Floriacense * Sancti Benedicti, & Magdunense Sancti Lifardi. Monachis in Cœnobio Sancti Aniani jam subrogati fuerant Canonici. Sub Caroli Magni Principatu duo floruerunt Abbates, Fulco, & ipsemet Theodulfus Episcopus Aurelianensis, cujus Capitulare nunc exponimus. Uterque Canonicis præfuit. De Fulcone testis est Charta Caroli, quam inter probationes ad Historicas Antiquitates [a] illius loci sic ab erudito viro Huberto ejusdem Ecclesiæ Cantore ac Canonico publicatam reperies. *Karolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum. Comperiat omnium fidelium solertia, quia Fulco Abbas Monasterii Sancti Aniani postulabat, ut stipendia & res præfati Monasterii Canonicis attributas, auctoritatis Præcepto ipsis Canonicis perpetuo possidendas & ordinandas confirmaremus. Cujus petitionibus assensum præbuimus, unde hoc Altitudinis nostræ Præceptum fieri jussimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut sicut institutum est circa Canonicos inibi Deo famulantes, ita nostris futurísque temporibus à Rectoribus præfati Monasterii observetur, & Canonicus ordo teneatur. Res quoque, quæ sunt in pago Aurelianensi in villa Apponiaco & Herbiliaco cum villulis & appendiciis suis, & in Bercillis mansi tres, & in villis Sucarana mansus unus, & in pago Blesensi in Turmo cum appendiciis suis, area etiam intra citráque civitatem ad luminaria in dormitorio eorumdem fratrum concinnanda, & ad ligna, unde panis eorum coquatur, emenda. Si aliquis futurorum Abbatum, pro amore Dei & reverentia ipsius Sancti, ipsis Canonicis quippiam addere voluerit, id cum gratia Dei peragat, & nihil auferre præsumat, numerus Canonicorum ejusdem Monasterii ultra citráque sexagenarium numerum non progrediatur aut minuatur.* Sequitur apud eumdem Auctorem *Charta Ludovici Pii*, in qua Ludovicus de Theodulfo Abbate Monasterii Sancti Aniani déque Canonicis ibi degentibus ita loquitur. *Notum sit omnibus fratribus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, tam & præsentibus quàm & futuris, quia detulit nobis venerabilis vir Theodulphus Aurelianensis Ecclesiæ Archiepiscopus & Abbas Monasterii Sancti Aniani Confessoris, ubi ipse Sanctus requiescit, quod est constructum in suburbio ipsius civitatis, auctoritates Immunitatis avi videlicet nostri Pippini quondam Regis seu Domini & genitoris nostri bonæ memoriæ Karoli Piissimi Augusti, in quibus erat insertum, quòd,* &c. *Quapropter præcipimus atque jubemus, ut . . . . liceat memorato Abbati suisque successoribus . . . . . . unà cum congregatione Canonicorum in eodem Monasterio Deo famulantium, jugiter Dei misericordiam exorare*, &c. Hoc Diploma cum altero, in quo mentio quoque fit Canonicorum sub eodem Abbate Theodulfo, describemus integrum, cùm ad tempora Ludovici Pii Augusti pervenerimus, nec omittemus rationem, propter quam idem Theodulfus *Aurelianensis Ecclesiæ Archiepiscopus* nuncupatur. At Ludovici Pii Diplomatibus haud opus est, ut regnante Carolo Canonicos in Monasterio Sancti Aniani sub Abbate Theodulfo fuisse comprobemus. Nam Fulconi, qui Canonicorum Abbas fuit, successit Theodulfus, antequàm suum promulgaret Capitulare, nec vocari potest in dubium, quin illud evulgarit Rege tum Carolo sub initium sui videlicet Episcopatûs, ut observat Petrus *Delalande* in Supplementis antiquorum Conciliorum Gal-

AN. CH. 786.
CAROLI R. 18.
PIPPINI LUDOV. RR. 6.

* *de Fleury.*

[a] Lib. 3. c. 3.

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

liæ, persuasus exemplo Walterii Aurelianensis etiam Episcopi, cujus extat quoque Capitulare editum anno suscepti Episcopatûs secundo. Chronologici Characteres, quibus præcitata Caroli Charta muniebatur, in autographo legi non potuerunt, & ex Caroli titulis, qui Regem se Francorum ac Longobardorum Patriciúmque Romanorum dicit, id duntaxat colligimus, quòd Fulco pervenit ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum, quo Carolus Longobardiam subegit. Theodulfus, cùm suum Capitulare condidit, Episcopus erat Aurelianensis, necnon Abbas Sancti Aniani, Sancti Benedicti, Sancti Lifardi, aliorúmque nonnullorum in Aurelianensi Diœcesi Monasteriorum, seu Monasticus ibi vigeret Ordo, seu Canonicorum haberetur Congregatio, nec ipse in Capitulo, quod explicamus, administrationi tot Cœnobiorum se præpositum dissimulat his verbis, *in Ecclesia Sanctæ Crucis, aut in Monasterio Sancti Aniani, Sancti Benedicti, Sancti Lifardi, aut in cæteris de his Cœnobiis, quæ nobis ad regendum concessa sunt.* Apud Floriacum in Monasterio Sancti * Benedicti florebat florétque etiamnum Ordo Monasticus sub Regula Benedictina. Tomo primo locuti sumus de Cœnobio Magdunensi *, vetustissimos Abbates illius loci, Sanctos Lifardum & Urbitium laudavimus [a], successorum interierunt nomina, nec adhuc tempus certò deprehendimus, quo Canonici Monachis subrogati sunt. Admodùm probabile videtur hujuscemodi mutationes Aureliæ in Monasterio Sancti Aniani & Magduni in Cœnobio Sancti Lifardi factas esse, brevissimo inter utramque interstitio.

* *S. Benoist sur Loyre.*

* *de Meun.*

[a] Ad an. 549. num. 18.

LXXXVI. Capitulo vicesimo Theodulfus præcipit, ut per villas & vicos habeant Presbyteri Scholas, in quibus fidelium parvulos gratis erudiant. *Presbyteri per villas & vicos Scholas habeant, &, si quilibet fidelium suos parvulos ad discendas literas eis commendare vult, eos suscipere & docere non renuant, sed cum summa caritate eos doceant, attendentes illud quod scriptum est. [Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stella in perpetuas æternitates.] Cùm ergo eos docent, nihil ab eis pretii loco pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes caritatis studio suâ voluntate obtulerint.*

LXXXVII. Capitulo vicesimo-primo Theodulfus compendiosam Christianæ vitæ institutionem complectitur. *Cùm ergo omnium Sanctarum Scripturarum paginæ instrumentis bonorum operum referta sint, & per Sanctarum Scripturarum campos possint inveniri arma, quibus vitia comprimantur, & virtutes nutriantur, libuit nobis huic nostro Capitulari inserere sententiam cujusdam Patris de instrumentis bonorum operum, in qua, magnâ brevitate, quid agi quidve vitari debeat, continetur.* Per *sententiam cujusdam Patris* intelligit caput quartum Regulæ Benedictinæ, in quo Sanctus Benedictus recenset bonorum operum instrumenta septuaginta-duo ex utroque Testamento collecta. Textus Benedictinus à Theodulfi Capitulo in hoc tantùm differt, quòd ad instrumentum sexagesimum ubi Sanctus Benedictus jubet *præceptis Abbatis in omnibus obedire*, Theodulfus Abbatis loco Sacerdotem & Præceptorem reponit jubendo *præceptis Sacerdotis & Præceptoris in omnibus obedire*, reticetque in fine Capituli hanc clausulam, quâ Sanctus Benedictus caput quartum suæ Regulæ sic claudit. *Officina verò, ubi hæc omnia diligenter operemur, claustra sunt Monasterii, & stabilitas in Congregatione.* Instrumenta illa bonorum operum ex Regula Benedictina Tomo primo ad annum Christi quingentesimum quadragesimum-quartum [b] descripsimus, nec hîc ducimus repetenda.

[b] Num. 7.

LXXXVIII. Capitulo vicesimo-secundo Theodulfus præcipit, ut omnes fideles Orationem Dominicam & Symbolum discant. *Commonendi sunt fideles, ut generaliter omnes à minimo usque ad maximum Orationem Dominicam & Symbolum discant; & dicendum eis, quòd in his duabus sententiis omne fidei Christianæ fundamentum incumbit; & nisi quis has duas sententias & memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione sæpissimè frequentaverit, Catholi-*

AN.CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

que esse non poterit. Constitutum namque est, ut nullus chrismetur, neque baptizetur, neque à lavacro fontis illius suscipiatur, neque coram Episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi Symbolum & Orationem Dominicam memòriter tenuerit; exceptis his, quos ad loquendum ætas minimè perduxit.

Capitulo vicesimo-tertio Theodulfus omnibus fidelibus præscribit, ut bis saltem quotidie, mane videlicet & vespere, Deum orent, ubicumque sint. *Dicendum illis, ut singulis diebus, qui ampliùs non potest, saltem duabus vicibus oret, mane scilicet & vespere, dicens Symbolum vel Orationem Dominicam; vel, qui plasmasti me, miserere mei; vel etiam, Deus propitius esto mihi peccatori, & Deo gratias pro quotidiana vitæ commeatibus, & quia se ad imaginem suam creare dignatus sit, & à pecudibus segregare. His actis, & solo Deo creatore suo adorato, Sanctos invocet, ut pro se intercedere ad Majestatem divinam dignentur. Hæc faciant, quibus Basilica locus prope est, in Basilica; qui verò in itinere, aut pro qualibet occasione in sylvis aut in agris est, ubicumque eum ipsa hora matutina vel vespertina invenerit, sic faciat, sciens Deum ubique præsentem esse, dicente Psalmistâ, [in omni loco dominationis ejus,] &, [si ascendero in cælum, tu illic es, &c.]* LXXXIX.

Capitulo vicesimo-quarto Theodulfus de observantia diei Dominici hæc statuit. *Diei verò Dominici, quia in eo Deus lucem condidit, in eo manna in eremo pluit, in eo Redemptor humani generis sponte pro salute nostra mortuus resurrexit, in eo Spiritum Sanctum super discipulos infudit, tanta esse debet observantia, ut præter orationes & Missarum solemnia, & ea quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat. Nam & si necessitas fuerit navigandi, sive itinerandi *, licentia datur, ita duntaxat, ut hac occasione Missa & orationes non prætermittantur. Conveniendum est Sabbato die cum luminaribus cuilibet Christiano ad Ecclesiam, conveniendum est ad Vigilias, sive ad matutinum officium, concurrendum est etiam cum oblationibus ad Missarum solemnia. Et, dum ad Ecclesiam convenitur, nulla causa dici debet vel audiri, nulla jurgia sunt habenda, sed tantummodo Deo vacandum est, in celebratione videlicet sacrorum officiorum, & exhibitione eleemosynarum, & in Dei laudibus, cum amicis, proximis, & peregrinis spiritaliter epulandum.* XC.

* iterandi.

Capitulo vicesimo-quinto Theodulfus fideles omnes à Presbyteris admonendos ait, ut hospitalitatem & diligant & gratis exhibeant. *Admonendi sunt, ut hospitalitatem diligant, & nulli hospitium præbere detrectent; &, si cui fortè hospitium præstiterint, nullam ab eo mercedem accipiant, nisi fortè ille, qui à te recipitur, sponte suâ aliquid det. Dicendúmque illis, qualiter multi per hospitalitatis officium Deo placuerunt, dicente Apostolo, [per hanc enim placuerunt quidam Deo, Angelis hospitio susceptis;] & iterum [hospitales sine murmuratione;] & ipse Dominus ad judicium dicturus est, [hospes eram, & collegistis me.] Sciant sanè quicumque hospitalitatem amant, Christum se in hospitibus recipere. Nam ille modus hospitalitatis non solùm inhumanus, sed etiam crudelis est, quo numquam hospes in domum antè recipitur, nisi priùs dandi hospitii merces compensetur, & quod Dominus agere jussit pro perceptione Regni cælestis, pro adquisitione terrenarum rerum agatur.* XCI.

Capitulo vicesimo-sexto Theodulfus docet, quomodo puniendus sit is, qui reus est perjurii. *Prædicandum est etiam, ut perjurium fideles caveant, & ab hoc summoperè abstineant, scientes hoc grande scelus esse, & in lege, & Prophetis, sive Evangelio prohibitum. Audivimus enim quosdam parvipendere hoc scelus, & levem quodammodo perjuris pœnitentiam imponere. Qui nosse debent talem de perjurio, qualem & de adulterio, de fornicatione, de homicidio, & de ceteris criminalibus vitiis, pœnitentiam imponendam. Si quis verò perpetrato perjurio, aut quolibet criminali peccato, timens pœnitentiæ longam ærumnam, ad confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus est, sive à communione & consortio fidelium, ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque oret, neque in suam eum domum recipiat.* Qua de re fusiùs Joannes Morinus nostræ Con- XCII.

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

gregationis Presbyter in Commentario Histotico [a] de disciplina in administratione Sacramenti Pœnitentiæ.

XCIII. Capitulo[b] vicesimo-septimo Theodulfus docet, quomodo corripiendus sit is, qui reus est falsi testimonii. *Dicendum est eis*, nempe fidelibus, *ut à falsô etiam testimonio abstineant, scientes hoc grovissimum scelus esse, & ab ipso Domino in monte Sinaï prohibitum, dicente eodem Domino, [non falsum testimonium dixeris ;] sive [testis falsus non erit impunitus.] Sciat se etiam, quisquis hoc perpetraverit, aut tali pœnitentiâ purgandum, ut superiùs dictum est de perjurio, aut tali damnatione & excommunicatione damnandum, sicut superiùs insertum est. Dicendúmque illis est, quòd summa non dicam stultitia sed nequitia est, pro cupiditate argenti & auri, aut vestimentorum, aut cujuslibet rei, aut, quod creberrimè contingere solet, propter ebrietatem in tam grande scelus corruere, ut aut septem annis in arcta ærumna sit, aut ab Ecclesia sit repulsus, dicente Domino, [quid prodest homini, si lucretur totum mundum, & animæ suæ detrimentum faciat ?] quippe cùm aliis videatur pius existere, sibimet crudelis existat.*

a Lib. 7. c. 4.

XCIV. Capitulo duodetricesimo Theodulfus horratur Presbyteros, ut ad docendas plebes sint parati. *Hortamur vos paratos esse ad docendas plebes. Qui Scripturas scit, prædicet Scripturas ; qui verò nescit, saltem hoc, quod notissimum est, plebibus dicat, ut declinent à malo & faciant bonum, inquirant pacem & sequantur eam, quia oculi Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum, &c. Nullus ergo se excusare poterit, quòd non habeat linguam, unde possit aliquem ædificare. Mox enim ut quemlibet errantem viderit, prout potest & valet, aut arguendo, aut observando, aut increpando, ab errore retrahat, & ad peragendum bonum opus hortetur. Cùm verò, Domino opitulante, ad Synodum in unum convenerimus, sciat nobis unusquisque dicere, quantùm Domino adjuvante laboraverit, aut quem fructum adquisierit ; &, si quis fortè nostro indiget adjutorio, nos cum caritate admoneat, & nos cum caritate nihilominùs ei pro viribus adjutorium ferre non differemus.*

XCV. Capitulo undetricesimo Theodulfus modum orandi, quo fideles uti debent, sic exponit. *Admonere debetis fideles, ut assiduitatem & studium habeant orandi. Ipse autem orandi modus talis esse debet, ut primùm dicto Symbolo, quasi fidei suæ recensito fundamento, dicat, quisquis est, tribus vicibus, qui plasmasti me, miserere mei, & tribus vicibus, Deus propitius esto mihi peccatori, & compleat Orationem Dominicam. Si ergo locus aut tempus exegerit, deprecetur Sanctos Apostolos & Martyres, ut pro eo intercedant. Et armatâ fronte signo Crucis, elevatis cum corde & manibus & oculis Deo gratias agat. Si verò tempus ad hæc omnia peragenda minùs sufficiens fuerit, sufficiat tantùm, qui plasmasti me, miserere mei ; &, Deus propitius esto mihi peccatori ; & Oratio Dominica tantùm cum gemitu & contritione cordis.*

XCVI. Capitulo tricesimo Theodulfus agit de peccatorum confessione Deo quotidie facienda in oratione. *Omni etenim die Deo in oratione nostra, aut semel, aut bis, aut quantò ampliùs possumus, confiteri debemus peccata nostra, dicente Prophetâ. [Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitias meas non abscondi : dixi, confitebor adversùm me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.] Factâ etenim confessione cum gemitu & lacrymis Domino in oratione, recitandus est Psalmus quinquagesimus, sive XXIV, sive XXXI, atque alii ad rem pertinentes, & sic complenda est oratio. Quia confessio, quam Sacerdotibus facimus, hoc nobis adminiculum affert, quia, accepto ab eis salutari consilio, saluberrimis pœnitentiæ observationibus, sive mutuis orationibus, peccatorum maculas diluimus. Confessio verò, quam soli Deo facimus, in hoc juvat, quia, quantò nos memores sumus peccatorum nostrorum, tantò horum Dominus obliviscitur : & è contrario, quantò nos horum obliviscimur, tantò Dominus reminiscitur, dicente Prophetâ. [Et peccatorum tuorum non memorabor.] Tu autem memor esto, quòd David Propheta se fecisse testatur, cùm dicit. [Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.]*

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

XCVII. Capitulo tricesimo-primo Theodulfus agit de pœnitentibus, qui & omnia confiteri peccata & de omnibus examinari debent. *Confessiones danda sunt de omnibus peccatis, qua sive in opere, sive in cogitatione perpetrantur. Octo sunt principalia vitia, sine quibus vix ullus inveniri potest. Est enim gastrimargia, hoc est, ventris ingluvies; secundò fornicatio; tertiò accidia, sive tristitia; quartò avaritia; quintò vana gloria; sextò invidia; septimò ira; octavò superbia. Quando ergo quis ad confessionem venit, diligenter debet inquiri, quomodo aut quâ occasione peccatum perpetraverit, quod peregisse se confitetur, & juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei persuaderi, ut & de perversis cogitationibus faciat confessionem. Debet ei etiam injungi, ut de octo principalibus vitiis faciat suam confessionem, & nominatim ei debet Sacerdos unumquodque vitium dicere, & suam de eo confessionem accipere.*

XCVIII. Capitulo tricesimo-secundo Theodulfus unumquemque monet, ut opera misericordiæ, quæ in alios corporaliter exercet, in seipso spiritaliter agat. *Esurientes satiandi sunt, sitientes potandi, nudi operiendi, infirmi & qui in carcere sunt visitandi, & hospites colligendi, dicente Domino. [Esurivi enim, & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere; &c.] Nam hac omnia & in se quisque debet spiritaliter agere, & in aliis corporaliter adimplere, quia penè nihil prosunt hac omnia ad vitam aternam compensandam, si luxuriosè, superbè, invidè, &, ne singula replicem, si vitiosè & inordinatè quis vivat, & à ceteris bonis operibus vacet. Qui ergo videt se Christum non habere, qui dixit, [ego sum panis vivus, qui de calo descendi,] & caritatem, qua est pastus anima, non habet, esurit quidem, sed, si per bona opera Christo adjungit se, & caritatis dulcedine replet, esurientem omnino se pavit. Qui doctrinâ Spiritûs Sancti & Scripturarum Sanctarum fluentis caret, sitiens est, sed, si se fluentis verbi Dei irrigat, & mentem suam spiritalis poculi dulcedine ebriet, iste se sitientem potat. Qui videt se justitiâ sive ceteris bonorum operum exhibitionibus nudatum, & induit se justitiâ sive ceteris virtutibus, nudum se procul dubio vestit. Si in lecto vitiorum suorum jacet, & morbo iniquitatis sua laborat, & funibus peccatorum suorum constrictus est, & vitiorum suorum obsitus pariete in tenebris iniquitatis sua, est infirmus quidem, sed, si de lecto vitiorum per confessionem egreditur, & per pœnitentia lamenta vinculis peccatorum absolvitur, & ad lucem bonorum operum egreditur, infirmum & in carcere positum se procul dubio visitat. Si in hujus vita via videt se laborare, & vitiorum procellâ quasi quadam aëris intemperie inquietari, & receptaculum bonorum operum non habere, sciat se in itinere positum hospitio egere; at, si se ad virtutum domum deducat, & sese in earum tutamine recipiat, hospitem quidem suscipit. Qua omnia cùm sibi spiritaliter exhibet, Christum in se, cujus ipse membrum est, pascit, potat, vestit, visitat, ac suscipit.*

XCIX. Capitulo tricesimo-tertio Theodulfus agit de officio filiorum erga parentes, & parentum erga filios. *Admonendi sunt fideles Sancta Dei Ecclesia, ut filios suos & filias suas doceant parentibus obedientiam exhibere, dicente Domino. [Fili, honorifica patrem tuum.] Nam & ipsi parentes erga filios suos ac filias suas modestè debent agere, dicente Apostolo. [Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.] Nam & hoc dicendum est eis, ut si illi genitali affectu parcere velint injuriis filiorum, non has impunè Dominus sinit, nisi fortè digna pœnitentia exhibeatur, & quia levius est filiis parentum qualibet flagella suscipere, quàm Dei iram incurrere.*

C. Capitulo tricesimo-quarto Theodulfus docet, quænam sit vera caritas. *Admonendus est populus, quòd hac sit vera caritas, qua Deum diligit plusquàm se, & proximum tanquam se, & qua nihil vult alii facere, nisi quod sibi vult fieri. Et plura, qua recensere longum est. Nam & quicumque in potu & cibo, & dandis atque accipiendis rebus, caritatem tantùm putant, non mediocriter errant dicente Apostolo. [Regnum Dei non est cibus & potus.] Nam & ipsa, quando cum caritate fiunt, bona sunt, & inter virtutes computanda.*

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

CI. Capitulo tricesimo-quinto Theodulfus admonet eos, *qui negotiis ac mercatianibus rerum invigilant, ut non plùs terrena lucra quàm vitam cupiant sempiternam. Nam qui plùs de rebus terrenis quàm de anima sua salute cogitat, valdè à via veritatis aberrat, &, juxta quendam sapientem, in vita sua perdidie intima sua. Sequendus est enim in hac parte, sicut & in ceteris, Apostolicus sermo, qui ait.* [*Et ne quis supergrediatur, neque circumvenias in negotia proximum suum: vindex est enim Deus de his omnibus*] *Sicut enim ab his, qui labori agrorum, & ceteris laboribus, victum atque vestitum, & necessaria usibus humanis, acquirere hiantes stant, decimæ & eleemosynæ danda sunt: ita his quaque, qui, pro necessitatibus suis, negotiis insistunt, faciendum est. Unicuique enim homini Deus dedit artem, quâ pascatur, & unusquisque de arte sua, de qua corporis necessaria subsidia habet, animæ quoque, quod magis necessarium est, subsidium administrare debet.*

CII. Capitulo tricesimo-sexto Theodulfus, quæ curanda sint ante Quadragesimam, & quibus modis peccata dimittantur, sic docet. *Hebdomadâ unâ ante initium Quadragesimæ confessiones Sacerdotibus danda sunt, pœnitentia accipienda, discordantes reconciliandi, & omnia jurgia sedanda: & dimittere debent debita invicem de cordibus suis, ut liberiùs dicant,* [*dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,*] *& sic ingredientes in beatæ Quadragesimæ tempus, mundis & purificatis mentibus ad Sanctum Pascha accedant, & per pœnitentiam se renovent, quæ est secundus Baptismus. Sicut enim Baptismus peccata, ita pœnitentia purgat. Et quia post Baptismum peccator denuò non potest baptizari, hoc medicamentum à Domino pœnitentiæ datum est, ut per eam vice Baptismi peccata post Baptismum diluantur. Septem enim modis peccata dimitti Scriptura Sacra demonstrant. Primò, in Baptismo* *, *qui propter remissionem peccatorum datus est. Secundò, per Martyrium, juxta illud quod ait Psalmista,* [*Beatus, cui non imputavit Dominus peccatum,*] *quia juxta ejusdem David sententiam,* [*beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.*] *Remitttuntur peccata per Baptismum, teguntur per pœnitentiam, non imputantur per Martyrium. Tertiò, per eleemosynam, juxta Danielem, qui profano Nabuchodonosor Regi ait,* [*peccata tua eleemosynis redime in misericordiis pauperum,*] *& illud,* [*ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccatum.*] *Et Dominus in Evangelia,* [*verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*] *Quartò, si remittat quis peccanti in se peccata sua, juxta illud,* [*dimittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis;*] *& illud,* [*sic & Pater vester dimittet peccata vestra, si remiseritis unicuique de cordibus vestris.*] *Quintò, si per prædicationem suam quis, & per bonorum exercitium, alios ab errore suo converrat, juxta illud, quod ait Apostolus.* [*Quaniam si converti fecerit quis peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & cooperit multitudinem peccatorum.*] *Sextò, per caritatem, juxta illud.* [*Caritas Dei cooperit multitudinem peccatorum per Jesum Christum Dominum nostrum.*] *Septimò, per pœnitentiam, juxta illud quod ait David.* [*Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*]

* Baptismate.

CIII. Capitulo tricesimo-septimo Theodulfus Quadragesimæ jejunium summâ curâ docet observandum. *Ipsa autem Quadragesima cum summa observatione custodiri debet, ut jejunium in ea, præter dies Dominicos, qui abstinentiæ subtracti sunt, nullatenus resolvatur, quia ipsi dies decimæ sunt annò nostri, quos cum omni religione & sanctitate transigere debemus. Nulla in his occasio sit resolvendi jejunii: quia alio tempore solet jejunium caritatis causâ dissolvi, isto verò nullatenus debet: quia in alio jejunare in voluntate & arbitria cujuslibet positum est, in hoc verò non jejunare, præceptum Dei transcendore est: & in alio tempore jejunare præmium abstinenti acquirere est, in hoc verò, præter infirmos ac parvulos, quisquis non jejunaverit, pœnam sibi acquirit, quia eosdem dies Dominus, & per Mosem, & per Eliam, & per semetipsum, sacro jejunio consecravit.*

Capitulo duodequadragesimo Theodulfus eleemosynam cum jejunio jungendam sic monet. *Diebus verò jejunii eleemosyna facienda est, & cibum vel potum, quo quisque uti debuit, si non jejunaret, pauperibus eroget; quia jejunare, & cibos prandii ad cœnam reservare, non mercedis, sed ciborum est incrementum.*

Capitulo undequadragesimo Theodulfus docet jejunium ante vespertinum officium non esse solvendum. *Solent plures, qui se jejunare putant, mox ut signum audiunt ad Nonam, manducare: qui nullatenus jejunare credendi sunt, si antè manducaverint, quàm vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemnibus, sive vespertinis officiis, largitis eleemosynis ad cibum accedendum est. Si verò aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad Missam convenire non valeat, æstimatâ vespertinâ horâ, completâ oratione suâ, jejunium observare debet.* Lege quæ de jejunio, Missisque cùm matutinis tum vespertinis sive Quadragesimalibus ad annum Christi quingentesimum octogesimum-tertium [a] dicta sunt Tomo secundo. CIV. CV.

[a] N. 22.

Capitulo quadragesimo Theodulfus de abstinentia in diebus jejunii sic præscribit. *Abstinentia verò in his diebus omnium delitiarum esse debet, & sobriè & castè vivendum. Qui verò ovis, caseo, piscibus, & vino abstinere potest, magna virtutis est. Qui autem his, aut infirmitate interveniente, aut quolibet opere, abstinere non potest, utatur: tantùm ut jejunium usque ad vesperum solemniter celebret, & vinum non ad ebrietatem sed ad refectionem corporis sui sumat. A caseo verò, lacte, butyro, & ovis abstinere, & non jejunare, dementissimum est, & omni ratione semotum. Vini enim ebrietas & luxuria prohibita sunt, non lac & ova. Non enim ait Apostolus. Nolite comedere lac & ova: sed, [nolite inebriari vino, in quo est luxuria.]* CVI.

Capitulo quadragesimo-primo Theodulfus fideles docet, quibus diebus in Quadragesima communicare, & quomodo Paschalem hebdomadam celebrare debeant. *Singulis diebus Dominicis in Quadragesima, præter hos qui excommunicati sunt, Sacramenta Corporis & Sanguinis Christi sumenda sunt; & in Cœna Domini, & in Parasceve, in Vigilia Paschæ, & in die Resurrectionis Domini penitùs ab omnibus communicandum: & ipsi dies Paschalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi sunt.* CVII.

Capitulo quadragesimo-secundo Theodulfus per Quadragesimam litibus & contentionibus abstinendum sic docet. *In his jejuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus & in opere necessariò persistendum. Arguit enim eos, qui contentiones & lites Quadragesimæ tempore exercent, & qui debita à debitoribus exigunt, Dominus per Prophetam dicens. [Ecce in die jejunii vestri inveniuntur voluntates vestræ, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè.]* CVIII.

Capitulo quadragesimo-tertio Theodulfus abstinendum etiam à conjugibus Quadragesimali tempore sic addit. *Abstinendum est enim in his sacris diebus à conjugibus, & castè & piè vivendum, ut sanctificato corde & corpore isti sancti dies transigantur, & sic perveniatur ad diem sanctum Paschæ, quia penè nihil valet jejunium, quod conjugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, & eleemosyna non commendant.* In Codice San-Dionysiano, quem Joannes Morinus noster ad calcem Commentarii jam laudati de disciplina in administratione Sacramenti Pœnitentiæ ex Monasterio San-Dionysiano agri Parisiensis evulgavit, ordo in capite jejunii præscribitur, ut, *horâ nonâ pulsatâ & cantatâ, Episcopus indutus albâ & stolâ cum Sacerdotibus & Ministris, & processione, è sacrario procedat, pulpitùmque ascendens sermonem faciat ad populum, monendo eos ut à peccatis suis pœnitentiam agant; & à mulieribus, omnibus diebus Quadragesimæ, abstineant; & ante vespertinalem horam non comedant; insuper Ecclesiam frequentare, & eleemosynis insistere summopere studeant;* &c. CIX.

Capitulo quadragesimo-quarto Theodulfus docet quomodo & quàm frequenter usurpanda sit sacra communio. *Admonendus est populus, ut ad sacro-* CX.

AN.CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6. *sanctum Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc nimiùm abstineat, sed cum omni diligentia eligat tempus, quando aliquamdiu ab opere conjugali abstineat, & vitiis se purget, virtutibus exornet, eleemosynis & orationibus insistat, & sic ad tantum Sacramentum accedat. Quia, sicut periculosum est, impurum quemque ad tantum Sacramentum accedere, ita etiam periculosum est ab hoc, prolixo tempore, abstinere, salvâ ratione eorum, qui excommunicati, non quando eis libet, sed certis temporibus communicant, & religiosis quibuscumque sanctè viventibus, qui penè omni die id faciunt.*

CXI. Capitulo quadragesimo-quinto Theodulfus vetat, ne diebus Dominicis populus per Missas privatas à publicis abstrahatur; deinde Capitulo quadragesimo-sexto fideles admonet, ut iisdem diebus Dominicis ad matrem Ecclesiam solemnia Missarum & prædicationem audituri conveniant nec cibum ante peractum officium capiant. Ceterùm in Codice Suessionico apud Petrum *Delolande* duo hæc postrema Capitula in unum rediguntur, & vulgatis auctiora sunt. Utrumque exemplar accipe,

EX VULGATIS EDITIONIBUS.

Ut Missæ, quæ per dies Dominicos peculiares à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus à publicis Missarum solemnibus, quæ horâ tertiâ canonicè fiunt, abstrahatur, quia pessimus usus est apud quosdam, qui in diebus Dominicis, sive in quibuslibet festivitatibus, mox ubi Missam celebrari, etiamsi pro defunctis sit, audierint, abscedunt, ut per totum diem à primo mane ebrietati & comessationi potiùs quàm Deo deserviant.

CAPITUL. XLVI.

ADMONENDUS *est populus, ut ante publicum peractum officium ad cibum non accedat, & omnes ad sanctam matrem Ecclesiam Missarum solemnia & prædicationem audituri conveniant, & Sacerdotes per Oratoria nequaquam Missas, nisi tam cautè ante secundam horam celebrent, ut populus à publicis solemnitatibus non abstrahatur. Sed sive Sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt, sive populus, ut prædiximus, in unum ad publicam Missarum celebrationem conveniant, exceptis Deo sacratis fœminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris Monasterii contineri.*

EX CODICE SUESSIONICO.

SANCITUM, *ut Missæ, quæ per dies Dominicos peculiares à Sacerdotibus fiunt, ne ita in publico fiant, ut populus eas audire queat, & præterea à publicis Missarum solenniis, quæ horâ tertiâ canonicè fiunt, se abstrahat; nam pessimum usum quidam in hoc habent, quando in diebus Dominicis, sive in aliis solennibus diebus, Missas, licèt pro defunctis, sive alias quascumque, quæ familiariter à Sacerdotibus fiunt, audire respiciunt, & à primo mane per totum diem ebrietatibus, comessationibus, atque vaniloquiis potiùs quàm Deo deserviunt. Propterea providendum est, ut omnes ad publicam sanctam Matrem Ecclesiam, ad Missarum solennia, & prædicationem audituri conveniant. Simul & hoc statutum est, ut in civitate, in qua Episcopus constitutus est, omnes Presbyteri, & populi tam civitatis, quàm & suburbani, revestiti in ipsa Missa usque ad benedictionem Episcopi, & communionem devotâ mente stare debent, & postea, si voluerint, cum licentia ad suos titulos benedictione & communione perceptâ revertantur. Et hoc summoperè cavendum est Sacerdotibus, ut per Oratoria, neque per suburbana Monasteria, vel Ecclesias suburbanas, Missas nequaquam, nisi tam cautè ante secundam horam, seribúsque reseratis celebrare præsumant, ut populus à publicis solennitatibus tali occasione acceptâ, à Missa sive à prædicatione Episcopi se minimè subtrahere possit, sed omnes*

tam

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

tam Sacerdotes suburbani quàm & in urbe constituti, & populus cunctus, ut prædiximus, unà cum illis ad publicam Missarum celebrationem conveniant, & nulli extra parvulos & infirmos, licèt Missam anditem habeant, tam in civitatibus, quàm & in parochiis edere & bibere præsumant ante publicum peractum officium. Si quis hæc statuta transgredi tentaverit, canonico judicio usque ad satisfactionem subdatur.

CXII.

Extat apud eundem Auctorem ad Theodulfi Capitulare additio altera, sive oratio à Theodulfo in Synodali conventu, priusquàm suum Capitulare promulgaret, habita. *Dilectissimi fratres, sanctissimi consacerdotes, & nostri ministerii adjutores, obsecro vos supplici animo, in præsentia Domini nostri Jesu Christi & Sanctorum ejus, ut digni Deo in omni religione charitatis & castitatis deserviatis, & sitis populo Dei doctores & ductores in omni exemplo bono, ut populus Dei utrumque & per vestram sanctam conversationem & devotam prædicationem erudiatur in laudem & in gloriam sancti Nominis Domini nostri Jesu Christi, & in salutem sempiternam animarum vestrarum. Conversamini coram Deo & omni populo in castitate corporis vestri & humilitate animæ vestræ, & sancta * caritate ad omnes, nihil facientes unde Sacerdotium Sanctitatis vestræ reprehensibile fiat, nec aliquid in vestra reperiatur vita, quod justè à quolibet detrahi possit. Sint mores vestri sine cupiditate mala, sine avaritia, sine comessatione, & ebrietate, sicut decet Sanctos Dei Sacerdotes, qui populo Dei præesse debent & gubernare Ecclesias Christi. Discite fidem Catholicam prædicare diligentissimè, & eam populo prædicare, unusquisque in Ecclesia vestra, & facite officia vestra in Dei Omnipotentis honore statutis temporibus, ut Deus Omnipotens honorificetur, & Nomen ejus sanctum in omnibus laudetur, qui vos vident honorificè facere Sacerdotium vestrum & servitium Omnipotentis Dei. Dignè prædicate populo, ut confessionem faciant peccatorum suorum, & pœnitentiam accipiant, qualiter à Deo remissionem habere non possunt delictorum suorum, nisi puram faciant confessionem & pœnitentiam justam, & abstineant se à peccatis quæ antè fecerunt, quia hæc est vera pœnitentia & certissima indulgentia, ut iterum eadem non faciat homo delicta, pro quibus veniam poposcit. Abstineant se à fornicatione, & qui fœminas habent, legitimè temporibus statutis eis utantur, & honorificè habeant fœminas suas, & sic fidem castitatis conservent uxoribus, sicut velint quòd uxores suæ illis custodiant. Filios vel filias, quos habent, erudiant illos in timore Dei & in sanctitate sua, ut non sint fures, nec latrones, nec fornicatores, nec alias quaslibet immundicias faciant in corpore suo ad implendam libidinem, ut sint obedientes parentibus suis in omni bono, ut digni sint benedictionem accipere à Domino. Et prædicate omnibus veritatem amare, benignos esse ad pauperes peregrinósque & miseros de substantia quam illis dederit Deus; non solùm aliena non accipiant, sed etiam sua benignè tribuant. Si velint benedictionem Dei habere, non falsum testimonium dicant, nec perjuria faciant, quia falsos testes & perversos Deus damnat in æternum. Et ammonete eos, ut faciant fideliter quæcumque dominis suis debeant facere in omni labore, & opere, quod injunctum sit eis; ut sæpiùs ad Ecclesias veniant, maximè festivis diebus, ad orationem, ad audiendum verbum Dei, & non otiosis verbis ibi maneant; ut orationem puram & sanctam habeant, humilitatem inter se, & patientiam, & caritatem, quæ est totius boni caput & firmamentum. Prædicate eis, quòd est unus Deus Omnipotens creator cœli & terræ, qui in filio suo Domino nostro Jesu Christo mundum redemit, Regnúmque cœlorum omnibus fidelibus aperuit, in quo judicaturus est mundum. Prædicate illis de futuro judicio, de pœnis impiorum perpetuis, confessionem & pœnitentiam facere de peccatis suis, vel eadem dimit-*

* Sanctam caritatem

AN. CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6. *tere peccata. Nominate illa peccata, quæ beatus Paulus Doctor gentium enumeravit. [An nescitis, quoniam iniqui Regnum Dei non possidebunt? Nolite errare, quoniam neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque ebriosi, neque maledici, neque perjuri, neque rapaces Regnum Dei possidebunt.] Qui verò hæc vel his similia agunt, si confiteri & pœnitentiam agere negligunt, æternis tormentis & flammis cum diabolo condemnabuntur. Qui verò Regnum Dei intrare cupiunt, faciant justitiam, misericordiam, veritatem, benignitatem, obedientiam, necnon & eleemosynam prout habent facultatem: jejunia quoque & orationes exerceant, habentes caritatem Dei Omnipotentis, & bonum facientes omni homini, prout possint. Vivant in castitate, & pietate, in humilitate, & obedientia, & fide bona, & confidant in Dei misericordia, ut indulgeat illis omnia delicta sua, & æterna gaudia illis perdonare cum sanctis suis dignetur. Hæc, Sanctissimi Sacerdotes Christi, ad æternam vitam cum Sanctis Episcopis & Apostolis convocati, prædicate populis, & vosmetipsos dignos facite in omni religione & castitate, in conspectu Omnipotentis Dei, quatenus concedat vobis cum multiplici laboris vestri fructu æternæ beatitudinis gloriam recipere. Omnipotens Deus vos proficere faciat in omni opere bono, dilectissimi fratres.*

CXIII. Symphorianus *Guyon* Aurelianensis Capitulare Theodulfi transtulit in vernaculam linguam, totúmque nono seculo Aurelianensis Historiæ cum idoneo inseruit elogio, nec omisit indicare plerosque ritus, qui magna cum pietate in Aurelianensi Diœcesi etiamnum observantur, aliis quibusdam lapsu temporis aut obsoletis aut mutatis, ut Lector rituum Ecclesiasticorum hodie petitus faciliè deprehendet. Quod ad Chronologiam attinet, idem Auctor Baronium & Sirmondum sugillat, quòd ille prædictum Capitulare anno Christi octingentesimo tricesimo-quinto, hic anno Christi septingentesimo nonagesimo-septimo consignarit; utrique errorem attribuit annorum circiter viginti, huic quòd citiùs, illi quòd seriùs hoc Capitulare retulerit, eóque calculo significat idem Capitulare sibi videri scriptum anno Christi circiter octingentesimo decimo-sexto. Sed initium Episcopatûs, quem Theodulfus gessit, longè altiùs repetendum est, etiam ante annum Christi septingentesimum nonagesimum-septimum, ut ex prædictis liquet, nec à vero multùm poteris aberrare, si Capitulare, de quo locuti sumus hactenus, editum censeas anno Christi circiter septingentesimo octogesimo-sexto, eùm Theodulfus Aurelianensem Episcopatum paulò antè suscepisset.

CXIV. CONCAMBIUM INTER EP. COLON. ET ABB. BLANDIN. Si Sandero fides est in Auctario ad primum Tomum Flandriæ Illustratæ, *Scoranus* Blandiniensis Abbas *ac Ricolfus Episcopus* Coloniensis *res quasdam commutaverunt anno 768, & eodem anno obiit Rex Pipinus*. Hujus permutationis mentionem ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-octavum consultò non fecimus, quia Ricolfus Episcopatum seriùs obtinere cœpit, anno videlicet Christi septingentesimo septuagesimo-primo. Mendosus est igitur Sanderi textus, & anni 768 loco non incommodè restituendus videtur annus 786, qui Caroli Regis à Pippini patris obitu duodevicesimus fuit.

CXV. EPISCOPI AUSCIENSES. Aster Ausciensis Episcopus, cui Chenutius & Robertus annos in Pontificatu quatuor tribuunt, è vivis hoc anno discessit, habuitque successorem Asuarium, qui sedit annis octo.

CXVI. PAULUS DIACONUS VARIOS EDIT LIBROS. Toto hoc anno, necnon sequenti, ad obitum usque Aragisi Ducis Beneventani, vixit in ejus comitatu Paulus Diaconus. Illo tempore varias edidit lucubrationes, quas in Chronico Casinensi Leo sic recenset. *Adelperga*, quæ nupserat Aragiso, *precibus in Historia Romana, quam breviter Entropius scripserat, plurima hinc inde ex Historiis Ecclesiasticis addidit. Duósque præterea libros à tempore Juliani apostatæ (in quem ipsam Historiam Entropius terminaverat) usque ad tempora primi Justiniani Imperatoris adjecit, sed & universas ferè annalis computi lectiunculas rithmo composuit.*

AN CH. 786. CAROLI R. 18. PIPPINI LUDOV. RR. 6.

CXVII.

Apud Miræum in Notitia [a] Ecclesiatum Belgii prostat Diploma, quo possessiones Ecclesiæ Nivigellensis ab Othone Primo Imperatore confirmantur, atque inter varias Donationes, quæ prolixâ narratione recensentur, hæc occurrit. *Anno centesimo vicesimo-septimo post transitum Sanctæ Gertrudis*, quæ migravit ad Deum decimo-sexto Kalendas Aprilis, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-nono, *tradidit quadam puella, nomine Richburgis, omnem hæreditatem suam in terra Ribuariensi in villa Buezefeld.* Cave ne Rieburgem hanc facias eandem cum puella contracta, quæ in Appendice ad vitam Sanctæ Gertrudis apud Dacherium & Mabillonum [b] *Richburga* nominatur, & anno Christi septingentesimo octogesimo-secundo munificam Hildegardis Reginæ pietatem experta est, annóque proximo solutionem suorum membrorum perfectámque sanitatem à Deo per intercessionem beatissimæ Gertrudis impetravit. Appendicis prædictæ duplex est editio; una brevior, altera prolixior; prior est Henschenii [c], posterior Dachetii & Mabilloni. Puellæ contractæ nomen apud Henschenium non exprimitur. *Erat quadam puella parvula, in pago Riboariensi, omni parte membrorum debilis.* Sic autem exprimitur apud Dacherium & Mabillonum. *Erat in pago Riboariensi puella quadam, Richburga nomine, ita à primis annis contracta, ut tota genibus suis incumberet.* Utrobique laborat egestate. In priori editione dicitur *omni parte membrorum debilis, & omnibus facultatibus destituta.* In posteriori pariter editione morbo simul atque egestate premitur, *cui propria debilitas operandi facilitatem negaverat, & parentum paupertas necessaria ministrare non sufficiebat.* Porrò si tantam paupertatem patiebatur annis Christi septingentesimo octogesimo-secundo & septingentesimo octogesimo-tertio, Regiâque tunc, ut eadem Appendix edocet, eleemosynâ sustentabatur, anno Christi septingentesimo octogesimo-sexto, qui centesimus vicesimus ab obitu Sanctæ Gertrudis numerabatur, possessiones Nivigellensis Ecclesiæ suis facultatibus augere non potuit. Errorem in Appendice prædicta redarguimus [d], ubi decimus-quintus Caroli Regis annus cum anno post Sanctæ Gertrudis obitum centesimo vicesimo-septimo componitur. Annum illum centesimum vicesimum-septimum, qui petitur à transitu Sanctæ Gertrudis, ex Othonis Imperatoris Diplomate censuimus in præcitatam Appendicem perperam transiisse. Nec aliter de Richburgæ nomine sentimus, quod ex eadem Appendice credimus etiam expungendum. Atque hæc posterior emendatio, quæ nobis negligenda non videtur, exemplar, quo Henschenius est usus, alteri, licèt prolixiori politiorique, præferendum docet.

[a] Cap. 61.

RICBURGIS MUNIFICA ERGA ECCLESIAM S. GERTRUDIS.

[b] Sec. 2. Benedict. a 658.

[c] 17 Mart.

AN EADEM CUM PUELLA CONTRACTA, QUÆ SANATA EST INTERCESSIONE S. GERTRUDIS?

[d] Ad an. 752. num. 21.

AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

ANNUS		
CHRISTI		787.
CAROLI	R.	19. 16. 14.
PIPPINI II.	R.	7.
LUDOVICI	R.	7.

I.

CAROLUS ROMAM VENIT.

ANNO DCCLXXXVII *Domnus Rex Carolus iter peragens Romam venit, & valdè honorificè à Domno Apostolico Hadriano receptus est, & aliquot dies ibi moratus est cum Domno Apostolico. Et Arigis Dux Beneventanus misit Rumaldum filium suum cum magnis muneribus postulare de adventu jam dicti Domni Regis, ut in Benevento non introisset, & omnes voluntates præfati*

AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

Domni Regis adimplere cupiebat. Sed hoc Apostolicus minimè credebat, neque Optimates Francorum. Et consilium fecerunt cum supranominatu Domno Carolo Rege, ut partibus Beneventanis causas firmando advenisset, quod ita factum est. Et dum Capuam venisset, Areghisus Dux reliquit Beneventum civitatem, & in Salernum se reclusit, & timore perterritus, non fuit ausus per semetipsum faciem Domni Caroli Regis videre. Sed mittens Missos, Episcopos præcipuè Davidem Beneventanum & Rodopertum Salernitanum, de quibus iterum infrà, *& ambas filios suas proferens, id est, Rumaldum, quem Domnus Carolus Rex secum habebat, & Grimoaldum, quem supradictus Areghis secum retinebat, & offerens multa munera, & alios obsides, ut petitioni ejus obtemperasset. Tunc Domnus ac Gloriosus Rex Carolus prospexit unà cum Sacerdotibus vel ceteris Optimatibus suis, ut non terra deleretur illa, & Episcopia vel Monasteria non desertarentur. Elegit* XII *obsides, ac decimum-tertium, filium supradicti Ducis nomine Grimoaldum. Et accepta munera, juraverunt omnes Beneventani, tam supradictus Dux, quàm & Rumaldus. Et reversus est sæpè nominatus Rex, & celebravit Pascha cum Domno Apostolico in Roma.* Ad hunc annum hæc ab Annalista Loiseliano, ad præcedentem referuntur à Laureshamensi, qui principium anni non à Calendis Januarii sed à Pascha desumit. Hic autem nonnulla, quæ silentio prætermissa sunt à Loiseliano, sic habet. *Aragisus Dux Beneventanorum, audito ejus*, id est, Caroli Regis, *adventu, compertâque in terram suam intrandi voluntate, propositum ejus avertere conatus est. Misso enim Rumoaldo majore filio suo cum muneribus ad Regem, rogare cœpit, ne terram Beneventanorum intraret. Sed ille longè aliter de rebus inchoatis faciendum sibi judicans, retento secum Rumoaldo, cum omni exercitu suo Capuam civitatem Campaniæ accessit, inde bellum aggressurus, ni memoratus Dux propositum Regis salubri consilio prævenisset. Nam relictâ Benevento, quæ caput illius terræ habetur, in Salernum maritimam civitatem velut munitiorem se cum suis contulit, missâque Legatione utrosque filios suos Regi obtulit, promittens se od omnia quæ imperarentur libenter obediturum. Cujus precibus Rex annuens, divini etiam timoris respectu, bello abstinuit, & minore Ducis filio nomine Grimoaldo obsidis loco suscepto, majorem patri remisit. Accepit insuper à populo obsides undecim, misitque Legatos, qui & ipsum Ducem & omnem Beneventanum populum per sacramenta obstringerent. Ipse post hæc cum Legatis Constantini Imperatoris, qui ad petendam filiam suam ad se missi fuerant, locutus est, atque illis dimissis Romam reversus, Sanctum Pascha magna cum hilaritate celebravit.* Idem bellum ab Eginhardo in vita Caroli memoratur, & Britannico, quod anno superiore gestum est, proximè sic subjungitur. *Domuit & Brittones, qui ad Occidentem in extrema quadam parte Galliæ super littus Oceani residentes, dicto audientes non erant, missâ in eos expeditione, quâ & obsides dare, & quæ imperarentur se facturos polliceri coacti sunt. Ipse posteà cum exercitu Italiam ingressus, & per Romam iter agens, Capuam Campaniæ urbem accessit*, &c. Pippinum cum Carolo patre profectum testatur Leo Marsicanus in Chronico Casinensi [a]. Constat obsides ab Aragiso datos fuisse, super numero manet controversia, nam præter Aragisi filium undecim nonnulli, plerique duodecim recensent. At hæc discrepantia nullius est momenti. Occurrunt alia magis observanda. Carolus Capuam usque profectus est, ut ex præcitatis Auctoribus & aliis liquet. Caroli Regis filia, de qua colloquium cum Legatis Constantini Imperatoris habitum, non alia censeri debet à Rotrude, sive ut Theophanes vocat, Erythro, quæ lucis usuram accepit anno Christi septingentesimo septuagesimo-quinto, & sexto pòst anno per Oratores in sponsam petita fuit ab eodem Constantino Augusto, ut suis locis probavimus. Ne Constantinopolim hoc anno mitteretur, vetuit ætas adhuc tenerior, annum enim vitæ duodecimum vix attigerat. Quid secutum sit, anno sequenti dicemus ex Theophane. Nec audiendus Annalista Fuldensis, apud quem hoc anno *Hruodtrudis filia Regis à Constantino Imperatore desponsatur*, nisi promis-

PROFICISCITUR CAPUAM.

ACCEPTIS OBSIDIBUS BELLO ABSTINET.

AUDIT LEGATOS IMP. SUPER MATRIMONIO ROTRUDIS FILIÆ.

[a] Lib. 3. c. 14. vet. edit. c. 12. novæ edit.

fionem, quæ ante sex annos facta fuerat, hoc anno rursum firmatam dicas.

AN.CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

II. VARIA DAT PRÆCEPTA. PRO MON. S. VINCENTII.

Carolus mense Martio, cùm Capuæ morabatur, duo emisit Præcepta, unum nono Kalendas Aprilis pro Monasterio Sancti Vincentii prope Vulturnum, alterum pridie easdem Kalendas pro Ecclesia Beneventana. Primum in Chronico [a] Vincentiano sic exhibetur. *Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Judicibus, Castaldeis, Auctionariis [1], Vicariis, Centenariis, vel reliquis fidelibus nostris, præsentibus scilicet ac futuris. Maximè Regni nostri in hoc augeri credimus munimentum, si petitionibus Sacerdotum atque servorum Dei, in quo nostris auribus fuerint prolatæ, libenti animo obtemperamus, atque ad effectum perducimus, Regiam consuetudinem exercemus, & hoc nobis ad mercedis augmentum, vel stabilitatem Regni nostri in Dei Nomine pertinere confidimus. Quapropter noverit Solertia vestra, qualiter nos ad petitionem Religiosi viri Pauli Abbatis ex Monasterio Sancti Vincentii Martyris, quod est constructum in locum, qui dicitur Samnii super fluvium Vulturnum, tale beneficium circa ipsum Monasterium visi fuimus concessisse, ut in Monasteriis legitimè sibi subjectis, quorum vocabula sunt, Monasterium Sancti Petri Apostoli quod fundatum est prope muros civitatis nostræ Benevento, & Monasterium Sanctæ Mariæ quod situm est in finibus Spoliti in loco qui dicitur Apinianica, insuper & cetera Monasteria, vel Cellas, sive curtes, vel reliquas possessiones, quæ ex largitate Regum, Reginarum, sive Ducum, vel bonorum hominum, ibi sunt data vel delegata, seu etiam excusatos, seu assertos, qui in præfatis Monasteriis legitimè jam subjecti sunt, vel qui devotè offerre se cum suis rebus voluerint, justè & rationabiliter licentiam habere debeant. Necnon & undecumque ipsa Casa Dei moderno tempore justa tramite vestita esse cernitur, vel quod inantea à Deum timentibus hominibus ibidem legibus additum vel delegatum fuerit, ut nullus Judex publicus ad causas audiendum, vel freda [2] undique exigendum, seu mansiones aut paratas faciendum, vel fidejussores tollendum, aut homines ipsius Monasterii stringendum, nec ullas redhibitiones [3] publicas requirendum, ulla unquam ingredi [4] neque exactare penitus præsumat [5]. Propterea hanc emmunitatem scribere jussimus, per quam specialiter decernimus ordinandum, ut nullus quislibet de vobis aut à judiciaria potestate, vel qualibet persona à modò & deinceps in Monasteriis, vel Cellis, seu curtibus, necnon reliquas possessiones superscriptas, sive undecunque ipsa Casa Dei nunc tempore justo tramite vestita esse dignoscitur, infra Regnum Christo propitio nostrum nemo ibidem ad causas audiendum, ut diximus, vel freda [6] undique exigendum, seu mansiones aut paratas faciendum, vel fidejussores tollendum, aut homines ipsius Monasterii distringendum, sive ullam novam consuetudinem ponendum, nec ullas reddibitiones publicas requirendum ingredi [7] vel exactare quoquo tempore præsumat. Similiter in Dei Nomine concessimus, vel confirmavimus erga ipsum sanctum locum, sicut habet humana fragilitas, ut quandoquidem Abbas ex ipso Monasterio de hac luce migraveris, licentiam habeant, secundùm Regulam Sancti Benedicti, qualem meliorem ac digniorem & sapientiorem invenerint, absque cujuslibet inquietudine, vel contradictione, inter se eligendi Abbatem, & sub emmunitatis nomine . . . . . omnes fructus concessos valeant, omníque tempore Rectores ipsius Monasterii Sancti Vincentii, tam ipsi, quàm & successores eorum, quámque ipsi fratres, qui ibidem Deo famulari videntur, quietè regulariter vivere, ac residere, quatenus eis meliùs delectet pro nobis uxoribúsque nostris, ac liberis, vel cuncto populo nostro, misericordiam Dei attentiùs exorare. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, ac diuturnis [8] temporibus inviolata Deo adjutore conservetur, manu propriâ subter eam roborare decrevimus, & annulo nostro sigillare jussimus. Signum Caroli Gloriosissimi Regis. Signum Jacob ad vicem Radonis. Data IX Kal. Aprilis, anno decimo-nono & decimo-quarto Regni nostri. Actum Capuæ civitatis nostræ in Dei Nomine feliciter Amen.* Auctionarii dicuntur in hoc Præcepto, qui

[a] Lib. 1.
[1] Autionariis.
[2] malè feta
[3] redditiones
[4] ingredere neque exsactarare
[5] præsumatur.
[6] feta
[7] ingredere vel exactorare
[8] diurnis

AN. CH. 787.
CAROLI R. 19.
PIPPINI LUDOV. RR. 7.

publicis subhastationibus præsunt. Ceteræ voces sunt satis claræ, nonnullas tamen correximus factâ cum altero Præcepto collatione. Chronologicos utriusque Præcepti Characteres infrà simul examinabimus. Ferdinandus Ughellus alterum Præceptum ex autographo Beneventanæ Bibliothecæ descriptum sic publicavit [a]. *Carolus Dei gratiâ Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum; omnibus Agentibus nostris, tam præsentibus quàm futuris, Domino juvante, qui nos in solium Regni nostri instituit. Si petitionibus Sacerdotum atque Servorum Dei, quod pro eorum quiete vel juvamine pertinet, libenter obaudimus, vel ad effectum in Dei Nomine mancipamus, Regiam consuetudinem exercemus, & hac nobis ad mercedis augmentum vel stabilitatem Regni nostri in Dei Nomine pertinere confidimus, ideóque vir venerabilis David Episcopus Ecclesiæ Sanctæ Dei Genitricis sempérque Virginis Mariæ, quæ est sita infra civitatem Beneventanam, Clementiam Regni nostri petiit, ut omnes res, quascunque ipsa casa Dei, tam de Donationibus Regum, quámque Reginarum, vel Ducum atque Ducissarum, seu Deum timentium hominum, sive causâ venditionis, aut emptionis, commutationísque titulo, vel omnes diffinitiones, quas de rebus Sanctæ Ecclesiæ Rectores ejus justo tramite in judicia vicerunt, necnon & omnes redditus vel oblationes fidelium diversarum Ecclesiarum, ipsi Sanctæ Beneventanæ Ecclesiæ, legibus pertinuerint, in integrum ab Episcopo Beneventano, qui per tempora fuerit, suscipiantur, atque canonicâ sanctione possideantur, sive sint per diversa loca, tam in civitatibus, quàm in villis vel in montibus, atque in planis, sive in aquis, vel etiam in planitie, ac possessiones, seu undequaque moderno tempore ipsa casa Dei ordine legitimo possidere atque dominare videtur, vel quidquid inanteà ibidem additum vel delegatum fuerit, sub Immunitatis nomine confirmare debemus. Cujus petitionem noluimus denegare, sed ita præstitisse atque in omnibus confirmasse cognoscat. Propterea hanc Immunitatem nostram conscribere jussimus, per quam specialiter decernimus ordinandum, ut nullus quilibet de nobis, aut de Judiciaria potestate, vel qualibet persona amodò & deinceps in Monasteria sibi legitimè subdita, aut in Curtes vel Ecclesias, seu in rebus universis suprascriptis, unde nunc ipsa casa Dei justè & rationabiliter vestita esse dignoscitur, vel quod inanteà ex largitate bonorum hominum acquirere potuit, ad causas audiendum, vel freda * undique exigendum, seu mansiones aut paratas faciendum, vel fidejussores tollendum, aut homines ipsius Ecclesiæ contra rationis ordinem distringendum, neque novas consuetudines imponendum, nec ullas redhibitiones publicas requirendum, ullo unquam tempore ingerere aut exactare penitus præsumatis; sed sub Immunitatis nomine valeat memoratus David, ejúsque successores, qui per tempora fuerint, quietè Christo propitio vivere ac residere, quatenus sic meliùs delectet pro nobis uxoribúsque nostris ac liberis nostris Domini misericordiam attentiùs deprecari. Et ut hac auctoritatem firmiorem habeant, ac futuris temporibus inviolata conserventur, manûs propriæ subscriptione eam decrevimus roborare, & de annulo nostro jussimus sigillare. Signum Caroli Gloriosissimi Regis. Datum 11 Kalen. Aprilis, anno 18 & 14 nostri Regni. Actum Capua in Dei nomine feliciter, Amen.* At hic annus, quo Carolus Capuam perrexit, per mensem Martium cum anno Caroli Regis in Francia decimo-nono, in Italia decimo-tertio componitur. Præceptorum igitur suprà descriptorum Characteres ita sunt emendandi. *Data IX Kal. Aprilis, anno decimo-nono & decimo-tertio Regni nostri.* Et, *datum 11 Kalen. Aprilis, anno 19 & 13 nostri Regni.* Ughellus difficultatem subodoratus, ut annum Caroli Regis in Italia decimum-quartum servaret, confugit ad annum sequentem, & Diploma, de cujus subscriptione nunc agimus, datum dixit *ann. 788, qui fuit 19 Caroli in Francia, & 14 in Italia post subactum Desiderium Longobardorum Regem.* Sed toto anno 788 Carolus Capuâ procul abfuit, & annus 19 Caroli Regis in Francia per mensem Martium nec cum anno ejusdem Caroli Regis in Italia 14, nec cum anno Christi 788 convenit. Retinendus dubio procul annus 787, quia illo

PRO ECCLES. BENEVENT.

[a] Tom. 8. in Ep. Benevent. 40.

* malè freta

anno Carolus Capuam profectus comprobatur, ejuſdem autem anni menſis Martius cum anno 19 Caroli Regis in Francia & 13 in Italia coincidit, ut obſervatum ſuprà. AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

III. ITERUM PRO MON. VINCENTINO.

In Chronico Vincentino Paulus Abbas commendatur eò quòd *ædificavit in eodem Monaſterio* Vincentino *Eccleſiam Sanctæ Mariæ juxta flumen* Vulturnum, *quæ minor vocabatur*. Sub idem tempus Regium obtinuit Præceptum adversùs Tritenſes, qui debitum Monaſterio ſervitium reddere recuſabant. Tritam villam in finibus Balvenſibus ſeu Valvenſibus ſitam Deſiderius Longobardorum Rex Monaſterio Sancti Vincentii pro Monachorum utilitate donaverat. Carolus Præceptum confirmationis adjecit, ortâque pòſt altercatione inter Paulum Abbatem & Tritenſes homines qui per Chartas Beneventanorum Ducum liberos ſe dicebant, *direxit illuc Miſſos ſuos Riſmum & Agilbertum, qui rei hujus veritatem invenirent ſecundùm juſtitiam legis*, auditâque relatione Præceptum aliud emiſit, cujus fragmentum Franciſcus Ducheſnius [a] ſic edidit. *Carolus Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum, viro Venerabili Paulo Abbati ſeu Monachis Monaſterii Sancti Vincentii ſiti in territorio Beneventano partibus Samniæ*, &c. *Et quia detulit nobis Præceptum Deſiderii Regis, qualiter villa Trita ſita in finibus Balvenſe ad ipſum ſanctum Cœnobium pro utilitate Monachorum condonaſſet. Unde & nos ſuper idem Præceptum noſtræ confirmationis edidimus. Sed dum poſteà aliquas altercationes inter vos & ipſos homines, qui ſe per Chartas Ducum dicebant eſſe liberos, conſurrexiſſe manifeſtum eſt, pro quibus nos Miſſos noſtros Riſmum & Agilbertum ibidem directos habuimus, per quos omnem cauſam liquidiùs inquirentes, omnem veritatem exinde cognovimus. Proptereà pro mercedis noſtræ augmento, nos, ad ipſam cauſam S. Vincentii Martyris, præfatos homines de memorata villa Trita, ſicut ab antiquo tempore illorum origo ad ſervitium reddendum debiti fuerunt, ita & deinceps, remotâ de medio omni libertate, legitimum ſervitium & obſequium perpetualiter omni tempore per manſurum Donationis Præceptum, ut perficiant, jubemus.* Chronologicæ deſunt notæ, idque monitum te volumus, quia fragmentum hoc per occaſionem tantùm Præceptis aliis hîc ſubjicimus. E titulis tamen Caroli, qui ſe Francorum ac Longobardorum Regem & Patricium Romanorum ſcribit, datum obſerva Carolo nondum Imperatore, & ubi *relatio cauſæ Clementiſſimo Imperatori Carolo à Domno Paulo Abbate oſtenſa* Paulíque precibus *Imperator* annuiſſe dicitur, Carolum tum Regem futurúmque pòſt Imperatorem, ut alibi ſæpiùs, interpretare.

[a] Tom. 3. Collect. Hiſt. Franc.

IV. ADIT CASINUM. LUDGERUM REMITTIT IN FRISIAM.

Carolus, cùm Romam reverteretur, Caſinum adiit, & ex eo Monaſterio videtur in Friſiam remiſiſſe Luidgerum, qui propter Widikindi tunc idololatræ perſecutionem anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-quarto ſolum verterat, &, ut Altfridus in ejus vita ſcribit, *poſt duos annos & menſes ſex reverſus eſt ad patriam ſuam*, eodémque teſte conſtitutus eſt Doctor *in gente Freſonum ab Orientali parte fluminis Labeki* ſeu Laviecæ *, *ſuper pagos quinque, quorum hæc ſunt vocabula, Hugmerthi, Hunulga, Fivilga, Emilga, Fediritga; & unam Inſulam, quæ dicitur Bant. Ipſe verò curâ ſolerti gregi ſibi credito ſtuduit miniſtrare fluenta doctrinæ Domini, fana deſtruere, & omnis erroris priſtini abluere ſordes.* Hæc obiter de Luidgero. Rex, priuſquàm è Caſinenſi Monaſterio diſcederet, illi loco Regia contulit Præcepta, quorum mentionem in ſuo Chronico ſic facit Leo Marſicanus [b]. *Orationis causâ Caſinum tetendit ad corpus Sancti Patris Benedicti, séque fratrum omnium hîc Deo ſervientium orationibus commendavit. Ab hoc primùm Rege, memoratus Abbas* Theodemar *Præceptum confirmationis de tota hac terra ſuſcepit. Alio item Præcepto Rex ipſe Monaſteria Sanctæ Mariæ in Cingla, Sanctæ Mariæ in Plumbariola, & Sanctæ Sophiæ intra Beneventum, Sancto Benedicto ſuâ quoque auctoritate confirmavit, unà cum ceteris quæ tunc temporis habere videbatur, univerſis quoque aquis, cum utriuſque partis ripis, ubicumque fuiſſent terris hujus Monaſterii junctæ. Juſſit quoque, ut Monachi, juxta Præceptum Sanctæ Regulæ,*

EMITTIT PRÆCEPTA PRO MON. CASIN.

* Lauwers.

[b] Lib. 1. c 14. vet edit. c. 16. novæ edit.

AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

Abbatem sibi sine cujusquam præjudicio licenter eligerent. Hæc Leo, secutus eorum opinionem, qui corpus Sancti Benedicti vel numquam in Gallias translatum, vel è Galliis in Italiam relatum volunt. Nec aliter sentit capite proximo, cùm agit de Anglo muto & surdo, qui Casinum quoque petiit orationis gratiâ, ibique sanitatem eodem Theodemaro tunc Abbate recuperavit. Carolus pietatis causâ Casinum tetendit, quia locum sciebat esse clarâ jamptidem Sanctitatis & Religionis famâ nobilitatum, quamvis ipsius conditoris, nempe Sancti Benedicti, Reliquiæ procul abessent, utpote in Gallias Floriacum ad Ligerim delatæ. Rex Romam reversus Pascha sexto Idus Aprilis cum Hadriano Papa celebravit. Utrùm Altheum Abbatem Agaunensem in suo adhuc comitatu habuerit, haud scimus. Hic Altheus ab Hadriano confirmationem jurium Agaunensium accepit, eodémque Pontifice successit in Sedunensem Episcopatum Aloborgo, quem ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum laudavimus. Lege Indices Sedunensium Episcoporum apud Franciscum Augustinum ab Ecclesia in Historia Chronologica Pedemontanæ Regionis & apud Sammarthanos in Gallia Christiana. Ceterùm Romam, cùm Carolus ibi versabatur, accesserunt Arnus sive Arno Salisburgiensis Episcopus & Henricus Abbas Maseensis seu Lunælacensis, à Thassilone Bojoariæ Duce directi, rogaveruntque Pontificem, ut amicitiam inter Carolum & Thassilonem redintegraret. Totam Legationem sic exponit Annalista Loiselianus. *Rex celebravit Pascha cum Domno Apostolico in Roma. Ibique venientes Missi Tassilonis Ducis, hii sunt, Arnus Episcopus, & Hunricus Abba, petierunt Apostolicum, ut pacem terminaret inter Domnum Carolum Regem & Tassilonem Ducem. Unde & Domnus Apostolicus multùm se interponens, postulando jam dicto Domno Regi. Et ipse Domnus Rex respondit Apostolico, hoc se voluisse, & per multa tempora quæsisse, & minimè invenire potuisse, & proferebat statim fieri. Et voluit supradictus Domnus Rex, in præsentia Domni Apostolici, cum ipsis Missis pacem firmare: & rinuentibus supradictis Missis, dicendo quia non ausi fuissent de eorum parte ullam firmitatem facere, Apostolicus verò, cùm cognovisset de instabilitate vel mendacio eorum, statim supra dictum Ducem eorum vel suis consentaneis anathema posuit, si ipsa sacramenta, quæ promiserat Domno Pipino Regi & Domno Carolo item Regi, non adimplesset. Et obtestans supradictos Missos, ut contestarent Tassilonem, ut non aliter fecisset, nisi in omnibus obediens fuisset Domno Regi Carolo, & filiis ejus, & genti Francorum, ut ne fortè sanguinis profusio proveniret, vel læsio terræ illius. Et, si per se Dux obdurato corde verbis supradicti Apostolici minimè obedire voluisset, tunc Domnus Carolus Rex, & suus exercitus, cùm absoluti fuissent ab omni periculo peccati, & quicquid in ipsa terra factum eveniret in incendiis, aut in homicidiis, vel in qualecumque malitia, ut hoc super Tassilone & ejus consentaneis evenisset, & Domnus Rex Carolus ac Franci innoxii ab omni culpa exinde permansissent. Hac verba expleta, Missi Tassilonis absoluti sunt.*

ROMAM REVERSUS IBI PASCHA CELEBRAT.

AUDIT LEGATOS TASSILONIS DUCIS BOJOAR.

V. Carolus Arigisum Ducem Beneventanum Capuâ & aliis civitatibus in Campania mulctavit, quas Apostolicæ Sedi tradidit suas ac Pippini patris Donationes amplificaturus. Ludovicus Imperator in Constitutione, quâ Donationes avi Pippini patrisque Caroli confirmavit auxitque, singulas apertissimè distinxit, suóque loco delineavit Donationem, quam Carolus hoc anno contulit, antequàm Româ discederet. Hæc Caroli Donatio duobus in capitibus præcipuè consistit, unum civitates in Tuscia Longobardorum, alterum civitates in Campania sitas repræsentat, *in partibus Tusciæ Longobardorum, Castellum Felicitatis, Urbevetum, Balneum Regis, Ferenti Castrum, Viterbium, Martam, Tuscaniam, Populoniam, Soanam, Rosellas; item in partibus Campaniæ, Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam.*

APOSTOLICAM SEDEM NOVA DITAT DONATIONE,

VI. Ludovicus Tusciam in duas distinguit partes, quarum una Regibus Longobardorum paruit, altera sub Imperatorum potestate permansit. Ad Tusciam

IN TUSCIA,

AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. R R. 7.

etiam Longobardicam pertinebant loca superiùs nominata, quæ Carolus in Tusciæ partibus hoc anno Apostolicæ Sedi tradidit; ad alteram verò Tusciam, quâ potiri semper Imperatores, pertinebant alia loca, quæ Ludovicus eidem Sedi concessit in partibus Tusciæ, ut ad annum Christi octingentesimum decimum-septimum fusiùs exponemus. Caroli Donationem in Tuscia penè integram statim recepit Adrianus, in epistolis [a] enim, de quibus agemus infrà, justitias tantùm *de Populonio & Rosellis* sibi *sub integritate* fieri, finésque *Populonienses seu Rosellenses, sicut ex antiquitus fuerunt, sibi contradi postulavit.* De Castello Felicitatis actum jam ad annos Christi septingentesimum septuagesimum-quartum [b], & septingentesimum septuagesimum-sextum [c]. Locus ille tunc patrimoniolis accensebatur, quæ pro sustentandis pauperibus & concinnandis luminaribus Apostolica Sedes in Tuscia possidebat, hac verò Caroli Donatione ditionibus Romani Pontificis accessit. De Urbeveto sive Urbe vetere, de Balneo Regis sive Bagnarea, de Populonia seu Populonio, de Suana seu Soana, de Rosellis seu Rosella, consule quæ dicta sunt ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum [d]. Nihil de civitatibus illis Episcopalibus addendum habemus ad hunc annum, quo ditionibus Romani Pontificis adjectæ sunt ex munificentia Caroli. Marta seu Martha oppidum erat ad fluvium cognominem. Ferenti seu Ferentii Castrum, aliis Ferentia & Ferentium, cujus nomen hodie retinet *Ferento*, civitas olim in Hetruria nobilis fuit, eique pòst excisæ successit in Episcopalem dignitatem Viterbium * quinque duntaxat milliariis remotum. Sed longè pòst ætatem Adriani Papæ & Caroli Magni facta hæc Episcopalis Sedis Translatio, ut patet ex Viterbiensium Episcoporum Catalogo, quem Ughellus Tomo primo Italiæ Sacræ texuit. Posteà Cælestinus Tertius Papa Viterbiensi Ecclesiæ tres alias Episcopales, Tuscanellensem videlicet, Centumcellensem ac Bledanensem adjecit, ut Cælestinus Quintus his verbis testatur. *Felicis recordationis Cælestinus Papa Tertius prædecessor noster Viterbiensem, Tuscanellensem, Centumcellensem, ac Bledanensem, Ecclesias univit, prout in ipsius prædecessoris literis plenius continetur* Ecclesiæ, Tuscanellensis, Centumcellensis, & Bledanensis, antequàm Viterbiensi jungerentur, simul erant jam unitæ. Apud Tuscanellam enim in Ecclesia Sancti Petri quondam Cathedrali visitur antiqua hæc inscriptio [e]. *Richardus Præsul Tuscanus, Centumcellensis, & Bleranus, anno 1093.* Carolo Magno Rege, singulis Ecclesiis sui fuerunt Episcopi, Synodo enim Romanæ, quam Eugenius Secundus Papa Ludovico Pio tunc Imperatore celebravit, interfuerunt Passivus Bleranus Episcopus, Petrus Episcopus Centumcellensis, & Godemundus Tuscanensis, de quibus, si lubet, Baronium [f] consule. Ferenti Castrum seu Ferentiam & Tuscaniam civitatibus Episcopalibus accense, quæ post extinctum Longobardorum Regnum in Francorum potestatem anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto devenerunt. Centumcellæ & Blera, civitates etiam Episcopales, quia sitæ in Ducatu Romano, sub Græcorum Imperatorum dominatione perstiterunt ad annum usque Christi septingentesimum nonagesimum-sextum, quo Roma Ducatúsque Romanus excusso Græcorum Imperio sponte Francis se dediderunt. Ante illum igitur annum, nihil de Blera, nihil de Centumcellis ad nostros Annales pertinebit. Tuscania seu Tuscana vel Tuscanella, vulgò *Toscanella*, civitas olim Episcopalis ad Martham fluvium, à qua dicti sunt Tuscani, Tuscanienses, & Tuscanellenses Episcopi, tredecim duntaxat annis Carolo Francorum Regi paruit, donec hic illam Apostolicæ Sedi per Donationem tradidit cum Ferentia seu Ferentio civitate etiam Episcopali, quæ Ferentinis Episcopis nomen fecit. De Tuscanis seu Tuscaniensibus aut Tuscanellensibus Episcopis nihil observandum habemus, nihil quoque de Ferentinis, utrorumque enim interciderunt nomina. Lectorem tantùm monitum volumus, ne Ferentinos Episcopos confundat cum Fe-

[a] In Cod. Carol. Epp. 81. 86.
[b] Num. 18.
[c] Num. 6.
[d] Nu. 62. & seqq.
* *Viterbo.*
[e] Baudrand. in verbo Tuscania.
[f] Tom. 9. a. 826 n. 1.

AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

rentinatibus in Latio, de quibus ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-sextum locuturi sumus.

VII. ET IN CAMPANIA. Quod attinet ad alteram Carolinæ Donationis partem, quæ spectat ad Campaniam, quatuor in ea civitates commemorantur Episcopales; Sora, Aquinum, Theanum, Capua. Nec in dubium vocamus, quin Adrianus Papa statim has urbes Campaniæ receperit, anno enim sequenti, ut suo loco dicemus, questus est Campanos ad defectionem à Beneventanis sollicitari. Lege quæ dicta sunt iisdem de civitatibus ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum [a], quo primùm in Francorum potestatem devenerunt, nihil addendum occurrit ad hunc annum, quo ditionibus Pontificiis accesserunt ex Donatione Caroli.

[a] Nu. 86. 88. 89. 91.

VIII. ROMA DISCEDIT, Paulò pòst Rex ex Vrbe discessit. *Tunc*, ait Monachus Egolismensis, *in invicem sibi Domnus Apostolicus & Domnus Rex Gloriosus Carolus valedicentes, benedictione assumptâ & oratione peractâ, in Franciam cum gloria reversus est, adducens secum Cantores Romanorum, & Grammaticos peritissimos, & Calculatores.* Idem Auctor contentionem per dies festos Paschæ Cantores Romanos inter ac Gallos nuper exortam sic ad hunc eundem annum præmittit. *Reversus est è* Ducatu nempe Beneventano *Rex Piissimus Carolus, & celebravit Roma Pascha cum Domno Apostolico. Ecce orta est contentio per dies festos Pascha inter Cantores Romanorum & Gallorum. Dicebant se Galli meliùs cantare & pulchriùs quàm Romani. Dicebant se Romani doctissimè cantilenas Ecclesiasticas proferre, sicut docti fuerant à Sancto Gregorio Papa; Gallos corruptè cantare, & cantilenam sanam destruendo dilacerare. Qua contentio ante Domnum Regem Carolum pervenit. Galli verò propter securitatem Domni Regis Caroli valdè exprobrabant Cantoribus Romanis. Romani verò propter auctoritatem magna doctrina, eos stultos, rusticos, & indoctos, velut bruta animalia, affirmabant, & doctrinam Sancti Gregorii praferebant rusticitati eorum. Et cùm altercatio de neutra parte finiret, ait Domnus Piissimus Rex Carolus ad suos Cantores. Dicite palàm, quis purior est, & quis melior, aut fons vivus, aut rivuli ejus longè decurrentes? Responderunt omnes unâ voce, fontem, velut caput & originem, puriorem esse: rivulos autem ejus, quantò longiùs à fonte recesserint, tantò turbulentos, & sordibus ac immunditiis corruptos. Et ait Domnus Rex Carolus. Revertimini vos ad fontem Sancti Gregorii, quia manifestè corrupistis cantilenam Ecclesiasticam. Mox petiit Domnus Rex Carolus ab Adriano Papa Cantores, qui Franciam corrigerent de cantu. At ille dedit ei Theodorum & Benedictum Romana Ecclesia doctissimos Cantores, qui à Sancto Gregorio eruditi fuerant, tribuítque Antiphonarios Sancti Gregorii, quos ipse notaverat notâ Romanâ. Domnus verò Rex Carolus revertens in Franciam, misit unum Cantorem in Metis civitate, alterum in Suessionis civitate, pracipiens de omnibus civitatibus Francia Magistros Schola Antiphonarios eis ad corrigendum tradere, & ab eis discere cantare. Correcti sunt ergo Antiphonarii Francorum, quos unusquisque pro arbitrio suo vitiaverat addens vel minuens, & omnes Francia Cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciscam, excepto quòd tremulas vel tinnulas sive collisibiles vel secabiles voces in cantu non poterant perfectè exprimere Franci naturali voce barbaricâ frangentes in gutture voces potiùs quàm exprimentes. Majus autem Magisterium cantandi in Metis civitate remansit. Quantúmque Magisterium Romanum superat Metense in arte cantilena, tantò superat Metensis cantilena ceteras Scholas Gallorum. Similiter erudierunt Romani Cantores supradicti Cantores Francorum in arte organandi. Et Domnus Rex Carolus iterum à Roma artis Grammatices & Computatoria Magistros secum adduxit in Franciam, & ubique Studium literarum expandere jussit. Ante ipsum enim Domnum Regem Carolum, in Gallia nullum studium fuerat liberalium artium.*

IX. In hoc textu Carolus de cantu Ecclesiastico déque literarum studiis valdè sollicitus ostenditur. Utraque res fusiùs est explicanda.

Ecclesiæ Romanæ peritissimi Cantores, qui *à Sancto Gregorio*, id est, secundùm Gregorianas notas seu præceptiones à Gregorio Magno quondam latas *eruditi fuerant*, in Gallias cum Carolo venerunt Theodorus & Benedictus. Unus Metas, alter Suessionem missus est, ad utrumque autem ex universa Francia, qui corrigerentur, Regio jussu delati sunt Antiphonarii. Cur è duobus Romanis Cantoribus Metas unus à Rege directus sit, triplex afferri potest ratio. Metarum situs erat peropportunus Austrasiis, quorum olim hæc primaria civitas. In Metensi Cathedra sedebat Angilramnus Apostolicæ Sedis Apocrisiarius, & Archicapellanus Regii Palatii. Chrodegangus ejus decessor post suum ex Urbe Roma reditum cantu Romano Clerum Metensem imbui sub Pippino Rege jam præceperat, in libro enim de Metensibus Episcopis à Paulo Diacono sic commendatur. *Ipsum Clerum abundanter lege divinâ, Romanâque imbutum cantilenâ, morem atque ordinem Romanæ Ecclesiæ servare præcepit; quod usque ad id tempus in Metensi Ecclesia factum minimè fuit.* Ut Austrasiis Metæ, sic & Suessio civitas Neustrasiis commoda, quo vel ad emendandos Antiphonarios, vel ad Romanum cantum ediscendum confluerent. Tunc Episcopatum Suessionensem regebat Madalbertus. Hic proximè successit Hildegodo sive Hildigungo, qui suâ subscriptione Placitum Attiniacense communivit anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto, quos enim Hildegodo vulgati Suessionensium Episcoporum Catalogi Madalbertum & Deodarum præponunt, hos eidem Hildegodo postponendos Tomo superiore [a] jam monuimus.

AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. R R. 7.

X. CUM CANTORIBUS AD DOCENDUM CANTUM ROMANUM.

[a] Ad an. 765. n. 12.

Præter Cantores, qui Romanum cantum edocerent, Carolus Româ *Grammaticos & Calculatores* sive *artis Grammatices & Computatoriæ Magistros* peritissimos in Franciam secum adduxit, ut studia literarum instaurarentur in Galliis, &, quod anteà inauditum fuerat, publicæ per totam Franciam instituerentur Scholæ. Quis Scholarum status ante Caroli Principatum fuerit in Francia, paucis exponemus, ut tanti Regis consilium majori sit apud omnes literatos commendationi. Qui plura cupierit, Cæsarem Egassium Bulæum, si lubuerit, in præliminaribus ad Historiam Universitatis Parisiensis consulet. In Gallia, quandiu Romanorum Imperatori morem gessit, celeberrimæ floruerunt Scholæ. Gratianus, ut alios Imperatores literarum pariter amantissimos omittamus, rescripsit ad Antonium Præfectum Prætorio Galliarum, ut in singulis Metropolibus excitari curaret & ali studia literarum, egregiósque eis excercendis Professores cum idoneis annonis præficeret. Rescriptum in Codice Theodosiano tale est. *Per omnem Diœcesim commissam Magnificentiæ tuæ, frequentissimis in civitatibus, quæ pollent & eminent claritudine, Præceptorum optimi quique erudiendæ præsideant juventuti. Rhetores loquimur & Grammaticos Atticæ Romanæque doctrinæ, quorum Oratoribus 24 annonarum fisco emolumenta donentur, Grammaticis Latino vel Græco 12 annonarum deductior paulò numerus ex more præstetur, ut singulis urbibus, quæ Metropoles nuncupantur, nobilium professorum electio celebretur. Nec verò minùs judicemus liberum ut sit cuique civitati suos Doctores & Magistros placito sibi juvare compendio. Treverorum verò clarissimæ civitati uberius aliquid putavimus deferendum, Rhetori ut 30. item Grammatico Latino, Græco etiam, si quis dignus reperiri potuerit, 20 præbeantur annonæ.* Sed ubi Gallia Francorum, Burgundionum, Vandalorum, Suevorum, Alanorum, Gothorum, aliarúmque gentium, quæ Religione, Legibus ac Moribus plurimùm dissidebant, præda fieri cœpit, inter diuturnos Domesticorum bellorum strepitus publica languerunt omnino literarum studia, quæ superioribus viguerant temporibus, & præstantissimos cultores habuerant. Prædictis nationibus, quæ cis Rhenum & Alpes effusæ Galliam cum Francis partiri voluerunt, Ariani Principes dominabantur, ipsorúmque Francorum Reges erant idololatræ, nec ante annum Christi quadringentesimum nonagesimum sextum vero se Deo manciparunt, ceteris adhuc in sua manentibus hæresi.

XI. CUM GRAMMATICIS ET CALCULATORIBUS AD INSTITUENDAS SCHOLAS PUBLICAS.

AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PEPPINI Ludov. RR. 7.

Gallia post elapsum seculum penè cum dimidio, ex quo tot gentes è Germania cis Rhenum, ex Italia cis Alpes eruperant, tota tandem Franc[illegible] paruit, si solam excipias Septimaniam, quam Wisigothorum Rex Ananu[illegible] in sua retinuit potestate. Temporis adeò calamitosi tam longo spatio cùm publicæ penitus evanuissent Scholæ, curam privatarum ad eruditione[m] Clericorum in Episcopiis gesserunt Episcopi, ut Abbates in Cœnobiis [ad] Monachorum instructionem. Hujuscemodi Scholæ, cùm Episcopales, tu[m] Cœnobiales, Ecclesiæ Catholicæ magno fuerunt adversùs hæresim præsidi[o]. Non defuerunt è Meroveadis Regibus, qui literas amarent ediscerént[que]; sed ante Carolum Magnum nullus extitit, qui publicas Scholas instau[ra]ri curaret. Studia delitescebant in solis Episcopiorum Monasteriorúm[que] claustris, atque inde factum putamus illis temporibus, ut ad Episcopat[um] tot Abbates ac Monachi promoverentur. De Scholis Episcopalibus [&] Cœnobialibus, quia diu floruerunt, sequentibus seculis frequenter rec[urre]ret sermo. Carolus utrasque, quia tunc quoque languebant, pristino spl[en]dori restituere sategit directis epistolis, quæ generales dicebantur, q[uæ] uno exemplo, paucis mutatis ad diversos mitterentur, ad Metropoli[tanos,] ad Episcopos, ad Abbates, & ad alios, ut res postulabat. Instar omni[um] esto, quæ Tomo secundo Conciliorum Gallicanorum ex Codice Sa[ncti] Arnulphi Metensis descripta sic legitur. *Karolus [1] gratiâ Dei Rex Francorum & Langobardorum [2] ac Patricius Romanorum; Baugulfo Abbati, & omni Congregationi, tibi etiam commissis fidelibus Oratoribus nostris, in Omnipotentis Dei Nomine amabilem direximus salutem. Notum igitur sit Deo placitæ devotioni vestræ, quia nos unà cum fidelibus nostris consideravimus utile esse, ut Episcopia & Monasteria nobis, Christo propitio, ad gubernandum commissa, præter Regularis vitæ ordinem atque Sanctæ Religionis conversationem, etiam in literarum meditationibus, eis qui, donante Domino, discere possunt, secundum uniuscujusque capacitatem, docendi studium debeant impendere; qualiter sicut Regularis norma honestatem morum, ita quoque docendi & discendi instantia ordinet & ornet seriem verborum, ut qui Deo placere appetunt rectè vivendo, ei etiam placere non negligant rectè loquendo. Scriptum est enim [aut ex verbis tuis justificaberis, aut ex verbis tuis condemnaberis.] Quamvis enim melius sit bene facere quàm nosse, prius tamen est nosse quàm facere. Debet ergo quisque discere quod optat implere, ut tantò uberiùs, quid agere debeat, intelligat anima, quantò in Omnipotentis Dei laudibus sine mendaciorum offendiculis cucurrerit lingua. Nam cùm omnibus hominibus vitanda sint mendacia, quantò magis illi secundùm possibilitatem declinare debent, qui ad hoc solummodò probantur electi, ut servire specialiter debeant veritati? Nam cùm nobis in his annis à nonnullis Monasteriis sæpiùs scripta dirigerentur, in quibus quòd pro nobis fratres ibidem commorantes in sacris & piis orationibus decertarent, significaretur, cognovimus in plerisque præfatis conscriptionibus, eorumdem & sensus rectos, & sermones incultos: quia quod pia devotio interiùs fideliter dictabat, hoc exteriùs propter negligentiam discendi, lingua inerudita exprimere sine reprehensione non valebat. Unde factum est, ut timere inciperemus, ne fortè, sicut minor erat in scribendo prudentia, ita quoque & multò minor esset, quàm rectè esse debuisset, in eis * Sanctarum Scripturarum ad intelligendum sapientia. Et benè novimus omnes, quia quamvis periculosi sint errores verborum, periculosiores sunt errores sensuum. Quamobrem hortamur vos, literarum studia non solùm non negligere, verùm etiam humillimâ & Deo placitâ intentione ad hoc certatim discere, ut facilius & rectiùs divinarum Scripturarum mysteria valeatis penetrare. Cùm autem in sacris paginis schemata, tropi, & cetera his similia inserta inveniantur, nulli dubium est, quòd ea unusquisque legens tantò citiùs spiritualiter intelligit, quantò priùs in literarum magisterio pleniùs instructus fuerit. Tales verò ad hoc opus viri eligantur, qui & voluntatem & possibilitatem discendi, & desiderium habeant alios instruendi. Et hoc tantùm eâ intentione agatur, quâ devo-*

[1] Labb. Carolus.

[2] Labb. Langobardorum.

* Sirmond. Labb. deest eis.

AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

tione à nobis præcipitur. Optamus enim vos, sicut decet Ecclesiæ milites, & interius devotos, & exterius doctos, castósque benè vivendo, & Scholasticos benè loquendo, ut quicumque vos, propter nomen Domini & sanctæ conversationis nobilitatem, ad videndum expetierit, sicut de aspectu vestro ædificatur visus, ita quoque de sapientia vestra, quam in legendo seu cantando perceperit, instructus, Omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat [1]. *Hujus itaque epistolæ exemplaria, ad omnes suffragantes tuósque Coepiscopos & per universa Monasteria dirigi non negligas, si gratiam nostram habere vis, & nullus Monachus foris Monasterio judiciaria teneat, nec per mallos & publica placita pergat. Legens valeat.* Sirmondus in Præfatione ad hanc epistolam existimat oscitantiâ scriniarii factum, ut nonnulla sub finem hæserint, quæ mutari oportebat, quia Metropolitano, non Abbati conveniunt. Labbeus Tomo sexto Conciliorum in hisce literis non *Coepiscopos* sed *Coabbates* legit, totamque difficultatem hac emendatione sublatam putat. Horum Auctorum neutri suffragamur. Præcitatam enim epistolam cuidam è Metropolitanis Episcopis directam existimamus, mendúmque sub ejus finem non agnoscimus, sed sub initium, atque in ipsa inscriptione, quæ Baugulfi Fuldensis Abbatis nomen omnémque Fuldensium Monachorum Congregationem exhibet. Fuldense Monasterium, quamvis esset celebre, non ponimus in eorum numero, quæ majores tunc habebant Scholas, propter quas illuc ex aliis etiam Cœnobiis Monachi mittebantur. Atque ut ita sentiamus, suadet Ratgarius, proximus Baugulfi successor, qui statim ac munus Abbatiale suscepit, Rabanum adolescentem è Fuldensi Monasterio Turonos ad Alcuini Scholam direxit, ut ad annum secundum noni seculi fusiùs exponemus. Baugulfus igitur Fuldensis Abbas à Rege Carolo generalem non accepit epistolam, cujus exemplaria Coabbatibus ipse posteà transmissurus esset. Bulæus, ubi sermonem de Scholis Cœnobialibus & Episcopalibus facit, duplices Monachorum Scholas, majores videlicet & minores, dupliciaque pariter Monasteria distinguit, majora in quibus Scholæ majores erant, & minora in quibus Scholæ minores, atque in istarum distinctionum confirmationem Trithemium sic allegat. *In omnibus Ordinis nostri Cœnobiis, in Germania & Gallia maximè, Monachorum Scholastici ex Monachis habebantur, qui juniores quosque & ingenio præstantes in primitivis literarum scientiis erudirent, & posteà qui habiles inventi fuissent ad altiora transmitterent. In solis autem famosioribus Cœnobiis, quibus & abundantia rerum temporalium erat copiosior & Monachorum numerus major, constituebantur ad officium docendi alios Monachi omnium doctissimi, & non solùm in divinis sed etiam in secularibus literis eruditi, ad quos mittebantur Monachi altioribus disciplinis instituendi.* Epistola, quam proximè descripsimus, de privatis tantùm Scholis Episcopiorum ac Cœnobiorum capi debet, quas Carolus multò magis quàm anteà per universam Franciam fervere voluit; & quia privatarum hujuscemodi Scholarum aditu Laicus interdicebatur, publicas instituit, quas frequentare Laico cuique fas esset. Ut autem ardentissimum, quo flagrabat, erga literarum studia zelum palàm testaretur, publicas in ipso Regio Palatio Scholas erexit. Regis exemplum statim secuti sunt Abbates & Episcopi. Publicæ per Episcopia, per Monasteria mox strepuerunt Scholæ; cúmque Monachi cœperunt vereri, ne quid detrimenti Monasticus ordo caperet ex assidua Laicorum Seculariúmque familiaritate, duplices in Cœnobiis exercitio literarum addictæ sunt Scholæ; aliæ Cœnobitis, aliæ Secularibus edocendis destinatæ sunt; illæ Claustrales, quia in intimis Monasterii penetralibus constitutæ, aliæ exteriores dictæ, quia extra Cœnobium positæ. Frequenter occurrent exempla, quibus hæc omnia confirmabuntur.

XII. Carolus Româ digressus, ut dictum est, aliquandiu substitit in Longobardia. Necesse duxit rebus Italiæ consulere, & exercitum parare, quo

[1] Huc usque editio Launoyi in lib. de Scholis, c. 1.

AN.CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

Pippinus filius Longobardiæ Rex dudum constitutus, si fortè bellum cum Tassilone gerendum esset, Bojoariam adoriretur. *VI Idus Junias Regii cùm esset, Apollinaris Episcopus eum adiit, rogans, ut, quoniam incensâ Basilicâ omnes veterum Privilegiorum tabulæ conflagrassent, quæ suæ Longobardi Reges Ecclesiæ indulsissent, ipse præsentes futurásque possessiones, familias, Clerúmque Ecclesiæ in fidem suam reciperet, & pro gente Francorum nuper in Italiam introducta antiquos Ecclesiæ suæ terminos conservaret, atque utrumque uno eodémque Diplomate comprehenderet. Extat Diploma apud Regienses anno Regis Caroli tertio-decimo, Pipini septimo datum.* Hæc Sigonius [a]. Dubium non est, quin initium anni septimi Pippinini cum fine anni decimi-tertii Carolini coincidat, annóque Christi septingentesimo octogesimo-septimo illigetur, quia Pippinus in Longobardia Rex institutus est vertente Caroli in eadem Longobardia regnantis anno septimo, ut ad annum Christi septingentesimum octogesimum-primum observavimus. Addit Sigonius Carolum Veronæ sexto Kalendas Octobris egisse, ibíque Geminiani Mutinensis Episcopi rogatu Præceptum emisisse pro Ecclesia Mutinensi, ... hoc Præceptum, ut ex ipsa subscriptione colligitur, datum est anno Christi septingentesimo octogesimo-secundo, cùm Carolus Veronâ procul abesset.

PAPIAM. Rex Regio Papiam venit, ibíque Conventum Longobardorum celebravit; ad hunc enim annum sic Annalista Nazarianus DCCLXXXVII. *Carolus Rex Francorum de Roma revertens, ad Paveia civitatem Langobardos congregavit, & exinde fraudulentissimos eorum in Franciam exiliavit.* Eodem quoque anno, cùm in Italia versabatur, Præceptum pro Atinensi Ecclesia emisit, ut patet ex Ughello [b]. *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Incipit Præceptum Sedis Atinensis, quod fecit Karolus Imperator filius Pipini, anno quo venit Romam, ac junxit ad Beatum Petrum Ducatum Spoletanum & Beneventanum, qui & dictus est Patricius Romæ.* Hæc in suo Præcepto non scripsit Carolus, sed recentior Atinensium Chartarum Collector, qui tempus indicare voluit, quo Carolus Rex Francorum ac Longobardorum & Patricius Romanorum partem Beneventani Ducatûs Apostolicæ Sedi concessit. Quis Atinensis Episcopus tunc fuerit, haud scitur, toto enim octavo seculo mutilus est Atinensium Episcoporum Catalogus.

[a] Lib. 4 de Regn. Ital. in Carolo & Pippino RR.

[b] Tom. 6. Ital. Sacr. in Atinens. Episc. 17.

XIII. REDIT WORMATIAM.

Carolus è Longobardia Wormatiam, ubi Fastrada Regina remanserat, citissimè contendit. *In Wormatia positus civitate, servum Dei Willehadum consecrari fecit Episcopum tertio Idus Julii, constituítque eum Pastorem atque Rectorem super Wigmodiam, & Laras, & Ruistri, & Asterga, necnon Nordendi ac Wanga, ut inibi auctoritate Episcopali & præesset populis, &, uti cœperat, doctrinâ salutari operibúsque eximiis speculator desuper intentus prodesse studeret.* En institutio Bremensis Episcopatûs, ut exhibetur apud Anscharium in vita Sancti Willehadi. Chronographus Moissiacensis de die non convenit, & Willehadum in Wulradum malè detorquet. *Anno*, inquit, DCCLXXXVII. *beatus Wulradus ordinatus est Episcopus in Idibus Julii super Wimoda, & super Kinsteri, & Asterga, & Cara, vel Sordedi, & Wangia.*

WILLEHADUM BREMENSEM EP. CURAT ORDINARI.

Super anno nulla difficultas, Anscharius enim Willehadum, qui directus est in Saxoniam anno Christi septingentesimo octogesimo, post annos septem, ex quo missus illuc est, ordinatum Episcopum sic testatur. *Ipse primus in eadem Diœcesi Sedem obtinuit Pontificalem. Quod tamen id tam diu prolongatum fuerat, quia gens credulitati divinæ resistens, cùm Presbyterum aliquoties secum manere vix compulsa fineret, Episcopali auctoritate minimè regi patiebatur. Hac itaque de causa septem annis priùs in eadem Presbyter est demoratus Parochia, vocatus tamen Episcopus,* ob Episcopalia nimirum, ut Mabillonus exponit, munia, prædicationem scilicet, Baptismi collationem, Presbyterorum variis in locis institutionem, & alia id genus, *& secundùm quod poterat cuncta potestate præsidentis ordinans.* Apud Adamum in Historia Ecclesiastica legitur Diploma Caroli Regis, quod Bremensem

Diœcesim suis circumscribit limitibus, & integrum à nobis anno sequenti describetur examinabiturque factâ cum præcitatis Auctoribus collatione.

Eodem tempore, quo Willehadus ordinatus est Episcopus, Rex Conventum habuit Wormatiæ, Proceres quæ à se in Italia gesta essent edocuit, cùmque adjecisset se Romæ à Legatis Tassilonis de pace esse tentatum, placuit experiri nunquid Tassilo promissa præstare vellet. Oratores ea de re missi sunt in Bojoariam. Quid secutum sit, mox dicemus. Interim Decretum accipe, quo rursum Episcopis ac Presbyteris prohibitum, ne deinceps in exercitum aut pugnam pergerent. Prior prohibitio in Conventu Wormatiensi facta est anno Christi septingentesimo octogesimoprimo, ut constat ex populi supplicatione & ex concessione Caroli, quas ad illum annum [a] recitavimus. Quando autem & ubi posterior edita sit prorsus non liquet. Admodum tamen probabile videtur eam in altero Conventu Wormatiensi publicatam hoc anno, cùm Carolus ex Italia nuper rediisset, Hadriano Papâ super eadem re consulto. Id enim ipse initio haud obscurè, cùm Apostolicâ se auctoritate instructum profitetur. Sanctio talis est libro septimo [b] Capitularium. *Secundâ vice propter* [illegible] *observantiam Apostolicâ auctoritate & multorum Sanctorum Episcoporum admonitione instructi, Sanctorúmque Canonum Regulis edocti, consultu* [illegible] *omnium Nobilium nostrorum, nosmetipsos corrigentes, posterísque nostris exemplum dantes, volumus, ut nullus Sacerdos in hostem,* id est, in exercitum *pergat, nisi duo vel tres tantùm Episcopi electione cæterarum propter benedictionem & prædicationem populique reconciliationem; & cum illis electi Sacerdotes, qui benè sciant populis pœnitentias dare, Missas celebrare, de infirmis curam habere, sacratique olei cum sacris precibus unctionem impendere, & hoc maximè providere, ne sine viatico quis de seculo recedat. Hi verò nec arma ferant, nec ad pugnam pergant, nec effusores sanguinum vel agitatores fiant, sed tantùm Sanctorum pignora & sacra ministeria ferant, & orationibus pro viribus insistant, ut populus, qui pugnare debet, auxiliante Domino, victor existat. Reliqui verò, qui ad Ecclesias suas remanent, suos homines benè armatos nobiscum, aut cum quibus jusserimus, dirigant; & ipsi pro nobis & cuncto exercitu nostro Missas, Litanias, oblationes, eleemosynas faciant, orantes Deum cæli, ut proficiamus in itinere quo pergimus, victorésque Deo adminiculante existamus. Gentes enim & Reges earum, qui Sacerdotes secum pugnare permiserunt, nec prævalebant in bello, nec victores extiterunt, quia non erat differentia inter laicos & Sacerdotes quibus pugnare non est licitum. Hæc verò Galliarum, Spaniarum, Langobardorum, nonnullásque alias gentes & Reges earum fecisse cognovimus, qui, propter prædictum nefandissimum scelus, nec victores extiterunt, nec patrias retinuerunt. Quam foveam caventes, malumus cum paucis & licitis, Domino opem ferente, victores existere, quàm cum multis & illicitis terga, quod absit, vertere, & cum prædictis gentibus perire. Qualis enim victoria datur, ubi Sacerdotes unâ horâ Dominica pertractans ministeria, & Christianis Dominicum porrigunt corpus pro suarum animarum redemptione, & pòst Christianos, quibus hoc ministrare debuerant, aut paganos, quibus Christum prædicare, propriis sacrilegísque manibus necant, præcipuè dicente eis Domino. [Vos estis sal terræ, quòd si sal evanuerit, in quo condietur? ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.] Et dum hæc ita se habeant, elegimus potiùs, Domino adminiculante, nobísque * illis & cunctis eorum Ecclesiis opem ferente, nec quicquam eis pro hoc de honoribus vel Ecclesiarum rebus minuente, ut gradus eorum & Sanctorum Canonum decreta custodiant, quàm illi, aut nobis imperantibus aut consentientibus, contra hæc faciant, aut gradibus careant, aut pereant, & nos simul, quod absit, cum eis & victoriâ careamus, vel pereamus. Quoniam peccatis exigentibus timemus, si talia & tam illicita aut imperemus, aut agere consentiamus, ut unà cum eis pereamus: quia non solùm qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, æquo pia-*

AN. CH. 787.
CAROLI R. 19.
PIPPINI LUDOV. RR. 7.
XIV.

[a] Num. 114.

[b] Cap. 143.

EDITA SANCTIONE VETAT NE EPISCOPI ET PRESBYTERI PERGANT AD EXERCITUM, NISI FUERINT AD HOC OPUS ELECTI.

* id est, nobisque.

dicitur Ingilenhaim. Dies, quo Tassilo coram Carolo se stitit, in Appendice
ad Chronicon jussu Nibelungi Comitis conscriptum sic notatur. *V. Non.*
Octobris Dassilo Dux ad Regem venit, & ei reddidit Regnum Bagoariorum, &
semetipso Carolo Rege in manu tradidit, & Regnum Bagoariorum. Tassilo Du-
catum, quem à Pippino patre quondam acceperat, victori filio reddidit
cum baculo, regiminis ei priùs attributi certè symbolo, in cujus capite si-
militudo hominis erat. Hæc ab Annalista Nazariano sic enarrantur. *Carolus*
Rex, commoto exercitu Francorum, perrexit in fines Alemannorum & Bejuverio-
rum ad flumen quod appellatur Lech. Illúcque veniens Dassilo Dux Bejuveriorum
ad eum, & reddidit ei cum baculo ipsam patriam, in cujus capite similitudo homi-
nis erat. Et effectus est Vassus ejus, & Theodonem filium suum dedit ei obsidem.

AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

XVI.

Hoc eodem anno, *dum Domnus Carolus Magnus Rex à Capuana urbe rever-*
sus fuisset, ut anno sequenti Gregorius Presbyter Capuanus Adriano Papæ
& Adrianus scriptis literis [a] Carolo significavit, *Arichis Dux suus,*
rebellis est, Dux Beneventanus, quoniam Capua, priusquàm Apostolicæ Sedi
id est, à Donatione concederetur, Beneventano Ducatui accensebatur,
Calliram *Imperatorem* Constantinum, *Deo sibi contrario, emisit Missos, petens auxi-*
ad imperatorem bonorem Patriciatûs unà cum Ducatu Neapolitano, sub integritate, si-
lium & suum cognatum, seu levirum; *Athalgisum cum manu valida in adjuto-*
mul & sibi dirigi, promittens ei tam in tonsura, quàm in vestibus usu Græcorum
rium sub ejusdem Imperatoris ditione. Hæc audiens autem Imperator emisit illi
perfrui. Legatos, scilicet Spatarios duos, in ditionem Siciliæ ad Patricium eum con-
suos ostendere, ferentes secum vestes auro textas, simul & spatam, vel pectinem,
& forcipes, sicut illi prædictus Arichisus indui & tonderi pollicitus fuerat, petentes
*Romualdum ejusdem Arichisi filium in obsidiatum. De Athalgiso * verò cognato,*
*consit ei dicens, quia * illum non apud illum nunc dirigimus, sed eum dirigi-*
mus cum exercitu in Tervisio aut Ravenna. Qui venientes Dei nutu, per suf-
fragia Apostolorum, malignantium consilia dissipata repererunt, eò quòd Arichi-
sum Ducem, vel ipsius filium . . . . . . defunctum invenerunt. In Appendice ad
Chronicon, quod Nibelungi Comitis jussu conscriptum est, Aragisus Dux
Beneventanus ejúsque filius hoc anno mortui sic etiam asseruntur. *An.*
DCCLXXXVII. *Carolus reversus est in Franciam, & inde multos Langobar-*
dos nobiles adduxit. Et Aragisus Dux de Beneventano mortuus est, & filius ejus
mortuus est. Hunc Aragisi filium Adrianus in prælaudatis literis *Waldonem*
vocavit, nomen illud reticuimus, quia suppostitium putamus, & Waldo-
nis loco Rumaldum seu Ramualdum vel Romoaldum reponendum cense-
mus. Arichisus enim *ex Adelperga filios Romoald, & Grimoald, Egisisum,*
Theoradam & Adeleisam suscepit, ut in Historia Principum Langobardorum
testatur Camillus Peregrinius nullâ Waldonis factâ mentione. Romoaldus
seu Rumoaldus obiit duodecimo Kalendas Augusti. Filio superstes fuit
Arichisus mensem unum, dies quinque, vitámque clausit septimo Kalen-
das Septembris. Utrumque probatur ex eorum epitaphiis, quæ Salerni po-
sita dicuntur, excerptáque sunt ab eodem Peregrinio è Codicibus Historiæ
ineditæ Anonymi Salernitani. David Episcopus Beneventanus, cujus men-
tionem jam fecimus, epitaphium Romoaldi sic edidit [b].

Alta ruit subitò Beneventi gloria tristis,
Quam tenet hic tumulus, væ tibi Barda cohors.
Hic Arichis dormit Magni pulcherrima proles,
Unica spes patriæ, murus, & arma fuit.
Cujus fessa patris benè jam virtute senectus
Tuta regebatur, tutis matris erat.
Hic novus à multis Arichis vocitatur herilis,
Moribus, & formâ, consilióque vigens.
Dote animi pollens, mundanâ lege togatus,
Divinâ instructus nec minùs ille fuit:

[a] Ep. 88. Cod Carol.

ARAGISUS POST ABITUM CAROLI MEDITATUR REBELLIONEM.

* Athalgiso verò cognato * quia nunc illum non dirigimus quem apud illum nunc dirigimus, sed.

OBIT CUM ROMOALDO FILIO.

[b] Peregrin. l. 1. Ughell. Tom. 8.

AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

Religione patrem æquiparans, matrémque pudore,
Illius, heu, tristes quos malè flamma creat.
Subditus ad mortem, dulcísque parentibus usque,
Nullus plùs voluit, ampliùs aut potuit.
Seu Abraham genitor Isaac, sic iste peregit,
Oblatus tacuit, jussa parentis agens.
Traditus ob patriæ, populi cunctique salutem,
Se opponens voluit pro pietate mori.
Obvius occurrit Regi, immunésque phalangi
Munivit fines, ô Benevente, tuos.
Tu placidâ Regis sedasti mente furorem,
Obruta Gallorum . . . .
O Romoald mitis Ductor, sine felle suavis,
Terrea liquisti Regna, superna tenes.
Terreno verbo placuisti quàm benè Regi,
Cælesti meliùs nunc sine fine places.
Hoc lachrymans cecini David ego flebile carmen
Præsul, cui semper te sine velle mori est.

Vixit ann. XXV. Depositus est XII Kal. Augusti, Principante patre ann. X
Indict. percurrente decimâ.

XVII. Sequitur apud Peregrinium [a] hoc Arichisi Ducis epitaphium, cujus Auctorem fuisse Paulum Diaconum testatur Anonymus Salernitanus in Historia manuscripta.

[a] Lib. 1.

Lugentum lachrymis populorum roscida tellus
Principis hæc Magni nobile corpus habet.
Hic namque in cunctis recubat celeberrimus Heros
Præpollens Arachis: ô decus atque dolor.
Tullius ore potens cujus vix pangere laudes,
Ut dignum est, posset, vel tua lingua, Maro.
Stirpe Ducum Regúmque satus transcenderat ipse
Nobilior gentis culmina celsa suæ.
Formosus, calidus, suavis moderator, & acer,
Facundus, sapiens, lúxque, decúsque fuit
Quod Logos exstinxit, moderánsque quod Ethica pandit,
Omnia condiderat mitis in arce sua.
Strenuus eloquii divini cultor, & index
Pervigil in lachrymis tempora noctis agens.
Anteibat Juvenes venatu, viribus, armis,
Flaminibúsque ipsis flamina sancta dabat.
Ter binis lustris patria sic rexit habenas,
Fluctibus in lintrem navita doctus agit.
Solicitè gratiam pacis servavit amator,
Consilio cautus, providus, atque sagax.
Cum natis proprium nil ducens tradere censum,
Insuper & patria promptus amore mori.
Mæstorum solamen erat, solamen egentum,
Hos satagens verbis, hos relevare manu.
Ornasti patriam doctrinis, mœnibus altis,
Hinc in perpetuum laus tua semper erit.
Tu requiésque tuis, portúsque, salúsque fuisti,
Gloria, delicia, tu generalis amor.
Heu mihi quàm subitò perierunt omnia tecum,
Gaudia, prosperitas, páxque, quiésque simul.
Planctus ubique sonat; te luget sexus, & ætas
Omnis, & ante omnes tu, Benevente, doles.

AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

Nec minùs excelsis nuper circumdate muris
Structorem, orbe, tuum, clare Salerne, gemis.
Apulus, & Calaber, Vulgar, Campanus, & Afer,
Quósque Siler potat, Romuleúsque Tybris.
Quique bibunt Ararim, te flent, Istrúmque, Padúmque,
Estimet adsinis seu peregrina phalanx.
Jam felix olim, nunc namque miserrima conjunx,
Regali in thalamo quam tibi junxit amor.
Eheu perpetuo pectus transfixa mucrone,
Languida membra trahens, te moribunda doles.
Viderat uxius, heu, nuper funera nati,
Ast alium extorrem Gallia dura tenes.
Hæc gemina nata vernanti flore supersunt,
Solaménque mali solicitúsque timor.
Hos cernens, reddi vultus sibi credit amatos,
Heu trepida fit, & fluctuabunda pavet.
Solatur tantos spes hæc utcunque dolores,
Quod te pro meritis nunc Paradisus habet.
O Regina potens, virgo, genitríxque creantis,
Prosit ei huic sacro membra dedisse lari.

Vixit autem LIII *annos. Obiit* VII *Kal. Septembris, anno ab Incarnatione Domini* DCCLXXXVII. *Ex Domna Adelperga Principissa filios Romoald & Grimoald, Egisisum, Theoradam & Adelcisam suscepit.* Hujus epitaphii distichon undevicesimum, quod Peregrinius deesse quoque monuit, omisit consultò Baronius, omittendúmque censemus, quoniam ibi Paulus Araris mentionem facit, nec populis ad Ararim sitis, qui Regibus Francorum à multis seculis parebant, adeò carus fuisse videtur Arichisus, ut uberibus lachrymis mortem illius defleverint.

XVIII. PAULUS DIACONUS FIT MONACH. CASIN.

Paulum Diaconum, de quo sæpè locuti sumus, *post Arichis Beneventani Principis obitum ad hoc Monasterium*, inquit Leo [a] Ostiensis, id est, ad Cœnobium Casinense, *venit, & sancta ibi Religionis habitum induit, & factus Monachus non pauco ibi tempore vixit.*

[a] Lib. 1. c. 17. vet. edit. c. 15. novæ edit.

XIX.

Athalgisus, quem Constantinus Imperator Tarvisium aut Ravennam venturum dixerat, neutrum illorum locorum adiit, appulit enim in Calabriam, & in finibus Ducatûs consedit. Adrianus Pontifex certiorem ea de re Carolum per Aruinum Comitem Regium Oratorem fecit, Rotonem & Bettonem Missos quoque Regios paulò pòst suscepit, quos Carolus sciscitaturos, an Athalgisus in Italiam cum classe delatus esset, Romam direxerat Bojoaricis rebus sic intentus, ut Italicas nequaquam negligeret. Ista constant ex hoc initio literarum [b], quas Papa post horum adventum statim rescripsit. *Domno excellentissimo filio nostróque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Venientes ad nos fidelissimi Missi vestri, scilicet Roto Capellanus, seu Betto, post vestram optabilem Regalem sospitatem adnunciatam, sciscitati sunt à nobis de nefandissimo Athalgiso, filio Desiderii Tyranni Regis, si ita fuisset, quòd, Deo sibi contrario, in partibus Italiæ venisset. Nos verò nuper, quod de ipso protervo Athalgiso audivimus, per fidelissimum Missum vestrum Aruinum Comitem vobis intimare non omisimus, quia pro vestra Regali victoria, Deo auspice, retractantes, nullum neglectum ex omni parte ponimus, vestra præfulgida Excellentia indicantes, ut, Domino opitulante, atque Beatu Petro Apostolorum Principe comitante, præcipua vestra Regalis providentia prudentissimè suam nostrámque salutem procuret. Sic enim de jam dicto nequissimo Athalgiso nobis nunciatum est, quia in veritate, Deo sibi contrario, cum Missis Imperatoris, in partibus scilicet Calabriæ resides, juxta confinium Ducatûs Beneventani, ut de ejus invalido adventu Campulus Episcopus civitatis Cajetanæ per*

[b] Cod. Carol. ep. 90.

ADRIANUS PP. CAROLO SCRIBIT QUÆCUNQUE AUDIVIT DE MOLITIONIBUS ATHALGISI.

AN. CH. *suas nobis significavit syllabas. Similiter & de Pentapoli per eosdem Adalgi*
787. *arrogantia nobis in scriptis intimaverunt, quatenus et nomen vestrum*
infra altos misimus apices tam Cajetâ quámque Pentapoli fortis nobis desinat
CAROLI *Nempe quidem scimus, quia ipse iniquus & perfidus Adalgisus pro nulla*
R. 19. *causa in istis declinavit partibus, nisi tantummodo pro vestra nostrique*
PIPPINI *vietate. Unde oportet, ut firmissimus vestra sacra partibus Beneventani*
LUDOV. *pracelsa Regalis Excellentia nitatur, ut undique per vestrum Regale*
RR. 7. *lum imperturbati pariter maneamus.*

XX. In iisdem literis Adrianus Carolo significavit consulendum imprimis
nevento; seu desciscerent à fide jurata, seu manerent in ejus obsequio
neventani, Grimoaldum Aragisi filium in eam provinciam haud mitt
dum: si rebellarent, prævalidis copiis lacessendos ad Kalendas Maii;
bium non esse, quin Athalgisus sive Adalgisus res novas in Italia moli
tur, Francis & Apostolicæ Sedi pergravia inferret damna, si Regius
citus à Kalendis Maiis usque ad Septembrem mensem non compar
adjecit didicisse se à Leone Episcopo consilium Adalbergæ Aragisi
lictæ hoc esse, ut statim ac Grimoaldus ejus filius ad Beneventanos
accesserit, duas suas filias, orationis specie, secum ad Ecclesiam Sa
Michaelis in monte Gargano constructam ducat, ac inde pergat Ta
rum, ubi thesauros reconditos habet. Textus literarum talis est. *Nos verò*
hac omnia considerantes, dilectissime nimisque amantissime, atque à Deo protecte
præcellentissime fili, nobis sic aptum esse videtur, ut sive voluntatem vestram fece-
rint ipsi Beneventani, non ullo modo expedit Grimualdum filium Arichisi Bene-
ventum dirigere. Verumtamen, sicut vobis ab Omnipotenti Deo nostro prudentis-
sima sapientia concessa est, ita sagaciter pro hujusmodi re pertractare atque con-
gruè disponere jubeatis, ut ea, quæ vobis nobisque expedibilia fuerint, ad per-
fectum salubriter veniant, ut non in quolibet labore pariter eveniamus. Sed si
ipsi sæpiùs dicti Beneventani minimè vestram Regalem adimpleverunt volunta-
tem, sicut vobis pollicitâ sunt, statim ibidem taliter exercitum emittere [illegible]
ut ad profectum Sanctæ nostræ Ecclesiæ vestræque Regalis perveniat Excellenti
& sic illis partibus disponatur, ut inimicus locum nocendi non inveniat, [illegible]
per vestra in triumphis exultet in Domino Regalis victoria. Enimverò [illegible]
fidelissimis Missis vestris pertractantes considerantésque, ut si minimè ip[illegible]
ventani adimplere voluerint Regalem vestram voluntatem, ad Kalendas
vester robustissimus exercitus in confinio præparatus super ipsos irruere
ventanos inveniretur, & demùm pariter penetrantes, in his confirmur[illegible]
æstivi temporis ægritudinem non undebimus. Et iterum si super eos à Ka
Maiis usque in Septembrem mensem exercitus non venerint, dubium no
videtur, ut fortè, Deo sibi contrario, prædictus nefandissimus Adalgisus
sidias Græcorum non aliquam nobis vobisque conturbationem facere
quia jam dicti Missi Græcorum cum eo esse noscuntur, & alii in Neapol
videntur. Sed hæc existimantes in vestro robustissimo atque à Deo prote
gali arbitrio emisimus pertractanda, ut qualiter vobis placuerit, dispone
riter dignetur, nobis intimando per suos Regales affatus suam nostrámque
vitatis salutem. Quapropter nimis poscentes quæsumus vestram præcel
Excellentiam, ut nullo modo pro causa Grimualdi filii Arichisi credere p
quam jubeatis quàm nobis. Nam pro certo sciatis, quia si ipsum Grimual
Beneventum miseritis, Italiam sine conturbatione habere minimè potestis.
Leo Episcopus secreta nobis sic fatus est, quia Adalberga relicta Arigisi
bet consilium, ut dum ipse Grimualdus filius ejus Beneventanos fines int
ingeniosè cupit duas filias secum deferre, & quasi orationis causâ Sancti
gelum in Garganum pergere, & deinde in Tarantum, ubi & thesauros suos
ditos habet, quia tantùm octoginta millia distat à Sancto Angelo usque
tum. Sed in hoc minimè vestra à Deo promota Excellentia considerare
quod pro nostra aviditate ipsas civitates adquirendum, quas Beato Petro

AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

& nobis condonastis, talia vobis insinuare studuimus. Sed pro magna securitate Sancto Dei Catholico & Apostolica Romana Ecclesia atque vestra praecelsa Regalis exaltationis victoria, ea qua audivimus & agnoscere potuimus, vestris Regalibus auribus insinuare nullo modo neglexmus. Vestra quoque Regalis Excellentia, qualiter ei placuerit, & aptum prospexerit, in omnibus hic disponere providebit.

XXI.

Denique Adrianus, quemadmodum in Tuscia Suanam, Tuscanam, Biternum, Balneum Regis, aliásque civitates cum finibus ac territoriis obtinuerat, ita Regiorum Legatorum operâ justitias sibi fieri de Populonio & Rosellis, urbésque Beneventani Ducatûs ab eodem Carolo nuper Apostolicæ Sedi concessas reddi postulavit. *Magnoperè poscentes clementissimam Regalem benevolentiam, quæsumus, ut pro amore fautoris vestri Beati Petri clavigeri Regni cælorum, nostrâque in Christo spiritali paterna dilectione, clariter atque specialiter per vestros Regales honorabiles apices Missis vestris dirigere dignemini, ut nullo modo ad vos remeare audeant, nisi priùs sub integritate civitates in partibus Beneventanis, sicut eas per vestram sanctam oblationem Beato Petro Apostolo & nobis contulistis, in omnibus contradere valeant, & justitias de Populonia & Rosellis nobis facere sub integritate studeant. Quia sicut alia ex Missis vestris, qui contemnere moliuntur, & fœdare vestram sacram oblationem. Sed sicut in partibus Tusciæ, civitates, id est, Suanam, Tuscanam, Biternum, & Balneum Regis, ceterásque civitates, cum finibus & territoriis earum, Beato Petro offerentes condonastis, ita in eo modo civitates in partibus Beneventanis contradere nobis protinus faciatis, ut dum Missi vestri vestros susceperint Regales firmissimos affatus, sine qualibet interposita dilatione nobis eas contradere sub integritate valeant, ut nullus sit, qui possit extinguere vestrum illibatum sacrificium, sed hoc lucri potissimum præmium adquirentes dignè mereamini unà cum spiritali nostra filia Domna Regina, vestrâque nobilissimâ sobole, in æternis sine fine regnare arcibus. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.*

XXII. ET ADELPERGA.

Adalberga sive Adelperga Tarentum, ut Adrianus putaverat, haud se recepit, mansit Salerni. Tunc Romam venerant Oratores Regii, Atto Diaconus & Goteramnus Ostiarius, deinde Maginarius Abbas & Josephus Diaconus, Lutherico Comite in via retardato. Quomodo Romæ & in Ducatu Beneventano se gesserint hi Oratores, initio aliarum literarum [a] sic exponit ipsemet Adrianus. *Domno Excellentissimo filio nostróque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Meminit vestra à Deo promota Regalis Excellentia, qualiter ad nos emisit fidelissimos Missos, scilicet Attonem Religiosum Diaconum, & Goteramnum Magnificum Ostiarium, & post tergum eorum ad nos venerunt, videlicet Maginarius Religiosus Abbas, & Religiosus Joseph Diaconus, qui nobis fideliter intimaverunt ea, quæ illis injuncta habuit vestra præcellentissima Regalis potestas, ut, secundum nostrum Apostolicum consilium, in partibus Beneventanis ita peragerent. Qui in nostra præsentia residentes prænominati quatuor Missi, id est, Maginarius Religiosus Abbas, Atto & Joseph Religiosi Diaconi, atque Goteramnus Magnificus Ostiarius, dum adhuc minimè conjunxisses nostris Apostolicis obtutibus Lutherium, qui cum præfato Maginario seu Joseph ad nos missus fuit, tale illis præbuimus consilium, ut nullo modo se alter ab altero separaret, sed præeuntes Atto & Goteramnus in oppido Valvu, ibidem expectarent tam Maginarium & Joseph, quàm Liudericum seu Luthericum, quem socii ejus apud nos morantes exspectabant. Qui præcedentes, scilicet Atto cum Goteramno, nullo modo nostris accommodaverunt consiliis, sed relinquentes penitus Maginarium seu Joseph & Liudericum, abierunt singulariter Beneventum. Unde post tergum eorum euntes Maginarius cum Joseph & Liuderico in Benevento jam Attonem & Goteramnum nullo modo invenire valuerunt, eò quòd in Salernum perrexerant ad Albergam relictam Arichis Ducis. Ubi dum Maginarius cum sociis suis à fide-*

[a] Cod. Carol. ep. 92.

AN.CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

libus vestris audissent, sicut nobis ipsi intimaverunt, eò quòd infideliter [illegible] *tam relicta prædicti Archisi Ducis, quámque ceteri Beneventani, erga* [illegible] *Regalem Excellentiam atque nostrum Apostolatum iniqua atque adversa* [illegible] *non desinunt. Fugam arripientes Maginarius cum Joseph & Linderico, ubi* [illegible] *Goteramno, qui ad eos ad loquendum venerat à Salerno, introierunt in* [illegible] *Ducotûs Spoletini in præfato oppido Valva, & ibidem morantur usque ad* [illegible] *Regalem in triumphis dispositionem. Atto verò audiens, ut fertur, fugiens in* [illegible] *in Ecclesiam Salerni præ timore, ejusdem Ecclesia altare tenuit. Ipsi autem* [illegible] *ventani suadentes, ut reor, & simulantes* [illegible] *tum mitigaverunt, & vestrum* [illegible] *cum fictè miserunt, seipsos fideles in omnibus commendantes.* Has literas [illegible] sequenti scripsit Adrianus, mentionem enim duorum fecit Spatariorum qui *Salernum ad relictam Arigisi Ducis peragrantes tertio-decimo Kalend. Februar. pervenerunt.* Posteriorem igitur earumdem literarum partem in [illegible] num sequentem rejiciemus.

XXIII. Illo anno, ut fusiùs tunc ostendemus, alias quoque literas [a] scripsit Adrianus, quæ res hoc partim anno, partim proximo, gestas complectun[tur]. Imprimis Carolo sospitatem & Bojoariorum subjectionem sic gratulatus *Domno Excellentissimo filio nostróque spiritali compatri Carolo Regi Francorum Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Nectareos suavissimósque præcelsos Regales apices vestros cum nimio cordis suscepimus amore, quos reserantes reperientésque vestram Regalem sospitatem, simul & spiritalis filiæ nostra Domnæ Reginæ vestræque nobilissimæ prolis salutis prosperitatem, magnas Omnipotenti Deo retulimus grates, qui vobis per intercessiones beati Petri Apostoli, fautoris vestri, nobis velut immeritis, jugiter pro vobis exorantibus, indesinenter victorias ubique tribuit, & omnia circa vos salubriter disponit tam marcas quámque confinia. Magis quippe de subjectione Bajuariorum, sicut nempe prædiximus & optavimus, ita & præstolantes audivimus de vestra præcelsa Regali in triumphis victoria.* Deinde hæc de Regiis subjunxit Oratoribus, qui à Salerno in Ducatum Spoletanum præcipiti se fugâ receperunt. *Nobis ita notuit de fidelissimis Missis vestris, scilicet Magenario Religioso Abbate, seu Joseph, & Linderico Comite, atque Goteramno Ostiario, quia Benevento reversi Spoletum, ideo exinde fugerunt, eò quòd tale consilium Beneventani cum Neapolitanis, & Surrentinis atque Amalfitanis habuerunt, ut foris civitate Salernitana juxta mare vestros Missos applicare facerent, & nocte repentino cursu super eos ruerent Beneventani, pariter cum Neapolitanis, illos interficerent, & postmodum proferrent, quasi super ipsos Beneventanos venientes, existimantes esse Beneventanos, eos clàm occiderent. Et præfati Missi vestri hac cognoscentes coacti fugam arripuerunt, vestram conquerentes Regalem illusionem.* Cetera pertinent ad annum sequentem.

[a] Cod. Carol. ep. 25.

XXIV. MAGNERICUS EP. APTENSIS.

Magnericus Aptensis Episcopus, quem alii Magincum & Magni cum appellant, à Sammarthanis ad hunc annum memoratur. Antecessorum adeò periit memoria, ut altum de illis silentium sit ab anno Christi quingentesimo octogesimo-quinto, quo secundum Matisconense Concilium est celebratum.

XXV. SYAGRIUS EP. NICIENSIS OBIT.

Syagrius vel Siacrius seu Siacrus, qui secundùm Chronologiam Lerinensem anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo Niciensis Episcopus ordinatus est, hoc anno migravit in cælum, *per decem enim annos laudabiliter* in Episcopali dignitate *vixit, virtutibus eximiis coruscavit, ac demùm ejus anima decimo Kalendas Junii carne soluta æthereas regiones cum Christo perenniter regnatura feliciter conscendit, corpus verò ejus sepultura mandatum est in Basilica Monasterii Sancti Pontii, in quo primus Monachorum Pastor extiterat.* Hæc Barralis. Habet consentanea Jofredus [b], sic. *Postquàm integro decennio Ecclesiam Niciensem integerrimè gubernasset, volens Deus pro exantlatis laboribus dignam ei mercedem reddere, illum ex hac vita ad se evocavit decimo Calend. Junii. Sepultus est autem, non Niciæ in S. Maria Ecclesia Cathedrali, sed*

[b] Part. 2. Tit. 83. n. 7.

AN. CH. 787.

CAROLI R. 19.

PIPPINI LUDOV. RR. 7.

in suo S. Pontii Monasterio, in quo Abbas claruerat, ubi etiamnùm ejus veneranda lipsana cum SS. Pontii & Anselmi ossibus asservari traduntur. Successit in Episcopatum Niciensem Joannes, de quo rursum post quadriennium loquemur. Utrùm Abbas etiam Sancti Pontii fuerit, haud liquet, quoniam ad multos annos mutilus est Abbatum Catalogus.

SUCCESSIT JOANNES.

XXVI.

Obiit & hoc anno Widolaicus Abbas Fontanellensis, de quo sic Chronographus[a] illius loci. *Depositus est Petreo-ponte villâ publicâ sub anno Domini* DCCLXXXVII. *Indictione* X. *decimo-octavo Kalend. Octobr. qui est annus vicesimus Gloriosissimi Caroli Regis Francorum, & decimus-quintus Adriani Apostolici. Sepultus est autem in Ecclesia Beati Apostoli Petri subter arcum introitus absida. Rexit ipsum Monasterium annis triginta-quinque, & mensibus octo, diebus tredecim.* Ex illis Characteribus alii veri sunt, alii falsi. Widolaicus anno Christi septingentesimo quinquagesimo-tertio curam Monasterii suscepit, vitámque clausit decimo-octavo Kalendas Octobris, anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo; ergo nec anno Caroli Regis vicesimo, nec Indictione decimâ vivere desiit, nec etiam Cœnobium annis rexit triginta-quinque, mensibus octo, diebúsque tredecim. Hic Abbas Ecclesiæ suæ dona quædam in ornamentis ac libris contulit, utrorumque Catalogum reperies apud eundem Chronographum, qui nec perperam gesta reticuit. *Sub hujus*, inquit, *temporibus plurima res Ecclesiæ perierunt, quas ipse Regiis hominibus ad possidendum contradidit, miserabile sibi faciens memoriale, quæ usque hodie de ejusdem Cœnobii ditionibus permanent ablata. Pro qua etiam occasione status Sanctæ Regulæ periclitari cœpit, ob inopiam videlicet compescendarum indigentiarum, quas Beatus Pater Benedictus in eadem lege Monachis porrigendas præcepit.*

a Cap. 14.

WIDOLAICUS ABB. FONTANELL. OBIT.

REBUS MON. MALE ADMINISTRATIS.

XXVII.

Widoni-laico successor non est statim datus. Causam morarum sic idem Auctor exponit[b]. *Widoni-laico erat nepos, id est, sororis suæ filius, nomine Witboldus, Gloriosissimi Regis Caroli tunc Capellanus, cui præfatum Monasterium Fontanellense post avunculi sui decessum ad regendum promissum fuerat. Sed dum is ad Constantinum Imperatorem Græcorum ac Hyrenem à Domno Rege Carolo cum alio Legatario, nomine Joanne, causâ Legationis directus fuisset, ac per annum & sex mensium spatia in redeundo moram faceret, Gervoldo sæpefatum Cœnobium collatum est. Causa autem Legationis erat super Ruatrude filia Magni Caroli, quam iisdem Imperator Constantinus ad conjugium petebat.* De Gervoldo plura dicemus anno sequenti, quo munus Abbatiale suscepit. Interim, cùm Monachi Fontanellenses carebant Abbate, missi sunt à Carolo Rege Landricus Abbas Gemmeticensis & Richardus Comes, qui rerum ad Fontanellam pertinentium indicem seu breve texerent. *Hæc verò est summa de rebus ejusdem Cœnobii, quæ præcepto Invictissimi Caroli Regis annumerata est à Landrico Abbate Gemmetico, ac à Richardo Comite, anno vigesimo Regni sui, qui est obitus prædicti Patris Widonis-laici. Primitus etenim de his, quæ ad usus proprios fratrúmque stipendia pertinere videntur, sunt mansi integri reperti numero* MCCCXXVI. *medii* CCXXXVIII. *manoperarii* XVIII. *qui sunt simul* MDLXXXII*. *Absi* CLVIII. *molendina* XXXIX. *In beneficiis verò relaxati sunt mansi integri numero* MMCXX. *medii* XL. *manoperarii* CCXXXV. *qui simul juncti fiunt* MMCCCXCV. *Absi* CLVI. *habent ipsi molendina* XXIV. *Summa namque universitatis præsentium rerum inter integros, medios, atque manoperarios reperti sunt mansi* MMMDCCCCLXXVIIS*. *exceptis villis, quas Wido-laicus aut Regiis hominibus contradidit, aut etiam sub usufructuario aliis concessit, quod omnimodè facere non debuerat.* In vulgatis exemplaribus[c] mansi leguntur MMMMCCLXIV. At manifestus est error, quoniam è duabus summis, MDLXXXII & MMCCCXCV, exurgunt tantùm MMMDCCCCLXXVII. Præter mansos autem numerantur absi CCCXIV. molendina LXI. Absus est mensura quædam terræ, & ab abso dicitur absarius, ut patet ex Constitutione Caroli Crassi, quam Lindenbrogius & Spelmannus allegant, ubi sermonem de bunuariis habent.

b Cap. 15.

LEGATIO AD IMP. PRO MATRIMONIO ROTRUDIS.

LANDRICUS ABB. GEMMETIC. ET RICHARDUS COMES VISITATORES CONSTITUUNTUR MONAST. FONTANELL.

* MDLXIX.

* MMMMCCLXIV.

c Cap. 14.

ABSUS ET ABSARIUS.

AN.CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI ET LUDOV. RR. 7.

XXVIII. Apud Robertum & Sammarthanos, Petrus Senonensis Archiepiscop[illegible] hoc anno mortuus dicitur. Successerat in Archiepiscopatum Gotescalco hic Wilicario, de quo locuti sæpè sumus. Nec audiendi sunt, Monachu[illegible] Altissiodorensis, aliique Nomenclatores, qui Gotescalco seu Godeschal[illegible] Sanctum Gumbertum proximè subrogant, tum Petrum, de quo nobis hi[illegible] sermo. Gumbertus seu Gundelbertus, qui dimisso Archiepiscopatu Sen[illegible]nensi in eremum Vosagensem secessit, vitam duxit septimo seculo, nec à n[illegible]bis omissus est Tomo tertio. Demochares potiorem postulat emendatio[illegible]nem, quia Gotescalco Gumbertum, Gumberto Serenum, Sereno Petru[illegible] sufficit. Quot annis Archiepiscopatum tenuerit Petrus, haud scim[illegible] Gotescalci proximus haberi debet successor, decessórque Wilebal[illegible] cujus obitus cum anno Christi septingentesimo nonagesimo-secundo coi[illegible]cidit.

Index Archiep. Senonens. emendatur.

XXIX. Lullus Moguntiacensis Archiepiscopus, ut Serarius ex illius Ecclesiæ B[illegible]viario refert, *per spiritum cognoscens dormitionis suæ instare diem, vocato* [illegible]*piscopo suo Albuino, viro valdè religioso, injunxit, ut, sacris priùs celebr*[illegible] *mysteriis, se ad Heresfeldense Monasterium præcederet. Ille sine mora sac*[illegible] *perficiens, etsi toto corpore incolumis videretur & sanus, cùm Sacramentis* [illegible]*minicis participasset, unà cum Missa finivit & vitam. Nihil hoc casu motus* [illegible]*lus, obitûs sui prænunciatum, navi secum impositum per Moganum in Heresfel*[illegible]*dense Cænobium (priùs à se extructum) advehens honorificè sepelivit. Ubi etiam morbo protinus correptus, Archiepiscopatûs sui anno 32. placidâ morte in Domino defunctus est.* Annus ille Lulli tricesimus-secundus à Martyrio Sancti Bonifacii numeratur. Porrò, cùm Beati Bonifacii Martyrium alii anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto, alii septingentesimo quinquagesimo-quinto consignent, inde fit ut annus Archiepiscopi Lulli tricesimus-secundus à plerisque anno Christi septingentesimo octogesimo-sexto, ab aliis septingentesimo octogesimo-septimo illigetur. At posteriorem hanc controversiam dirimit Regium Diploma, in quo Carolus de prima Bremensis Episcopatûs erectione sic loquitur. *Summi Pontificis & universalis Papæ Hadriani Præcepto, necnon & Moguntiacensis Episcopi Lullonis omniúmque qui adfuerunt consilio, eamdem Bremensem Ecclesiam cum omnibus suis appendicii[illegible]s Willehado probabilis vitæ viro coram Deo & Sanctis ejus commisimus; quem etiam primum ejusdem Ecclesiæ, III. Idus Julii consecrari fecimus Episcopum.* Ad hunc igitur annum, quo Willehadus Bremensis Episcopus ordinatus est, pervenit Lullus. Ut autem annus, sic & dies obitûs hodie controvertitur. Joannes Gerbrandus in Chronico Belgico [a] Lullum Kalendis Novembris mortuum dicit, cum tamen Ecclesia Moguntiacensis decimo-septimo Kalendas Novembris colit, & in manuscriptis Codicibus, quos Surius [b] & Serarius [c] allegant, idem obitûs dies celebratur. Albuino sive Alboino Episcopo superstes aliquot diebus vixit Lullus Archiepiscopus. Id ex prædictis liquet. Agitur autem festum Albuini septimo Kalendas Novembris, ut mox ostensuri sumus, atque inde colligimus obitum Lulli Metropolitæ in Kalendas Novembres rejiciendum esse. Sepultus fuit Sanctus Lullus in Herveldensi Monasterio. Successit in Archiepiscopatum Moguntiacensem Richolphus seu Riculfus, de quo sermonem jam fecimus.

Alboinus seu Witta Ep. Birburg. et Lullus Archiep. Mogunt. moriuntur.

[a] Lib. 3. c. 9.

[b] D. 16. Oct.

[c] Lib. 4. rer. Mogunt. in Archiep. 2.

Richolphus fit Archiep. Mogunt.

XXX. Witta sive Albuinus, quem Bonifacius Archiepiscopus tum regionarius
primum in Hassia Birburgensem Episcopum anno Christi septingentesimo
quadragesimo-secundo constituit, non semel à nobis laudatus fuit Tomo
superiore. Moguntiacensi Metropolitæ subjacere cœpit anno Christi septin-
gentesimo quadragesimo-sexto, postquàm Moguntiacensis Ecclesia Metro-
politanam dignitatem recuperavit. Sedit annos quadraginta-quinque, eo-
dem quo Lullus Archiepiscopus, cujus suffraganeus dicitur, obiit anno,
eóque quo suprà dictum modo; locum habet in Catalogo Sanctorum, co-
litúrque septimo Kalendas Novembris. Ei successit in Episcopatum Men-
gottus.

Mengottus fit Ep. Birburg.

AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

gotus. Lege vicesimam-nonam Serarii Notationem ad vitam Sancti Bonifacii libro tertio rerum Moguntiacarum.

XXXI. WILLIBALDUS EP. EYSTETTENSIS OBIT.

Hoc eodem anno mortuum existimamus Willibaldum Eystettensem Episcopum, quem mense Octobri, anno Christi septingentesimo octogesimo-quinto superstitem ostendimus, Donationis, quâ Fuldense Monasterium Baugolpho tunc Abbate locupletavit, hac allatâ subscriptione. *Actum in Monasterio Fuldanensi, anno XVIII inchoato, regnante Carolo Gloriosissimo Rege Francorum & Langobardorum atque Patricio Romanorum, die 8 mensis Octobri.* Inde erroris redarguuntur plerique Scriptores, qui ejusdem Willibaldi mortem anno Christi septingentesimo octogesimo-primo consignarunt, rati cum ordinatum Episcopum anno Christi septingentesimo quadragesimo-quinto, cùm annos unum & quadraginta natus esset, & in sæculum migrasse, cùm annum ætatis septuagesimum-septimum, Episcopatûs tricesimum-sextum ageret. Illam opinionem amplexus est in ejus vita Philippus Eystadiensis Episcopus, qui vitam anno Christi millesimo trecentesimo vicesimo-secundo clausisse dicitur. Philippum in Catalogis Eystadiensium Episcoporum secuti sunt, Bruschius, Cratepolius, Gretserus, aliique, quorum asseclam se fore profitetur Bollandus [a] in Commentario prævio vitæ Sancti Richardi, *dum certiora proferantur monumenta.* Quamvis autem Philippus Willibaldi Episcopi ordinationem anno Christi septingentesimo quadragesimo-quinto illigarit, annúmque illum apud Bollandum confirment, *teste Gretsero, communis hominum persuasio, ac vetera monumenta, & jam tradita ratio ex Actis Willibaldinis collecta,* Willibaldini Pontificatûs initium ab anno Christi septingentesimo quadragesimo-secundo repetivimus, attulimúsque prævalidas rationes, quas ad illum annum Tomo superiori consulere poteris. Ut autem de Præsulatûs initio non convenimus, sic etiam nec de annorum numero, Anonymus enim septem duntaxat apud Canisium [b], alii sex & triginta tribuunt, utrique perperam, nam Willibaldus longè diutiùs sedit. Haud commodior occurrit emendatio, quàm si quadraginta-sex assignentur incompleti, quorum principium sumatur ab anno Christi septingentesimo quadragesimo-secundo, finis verò terminetur hoc anno post Christum natum septingentesimo octogesimo-septimo. Sublatus est igitur ex hac vita Willibaldus anno ætatis suæ non LXXVII sed LXXXVII, Episcopatûs anno non XXXVI sed XXXXVI. Celebris est ejus memoria Nonis Julii.

XXXII. AN SCRIPSIT VITAM S. BONIFACII MARTYRIS?

Inter eruditos hodie controvertitur, utrùm vitam Sancti Bonifacii, quam frequenter citavimus, in literas retulerit Sanctus Willibaldus. In notis ad vitam cùm Sancti Bonifacii tum Sancti Gregorii, Christophorus Browerus in dubium revocat, utrùm ea Sancti Bonifacii vita, quæ Sancti Willibaldi nomine circumfertur, ex officina Sancti Willibaldi Eystettensis Episcopi prodierit. Argumenta, quibus ille utitur, verisimilia fatetur Jacobus Gretserus in Observationibus [c] ad Sancti Willibaldi vitam è veteribus schedulis à Philippo Eystettensi Episcopo collectam; illa tamen adeò valida negat, ut opinionem mutare cogant. Non pauca jam diluimus, cùm varios Sancti Willibaldi textus allegaremus interpretaremúrque, cetera placet hic refellere, sive à Browero jam proposita sunt, sive aliunde conquisita.

XXXIII.

Primò, vita Sancti Bonifacii, quam Authore quidem Sancto Willibaldo primo Eystettensi Episcopo sed absque ulla inscriptione apud Surium [d] reperies, ab Henrico Canisio edita [e] est cum hac inscriptione. *Dominis Sanctis & verè in Christo charissimis Lullo & Megingozo Coepiscopis, Willibaldus licèt indignus in Domino Presbyter.* Ex hac autem inscriptione duo distinguendi videntur Willibaldi; quorum unus Presbyter tantùm fuerit, scripseritque vitam Sancti Bonifacii; alter Episcopatum Eystettensem gesserit, & Episcopus esse cœperit longè ante Sancti Bonifacii Martyrium, ut ex

[a] D. 7. Febr.

[b] Tom. 4. ant. lect.

[c] Lib. 1. c. 22.

[d] D. 5. Jun.

[e] Tom. 4. antiq. lect.

AN. CH. dictis ad annum Christi septingentesimum quadragesimum-secundum
787. constat.
CAROLI Adversùs hanc objectionem asserimus cum Gretsero Commentarium de
R. 19. vita Sancti Bonifacii elaboratum esse à Willibaldo jam Episcopo, qui ta-
PIPPINI men studio submissionis in Titulo Presbyterum se nominavit, quamquam
LUDOV. satis se declaravit Episcopum, quando Lullum & Megingozum Coepisco-
RR. 7. pos dixit. Illam de Sancto Bonifacio lucubrationem Willibaldus Episco-
porum, quibus dedicavit, Lulli præsertim Archiepiscopi rogatu scripsit.

[a] Num. 12.

XXXIV. In hanc rem manuscriptus Codex à Gretsero sic allegatur. *Andiens beat[us] Lullus Sancti Bonifacii Martyrium, studuit quantocyùs hac insinuare viro san[cto] & docto Coepiscopo suo in Eychstett Willibaldo, rogando, ut Magistri ipsor[um] vitam, cujus ipse opera pleniùs nosset, stylo dignaretur annotare, ne, ipsoru[m] negligentiâ, tanta Ecclesiæ lucerna sub modio celaretur, sed magis supra can[de]labrum posita cunctis pòst futuris hominibus lumen vitæ ostenderet. Quod i[ta] Sanctus Præsul Willibaldus diligenter adimplevit.*

XXXV. Secundò, si Willibaldus, qui vitam Sancti Bonifacii scripsit, Episco[pus] fuit Eystettensis, Megingozo seu Megingaudo Episcopo lucubration[em] suam inscribere non potuit, mortuus est enim *anno ab Incarnatione Do[mini] septingentesimo octogesimo-primo, Nonis Julii*, ut in ejus vita [b] Philippus [Eys]tettensis Episcopus scribit, & Burchardus, cui Megingaudus in Episcopatum Wirceburgensem proximè successit, Egilwardo teste [c] *obiit anno Incarnationis Domini septingentesimo nonagesimo-primo.*

[b] Cap. 27.

[c] Ap. Sur. d. 14 Octobr.

XXXVI. At hoc loco Philippus & Egilwardus nulla pollent auctoritate, quia procul abfuerunt ab ætate Sancti Burchardi, suásque lucubrationes multis fabulis & anachronismis asperserunt. Obitum Sancti Willibaldi Philippus sexennio citiùs ad annum Christi septingentesimum octogesimum-primum retulit. Id probatum suprà. Multò gravior est error Egilwardi, Burchardum enim Wirceburgensem Episcopum, cujus mors anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto consignari debet, post annos septem ac triginta sublatum ex hac vita dixit, anno videlicet Christi septingentesimo nonagesimo-primo. Lege quæ superiùs adversùs hunc Auctorem scripta sunt ad annos præcipuè Christi septingentesimum quadragesimum-secundum, septingentesimum quinquagesimum, septingentesimum quinquagesimum-primum, & septingentesimum quinquagesimum-quartum.

XXXVII. Tertiò, Willibaldus in prologo ad Lullum & Megingaudum Episcopos, & capite primo Gestorum Bonifacianorum dicit se de Sancto Bonifacio literis mandare, quæ ab aliis acceperit. In prologo sic. *Compulistis me, ut ad normam eorum, quorum aut vitæ castimoniam, aut morum sanctimoniam, Sancti procul dubio Patres, eleganti verborum ambage, chartis inserendo tradiderunt, petentibus religiosis ac Catholicis viris, quibus vel in Tuscia partibus, vel in Galliæ terminis, vel in Germaniæ aditibus, aut etiam in Britanniæ limitibus, Sancti Bonifacii Martyris fama miraculorúmque coruscatio perstrepuit, sicut discipulis ejus secum diu commorantibus, vel vobis ipsis referentibus comperi, præ[pri]mium, mediúmque ac finem vitæ ejus, quantâ valeam indagatione, literis inseram.* Et initio capitis primi, sic. *Illustrem igitur ac verè beatam Sancti Bonifacii summi Pontificis vitam moresque ejus, Sanctorum magnoperè imitatione sacratas, licèt opacitate præpedita scientia, exili tamen opusculo, hujus stamine innectere, ac simplici Historiæ tegmini, quemadmodum religiosis viris referentibus comperimus, qui quotidiano ejus eloquio, & religionis conversatione sedulò præsentati, ea quæ audierunt vel viderunt, in exemplum posteris tradiderunt, congregatâ verborum varietate texendo nitimur enodare, & ab exordio usque ad finem, quantâ possumus indagatione, divinæ contemplationis ejus sanctimoniam revelare.* Id autem quadrare non videtur in Sanctum Willibaldum Eystettensem Episcopum, discipulum Sancti Bonifacii, & multorum annorum contubernalem, qui rerum à Sancto Bonifacio gestarum pars magna fuit.

AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

XXXVIII. Respondet Gretserus Willibaldum ideo non professum esse, quòd etiam visa ab se literis mandare vellet, quia credebat nemini dubium fore, quin hoc facturus esset, utpote Sancti Bonifacii per multos annos discipulus, & rerum ab eo gestarum testis oculatus.

XXXIX. Quartò, in vita [a] Sancti Bonifacii, Willibaldus de Willibaldo Eystettensi Episcopo adeò magnificè loquitur, ut de seipso loqui minimè videatur. *Duos*, inquit, *bona industria viros ad ordinem Episcopatûs promovit Bonifacius, Willibaldum & Burghardum, eísque in intimis Orientalium Francorum partibus & Bavarorum terminis Ecclesias sibi commissas impertiendo distribuit, & Willibaldo sua gubernationis parochiam commendavit in loco, cui vocabulum est Heistate, Burghardo verò in loco, qui vocatur Wirtzeburg, dignitatis officium delegavit.*

[a] Cap. 10.

XL. Respondet Gretserus viros etiam Sanctos aliquid aliquando suam in laudem, etsi non ad suam, sed ad Dei laudem, protulisse, testémque adducit sanctissimum Apostolum Paulum, qui in propriam commendationem cùm alibi, tum primâ epistolâ ad Thessalonicenses, capite secundo, isthæc habet: *Vos testes estis & Deus, quàm sanctè & justè & sine querela vobis, qui credidistis, fuimus.*

XLI. Quintò, Willibaldus Eystettensis Episcopus, ut legitur in ejus vita, quam Henricus Canisius [b] ex membranis manuscriptis Oxenhusiani Monasterii publicavit, *postquàm Episcopatum suum sana institutâ vitæ per septem annos dignissimè informavit, dissolvi & esse cum Christo cupiens, spiritum conditori reddidit.* Id autem si verum est, nec Sancti Bonifacii Martyrio superfuit, nec ejus Acta conscripsit.

[b] Tom. 4. antiq. lect.

XLII. Mendum in illam Sancti Willibaldi vitam irrepsit, hic enim multò diutiùs in Episcopatu sedit, nec aliâ opus est responsione.

XLIII. Objectionibus Broweri solutis, instar corollarii Gretserus addit adversùs omnes suspiciones stare consensum manuscriptorum Codicum, ex quibus vidit Rebdorfensem, Hungerianum, unum vel alterum apud Sanctum Gallum in Helvetia, qui nomen Sancti Willibaldi præferunt, ut & ille, quo usus est Serarius. Codicem vocat Rebdorfensem, qui pertinet ad Monasterium Rebdorfense prope Eystadium; Hungerianum verò, qui ad Albertum Hungerum Academiæ Ingolstadianæ Cancellarium.

XLIV. Jacobus Gretserus Eystadiensium sive Eystettensium Episcoporum Catalogum Historicum, quem à primâ Episcopatûs origine ad nostram usque ætatem perduxit, sic exorsus est. *Episcopi nonnulli, qui post Sanctum Willibaldum Ecclesiam Eystettensem aliquot seculis gubernarunt, obscurâ nocte premuntur, ut præter nomina vix quidquam in publicis & privatis monumentis supersit. Meretur tamen gratias non exiguas Gundackarus XVIII Eystettensis Episcopus, vir rerum gestarum magnitudine & vitæ sanctimoniâ conspicuus, qui antecessorum suorum memoriam, quantùm licuit, reparare & conservare studuit, opere partim imaginario, partim scriptorio. Imaginarium voco, quia Patronos Ecclesiæ & singulos Antecessores suos depingendos curavit, picturâ, prout ævum illud ferebat, rudi, multúmque ab elegantia hujus ætatis abeunte, addito cuilibet effigiei versiculo, & annotato die electionis & mortis, nullâ fermè rerum gestarum mentione factâ. Extat hic Gundackari liber & labor Eystadii in Codice manuscripto, quem Pontificale nominant.*

XLV. Anonymus quidam Hasenrietanus, qui Gundackari familiaris fuit, eique superstes vixit, à Gretsero laudatur, quòd ejusdem Gundackari lucubratiunculam viderit, déque quibusdam Episcopis Eystettensibus nonnulla literis mandarit, quæ alibi vix invenias. Ex illo Anonymo hæc accipe de Gerocho beati Willibaldi proximo successore. *Sancto Willibaldo Geroch, filiolus in Baptismo, successit, vir clarus natalibus, multarum possessionum, quas patri charissimo & patrono sanctissimo contradidit. Hic calicem illum aureum, quem nosti, cujus magnitudinis sit, ex optimo auro fieri jussit, & ve-*

Succedit Gerochus.

AN. CH. 787. CAROLI R. 19. PIPPINI LUDOV. RR. 7.

terem illam Evangeliorum capsam ex electro & auro parissimo gemmisque pre... tiosis parari fecit: altare quoque aureum liberaliter inchoavit, quod postea suc... cessorum devotio, prout hodie est, perpolivit. Adalbertus Abbas in Relatione... Historica de Heidenheimensis Monasterii restitutione Monachis Benedic... tinis facta, scribit ab eodem Gerocho Canonicos ibi collocatos loco San... timonialium, quæ sub Sanctæ Walpurgis alteriúsque Abbatissæ disciplin... priùs vixerant.

XLVI. ABBATES FABARIÆ. Crispio Fabariensis Abbas brevi parùmque felici regimine potitus di... tur, à Discretione tamen ceteroquin matre virtutum commendatur, ... bonibus vitæque finem imposuit hoc anno pridie Nonas Martii. Datus successor Cymbertus sive Asymbertus. Lege Bucelinum in Chronolo... Rhætiæ sacra & prophana, necnon parte secundâ Germaniæ Sacræ.

XLVII. FLAVINIACI. Decessit & hoc anno Manasses Flaviniacensis Abbas, de quo sic H... in Chronico Virodunensi. *Obiit anno DCCLXXXVII. Nonis Octob... trigesimo-tertio anno suæ ordinationis. Successit Adalbertus.* Annum au... Præfecturæ tricesimum-tertium inchoatum interpretare, quia Mana... anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto post Gayronium ... bas esse cœpit. Alius in eodem Chronico legitur textus, qui Manass... Nonis non Octobris sed Novembris & anno Caroli Regis vicesimo-pri... mortuum tradit. At manifestus est error in anno Caroli Regis, idque li... quidò patet ex annis Abbatum, qui Manassem proximè secuti sunt. Textus Chronici talis est. *Obiit Manasses tricesimo-tertio anno ordinationis suæ, Nonis Novembris, cui successit Adalbertus vir venerandus anno vigesimo-primo Caroli, & quinto anno ordinationis suæ decessit, & ei successit Zacho & quarto anno moritur, & huic Alduinus succedens septimo anno obiit, & sic XXXV anno Imperii Caroli Domnus Apollinaris ordinatur Abbas.* Atque inde Flaviniacensium Abbatum Chronologia sic statuitur. Manasses in nostra opinione moritur Nonis sive Octobris sive Novembris, anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo, suscepti Monasterii tricesimo-tertio inchoato, Caroli Regis vicesimo pariter ineunte. Successor Adalbertus *quinto anno ordinationis suæ* sive anno Christi septingentesimo nonagesimo-secundo vitam claudit. Zacho proximè sufficitur, & *quarto anno* sive anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto decedit. Alduinus subrogatur, obitque *septimo anno* sui regiminis, sive XXXV *anno Imperii* seu Regni *Caroli*, anno videlicet Christi octingentesimo tertio, &, ut præcitatus docet textus, *Apollinaris ordinatur Abbas.* Hæc autem Chronologia corruet, si mortem Manassis Adalbertique promotionem anno Caroli Regis vicesimo-primo consignes.

AN. CH. 788. CAROLI R. 20 PIPPINI LUDOV. RR. 8.

ANNUS

CHRISTI			788.
CAROLI	R.		20. 17. 15.
PIPPINI II.	R.		8.
LUDOVICI	R.		8.

I. QUARTO Nonas Januarias, anno Christi septingentesimo duodenonagesimo, Gervoldus Ebroicensi Episcopatu dimisso factus est Abbas Fontanellensis, *rexit enim istud Cœnobium annis octodecim, menses quinque; dies tredecim, & vitæ terminum dedit XVIII Kalend. Julii, anno Incarnationis Do-*

AN.CH. 788.

CAROLI R. 10.

PIPPINI LUDOV. RR. 8.

mini *Jesu Christi* DCCCVI, *qui erat annus Regni Magni Caroli* XXXVIII, *Imperii verò sextus*, ut Auctor Chronici Fontanellensis observat a. Ad hos Characteres reducendi sunt alii, quos idem Chronographus exhibet, corrigendique si discrepant. Caput operis decimum-quintum sic inchoatur. *Gervoldus ex patre Walgario, matre verò nomine Walda, rexit ipsum Cœnobium annis ferè* XVIII. Quo in loco vox ferè non ponitur in propria significatione, nihil enim detrahit de re quæ proximè sequitur, imò rem illam completam significat, nam Gervoldus præter mensium dierúmque minutias annos XVIII completos Monasterio præfuit. In eadem quoque significatione vox illa debet accipi capite superiore, cùm Wido-laicus Abbas laudatur eò quòd sit *ferè gnarus literarum*. A præcedentibus Characteribus & ab invicem hi dissentiunt capite decimo-quinto. *Gervoldus Fontanellensis Cœnobii constituitur Rector anno Dominicæ Incarnationis* DCCLXXXVII. *qui erat annus vigesimus-primus Caroli Regis*. Mense Januario Gervoldus administrationem Fontanellensis Monasterii suscepit, anno quidem Christi septingentesimo octogesimo-septimo si principium anni à Paschate sumitur, anno autem Christi septingentesimo octogesimo-octavo si principium anni petitur à die Natali Domini vel à Kalendis Januarii, sed undecumque ducatur initium anni, vicesimus primus annus Caroli Regis per mensem Januarium cum anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo comparari nequit, illigatúrque anno Christi vel septingentesimo octogesimo-octavo vel septingentesimo octogesimo-nono. Eodem capite decimo-quinto, annus, quo Gervoldus in locum Widonis-laici successit, cum anno post Bertradæ Reginæ mortem tertio malè sic componitur. *Rebus humanis exempto præfato Widone-laico, idem Gervoldus suggestione suâ à Domno ac Invictissimo Rege Carolo præfatum Cœnobium Episcopatu deserto impetravit, anno videlicet jam tertio postquàm Bertrada Regina obierat.* Bertrada enim anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio vitam cum morte commutavit, annúsque post ejus obitum tertius cum anno Christi septingentesimo octogesimo-sexto coincidit.

GERVOLDUS DIMISSO EPISCOPATU EBROICENSI FIT ABB. FONTANELL.

a Cap. 15.

II. A decimo-octavo Kalendas Octobris ad mensem usque Januarium Fontanella caruit Abbate. Causam exposuimus anno priori. Witboldus Caroli Regis Capellanus, Widonis-laici Abbatis ex sorore nepos, *cui præfatum Monasterium post avunculi sui decessum ad regendum promissum fuerat*, apud Constantinum Imperatorem, qui Rotrudem Caroli filiam in conjugem expetierat, Legatione fungebatur, & *dum per annum & sex mensium spatia in redeundo moram faceret, prædicto Gervoldo sæpefatum Cœnobium collatum est*. Lege Chronicon Fontanellense b. Gervoldus, ut Fontanellensis Abbas fieret, Ebroicensem Episcopatum sponte deseruit abdicavitque. Temporibus Pippini & Caroli mancus est Ebroicensium Episcoporum Catalogus. Sub Pippino Maurinum restituimus ex Attiniacensis Placiti subscriptionibus, sub Carolo Gervoldum ex Chronico Fontanellensi. Maurinus Attiniacensi Placito subscripsit anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto; Gervoldus, cùm Bertradæ Reginæ Capellanus esset, rogante eâdem Reginâ impetravit à Carolo, ut Ebroicensi Episcopo rebus humanis exempto subrogaretur. Sirmondus in notis ad Concilium Francofordiense, quod anno Christi septingentesimo nonagesimo-quarto celebratum est, hunc Gervoldum Ebroicensem Episcopum confundit cum Gerbodo, de quo sic Canon decimus prælaudatæ Synodi. *Definitum quidem à Domno Rege & à sancta Synodo esse dignoscitur, ut Gerbodus, qui se Episcopum esse dicebat, & sua ordinationis testes non habuit, qui tamen Episcopalia à Magenardo Metropolitano Episcopo Rotomagensi consecutus est, qui etiam professus est Diaconum & Presbyterum non secundùm Canonicam ordinationem ordinatum esse, ut ab eodem gradu Episcopatûs deponeretur à prædicto Metropolitano sive à comprovincialibus Episcopis.* Sirmondo plerique consentiunt. At, ne nostrum adjungamus

b Cap. 15.

DISTINGUITUR A GERBODO,

AN CH. 788. CAROLI R. 20. PIPPINI LUDOV. RR. 8.

suffragium, multa prohibent. Apud Sirmondum Gerbodus *ex Abbate Fontanellensi* fit Ebroicensis Episcopus. Apud Chronographum *autem Fontanellensem* Gervoldus deserto atque abdicato Ebroicensi *Episcopatu* constituitur Fontanellensis Abbas, & Abbatiale munus in illo Cœnobio per annos sex integros gerit, antequàm convocetur Synodus Francofordiensis, in qua depositio Gerbodi decernitur. *Eodem* enim *anno*, quo Gervoldus fit Abbas, *Invictissimus Rex Carolus*, ut Auctor Chronici Fontanellensis persequitur, *Conventu celebrato in Ingolhaim, partibus Bajoariæ properare cum immenso exercitu disponit. Ipsóque tempore sine bello ac ulla exercitûs sui molestia tradidit fortis præliator Deus Regnum Bajoariæ in manus Invictissimi Regis Caroli, & Tassilo Dux gentis ejusdem tonsus est*, ut ex aliis Auctoribus ad hunc ipsum annum mox probaturi sumus. Præterea quisquis ea, quæ de Gervoldo in Chronico Fontanellensi, de Gerbodo in Synodo *Francofordiensi* narrantur, simul contulerit, illos moribus valdè dissimiles agnoscet, nec unquam arbitrabitur Carolum Regem Gerbodo Episcopo deposito usum in gerendis negotiis, quæ Gervoldo post dimissum Ebroicensem Episcopatum Abbati Fontanellensi commissa legimus. Quis Gervoldo in Episcopatum Ebroicensem proximè successerit, nemo prodit; videtur successisse Gerbodus, de quo Synodus Francofurtana.

SUCCESSURE.

III. Quod attinet ad Witboldum, cujus jam meminimus, *Legatione, pro qua directus* in Orientem *fuerat, strenuè functo ac reverso, Monasterium Sancti Sergii, quod in territorio Andegavæ civitatis situm est, à Domno ac Invictissimo Rege eidem noscitur attributum, quod posteà per plurimos feliciter rexit annos*. Hæc Chronographus Fontanellensis [a], unde augeas Catalogum Abbatum, qui Monasterio Sancti Sergii prope muros Andegavenses præfuerunt. Tunc Andegavensis Episcopus erat Gentianus successor illius Mauriolі, de quo locuti sumus Tomo superiore.

WITBOLDUS FIT ABB. S. SERGII, [a] Cap. 15. GENTIANO TUNC EP. ANDEG.

IV. Hoc anno statim ac fama percrebuit Attonem Salerno digressum in Franciam ad Carolum abiisse, duo Spatarii Constantini Imperatoris cum Theodoro Siciliæ Præfecto appulerunt Acropolim in Lucania, terrestrique itinere Salernum decimo-tertio Kalendas Februarii pervenerunt, atque habitis ibi triduo cum Proceribus Beneventanis & Adelperga *sive* Adalberga colloquiis deducti sunt honorificentissimè Neapolim, & à *Stephano* Episcopo Neapolitano civibúsque Neapolitanis humanissimè suscepti diuturniorem in ea urbe moram fecerunt ex consilio Beneventanorum, qui suaserant ita faciendum, donec adesset Grimoaldus, quem per Attonem Regium Oratorem aliósque Nuncios in Ducem à Carolo poposcerant, quémque spes erat Aragisi patris consilia feliciter executurum. Hæc Adrianus Pontifex in suis ad Carolum epistolis uberius ex variis relationibus exponit. In epistola enim nonagesima-secunda Codicis Carolini sic scribit. *Ob nimium suavémque amorem, quem erga vestrum invictissimum gerimus Regnum, nullo modo valemus prætermittere, liquidiùs de omni causa vobis insinuare. Venientes quippe de Capua, quam Beato Petro Apostolorum Principi, pro mercede animæ vestræ atque sempiterna memoria, cum cæteris civitatibus obtulistis, videlicet Gregorius Presbyter, Saductus, Pergulfus, Audemundus, Haimo, Landemarus, Warnefridus, Sigulfus, Audualdus, & Corbulus, intimaverunt nobis, quòd dum Atto Diaconus ad vestram reversus est Excellentiam, statim Missi Græcorum, duo Spatarii Imperatoris, cum Diæcete *, quod Latinè Dispositor Siciliæ dicitur, in Lucaniæ Acropoli descendentes, terreno itinere Salernum ad relictam Arigisi Ducis peragrantes tertio-decimo Kalend. Februar. pervenerunt. Qui ibidem cum ipsis tres dies consiliantes Beneventani, post tertium diem usque Neapolim deduxerunt. Neapolitani verò cum magno obsequio cum signis & imaginibus eos suscipientes, Neapolim ingressi sunt, pariter & usque hactenus cum ipsis Neapolitanis atque Stephano Episcopo ejusdem Neapolitanæ Ecclesiæ pertractantes existunt*. Et in duodenonagesima, sic. *Meminisse credimus, qualiter*

ADRIANI PP. LITERÆ AD CAROLUM DE REBUS ITALICIS.

* Diœcetes.

vobis per anteriores nostras Apostolicas emisimus syllabas de Capuanis, qui ad nos venerunt per vestrum Regale adminiculum, quatenus dum ipsius nostras vobis emisissemus syllabas, post aliquantos dies, præfatos Capuanos in confessione protectoris vestri Beati Petri Apostolorum Principis jurare fecimus, in fide ejusdem Dei Apostoli, & nostra, atque vestra Regalis Potentiæ. Et post actum sacramentum, unus ex ipsis Capuanis, Gregorius Presbyter, nobis petiit secreta loqui, asserens quia nullo modo jam quippiam celare possum, tale vobis præbens sacramentum. Et dum à nobis enucleatius sciscitatum fuisset, retulit nobis dicens, quia dum Dominus Carolus Magnus Rex præterito anno, &c. Textum, qui proximè sequitur, ad annum præcedentem retulimus; alterum, qui pertinet ad hunc annum, jam accipe. *Dum ibidem Salerno Atto fidelissimus vester Missus fuisset, Beneventani ipsos Græcos minimè recipere voluerunt, sed post reversionem prædicti Attonis Diaconi, tunc eos terreno itinere à finibus Græcorum venientes, Salerno receperunt, & cum Athalberga relicta Arichis, tribus diebus persistentes consiliati sunt, suadentes ipsi Beneventani prædictis Missis Græcorum dicentes.* [*Quia non ad Regem Carolum emisimus Missos nostros, petentes ab eo Grimoaldum Ducem nostrum recipere, & per Attonem Diaconum, ipso nobis pollicente, rogam emisimus, ut præfatum Ducem consequenter susciperemus. Sed propter hoc morari vos Neapoli convenit, dum usque ipsum Grimoaldum recipere possimus Ducem; & quod genitor ejus Arigisus minimè valuit adimplere, Grimoaldus ejus filius, dum culmen genitoris sui adeptus fuerit, prorsus Imperialem voluntatem cum omni ditione, sicut cum suo constiterit genitore, in omnibus adimpleat, pariter nobis promisse explentibus.*] *Quapropter terreno itinere usque Neapolim eos cum magno deduxerunt honore. Qui Neapolitani ipsos Græcos cum bandis & signis suscipientes, ibidem degentes, prædictæ rei præstolantes adventum, non desinunt cum Stephano Episcopo & Constantino civibus Neapolitanis adversa perpetrantes tractare, mittentes ipsi Græci ad Imperatorem, de obitu Arichisi filiique ejus denunciantes, & ab eo expectant consilium quid agere debeant.* Est autem roga laxior vestis, cui nomen quoque roccus seu rochetum, olim Regibus, Episcopis, Monachis, & aliis in usu. Lege Spelmannum in verbis, *roccus* & *roga*.

V.

Adrianus Pontifex justa de causa timere videbatur, ne Grimoaldus, si Beneventanorum Dux à Carolo constitueretur, vestigiis Arigisi patris insisteret, & Græci, postquàm Neapoli vere subsedissent, æstate ulteriùs in ditionem Pontificiam prorumperent. Verebatur quoque Carolus, ne Saraceni Francos per idem tempus ex alia parte lacesserent. Id in suis ad Adrianum literis non dissimulavit, ut patet ex ipsius Pontificis responsione [a], quæ sic incipit. *Destinavit nobis per vestros apices à Deo constituta Regalis potentia, quia, Deo sibi contrario, Agarenorum gens cupinot ad debellandum vestros introire fines. Hoc verò cognito, in magna exinde tribulatione atque afflictione positi sumus. Sed nequaquam Dominus Deus noster talia fieri permittat, nec beatorum Apostolorum Petrus Princeps. Nos verò, dulcissime fili & Magne Rex, incessanter pro vobis cum omnibus nostris Sacerdotibus atque Religiosis Monachis, & cuncto Clero, vel universo populo nostro, Domini Dei deprecamur clementiam, ut ipsam nec dicendam Agarenorum gentem vobis subjiciat, & vestris tamen subiternat pedibus, ut minimè prævalere adversùs vos valeant, quia sicut populus Pharaonis demersus est in mari rubro, eò quòd non crediderint Deo, ita & in hac vice Dominus Deus noster per intercessiones Beati Petri Apostoli in vestris eos tradat manibus. Confortamini autem & estote robusti, quia Dominus omnipotens confidentibus in eum vestri Regni dabit victoriam de inimicis vestris atque nostris. Et sicut indesinenter die noctuque, ante Confessionem ejusdem Dei Apostoli, Domini deprecamur Majestatem, ut vestrum dilatet Regnum, ita nos faciat de vestra sospitate & exaltatione Regni vestri semper in Domino exultare.* Abderamen Saracenorum in Hispania Rex, ne Francos adoriretur, morbo compulsus fuit. Obiit enim hoc anno, ut ex Christianorum Arabúmque

AN. CH. 788.
CAROLI R. 20.
PIPPINI LUDOV. RR. 8.

[a] Cod. Carol. ep. 73.

ABDERRAMEN SARACENORUM IN HISPANIA REX OBIIT.

AN. CH. 788. CAROLI R. 20. PIPPINI LUDOV. RR. 8.

putationibus simul collatis mox probaturi sumus. Orta post ejus mortem inter filios discordia, de qua sic Rodericus Toletanus in Historia Arabum[a]. *Regnavit annis triginta-tribus, & mortuus est anno Arabum centesimo septuagesimo-primo, & sepultus est in præsidio Cordubensi. Reliquit autem undecim filios, & novem filias. Unus ex filiis, Isen nomine, successit in Regno. Frater autem ejus Zulema, qui à patre successor fuerat institutus, præerat Principatui Toletano. Hic, cùm audisset, quod eum pater instituerat successorem, contra fratrem exercitum congregavit, & sibi mutuò occurrentes apud Castrum, quod Bulche * dicitur, acriter dimicarunt, sed Zulema inferior est inventus, & Isen victoriâ animosus Toletum adiit, & obsessam post modicum occupavit. Zulema autem victus & fugitivus Murciæ se recepit anno Arabum centesimo septuagesimo-quarto. Post hæc Isen emit à Zulema quicquid in Hispaniis possidebat pro septuaginta millibus aureorum, & Zulema relictis Hispaniis mare transiens ivit in Barbariam, & quievit Isen ab eo, & obtinuit Isen Toletum, & cætera loca, quæ Zulema consueverat possidere. Similiter cum altero fratre Abdalla, interposito diffidio aliquanto, demùm concorditer convenerunt, ut relictis Hispaniis in Africam transfretaret: & sic duobus fratribus effugatis, ab eorum scandalo Regnum Hispaniæ conquievit, & totam terram justitiâ & dilectione pacificè gubernavit, & à suis plurimùm amabatur.* Annos tres ac triginta, quibus Abderramen Regnum tenuit, incompletos jam interpretati sumus[b], ab anno Arabum centesimo undequadragesimo, quo primùm in Hispaniam ex Africa transiit. At investigandum manet, utrùm claudendi sint anno Hegiræ centesimo septuagesimo-primo labente, ut vult Rodericus suprà citatus, an extendendi ad annum ejusdem Hegiræ centesimum septuagesimum-secundum jam inchoatum, ut contendit Georgius Elmacinus, cujus hic est textus libro secundo[c] Historiæ Saracenicæ. *Anno 172 obiit Abdurrahman filius Muavia, fil. Hisiami, fil. Abdulmelici, fil. Mewanis, Amawæus, Rex Hispaniæ, ut regnaverat 32 annos & aliquot menses.* Annus Arabum centesimus septuagesimus-secundus cœpit quarto Idus Junias anno Christi septingentesimo octavo. Ergo Abderramen, seu labente anno Arabum centesimo septuagesimo-primo, seu cœpto eorum Arabum anno centesimo septuagesimo-secundo vitam clausit, excessit è vivis anno Christi septingentesimo octogesimo-octavo tunc currente. Certè Joannes Mariana libro septimo[d] rerum Hispanicarum non alium notat annum, quem anno Hegiræ centesimo septuagesimo-secundo jam inchoato putamus illigandum ex opinione Georgii Elmacini. Successit Abderrahmano filius, quem Rodericus Toletanus Isenum, Hisjamum Georgius Elmacinus appellat.

ORITUR INTER EJUS FILIOS DISCORDIA.

SUCCEDIT ISEN.

[a] Cap. 18 vet edit. c. 18. 19. novæ edit.

* Vet. edit Bolche.

[b] Tom. 5. ad an. 756. n. 41.

[c] Cap. 6.

[d] Cap. 7.

VI. Sublato è vivis Abderrahmano, visi sunt in tuto positi Francorum fines Hispaniam versùs. At aliunde Caroli Regis animum duplex afficiebat anxietas, ne Thassilo novos in Bojoaria tumultus cieret, & Græci Beneventanum Ducatum vel Pontificias ditiones invaderent. Mense Maio Papa literas accepit à Carolo, cui statim responsorias direxit, quarum initium proximè descripsimus. Alteras illo quoque mense conscriptas à se sic testatur Adrianus. *Ante aliquantos dies istius Maii mensis, quòd vestros suscepissemus apices, direximus apud vestram à Deo protectam Excellentiam Andream & Philippum Sanctissimos Episcopos, atque Theodorum Eminentissimum nostrum nepotem, pro consolatione atque visitationis causa, & prosperitatis vestræ lætitiam agnoscere.* Has literas[e], ut potioris apud Carolum auctoritatis essent, suis subscriptionibus munierunt quadraginta-duo cùm Presbyterorum Diaconi aliique ex Clero Romano, *Paulus Presbyter. Venerandus Presbyter, Farvaldus; Adalbertus, Gaudiosus, Benedictus Diaconus, Josue Diaconus, Hermenfridus, Raginbertus, Ansfearius, Gregorius, Agemodus, David, Gaidualdus, Ariolfus, Stephanus, Garibaldus, Gregorius, Savinus, Aldasinto, Rathbertus, Ratchis, Haribertus, Leo, Martinianus, Allo, Maio, Beaptulfus, Cunnaldus, Leminosus, Magnus, Ursus; Autbaldus, Aldefusus, Petrus, Ansualdus, Allo, Petrus, Gratiosus, Faroaldus, Ursus, Adualdus.*

[e] Cod. Carol. ep. 71.

ALIÆ ADRIANI PP. LITERÆ AD CAROLUM DE REBUS ITALICIS.

dux. Iisdem literis Carolum, ut prædictos Andream & Philippum Episcopos cessante Theodoro citissimè Romam remitteret, ita rogavit Adrianus. *Et hoc petimus te, amantissime fili, ut pro amore fautoris vestri beati Apostolorum Principis Petri, benignè eos solitè suscipere jubeatis, ut cum gaudio & effectu causæ, & exaltatione Sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ, ad nos remeantes, celeriter eos absolvere dignemini, ut ipse Princeps Apostolorum pro vobis intercedat ante Dominum Dei nostri Majestatem, ut ampliùs vestrum dilatet Regnum, & victoriam tribuat, nósque etsi peccatores ante Confessionem ipsius Dei Apostoli fundere valeamus preces.* Deinde monuit, quonam in statu res essent Italiæ, distinctè significavit Cajetam & Terracinam præsidio firmatas à Græcis, Præfectum Siciliæ morari Cajetæ, Campanos continuò ad defectionem à Beneventanis sollicitari, adjecitque habuisse se in animo exercitum in eam provinciam dirigere, idque ultrò executurum fuisse, nisi sperasset à Rege, cujus constantem benevolentiam toties expertus fuerat, ipsos Beneventanos scriptis literis aut etiam missis Oratoribus coercitum iri. *Hoc*, inquit, *agnoscat à Deo protecta Excellentia vestra, quia aliquantas civitates nostras Campaniæ operantes æmuli vestri atque nostri nefandissimi Beneventani, ipsi nostro populo persuadentes subtrahere à nostra ditione decertant, unà cum habitatoribus Castri Cajetani seu Terracinensium, obligantes se validis sacramentis cum ipso Patricio Siciliæ, qui in prædicto Castro Cajetano residet, & decertant à potestate & ditione Beati Petri & nostra eosdem Campanos usurpare, & Patricio Siciliæ subjugare. Nos verò, dum hoc ipsum agnovissemus, viribus atque vicibus admonere & prædicare per nostros Episcopos, & fideles Beati Petri eis direximus, cupientes eosdem Campanos nos salvos habere, ut aliqua malitia eis minimè eveniret, ut ad nostri præsentiam conjungerent, aut per unamquamque civitatem Primatos quinque ad vestram à Deo fundatam Præcellentiam destinarent. Sed neque ad nostri præsentiam eos dirigere valuimus, nec ad nostros obtutus conjungere voluerunt. Tamen & Reverentissimum fratrem nostrum Philippum seu & Paschalem nostrum nepotem eis direximus, ut nostris se præsentarent obtutibus, aut apud vestram Regalem Potentiam conjungere properarent. Nec tunc nostris admonitionibus se accommodare voluerunt. Dum verò eorum nequitia prævalere minimè potuimus, disposuimus, cum Dei virtute atque auxilio, unà cum vestra Potentia generalem nostrum exercitum illuc dirigere; qui eos constringere debeant, & inimicos beati Petri atque nostros seu vestros emendare. Sed petimus te, amantissime fili, coram Deo vivo, ut nefandissimos & Deo odibiles Beneventanos per vestra scripta atque fidelissimum vestrum Missum protestando dirigere jubeatis, ut à tali iniqua operatione resipiscant, & in nostris Campaniis talia non immittant, quia nos per nullum tenorem ipsos nefandissimos Beneventanos aut eorum Missos recipere volumus; sed nec ad consecrationem Episcoporum suscipere, dum contrarii Beato Petro atque nostri & vestri effecti sunt. Interea petimus te, Magne Rex, & dulcissime fili, ut sicut à vobis poscere per Andream & Philippum Sanctissimos Episcopos nostros, & Theodorum Eminentissimum nostrum nepotem direximus, ita in omnibus nostram postulationem adimplere jubeatis, ut Angelus Dei Omnipotentis vos præcedat, & faciat vestram Præcellentiam triumphantem, atque cum magnis victoriis & exaltatione ad propria Regni vestri culmen, unà cum omni Deo dilecto Francorum exercitu, incolumem reverti.*

VII. Rex tertio Kalendas Aprilis Pascha celebravit in villa quæ dicitur Ingilenheim, ibique Synodum congregavit, cui Thassilo præsens interfuit. Lege Annalistam Loiselianum. Carolus Bojoaricis rebus, quas infrà prosequemur, sic intentus erat, ut Italicis quoque prudentissimè consuleret. Iisdem enim temporibus gratias egit Adriano de literis ab eo per Arvinum Comitem primùm, postmodum per Roronem & Bettonem transmissis, pollicitusque est frequentes de negociis Italicis nuncios sibi placituros. Ple[illegible] animi, tamen Grimoaldum Beneventanis Ducem Arigisi patris demortui

GRIMOALDUS BENEVENTANORUM DUX.

AN. CH. 788. CAROLI R. 20. PIPPINI LUDOV. RR. 8.

loco præesse voluit, Adrianus, cùm videret se frustrà Grimoaldo adversatum, aliis literis asseruit se nullatenus odio motum id fecisse, sed hostium nefaria consilia & insidias expavisse, exaltationi Sanctæ Ecclesiæ tutionique Donationum in Apostolicam Sedem collatarum studuisse; de Rosellis & Populonio jus nondum sibi redditum, quamvis id muneris Aruino Duci demandatum fuisset; urbes quidem Tusciæ, quæ Beato Petro fuerant oblatæ, in potestatem Sedis Apostolicæ receptas; secus contigisse de civitatibus Beneventanis; Crescentem & Adrianum Duces in Beneventanum Ducatum frustrà directos; Grimoaldum Capuæ tripudiare, quasi Principi Apostolorum prælatus esset; Nuncios Apostolicos Græcis videri semel atque iterum delusos; Stephanum Episcopum Neapolitanum & Campulum Episcopum Cajetanum de nefando Adalgiso Desiderii quondam Regis filio & de Græcorum insidiis multa jam per epistolas insinuasse. Ipsas Adriani Papæ literas, quæ prædictarum rerum fidem faciunt, accipe ex Codice Carolino [a]. *Domno Excellentissimo filio nostróque compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Nectareas nimísque mellifluas Regalis Excellentiæ vestræ suscepimus syllabas, in quibus agnoscentes vestræ sinceritatis salutem, & spiritalis filia nostra Domnæ Reginæ, vestræque præcelsæ prolis, & quibus finibus vestris, Christo propitio, omnia prospera esse cernuntur, magnas Omnipotenti Deo retulimus grates, qui nos de vestro Regali triumpho crebrò lætos efficit. De Apostolicis verò syllabis nostris, quas vobis emisimus, primùm quidem per Aruinum Comitem, postmodum verò per Roronem * & Bettonem directas, & in vestris Regalibus apicibus reperimus nobis exinde grates referri. Prorsus nobis vestra Regalis Excellentia credere velit, quia nunquam voluimus, ut Grimualdus filius Arichis in Beneventum remeasset, nisi propter inimicorum vestrorum atque nostrorum machinationes atque insidias, sed verùm etiam, sicut vestra promisit nobis Regalis Excellentia, pro exaltatione atque defensione Sanctæ Dei Ecclesiæ, & pro vestro nostróque profectu. Quod vos, Domino opitulante, & Beato Petro Apostolorum Principe comitante, omnimodis illis creditis cum summa virtute agere, procul dubio in his credimus, qui opus, quod cœpistis, pro exaltatione spiritalis matris vestræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sine temore perficietis, & magis magísque per vestra laboriosa certamina exaltata manebit, quia pro hujusmodi vestrum Regale numen in libro æternæ vitæ adscriptum est. Illud autem, quod nobis vestra intimavit Excellentia, ut quicquid de istis partibus compertum habuerimus, sub celeritate omnia vestræ Regali Excellentiæ significare niteremur, emisit nobis Stephanus Neapolitanus Episcopus per suos apices Diacania * juris Sanctæ nostræ Ecclesiæ sibi concedi, in quibus embolum posuit, significans nobis de nefando Adalgiso filio protervi Desiderii, & de insidiis Græcorum. Simili modo & Campulus Episcopus Cajetanus per suas series ea ipsa nobis insinuavit, quotenus pro nimio vestro amore idem embolum atque epistolam infrà posuimus. Sed taliter vestra Præcellentia commendare atque disponere jubeat, ut exercitus à vobis demandati, ut nobis direxistis, præparati existant, & ubi nobis necesse fuerit celeriter occurrere satagant. Reperimus etiam in ipsis vestris apicibus embolum de civitatibus in partibus Beneventanis, quas Beato Petro Apostolo & nobis devotâ obtulistis mente. De Rosellis & de Populonio, Aruino Duci jussistis, qualiter cum ceteris fidelibus vestris Missis, ita omnia complere debeat, sicut Deo placeat & Beato Petro Apostolo. Et nos proptereà in his pro vestra benevola Excellentia non desinimus divinam exorare clementiam. Sed quid Missis vestris contigit? Vestra noluerunt adimplere de hujusmodi jussa, neque de Rosellis & Populonio, neque partibus Beneventanis. Unde Crescentem & Adrianum Duces cum fidelissimis Missis vestris in partibus Beneventanis direximus, vestra Regalia suscipientes vota. Sed nulla alia illis tradere voluerunt, nisi Episcopia, Monasteria, & curtes publicas, simul claves de civitatibus sine hominibus, & ipsi homines in eorum potestate introeuntes & exeuntes manent. Et quomodo nos*

[a] Ep. 16.

* Corruptè Bororem.

* Diaconiam.

fine ... inibus civitates illas habere potuerimus, si habitatores earum adversùs eas ... minentur? Nos quippe in eorum libertate permanentes, sicut cæteras ci-
vitates in partibus Tusciæ donis vestris regere & gubernare eos cupimus, eorum habentes legem. Unde petimus vestram Excellentiam, ut nullus hominum
sit, qui vestra sacra vota impedire valeat, & ne meliorem faciatis Grimualdum filium Aragisi, quam fautorem vestrum Beatum Petrum clavigerum Regni calo-
rum, eo quòd ipse Grimualdus in Capua, præsentibus Missis vestris, laudabat se,
dicens: [Quia Dominus Rex præcepit, ut qui voluerit homo meus esse, tam major, quàm minor, sine dubio est tam meus, quàm vel cujus voluerit.] Quæ
gens, quam minor, sine dubio est tam meus, quàm vel cujus voluerit, tam ma-
us nostris evenit auribus, Optimates Græcorum, in Neapoli sedentes, insultantes
fremebant, dicentes: [Deo gratias, quia eorum promissa ad nihilum sunt redacta.]
Sed eorum cachinnos nos & subsannationes pro nihilo reputamus, quamvis ipsi
Græci referebant, quia Missi Apostolici jam duabus vicibus sine effectu reversi
sunt. Ecce enim hujusmodi remittimus in servitio Beati Petri Apostoli, cum ves-
tris fidelissimis Missis, nostros, qui vobis omnia liquidiùs suggerere debeant, &
quæsumus ut taliter eos pro hac causa disponere jubeatis, ut fautor vester Beatus
Petrus Apostolus, secundùm vestram sacram oblationem, suscipiat effectum, ut
hic & in futuro unà cum Domna Regina vestrâque nobilissimâ prole existat re-
tributor. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Rex meliora semper ominatus de Grimoaldo Winigisum cum perpau- VIII.
cis Francis in Italiam Legatum misit, ut exploraret rescriberétque quid
ibi gereretur à Grimoaldo Duce Beneventano & ab Hildebrando Duce
Spoletano, quos in armis esse præceperat. *Commissum est bellum, inquit*
Annalista Loiselianus, *inter Græcos & Langobardos, id est, Duce Spolitano*
nomine Hildebrando, seu Duce Grimaldo, quem Domnus Rex Carolus posuit
Ducem super Beneventanos. Et fuit missus Winechisus cum paucis Francis, ut
providerent eorum omnia quæ gessissent. Et, auxiliante Domino, victoria est
facta à Francis seu supranominatis Langobardis. Tunc Ducatus Beneventa-
nus tribus constabat provinciis, Apuliâ, Calabriâ, Samnio, de quarum fi-
nibus lege Camillum Peregrinium in Dissertatione, cui Titulus, *Ducatus*
Beneventanus in antiquas provincias an tributus? Pugnatum est in Calabria,
fugatus Græcorum exercitus, multi occisi, plures in prælio capti, parta
quoque spoliorum ingens præda. Franci & Longobardi sine gravi dispendio
victores sunt facti. Audi Annalistam Laureshamensem. *Constantinus Im-*
perator Theodorum Patritium Siciliæ Præfectum cum aliis Ducibus suis fines GRÆCOS
Beneventanorum vastare jussit. Qui, cùm imperata exequerentur, Grimoaldus, IN CALA-
qui eodem anno post mortem patris Dux Beneventanis à Rege datus est, & Hil- BRIA VIN-
debrandus Dux Spoletanorum, cum copiis, quas congregare potuerunt, in Cala- CIT.
bria eis occurrerunt, habentes secum Legatum Regis Winigisum, qui posteà in
Ducatu Spoletano Hildibrando successit. Commissoque prælio, immodicam ex eis
multitudinem occiderunt, ac sine suo suorúmque gravi dispendio victores facti,
magnum captivorum ac spoliorum numerum in sua castra retulerunt. Adalgisus,
licèt de eo ne verbum quidem hoc anno in Francorum Annalibus legatur,
huic interfuit bello. Vocatur Theodotus à Theophane, cujus hic est textus.
Ἀποστείλασα δὲ Εἰρήνη Ἰωάννην τὸν Σακελλάριον ἅμα Θεοδότου τοῦ ποτὲ ῥηγὸς τῶν
Λογγιβαρδίας ... εἰς Λογγιβαρδίαν ... συμμίξαντες τὸ Κάρουλλον ... μεγάλης
... Σικελίας, ... πολέμου κροτηθέντος, ... Θεοδώρῳ Πατρικίῳ καὶ Στρα-
... καὶ σφαγέντος ... *Misit insuper Irene Joannem Sacellarium & ...*
militiæ Logothetam in Longobardiam, cui expeditionis socium Theodotum ...
in Longobardia nuper Regis filium adjunxit, tentatura, si fortè Carolum ...
& à ejus fide incolas aliquos posset subducere. Illi cum Theodoro Patricio Siciliæ ...
viribus conjunctis, prælium conseruerunt cum Francis, à quibus ipse Joan-

AN. CH. 788. CAROLI R. 20. PIPPINI LUDOV. RR. 8.

nes captus acerbâ morte occisus est. Theophanem Latinè sic reddidit Jacobus Goar. Nonnihil difficultatis occurrit in his vocibus, μετὰ καὶ Θεοδότου τοῦ ποτὲ ῥηγὸς τῆς μεγάλης Λογγιβαρδίας. Anastasius hunc locum sic exposuit, *unà cum Theodoto dudum Rege majoris Langobardia.* Franciscus Combefis in posterioribus ad Theophanem notis visus est mirari cur Jacobus Goar Theodotum filium Regis Longobardiæ dixisset. Extra dubium est Theodotum Theophanis, sive Anastasii Theodorum, quem & nonnulli Theodatum vocant, eundem esse cum Adalgiso Desiderii Longobardorum quondam Regis filio, sic enim Miscella. *Unà cum Adelgiso majoris Langobardia Rege, quem illi Theodatum dicebant.* Adalgisus haud immeritò Rex appellatur, nam priusquàm Franci Longobardiam subigerent, cum Desiderio patre regnavit, à quo vocatus in consortium Regni Longobardici fuerat. Sigonius [a] meminit Regiorum Diplomatum, in quibus annus Desiderii Regis quintus cum anno Adalgisi Regis secundo conjungitur. Si fides est eidem Auctori, *Adalgisus in Francorum potestatem concessit, atque in tormentis habitus expiravit.* At is exitus Joanni Sacellario, penes quem erat præcipua belli cura, traditur apud Theophanem suprà citatum, non autem Adelgiso sive Adalgiso, qui Constantinopoli consenuit. Id testatur Monachus Laureshamensis ad annum Christi septingentesimum septuagesimumquartum, quo Carolus Francorum Rex Longobardiam Francicis ditionibus adjecit. *Rex subactâ & pro tempore ordinatâ Italiâ, in Franciam revertitur, captivum ducens Desiderium Regem. Nam Adalgisus filius ejus, in quo Langobardi multùm spei habere videbantur, desperatis patriæ rebus, relictâ Italiâ in Græciam ad Constantinum Imperatorem se contulit, ibique in Patritiatûs ordine atque honore consenuit.*

[a] Lib. 5. de Regno Ital. ad an. 761.

IX. Belli hoc anno in Italia gesti auctor Irene Augusta, *quæ*, teste Theophane, *fœdera cum Francis inita solvit, & misso Theophane Protospathario puellam ex Armeniacis, nomine Mariam, Amniâ oriundam accepit, quam Constantino Imperatori filio suo conjugem locavit. Quamvis id Constantinus ægerrimè ferret, nec propter conceptum erga Francorum Regis Caroli filiam, quam sibi desponsaverat, affectum, consensum præbere vellet, nuptiæ tamen mense Novembri, Indictione duodecimâ*, id est, mense Novembri hujus anni, Indictione duodecimâ à præteritis Kalendis Septembribus inchoatâ, *celebratæ sunt.* Λύσασα δὲ ἡ βασίλισσα Εἰρήνη τὴν πρὸς τοὺς Φράγγους συναλλαγήν, ἀπέλυσε Θεοφάνην τὸν Πρωτοσπαθάριον, καὶ ἤγαγε κόρην ἐκ τῶν Ἀρμενιακῶν ὀνόματι Μαρίαν ἀπὸ Ἀμνίας, καὶ ἔζευξεν αὐτὴν Κωνσταντίνῳ τῷ βασιλεῖ υἱῷ αὐτῆς, πολλὰ λυπουμένου αὐτοῦ, καὶ μὴ θέλοντος διὰ τὴν πρὸς τὴν τοῦ Καρούλλου θυγατέρα τοῦ ῥηγὸς τῶν Φράγγων σχέσιν, ἣν προεμνηστεύσατο, καὶ ἐπετέλεσαν τοὺς γάμους αὐτῶν μηνὶ Νοεμβρίῳ ἰνδικτιῶνι ιβ'. Exitiosum Constantino fuit hoc matris consilium, non enim temerè provocandus videbatur ad bellum Carolus, cujus felicitas virtúsque non minùs quàm potentia post tot victorias triumphósque pertimescendæ.

IRENE FOEDERA CUM FRANCIS A GRÆCIS INITA SOLVIT.

X. Interim Adrianus Carolum frequentibus literis demerere studuit, rogavitque [b] rursum ut per Oratores suos Apostolicæ Sedi tradi curaret integra territoria Popoloniense & Rossellense cum civitatibus Beato Petro oblatis in Ducatu Beneventano. *Domno Excellentissimo filio nostróque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Præcellentissimos atque nitidissimos Deo dicata Regalis præcelsæ scientia vestra mellifluos suscepimus versus, quos reserantes atque singillatim relegentes, eorum robur cum nimio amplectimur amore, & procul dubio vestra credere dignetur Regalis Potestas, quia omnino, sicut per eos innotuistis, à nobis intermissione die noctúque semper memoriam vestri facio in orationibus meis ob-*

[b] Cod. Carol. ep. 81.

QUERITUR ADRIANUS CIVITATES ULTIMÆ CAROLINÆ DONATIONIS NONDUM SIBI TRADITAS.

AN. CH. 788.

CAROLI R. 20. PIPPINI LUDOV. RR. 8.

feravimus tam pro vestra in triumphis Regali victoria, & perpetua stabilitate, quámque pro sancta memoria genitoribus vestris, simul conjuge vestra Domna Hildegarda * Regina filia & spiritali commatre nostra, & nempe eorum memoriale non derelinquetur in aeternum. Crucem, quam nobis misistis, in sanctam nostram Ecclesiam recondentes, vestra memoria in aeternum in ea manebit. De sospitate enim nostra, quam vestra Regalis cupit audire clementia, omnia erga nos, Deo favente, prospera existunt, quia & nos de vestra Regali salute atque victoriis certò audire desideramus, quoniam vestra salus, nostra est. & hoc magnopere poscimus. Et sicut per anteriores nostras syllabas vestram poposcimus Regalem Potentiam, ita perficere dignetur, uti denuò eos Missos suos dirigere jubeat, qui nobis contradere debeant fines Populonienses seu Rosellenses, sicut ex antiquitus fuerunt. Nam ex parte nobis ex ipsis finibus non tradiderunt. Sed quaesumus, ut vestra Regalis oblationis Donatio sine tenus maneat inconvulsa. Praesertim & partibus Ducatûs Beneventani idoneos dirigere dignetur Missos, qui nobis secundùm vestram Donationem ipsas civitates sub integritate tradere in omnibus valeant. Ut ex hoc potissimam remunerationem unà cum spiritali filia nostra domna Regina, vestráque praecellentissima prole ab ipso Regni caelorum clavigero Beato Petro Apostolo suscipere mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

* vel Hildegarda.

Sub hoc quoque tempus Adrianum putamus apud Carolum de Garamanno Duce, qui possessiones quasdam Ravennatis Ecclesiae per vim invaserat, questum fuisse, & Venetos, qui negotiandi causâ Ravennam & in Pentapolim se conferebant, inde pulsos fuisse jussu ejusdem Adriani, quem Carolus ea de re rogarat. Adriani literae [a] tales sunt. Domno Excellentissimo filio nostróque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Ad aures clementissimae Regalis Excellentiae vestrae intimantes innotescimus, quia dum vestra Regalis in triumphis victoria praecipiendum emisit, ut à partibus Ravennae seu Pentapoleos expellerentur Venetici ad negotiandum, nos illicò in partibus illis emisimus, vestram adimplentes Regalem voluntatem, insuper & ad Archiepiscopum praeceptum direximus, ut in quolibet territorio nostro, & jure Sanctae Ravennatis Ecclesiae, ipsi Venetici praesidia atque possessiones haberent, omnino eos expelleret, & sic Ecclesia sua jura manibus suis teneret. Quid autem contigit de Garamanno Duce, qui subitò irruit super praedia & possessiones sanctae Ravennatis Ecclesiae in nostris territoriis sitas, & non solùm eas occupavit, sed & omnes fruges à praedicta abstulit Ecclesia & de aliis piis locis? Nos quidem statim eum adhortari studuimus, ut, si fidelis vester existeret, ipsas possessiones piorum locorum reddere prorsus non omitteret, quia & juris Ecclesiae Ravennatium sive talium locorum piorum esse videntur, & in nostris territoriis sita sunt. Ille verò nullo modo recordatus est, neque ipsas possessiones reddere voluit, sed illicitè eas detinere conatur. Quapropter poscentes vestram in triumphis Regalem Potentiam, quaesumus, ut pro amore fautoris vestri Beati Petri Apostolorum Principis, nostráque paternâ dilectione, talia illi agere non sinatis, sed per vestram clementissimam Regalem Praeceptionem eum exinde expellere omnino dignemini, ut & nostra territoria per vestram Regalem tuitionem intacta permaneant, & quaecunque infra ipsa territoria esse noscuntur, irrefragabiliter eorundem locorum possessione & jure fruamur, quemadmodum vestra in triumphis victoria, unà cum Domna Regina, vestráque nobilissima prole, hic & in futuro sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

XI.

[a] Cod. Carol. ep. 84.

QUERITUR DE GARAMANNO DUCE.

Carolus, ut dictum suprà, Synodum post Pascha congregavit ad villam Ingelheim, eóque Tassilonem Bojoariorum Ducem caeterósque Regni sui proceres docturios vocavit. De Tassilone seu Dissilone, sic Annalista Nazarianus. DCCLXXXVIII. Dessilo autem Dux Bajuveriorum venit in Franciam ad Regem Francorum Carolum, ad villam, quae appellatur Ingolumheim. Post haec ergo transmisit jam praefatus Rex Legatos suos in Bajuveriam post uxorem ac liberorum.

XII.

TASSILO VENIT AD CONVENTUM FRANCORUM.

AN. CH. 788. CAROLI R. 20. PIPPINI LUDOV. RR. 8.

ros jam præfati Ducis. Qui studiosè atque efficaciter jussionem Regis implentes adduxerunt hæc omnia, unà cum thesauris ac familia eorum copiosa valdè, ad jam dictum Regem. Cùmque hæc ita agerentur, comprehensus est jam præfatus Dux à Francis, & ablatis armis ejus ductus est ante Regem. Igitur cùmque simul sermocinarentur, interrogavit eum de insidiis atque dolosis consiliis, quod cum multis gentibus jam olim ei præparare conatus fuerat. Quod cùm ille negare nequaquam prævalere videbatur, invitus jussus est comam capitis sui deponere. De Tassilonis reatu distinctiùs agit Annalista Loiselianus. *Domnus*

Reus probatur. *Rex Carolus congregans Synodum ad jam dictam villam Ingilenhaim, ibique veniens Tassilo ex jussione Domni Regis, sicut & ceteri ejus vassi. Et cœperunt fideles Bajoarii dicere, quod Tassilo fidem suam salvam non habe ret, sed postea fraudolans apparerit, postquam filium suum dedit cum aliis obsidibus, & sacramenta fefellit suadente uxore sua Liutbergane. Quod & Tassilo denegare non potuit, sed confessus est postea ad Avaros transmisisse, vassos supradicti Domni Regis ad se adhortasse, & in vitam eorum conciliasse; & homines suos, quando jurabant, jubebat ut aliter in mente retinerent, & sub dolo jurarent, & quod magis, confessus est se dixisse, etiamsi decem filios haberet, omnes voluisset perdere, antequam placita sic manerent, vel stabile permitteret sicut juravit. Et etiam dixit, meliùs se moriturum esse, quàm ita vivere. Et de his omnibus comprobatus, Franci, & Bajoarii, Langobardi, & Saxones, vel omnes ex aliis provinciis, qui ad eandem Synodum congregati fuerunt, reminiscentes priorum malorum ejus, & quomodo Domnum Pipinum Regem in exercitu dereliquens, & ibi, quod Theodiscâ linguâ Harisliz dicitur, visi sunt judicasse se eundem Tassilonem ad mortem. Sed dum omnes unâ voce acclamarent, capitali eum ferire sententiâ, jam dictus Domnus Carolus piissimus Rex motus misericordiâ ob amorem Dei, & quia consanguineus ejus erat,* nempe Chiltrude Regis amitâ natus, *contenuit ab ipsis Dei ac suis fidelibus, ut non moriretur. Et interrogatus à jam fato clementissimo Domno Rege prædictus Tassilo, quid agere voluisset; ille verò postulavit, ut licentiam haberet sibi tonsorandi, & in Monasterio introeundi, & pro tantis peccatis pœnitentiam agendi, & ut suam salvaret animam,* sive, ut Regino loquitur, *interrogatus à Rege quid agere vellet, terra prostratus licentiam in Monasterium intrandi expetiit, ut ibi peccata sua deplorare potuisset.* Ne tonderetur in Regio Palatio, supplex rogavit, advertebat enim se cunctis Proceribus maximo ludibrio fore. Rex precibus annuit. *Ille autem,* inquit Annalista Nazarianus, *magnis precibus postulabat Regem, ut non ibidem in Palatio tonderetur, propter confusionem videlicet atque opprobrium quod à Francis habere videbatur. Rex enim precibus ejus adquiescens, ad*

Tondetur cum filiis. *Sanctum Gannarium, qui juxta Rheno flumine in corpore requiescere cognoscitur, eum transmisit: & ibidem Clericus effectus est, & inde exiliatus est ad Cœnobium, quod appellatur Gemedium.* Apud Duchesnium in hujus textûs ora, non *ad Sanctum Gennarium* sed *ad Sanctum Nazarium*, non *ad Cœnobium Gemedium* sed *ad Cœnobium Gemeticum* transmissus legitur. *Gannarium* vitiosam vocem agnoscimus, at ejus loco non Nazarium sed Goarem restituere placet, quia *ipse Dasilo*, ut Auctor Appendicis Chronico Nibelungi subjectæ scribit, *ad Sancto Goare tunseratus est*, id est, in Cella Sancti Goaris ad lævam Rheni ripam in Diœcesi Trevirensi. Locum illum, quem Pippinus Rex Assuero Prumiensi Abbati regendum commisit, non semel laudavimus laudabimúsque. Quid hic Auctor de Tassilone, de filio ejus Teudone, de uxore Liutberga, déque filiabus scribat, haud te celabimus.

Uxor et filiæ velantur. *Ipse Dasilo ad Sancto Goare pridie Nonas Julias tunseratus est, & filius ejus Teudo ad beatum Maximinum comam capitis sui deposuit, & ipsius uxor velamen sibi imposuit, & filias ejus, unam ex illis transmisit ad Cala Monasterio, & aliam ad Landuna Monasterio.* Thassilo è Cella Sancti Goaris ad Cœnobium Laureshamense seu Sancti Nazarii, deinde ad Gemmeticense translatus videtur. De Monasterio Gemmeticensi testis est Annalista Nazarianus jam

citatus, necnon Petavianus sic. *Taxilo Dux tonsus est, retrusúsque Gemeticis Monasterio.* Sed postrema hæc ad Gemmeticense Monasterium ablegatio non ... antecessit Concilium Franco-Fordiense, de quo sermonem post annos sex faciemus. Tonsi quoque sunt ambo Thassilonis filii, Theudo & Theotbertus, de quibus sic Annalista Nazarianus. *Duo quoque filii ejus, his nominibus Theudo & Theotbertus, utrique tonsurati atque exiliati sunt.* Teudo seu Theodo natu major comam capitis, ut ex Appendice ad Chronicon Nibelungi probatum suprà, deposuit prope Trevirum in Cœnobio Sancti Maximini, cujus Abbas tum Wernolphus. De Liutberga nihil ampliùs auditur. Filiarum altera in Kalensi Cœnobio, altera in Laudunensi Monasterio excoluit. Mancus est Laudunensium seu Beatæ Mariæ apud Laudunum Abbatissarum Catalogus, in eo enim post Adalsindam, quæ Monasterii regimen anno Christi circiter septingentesimo septimo suscepit, ad Oginam usque Reginam, quæ Carolo Magni abnepoti nupserat, duæ tantùm nominantur Adelides. Uberior est Kalensium Abbatissarum Index, & quantùm ex eo colligere licet, cùm filia Thassilonis ad Kalam ablegata est, Monasterio præerat Marsilia, vel quæ successit ei Gisla Caroli Regis soror. Hactenus in Kalensium Abbatissarum Catalogo desideratur Gislæ nomen, quod ex Eginhardo & Annalista Metensi simul collatis restitui debet. Eginhardus in Caroli vita de Gisla sic disserit. *Erat ei, nempe Carolo, unica soror, nomine Gisla, à puellaribus annis Religiosæ conversationi mancipata, quam similiter ut matrem magnâ coluit pietate, quæ etiam paucis ante obitum illius annis in eo quo conversata est Monasterio decessit.* Hæc anno Christi septingentesimo septuagesimo expetita fuit in conjugem ab Adalgiso Desiderii Longobardorum tunc Regis filio, & paulò pòst inter Moniales vitam agere cœpit in Cœnobio Kalensi, cujus administrationem post obitum Marsiliæ suscepit. Monasterii nomen non exprimit Eginhardus, exprimit autem Annalista Metensis ad annum Redemptoris octingentesimum quartum, sic. *Pariter proficiscentes, nempe Leo Romanus Pontifex & Carolus Imperator, pervenerunt ad Suessionis civitatem, in qua dimisso Papâ, Carolus ad colloquium germanæ suæ Gislæ, quæ in his diebus ægrotabat, ad Calam Monasterium pervenit, fruitúsque ejus colloquio ad Carisiacum villam Leonem Papam, quem apud Sanctum Medardum Suessione dereliquerat, sibi obviam venire fecit.* Errant igitur, qui Gislam non Kalensibus sed Suessionensibus Abbatissis accensent. Opinionem nostram multæ res infrà confirmabunt, præsertim ad annos Christi septingentesimum nonagesimum-sextum, septingentesimum nonagesimum-nonum, & octingentesimum secundum, quos hoc eodem Tomo consulere poteris.

Thassilone, Liutbergâ, corúmque liberis in diversa Monasteria detrusis, Carolus in Bojoariam citissimè contendit. Pridie Idus Julii, cùm in Nemetensi Palatio esset, Regium Diploma pro Bremensi Ecclesia & Episcopo Willehado sic emisit. *In nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, Carolus divinâ ordinante providentiâ Rex. Si Domino Deo exercituum succurrente in bellis, victoriâ potiti sumus, in illo & non in nobis gloriamur, & in hoc sæculo pacem & prosperitatem, & in futuro perpetuæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Quapropter noverint omnes Christi fideles, quòd Saxones, quos à progenitoribus nostris ob suam pertinaciam perfidia semper indomabiles, ipsique Deo & nobis tamdiu rebelles, quousque illius non nostrâ virtute ipsos & bellis vicimus, & ad Baptismi gratiam Deo annuente perduximus, & pristinæ libertati donatos, & omnem nobis debito censu solutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipsi tributarios & subjugales devotè addiximus, ... ut qui nostræ potestatis jugum hactenus ferre detrectaverunt, victi jam (Deo gratias) & armis & fide Domino & Salvatori nostro Jesu Christo, & Sacerdotibus ejus, omnium suorum jumentorum & fructuum totiúsque culturæ decimam ac novitatem, divites ac pauperes legaliter constricti persolvant. Proinde*

AN. CH. 788. CAROLI R. 20. PIPPINI LUDOV. RR. 8.

XIII. CAROLUS DAT PRÆCEPTUM.

AN. CH. 788. CAROLI R. 20. PIPPINI LUDOV. RR. 8.

omnem terram eorum antiquo Romanorum more in provinciam redigentes, & inter Episcopos certo limite disterminantes, Septentrionalem illius partem, quæ est piscium ubertate ditissima, & pecoribus alendis habetur aptissima, pro Christo & Apostolorum suorum Principi Petro pro gratiarum actione devotè obtulimus, sibique in Wigmodia, in loco Bremon vocato, super flumen Wirraham Ecclesiam & Episcopalem statuimus Cathedram. Huic Parochia decem pagos subjecimus; quos etiam objectis eorum antiquis vocabulis & divisionibus, in duas redegimus provincias, his appellantes nominibus, Wigmodiam & Lorgoe. Insuper ad præfata constructionem Ecclesiæ, in supradictis pagis, LXX mansos cum suis colonis offerentes, totius hujus Parochia incolas decimas suas Ecclesia suæque provisori fideliter persolvere hoc nostræ Majestatis Præcepto jubemus, donamus & confirmamus. Adhuc etiam Summi Pontificis & universalis Papa Adriani præcepto, necnon & Mogontiacensis Episcopi Lullonis, omniúmque qui affuere Pontificum consilio, eandem Bremensem Ecclesiam cum omnibus suis appendiciis Willehado probabilis vita viro coram Deo & Sanctis ejus commisimus. Quem etiam primum ejusdem Ecclesia, III Idus Julii, anno videlicet superiore, consecrari fecimus Episcopum, ut populis divina semina verbi secundùm datam sibi sapientiam fideliter dispensando, & novellam hanc Ecclesiam canonico ordine & monasteriali competentiâ utiliter instruendo, interim plantet & riget, quousque precibus Sanctorum suorum exoratus incrementum det Omnipotens Deus. Annotuit etiam idem Venerabilis vir Serenitati nostra, eam, quam diximus, Parochiam propter barbarorum infestantium pericula, seu varios eventus, qui in ea solent contingere, ad sustentacula sive stipendia Dei servorum inibi militantium Deo minimè sufficere posse. Quamobrem, quia Dominus Omnipotens in gente Fresonum, sicut & Saxonum, ostium fidei aperuit, partem prænominata regionis, videlicet Fresia, qua contigua huic Parochia esse dinoscitur, eidem Bremensi Ecclesia suæque provisori Willehodo Episcopo ejúsque successoribus perpetualiter delegavimus retinendam. Et quia casus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, ne quis, quod non optamus, aliquam sibi in eadem Diœcesi usurpet potestatem, certo

PRO FINIBUS EPISCOPATÛS BREMENSIS.

eam limite fecimus terminari, eíque hos terminos, mare Oceanum, Albiam fluvium, Liam, Steinbach, Hasalam, Wimarcham, Sueidbach, Ostam, Mulinbach, Motam, paludem quæ dicitur Sigefridesmor, Quistinam, Chesenmor, Aschbroch, Wisebroch, Bivernam, Uternam, iterúmque Ostam, ab Osta verò usquequò perveniatur ad paludem qua dicitur Coldenbach, deinde ipsam paludem usque in Wempnam fluvium, à Wempna verò Bicmam, Furstinam usque in Wirraham fluvium, dehinc ab Orientali parte ejusdem fluminis viam publicam, qua dicitur Foleweg, Derve & Lorgoe dividentem, usque in Huntam flumen, deinde ipsum flumen & Amrivum lucum sylvestrem, quem incolæ loci Wildloch nominant, Finolam, Waldesmoer, Berepol, Eddenriad paludem, Emisgoe & Ostergoe disterminantem, Bruslacho, Biberlach, iterúmque mare, firmos & intransgressibiles circumscribi jussimus. Et ut hujus donationis ac circumscriptionis auctoritas nostris futurísque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propriâ subscripsimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Domini Caroli Regis Invictissimi.

XIV. Apud Adamum, qui Regium hoc Præceptum in Historia Ecclesiastica [a] publicavit, subjiciuntur multa, quæ spectant ad Characteres Chronologicos, nulliúsque sunt auctoritatis, quia non parum inter se pugnant. *Hildebaldus Archiepiscopus Coloniensis & sacri Palatii Capellanus recognovi. Data II. Idus Julii, anno Dominica Incarnationis* DCCLXXXVIII. *Indictione* XII. *anno autem Regni Domini Karoli* XXI. *Actum Palatio Nemetensi feliciter. Amen.* Lucas Dacherius & Joannes Mabillonus in Observationibus [b] prævijs vitæ Sancti Willehadi reponunt annum Incarnationis Dominicæ DCCLXXXVIIII, ut conveniat cum Indictione XII & anno Caroli Regis XXI. Deinde hanc addunt Notatiunculam. *Annum Incarnationis & Indictionem interposuit Adamus aut alius quispiam.* Id certissimum,

[a] Lib. 1. c. 10.

[b] Part. 2. Sec. 3. Benedict.

illis

illis enim temporibus apud Francos in publicis instrumentis annus Incarnationis Dominicæ & Indictio non apponebantur. Ac Præceptionem, de qua hîc agimus, in annum Christi septingentesimum undenonagesimum, quo currit vicesimus-primus Caroli Regis per mensem Julium comparatur, rejiciendam negamus, quia toto illo anno Carolus à Nemetensi Palatio procul abfuit, anno autem Christi septingentesimo duodenonagesimo apud Ingelheimum post Pascha diu degit, atque inde profectus in Bojoariam legitur. Est igitur error in anno Caroli Regis XXI, cujus loco restituendus XX. Nobis etiam plurimùm displicent qui tribuuntur Hildebaldo tituli, serius enim Hildebaldus factus est Coloniensis Archiepiscopus & Archicapellanus Sacri Palatii, ut patebit ex iis, quæ dicentur inferiùs ad annos Christi septingentesimum nonagesimum-primum & septingentesimum nonagesimum-tertium. Tot menda multùm elevant auctoritatem Diplomatis, quod à nobis eo præcipuè consilio descriptum est, ut antiquissimi limites Bremensis Episcopatûs innotescant. AN. CH. 788. CAROLI R. 20. PIPPINI LUDOV. RR. 8.

XV. In Diplomate varii nominantur fluvii; Albia sive Albis, Osta*, Wempna, Wirraha seu Visurgis, & Hunta. Oceanum subeunt Albis & Visurgis; in sinistram Albis ripam apud Nyenhusam* exoneratur Osta; Visurgi se commiscent à dextra Wempna*, à læva Hunta*. In eodem Diplomate Diœcesi Bremensi decem attribuuntur pagi, qui duas provincias, Wigmodiam ultra Visurgim, & Lorgoam cis eundem amnem, constituunt. Brema Wigmodiæ caput dexteræ Visurgis ripæ adsidet. Lorgoa cis Visurgim sita hodiernum Orientalis Frisiæ Comitatum ex parte complectitur. Apud Ubbonem Emmium* eâ regione populi continentur duodecim, Reiderus, Transladanus, Mormerius, Lenganus, Amasanus, Broecmerius, Auricanus, Nordanus, Harlingius, Wangrus, Ostringius, & Rustrus. De quinque posterioribus hîc agendum, quatuor enim, nempe Rustrus, Ostringius, Nordanus & Wangrus, nominibus nonnihil mutatis in Sancti Willehadi vita sic ab Anschario designantur, *Riustri, & Asterga, necnon Nordendi, ac Wanga*. mediúsque Nordanum inter ac Wangrum occurrit Harlingius. Nordanus, cui nomen ab urbe Norda*, per octo milliaria porrigitur. Nordanum sequitur Harlingius, caput habet Esenam*, per dena passuum millia protenditur ad rivum usque, qui medius inter Berdumum* & Middocham* vicos fluit, priusquàm Oceano misceatur. Ab eo rivo succedit Wangrus. Huic conterminus est Ostringius, atque in Jeveranum & Friburgicum dividitur. Denique Rustrus à Wangro & Ostringio ad Visurgim usque fluvium dilatatur, medio nunc Jadâ sinu duas in partes scissus, in Cis-Jadanam videlicet, cujus incola Rustrus etiamnum appellatur, & in Trans-Jadanam, cujus incola Butjada seu Trans-Jadanus, & Stadlandus vulgò dicitur.

* *L'Ost.* * *Nienhuys.* * *la Wemme* * *la Hunte.* * Lib. 2. rer. Frisic. * *Norden.* * *Esens.* * *Berdum.* * *Medoch.*

XVI. Carolus è Nemetensi Palatio, ubi Diploma pro Bremensi Ecclesia datum, iter in Bojoariam prosecutus est, &, ut Annalista Loiselianus testatur, *pauci Bajoarii, qui in adversitate Domni Caroli Regis perdurare volebant, missi sunt in exilio.* Avari autem, sive Huni, cùm, sicut promiserant, duobus exercitibus, uno Italiam quà Francis parebat, altero Bojoariam invasissent, utrobique re infectâ recesserunt. Audi Annalistam Laureshamensem. *Huni verò, sicut Tassiloni promiserant, duobus exercitibus comparatis, uno in Italiam Foro-Juliensem, altero Bajoariam aggressi sunt, sed frustrà, nam in utroque loco victi fugatique sunt, &, multis suorum amissis, cum magno damno ad loca sua se receperunt.* Utrumque prælium distinguit Annalista Laureshamensis. Primum sic attingit. *Pugna commissa est inter Avaros in loco cujus vocabulum est...... & Francos qui Italiam commanere videntur. Opitulante autem Domino victoriam obtinuerunt Franci, & Avari cum contumelia reversi sunt, fugâ lapsi sine victoria.* Alterum, sic. *Pugna commissa est inter Bajoarios & Avaros in campo Ibose. Et fuerunt ibi Missi Domni Regis Caroli Gra-*

IT IN BOJOARIAM. TRIUMPHAT DE HUNIS, QUI CUM PERDUELLIBUS CONJURANT CUM TASSILONE.

AN. CH. 788. CAROLI R. 20. PIPPINI LUDOV. RR. 8.

manuus & Audacrus cum aliquibus Francis. Domino auxiliante, victoria fuit Francorum seu Bajoariorum. Avari, cùm cladem illam ulcisci vellent, rursum profligati sunt, hæc enim proximè subjungit idem Auctor. *Pugna fuit commissa ab Avaris, qui voluerunt vindictam peragere contra Bajoarios. Ibi similiter fuerunt Missi Domni Caroli Regis, &, Domino protegente, victoria Christianorum aderat. Avari fugam incipientes, multa strages ibidem facta est occidendo, & alii in Danubio fluvio vitam necando emiserunt.* Quater igitur hoc anno de suis hostibus, semel de Græcis, ter de Avaris triumpharunt Franci. Tantam Caroli felicitatem miratus Annalista Petavianus non immeritò sic ad hunc eundem annum exclamavit. *Pugnavit Omnipotens Deus pro Domno Rege Karolo, sicut fecit pro Moyse & filiis Israel.*

XVII. Redit Reginoburgum. * Ratisbonne. Annalista Loiselianus narrationem rerum hoc anno gestarum sic claudit. *Post hac omnia Domnus Carolus Rex per semetipsum ad Reganesburg * perveniens, & ibi fines vel marcas Bajoariorum disposuit, quomodo salva, Domino protegente, contra jam dictos Avaros esse potuissent. Inde verò reversus, celebravit Natalem Domini in Aquis Palatio.* Tilianus Reginoburgi similiter & Aquisgrani meminit. *Rex reversus ad Ragnisburg, inde ad Aquis.* Bellum Bojoaricum non omisit Eginhardus [a], observavitque provinciam, quam Thassilo tenuerat, *non ulteriùs Duci sed Comitibus ad regendum* à Carolo commissam fuisse.

[a] In vit. Car. M.

Bojoariam Comitibus regendam committit.

In Annalibus Circuli Westphalici primus Osnaburgensis Episcopus hoc anno constituitur Wiho, qui plerisque Frisius est, aliis Anglus, utrisque discipulus Sancti Bonifacii Martyris, & ex hoc discipulatu Frisius nobis videtur, eruditúsque à Bonifacio in Frisia, vixit enim ad annum usque Redemptoris octingentesimum quartum, & eidem Bonifacio Martyrium in Frisia passo superstes fuit annos undequinquaginta.

XVIII. Wiho fit primus Ep. Osnaburg.

Ermembertus Biturigum Antistes, vir summâ virtutum integritate spectabilis, fœlicia paradisi gaudia assecutus est, postquàm quinque annis & tribus diebus pastoralem curam administrasset. Hæc Auctor Patriarchii Bituricensis [b], cui consentiunt, Chenutius, Robertus & Sammarthani. Demochares minutias dierum reticuit. Obitûs diem Robertus & Sammarthani notarunt vicesimum-primum Maii. Annos quinque, quibus Ermembertus Pontificatum tenuit, Auctor Patriarchii Bituricensis interpretatur *ab anno Christi 835 ad ejusdem annum 840.* Hunc Auctorem secutus est Chenutius. A notis Chronologicis abstinuerunt Demochares & Robertus. Soli Sammarthani lectis apud Sirmondum [c] literis, per quas Adrianus Romanus Pontifex usum Pallii Ermemberto concessit, hunc Archiepiscopum ad annum Christi septingentesimum octogesimum-sextum laudarunt. Obiit Adrianus anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto. Non opus est aliis argumentis, ut Ermembertum, qui Bituricensem Archiepiscopatum quinquennio duntaxat administravit, & ab eodem Adriano usum Pallii accepit, ad annum Christi octingentesimum quadragesimum neges pervenisse. De successore non conveniunt Nomenclatores. Auctor Patriarchii Bituricensis [d], Demochares & Chenutius Ermemberto Ebroinum subrogant, Stephanum Auctores Galliæ Christianæ Robertus ac Sammarthani. Nobis hic nec Ebroini nec Stephani locus videtur esse, sed alicujus è quatuor Archiepiscopis, quos prædicti Scriptores, ut alibi jam probavimus, Bertellanno seu Bertellanno, qui regnante Pippino sedit, perperam præponunt. Quatuor illi Præsules hoc numerantur ordine, Landrarius, Deodatus, Segolenus & David. Ex Auctore synchrono qui Gesta Pippini Regis conscripsit, ex Romana Synodo, & ex Adriani Papæ literis, Bertellannum, Ermenatium sive Herminardum, & Ermembertum suis restituimus locis, suffecimúsque Bertellanno Landrarium, Herminardo Deodatum, ne Bertellannum inter & Herminardum, vel Herminardum inter & Ermembertum hiatus maneret. Restat igitur ut proximum Ermemberti successorem

XIX. Ermambertus Archiep. Bituric. obit.

[b] Cap. 44

[c] Tom. 2. Conc. Gall.

[d] Cap. 45.

aut Segolenum aut Davidem constituamus. Stamus pro Segoleno, quem omnes Catalogi decessorem Davidis exhibent. Fuit autem Segolenus *vir omnium eorum, quæ ad curam gregis Christiani spectant, observantissimus, unde & famam suæ nitore multùm splendoris muneri Pontificio adjecit*, ut Auctor Patriarchii Bituricensis testatur a.

AN.CH. 788. CAROLI R. 20 PIPPINI LUDOV. RR. 8.

XX. Succedit Segolenus.

Flavius Carnotensis Episcopus, cùm annos quindecim sedisset, hoc anno vitam clausit. Successit in Episcopatum Godosaldus, qui Præsulatum annis undeviginti gessit. Lege Rolliardum b, simúlque confer Carnotensium Episcoporum Chronologiam superioribus Tomis à nobis stabilitam. Mathæus hoc eodem anno post Odonem Abbas Sancti Carauni constituitur à Sammarthanis c in Gallia Christiana.

Episcopi Carnoteni. Abbatis S. Carauni.

XXI. Post Interpontificium annorum duodecim, *Petrus vir Italicus*, cujus mentionem ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-sextum fecimus, *Episcopatu Virodunensi potiri cœpit anno ab Incarnatione Domini* DCCLXXXVIII. Fuit autem Episcopus *per* XXV *annos, & passus est multa adversa*. Lege Hugonem Abbatem Flaviniacensem in Chronico Virdunensi. Sedente hoc Episcopo videtur contigisse, quod Mabillonus d in Notis ad vitam Sancti Pauli Virodunensis Episcopi commemorat. Tempore Caroli Magni, Theologienses Monachi, desolatâ Sancti Saturnini Basilicâ, in qua beatus Paulus Viroduni quiescebat, cùm neglectas ejus Reliquias audirent, illas furtim ac secretò subripuerunt, ast duo circiter milliaria progressi, & in sylvæ loco, cui posteà ob Crucis illic erectæ memoriam *Pauli-Crux* vulgò *Pale-Croix* nomen inditum est, deprehensi sublatum pignus restituere coacti sunt, excepto capite, quod Theologienses etiamnum adservant.

Petrus fit Ep. Virodun. Caput S. Pauli Ep. Virodun. transfertur ad Mon. Theologiense.

XXII. Sparsæ sunt in vulgus hoc anno literæ, quas impostores è cælo lapsas asserebant. Quid illæ continerent, haud scimus. A Carolo Rege in Capitulari Aquisgranensi dictæ sunt *pessimæ & falsissimæ*, ut anno proximo ad Capitulum septuagesimum-octavum istius Capitularis observaturi sumus.

Litera de cælo lapsa finguntur.

XXIII. Apud Joannem *Columbi* e Polycarpus Larivierius scribit Aramandum Diensem Episcopum hoc anno superstitem fuisse. Idque observandum præcipuè ducimus, quia Desideratus Aramandi successor Narbonensi Concilio subscripsit, quod hoc anno plerique celebratum volunt, nos verò post triennium rejicimus.

Aramandus Ep. Diensis.

XXIV. Hoc circiter anno Altheus Abbas Agaunensis in Episcopatum Sedunensem Alobrogo successit. Factus Episcopus curam Monasterii dimisit. Id non obscurè docet Franciscus Augustinus ab Ecclesia, cùm illius elogium in Episcopis Sedunensibus sic orditur. *Alpheus sive Alteus, qui fuerat Abbas S. Mauritii.* Regimen autem Agaunensis Monasterii suscepit Adalongus Abbas, de quo recurret sermo.

Episcopi Sedunenses. Abbates Agaunenses.

XXV. Hardradus Sitivensis Abbas, ut ex Loctio Tomo superiore f diximus, villas *de Lovinghem & de Fressinghem* emit, illam à Walberto viro prædivite, hanc à Sigeberta nobili Matrona. Si quid accuratiùs scriptum desideras, consule Malbrancum g, qui contractus emptionum præ manibus habuit, observavitque priorem *datum in mense Julio, anno* VIII *Regni Domini nostri Karoli Gloriosissimi Regis*, id est anno Christi septingentesimo septuagesimo-sexto, posteriorem verò *mense Junio anno* XX *Regni D.N. Karoli*, id est, hoc anno, post Christum natum septingentesimo duodenonagesimo. Quibus adde ex eodem Auctore prædium, quod Sigerardus vendidit *in mense Januario, anno secundo Regni Domini nostri Karoli Gloriosissimi Regis*, id est, anno Christi septingentesimo septuagesimo. Tribus his emptionibus res Monasterii Sitivensis auxit Hardradus Abbas.

Sitivense Mon. locupletatur.

a Cap. 19.
b Cap. 10.
c Tom. 4.
d Sec. 2. Benedict. an. circ. 647. d. 8 Febr.
e In Episc. Diens. n. 20.
f Ad an. 766.
g Lib. 6. c. 26.

AN. CH 789.
CAROLI R. 21.
PIPPINI LUDOV. RR. 9.
CAROLI R. 1.

ANNUS

CHRISTI		789.
CAROLI SEN.	R.	21. 18. 16.
PIPPINI II.	R.	9.
LUDOVICI	R.	9.
CAROLI JUN.	R.	1.

I. ANNO Christi septingentesimo undenonagesimo Carolus apud Aquisgranum, ubi hyemaverat, Pascha celebravit. Id veteres Annalistæ, Loiselianus, Laureshamensis, alibique testantur. Actum Pascha decimotertio Kalendas Maii. Porrò decimo Kalendas Aprilis Rex ibidem promulgavit Edictum seu Capitulare, quod in Capitula duo & octoginta distribuitur, & à Jacobo Sirmondo [a] ex Codicibus Remigiano & Aquitanico publicatum est. In Codice Sancti Remigii legitur exemplar Capitulorum cum Præfatione, sed breviatum, & quale ab Ansegiso Abbate translatum est in primum librum Capitularium, succisis nimirum detractisque Synodorum ac Pontificum Decretis, quæ per singula ferè Capita commemorantur. In exemplari autem Aquitanico cùm Sirmondus subdita suis locis Decreta omnia offendisset, miniméque dubitaret, quin germanus atque integer totius Capitularis textus esset, hoc potiùs modo edendum putavit. Nos verò, ne nimiam prolixitatem affectare videamur, omittemus Synodorum ac Pontificum Decreta, locis duntaxat, è quibus descripta sunt, indicatis, ut per otium consuli possint.

CAPITULARE AQUISGRAN.

[a] Tom. 2. Conc. Gall.

II. Præfatio talis est. *Regnante Domino nostro Jesu Christo in perpetuum. Ego Karolus gratiâ Dei ejúsque misericordiâ donante, Rex & Rector Regni Francorum, & devotus Sanctæ Dei Ecclesiæ Defensor humilísque Adjutor, omnibus Ecclesiasticæ pietatis Ordinibus, seu secularis potentiæ Dignitatibus, in Christo Domino Deo æterno perpetuæ pacis & beatitudinis salutem. Considerans pacifico piæ mentis intuitu, unà cum Sacerdotibus & Consiliariis nostris, abundantem in nos nostrúmque populum Christi Regis Clementiam, & quàm necessarium est, non solùm toto corde & ore ejus pietati agere gratias incessanter, sed etiam continuâ bonorum operum exercitatione ejus insistere laudibus, quatenus qui nostro Regno tantos contulit honores, suâ protectione nos, nostrúmque Regnum in æternum conservare dignetur. Quapropter placuit nobis vestram rogare solertiam, ô Pastores Ecclesiarum Christi, & ductores gregis ejus, & clarissima mundi luminaria, ut vigili curâ & sedulâ admonitione populum Dei per pascua vitæ æternæ ducere studeatis, & errantes oves bonorum operum exemplo seu adhortatione, humeris intra Ecclesiastica firmitatis muros reportare satagatis, ne lupus insidians aliquem Canonicas Sanctiones transgredientem, vel paternas traditiones universalium Conciliorum excedentem, quod absit, inveniens devoret. Ideo magna devotionis studio admonendi & adhortandi sunt, immo compellendi, ut firma fide & infatigabili perseverantiâ intra paternas Sanctiones se contineant. In quo operis studio sciat certissimè Sanctitas vestra nostram vobis cooperari diligentiam. Quapropter & nostros ad vos direximus Missos, qui ex nostri nominis auctoritate unà vobiscum corrigerent, quæ corrigenda essent. Sed & aliqua Capitula ex Canonicis institutionibus, quæ magis vobis necessaria videbantur, subjunximus. Ne aliquis, quæso, hujus pietatis admonitionem esse præ-*

sumptuosum judicet, quò nos errata corrigere, superflua abscindere, recta coar-
tare studuimus; sed magis benevolo caritatis animo suscipiat. Nam legimus in AN. CH.
Regnorum libris, quomodo Sanctus Josias Regnum sibi à Deo datum circum- 789.
eundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit revocare. Non ut CAROLI
me ejus Sanctitati aquiparabilem faciam, sed quod nobis sunt ubique Sanctorum R. 21.
semper exempla sequenda, & quoscumque poterimus ad studium bona vita, in PIPPINI
laudem & in gloriam Domini nostri Jesu Christi, congregare necesse est. Qua- LUDOV.
propter, ut prædiximus, aliqua Capitula notare jussimus, ut simul hæc eadem RR. 9.
vos admonere studeatis, & quæcumque vobis alia necessaria esse scitis, ut & ista CAROLI
& illa æquali intentione prædicetis, nec aliquid, quod vestræ Sanctitati populóque R. 1.
Dei utile videtur, omittatis, ut pio studio nos admoneatis, quatenus ut & vestra
solertia & subjectorum obedientia æterna felicitate ab Omnipotente Deo remune-
retur. Sequuntur Capitula.

Primum est de his qui ab Episcopo proprio excommunicantur. *Sunt*
enim aliqui, qui culpis exigentibus ab Episcopo proprio excommunicantur, & ab III.
aliis Ecclesiasticis vel laicis præsumptuosè in communionem accipiuntur, quod
omnino Sanctum Nicænum Concilium Canone quinto, *simul & Calchedonense*
Canone secundo, *necnon & Antiochenum* Canone sexto, *atque Sardicense*
Canone decimo-sexto, *fieri prohibent.*

Secundum Capitulum est de his, qui ad ordinandum veniunt. *Item ha-*
betur in eodem Concilio Nicæno, Canone nono, *ut eorum, qui ad ordinandum* IV.
veniunt, fides & vita prius ab Episcopo diligenter discutiatur, & sic ordi-
nentur.

Tertium Capitulum est de Clericis fugitivis & peregrinis. *Item in eodem*
Concilio Nicæno, Canonibus decimo-sexto & decimo-septimo; *necnon &* V.
in Antiocheno, Canone tertio, *simul & in Calchedonensi*, Canone decimo-
tertio, ut fugitivi Clerici & peregrini à nullo recipiantur, nec ordinentur sine
commendatitiis literis, & sui Episcopi vel Abbatis licentia.

Quartum Capitulum est de Clericis. *Item in eadem Synodo* Nicæna, Ca-
none tertio, interdictum est Presbyteris, & Diaconibus, vel omnibus, qui in VI.
Clero sunt, mulierem habere in domo sua, propter suspicionem, nisi matrem, aut
sororem, vel eas tantùm personas, quæ suspiciones effugiunt.

Quintum Capitulum est de usuris. *Item in eodem Concilio* Nicæno, Ca-
none decimo-septimo, seu in Decretis Papæ Leonis, necnon in Canonibus qui VII.
dicuntur Apostolorum, Canone videlicet quadragesimo-quarto, *sicut & in*
lege ipse Dominus præcepit, omnino omnibus interdictum est ad usuram ali-
quid dare.

Sextum Capitulum est de Presbyteris Missas cantantibus & non commu-
nicantibus. Auditum est aliquos Presbyteros Missas celebrare & non communi- VIII.
care, quod omnino in Canonibus Apostolorum, Canone scilicet nono, *interdic-*
tum esse legitur; vel quomodo dicere rectè potest, si non communicaverit, sum-
psimus Domine Sacramenta? Hæc verò per singula capita in statutis Nicæni
Concilii legere potestis, seu & in aliis Sanctorum Patrum Synodalibus Insti-
tutis vel Edictis.

Capitula, de quibus hactenus, si postremum excipias, quod in nono
Apostolorum Canone continetur, è Concilio Nicæno sumpta sunt, ut ex IX.
Antiocheno septem quæ proximè subsequuntur. Quapropter instar transi-
tionis à Nicæna Synodo ad Antiochenam haberi debet posterior hæc sexti
Capituli periodus. *Hæc verò per singula capita in statutis Nicæni Concilii le-*
gere potestis, seu & in aliis Sanctorum Patrum Synodalibus Institutis vel
Edictis. Celebrata sunt autem illa Concilia, Nicænum anno Christi tre-
centesimo vicesimo-quinto, Antiochenum anno Christi trecentesimo tri-
cesimo-primo.

Septimum Capitulum est de his, qui à Synodo vel à suo damnati sunt
Episcopo. *In Antiocheno Concilio*, Canone quarto, *hi, qui damnati sunt à* X.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

Synodo vel à suo Episcopo, & posteà ministrare præsumunt, præcipitur ut nullus audeat communicare; si quis verò eis communicaverit, simili sententiæ subjaceat, sicut & damnatus.

X I. Octavum Capitulum est de suffraganeis Episcopis. *Item in eodem Concilio* Antiocheno, Canone nono, *ut ad Metropolitanum Episcopum suffraganei respiciant, & nihil novi audeant facere in suis Parrochiis sine conscientia & consilio sui Metropolitani, nec Metropolitanus sine eorum consilio.*

XII. Nonum Capitulum est de Chorepiscopis. *Item in eodem* Concilio Antiocheno, Canone decimo, *simul & in Ancyronensi,* Canone decimo-tertio, *ut Chorepiscopi cognoscant modum suum, & nihil faciant absque licentia Episcopi, in cujus Parrochia habitant.*

XIII. Decimum Capitulum est de Episcopis & quibuslibet ex Clero. *Item in eodem Concilio* Antiocheno, Canone undecimo, *ut Episcopus, vel quilibet ex Clero, sine consilio vel literis Episcoporum vel Metropolitanæ, non audeant ad Regalem dignitatem pro suis causis clamare, sed in communi Episcoporum Concilio causa examinetur.*

XIV. Undecimum Capitulum est de Ordinationibus. *Item in eodem Concilio* Antiocheno, Canone decimo-tertio, *simul & in Sardicensi,* Canone decimo-octavo, *necnon in Decretalibus Innocentii Papæ,* in epistola videlicet septima, *ut nullus Episcopus in alterius Parrochia Ordinationes aliquas audeat facere, vel negotia peragere, quæ ad eum non pertinent.*

XV. Duodecimum Capitulum est de cura Episcoporum. *Item in eodem Concilio* Antiocheno, Canone vicesimo-primo, *ut Episcopus ejus Ecclesiæ curam habeat, ad quam ordinatus est.*

XVI. Decimum-tertium Capitulum est de celebrandis Conciliis. *Item in eodem Concilio* Antiocheno, Canone vicesimo, *necnon & in* Calchedonensi, Canone decimo-nono, *ut provinciales Episcopi cum suo Metropolitano bis in anno propter causas Ecclesiæ Concilia celebrent.*

XVII. Quæ proximè sequuntur Capitula, sumuntur è Concilio Laodicensi, quod aliquot ante Nicænum annis celebratum videtur.

XVIII. Decimum-quartum Capitulum vetat ne Monachi vel Clerici *tabernas* ingrediantur edendi vel bibendi causa. *In Concilio Laodicensi,* Canone vicesimo-quarto, *necnon & in Africano,* Canone septimo, *præcipitur, ut Monachi & Clerici tabernas non ingrediantur edendi vel bibendi causa.*

XIX. Decimum-quintum Capitulum est de die Dominica. *Item in eodem Concilio* Laodicensi, Canone vicesimo-nono, *præcipitur, ut à vespera usque ad vesperam dies Dominica servetur.*

XX. Decimum-sextum Capitulum est de ignotis Angelorum nominibus. *Item in eodem Concilio* Laodicensi, Canone tricesimo-quinto, *præcipitur, ut ignota Angelorum nomina nec fingantur, nec nominentur, nisi illorum, quos habemus in auctoritate. Hi sunt, Michael, Gabriel, Raphael.*

XXI. Decimum-septimum Capitulum prohibet, ne mulieres accedant ad altare. *Item in eodem Concilio* Laodicensi, Canone quadragesimo-quarto, *quòd non oporteat mulieres ingredi ad altare.*

XXII. Decimum-octavum Capitulum est de maleficis & incantatoribus. *In eodem Concilio* Laodicensi, Canone tricesimo-sexto, *ut cauclearii, malefici, incantatores & incantatrices fieri non sinantur.* Qui dicuntur in hoc Capitulo *caucleariis & coclearii,* vocantur *caucu latores* in sexagesimo-quarto, vel, ut alia profert editio, *calculatores,* quos Pithœus *circulatores* & *præstigiatores* exponit à Germanico vocabulo *Gaucler;* quod & Lindenbrogius ac Spelmannus in suis quoque Glossariis faciunt.

XXIII. Decimum-nonum Capitulum vetat Episcopos in villulis aut in agris constitui. *Item in eodem Concilio* Laodicensi, Canone quinquagesimo-septimo, *necnon & in Sardicensi,* Canone sexto, *quod non oporteat in villulis vel in agris Episcopos constituere.*

Vicesimum Capitulum est de libris Canonicis. *Item in eodem Concilio Laodicensi*, Canone quinquagesimo-nono, *ut Canonici libri tantùm legantur in Ecclesia.* XXIV.

Quæ sequuntur Capitula, sumpta sunt ex Concilio Calchedonensi, quod anno Christi quadringentesimo quinquagesimo-primo celebratum est. XXV.

Vicesimum-primum Capitulum est de Ordinationibus. *Item in Concilio Calchedonensi*, Canone secundo, *necnon in Canonibus Apostolorum*, Canone videlicet tricesimo, *ut non oporteat Episcopum, aut quemlibet ex Clero per pecunias ordinari, quia utrique deponendi sunt, & qui ordinat, & qui ordinatur, necnon & qui mediator est inter eos.* Apud Ansegisum Canon Apostolorum integer describitur. XXVI.

Vicesimum-secundum Capitulum vetat, ne Monachi, Clerici ac Presbyteri secularibus se negotiis immisceant. *Item in eodem Concilio Calchedonensi, infra duo Capitula*, tertium videlicet & quartum, *necnon & in Decreta Leonis Papæ, ut nec Monachi, nec Clerici, nec Presbyteri in secularia negotia transeant.* XXVII.

Vicesimum-tertium Capitulum est de servis alterius ad Clericatum aut Monachatum non sollicitandis. *Et ut servum alterius nullus sollicitet ad Clericatum vel Monachalem ordinem, sine voluntate & licentia Domini sui.* Lege Canonem quartum Concilii Calchedonensis. XXVIII.

Vicesimum-quartum Capitulum est de stabilitate Episcoporum & Clericorum, ne de civitate in civitatem transmigrent. *Item in eodem Concilio* Calchedonensi, *infra duo Capitula*, quintum scilicet & sextum, *necnon & in Sardicensi*, Canone primo, *ut nec Episcopus, nec Clerici transmigrent de civitate in civitatem.* XXIX.

Vicesimum-quintum Capitulum est de Presbyteris non absolutè & sine stabilitate loci ordinandis. *Item in eadem Synodo* Calchedonensi, Canone sexto, *ut nullus absolutè ordinetur, & sine pronuntiatione & stabilitate loci ad quem ordinatur.* XXX.

Vicesimum-sextum Capitulum est de proposito Monachorum & Clericorum. *Item in eodem Concilio* Calchedonensi, Canone septimo, *ut Clerici & Monachi in suo proposito & voto quod Deo promiserunt permaneant.* XXXI.

Vicesimum-septimum Capitulum est de Monachis, qui ad Clericatum provehuntur. *Item in Decreto Innocentii Papæ de eadem re, ut Monachus, si ad Clericatum provehatur, propositum Monachicæ professionis non amittat.* Id sumptum ex epistola secunda Innocentii, sive ex ejusdem Papæ Decreto decimo-septimo. XXXII.

Vicesimum-octavum Capitulum statuit, ut negotia, quæ Clerici inter se habuerint, ab eorum Episcopo, non autem à secularibus dijudicentur. *Item in eodem Concilio* Calchedonensi, Canone nono, *ut si Clerici inter se negotium aliquod habuerint, à suo Episcopo dijudicentur, non à secularibus.* XXXIII.

Vicesimum-nonum Capitulum conspirationes cùm Clericorum tum Monachorum prohibet. *Item in eodem Concilio* Calchedonensi, Canone decimo-octavo, *ut nec Clerici, nec Monachi, conspirationem vel insidias contra Pastorem suum faciant.* XXXIV.

Tricesimum Capitulum est de accusatione laicorum contra Episcopos. *Item in eodem Concilio* Calchedonensi, Canone vicesimo-primo, *ut laici Episcopos aut Clericos non accusent, nisi priùs eorum discutiatur existimatio.* XXXV.

Tricesimum-primum Capitulum est de Monasteriis Deo dicatis. *Item in eodem* Concilio Calchedonensi, Canone vicesimo-quarto, *ut loca, quæ semel Deo dedicata sunt, ut Monasteria sint, maneant perpetuò Monasteria, nec possint ultra fieri secularia habitacula.* XXXVI.

Sequuntur Capitula ex Concilio Carthaginensi, quod habetur in Collectione Hadriani Papæ, atque in Canones tres ac triginta distribuitur. XXXVII.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

XXXVIII. Tricesimum-secundum Capitulum est de fide prædicanda. *In Concilio Carthaginensi primò omnium necesse est, ut fides Sanctæ Trinitatis, & Incarnationis Christi, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis in cælo, diligenter omnibus prædicetur.* Hos articulos fidei complectitur explicatque symbolum Nicænæ Synodi, quod Canonibus Carthaginensis Concilii præfixum reperies.

XXXIX. Tricesimum-tertium Capitulum est de avaritia. *Item in eodem* Concilio Carthaginensi, Canone quinto, *de prohibenda avaritia, ut nullus alienos fines vel terminos patrum transcendat.*

XL. Tricesimum-quartum Capitulum est de his, qui periculo constituti se convertunt ad Deum. *Item in eodem* Concilio Carthaginensi, Canone septimo, *de his, qui periculo constituti sunt, & convertunt se ad Deum, ut Canonicè inquirantur de reconciliatione, & canonicè reconcilientur.*

XLI. Tricesimum-quintum Capitulum est de his, qui vel Episcopos vel majores natu accusant. *Item in eodem* Concilio Carthaginensi, Canone octavo, *ut illi qui non sunt bonæ conversationis, & eorum vita est accusabilis, non audeant Episcopos, vel majores natu accusare.*

XLII. Tricesimum-sextum Capitulum est de his qui excommunicato communicaverint. *Item in eodem* Concilio Carthaginensi, Canone nono, *ut qui excommunicato præsumptuosè communicaverit, excommunicetur & ipse.*

XLIII. Tricesimum-septimum Capitulum est de subjectione Presbyterorum. *Item in eodem Concilio* Carthaginensi, *infra duo Capitula*, decimum videlicet & undecimum, *necnon & in Canonibus Apostolorum*, Canone scilicet tricesimo-secundo, *ut nullus Presbyter contra suum Episcopum superbire audeat.*

XLIV. Tricesimum-octavum Capitulum est de judiciis Clericorum. *Item in eodem* Concilio Carthaginensi, Canone decimo-quinto, *ut Clerici Ecclesiastici ordinis, si culpam incurrerint, apud Ecclesiasticos judicentur, non apud seculares.*

XLV. Tricesimum-nonum Capitulum est de usuris. *Item in eodem* Concilio Carthaginensi, Canone decimo-sexto, *ut qui commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem aliam, eamdem speciem, quam dederit, accipiat.*

XLVI. Sequuntur Capitula ex Concilio Africano. Carolus Africanum Concilium vocat centum quinque Canones, qui collecti sunt ex variis Synodis Africanis, habéntque locum in Collectione Canonum Orientalium & Africanorum, quam Carolo Regi, cùm Romæ esset, anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto ad usum Occidentalium Ecclesiarum dedit Adrianus Papa.

XLVII. Quadragesimum igitur Capitulum Aquisgranense est de virginibus Deo dicatis. *In Concilio Africano*, Canone undecimo, *præcipitur, ut virgines Deo sacratæ à gravioribus personis diligenti custodiâ serventur.*

XLVIII. Quadragesimum-primum Capitulum est de principali Cathedra Episcoporum. *Item in eodem* Concilio Africano, Canone tricesimo-octavo, *ut non liceat Episcopo principalem Cathedram suæ Parrochiæ negligere, & aliquam Ecclesiam in sua Diœcesi magis frequentare.*

XLIX. Quadragesimum-secundum Capitulum est de falsis & incertis Sanctorum nominibus ac memoriis. *Item in eodem* Concilio Africano, Canone quinquagesimo, *ut falsa nomina Martyrum, & incerta Sanctorum memoria non venerentur.*

L. Quadragesimum-tertium Capitulum est de uxore à viro dimissa. *Item in eodem* Africano Concilio, Canone sexagesimo-nono, *ut nec uxor à viro dimissa alium accipiat virum vivente viro suo, nec vir aliam accipiat vivente uxore priore.*

LI. Quadragesimum-quartum Capitulum est de Judicibus à Metropolitano probatis. *Item in eodem* Africano Concilio, Canone octogesimo-nono, *ut probati à Metropolitano Judices non spernantur.*

Quadragesimum-

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

Quadragesimum-quintum Capitulum est de accusatoribus. *Item in eodem Africano Concilio, infra duo Capitula, nempe nonagesimum-sextum & nonagesimum-septimum, ut viles personæ non habeant potestatem accusandi, & , si in primo crimine victi sunt falsum dicere, in secundo non habeant potestatem dicendi.* LII.

Quadragesimum-sextum Capitulum est de virginum velandarum ætate. *Item in eodem Africano Concilio, Canone nonagesimo-tertio, ut virgines non velentur ante XXV annos, nisi rationabili necessitate cogente.* LIII.

Sequuntur duo Capitula ex Concilio Gangrensi, quod Silvestro Papâ celebratum est in Paphlagonia. LIV.

Quadragesimum-septimum Capitulum est de oblationibus. *In Concilio Gangrensi, Canone septimo, ut nulli liceat oblata, quæ ad pauperes pertinent, accipere vel fraudare.* LV.

Quadragesimum-octavum Capitulum est de jejuniis à Sacerdotibus constitutis. *Item in eodem Concilio Gangrensi, Canone decimo-nono, ut Ecclesiastica à Sacerdotibus jejunia constituta, sine necessitate rationabili non solvantur.* LVI.

Quadragesimum-nonum Capitulum est de his, qui contra naturam peccant, sumitúrque ex Canone decimo-quinto Concilii Ancyrani, quod anno Christi circiter trecentesimo decimo-quarto celebratum est. *In Concilio Ancyronensi invectum est in eos, qui cum quadrupedibus, vel masculis, contra naturam peccant, durâ & districtâ pœnitentiâ. Quapropter Episcopi & Presbyteri, à quibus judicium pœnitentiæ injungitur, conentur omnimodis hoc malum à consuetudine prohibere vel abscindere.* LVII.

Quinquagesimum Capitulum est de ætate, quâ Presbyterum convenit ordinari, sumitúrque ex undecimo Canone Neocæsariensis Concilii, quod anno Christi trecentesimo decimo-quarto vel sequente celebratum creditur. *In Concilio Neocæsariensi, ut nullatenus Presbyter ordinetur ante XXX ætatis suæ annum, quia Dominus Jesus Christus non prædicavit ante XXX annum.* LVIII.

Huc usque de Capitulis, quæ sumpta ex Canonibus Apostolorum, & ex variis Synodis, Nicæna, Antiochena, Laodicensi, Calchedonensi, Carthaginensi, Africana, Gangrensi, Ancyrana, & Neocæsariensi. Sequuntur alia ex Decretis Romanorum Pontificum, Siritii, Innocentii, Cælestini, Leonis, & Gelasii. Volumen Canonum, quod ad Occidentalium Ecclesiarum dispositionem Adrianus Papa Carolo Regi dedit, præter Canones Apostolorum complectitur Canones Sardicensis, prædictarum Synodorum, ut & quarumdam aliarum, putà Constantinopolitanæ & Ephesinæ; complectitur & Decreta Romanorum Pontificum suprà nominatorum, ut & quorumdam aliorum, putà Zosimi, Bonifacii, Hilari, Felicis, Anastasii, Symmachi, Hormisdæ, & Gregorii Junioris. Idque lubenter annotamus, ut unusquisque sciat Carolum in edendo Aquisgranensi Capitulari usum Synodalibus Canonibus Pontificalibúsque Decretis, quorum Collectionem ante annos quindecim, cùm Romæ esset, ab Hadriano Pontifice acceperat. LIX.

Quinquagesimum-primum Capitulum Aquisgranense est de sponsa alterius. *In Decretalibus Siritii Papæ, ut alterius sponsam nemo accipiat.* Hoc Decretum quartum est in Siricii literis ad Himerium Episcopum Tarraconensem. LX.

Quinquagesimum-secundum Capitulum est de Monachis & virginibus. *Item ejusdem Siricii in iisdem literis, Decreto sexto, ut Monachi & virgines suum propositum omnimodis observent.* LXI.

Quinquagesimum-tertium Capitulum est de pace danda non ante sed post confecta mysteria. *In Decretalibus Innocentii Papæ, ut pax detur omnibus confectis Christi Sacramentis.* Hadriani Papæ Collectio ex variis Inno- LXII.

AN.CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

ceotii Primi scriptis Decreta septem ac quioquaginta repræsentat, Carolus duo tantùm exhibet ex literis Decentio Episcopo Eugubino ioscriptis. Unum habes proximè descriptum, alterum accipe.

Quinquagesimum-quartum Capitulum est de nominibus noo recitandis antequàm precem Sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomioa recitanda sunt, sua oratiooe commendet. *Item ejusdem* Inoocentii in iisdem ad Decentium literis, *ut nomina publicè non recitentur ante preces Sacerdotales.*

LXIII. Quinqoagesimum-quintum Capitulum est de Canooom Institutis à Presbyteris non ignorandis. *In Decretis Cælestini Papa, ut nulli Sacerdoti liceat*

LXIV. *ignorare Sanctorum Canonum Instituta.* Hoc Decretum apud Ansegisum [a] non Cælestino Papæ, sed Innocentio Primo cum duobus præcedentibus tribuitur, idque perperam, legitur eoim in literis, quas Cælestinus universis Episcopis per Apuliam & Calabriam constitutis direxit duodecimo Kalendas Augusti, Florentio & Diooysio Viris Clarissimis Consulibus, id est, anno Christi quadringentesimo vicesimo-nono, tenétque locom vicesimum inter Cælestini Papæ Decreta duo ac viginti, quæ Collectioni Hadriani reperiuntur inserta.

[a] Lib. 1. c. 51.

LXV. Quinquagesimum-sextum Capitolum est de Clericis alterius Episcopi. *In Decretis Leonis Papa sancitum est, & in Sardicensi Concilio;* Canone duodevicesimo, *ut Episcopus alterius Clericum ad se non sollicitet nec ordinet.* In Adriani Collectione Decreta fuot undequinquaginta Leonis Papæ, vicesimúmque occurrit hoc Capitulum, quod sumitur ex literis ejusdem Leonis ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem.

LXVI. Quinquagesimum-septimum Capirulum est de servis alterius. *Item ejusdem* Leonis, *ut nullus Episcopus servum alterius ad Clericatûs Officium sine Domini sui voluntate promovere præsumat. Et hoc Gangrense Concilium prohibet* Canone tertio. Lege literas Leonis ad universos Episcopos per Campaniam, Picenum, Tusciam, & universas provincias constitutos, datas sexto Idus Octobris, Maximo iterum & Paterno Consulibus, id est, anno Christi quadringentesimo quadragesimo-tertio. Lege & primum Decretum ejusdem Leonis in Collectione Hadriani.

LXVII. Quioquagesimum-octavum Capitulum est de Sacerdotibus Decreta violantibus. *Item ejusdem* Leonis, *ut si quis Sacerdotum contra Constituta Decretalia præsumptuosè agat, & corrigi nolens ab officio suo submoveatur.* Hoc Capitulum est in fine earumdem literarum, & quintum Leonis Decretum in Hadriani Collectione constituit.

LXVIII. Quinquagesimum-nonum Capitulum est de viduis non velandis. *In Decretis Gelasii Papa, ut nullus Episcopus viduas velare præsumat.* Gelasius Papa literas ad Episcopos Lucaniæ scripsit quinto Idus Martii, Asterio & Præsidio Consulibus, sive anno Christi quadringentesimo nonagesimo-quarto. Ex illis literis Hadriaoos octo ac viginti Decreta collegit, quorum decimo-tertio conforme est Capitulum proximè recitatum.

LXIX. Huc usque Aquisgranensia Capitula, quæ suâ Collectione ex Canonibus Apostolorum, ex Synodis, & ex Decretalibus Epistolis Romanorum Pontificum suppeditavit Adrianus. Alia sequuntur, quæ Carolus utilia quoque duxit, & ab istis ad hæc utitur egregiâ transitione. *Hæc,* inquit, *dilectissimi, pio studio & magnâ dilectionis intentione, vestram unanimitatem admonere studuimus, quæ magis necessaria videbantur, ut Sanctorum Patrum Canonicis Institutis inhærentes, præmia cum illis æternæ felicitatis accipere mereamini. Scit namque prudentia vestra, quàm terribili anathematis censurâ feriantur, qui præsumptuosè contra statuta universalium Conciliorum venire audent. Quapropter & vos diligentiùs admonemus, ut omni intentione illud horribile execrationis judicium vobis cavere studeatis, & magis Canonica Instituta sequentes, & pacificâ unitate nitentes, ad æterna pacis gaudia venire digni effi-*

AN.CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

Sunt quoque alia Capitula, quæ nobis utilia huic præcedenti admonitioni subjungere visa sunt.

Sexagesimum Capitulum est de Catholica fide prædicanda. *Primò omnium admonemus, ut fides Catholica ab Episcopis & Presbyteris diligenter legatur, & omni populo prædicetur, quia hoc primum Præceptum est Domini Dei omnipotentis in lege, [Audi, Israel, quia Dominus Deus tuus Deus unus est;] & ut ille diligatur ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima, & ex tota virtute nostra.*

LXX. Sexagesimum-primum Capitulum est de pace & concordia servanda. *Ut pax sit, & concordia, & unanimitas cum omni populo Christiano, inter Episcopos, Abbates, Comites, Judices, & omnes ubique, seu majores seu minores personas, quia nihil Deo sine pace placet, nec munus sanctæ oblationis ad altare, sicut in Evangelio, ipso Domino præcipiente, legimus, quia & illud secundum mandatum est in lege. [Diliges proximum tuum sicut teipsum.] Item in Evangelio. [Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.] Et iterum. [In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.] In hoc enim Præcepto discernuntur filii Dei & filii diaboli, quia filii diaboli semper dissensiones & discordias movere satagunt, filii autem Dei semper paci & dilectioni student.*

LXXI.

LXXII. Sexagesimum-secundum Capitulum est de Judicibus. *Ut quibus data est potestas judicandi, justè judicent, sicut scriptum est. [Justè judicate filii hominum.] Non in muneribus, quia munera excæcant corda prudentium, & subvertunt verba justorum. Non in adulatione, nec in consideratione personæ, sicut in Deuteronomio dictum est. [Quod justum est judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus, nulla sit distantia personarum, quia Dei judicium est.] Primum namque Judicii diligenter discenda est lex à sapientibus populo composita, ne per ignorantiam à via veritatis erret; & dum ille rectum intelligit judicium, caveat ne declinet, aut per adulationem aliquorum, aut per amorem cujuslibet amici, aut per timorem alicujus potentiæ, aut propter præmium à recto judicio. Rectum autem & honestum videtur, ut Judices jejuni causas audiant, & discernant.*

LXXIII. Sexagesimum-tertium Capitulum est de perjuriis. *Habemus in lege, Domino præcipiente. [Non perjurabis in nomine meo, nec polluas nomen Dei tui; neque assumes nomen Domini Dei tui in vanum.] Ideo omnino admonendi sunt omnes diligenter, ut caveant perjurium, non solùm in Sancto Evangelio, vel in altari, seu in Sanctorum Reliquiis, sed & in communi loquela, quia sunt aliqui, qui per caritatem & veritatem jurant, & nesciunt quòd idem est Deus quod caritas & veritas, dicente Joanne Apostolo, quia [Deus caritas est,] item ipse Dominus in Evangelio, [Ego sum via & veritas,] ideo qui in veritate & caritate aliquis jurat, in Deo jurat. Item cavendum est, ne Pharisaica superstitione aliquis plus aurum honoret quam altare, ne dicat ei Dominus. [Stulte, & quid est majus, aurum an altare quod sanctificat aurum?] Sed & nobis honestum videtur, ut qui in Sanctis habet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honore & timore Dei. Et sciat se rationem redditurum Deo unusquisque vestrum ubicumque sit, sive intra Ecclesiam, sive extra Ecclesiam. Et ut parvuli, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare, sicut Gundebodingi[a] faciunt. Et qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit post hæc, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa vel alterius jurator existat.*

Guntbodingos, corruptè Gunebodignos, in multis exemplaribus, Gundebodingos seu Gundebodingos interpretare, homines qui vivunt Gundebadâ lege, seu lege Burgundionum à Gundebaldo Rege quondam promulgatâ, ut ad annum Christi septingentesimum octogesimum-primum[b] jam observavimus.

LXXIV. Sexagesimum-quartum Capitulum est de auguriis & aliis maleficiis. *Habemus in lege Domini mandatum. [Non augurabimini.] Et in Deuteronomio. [Nemo sit, qui ariolos sciscitetur, vel somnia observet, vel ad auguria intendat.]*

[a] Gundebodgui

[b] Num. 92.

Item. [Nemo sit maleficus, nec incantator, nec Pythonis consultor.] Ideo præcipimus, ut nec cauculatores, & incantatores, nec tempestarii, vel obligatores fiant, & ubicumque sunt, emendentur vel damnentur. Item de arboribus, vel petris, vel fontibus, ubi aliqui stulti luminaria vel alias observationes faciunt, omnino mandamus, ut & ipse pessimus usus, & Deo execrabilis, ubicumque invenitur, tollatur & destruatur. De Cauculatoribus actum suprà [a]. Tempestarii sunt, qui tempestates cient; Obligatores, qui fascinationibus utuntur, quas ligaturas vocant. Cetera vel clara sunt, vel aliis in locis à nobis explicata.

a Num. 22.

LXXV. Sexagesimum-quintum Capitulum est de odio & invidia. Prædicare necesse est, quantum malum sit odium, vel invidia, quia in lege scriptum est. [Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum.] Item Joannes Evangelista. [Qui odit fratrem suum, homicida est.] Item in Evangelio. [Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum] & cetera, quæ ibi leguntur.

LXXVI. Sexagesimum-sextum Capitulum est de avaritia & concupiscentia. De avaritia autem Apostolum legimus dicentem, avaritia, quæ est idolorum servitus, cavenda est. De concupiscentia verò legitur, quòd radix sit omnium malorum: & in lege. [Non concupisces rem proximi tui.]

LXXVII. Sexagesimum-septimum Capitulum est de homicidiis. Item ut homicidia infra patriam, sicut in lege Domini interdictum est, nec causâ ultionis, nec avaritia, nec latrocinandi fiant; & ubicumque inventa fuerint, à Judicibus nostris secundùm legem ex nostro mandato vindicentur; & non occidatur homo, nisi lege jubente.

LXXVIII. Sexagesimum-octauum Capitulum est de furtis, injustis connubiis, & falsis testimoniis. Item & furta, & injusta connubia, necnon & falsa testimonia, sicut sæpè rogavimus, prohibete diligenter, sicut & Lex Domini prohibet.

LXXIX. Sexagesimum-nonum Capitulum est de honore parentibus exhibendo. Et hoc cum magno studio admonendum est, ut filii honorent parentes suos, quia ipse Dominus dicit. [Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi]

LXXX. Septuagesimum Capitulum est de Presbyteris. Ut Episcopi diligenter discutiant per suas Parrochias Presbyterorum fidem, Baptisma Catholicum, & Missarum celebrationes, ut fidem rectam teneant, & Baptisma Catholicum observent, & Missarum preces benè intelligant: & ut Psalmi dignè secundùm divisiones Versuum modulentur; & Dominicam Orationem ipsi intelligant, & omnibus prædicent intelligendam, ut quisque sciat quid petat à Deo; & ut Gloria Patri cum omni honore apud omnes cantetur, & ipse Sacerdos cum Sanctis Angelis & populo Dei, communi voce, Sanctus, Sanctus, Sanctus, decantet. Et omnimodis dicendum est Presbyteris & Diaconibus, ut arma non portent, sed magis confidant in defensione Dei, quàm in armis.

LXXXI. Septuagesimum-primum Capitulum est de honore Ecclesiæ Dei. Placuit nobis admonere reverentiam vestram, ut unusquisque vestrum videat per suam Parrochiam, ut Ecclesia Dei suum habeat honorem: simul & altaria secundùm suam dignitatem venerentur; & non sit domus Dei, & altaria pervia canibus: & ut vasa sacrata Deo cum magna veneratione habeantur: & ut sacrificia sanctificata cum magna diligentia ab eis colligantur qui digni sunt, vel cum honore serventur; & ut secularia negotia, vel vaniloquia in Ecclesiis non agantur, quia domus Dei domus Orationis debet esse, non spelunca latronum, & ut intentos habeant animos ad Deum, quando veniunt ad Missarum solemnia; & ut non exeant ante completionem benedictionis Sacerdotalis.

LXXXII. Septuagesimum-secundum Capitulum est de Ministris Altaris Dei & de Schola. Sed & hoc flagitamus vestram Almitatem, ut Ministri Altaris Dei suum ministerium bonis moribus ornent, seu & alii Canonici observantiâ Ordinis, vel Monachi proposito consecrationis; obsecramus etiam ut bonam & probabilem vitam

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

& bonam conversationem habeant, sicut ipse Dominus in Evangelio præcipit. [Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.] Ut eorum bona conversatione multi attrahantur ad servitium Dei, & non solum servilis conditionis infantes, sed etiam ingenuorum filios aggregent, sibique socient. Et ut scholæ legentium puerorum fiant, Psalmos, notas, cantus, compotum, Grammaticam per singula Monasteria vel Episcopia discant, sed & libros Catholicos bene emendatos habeant, quia sæpe, dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros male rogant. Et pueros vestros non sinite eos vel legendo, vel scribendo corrumpere. Et, si opus est Evangelium vel Psalterium & Missale scribere, perfectæ ætatis homines scribant cum omni diligentia.

Septuagesimum-tertium Capitulum est de voto Monachorum & de Clericatu. LXXXIII.
Simul & hoc rogare curavimus, ut omnes ubicumque, qui se voto Monachicæ vitæ constrinxerunt, Monachicè & Regulariter omnimodis secundum votum suum vivant, secundum quod scriptum est. [Vota vestra reddite Domino Deo vestro.] Et iterum. [Melius est non vovere, quàm vovere & non reddere.] Et ut ad Monasteria venientes, secundum Regularem ordinem, primò in pulsatorio probentur, & sic recipiantur. Et qui ex seculari habitu in Monasterium veniunt, non statim foras ad ministeria Monasterii mittantur, antequàm in Monasterio bene erudiantur. Et ut Monachi ad secularia Placita non vadant. Similiter qui ad Clericatum accedunt, quod nos nominamus Canonicam vitam, volumus ut illi canonicè secundum suam Regulam omnimodis vivant, & Episcopus eorum regat vitam, sicut Abba Monachorum.

Septuagesimum-quartum Capitulum est de mensuris & ponderibus. LXXXIV.
Ut æquales mensuras & rectas, & pondera justa & æqualia, omnes habeant, sive in civitatibus, sive in Monasteriis, sive ad dandum in illis, sive ad accipiendum, sicut in lege Domini præceptum habemus. Item in Salomone, Domino dicente. [Pondus & pondus, mensuram & mensuram odit anima mea.]

Septuagesimum-quintum est de hospitalitate. LXXXV.
Et hoc nobis competens & venerabile videtur, ut hospites, peregrini, & pauperes, susceptiones Regulares & Canonicas per loca diversa habeant, quia ipse Dominus dicturus erit in remuneratione magni diei. [Hospes eram, & suscepistis me.] Et Apostolus hospitalitatem laudans dixit. [Per hanc quidam placuerunt Deo, Angelis hospitio susceptis.]

Septuagesimum-sextum Capitulum est de Abbatissis contra morem Ecclesiæ facientibus. LXXXVI.
Auditum est aliquas Abbatissas, contra morem Sanctæ Dei Ecclesiæ, benedictiones cum manus impositione & signaculo sanctæ Crucis, super capita virorum dare, necnon & velare virgines cum benedictione Sacerdotali, quod omnino à vobis, Sanctissimi Patres, in vestris Parrochiis, illis interdicendum esse scitote.

Septuagesimum-septimum Capitulum est de Clericis Monachos se fingentibus. LXXXVII.
Ut illi Clerici, qui se fingunt habitu vel nomine Monachos esse, & non sunt, omnimodis videntur esse corrigendi atque emendandi, ut vel veri Monachi sint, vel veri Canonici.

Septuagesimum-octavum Capitulum est de pseudographiis & dubiis narrationibus. LXXXVIII.
Pseudographia, & dubiæ narrationes, vel quæ omnino contra fidem Catholicam sunt, ut Epistola pessima & falsissima, quam transacto anno [a] dicebant aliqui errantes, & in errorem alios mittentes, quòd de cælo cecidisset, nec credantur, nec legantur, sed comburantur, ne in errorem per talia scripta populus mittatur. Sed soli Canonici libri & Catholici tractatus & Sanctorum Auctorum dicta legantur & tradantur.

[a] Vid. an. 788. n. 22.

Septuagesimum-nonum Capitulum est de mangonibus, & cocionibus, & nudis cum ferro. LXXXIX.
Item ut isti mangones & cociones, qui sine omni lege vagabundi vadunt, per istam terram non sinantur vagari, & deceptiones hominibus agere. Nec isti nudi cum ferro, qui dicunt se data sibi pœnitentiâ ire va-

AN. CH 789.
CAROLI R. 21.
PIPPINI LUDOV. RR. 9.
CAROLI R. 1.

gantes. Meliùs videtur, ut si aliquid inconsuetum, & capitale crimen commiserint, in uno loco permaneant laborantes & servientes, & pœnitentiam agentes secundùm quod sibi canonicè impositum sit. Mangones & cogciones sunt vagabundi qui suis imposturis homines ludunt. Cogciones, cocciones, cotiones & cotyones, propriè dicuntur ii, qui suis ejulationibus & lacrymis eleemosynam extorquent, à Græco *κωκύω*, quod est *lugeo, ploro.* Mangones seu mancones à verbo *mancare* sic appellantur, séque membris mutilatos fingunt, *mancare* enim idem est ac mutilare, ut infrà dicemus ad Capitula, quæ propriè spectant ad Monachos, ubi statuitur, ut iidem Monachi *non orbentur, non mancationes habeant.*

XC. Octogesimum Capitulum est de cantu Romano à Monachis peragendo. *Monachi ut cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel gradale Officium peragant, secundùm quod beata memoria genitor noster Pippinus Rex decretavit * ut fieret, quando Gallicanum cantum tulit, ab unanimitatem Apostolica Sedis, & Sancta Dei Ecclesia pacificam concordiam.* Lege quæ Tomo superiore ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quartum [a] sub Pippino Rege dicta sunt.

* decertavit

[a] Num. 74.

XCI. Octogesimum-primum Capitulum est de servilibus operibus die Dominico non agendis. *Statuimus quoque, secundùm quod & in lege Dominus præcepit, ut opera servilia diebus Dominicis non agantur, sicut & bona memoria genitor meus in suis Synodalibus edictis mandavit; quòd nec viri ruralia opera exerceant, id est, nec in vinea colenda, nec in campis arando, nec in metendo, vel fœnum secando, vel sepem ponendo, nec in sylvis stirpare, vel arbores cadere, vel in petris laborare, nec domos construere; nec in horto laborent, nec ad Placita conveniant, nec venationes exerceant. Sed tria carraria opera licet fieri in die Dominico, id est, hostilia carra, vel victualia, vel, si fortè necesse erit, corpus cujuslibet duci ad sepulchrum. Item fœmina opera textrilia non faciant, nec capulent vestitus, nec consuant, vel acupictile faciant; nec lanam carpere, nec linum battere, nec in publico vestimenta lavare, nec verveces * tondere habeant licitum, ut omnimodis honor & requies diei Dominici servetur. Sed & ad Missarum solemnia ad Ecclesias undique conveniant, & laudent Deum in omnibus bonis, quæ nobis in illo die fecit.* Anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto, regnante tum Pippino, celebratum est in Ebroicensi Diœcesi Concilium Vernense, cujus Canon decimus-quartus *de opera rurali, arato, aut vinea sectione, excussione, vel sepe* censet *abstinendum, quò faciliùs ad Ecclesiam venientes orationis gratiâ vacent.*

* berbices

XCII. Octogesimum-secundum Capitulum est de prædicatione Episcoporum & Presbyterorum. *Sed & unicuique vestrum videndum est, dilectissimi & venerabiles Pastores & Rectores Ecclesiarum Dei, ut Presbyteri, quos mittitis per Parrochias vestras, ad regendum & ad prædicandum per Ecclesias populum Deo servientem, rectè & honestè prædicent, & non sinatis nova, & non canonica, aliquos ex suo sensu, & non secundùm Scripturas Sacras, fingere & prædicare populo. Sed & vosmetipsi utilia honestè & rectè, & quæ ad vitam ducunt æternam, prædicate, aliósque instruite, ut hæc eadem prædicent. Primò omnium prædicandum est omnibus generaliter, ut credant Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unum esse Deum Omnipotentem, æternum, invisibilem, qui creavit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & unam esse Deitatem, substantiam & majestatem in tribus personis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Item prædicandum est, quomodo filius Dei incarnatus est de Spiritu Sancto, & ex Maria semper Virgine, pro salute & reparatione humani generis, passus, sepultus, & tertiâ die resurrexit, & ascendit in cælos, & quomodo iterum venturus sit in majestate divina judicare omnes homines secundùm merita propria, & quomodo impii propter scelera sua cum diabolo in ignem æternum mittentur, & justi cum Christo & cum Sanctis Angelis suis in vitam æternam. Item diligenter prædicandum est de resurrectione mortuorum, ut sciant & credant in iisdem*

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

temporibus praemia meritorum accepturus. Item cum omni diligentia cunctis praedicandum est, pro quibus criminibus deputentur cum diabolo in aeternum supplicium. Legimus enim Apostolo dicente. [*Manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, animositates, irae, rixae, dissensiones, haereses, sectae, invidiae, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quae praedico vobis sicut praedixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.*] Ideo haec eadem, quae magnus praedicator Ecclesiae Dei singillatim nominavit, cum omni studio prohibeantur, intelligentes quàm sit terribile illud quod dixit, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur. Sed & omni instantiâ admonete eos de dilectione Dei & proximi, de fide & spe in Deo, de humilitate & patientia, de castitate & continentia, de benignitate & misericordia, de eleemosynis & confessione peccatorum suorum, & ut debitoribus suis secundum Dominicam Orationem sua debita dimittant, scientes certissimè, quod qui talia agunt regnum Dei non possidebunt. Et hoc ideo diligentiùs injungimus vestrae caritati, quia scimus temporibus novissimis pseudodoctores esse venturos, sicut ipse Dominus in Evangelio praedixit, & Apostolus Paulus ad Timotheum testatur. Ideo, dilectissimi, toto corde praeparemus nos in scientia veritatis, ut possimus contradicentibus veritati resistere, & Divinâ donante gratiâ verbum Dei crescat & currat, & multiplicetur in profectum Sanctae Dei Ecclesiae, & salutem animarum vestrarum, & laudem & gloriam nominis Domini nostri Jesu Christi. Pax praedicantibus, gratia obedientibus, gloria Domino nostro Jesu Christo.

Denique subjiciuntur hi Characteres Chronologici. *Anno Dominicae Incarnationis* DCCLXXXIX. *Indictione* XII. *anno* XXI *Regni nostri, actum est hujus Legationis Edictum in Aquisgrani Palatio publico. Data est haec Charta die* X *Kalendas Apriles.* XCIII.

Eidem loco & anno in nonnullis Codicibus adscribuntur sexdecim alia Caroli Regis Capitula, vel potiùs Tituli totidem Capitulorum ad Monachos propriè spectantium. XCIV.

I. *De Monachis Gyrovagis vel Sarabaitis.* Sanctus Benedictus capite primo suae Regulae, quatuor distinguit genera Monachorum: primum est Coenobitarum, secundum Anachoretarum, tertium Sarabaitarum, quartum Gyrovagorum. *Tertium Monachorum teterrimum genus* appellat *Sarabaitarum*, deinde Gyrovagos *per omnia deteriores Sarabaitis* dicit. Lege quae Tomo primo commemorata sunt ad caput primum Regulae Benedictinae. XCV.

II. *De Anachoretis, melius est ut hortentur in Congregatione permanere, quàm animum* [illegible] *alicubi ambulare tentet.* Sanctus Benedictus, eodem capite primo suae Regulae, Anachoretas multùm laudat, nam de secundo Monachorum genere sic scribit. *Secundum genus est Anachoretarum, id est, Eremitarum; horum, qui non conversionis fervore novitio, sed Monasterii probatione diuturnâ didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare, & benè instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam Eremi, securi jam sine consolatione alterius, solâ manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare sufficiunt.* Tutius tamen videtur, ut in Congregatione permaneant, eòque tendit Capitulare, quod expendimus. XCVI.

III. *Ut non parvipendentes sint Pastores animarum sibi commissarum, nec majorem curam habeant de lucris terrenis, quàm de animabus sibi commissis.* Habet conformia Sanctus Benedictus capite secundo, cui Titulus, qualis debeat Abbas esse. *Ante omnia ne dissimulans aut parvipendens salutem animarum sibi commissarum, plùs gerat sollicitudinem de rebus transitoriis & terrenis atque caducis.* XCVII.

IV. *De obedientia, quae Abbati debet exhiberi, & ut absque murmuratione sit.* Id fusè docet Sanctus Benedictus capite quinto suae Regulae, quod de Obedientia inscribitur. *Haec ipsa Obedientia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus; si quod jubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum* XCVIII.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

murmure, vel cum responso nolentis efficiatur, quia obedientia, qua majoribus prabetur, Deo exhibetur. Ipse enim dixit. [*Qui vos audit, me audit.*] *Et cum bono animo à discipulis praberi oportet, quia* [*hilarem datorem diligit Deus.*] *Nam cum malo animo si obedis discipulus, & non solùm ore, sed etiam in corde si murmuraverit, etiamsi impleat jussionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, imò pœnam murmurationis incurrit, si non eum satisfactione emendaverit.*

XCIX. V. *De Decanis & Prapositis, ut eorum mutatio secundùm Regulam fiat.* Lege caput vicesimum-primum Regulæ Benedictinæ, quod totum est de eligendis Monasterii Decanis & Præposito.

C. VI. *De Cellarariis Monasterii, ut non avari, sed tales mittantur, quales Regula pracipit*, nempe Benedictina, capite tricesimo-primo, cui Titulus, *de Cellerario* seu Cellarario *Monasterii, qualis debeat esse.*

CI. VII. *Ut ubi corpora Sanctorum requiescunt, aliud Oratorium habeatur, ubi fratres secretè possint orare.*

CII. VIII. *De Eulogiis.*

CIII. IX. *De susceptione hospitum sicut Regula continet.* Lege caput quinquagesimum-tertium Regulæ Benedictinæ, quod est de hospitibus suscipiendis.

CIV. X. *De vestimentis Monochorum, ubi superfluum est, abscidatur: & ubi minùs, augeatur.* Sanctus Benedictus capite quinquagesimo-quinto, quod est *de vestiariis & calciariis fratrum*, præcipit, ut *dentur ab Abbate omnia, qua sunt necessaria*, monétque eodem capite, quòd id, *quod superfluum est, amputari debet.*

CV. XI. *De noviter venientibus ad conversionem, ut secundùm Regulam probentur; & non anteà recipiantur, nisi sicut Regula jubet. Et nullus cogatur invitus promittere, & de obedientia, & de stabilitate, sicut Regula jubet.* Lege caput duodesexagesimum Regulæ Benedictinæ.

CVI. XII. *De filiis Nobilium, qui offeruntur.* Hic Titulus capiti quinquagesimo-nono Regulæ Benedictinæ præfigitur.

CVII. XIII. *De ordinando Abbate.* Præfigitur & hic Titulus capiti ejusdem Regulæ sexagesimo-quarto.

CVIII. XIV. *De fratribus in viam directis.* Hic quoque Titulus capiti sexagesimo-septimo Regulæ Benedictinæ tribuitur.

CIX. XV. *Ut nullus Abbas pro susceptione Monachi pramium quarat.* Hoc Capitulo prudenter omnis suspicio Simoniæ removetur.

CX. XVI. *Ut disciplina Monachis Regularis imponatur, non secularis. Id est, non orbentur, non mancationes alias habeant, nisi ex auctoritate Regula.* Orbis tumorem significat assurgentem ex ictu. Apud Spelmannum [a] gladius plagam facit, *ligna verò & lapides faciunt brusuras, orbes, & ictus, qui judicari non possunt ad plagam.* Non orbentur igitur Monachi, id est, lignis, lapidibus, aliisque rebus ad castigationem ac correptionem non idoneis, haud feriantur, nec mancationes habeant nisi ex auctoritate Regulæ. Mancatio mutilationem membrorum significat, sed hoc loco leniùs pro flagellatione sic accipienda est, ut Monachi, quos pleræque Regulæ verberibus seu plagis aut percussionibus vel flagellationibus ob culpas subjiciunt, non aliter percutiantur flagellentúrve, quàm fert Regula. Sanctus Benedictus hujuscemodi pœnam in contumaces tantùm & in pueros delinquentes decernit. In istos capite duodetricesimo, sic. *Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correptio, id est, ut verberum vindicta in eum procedat.* In hos capite tricesimo, sic. *Quotiens pueri vel adolescentiores atate, aut qui minùs intelligere possunt quanta pœna sit excommunicationis, hi tales, dum delinquunt, aut jejuniis nimiis affligantur, aut acribus verberibus coerceantur, ut sanentur.* Usum tamen ejusmodi flagellationum adversùs quoslibet reos in Ordine Benedictino

[a] In voc. Orbis.

tino ætate Caroli Magni non obscurè docet Conventus anno Redemptoris
octingentesimo decimo-septimo, sive anno post obitum ejusdem Caroli
tertio, apud Aquisgranum habitus, in quo statuitur, Capitulo decimo-
quarto, *ut nudi pro qualibet culpa, coram fratrum obtutibus non flagellentur.*
Lege Dacherium & Mabillonum in Notis ᵃ ad Miracula Sancti Virgilii
Salisburgiensis Episcopi.

Ex prædictis Capitulis, quæ spectant ad Monachos, apertè constat Carolum strenuè laborasse, ut in Francia Monasticus Ordo juxta Regulam Sancti Benedicti reformaretur. Alia non deerunt inferiùs exempla, quibus eadem prævalidè confirmetur assertio. Si Leoni Marsicano fides est, Carolus per literas Theodemarum Abbatem Casinensem rogavit, ut ad se Monachos è Casinensi Cœnobio mitteret, qui Regularem disciplinam in Francia restaurarent.

Quadruplex extat hujus Auctoris editio; Veneta, Parisiensis, Neapolitana, Parisiensis altera; prima est Laurentii Vincentini Monachi, anno Christi millesimo quingentesimo decimo-tertio; secunda Jacobi Breulii Monachi Sancti Germani à Pratis, anno Christi millesimo sexcentesimo secundo; tertia est Matthæi Laureti Abbatis Sancti Salvatoris de Castellis, anno Christi millesimo sexcentesimo decimo-sexto; quarta est Angeli de Nuce Casinensis Abbatis quæ Parisiis ex officina Ludovici Billaine prodiit anno Christi millesimo sexcentesimo duodeseptuagesimo. Hic de singulis præfatur. Quid de prima censeat sic exponit. *Hujus Chronici nescio quod nactus exemplum Laurentius Vincentinus Monachus, Venetiis illud edendum curavit anno quingentesimo tertio-decimo supra millesimum. Cui editioni quamquam multis locis refragetur Baronius, eâ tamen persæpè utiliter & cum laude se usum fuisse non diffitetur. Alteram,* inquit, *nihilo melior consecuta fuit editio Parisiensis anno servati Orbis* MDCII. *operâ Jacobi du Breul Monachi Sancti Germani à Pratis.* In tertiam sic excandescit. *Matthæum Lauretum Abbas Sancti Salvatoris de Castellis, qui prodierat è disciplina celebris Monasterii Montis-Serrati in Catalaunia, hospes olim Sacri Cœnobii Casinensis, rogatúne Casinensium, an suâ sponte, obscurum, hanc ipsam historiam Neapoli edendam curavit anno* MDCXVI, *sed ita, ut omnia se fidelissimè ex archetypis expressisse testaretur, illúdque jactaret, vindicatam ab sese à probris, & repurgatam fuisse ad fidem Originalis Venetam editionem. Est hic sanè, Lector, quod plùs satis misereris. Nemo suam fidem plùs venditat quàm qui fide sublestâ est & infirmâ. Quâ fronte scilicet homo iste fuit, ut de sua fide editionis tam impudenter ementiretur? Quàm sæpè ab eo, quàm multarum verum ordo perturbatus! Annorum ac temporum quam depravata ratio! quàm temerè infarta & inconculcata multa è suo! Quid, quòd Matthæi somniis nomen prætexit & auctoritatem Leonis ac Petri, eâque bis tribuit, quæ ipsis dicere nunquam venit in mentem? Alicubi secuim, spongiam alicubi, ubique scilicet temerè ac ineptissimè adhibet. Multis narrationum periodis, multísque capitibus diminutam ac decurtatam & mancam exhibet, & in extremo integram Historiam proscribit. Verba innumera, quæ minùs intelligit, non putat religiosum esse immutare, multarúmque rerum & eruditionum notitiam Lectori invidet, subducit, ac subtrahit. Proinde verbis opus est? vix unum sine flagitio mendóque versum deprehendas, ut non tam Leonis Historiam, quam errorum Odysseam edidisse videatur, nihil magnificentiùs, & tamen, quasi Fidei & Veritati thura quotidie adoleret, nihil magnificentiùs loquitur. Ita planè falsitas non decipere, quàm illarum lucem ac vibrantes radios loquitur, nisi sub larva Fidei & Veritatis delitesceret.* Suam verò seu quartam editionem sic commendat. *Est hæc ratio instituti mei, ut velim Chronicon Sacri Monasterii Casinensis de integro typis edo, fidem in eo edendo sequutus diligentissimè duorum Codicum, quos in pergameno habemus manuscriptos in nostra Bibliotheca Casinensi, quorum alter Charactere descriptus Romano Commentarios habet Leonis Cardinalis*

Tomus VI. CCC

ANCH. 789.
CAROLI R. 21.
PIPPINI LUDOV. RR. 9.
CAROLI R. 1.

ᵃ Tom. 2. Sec. 3. Benedict. d. 27. Nov. a. 784.

CXI.
CAROLUS R. STRENUE LABORAT, UT ORDO MONASTICUS IN GALLIA SECUNDUM REGULAM S. BENEDICTI REFORMETUR.

CXII.

AN CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

Ostiensis, qui rem orsus à condito Monasterio, eam usque ad illud tempus perduxit, quo dedicatum inauguratúmque ab Alexandro II Templum fuit. Alter Characteribus exaratus Langobardicis, præter Leonis Historiam, continet Auctarium Petri Diaconi Casinensis, qui res nostras ad annum usque MCXXXVIII *literis consignavit.* Utrâque tantùm utimur editione Parisiensi; unam vocamus veterem seu Breulianam, alteram novam sive Angeli de Nuce.

CXIII. Quod Theodemarus Abbas Casinensis à Carolo rogatus hisce temporibus ad promovendam Monachorum in Francia reformationem peregisse dicitur, id in vetere [a] Leonis editione sic commemoratur. *Ad hunc Abbatem*, nempe Theodemarum, *idem Carolus per Adagarium Episcopum de Francia litteras misit rogans ut aliquot sibi de Monasterio Beati Benedicti dirigeret fratres, qui Regularem disciplinam in illis partibus jam extinctam renovarent. Quod & fecit, mittens illi etiam Regulam, & Hymnos, qui tunc ex traditione Regula in hoc Monasterio canebantur; pondus quoque libra panis, & mensuram vini, sed & calicis mensuram, quam in mixto servitores accipere debent, & omnem consuetudinem qua tunc in hoc loco servabatur.* Et in nova [b], sic. *Ad hunc Abbatem idem Karolus per Aldegarium Episcopum litteras à Francia destinavit, rogans ut aliquot sibi de Monasterio Beati Benedicti ad ostendendam illis partibus Regularis disciplina normam transmitteret. Quod & fecit, mittens illi etiam Regulam, & Hymnos, qui tunc ex traditione Regula in hoc Monasterio canebantur; pondus quoque libra panis, & mensuram vini, necnon & mensuram calicis, quam in misto servitores debent accipere, & universam consuetudinem, qua in hoc loco tunc temporis habebatur, in scriptis ei transmisit.* Breulianam editionem probare non possumus, ubi Regularem disciplinam in Gallicanis partibus extinctam dicit, non enim adeò malè de Ordine Monastico per illa tempora sentimus. Quocumque autem in statu Monasteria Galliarum versarentur, Auctores reformationis, quorum operâ Carolus Magnus & Ludovicus Pius feliciter usi sunt, haud extra Gallias quæsiti, quicquid in contrarium scribat Leo proximè citatus.

[a] Lib. 1. c. 14.

[b] Lib. 1. c. 12.

AUCTORES REFORMATIONIS HAUD EXTRA GALLIAM QUÆSITI.

CXIV. Qui Casinensem hunc Chronographum sequuntur, vetere destituuntur monumento, quo suam tueri possint opinionem, licèt antiqui Scriptores occurrant magno sanè numero, qui Gesta cùm Caroli tum Ludovici propalarint, sive Annalistæ, sive Biographi. Literæ Carolo Regi, nomine Theodemari Casinensis Abbatis, inscriptæ circumferuntur, in quibus mentio fit variarum rerum, quæ leguntur etiam in quadam epistola Zachariæ Papæ nomen præseferente. Tota Leonis auctoritas ex istis promanat Scriptionibus, quæ nullam omnino fidem apud eruditos ac perspicaces viros promerentur. Utrumque opus diligenter examinandum.

CXV. Jacobus Breulius Monachus Benedictinus Sancti Germani à Pratis anno Christi millesimo sexcentesimo secundo Parisiis in calce Chronici Casinensis & Cornelius Margarinus Casinensis Congregationis Archivista Generalis anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo Venetiis in Casinensi Bullario literas Zachariæ Papæ publicarunt, eásque Margarinus divisit in viginti sectiones, quibus suos titulos singulatim præfixit.

REFELLITUR EPISTOLA ZACHARIÆ PP. FALSO ATTRIBUTA.

CXVI. Primò Zacharias Papa Sanctissimi Patris Benedicti Gesta, & initia progressúsque Casinensis Monasterii sic recenset. *Zacharias Episcopus* [1], *servus servorum Dei, omnibus Ecclesia Catholica filiis, salutem & Apostolicam Benedictionem. Omnipotenti Deo, cujus melior est misericordia super vitas, gratias agimus, quòd* [2] *gloriosus in Sanctis suis atque mirabilis est, & virtutes suas, ubicumque vult, ineffabili bonitate ostendit. Ipse quippe, dignationis sua potentiâ, beatissimum Benedictum Patrem omnium constituit Monachorum. Ipse eum Monastica legis latorem & operatorem esse disposuit. Ipse illius meritis Casinense Monasterium, in quo & sanctissimè vixit & gloriosissimè obiit, omnibus per totum Orbem Monasteriis, clementi bonitate, prafecit. Qui Pater Sanctissimus, dum vitam Eremiticam duceret, divinâ revelatione monitus, ad eundem locum*

[1] Breul. Papa

[2] Breul. qui

AN. CH. 789.

CAROLI R. 21.

PIPPINI LUDOV. RR. 9.

CAROLI R. 1.

prevenit, duobus se Angelis comitantibus, cum Beatissimis [3] Mauro & Placido [4]
Tertullii [5] Patricii filio, aliisque nonnullis, ubi templa idolorum destruens [6],
Monasteriúmque constituens Apostolicis illud [7] decoravit virtutibus. Inter quæ,
dum et [8] revelatum fuisset, quod supradictus locus esset destruendus, & ob id
inconsolabiliter fleret, Omnipotentis Dei ad se vocem audivit dicentem. Noli,
probatissime ac dilectissime Benedicte, pro iis [9], quæ huic eventura [10] didicisti loco,
mæstum gerere animum; quoniam, quod semel à Deo præfixum est, immutabile
atque irrevocabile est. Solus tibi, tuo merito, concessis habitantium in loco animæ
bus. Sed aderit Omnipotentis [11] consolatio Dei, qui [12] locum istum in amplio-
rem & multò meliorem, quàm nunc est, restituet gradum, & hujus Ordinis doctri-
na de hoc iterum per totum Orbem radiabit loco. Quod post ejusdem Patris obitum
consummatum est. Nam à Longobardis pervasum & igne crematum est. Fratres
autem ad Apostolicam Sedem venientes, ex concessione Sancti prædecessoris nostri
Pelagii, juxta Lateranense Palatium Monasterium construxerunt, atque per
prolixum tempus [13] habitaverunt. At anno Christi septingentesimo quadrage-
simo-secundo, quo datas hasce Zachariæ Papæ literas volunt, ii erat rei
Monasticæ status, ut nec Sanctus Benedictus omnium Monachorum Pater
haberetur, nec Casinense Monasterium omnibus per totum Orbem Monasteriis
præfectum esset.

Secundò, Zacharias restaurationem Monasterii Casinensis à Gregorio
Tertio Papa inchoatam & à se perfectam sic enarrat. Sed cùm jam Omni-
potens Deus censuisset Casinense Monasterium restaurare, ac Cœnobialem institutio-
nem, quæ inde principium sumpserat, ex eodem loco propagare, à Reverentissi-
mo [14] Gregorio III prædecessore nostro Petronax dilectus filius noster est ad res-
taurandum directus. Qui dum ad eundem locum venisset [15], idem prædecessor
noster Gregorius ex hoc mundo migravit. Sed post ejus excessum [16] quum perve-
nit nostra in Sede Apostolica successisset, opus ab illo cœptum in restauratione ejus-
dem Cœnobii, adjuvante Domino, ad finem usque perduximus. Zacharias Gre-
gorio Tertio proximè successit, hic Gregorio Secundo. Pontificatum ges-
serunt, Gregorius Secundus ab anno Christi septingentesimo decimo-
quinto ad annum Christi septingentesimum tricesimum-primum, Grego-
rius Tertius ab anno Christi septingentesimo tricesimo-primo ad annum
Christi septingentesimum quadragesimum-primum, Zacharias ab anno
Christi septingentesimo quadragesimo-primo ad annum Christi septingen-
tesimum quinquagesimum-secundum. Hæc fusè ad illos annos probata
Tomis quarto & quinto. Petronax autem Abbatiale munus ab anno Christi
septingentesimo decimo-quinto ad annum usque Christi septingentesimum
quadragesimum-septimum sub tribus prædictis Pontificibus obiit annis
duobus ac triginta, partim Romæ prope Lateranum, partim in Casino
Monte. De anno, quo Romam deseruit, disputant Auctores, à Gregorii
tamen Secundi Pontificatu, cujus exitus in annum Christi septingentesi-
mum tricesimum-primum incidit, haud recedunt, eóque consensu literas
Zachariæ commentitias palàm declarant. Nec desunt argumenta, quibus
hæc assertio prævalidè fulciatur. Willibaldus anno Christi septingentesi-
mo vicesimo-tertio, transactis Dominici Paschatis solemnitatibus, Româ
profectus est in Orientem, reversúsque post annos septem in Italiam, con-
sedit in Casinensi Monasterio, cui Petronax Abbas tunc præerat. Agebatur
igitur annus Christi septingentesimus tricesimus, & superstes in vivis erat
Gregorius Secundus Papa, qui Româ Petronacem ad instaurandum Casi-
nense Monasterium procul dubio direxit. Lege de Sancti Willibaldi ætate
ac peregrinationibus, quæ sub initium Tomi superioris ad annum Christi
septingentesimum duodequadragesimum dicta sunt. Eandem sententiam [a]
multis in locis amplectitur Leo. Casinensem Petronacis Præfecturam ordi-
tur [b] ab anno Christi septingentesimo ac [17] vicesimo, qui partim cum quinto
partim cum sexto Gregorii Secundi Papæ coincidit. Deinde Petronacem in

[1] Breul. Beatissimo
[4] Breul. Placido
[5] Margar. Tertullii
[6] Margar. destructa
[7] Margar. illum
[8] Breul. ei
[9] Breul. his
[10] Breul. ventura
[11] Margar. Dei consolatio
[12] Breul. qua
[13] Margar. temporis

CXVII.

[14] Margar. Reverendissimo
[15] Breul. communis Pater noster Gregorius
[16] Breul. in Sede Apostolica quum pervenus nostra successisset.

[a] Num. 6.
[b] Lib. 1. c. 4.
[17] Breul. atque in vigesimo

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

restauratione Monasterii Casinensis à Paldone, Tasone, & Tatone, plurimùm adjutum sic testatur [a]. *Quem videlicet tres* [18] *quidam nobiles viri Beneventani, Paldo, & Taso, atque Tato, germani fratres, qui ante quindecim circiter* [19] *annos Monasterium Sancti Martyris Christi Vincentii juxta ortum Vulturni fluminis de* [20] *propriis sumptibus construere cœperant, cùm essent potentes ac divites, in ipso opere tam* [21] *per semetipsos quàm per suos usque ad restaurationem loci hujus plurimùm adjuverunt.* De tribus illis fratribus patruelibus locuti sumus Tomo superiore [b], cùm ageremus de Authperto viro nobili è Francia oriundo, qui regnante Pippino Monachum in Cœnobio Vincentino induit sub Antonio sive Atone tunc Abbate. Migrarunt in cælum, Gregorio Secundo tum Pontifice, Paldo & Taso; ille quinto Idus Octobres anno Christi septingentesimo vicesimo, hic tertio Idus Januarias anno Christi septingentesimo vicesimo-nono. Petronacis igitur ad Casinum montem adventus Pontificatu Gregorii Secundi consignandus. Prætereà in præcitato Leonis textu à Vincentini Monasterii primordiis ad Cœnobii Casinensis instaurationem *quindecim circiter* seu *fermè* numerantur anni, & teste Authperto, qui Monasticam vitam sub Atone Vincentini Monasterii quarto Abbate duxit, multáque de præcedentium Abbatum Paldonis Tasonis atque Tatonis vita & obitu literis mandavit, Paldo suscepit *sacri Cœnobii* Vincentini *regimina ab Incarnatione Domini anno 707 sub Sancto Papa Sisinnio.* Certa est epocha Sisinnii Papæ, de quo sic Anastasius. *Sisinnius, natione Syrus, ex patre Joanne, sedit dies viginti. Sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum sub die 7 Februar. Indictione sextâ, Justiniano Augusto*, id est, anno Christi septingentesimo septimo si principium anni cum Authperto sumis à Paschali Solemnitate, vel anno Christi septingentesimo octavo si principium anni nobiscum à Kalendis Januarii repetis. Annus autem post Sisinnii Papæ mortem decimus-quintus ad Pontificatum Gregorii Secundi pertinet. Ergo Casinensis instauratio cum ejusdem Gregorii Secundi Pontificatu congruit. Idem Leo [c] Beneventanis Ducibus Petronaci coævis accenset Gregorium, qui, *dum apud Beneventum annis septem Ducatum gessisset, vitâ exemptus est*, ut Paulus Diaconus in Gestis Longobardorum testatur [d]. At septem illos annos Camillus Peregrinius & Angelus de Nuce numerant *ab æstate an. 722 ad æstatem an. 729.* quo tempore penes Gregorium Secundum erant Infulæ Romanæ. Denique in Chronici Casinensis epitome, quam Angelus de Nuce in Vaticana Bibliotheca servari scribit, missio Petronacis expressè Gregorio Secundo tribuitur. Accedit & auctoritas vetustissimi Missalis Casinensis, quod idem Auctor asserit in Casinensi Bibliothecâ signari numero 127. In illo Missali celebratur Idibus Februarii festum Sancti Gregorii Papæ Secundi, nusquam verò Gregorii Tertii, cùm tamen & hic Catalogo Sanctorum adscriptus sit. Casinates igitur illum, non hunc, gratâ veneratione restauratorem Monasterii Casinensis agnoscebant. In Martyrologio Romano coluntur, Gregorius Secundus Idibus Februarii, Gregorius Tertius quarto Kalendas Decembris, neutrius tamen festum notatur in Breviario ac Missali Romano. Casinatium igitur præcipua fuit & propria in Gregorium Secundum, tanquam in suum Benefactorem religio. Lege apud Angelum de Nuce, in Notis ad Chronicon Casinense [e], Chronologicum excursum *de tempore eversionis, vastitatis, & instaurationis Monasterii Casinensis.* Hic Auctor in illa lucubratione vi tot argumentorum persuasum se fatetur, ut Petronacis missionem Gregorio Secundo tribuendam censeat. Nec ab ea sententia dimovetur auctoritate cùm Leonis Ostiensis, tum Zachariæ Papæ, quorum textus apertè refragantur. Leo, capite quarto libri primi, cùm agit de missione Petronacis, in editione Breulii sic habet, *reverentissimus Papa Gregorius Tertius, cælitus inspiratus, admonuit, ut hoc Casinum Castrum peteret*, & in editione Angeli de Nuce sic, *Reverendissimus*

[a] Lib. 1. c. 4.
[18] Breul. viri tres nobiles Beneventani exorti, Paldo, Tato, Taso.
[19] Breul. ferme
[20] Breul. deest de
[21] Breul. tam per se quàm per suos, donec perficeretur multùm juverunt.
[b] Ad an. 754. n. 75.
[c] Lib. 1. c. 5.
[d] Lib. 6. c. 16. vet. edit. c. 56. novæ edit.
[e] Lib. 1. c. 2.

Tertius Papa Gregorius cælitus inspiratus &c. ut suprà. In Leonis autogra-
pho nullam Gregorio notam vel Secundi vel Tertii affixam constanter cre- AN. CH.
dit Angelus de Nuce, duobus potissimùm fultus argumentis, quorum 789.
unum sumit ex scriptis ejusdem Leonis Petronacem à Gregorio Secundo CAROLI
missum clarissimis verbis non semel attestantis, alterum ex Paulo Diacono R. 21.
Gregorium nec Secundum nec Tertium appellante. Textus Leonis ex capi- PIPPINI
tibus quarto & octavo libri primi descripsimus examinavimúsque. Paulus in LUDOV.
Gestis Longobardorum [a] sic de Petronace scribit. *Petronax [b] civis Brixia-* RR. 9.
næ [c] urbis, divino amore compunctus, Romam venit, hortatúque Gregorii tunc CAROLI
Apostolicæ Sedis Papæ, Cassinum Castrum petiit. Ut autem Paulus, sic & Leo, R. 1.
qui Paulum præ manibus habebat, Gregorium simpliciter nominavit, nec
utrùm ille hujus nominis secundus esset an tertius, ullo distinxit epitheto.
Quod attinet ad Zachariæ literas, in quas inquirimus, *sanè non potuit Za-*
charias ignorare, quæ suâ ætate & à suis immediatis prædecessoribus peracta
fuerant, mendum idcircò in ejus *Diploma* [*] *irrepsisse, aut intrusum fuisse* non du-
bitat Angelus de Nuce, suspicatúrque haustum inde errorem, qui posteà
Leoni impositus est. At eædem literæ tot scatent commentis, ut non opus
interpolatum sed suppositicium meritò judicetur. Probare quoque non
possumus, quod Zacharias de seipso proximè sic subjungit. *Quam parvitas*
nostra in Sede Apostolica successisset, opus ab illo, nempe Gregorio Tertio,
ceptum in restauratione ejusdem Cœnobii Casinensis, adjuvante Domino, ad fi-
nem usque perduximus. Petronax in Casino Monte multos annos Gregorio
Secundo Papâ, deinde annos decem ac menses octo Gregorio Tertio Pon-
tifice degit. Tantum temporis spatium Monasterii Casinensis instaurationi
sufficere vix inficiaberis, nec, si negaveris, continuò dices opus à Gregorio
Tertio cœptum, à Zacharia perfectum fuisse. Zacharias mense Decembri
sedere cœpit, proximo mense Februario scriptæ perhibentur literæ, de
quibus hic agimus. Quis autem sibi persuadeat intra duos hyemales men-
ses instaurationem Monasterii Casinensis adeò provectam esse, ut Zacha-
rias opus à Gregorio Tertio inchoatum *ad finem usque* à se perductum tan-
topere prædicarit? Textus igitur literarum, quem examinamus, com-
mentitius haberi debet.

Tertiò, Zacharias dona Monasterio Casinensi à se collata sic enumerat. CXVIII.
Hæc autem eo die, quo Sanctissimi Patris Ecclesiam dedicavimus, parvitas nostra
obtulit, libros scilicet Sanctæ Scripturæ, & librum Regulæ, quam sanctissimus
Pater manu propriâ scripserat, pondus etiam libræ panis, & mensuram vini,
necnon & diversa ad Ecclesiasticum ministerium ornamenta & possessiones Aposto-
licâ liberalitate concessimus. De suscepto à Zacharia in Casinum Montem
itinere, déque Casinensis Monasterii Dedicatione ab eo facta, testes hæ solæ
sunt literæ, quarum nimia prolixitas, præter notas Chronologicas de quibus
infrà, suspicionem falsitatis Baronio nonnihil adauget, ut ipsemet ad an- [b] Num. 16.
num Christi septingentesimum duodequinquagesimum [b] fatetur. Dona verò, [c] Lib. 1. c. 2.
quæ Zacharias Casinensi Monasterio contulisse fertur, in duplici differen- [d] Breul. scri-
tia collocari possunt. Prioris generis sunto libri Sacræ Scripturæ, liber Re- pserat.
gulæ propriâ Sancti Benedicti manu scriptæ, pondus libræ panis, & men- [e] Breul. & alia quædam
sura vini. Quæ quidem res Casinensi Monasterio non concessæ sunt à Za- [f] Breul. sed & [g] Angel deest libra
charia, sed in Casinum Montem, è quo Romam quondam à profugis Ca- [h] Breul. & mensuram vini
sinatibus ob Longobardorum invasionem delatæ fuerant, à Petronace tan-
dem Româ revectæ sunt. De Casinensium Monachorum fuga sic Leo [c]. [i] Breul. subri-
Fugientes ex eodem Cœnobio Casinensi fratres, Romam profecti sunt, Codicem pere potuerunt
Sanctæ Regulæ, quam Beatus Benedictus descripserat [d], & quædam alia scripta, [k] Lib. 1. c. 4.
necnon [e] & pondus libræ [f] panis, vini [g] quoque mensuram, & [h] quicquid suppel- [l] Breul. se-
lectilis potuerunt [i] surripere deferentes. Idem Auctor sic infertius [k] de Zacha- quenti anno tempore
ria Romano Pontifice & Petronace. *In [l] sequenti plurima huic* [m] Breul. Gre-
tempore Sanctissimus Papa Zacharias, qui Gregorio [m] successerat, gorio memorato
Abbate Casinensi

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

nempe Petronaci, *adjutoria contulit, libros scilicet aliquot* [9] *Sanctæ Scripturæ, necnon & Codicem Sanctæ Regulæ, quam Pater Benedictus manu propriâ scripserat; pondus etiam libræ panis, & mensuram vini, quæ olim* [10] *inde, sicut suprà diximus, sub Langobardorum invasione, Monachi fugientes secum Romam detulerant.* Cur Leo non benè sibi constet, & Zachariæ Papæ donis res plurimas accenseat, quas Casinates à temporibus Sancti Benedicti semper possederant, causam omnem refunde in hunc Pauli Diaconi textum, qui [a] libro sexto de Gestis Longobardorum legitur. *Huic venerabili viro Petronaci* [11] *in sequenti tempore Sacerdotum præcipuus & Deo dilectus Pontifex Zacharias plura adjutoria contulit, libros scilicet Sanctæ Scripturæ, & alia* [12] *quæ ad utilitatem Monasterii pertinent; insuper & Regulam, quam Beatus Pater Benedictus suis sanctis manibus conscripsit, paternâ pietate concessit.* Posterioris generis dona sunto diversa ad Ecclesiasticum ministerium ornamenta, possessionésque, quibus Zacharias Papa Casinense Monasterium locupletasse dicitur, & credi potest, quoniam desunt argumenta, quibus apertè talis impugnetur Donatio.

Quartò, Zacharias de Sancti Benedicti Sanctæque Scholasticæ Reliquiis brevem hanc habet periodum. *Qualiter autem ejusdem Patris pignora Sororísque ejus sint posita perspicientes ac* [13] *intemerata invenientes, pro reverentia tanti Patris tangere minimè ausi sumus.* Hujus sectionis hic est titulus in editione Margarini. *Sanctissimi Patris nostri Benedicti & Sororis ejus Scholasticæ sacra Corpora intemerata invenisse, eadémque, pro reverentia, minimè tetigisse affirmat.* Et in editione Breulii hic epistolæ titulus præponitur. *Privilegium amplissimum Sanctissimi Zachariæ Papæ, in quo affirmat se vidisse corpora Sanctissimi Patris Benedicti & Sanctæ Scholasticæ virginis.* Angelus de Nuce literas has interpolatas quidem fatetur; at, ne rejiciendas omnino putet,
CXIX. aliquot textibus ad Casinensis Monasterii gloriam compositis prohibetur. E præcipuis occurrit periodus proximè descripta, quæ corpora Sanctorum Benedicti ac Scholasticæ Casinatibus adjudicat, & Floriacenses in Gallia Monachos causâ pronuntiat inferiores. Ea de re Tomo tertio ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-tertium [b], necnon Tomo quinto ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quintum [c] fusè disputavimus, júsque Floriacensium contra Casinates adeò strenuè defendimus, ut inter Floriacensis gloriæ vindices locum quoque nobis concesserint Lucas Dacherius & Joannes Mabillonus in eruditissima Dissertatione, quam Translationi Sanctorum Benedicti & Scholasticæ in Galliam præfixerunt [d]. Argumenta, quibus usi sumus, hîc non repetemus. Unum sufficiet adjecisse, quod est peremptorium. Literis, quas Zacharias mense Februario, anno sui Pontificatûs primo, id est, anno Christi septingentesimo quadragesimo-secundo scripsisse fertur, apertè refragantur genuinæ, quas de Sancti Benedicti corpore in Italiam è Gallia remittendo seriùs exaravit, anno videlicet Christi septingentesimo undequinquagesimo, quo bellum in Bojoaria contra Gripponem à Pippino fratre tum Majore-domûs gestum est. Genuinas illas Zachariæ literas Tomo superiore bis descriptas reperies; semel ad annum Christi septingentesimum quadragesimum-nonum [e], quo scriptæ sunt; iterum ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quintum [f], quo Adrevaldi scripta de corpore Sancti Benedicti apud Floriacum quiescentis examinavimus.

CXX. Quintò, Zacharias agit iterum de Casinensis Ecclesiæ dedicatione déque confirmatione bonorum Casinensi Monasterio concessorum, quæ rursum enumerat & confirmat. *In Dedicatione verò ejusdem*, nempe Casinensis Ecclesiæ, *dum illic cum* XIII *Archiepiscopis &* LXVIII *Episcopis adessem, idem dilectissimus filius noster* Petronax *postulare* [1] *cœpit, quatenus possessiones, quæ eidem Monasterio oblata sunt à quibuscunque* [2] *fidelibus, per nostrum Privilegium roboraremus. Quorum* [3] *desideriis utpote amabilium annuen-*

[9] Breul. *aliquos sacros, Sanctámque Regulam, quam*
[10] Breul. *olim sub Longobardorum impetu, sicut suprà jam diximus, fugientes Monachi Romam secum inde detulerant.*
[a] Cap. 13. vet. edit. c. 40. novæ edit.
[11] Vet. edit. *Petronati*
[12] Nova edit. *alia quoque quæ*
[13] Margar. deest *ac*
[b] Nu. 40. & seqq.
[c] Nu. 106. & seqq.
[d] Sec. 2. Benedic.
[e] Num. 58.
[f] Num. 122.
[1] Margar. deest *postulare*
[2] Breul. *quibusque*
[3] Margar. *illorum*

AN.CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

tis, hæc per præsens Privilegium, quæ à nobis aliisque fidelibus concessa sunt,
in eodem loco in perpetuum roboramus [4]. Ecclesiam [5], quam Sanctus Pater Be-
nedictus construxerat, unà cum omnibus pertinentiis suis. [Villam [6], quæ dicitur Entelia [7], cum pertinentiis suis. Castrum Casinum
cum pertinentiis suis. Monasterium Sublacense cum omnibus pertinentiis suis, cum pertinentiis suis.
Monasterium quas Tertullus Patricius, unà cum Placido filio suo, necnon decem & octo
cortes, quas servis septem [8] millibus, & portu Panormitano [9] Beato Benedicto
obtulit, cum Sanctæ Crucis, & Sanctæ Mariæ in Tremiti [10], & Messano. Ec-
clesiam Sanctæ Mariæ in Plumbariola [11], cum pertinentiis suis.
Monasterium Gentiana, cum pertinentiis suis; necnon & portum Trajectensem [12],
de territorio Vulturnensem, & totam piscariam de civitate Lesina [13], cum pertinentiis suis. Curtem
& Vulturnensis [14], aliisque Ecclesiis ibi vobis pertinentibus.] unà cum Ecclesia
Sancti Focatis vobis, atque in perpetuum confirmamus & corroboramus cuncta in circuitu, tam
campestria quàm montana, quæ dilectissimus filius noster Gisulphus Beneventa-
norum Dux in perpetuum eidem Monasterio concessit, Per has videlicet termina-
tiones, & fines, quemadmodum incipit ab ipso flavio, qui dicitur Carnelus, &c.
Prolixam illorum finium descriptionem omittimus, rati satis esse, si dicamus
eos extensos usque ad flumen Garilianum. Ecclesiam Casinensem à Zacharia
dedicatam non aliunde quàm ex hisce literis accepimus, nec probabile vi-
detur in Zachariæ comitatu fuisse tredecim Archiepiscopos, in Italia enim
Metropoles erant perpaucæ. Zacharias sive apud Casinum sive alibi degeret,
bona Casinensi Monasterio concessa potuit confirmare, nec in enumeratione
tot bonorum quidquam occurrit, quod ante Zachariæ Pontificatum Casi-
nensi Monasterio non fuerit collatum. Ut id tibi persuasum habeas, lege li-
brum primum [a] Chronici Casinensis cum vita S. Placidi. Villa, quam Breu-
lius Eucheliam, Margarinus Eureliam vocavit, in vita S. Placidi nuncupatur
Euchelia, & in suburbio Aquinensi locatur. Trajectus olim dicebatur fretum
illud, quod Italiam à Sicilia dirimit, atque inde portus Trajectensis, in vita
S. Placidi corruptè Trajesquis & Trajactensis apud Breulium. Gisulfi Bene-
ventani Ducis Donatio, quam ab eodem Breulio in calce Chronici Casinen-
sis & à Margarino in Bullario Casinensi describitur, talis etiam ab Angelo
de Nuce in Chronico Casinensi [b] Leonis Ostiensis exhibetur, multò brevius
autem in eodem Chronico à Breulio sic perstringitur. Gisulfus, divino motus
instinctu, cuncta per circuitum tam campestria quàm montana, eidem Patri Be-
nedicto in scriptis contulit, firmisque donariis in perpetuum posteris habenda con-
cessit, cum castellis omnibus, vicis, domibus, Ecclesiis, molendinis, & aquis, ac
cæteris, quæ intra præscriptos fines, tunc temporis, habebantur. Hæc ad eluci-
dationem tantùm Chronici Casinensis dicta sunto, neque enim Donationes
Casinensi Monasterio factas aut earum confirmationem impugnamus.

Sextò, Zacharias Abbati Casinensi primum super omnes Abbates locum
in Conciliis & Conventibus sic assignat. Præterea corroboramus, ac in perpe- CXXI.
tuum confirmamus eidem dilecto filio Petronaci, ejusque [1] successoribus, in omni
Conventu Episcoporum & Principum, superiorem omnibus Abbatibus Sedem,
& in Conciliis [2] & judiciis priorem sui Ordinis omnibus proferre [4] sententiam,
pro reverentia tanti loci, qui primum & summum Monastici legis latorem vi-
vum & mortuum in perpetuum retinere promeruit; quique ipsius legis lationem
in eodem Casinensi Cœnobio scribens, verbo & exemplo Cœnobiale [5] propositum
appetentibus in toto mundo Sole clariùs evibravit. Abbati Casinensi facilè
concedimus, ut Benidictinæ Congregationis Primarius Abbas habeatur, &
in omnibus ejusdem Ordinis Conventibus sententiam primo ferat loco,
sed cum totius Orbis Abbatibus, cujuscumque fuerint, præfectum antiquioris
Instituti, negamus antepositum à Zacharia, nec, si prælatum fateremur,
id Privilegii concessum ideò putaremus, quòd Sancti Benedicti corpus in
Casino Monte quiesceret, Zacharias enim longè post primum sui Pontifi-
catûs annum, ut observatum suprà, per literas ab omnibus Episcopis ac

[a] Breul. corroboramus.
[b] Breul. Ecclesias. quas
[c] Quæ includuntur his notis [ ] non eodem ordine recensantur apud Breulium.
[7] Breul. Euchelia
[8] Breul. vii. M.
[9] Breul. panhormitano
[10] Margar. Termitis
[11] Breul. plumbarola
[12] Margar. Trajectensem
[13] Breul. Lisina.
[14] Breul. Focati
[a] Capp. 1. 8.
[b] Lib. 1. c. 5.

[1] Margar. ejusdémque
[2] Breul. universis
[3] Breul. consiliis
[4] Breul. sententiam proferre
[5] Margar. Cœnobitale

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

Presbyteris Francorum postulavit, ut idem Sancti Benedicti corpus è Galliis in Italiam reportaretur.

CXXII. Septimò, Zacharias in eadem rursum materia sic versatur. *Pro quo, Casinense Cœnobium exaltantes, decernimus, & in perpetuum confirmamus, ut supradictus locus dignitate, vigore, ac honorificentiâ præcellat omnia Monasteria, quæ constituta* [6] *vel constituenda sunt in toto Orbe terrarum; Abbásque ejusdem loci celsior ac celebrior existat omnibus Abbatibus eandem Regulam tenentibus; illícque Lex Monastici Ordinis caput teneat ac principatum, ubi ejusdem Legis descriptor Benedictus Pater Sanctissimus eandem describens promulgavit Regulam; ibíque Abbates & Monachi honorem ac* [7] *reverentiam deferant, & ibi usque ad diem judicii quærant Doctorem, ubi Monachorum universalis Magister & Doctor Benedictus Pater Almificus, corporaliter unà cum sorore sua quiescens, gloriosæ resurrectionis diem expectat.* Adversùs hunc articulum non opus est denuò repetere, quæ proximè dicta sunt adversùs præcedentem, cùm de Casinensis Abbatis prærogativa, tum de Floriaco celebri Galliarum ad Ligerim loco in quem Sanctos Benedictum & Scholasticam à multis annis è Casino monte translatos non ignoravit Zacharias Papa.

[6] Breul. construcla vel construenda
[7] Breul. &

CXXIII. Octavò, idem Pontifex Abbatis Casinensis electionem è votis Casinensium Monachorum pendere, confirmationem autem & consecrationem à Papa petendam sic addit. *Defuncto autem Abbate ex sese* [8] *ipsa Congregatio secundùm sanius consilium sapientum & seniorum fratrum sibi Abbatem eligat, & Apostolicæ Sedis Pontifici firmandum & consecrandum exhibeat. Nec aliter ibi Abbas constituatur, aut aliunde illuc intromittatur, nisi fortè ex se aliquem tanto regimini idoneum non habuerint, & ob id saniori consilio extraneum sibi elegerint.*

[8] Breul. deest ex sese

CXXIV. Nonò, Zacharias Casinense Monasterium, ejúsque bona, Ecclesias, & jura, Romanæ tantùm Ecclesiæ subjecta esse sic declarat. *Insuper autem præsenti Privilegio supradictum locum unà cum omnibus sibi pertinentibus Ecclesiis & possessionibus per totum Orbem roboramus, atque ut nullius alterius Ecclesiæ* [9]*, nisi Romani Pontificis ditioni* [10] *submittatur, auctoritate Apostolicâ interdicimus.* In Chronico Casinensi caput quartum libri primi sic clauditur. *Ab hoc etiam Sanctissimo* [11] *Papa* Zacharia *prædictus Abbas* Petronax *Privilegium primus accepit, ut hoc Monasterium cum* [12] *omnibus Cellis sibi pertinentibus, ubicumque terrarum constructis, ob honorem ac reverentiam Sanctissimi Patris Benedicti, ab omnium Episcoporum ditione sit liberum, ita ut nullius juri subjaceat, nisi solius* [13] *Romani Pontificis.* Leo, cùm Chronicon exarabat, exemplar literarum, quas examinamus, præ manibus videtur habuisse. Angelus de Nuce ad illum Leonis locum sic commentatur. *Autographum hujus Privilegii, tot seculis, discriminibúsque temporum emensis, extat in Tabulario Casinensi, & refertur in Regesto Petri num. 2. Datum Aquini undecimo Kal. Mart.* A Zachariæ literis, de quibus hîc nobis sermo, non differt illud autographum, cujus auctoritatem Baronius, Boschius & Gallonius impugnarunt, frustráque Angelus de Nuce addit *illud à Baronii, Boschii, Galloniíque suspicionibus vindicatum à Laureto in libello de existentia Sancti Benedicti in Monasterio Casinensi.*

[9] Breul. deest Ecclesiæ.
[10] Breul. ditionibus
[11] Breul. Papa Sanctissimo
[12] Breul. cum Cellis omnibus ad se pertinentibus
[13] Breul. tantùm

CXXV. Decimò, Zacharias vetat, ne quis Episcopus in possessionibus Casinensis Monasterii Missas invitis Monachis celebret. *Ita ut nisi ab Abbate vel à Præposito fuerit invitatus, Missarum solemnitatem nullus Episcopus celebrare præsumat in eisdem possessionibus. Quod à præsenti prima Indictione irrevocabiliter in perpetuum stabilimus retinendum, & cum Dei timore servandum mandamus* [14]. Est in hoc textu manifesta falsitatis suspicio. In editionibus enim Breulii & Margarini constanter legitur Indictio prima, in fine tamen literarum apud Margarinum ponitur Indictio decima, ut hæc Indictio per mensem Februarium cum anno primo Zachariæ Papæ, sive cum anno Christi septingentesimo quadragesimo-secundo, benè conveniat.

[14] Margar. deest mandamus.

Undecimò

AN. CH. 789.

CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

Undecimò, Zacharias bona & jura Monasterii Casinensis auferri vel perturbari prohibet, oblata verò firma & stabilia permanere sic decernit.
Statuentes insuper Apostolicâ censurâ sub divini judicii obtestatione [15] & validis atque atrocibus [16] anathematis interdictionibus, ut nullus unquam qualibet digni-tate aut potestate praditus prasumat eidem Monasterio vel omnibus ejus posses-sionibus vim [17] inferre vel aliquid de iis [18] aliquo modo auferre vel alienare, sed [19] nec pacis nec belli [20] tempore ibidem aliquam jacturam aut [21] molestiam inferre, damus perenniter illud firmâ stabilitate decernimus sub ditione Sanctæ Romana Ecclesia permanendum. Promulgantes quidem & hoc [22] auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis coram Deo & ejus [23] terribili examine, per hoc nos-trum Apostolicum Privilegium constituimus [24], sancimus, atque decernimus, quæ [25] in omnibus provinciis per totum Orbem commutata, atque oblata, aut in posterum eidem Cænobio à qualibet persona fuerint [26] concessa, firmâ stabilitate sub jure ipsius Monasterii existenda [27] atque in perpetuum permanenda [28]. Sta-tuimus, ne licentia sit (ut dictum est) cuilibet magna parvaque persona aliquid ex iis [29] auferre, sed inconcussè & irrevocabiliter ibidem [30] in perpetuum per-maneat. Quicquid hic de Casinensis Monasterii bonis statuitur, ut à nemine pervadantur, & in Abbatis Monachorumque potestate permaneant, ab an-tiqua Privilegiorum formula non videtur alienum.

CXXVI.

Duodecimò, Zacharias Casinensibus Monachis, ut ad conferendos Or-dines, ad Altaria consecranda, & ad conficiendum Chrisma, quemcum-que voluerint, Episcopum invitent, sic indulget. *Concessimus etiam hoc Apostolico Privilegio, ut pro oblatione vel ordinatione Presbyterorum, Diacono-rum, Subdiaconorum, & Altarium consecratione, Chrismatisque [31] acceptione, in quibuslibet ejusdem Monasterii possessionibus, quemcumque voluerint, Episcopum invitandum.* Id quoque veteribus consentaneum Privilegiis invenitur.

Decimo-tertiò, Zacharias iisdem Casinensibus Monachis, ut Angeli-cum Hymnum Dominicis ac festivis diebus in Missa decantare possint, ita concedit. *Hymnum quoque Angelicum in Dominicis & [32] festivis diebus concedimus in Missarum solemniis decantandum.*

Decimo-quartò, Zacharias in *horis diurnis & nocturnalibus signum in Ec-clesia pulsandum* concedit.

CXXVII.

Decimo-quintò, Zacharias Fontem Baptismalem in Casinensi Monas-terio & in Ecclesiis ad illud pertinentibus benedici, & sacrum Baptisma celebrari, sic permittit. *Simili modo licentiam damus, & corroboramus in præ-fato Monasterio & in omnibus ejus Ecclesiis per totum Orbem terrarum con-structis, fontes benedici, & sacrum Baptisma celebrari. Et non solùm ibi, sed in his quoque quæ amodò in possessionibus prædicti Cænobii præsentibus [33] vel futuris temporibus Ecclesiæ ædificandæ sunt, remotâ scilicet cujuscunque Episcopi interdictione.*

CXXVIII.

CXXIX.

CXXX.

Decimo-sextò, Zacharias addit, *ut nullus Episcopus prohibeat Christianum populum ingredi ad easdem Ecclesias, vel in eisdem de suis rebus aliquid offerre, ut solet fieri, religione piâ.*

CXXXI.

XVII. & XVIII. Zacharias hanc quoque suam jussionem vult obser-vari, *ut nullus Episcopus in jam dicto Casinensi Cænobio, & in omnibus ejus Cellis, per totum Orbem terrarum constructis, decimas tollat, & Sacerdotem excom-municet, vel ad Synodum provocet.*

CXXXII.

Decimo-nonò, Zacharias Abbati Casinensi concedit, ut & Synodum Monachorum convocare, & Clericos è quacumque Diœcesi pro administra-tione Ecclesiarum ad Monasterium Casinense pertinentium recipere possit. *Simili etiam modo licentiam damus eidem dilecto filio ejusque posteris Abbatibus Monachorum Synodum congregandi, & quemcumque Clericum vel cujuslibet Ecclesiastici Ordinis, cum suis substantiis seu rebus [34] suscipere ad habitandum in omnibus castris Monasterii possessionibus, sive Presbyter sit, aut Diaconus, vel Ecclesiastico patronatu; & nullius Episcopi timere contradictionem. Et liceat eidem Rebus*

CXXXIII.

[15] Margar. observatione.
[16] Breul. atrocibus
[17] Margar. deest vim
[18] Breul. his
[19] Breul. sed & nec
[20] Breul. barbarie. Margar. bellus
[21] Breul. vel
[22] Margar. deest hoc
[23] Breul. Apost. ejus
[24] Breul. constitui.
[25] Margar. ut
[26] Margar. concessa fuerunt
[27] Margar. existenda
[28] Margar. permanentia.
[29] Breul. his
[30] Breul. ibidem & in perpetuum
[31] Margar. Chrismatis
[32] Margar. & in
[33] Margar. præsentis
[34] Breul. deest seu rebus

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

ejusque posteris, & eorum Præpositis in perpetuum vindicare [35] *prædictas Ecclesias, curtes, & possessiones per totum Orbem* * *terrarum, & omnem in eisdem* [36] *Ecclesiis & possessionibus degentem Clericum ad officium promereri* [37] *absque persona secularis potestate, & cujuslibet Episcopi contradictione* [38].

Postremò, Zacharias excommunicationem contra perturbantes & contrafacientes sic decernit. *Si quis autem (quod absit) ea, quæ ad laudem Dei* [39] *pro stabilitate ac Casinensis Cœnobii conservanda* [40] *dignitate, & possessionum ejus tutela, à nobis statuta sunt, nefario ausu corrumpere, violare, aut refragare præsumpserit, nisi* [41] *resipuerit, sciat se anathematis vinculo innodatum, & à Regno Dei alienatum, & cum diabolo, & ejus* [42] *pompis, & Juda Jesu Christi Domini traditore, æterno supplicio æternæque maledictioni deputandum. At verò qui pio intuitu hujus nostri Apostolici Constituti* [43] *observator extiterit* [44], *benedictionis gratiam à misericordissimo Domino* [45] *Deo nostro, per intercessionem Beatissimi Patris nostri Benedicti consequatur, & vita æternæ præmia adipisci mereatur.*

CXXXIV. Sequitur subscriptio, quæ literas hasce Zachariæ, si cetera deessent argumenta, commentitias esse sola satis supérque declararet. *Scriptum per manus Leonis Notarii Regionarii atque Scriniarii carissima Romana Ecclesia in mense Februario per Indictionem subscriptam 10. Signum Zacharia S. R. & Apostolica S. Papa* IC XC. *S. Petrus. S. Paulus. Dat. undecimo Calendarum Martiarum Aquini, per manum Benedicti Episcopi sanctæ Sylva Candida Ecclesia & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apostolicæ, anno, Deo propitio, Pontificatus Domini nostri Zacharia Summi Pontificis & Universalis Papa in sacratissima Beati Petri Apostoli Sede primo, in mense Februario, Indictione suprascriptâ 10.* Talis est editio Margarini, Breuliana verò sic habet. *Scriptum per manum Leonis Notarii & Regionarii atque Scriniarii Ca. Rom. Ecclesia in mense Januario per Indictionem supradictam primam. Datum* XII *Cal. Martii Aquini per*
CXXXV. *manum Benedicti Episcopi Sanctæ Sylva Candida, Bibliothecarii Sedis Apostolica, anno Domini nostri Zacharia Summi Pontificis & Universalis Papa primo, in mense Martio, Indictione suprascriptâ primâ.* In utraque editione notantur dies duodecimus ante Kalendas Martias, & annus Zachariæ Papæ primus, ideóque rectè apud Margarinum leguntur mensis Februarius, & Indictio decima, quæ per mensem Februarium cum anno Zachariæ Papæ primo, Christi septingentesimo quadragesimo-secundo coincidit. At idem Margarinus non observat in ipsis literis Indictionem scribi primam, ut observatum ad sectionem decimam, quam Zacharias ita claudit. *Quod à præsenti prima Indictione irrevocabiliter in perpetuum stabilimus retinendum, & cum Dei timore servandum.* Breulius cùm in literarum contextu, tum in earum subscriptione constanter primam retinet Indictionem, quæ procul ab anno primo Zachariæ Papæ removetur, & Margarinus in subscriptione decimam Indictionem eo tantùm consilio reponit, ut Indictionem anno Zachariæ Papæ primo congruentem exhibeat; sed ubi solerter in subscriptione cavet, ne Chronologici Characteres inter se dissideant, eandem subscriptionem ipsis literis contrariam reddit, eâque discrepantiâ falsitatem clarissimè manifestat. Breulius de mense non convenit, nam licèt literas Zachariæ XII *Cal. Martii* datas fateatur, in eadem tamen subscriptione, modò mensem Januarium, modò Martium scribit, omisso Februario, cujus dies decimus-octavus est duodecimus ante Kalendas Martii. Denique in utraque editione consignatur annus Zachariæ Papæ primus; Zacharias autem suis literis annum sui Pontificatûs numquam apposuit, exempla, quibus id probetur, haud longè petemus. Tomo superiore præter Privilegium à Zacharia Monasterio Fuldensi concessum *pridie Non. Novembris, imperante Domino Augusto Constantino, anno* XXXII *Imperii ejus Indictione quintâ* duas ejusdem Zachariæ descripsimus epistolas, quarum hæ sunt subscriptiones. *Data Kalendis Aprilis, imperante Domino Constantino*

35 Breul. *judicare*
36 Margar. * *in eisdem possessionibus*
37 Breul. *promoveri*
38 Margar. *prohibitione.*
39 Margar. deest *Dei*
40 Breul *conservandæ*
41 Margar. deest *nisi resipuerit.*
42 Breul. *ejusdem*
43 Breul. *Institutis*
44 Breul. *extiterit*
45 Margar. deest *Domino*

Magno Imperatore, anno vicesimo-quarto, Imperii ejus anno secundo, Indictione undecimâ. Item. *Data Kalendis Aprilis, imperante Domino pijssimo Augusto Constantino à Deo coronato Magno Imperatore, anno vicesimo-quarto, Imperii ejus anno secundo, Indictione undecimâ.* Duo duntaxat in Privilegio [a] Fuldensi, cujus ratio par est ac Casinensis, & in præcitatis epistolis [b] apponuntur Chronologiei Characteres, annus Imperatoris & Indictio; annus Imperatoris, quia Roma paret Imperatori; Indictio, quia per Imperii ditiones usurpari solita; certè Reges Francorum, ut Tomo primo [c] jam observavimus, in distinguendis annis non usi sunt Indictionibus ante Carolum Magnum, qui, postquàm Imperator & Augustus Romæ fuit acclamatus, Constantinopolitanorum Imperatorum exemplo publicis instrumentis Indictiones adscripsit, ejusdémque Characteris usum posteris transmisit. Romani Pontifices, postquàm Roma desiit esse sub Imperatorum potestate, suas mox epistolas annis Augustorum consignare penitus cessarunt, suorum verò Pontificatuum annos ad connotandam Chronologiam non antè cœperunt usurpare, quàm Roma ex nobilissima Regum Francorum munificentia Pontificiis ditionibus accessit. Ea de re suis locis fusiùs nos acturos speramus. Hæc impræsentiarum sufficiant, ut literas, de quibus hîc disputamus, ex sola subscriptione, si plura non aliunde suppeditarentur argumenta, rejicias inter commentitias, & Zachariæ Papæ abjudices.

Haud potioris auctoritatis responsoriæ nobis videntur literæ, quas Carolo Regi Theodemarus Casinensis Abbas misisse dicitur suo Monachorúmque Benedictinorum in ejusdem Caroli Regno degentium nomine. Has à Francisco Pithœo acceptas anno Christi millesimo sexcentesimo secundo Jacobus Breulius Cœnobii Sancti Germani de Pratis Monachus Benedictinus inter varia monumenta Chronico Casinensi subjecta primus evulgavit, deinde ex Trevirensi Codice Sancti Maximini Benedictus Haeftenus Affligeniensis Monasterii Præpositus in Vinea Benedictina reflorescente [d] sive in altera Appendice ad Monasticas Disquisitiones anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo-quinto, novissimè ex Casinensi Codice Angelus de Nuce Casinensis Abbas anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo-octavo in Notis ad librum primum [e] Chronici Casinensis. Tres illas editiones simul conferemus, variantibus lectionibus ad oram rejectis, & quoniam explanandæ occurrent difficultates, ipsam epistolam per partes sectionésque describemus.

Primò Theodemarus singulare Caroli studium erga Monasticum Ordinem laudat, eique Benedictinam Regulam, ex ipsomet Codice, quem Sanctus Benedictus suis manibus exaravit, transcriptam dirigit. *Incipit [1] Epistola Pauli Diaconi ad Carolum Regem. Propagatori ac Defensori Christianæ Religionis Domino [2] Carolo, Christi potentiâ Regum sapientissimo, Theodemar exiguus, & universus Beati Benedicti Patris Grex, vestro subditus Dominatui, æternam in Domino salutem. Tam per Epistolæ seriem, quámque & per sanctum virum Adelgarium [3] Episcopum [4] vestra [5] famina suscipientes, magnâ sumus exultatione gavisi, dum vestram Sublimitatem, Domnámque [6] nostram Reginam, vestrósque Liberos sospites valentésque esse [7] cognovimus. Nec minori [8] etiam tripudio exultavimus [9], dum vestrarum [10] protelationem finium, victoriarúmque de hostibus triumphos agnovimus [11]. Auxit etiam nostrum illa [12] res gaudium. Quia [13] vestram Excellentiam de virtute in virtutem succrescentem, Dei agrum studiosè excolere [14] addidicimus [15], ac Monachorum Religionem ad meliorem perducere statum. Certum est, quia vos hoc factum beatiores efficiet [16], dum tale Deo nostro támque [17] beneplacitum munus offertis. Qua de re, quia ad Beati Patris nostri Benedicti doctrinam & luculenta exempla aliquos Monachorum religionis illius vestra Clementia informari [18] placuit, juxta Præceptionem vestram [19] en [20] vobis Regulam ejusdem Beati Patris, de ipso Codice, quem ille suis*

[a] Ad an. 752. n. 15.
[b] Ad an. 743. nn. 19. 31.
[c] Ad an 523. n. 2.

CXXXVI. REFELLITUR EPISTOLA THEODEMARO ABB. CASINENSI FALSO ATTRIBUTA.

[d] Cap 1.
[e] Cap. 14. vet. edit. c 18. nova edit.

CXXXVII.

[1] Deest hæc epigraphe. Breul. & Haeft.
[2] *Domno Carolo per Dei potentiam Regi sapientissimo ac fortissimo.* Breul. Haeft.
[3] Breul. Haeft. *Adalgarium*
[4] Breul. deest *Episcopum*
[5] Breul. *vestram famam*
[6] Breul. Haeft. *Domnámque*
[7] Breul. deest *esse*
[8] Breul. *minore*
[9] Angel. *exultabimus*,
[10] Breul. *vestram*
[11] Breul. *accepimus*.
[12] Haeft. *res illa*
[13] Breul. Haeft. *qui*
[14] Angel. *excolere*
[15] Breul. *didicimus*. Haeft. *addiscimus*.
[16] Haeft. *efficiat*
[17] Breul. *tanquam*
[18] Breul. *informare*
[19] Angel. deest *vestram*
[20] Breul. *volumen vobis Regula*

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

sanctis manibus exaravit [21], *transcriptam* [22] *direximus.* Apud Breulium & Haeftenum desideratur hæc epigraphe, *incipit Epistola Pauli Diaconi ad Carolum Regem*, cujus loco substituitur apud Haeftenum ille titulus ex Codice Sam-Maximiniano, *epistola Congregationis Sancti Benedicti ad Carolum Regem Francorum de privatis eorum moribus.* Angelus de Nuce Paulo & Theodemaro ipsam Epistolam vario respectu adscriptam ait, Paulo quidem quòd eam suo marte atque ingenio dictaverit, Theodemaro verò quòd ejus nomine scripta sit à Paulo. Porrò, si Paulus Auctor fuit Epistolæ, certè constat illam haud scriptam fuisse statim à primo Caroli Regis in Italiam advêntu, ut quidam existimarunt. Adelgarius, per quem Carolus suas ad Theodemarum literas misisse dicitur, à Breulio perperam absque Episcopi titulo nominatur, in Chronico enim Casinensi sive Adagarius in editione ejusdem Breulii [a], sive Aldegarius in editione Angeli de Nuce [b] nuncupatur, Episcopus vocatur ab Auctore Chronici. Apud Breulium, sic. *Ad hunc Abbatem*, nempe Theodemarum, *idem Carolus per Adagarium Episcopum, de Francia literas misit.* Apud Angelum de Nuce, sic. *Ad hunc Abbatem idem Hcarolus per Aldegarium Episcopum literas à Francia destinavit.* Illis temporibus florebat Adelgarius Trecensis Episcopus, post Bobinum enim, quem Pippino Regnum ineunte laudavimus, Amingus in Episcoporum Trecensium Catalogo proximè recensetur, tum Adelgarius. Hunc eundem esse cum Adagario sive Aldegario, cujus mentio fit in Chronico Casinensi, suspicantur Haeftenus & Angelus de Nuce in Notis ad literas de quibus hîc agimus. Malè quoque Breulius *vestrem famam* legit, ubi Haeftenus & Angelus de Nuce habent *vestra famina*, neque enim hoc vocabulum illius ævi scriptoribus incognitum. De Regulæ Benedictinæ Codicibus, quos propriâ manu Sanctus Benedictus exaravit, agit Haeftenus libro
CXXXVIII. secundo [c] Disquisitionum Monasticarum; nec dubium, quin is, quo Theodemarus Abbas utitur, alius sit ab illo, quem beatus Maurus in Galliam attulit. Casinates Monachi, cùm è Casino Monte Romam ob Longobar-
CXXXIX. dorum metum confugerunt, secum detulerunt Codicem, quem manu Sancti Benedicti descriptum servabant, restauratóque pòst Monasterio sub Abbate Petronace revexerunt, ut dictum suprà.

Secundò, Theodemarus præter Regulam Benedictinam transmitit hymnos in singulis Officiis ac Festivitatibus ex Sancti Benedicti instituto cantari solitos. *In fine autem sacra ejusdem Regula, hymnos* [26], *qui secundùm instituta Beati Patris nostri per singula Officia vel Festivitates cantori debent, annexuimus* [27].

Tertiò, Theodemarus de numero lectionum sic habet. *Si quem autem movet, quare Beatus Benedictus in æstatis tempore quotidianis diebus ad nocturnale Officium unam tantùm de veteri Testamento Lectionem legi* [28] *præceperit, cognoscat necdum eo tempore in Romana Ecclesia, sicut nunc leguntur, sacras* [29] *Scripturas legi morem* [30] *esse, sed post aliquod* [31] *tempus hoc institutum esse. sive à Beato* [32] *Papa Gregorio, sive (ut ab aliis affirmatur) ab Honorio. Quæ de re nostri* [33] *Majores instituerunt, ut hîc in sacro* [34] *nostro Cœnobio* [35], *quod juxta sanctum illius corpus institutum est, tres quotidianis diebus æstivo in* [36] *tempore ex veteri Testamento Lectiones in Codice legantur, ne à Sancta Ecclesia Romana discrepare viderentur* [37]. *Nec enim credendum est hoc Beato Patri Benedicto displicere, sed potiùs gratum ei* [38] *esse, si quis supra id* [39] *quod ille in Dei laudibus instituit, propter* [40] *Dei amorem adjiciendum esse curaverit.* Allucinatum hoc loco Theodematum censet Haeftenus, quia Gelasius Primus diu ante Beatum Gregorium totius anni lectiones digessit, & quæ ex Scriptura per æstivum tempus legendæ essent, apertè designavit. Ab Haefteno non dissentit Angelus de Nuce. Nos nec Theodematum Abbatem, nec Paulum Diaconum, tam graviter errasse suspicamur, ideóque hasce literas neutri illorum tribuendas putamus, at Scriptori recentiori, qui posteris imposuerit.

[21] Angel. exarabit.
[22] Breul. transcriptum
[a] Lib. 1. c. 24.
[b] Lib. 1. c. 12.
[c] Tract. 1. Disquis. 4.
[26] Angel. Tonnos.
[27] Angel. adnexuimus.
[28] Breul. lege praecepit. Angel. praeceperit legere
[29] Breul. sacra Scriptura Lectiones fuisse
[30] Angel. mos
[31] Angel. aliquot tempora
[32] Haeft. deest Beato
[33] Haeft. Majores nostri
[34] Breul. nostro sacro
[35] Angel. Cœnobio.
[36] Breul. deest in
[37] Breul. viderentur. Haeft. videantur.
[38] Breul. deest ei
[39] Breul. supra eo quod ille propter amorem Dei in laudibus
[40] Breul deest propter Dei amorem

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. R R. 9. CAROLI R. 1.

Sanctus Benedictus capite decimo suæ Regulæ præscribit, ut in æstivis Vigiliis, *à Pascha* videlicet *usque ad Kalendas Novembres Lectiones in Codice propter brevitatem noctium minimè legantur, sed pro ipsis tribus Lectionibus una de veteri Testamento memoriter dicatur.* Haeftenus meritò scribit *mirum videri, quòd* Monachi Casinates *in recitandis Lectionibus cum Romana Ecclesia convenire voluerint, cùm in tam multis aliis & tota penè Officii forma non modica supersit discrepantia.* Angelus de Nuce ad eundem locum sic commentatur. *Quisquis ille fuerit*, seu Gelasius, seu Gregorius, aut Honorius, *qui Lectionum ordinem & numerum sancivit, sapientissimè tamen SS. Pater Benedictus diversum à Romana Ecclesia ritum psallendi ordinavit, ut Monachi à Clericis non solùm conversatione sed etiam publicarum orationum modo distinguerentur.* Deinde ut à Clericorum ritu, etiam ex Sancti Columbani Regula, ritum Monachorum probet discrepasse, vitam Sancti Walerici à Surio editam citat. *Auctor*, inquit, *vitæ Sancti Walerici Abbatis, qui fuit discipulus Sancti Columbani, apud Surium die 3. Aprilis, narrat Sanctum virum, utrumque Cursum, & Monasterialem & Gallicanum sive Clericalem, quotidie persolvisse. Unde liquet à ritu Clericorum, etiam ex Regula Sancti Columbani, Monachorum ritum discrepasse.* Nobis obiter ex illo textu Angeli de Nuce liceat observare, quòd Casinensis hic Abbas Sanctum Walericum Sancti Columbani sodalitio adscribit, & ejusdem Sancti Columbani Regulam à Regula Sancti Benedicti manifestissimè distingnit. In eadem quoque sententia versatur Antonius Dadinus Alteserra utriusque Juris Professor & Decanus Universitatis Tolosanæ, qui nuperrimè libros decem de rei Monasticæ Originibus edidit, & Regulam Sancti Columbani variáque Monasteria eidem Regulæ addicta sic commendavit [a]. *Columbanus ex Hybernia venit in Galliam, Cœnobium Luxoviense in Burgundia ædificavit, & Regulam scripsit, quæ recepta est in quampluribus Monasteriis, ut Jotrense * Cœnobium fundavit Ado frater Beati Audoeni sub Regula Sancti Columbani. Aimoinus libro 4 *. capite 41. Multa Monasteria extructa in Gallia sub Regula Sancti Columbani testatur Jonas Abbas in vita Sancti Eustachii Abbatis Luxoviensis apud Surium 29 Martii. Resbacense Monasterium sub Regula Sancti Columbani construxit Audoenus, posteà Rothomagensis Episcopus, ex ejus vita apud Surium 24 August. In Concilio Matisconensis III * probata est ab Episcopis Regula Columbani, damnato quodam Agrestino desertore Monasterii Luxoviensis, qui eam palam insectabatur.* Hæc exempla suis locis ex antiquis Auctoribus prolata sunt, nec alio consilio hic à nobis ex Alteserra repetuntur, quàm ut erudirum quemque nobiscum convenire sciant ii, qui Sancti Columbani Regulam ac discipulos à Sancti Benedicti Regula discipulisque distinguendos adhuc negant.

[a] Lib. 6. c. 2.
* malè in exempl. Ionense
* malè in exempl. 1.
* malè in exempl. 2.

Quartò, Theodemarus de divisione Psalmorum per singulos septimanæ dies canendorum hæc subjungit. *Nam & de Psalmorum canendorum [1] per singulos septimanæ dies divisione, si cui [2] melius visum fuerit, quàm ipse Beatus Pater instituit, ab ipso habet licentiam, ut melius æstimaverit, canere. Nec debent cogi Monachi, si tamen vestro sapientissimo cordi ita [3] placet, qui nunc Romano more psallunt [4], juxta institutionem sacræ hujus Regulæ Psalmos dividere [5]; sed possunt, si vobis ita videtur [5], solito more canentes, arctioris [6] vitæ normam suscipere.* Usitatum in Galliis à tempore Pippini Regis, ut Monachi Romano modo psallerent. Id constat ex Capitulari Aquisgranensi, cujus Canones hoc anno suprà descripsimus, Canon enim octogesimus in hæc verba concipitur. *Monachi ut cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel gradale Officium peragant, secundùm quod beatæ memoriæ genitor noster Pippinus Rex decretavit ut fieret, quando Gallicanum cantum tulit, ob unanimitatem Apostolicæ Sedis & Sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam.* CXL.

[1] Haeft. deest canendorum
[2] Angel. quis
[3] Haeft. deest ita
[4] Haeft. possunt.
[5] Haeft. videretur.
[6] Angel. adhuc

Quintò, Theodemarus agit de mensura panis. *Direximus quoque pondus [7] quatuor librarum, ad cujus æqualitatem ponderis panis debeat [8] fieri, qui in* CXLI.

[7] Angel. pondo
[8] Haeft. debet

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

quaternas [9] *quadras singularum librarum, juxta sacra* [10] *textum Regulæ, possit dividi. Quod* [11] *pondus, sicut ob ipso Patre est institutum, in hoc est loco repertum.* Ad hunc textum sic Haeftenus. *Ex hoc fortassis capite suspicatur eruditissimus Menardus Epistolam hanc non esse Theodemari, si enim pondus libra, ut in suis Declarationibus aiunt Casinenses, sit unciarum triginta-trium & semis, eáque mensura nonnullis enormis videatur, quid dicendum de hac Theodemari quatuor librarum sive unciarum 48. ita ut triginta-duæ prandio, cœna verò sexdecim deputentur? Voluit enim S. Benedictus tertiam partem reservari cœnaturis.* Breulius triplicem libram distinguit, Romanam, mercatoriam & Benedictinam. Primam dicit esse duodecim unciarum, alteram sexdecim, tertiam triginta-trium & semis, quia Regulæ Benedictinæ textum Monachi Casinenses in suo Declaratorio sic aliquando sunt interpretati. *Cùm pondus libra, ut habuimus à Monasterio Casinensi, sit unciarum triginta-trium & semis, ut vix tantùm panis unus frater die unâ manducare possit, volumus consuetudinem nostram servari, ut scilicet apponatur panis quantùm satis est.* Lege quæ Tomo primo [a] dicta sunt ad caput Regulæ Benedictinæ tricesimum-nonum, quod est de mensura ciborum. *Panis*, loquit Sanctus Benedictus; *libra una propensa sufficiat in die, sive una sit refectio, sive prandii & cœna. Quòd si cœnaturi sunt, de eadem libra tertia pars à Cellerario servetur, reddenda cœnaturis. Quòd si labor fortè factus fuerit major, in arbitrio & potestate Abbatis erit, si expediat, aliquid augere.* Dubium non videtur, quin Sanctus Benedictus, cùm Italus esset, eam intellexerit libram, quæ per Italiam tunc ositabatur, & unciis duodecim constabat. Apud Cassianum, quem in multis ducem secutus est, Collatione secundâ prævalidum occurrit hujus sententiæ munimentum, quod exposuimus loco præcitato. Ceterùm, ne quid dissimulemus, libra, quæ panis mensura statuitur, à Sancto Benedicto non libra simpliciter sed libra dicitur *propensa*, quæ inclinata præponderet, nam propensus est inclinatus, & libra propensa duodecim uncias excedit; deinde, si Monacho gravior labor incubuerit, & expediat mensuram panis augeri, Sanctus Benedictus id Abbatis arbitrio relinquit. At juxta mentem ejusdem Sancti Benedicti libra propensa & Abbatis indulgentia duodecim quidem uncias aliquantum excedunt, sed non accedunt ad uncias octo supra quadraginta. Manifesta est igitur suspicio falsitatis in texto proximè citato ex Epistola Theodemari. Nec adversùs Menardum & Haeftenum prævalere potest Angelus de Nuce, qui multùm se torquet, ut ostendat mensuram unciarum octo & quadraginta non enormem videri *cogitantibus tum varias complexiones, quibus omnibus prospicere studuit discretissimi Legislatoris providentia; tum agri labores, quibus tunc Monachi exercebantur; tum denique obsoniorum parcitatem, panis abundantiâ propterea compensandam, maximè jugiter jejunantibus.*

[9] Breul. quaternos quadros
[10] Breul. sacrum
[11] Breul. Haeft. quando
[a] Ad an. 544. n. 54.

CXLII. Sextò, Theodemarus de mensura potûs ita scribit. *Misimus etiam mensuram potûs, quæ prandii* [1], *& aliam, quæ cœnæ tempore debeat fratribus præberi. Quas duas mensuras æstimaverunt Majores nostri hemina* [2] *mensuram esse.* De hemina vini, quam Sanctus Benedictus capite quadragesimo suæ Regulæ *per singulos* Monachos *sufficere per diem* credit, egimus Tomo primo [b]. Locum illum adi. Lege & egregiam de hemina dissertationem, quam vir eruditus Parisiis biennio pòst edidit in capita novem ac nonaginta distributam.

[1] Breul. Haeft. prandio.
[2] Angel. emina mensura
[b] Ad an. 544. n. 55.

CXLIII. Septimò, Theodemarus hæc addit de mensura calicis, quam accipere solent, qui mensæ vel coquinæ inserviunt. *Direximus etiam & mensuram unius calicis quam obsequiaturi* (Breulio & Haefteno *obsequuturi*) *fratres juxta sacra Regulæ textum, solent accipere.* Quos autem Theodemarus obsequiaturos vel obsequuturos fratres dicit, hos Sanctus Bernardus servitores appellat, seu mensæ inserviunt seu coquinæ, necnon septimanarios & hebdomadarios, quia totâ serviunt hebdomadâ seu septimanâ. *Septima-*

AN.CH. 789.
CAROLI R. 21.
PIPPINI LUDOV. R R. 9.
CAROLI R. 1.

narii, inquit Sanctus Benedictus [a], *ante unam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes & panem, ut horâ refectionis sine murmuratione & gravi labore serviant fratribus suis. In diebus autem solemnibus usque ad Missas sustineant.* Biber igitur idem ac mensura calicis de qua Theodemarus. Biberi panem jungit Sanctus Benedictus loco proximè citato. Ex bibere autem & ex pane fit mixtum, quod Hebdomadario Lectori, priusquàm incipiat legere, capite XXXVIII Regulæ Benedictinæ sic conceditur. *Frater hebdomadarius accipiat mixtum, priusquàm incipiat legere, propter Communionem sanctam, & ne fortè grave sit ei jejunium sustinere.* Atque inde constat mixtum pro haustu vini frustóque panis accipiendum esse. De bibere [b] actum ad Regulam Sancti Cæsarii, de mixto [c] ad Regulam Sancti Benedicti.

CXLIV.

Octavò, Theodemarus de mensura ciborum sic habet. *Beatus Pater noster instituit duo cocta pulmentaria in quotidiana refectione fratrum præparari, & tertium de leguminibus crudis aquâ infusis. Nos verò ex institutione Majorum nostrorum tria cocta pulmentaria aliis diebus, quartâ & sextâ feriâ dua tantùm reficiendis fratribus præparamus, excepto quòd plures ex fratribus nostris pane tantùm his diebus herbísque hortensibus* [1] *vescuntur* [2], *quorum plerique etiam nec vinum bibunt. Die verò Dominico, & in Festivitatibus præcipuis, etiam quartum addimus pulmentum, exceptis, secundâ, quartâ, & sextâ, feriis* [3]. *Aliis diebus, prandentibus fratribus, cùm vinum nobis abundat, singulas phialas* [4] *miscere facimus. In summis quoque Festivitatibus, hoc est, in Nativitate* [5] *Domini, in* [6] *Epiphania, in Pascha, & in* [7] *tertia* [8] *feria post Pascha quanda nobis grandis Festivitas est, in Ascensione* [9] *Domini, & in Pentecoste* [10], *in* [11] *Sancti Joannis, &* [12] *in Sancti Petri, &* [13] *in Sancti Laurentii, &* [14] *in Sancta Maria, & in Sancti* [15] *Martini, & Beati Benedicti, etiam* [16] *bis ad prandium miscere* [17] *facimus. Præter hæc etiam, æstatis tempore, post Nonam, si est* [18] *aliquid de pomis, & singulas* [19] *phialas nostris fratribus præbemus. Cùm verò tempus sectionis fœni* [20] *est, etiam potionem ex melle ad horam quartam laborantibus fratribus propinamus* [21]. Sanctus Benedictus, quem Theodemarus allegat, de mensura ciborum sic statuit capite tricesimo-nono suæ Regulæ. *Sufficere credimus ad refectionem quotidianam tam Sexta quàm Nona omnibus mensibus cocta duo pulmentaria propter diversorum infirmitates, ut fortè qui ex una non potuerit edere, ex altero reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant, &, si fuerint inde poma, aut nascentia leguminum, addatur & tertium.* Theodemarus ex institutione Majorum, ad mensuram cùm cibi tum potûs, multa per indulgentiam testatur addita. Textus, ubi de summis Festivitatibus agitur, corruptus in omnibus videtur editionibus; apud Breulium enim sic habet, *jam bis ad prandium miscere facimus*; apud Haeftenum, sic, *& in ambis ad prandium faciamus miscere*, apud Angelum de Nuce, sic, *etiam bis ad prandium miscere facimus.* Haeftenus in suis Notis legendum censet, *etiam bis ad prandium miscere facimus.* Usi sumus eâ correctione, quæ mensuram panis ac potûs, quâ mixtum componitur, ad prandium in summis Festivitatibus bis additam testatur. Inter summas Festivitates Theodemarus apud Breulium collocat sextam feriam post Pascha, tertiam apud Haeftenum & Angelum de Nuce. Quænam esset illa Festivitas, Haeftenus fatetur se non reperisse. Ridet Haeftenum Angelus de Nuce, quia facilè sciri potest Festivitas, quæ libro primo Chronici Casinensis descripta reperitur. Ipsam descriptionem consulere poteris prædicti libri capite apud Breulium tricesimo-quarto, apud Angelum de Nuce tricesimo-secundo. In utraque editione legitur *tertia feria*, sed ad illud caput ex Casinensibus illius ævi Missalibus observat Angelus de Nuce Missam, quæ cantabatur in illa Festivitate, deputatam fuisse feriæ quartæ, atque inde concludit feriam tertiam in textu Chronici Casinensis accipiendam exclusivè post Pascha, ita ut feria hebdomadis quarta censeatur. Suspecta hæc interpre-

[a] Cap. 35.
[b] Tom. 1. ad an. 536. n. 161.
[c] Tom. 2. ad an. 544 n. 53.

[1] Angel. ortensibus
[2] Breul. vescuntur.
[3] Breul. Angel. feriâ.
[4] Angel. fialas
[5] Breul. Natale
[6] Angel. &
[7] Angel. deest in
[8] Breul. sexta
[9] Angel. deest & in Ascensione Domini.
[10] Angel. Pentecosten.
[11] Angel. & in
[12] [13] Breul. deest & in
[14] Breul. deest &
[15] Breul. Haeft. Sanctorum, Martini, Benedicti
[16] Breul. jam bis. Haeft. & in ambis. Angel etiam bis
[17] Haeft. faciamus miscere
[18] Angel. aliquid si est
[19] Breul. deest singulas
[20] Breul. deest fœni
[21] Breul. propinimus.

AN. CH 789. CAROLI R. 21. PEPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

tatio, exemplum enim, quo fulciatur, alibi non occurrit. Illius festivitatis descriptio in Chronico Casinensi sub Abbate Bassacio repræsentatur. Saraceni, Monasterio Casinensi vastato atque incenso venerabilem Abbatem Berthariun proximum Bassacii successorem gladio trucidaverunt. In eodem Chronico [a] hæc clades *anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo octogesimo-quarto* consignatur. Abhinc prædicta Festivitas celebrari desiit. Longè serius Chronicon scripsit Leo, sæculo videlicet duodecimo jam inchoato, ideóque de illa Festivitate locutus est, ut de re penitus obsoleta. Id palàm ostendit initium capitis, quo Festivitas exponitur apud Angelum de Nuce. *Non autem otiosum videtur hoc in loco literis tradere, quæ consuetudo tunc temporis in hoc Monasterio diebus Paschalibus erat. Tertiâ feriâ post Pascha, valdè manè*, &c. Ab excidio Casinensis Monasterii, donec Leo Chronicon exaravit, effluxerunt anni non pauci supra ducentos. Illâ temporis intercapedine scriptas existimamus Theodemari quondam Abbatis nomine literas, quarum lectione deceptus Leo Festivitatem, quæ feriâ quartâ semper celebrata est, feriæ tertiæ perperam adscripsit. Usus est his literis Leo, nec aliâ nixus auctoritate de Theodemaro scripsit, quòd Carolo Regi misit *Regulam & Hymnos, qui tunc ex traditione Regulæ in Casinensi Monasterio canebantur, pondus quoque libræ panis, & mensuram vini, necnon & mensuram calicis, quam in mixto servitores debent accipere*. Sed ut ostenderet has literas sibi non integras placere, consultò abstinuit ab aliarum partium enumeratione, & reliquum contextum collectivè sub universa consuetudine complexus est, *& universam*, inquit, *consuetudinem, quæ in hoc loco tunc temporis habebatur, in scriptis ei transmisit*. Hugo Menardus, in Notis ad Concordiam Regularum, dubitare se non dissimulat, utrùm Epistola, de qua nunc agimus, sit Abbatis Theodemari, quia *sunt in ea multa castigatione digna*, idque observat ad caput [b], quòd inscribitur *de mensura ciborum*. Indulgentiores sunt hujuscemodi literæ, quàm ut ætatem Theodemari sapere videantur. Ad laxiorem indulgentiam referimus, quæ de pomorum comestione post Nonam déque potione mellis ad horam quartam in iisdem literis scripta reperiuntur.

[a] Lib. 1. c. 46. vet. edit. c. 44. novæ edit.

[b] Cap. 48. §. 1.

CXLV. Nonò, Theodemarus de volatilibus hæc subjungit. *Volatilia nunquam, nisi die Natalis Domini, si est unde, usque ad dies octo comedimus. Similiter etiam Paschalis [1] festi diebus. Sed de esu volatilium tam cautè prudentissimus [2] Pater noster in sua Regula posuit, ut si velint [3] comedere Monachi, cùm opportunum est, non subjaceant culpæ. Si [4] verò eis à suo tale edulium non prabetur [5] Abbate, ut quasi ex debito, hoc [6] non possint [7] requirere. Multi tamen fratrum nostrorum neque volatilia comedunt, neque vinum, nisi de sancto calice, bibunt.* Postrema hæc periodus, *multi tamen* &c, abest ab editione Angeli de Nuce, legitur in Breuliana & Haefteniana. Sed non hæc tantùm periodus, at superiores etiam expungendæ, quibus textus de volatilium esu proximè descriptus componitur. Sanctus Benedictus capite tricesimo-nono suæ Regulæ decernit, ut *carnium quadrupedum ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles & ægrotos*. Utrùm qui quadrupedum esum prohibuit, esum quoque volatilium vetuerit, varii disputarunt interpretes Regulæ Benedictinæ. Lege apud Haeftenum in decimo Disquisitionum Monasticarum libro Tractatum sextum de abstinentia à carnibus. Hic Auctor, licèt Theodemari literas probet, esum quarumlibet carnium, cùm quadrupedum tum volatilium, à Sancto Benedicto Monachis interdictum non diffitetur, variósque diversarum ætatum Scriptores, qui secus censuerunt, egregiè confutat, allegatis in suæ sententiæ confirmationem Cardinale Turrecrematâ, Sancto Antonino, Antonio *Perez*, & Joanne *Craesbeeck*. In Aquisgranensi Conventu, quem complures Abbates unà cum suis Monachis *anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi* DCCCXVII, *Imperii verò Gloriosissimi Principis Ludovici quarto, sexto Idus Julias* habuerunt, Capitulo septuagesimo-

[1] Breul. *Paschalibus Festivitatibus.*

[2] Breul. *Pater noster prudentissimus*

[3] Breul. *vol-lens*

[4] Breul. *sin autem*. Angel. *sin verò*

[5] Angel. *præbeatur ab Abbate*:

[6] Breul. deest *hoc*

[7] Angel. *possit*

AN.CH. 789. CXLVI.

septuagesimo-octavo statuitur, *ut fratres volatilia in Natali Domini & in Pascha, tantùm quatuor diebus, si est unde, comedant, si verò non fuerit unde, non requiratur per debitum; si autem Abbas aut Monachi abstinere se voluerint, in eorum sit arbitrio.* Indulgentiam, quam Conventus Aquisgranensis quatriduo circumscribit, literæ, quas examinamus, ad dies octo prorogant, & eodem Conventu, cujus stylum imitantur, ut laxiores, sic & recentiores se produnt. Ergo perperam adscribuntur Theodemaro, qui priùs obiit, quàm Conventus Aquisgranensis sub Ludovico Pio celebraretur.

Decimò, Theodemarus de Cuculla, Casula, Cappa, & Melote, sic scribit. *Sanè, quia percontari dignati estis, quod* [1] *vestimentum Cuculla* [2] *debeat* [3] *intelligi* [4], *Cucullam nos esse dicimus, quam alio nomine Casulam vocamus. Et inde est quod in* [5] *hyeme villosam, in* [6] *æstate puram aut vetustam Beatus Pater habendam* [7] *instituit, quia scilicet hoc genus indumenti* [8] *solet tum* [9] *villis intexi. Illud autem vestimentum* [10], *quod à Gallicanis Monachis Cuculla* [11] *dicitur, &* [12] *nos Cappam vocamus, quod propriè Monachorum designat habitum, Melotem appellare debemus, sicut &* [13] *hactenus in hoc* [14] *provincia à quibusdam vocatur, de quo, sicut Beatus Gregorius scripsit* [15] *in libro Dialogi, ereptus ab aqua per Maurum Monachum puer Placidus dixit.* [*Ego, quum ab aqua abstraherer, Melotem supra* [16] *me Abbatis cernebam, ipsúmque me ab aquis educere considerabam.*] *Quod tegumentum ideo sic appellatum est, quia solebat* [17] *antiquitus de illius animantis pelle fieri, quod Melos propter rotunditatem* [18] *sui corporis appellatur. Quod genus bestiola à nonnullis Taxus* [19] *appellatur. De genere tegumenti nihil* [20] *Beatus Benedictus in sua* [21] *textu Regula loquutus est, ob hoc scilicet, ut conjicere possumus, quia diverso modo hoc vidit à plerisque Monachis uti tegumentum* [22]. *Nam Galliarum* [23] *Monachi hoc laxius & prolixius induuntur. Itali vero Monachi, sicut nostis, brevius hujuscemodi* [24] *& strictius vestimentum habent. Græci verò propter operimentum capitis, modicum quiddam* [25] *tantùm ante pectus & à dorso dependens. Transmarini autem Monachi hujusmodi operimentum pellicium habent. Ergo quia tantam* [26] *in hoc Beatus Benedictus indumento diversitatem vidit, unicuique Monachorum, quid* [27] *ex his potiùs eligere voluerit* [28], *proprio arbitrio dereliquit.* Totum hunc Theodemari textum exponit illustratque notis Haeftenus libro quinto Disquisitionum Monasticarum, Tractatu tertio, qui *de Vestibus longioribus* inscribitur. Sanctus Benedictus capite quinquagesimo-quinto suæ Regulæ sic scribit. *Vestimenta fratribus, secundùm locorum qualitatem, ubi habitant, vel aerum temperiem, dentur, quia in frigidis regionibus ampliùs indigetur, in calidis verò minùs. Nos autem mediocribus,* id est, temperatis, *locis sufficere credimus Monachis per singulos Cucullam & Tunicam: Cucullam in hyeme villosam*, id est, grossioris panni, cujus villi seu filamenta prominent, *in æstate puram*, id est, tenuem, *aut vetustam, & Scapulare propter opera.* Theodemarus Cucullam & Casulam voces apud Italos synonymas esse, quam verò Galli Cucullam vocant, Cappam ab Italis dici testatur. Duplex igitur Cuculla, una Italica, altera Gallica. Cuculla Italica, de qua textus Benedictinæ Regulæ præcitatus, eadem est ac Casula, nec capitis modò sed totius etiam corporis est indumentum. *Casula*, inquit Sanctus Isidorus [a], *est vestis Cucullata, per diminutionem à Casa, quòd totum hominem tegat.* Apud Angelum de Nuce Codex Sancti Angeli ad Fornias in Archivo Casinensi asservatus exhibet imaginem Desiderii Abbatis Cucullati, *talari scilicet vestimento, undique clauso, nec valdè sinuoso, manicis non amplis.* Addit hic Auctor in Casinensi Monasterio non extare vetustiorem Cucullæ vel picturam vel graphicam descriptionem, nec eandem omni ævo formulam Cucullæ, quandam tamen imaginem primigeniæ semper servatam fuisse. Sanctus Benedictus nihil habet de vestimentorum forma, cavet tantùm, ne sint nimis curta, sic enim scribit capite suprà citato. *Abbas de mensura provideat, ut non sint curta ipsa vestimenta utentibus, sed mensurata.* Capa seu Cappa, quam Galli

[1] Haeft. *quod*
[2] Breul. Haeft. *Cuculla*
[3] Breul. *habeat*
[4] Angel. *intelligi.*
[5], [6] Angel. deest *in*
[7] Angel. deest *habendam*
[8] Haeft. *vestimenti*
[9] Breul. *solet villis intexi*
[10] Breul. *indumentum.*
[11] Haeft. *Cuculla*
[12], [13] Breul. deest *&*
[14] Haeft. deest *hoc*
[15] Angel. *scribit*
[16] Angel. *super*
[17] Breul. Haeft. *solebant*
[18] Angel. *nuditatem*
[19] Breul. *Taxus*
[20] Angel. *nihil*
[21] Breul. *suo*
[22] Breul. *tegumento* Haeft. *tegumentis.*
[23] Haeft. *Galliarum Monachi, sicut vos nostis, brevius, &c.*
[24] Breul. *Brevius & strictius hujuscemodi*
[25] Breul. deest *quiddam*
[26] Breul. *quia Beatus Benedictus vidit Monachos tantam in hoc indumento diversitatem habere.* Angel. *quia tantam in Monastico indumento Beatus Benedictus diversitatem vidit*
[27] Angel. *quod*
[28] Angel. *velis* Breul. *vellent*
[a] Lib. 19. Orig. c. 24.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

Cucullam quoque vocabant, nomen à capite ſortitur, & eſt capitis tegumentum. Hæc breviter de Cuculla, Caſula, & Cappa. Melotem Haeftenus cum Cuculla confundit, nos Tunicam interpretamur, quia in textu Benedictino nominantur tantùm Cuculla, Tunica, & Scapulare, Theodemarus autem ſuprà de Cuculla locutus eſt, agetque infrà de Scapulari, & illud à Melote diſtinguet. Sanctus Benedictus Cucullæ Tunicam proximè ſociavit, quia hæc ſub illa immediatè geſtari ſolet. Melotes interpretationem, quam Theodemarus affert, ridiculam oſtendit Breulius, quia μηλον, unde Melotê, Græcis eſt ovis, cujus lana conficiendæ Tunicæ percommoda. Porrò, cùm præter veſtes, quæ memorantur à Sancto Benedicto, id eſt, præter Cucullam, Tunicam ſeu Meloten, & Scapulare, Theodemarus Cappam nominet, nec ullus è Scriptoribus rerum Francicarum reperiatur, qui Cappæ nomen ſub Merovea dis Regibus uſurparit, aut ſub Carolingis in eadem ac Theodemarus acceperit ſignificatione, rectè concludes Epiſtolam, de qua nobis hìc quæſtio, fœtum eſſe hominis, qui poſt Theodemarum Abbatem vixit. Lege Peyratium in Antiquitatibus [a] Regiæ Capellæ, obſervat enim Cappæ nomen ignotum Gallis ſub Meroveadis Regibus, & Cappam eandem cum Caſula ſub Carolovingis extitiſſe. Longè autem alia eſt apud Theodemarum acceptio Cappæ, ſumitur enim pro ſolo capitis tegumento, quod, ex Regula Sancti Benedicti, pars erat cùm Cucullæ tum Scapularis.

[a] Lib. 1. cc. 1. 2.

CXLVII. Undecimò, Theodemarus de numero & qualitate veſtimentorum hæc addit. *De numero autem & qualitate veſtimentorum ſic Beatus Pater noſter in ſua Regula poſuit, ut tamen* [1] *in providentia ſit Abbatis, quomodo debeat pro ſua unicuique diſtribuere neceſſitate, ſed & ipſe Pater dixit, quia* [2] *in temperatis regionibus minùs, in frigidis plùs veſtimenti opus haberi. Seniores tamen noſtri & præteriti Abbates inſtituerunt fratribus noſtris, propter diverſos* [3] *labores, tres Tunicas habere, duas groſſiores in hyeme, unam ſubtiliorem in æſtate. Similiter & loco Cucullarum, duos* [4], *quos nos dicimus Mantos* [5], *habemus* [6], *qui ex groſſiori ſago fiunt, & unum in æſtate* [7] *ſubtiliorem. Cucullas autem ideo non habemus, quia majoris ſunt pretii, & quia nobis Pater noſter aliàs præcepit talibus veſtibus uti, quales poſſint in provincia viliùs emi. Habent autem fratres noſtri & duplicia femoralia. Multi tamen ex eis, Deo* [8] *juvante, in tantùm ſe continent, ut neque femoralia habeant, neque ampliùs quàm duplicia, ſecundum Regularem* [9] *textum, indumenta.* Sanctus Benedictus regiones non diſtinxit in temperatas & frigidas, ſed in frigidas, calidas, & mediocres ſeu temperatas. *Veſtimenta*, inquit, *fratribus, ſecundùm locorum qualitatem, ubi habitant, vel aerum temperiem, dentur, quia in frigidis regionibus ampliùs indigetur, in calidis verò minùs. Nos autem mediocribus locis ſufficere credimus Monachis per ſingulos Cucullam & Tunicam: Cucullam in hyeme villoſam, in æſtate puram aut vetuſtam, & Scapulare propter opera.* Et paulò pòſt. *Sufficit Monacho duas Tunicas & duas Cucullas habere propter noctes & propter lavare ipſas res.* Denique *femoralia hi, qui in via diriguntur, de veſtiario accipiant, quæ revertentes lota ibi reſtituant.* Numerum & qualitatem veſtimentorum, pro temperatis regionibus, quales habentur Italia & Gallia, ſic notavit. Theodemarus verò, quamvis in Italia poſitus, ab hac veſtimentorum diſtributione multùm receſſit. Unicuique Monacho tres conceſſit Tunicas, duas in hyeme groſſiores, tertiam in æſtate ſubtiliorem; rejectis Cucullis tres dedit Mantos, duos pariter in hyeme groſſiores, tertium ſubtiliorem in æſtate; duplicia quoque diſtribuit femoralia. Tantam veſtimentorum apud Caſinates mutationem longè ante Caroli Magni tempora introductam quis credat? Auctor in quem inquirimus, fruſtrà ſubjecit multos è Caſinenſibus Monachis in tantùm ſe continere, *ut neque femoralia habeant, neque ampliùs quàm duplicia, ſecundum Regularem textum indumenta.* Nam, quæ præmiſit, adeò laxa ſunt, adeòque Benedictinæ Regulæ refragantur, ut ſcripta minimè

[1] Angel. tamen providentia
[2] Breul. deeſt quia
[3] Haeft. converſos
[4] Breul. duas, quas nos dicimus Mantas, habemus, quæ &c.
[5] Angel. Mattos.
[6] Haeft. Angel. deeſt habemus.
[7] Breul. in æſtate operimentum. Haeft. Angel. in æſtate ſubtiliorem operimentum
[8] Breul. adjuvante Deo Angel. Deo adjuvante
[9] Breul. Regula

videantur ab Abbate Benedictino, Monachos rogatu Caroli Regis ad re-
formanda Galliarum Monasteria transmissuro. Casinatibus usum Cuculla-
rum priùs interdictum, usúmque Mantorum priùs imperatum haud facilè
credimus. De Manta seu Manto sic Isidorus [a]. *Mantum Hispani vocant,*
quòd manus tegat tantùm. Est enim breve amictum. Nec etiam nobis placet
ratio, cur usus Cucullarum dicatur antiquatus. *Cucullas*, inquit Theode-
marus, *non habemus, quia majoris sunt pretii, & quia nobis Pater noster aliàs*
præcepit talibus vestibus uti, quales possint in provincia viliùs emi. Textus
Sancti Benedicti talis est. *De quarum rerum omnium*, seu vestium superiùs
memoratarum, *colore & grossitudine non causentur Monachi, sed quales inve-*
niri possunt in provincia, quâ degunt, aut quod viliùs comparari potest. Vetat
sapientissimus Legislator, ne Monachi de vestimentorum colore vel grossi-
tudine conquerantur, néve magni pretii materiam ad conficiendas vestes
sibi comparent, at discipulorum suorum arbitrio non relinquit, ut vilioris
pretii specioso prætextu genera vestium mutent, & abjectis Cucullis Man-
tos multò breviores induant. Haeftenus, qui literas Theodemari tuetur,
in ea tamen opinione non potest non mirari, quòd ille dicat Casinates Cu-
cullis propter excessum pretii caruisse, Cucullas enim in vili pretio fuisse pro-
bat ex literis, quas Pelagius Papa Sapaudo Arelatensi Metropolitæ scripsit CXLVIII.
XIX *Kalendas Januarias, anno XV post Consulatum Basilii Viri Clarissimi,*
sive anno Christi quingentesimo quinquagesimo-sexto.

Duodecimò, Theodemarus de Scapulari sic scribit. *Statuit autem Vene-*
rabilis Pater, ut Scapulare Monachi propter opera habeant, quod ob hoc Scapu-
lare dicitur, quòd scapulas præcipuè tegat & caput [1]. *Quod* [2] *vestimentum penè* [3]
omnes in hac terra rustici utuntur. Pro quo tegumento nos ex [4] *grossiore textu*
ad Melotis [5] *similitudinem operimentum habemus, nisi quòd manica in hoc usque*
ad manus pertingentes [6] *habentur.* Lege apud Haeftenum [b] Disquisitiones
de Scapulari Benedictino.

Decimo-tertiò, Theodemarus pro diversis necessitatibus privatas addit
concessiones. *Præter hæc*, inquit, *addimus unicuique sicut ei* [7] *opus est. Nam*
senibus nostris Gunnas [8] *pelliceas tribuimus. Infirmis* [9] *etiam in culcitris jacere* CXLIX.
permittimus, & unicuique omnino, sicut sua exposcit necessitas, præbemus [10].
Concessum est etiam fratribus nostris habere manutergia, sive ad tonsuræ obse-
quium, sive ad Codices, quos ad legendum suscipiunt, involvendos. Ad lo-
cum, ubi Breulius *geminas pelliculas* legerat, ex Haefteno & Angelo de
Nuce reposuimus *Gunnas pelliceas.* Gunna vestis est pellicea. Cinehardus
Wentanæ Civitatis Episcopus *ad indicium plenissimæ dilectionis* inter alia
Lullo Moguntiacensi Archiepiscopo *Gunnam brevem* transmisit [c]. Et Gur-
bertus eidem quoque Lullo direxit [d] *Gunnam de pellibus Lutrarum factam.*
Theodemarus addit concessum infirmis, ut *in culcitris* jaceant. Mattam in
genere Sanctus Benedictus assignavit, ægrotis, quia hæc durior, culcitræ,
quas alii culcitas vocant, benignè indulgentur. CL.

Decimo-quartò, Theodemarus privatos quosdam ritus ita perstringit.
Præter Regularia quoque jejunia, in Vigiliis præcipuarum Festivitatum usque
ad Vesperam jejunamus, & à Vespera Vigiliarum per totam noctem & diem Fes-
tivitatis usque ad [11] *Completorii Officium genua* [12] *non flectimus. Dominicis quo-*
que diebus & à Domini [13] *Nativitate usque ad octavum diem, à Pascha quoque*
usque ad Pentecosten similiter ad publicum [14] *Officium genua* [15] *non flectimus.*

Decimo-quintò, Theodemarus de Monachi Promissione sic scribit.
Textum quoque Promissionis, quo ordine solebant anteriores [16] *Monachi Regu-* CLI.
lam Sanctam in hoc loco promittere, ecce intra hanc Epistolam in brevi pagine-
la [17] *exaratum* [18] *direximus vobis.* Exemplum hujus formulæ non habet An-
gelus de Nuce, habent Breulius & Haeftenus, eâ tamen differentiâ, quòd
in editione Breuliana loco nominis ponitur litera *N*, & in Haefteniana
vocabulum *ille* secundùm antiquam consuetudinem, quam apud Sanctum

[a] Lib. 19. Etymol. c. 24.
[1] Angel. caput.
[2] Breul. quo vestimento
[3] Haeft. deest penè
[4] Angel. à grossiori
[5] Breul. Melotem
[6] Haeft. pertinentes
[b] Lib. 3. Tract. 3 Disquis. 5. 6.
[7] Breul. opus est ei.
[8] Breul. geminas pelliculas
[9] Angel. infirmos etiam & in culcitris
[10] Haeft. præbemus, concessum est.
[c] Ep. 74. inter Bonifac.
[d] Ep. 89. inter Bonifac.
[11] Breul. usque ad Completorium
[12] Angel. jenua
[13] Breul. deest Domini
[14] Angel. publicum
[15] Angel. jenua
[16] Breul. antiquiores
[17] Haeft. paginula.
[18] Breul. exaratam

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

Gregorium in libro Sacramentorum, apud Marculfum in formulis, & apud alios Auctores observabis. Ætate Theodemari litera *N* loco nominis proprii nondum usurpabatur; postquàm autem in usu cœpit esse, plerumque contigit, ut antiquioribus monumentis insereretur ab iis, quorum manu describebantur. Hæc obiter notamus, quia veteres Chartæ, quibus apponitur hujuscemodi litera, propter amanuensium errorem non semper videntur rejiciendæ. Promissionis autem prædictæ formula talis est. *In Nomine Domini promitto me ego ille, in sacro Monasterio Beati Martyris sive Confessoris illius, secundùm Instituta Beati Benedicti, coram Deo & Sanctis* [19] *Angelis suis, præsente etiam Abbate nostro illo, omnibus diebus meis in hoc sancto* [20] *Monasterio à modò & deinceps perseveraturum, & in omni obedientia, quodcumque mihi præceptum fuerit, obediturum. Ego ille talis* [21] *hanc Promissionem à me factam manu propriâ coram testibus scripsi & roboravi.* Suspecta hæc Promissionis formula, quia non invenitur in Codice Casinensi, multúmque discrepat à Regula Benedictina [a], quæ stabilitatem, conversionem morum, & obedientiam, in tali Promissione sic includit. *Suscipiendus autem in Oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conversione morum suorum, & obedientia, coram Deo & Sanctis ejus.* Ætate Theodemari non aliam existimamus in Benedictinis Monasteriis formulam Promissionis usurpatam fuisse, quàm quæ legitur apud Smaragdum Theodemaro longè recentiorem, & cum Regula Sancti Benedicti proximè citata per omnes partes optimè sic convenit. *Ego ille in hoc Monasterio Sancti illius promitto stabilitatem meam, & conversionem morum meorum, & obedientiam, secundùm Regulam Sancti Benedicti, coram Deo & Sanctis ejus.*

[19] Breul. Sanctis ejus Angelis

[20] Breul. deest Sancto

[21] Breul. deest talis

[a] Cap. 58.

CLII. Decimo-sextò, de Josepho & Optato Monachis apud Angelum de Nuce nonnulla occurrunt, quæ nec apud Breulium nec apud Haeftenum inveniuntur, hic autem distichon Breulio & Angelo de Nuce incognitum subnectit in hunc modum.

Vale salus patriæ, luménque decúsque tuorum,
Maxime regnantum; noster & altus amor.

CLIII. Ex prædictis constat ut Zachariæ, sic & Theodemari literas commentitias esse. Licèt autem hoc nostrum de utraque sit epistola judicium, in dubium minimè vocamus, quin Carolus pro reformatione Monasteriorum diligenter strenuéque laborarit. Erga Monasticum enim Ordinem, quem pristino splendori restituere cupiebat, singulari semper studio fuit, etiam priusquàm Casinense Monasterium adiret. Id non semel jam probatum, nec deerunt argumenta, quæ similem futuris temporibus zelum testentur In Dissertatione de antiqua Ordinis Benedictini per Gallias propagatione, quam Tomo secundo Seculi tertii Benedictini subjectam reperies, capitis secundi titulus is est. *Sub Carolo Magno, Regulam Sancti Benedicti communi usu receptam in Gallia, Concilia per id tempus habita demonstrant.* Dissertator, qui tam acriter stylum in nos acuit, quia Sancti Columbani Regulam à Regula Sancti Benedicti, & utriusque Legislatoris discipulos ac Monasteria distinximus, caput illud operi suo frustrà inseruit, nam *sub Carolo Magno Regulam Sancti Benedicti communi usu receptam in Gallia* numquam negavimus. Sub Meroveadis Regibus & Pippino Caroli Magni patre steterunt in Galliis multa Benedictinæ familiæ Monasteria, hæc, ut & alia ceterorum Ordinum, quoniam Monasticè plurimùm remittebatur, ad antiquos mores veterémque disciplinam revocare conatus est Carolus, rémque quamvis arduam non parum promovit, ut inferiùs pleræque Synodi docebunt, opus autem à patre tam feliciter inchoatum triennio post ejus obitum vix elapso perfecit Ludovicus filius.

CLIV. Caroli Magni Capitulis ad Monachos propriè spectantibus, quorum occasione commentitias cùm Zachariæ Papæ tum Theodemari Casinensis Abbatis literas examinavimus, in Codice Metensi proximè subjiciuntur

alia Capitula de diversis rebus, ideóque Sirmondus utraque ad eundem locum & annum pertinere jam censuit in notis ad Tomum secundum Concilorum Galliæ. Labbeus Tomo septimo postremæ Collectionis Conciliorum à Sirmondo non recessit, ar observavit his Capitulis ea subnecti in manuscripro Codice Palarino, quæ Sirmondus ad annum Redemptoris octingentesimum secundum ex prælaudaro Codice Metensi publicavit. Inde datus quæstioni locus, urrum hoc anno an octingentesimo secundo editum hoc Capitulare, quod partim Ecclesiasticum est, partim Poliricum, atque in Capitula viginti & unum distribuitur. Ex secundo Capitulo, in quo Carolus nec Imperator nec Augustus sed Rex appellatur, ipsum Capitulare non existimamus rejiciendum in annum Redemptoris octingentesimum secundum, Carolus enim Augustus & Imperator priùs est acclamatus. Stamus igitur à Sirmondo, & quale dedir hoc Capitulare, rale damus ad hunc annum Caroli Regis vicesimum-primum, Christi septingentesimum undenonagesimum. *I. Ut Comites pupillorum & orphanorum causas primùm audiant; & in venationem non vadant illo die, quando Placitum debent custodire, nec ad pastum. II. De sacramento fidelitatis, quod nobis & filiis nostris jurare debent, quod his verbis contestari debet. Sic promitto ego ille partibus Domni mei Karoli Regis, & filiorum ejus, quia fidelis sum & ero diebus vitæ meæ, sine fraude vel malo ingenio. III. De Monasteriis minutis, ubi Nonnales sine Regula sedent, volumus ut in uno loco Congregatio fiat Regularis, & Episcopi prævideant, ubi fieri possit, & nulla Abbatissa foras Monasterium exire præsumat sine nostra jussione, nec sibi subditas facere permittat; & earum claustra sint benè firmata, & nullatenus winileodes scribere vel mittere præsumant: & de pallore earum propter sanguinis minuationem. IV. De Codicibus vel Tabulis requirendum; & ut nullus in Psalterio vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortiri præsumat, nec divinationes aliquas observare. V. Ut nullus glorietur per injustitia rationem aut conquirere aliquid aut continere. VI. Ut illa disciplina, quæ propter legem conservandam sunt constituta, propter præmium non dimittantur. VII. Ut audiant Episcopi Baptisterium Presbyterorum, ut secundùm morem Romanum baptizent. VIII. De calceamentis secundùm Romanum usum. IX. Ut in diebus festis vel Dominicis omnes ad Ecclesiam veniant; & non invitent Presbyteros ad domos suas ad Missam faciendam. X. Omnino prohibendum est omnibus ebrietatis malum; & istas conjurationes, quas faciunt per Sanctum Stephanum, aut per nos, aut per filios nostros, prohibemus: & præcipimus ut Episcopi vel Abbates non vadant per casam miscendo. XI. De eo, quòd Missi nostri providere debent, ne fortè aliquis clamor super Episcopum, vel Abbatem, vel Abbatissam, vel Comitem, seu super qualemcumque gradum sit, & nobis renuntiare. XII. De injustis teloneis. XIII. De manu leprosi. XIV. Ut Monachi, & qui in gradu Sacerdotali constituti sunt, ad secularia negotia non transeant. De reliquis tonsuratis detur spatium usque in Synodum nostram. XV. Ut Episcopi, & Abbates, & Abbatissæ cuplas canum non habeant, nec falcones, nec accipitres, nec joculatores. XVI. De pauperibus in plateis vel quadruviis jacentibus, ut ad Ecclesiam veniant, & illorum confessiones donentur. XVII. Ut super altaria teguria fiant, vel laquearia. XVIII. Ut clocca non baptizentur, nec charta per perticas pendeant propter grandinem. XIX. Ut Missi nostri provideant beneficia quomodo sint condirecta, & nobis renuntiare sciant. XX. De leprosis, ut se non intermisceant alii populo. XXI. Et omnino Missis nostris præcipimus, ut bona, quæ aliis per verbum nostrum docent facere, factis in seipsis ostendant.* Huc usque Capitulare.

CAPITULARE ECCLESIASTICUM ET POLITICUM.

Annalista Nazarianus res hoc anno gestas à Carolo sic attingit. *Anno DCCLXXXIX, Carolus Rex unà cum Francis seu ceteris gentibus, in patriam Wilciorum hostiliter perrexit, ipsámque patriam conquisivit, & Regem eorum nomine Dragoidus adprehendit. Et iterum ipsi jam præfato Regi illam patriam commendavit, & reversus est cum pace in Franciam.* Annalista Lau-

CLV. CAROLUS WILSOS SUBIGIT.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

resshamensis hoc negotium fusiùs sic exponit. *Rex in Aquisgrano Palatio suo, ubi hyemaverat, sanctum Pascha* decimo-tertio Kalendas Maii celebravit. *Natio quædam Sclavonorum est in Germania, sedens super littus Oceani, qui propriâ linguâ Weletabi, Francicâ autem Wilsi vocantur. Et Francis semper inimica & vicinos suos, qui Francis vel subjecti vel fœderati erant, odiis insectari, belloque premere ac lacessere solebat. Cujus insolentiam Rex longiùs sibi non ferendam ratus, bello eam aggredi statuit, comparatoque ingenti exercitu Rhenum apud Coloniam trajecit. Inde per Saxoniam iter agens, cùm ad Albiam pervenisset, castris in ripa positis amnem duobus pontibus junxit, quorum unum ex utroque capite vallo munivit, & imposito præsidio firmavit. Ipse fluvio transito, quò constituerat exercitum duxit, ingressusque Wilsorum terram, cuncta ferro & igne vastari jussit. Sed gens illa, quamvis bellicosa, & suâ numerositate confidens, impetum exercitûs Regii diu sustinere non valuit, ac proinde, cùm primùm in civitatem Draganviti ventum est, Wiltzan (nam is ceteris Wilsorum Regulis & nobilitate generis & auctoritate senectutis longè præeminebat) extemplò cum omnibus suis ad Regem de civitate processit, obsides qui imperabantur dedit, fidem se Regi ac Francis servaturum jurejurando promisit. Quem ceteri Sclavorum Primores ac Reguli secuti, omnes se Regis ditioni subdiderunt. Tum ille subacto illo populo, & obsidibus quos dare jusserat acceptis, eâdem viâ, quâ venerat, ad Albiam regressus est, &, exercitu per pontem reducto, rebus quoque ad Saxones pertinentibus secundùm tempus dispositis in Franciam reversus est. Et in Wormacia civitate Natalem Domini celebravit.* Audiendus quoque Eginhardus in vita Caroli. *His motibus*, nempe Bojoaricis, quibus anno priore finis impositus, *ita compositis, Sclavis, qui nostrâ consuetudine Wilsi, propriè verò, hoc est, suâ locusione Welezabi dicuntur, bellum inlatum est, in quo & Saxones velut auxiliares inter ceteras nationes, quæ Regis signa jussa sequebantur, quanquam fictâ & minùs devotâ obedientiâ militabant. Causa belli erat, quod Abodritos, qui cum Francis olim fœderati fuerant, assiduâ incursione lacessebant, nec jussionibus coerceri poterant. Sinus quidam ab Occidentali Oceano Orientem versus porrigitur, longitudinis quidem incomperta, latitudinis verò, quæ nusquam centum millia passuum excedat, cùm in multis locis contractior inveniatur. Hunc multæ circumsedent nationes, Dani siquidem ac Suecones, quos Nordmannos vocamus, & Septentrionale littus, & omnes in eo Insulas tenent. Ad littus Australe Sclavi & Aisti, & alia diversæ incolunt nationes. Inter quos vel præcipui sunt, quibus tunc à Rege bellum inferebatur, Weletabi. Quos ille unâ tantùm, & quam per se gesserat, expeditione ita contudit ac domuit, ut ulteriùs imperata facere minimè renuendum judicarent.*

CLVI. Antiquis hisce Scriptoribus, quos infrà simul conferemus, multùm lucis afferunt duo recentiores, Helmoldus & Krantzius, quorum ille duos de Slavis libros, hic quatuordecim de Wandalis exaravit. Helmoldus libro primo, capite secundo, Wilzos Albim inter & Oderam collocat, atque quatuor in populos ita distinguit, ut Circipanos & Kyzinos cis Panim, Tholenzos & Rederos trans eundem amnem ponat. *Pòst Odoræ* [1] *lenem meatum & varios Pomeranorum populos, ad Occidentalem plagam occurrit Winulorum provincia, eorum qui Tholenzi* [2] *sive Redarii* [3] *dicuntur. Civitas eorum vulgatissima Rethre* [4], *sedes idololatriæ. Templum ibi magnum constructum dæmonibus, quorum princeps est Redegast* [5]. *Simulacrum ejus auro, lectus ostro paratus. Civitas ipsa novem habet portas, undique lacu profundo inclusas. Pons ligneus transitum præbet, per quem tantùm sacrificantibus aut responsa petentibus via conceditur. Deinde venitur ad Circipanos & Kyzinos* [6], *quos à Tholenzis* [7] *& Rederii separat flumen Panis & civitas Dimine* [8]; *Kyzini* [9] *& Circipani cis Panim, Tholenzi* [10] *& Rhedari* [11] *trans Panim habitant. Hi quatuor populi à fortitudine Wilzi sive Lutici* [12] *appellantur.* Eadem prorsus scribit Krantzius libro secundo, capite vicesimo, nominibus propriis paulò aliter

[1] Odera levem
[2] Tolenzi
[3] Retharii
[4] Rethere.
[5] Radegast.
[6] Rissinos.
[7] Tolenzis & Rethrus
[8] Vvineta;
[9] Kissini
[10] Tolenzi
[11] Retheri
[12] Luticii

AN. CH. 789.
CAROLI R. 21.
PIPPINI LUDOV. RR. 9.
CAROLI R. 1.

in[illegible]is, ut ad oram Helmoldi suprà citati notavimus. Et libro tertio, capite secundo, eosdem Wilsos, quos in Orientali Wandalia constituit, in quatuot quoque populos ita dividit. *Factus est magnus motus in Orientali Wandalia populorum inter se civili bello dimicantium. Quatuor autem sunt populi eorum, qui Lutici sive Wilsi dicuntur, quorum Kissinos atque Circiponos citra Panim, Riaduros sive Tolenzos ultra Panim habitasse constat: Riaduti (qui & Retherii) à Metrapoli Rethre denominati.* Helmoldus libro primo, capite secundo, Insulam, *quam incolunt Rani, qui & Rugiani*, positam *contra Wilsos* ait. Ipsissima Helmoldi verba refert Krantzios libro secundo, capite vicesimo-primo. Et capite vicesimo-tertio ejusdem libri, cùm Wilsos à Carolo profligatos enarrat, illios quoque gentis situm obiter sic attingit. *Wilsos autem ad Havelam fluvium habitare, nomine ipso prodit Wilsenocum.* Hanela sive Havela * Marchionatum Brandeburgicum alluit, séque infra Havelbergam * exonerat in dexteram Albis ripam, ad quam infra ipsos confluentes Wilsenacum * in eodem Marchionatu conspicitur. Panis *, ad cujus utramqoe ripam siti qooque Willi, fontem habet æquali fermè spatio distantem ab Odera versûs ortum, & ab Albi versûs occasum, lævámque Oderæ ripam contra Usedomiam * Insulam subit. Apud Helmoldum capite secundo libri primi, *Odoro* sive Odera *vergens in Boream, transit per medios Winulorum populos, dividens Pomeranos à Wilzis*; hodie verò Pomeraniam intersecat dividitque in Orientalem quæ Celsissimo Friderico Wilhelmo Electori Brandeburgico paret, & Occidentalem quæ Serenissimo Carolo Regi Suecorum subjacet. Profligatis igitur Willis Carolos ab Albi Francicas ditiones ad Oderam usque dilatavit. Nec audiendus videtur Reinerus Reineccius Steinhemius in Appendice ad Chronicon Slavorum, ubi agit de communibus Gentium Germanicarum & Henerarum appellationibus, ipsorúmque Wilsorum Sedes ac fines ita describit. *Wilzi & Lutici seu Lutitii, appellatæ hæ quatuor gentes fuere? Tolenzi, Redarii qui & Riaduri, Circipani, Kyzini. Significant autem Wilzi lupinos, fortè à moribus barbaris, seu latrocinandi & prædondi consuetudine. Tolenzos & Redarios alibi Helmoldus pro eodem gente accipit. Videntúrque hi quidem ab urbe Rethra dicti, illi ab omne Tolenso, qui idem & Sedem eorum orgnit. Redarii Stetinensium fines inter Panim & Viadrum* sive Oderam *incoluere. Circipani à Pani fluvio nomen traxerunt: Sedes habuere ad Gripswaldiam, Wolgastum & Sondium*. Kyzini ad Gucegovium * oppidum consedere, & eidem fortè de se nomen reliquere.* Tolensus Demminium * alluit, & in dexteram Panis ripam devolvitur. Sunt hæc omnia loca in hodierna Pomerania Occidentali. Multò latiùs sese diffundebant Wilsi, quos ut Meridiem versûs Havela fluvius, ita mare Suevicum seu Balticum Septemtrionem versûs claudebat, & ut Ortum versûs à Pomeranis Odera, sic Occasum versùs à Saxonibus disterminabat Albis, cujus dexteræ ripæ nunc etiam adsidet Wilsenacum. Atque inde constat veteribus Wilsorum sedibus æquiparari hodie Marchiam Brandeburgicam penè integram cum Occidentali Pomerania & parte Ducatûs Megalopolitani *. Panis seu Panæ fluvii, de quo suprà, meminit etiam Auctor Appendicis ad Chronicon jussu Nibelungi conscriptum, & Carolum Regem hoc anno ad illum usque amnem pervenisse sic asserit. *An.* DCCLXXXIX. *fuit Rex Carlus in Sclovanio, & venerunt ad eum Reges Sclavaniorum Dragitus & filius ejus, & alii Reges, Witsan & Drago cum reliquos Reges Winidorum, & fuit usque ad Pana fluvium, & subdidit has nationes in sua ditione, & reversus est in Franciam.* Suscepti belli causam hanc affert Eginhardus, quòd Wilsi *Abodritos* sive Obotritos, *qui cum Francis olim fœderati fuerant, assiduè incursione lacessebant.* Siti quoque trans Albim Obotriti. *Civitas illorum*, inquit Helmoldus [a], *Mikelinburk*; de qua sic Krantzius [b], *Miklinborg transiit in vicinam Wismariam* *. Ex legibus pacis anno Christi millesimo sexcentesimo duodequinquagesimo apud Monasterium * Westphalorum

* *Le Havel.*
* *Havelberg*
* *Wilsenach.*
* *La Pene.*
* *Usedom.*
* *Stralsund.*
* *Gutzkow.*
* *Demmin.*
* *de Mecklebourg.*
[a] Lib. 1. c. 2.
[b] Lib. 2. Wand. c. 20.
* *Wismar.*
* *Munster en Westphalie*

AN CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

initæ, Wismaria, quæ Ducibus Megalopolitanis anteà parebat, cessit in potestatem Suecorum, quibus Serenissima Christina Regina tunc imperabat. Sedes igitur Obotritorum trans Albim fuerunt in ea Germaniæ parte, quæ Dncatum posteà Megalopolitanum constituit. Actum jam de Obotritis ad annum Christi septingentesimum octogesimum, quo & fœdus cum Francis inire & Christianam fidem amplecti cœperunt.

CLVII. Krantzins [a] bello, quod Carolus hoc anno cum Wilsis gessit, secundùm veterum Annalistarum sententiam enarrato, periodum hanc, quæ spectat ad Religionem, proximè subjungit. *An autem Religionis ab illo in pactis mentio sit habita, Annales non praferunt, nisi quod promptum est perpendere, non tam brevi populum ad Religionem cogi potuisse, recolentibus quantùm temporis atque laboris sit impensum in subigendis ad salutis Sacramenta Saxonibus.* Etsi nullam Religionis mentionem fecerint Annalistæ, qnos hic Auctor consulnit, de Carolo Rege fas est asserere, quòd suâ non tantùm pro se sed etiam pro Christo victoriâ sit nsus, & egregios divini verbi præcones in Wilsorum provinciam statim direxerit. Præcipuæ Vilsorum civitates ab Helmoldo commemorantur *Retbre* & *Dimine* seu *Dimin*, à Krantzio *Rethre* ac *Wineta.* De *Rethre* civitate nominatissima, quæ sedes erat idololatriæ, sic Krantzius [b]. *Rethram in ea terra, qua nunc Stargardia dicitur, ad lacum magnum & locum Rabele fuisse crediderim (quod nomen Starigard Wandalicum appellatrvâ denominatione insinuat) magnam & antiquam civitatem, cui proprium fuerit nomen Rethre.* Duplex hodie commendatur Stargardia *; una procul à Wilsis in hodierna Pomerania ulteriori sive Orientali ad Ihnam fluvium, qui dexteram Oderæ ripam subit; altera quam Krantzius laudat, in Ducatu Megalopolitano, nec procul à Marchia Brandeburgica & à Pomerania citeriori sive Occidentali. Totam Wilsorum regionem cis & ultra Panim sic dividit Helmoldus jam citatus. *Venitur ad Circipanos & Kyzinos, quos à Thalenzis & Rederis separat flumen Panis & civitas Dimine.* Locum illum sic reddit Krantzius [c]: *Venitur ad Circipanos sive Kissinos, quos à Tolenzis & Rethris separat flumen Panis & civitas Wineta.* Helmoldus [d] Hammenburgensis Parochiæ terminos extendit *usque ad flumen Panim & urbem Dimin.* Ad hunc locum Krantzius habet *urbem Demyn*, nec, ut anteà, Winetam reponit. *Extenduntur*, inqnit, *termini* Parrochiæ Hamburgensis *usque ad flumen Panim & urbem Demyn.* Frustrà igitur Winetam hic Auctor [e], vel Archon in Rugia Insula, vel Julinum interpretatur quod hodie Wollinum *, Rugia enim & Wollinum sunt extra Wilsorum limites. Winetæ nomen abrade, restitue *Dimin* aut *Demyn*, hodie *Demmin* ad Tolensum amnem in citeriore sive Occidentali Pomerania.

[a] Lib. 2. Wand. c. 23.
[b] Lib. 2. c. 22.
* Stargart.
[c] Lib 2. Wand. c. 20.
[d] Lib. 1. c. 6.
[e] Lib. 2. Wand. c. 22.
* Wollin.

CLVIII. In textu, quem ex Appendice ad Chronicon jussu Nibelnngi conscriptum citavimus, mnlti Wilsorum Reges nominantur. Præcipuus ibi vocatur *Dragitus*, in Annalibus Nazarianis *Dragoidus*, in Petavianis *Draoscio*, in Canisianis *Dragonitus*, à Poeta Saxonico *Draganvitus*, & à Chronographo Moissiacensi *Tranquitus.* Apnd Annalistam igitur Laureshamensem hæc emendanda periodus, quæ Witzanum cnnctis Wilsorum Regibus sic anteponit. *Gens illa quamvis bellicosa, & suâ numerositate confidens, impetum exercitûs Regii diu sustinere non valuit, ac proinde, cùm primùm in civitatem Draganviti ventum est, Wiltzan (nam is ceteris Wilsorum Regulis & nobilitate generis & auctoritate senectutis longè praeminebat) extemplò cum omnibus suis ad Regem de civitate processit, obsides qui imperabantur dedit, fidem se Regi ac Francis servaturum jurejurando promisit.* Textus facilè sic restitui potest. *Gens illa, quamvis bellicosa, & suâ numerosite confidens, impetum exercitûs Regii diu sustinere non valuit, ac proinde, cùm primùm in civitatem Draganviti ventum est, is (nam ceteris Wilsorum Regulis & nobilitate generis & auctoritate senectutis longè praeminebat) extemplò* &c. Obodritorum enim, quos in fœdere cum Carolo contra Wilsos fuisse diximus, Princeps erat Witzan.

Intet

Inter Sclavos, qui steterunt à partibus Caroli, numerantur in Annalibus Loiselianis & Bertinianis, *Abotriti, quorum Princeps fuit Wizzan*; apud incertum Auctorem in vita Caroli, *Abotrii, quorum Princeps fuit Wizan*; apud Monachum Egolismensem in eadem vita, *Abotri, quorum Dux fuit Witzan*; in Annalibus Fuldensibus, *Abodriti, quorum Princeps erat Witzan*; in Annalibus Metensibus, *Abotrudi, quorum Princeps vocabatur Witzan*; denique apud Poetam Saxonicum [a] hic legitur Versus,

Rex Abodritorum fuit is, cognomine Witzan.

Inter Sclavos, qui contra Wilsos pro Carolo militarunt, recensentur in Annalibus Loiselianis & Bertinianis Suburbi. *Fuerunt etiam Sclavi cum eo, quorum vocabula sunt hac, Suburbi, necnon & Abotriti, quorum Princeps fuit Wizzan.* Quos autem Annalistæ Loiselianus & Bertinianus Suburbos, hos incertus Auctor & Monachus Egolismensis in vita Caroli Suurbos, Annalista Metensis Survos, Fuldensis Sorabos appellat. Siti erant ad Albim hi populi. Cursum enim istius amnis ita describit Helmoldus [b]. *Albia, sive Albis, in occasum ruens, primo impetu Boemos alluit cum Sorabis, medio cursu Slavos dirimit à Saxonibus, novissimo Hammenburgensem dividens Parochiam à Bremensi, victor Oceanum ingreditur Britannicum.* Inde liquet Sorabos inter & Abotritos magnam fuisse terrarum intercapedinem, nec eundem utrique populo præfuisse Principem, idcóque Wizzanum solorum Abotritorum Principem à nobis rectè nuncupati. CLIX.

In exercitu Caroli, quinque, seu subditi, seu fœderati, pugnabant populi, Franci, Saxones, Frisiones, Sorabi, & Abotriti, de quibus sic Annalista Loiselianus. *Fuerunt cum eo in eodem exercitu Franci & Saxones. Frisiones autem navigio per Labola fluvium cum quibusdam Francis ad eum conjunxerunt. Fuerunt etiam Sclavi cum eo, quorum vocabula sunt hac, Suburbi, necnon & Abotriti, quorum Princeps fuit Wizzan.* Eadem fermè repetuntur in Annalibus Bertinianis ac Metensibus, & in vita Caroli. Fuldensis autem Annalista breviori sic usus est stylo. *Carlus venit ad Albim fluvium, habens in exercitu suo Francos, Saxones, Sorobos, & Abodritos, quorum Princeps erat Witzan, Fresones quoque per Abola fluvium navigio venientes.* De Francis atque Saxonibus nihil hic peculariter dicendum occurrit. Actum suprà de Sorabis & Abodritis. Frisii Francicis dudum ditionibus accesserant, Saxones inter & Oceanum erant siti; fluvius, per quem deportati sunt ad castra Caroli, *Abola* vocatur in Annalibus Fuldensibus, *Labola* in vita Caroli per Monachum Egolismensem, *Albola* in Annalibus Metensibus & in vita Caroli per incertum Auctorem; nec alius nobis videtur ab Allera * qui dexteræ Wisurgis ripæ commiscetur. Ubbo Emmius [c] homo Frisius ad utramque Albis ripam in præsidio relictos à Carolo scribit Frisios, qui pontes huic à se fluvio impositos ab hostium injuria incolumes tuerentur, at hic Auctor id gratis ad suæ gentis commendationem profert, cùm nihil in antiquis Scriptoribus suprà citatis tale reperiatur. CLX.

Ut de Wilsis Carolus, ita Pippinus ejus filius, quem Regni Longobardici consortem jam fecerat, triumphavit de Græcis quibuscum simultas orta non levis, quia Constantinus Imperator sub anni prioris exitum uxorem sibi sociarat spretâ Rotrude Caroli filiâ. Pippinus Istriam & Liburniam Francicis ditionibus adjecit. Istriam sub Francorum potestatem venisse constat cùm ex Eginhardo in vita Caroli, tum ex literis ad Hispaniarum Episcopos adversus Elipandum Toletanæ Sedis Archiepiscopum, quas anno Christi septingentesimo nonagesimo-quatto scripserunt, qui Concilio Francofurtensi tunc intererant Istriæ Præsules. Francis Liburniam quoque paruisse liquet, cùm ex eodem Eginhardo, tum ex supplicio quod anno Christi octingentesimo Carolus de Tarsaticensibus in Liburnia sumpsit. CLXI. PIPPINUS GRÆCIS ADIMIT ISTRIAM ET LIBURNIAM.

Istria distribuebatur in sex Episcopatus, quorum urbes primariæ, Tergestum *, Justinopolis, Æmonia, Parentium, Petinum, & Pola. Inter CLXII.

[a] Lib. 5. ad an. 791.

[b] Lib. 1. c. 2.

* Alre.

[c] Lib. 4. rer. Frisic.

* Trieste.

AN CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

Istriam & Dalmatiam media erat Liburnia, regio perparva, quam Joannes Lucius [a] partem Occidentalis Dalmatiæ facit. Ut Dalmatiæ sic & Liburniæ varii præscribuntur termini. Jaderam, quam hodie Zaram vocant, alii ponunt in Dalmatia, alii caput Liburniæ constituunt. Pippinus nec hanc civitatem, nec ullum in Liburnia locum, ubi Sedes esset Episcopalis, Imperio Græcorum eripuit, quantùm ex antiquis monumentis colligere potuimus, ideóque pauca tantùm de singulis Episcopatibus Istriæ subjiciemus ex Ughello [b].

CLXIII. Toto octavo seculo mutilus est Tergestinorum Episcoporum Catalogus.

CLXIV. Iustinopolis * in Insula Ægide seu Capraria ex concessu Justini Imperatoris, cujus nomen accepit, condita fuit, Episcopum tamen non habuit ante Joannem, quem anno Christi septingentesimo quinquagesimo-sexto Vitellianus Gradensis Patriarcha consecravit. Utrùm ad ea pervenerit tempora, quibus Istria Francicis ditionibus accessit, haud scimus. De successoribus ad medium usque duodecimum seculum nihil occurrit.

CLXV. Æmonia sive Oemonia; è cujus ruinis crevit Civitas * nova, unde dicti Episcopi Civitatis novæ, quos olim Episcopos Oemonenses cognominavit; at eorum, qui vixerunt octavo seculo, memoria penitus interiit.

CLXVI. In Parentinorum * Episcoporum Catalogo, post Aurelium, qui Concilium Romanum anno Christi sexcentesimo octogesimo suâ subscriptione sub Agathone Papa communivit, ponuntur absque Charactere Chronologico, solísque nominibus noti, Laurentius, Julianus, Dominicus, Antonius, Pasinus, Flandenanus vel Flandemanns, Eripertus, & Andreas, deinde Adamus, cujus nomen legitur ad annos sexagesimum-primum & octogesimum-tertium seculi decimi. Videntur nomina desiderari, quia vix quisquam sibi persuadeat decem duntaxat Episcopos per annos trecentos & ampliùs sedisse. Si tamen annos in Episcopatu triginta cuique tribuendos obstinatè contendis, Parentinus Episcopus erat Dominicus, cùm in Francorum potestatem venit Istria.

CLXVII. Stabat tunc Petinum * seu Pucinum, unde dicti Petinenses ac Pucinenses Episcopi, quorum Index ætate Caroli Magni mutilus est.

CLXVIII. Haud uberior Polensium * Episcoporum Catalogus. Atque hæc nunc sufficiant de Istria, quæ ut à Græcorum Imperio ad Regnum Francorum, sic & à Gradensi Patriarchatu ad Foro-Juliensem transiit, simúlque cum Liburnia fuit deinceps unita Ducatui Foro-Juliensi.

CLXIX. CAROLUS JUNIOR A PATRE REX NEUSTRASIÆ CONSTITUITUR.

In Chronico San-Dionysiano bellum, quod hoc anno contra Wilsos à Carolo gestum diximus, ita perstringitur. DCCLXXXIX. *Carlus bellavit contra Walzis in Wenedonia.* Tum de filio ejus æquivoco id proximè subjicitur. *Carlus filius ejus Regnum accepit ultra Segona.* Hic igitur annus ut Pippini Regis in Italia & Ludovici Regis in Aquitania nonus, sic & Caroli Junioris Regis in Neustrasia primus numerari debet. Supererat alter Pippinus, horum frater natu maximus, cui procul dubio Carolus pater Austrasiam reservabat latissimo modo sumptam, id est, Transrhenanas Francici Regni provincias cum illa Galliarum parte quæ Regibus Austrasiæ quondam paruerat.

CLXX. LITERÆ HADRIANI PP. AD CAROLUM R.

Hoc eodem anno, Adrianus Papa Carolo Regi scripsit epistolam, quæ in Codice Carolino legitur octogesima-quinta, variósque dividitur in articulos, de quibus hîc sigillatim.

CLXXI. Primò, Adrianus Carolum laudat ob zelum erga Sedem Apostolicam, mutuámque erga Regem amicitiam pollicetur. Hoc literarum initium in Codice Carolino frequentissimum. Videtur autem præmissum ab Adriano, quia pravi non deerant homines, qui simultates Regem inter ac Pontificem falsis sermonibus serere conabantur. Idque ex ipsis Adriani verbis liquidò paret. *Quæsumus*, inquit, *vestram Regalem Excellentiam, ut nullatenus subdolo & homini mendaci, sicut fertis, præbeatis assensum, qui se adversùs nos*

[a] Lib. 1. de Regn. Dalmat. c. 15.
[b] Tom. 5.

* Capo d'Istria.
* Citta nova.
* de Parenzo.
* Padina.
* de Pola.

mentiens inventus fuerit, nostris Apostolicis obtutibus, unà cum Misso vestro dirigere dignemini, & si mendax apparuerit, secundùm sua perversa merita, puniatur, sicut polliciti estis claviculario Regni cœlorum beato Petro. Itaque persistere dignemini, quia nostra promissio immutilata atque inconcussa sine quolibet manebit dolo. AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

Secundò, Adrianus adversùs Episcopos Longobardiæ, finibus suarum Parochiarum haud contentos, & alienis inhiantes, ita scribit. *Illud autem quod fertis in nostris apicibus reperisse, quòd Diœceses Langobardorum Episcopi alter alterius invadentes ac illiciter tenentes in pristino permanerent errore, omnino, sicut vobis placabile est, secundùm Canonum instituta emendare conamur, quia alterius arripere anhelantes Parochias in perjurii reatum incurrunt, Langobardorum Regum terminos atque censuram servantes procul ab observatione Canonum in eorum transgressionem labentes, & jurgia atque discerdias gignentes in molem incidunt errorum. Idcircò Apostolicâ prævidimus auctoritate, ut, sicut canonicè in Decretis eorum consistunt, &, quando à nobis ordinantur, olitana consuetudo proclamatur, Clerus & plebs consistens Ecclesiæ civitatis illius elegerunt sibi Episcopum illum, sic Parochiam ejusdem civitatis præ manibus teneat. Et, si in eorum Decretis atque nostra Apostolica ordinationis scriptis canonicè promitur atque statuitur, cur non in ejusdem civitatis territorio, ubi ordinatus est, habeat in integro Parochiam suam? Sed qui terminos antiquorum Patrum transgredientes suam conantur immoderationem atque imperitam adimplere voluntatem, judicium sibi Canonum committunt.* CLXXII

Tertiò, filiam Ermenaldi, *quæ, veste mutatâ, iterum post tergum reversa, illicitum sortita est matrimonium*, & Romam, ut *canonicè* judicaretur, directa est teste Carolo in suis literis, Adrianus asserit à se *prorsus minimè* visam. CLXXIII.

Quartò, adversùs consecrationis vitium, quòd Pontifex *in partibus Italiæ & Tusciæ per hæresim Simoniacam* fieri non diffitetur, quódque Carolus in Ecclesia Ravennate committi quoque dicit, insurgit idem Adrianus, & quomodò ipse ad Episcoporum ordinationem procedat, sic exponit. *Nos cum subscriptione Decreti, à cuncto populo roborati, electum suscipientes, & ne videatur viduata morari Ecclesia à proprio Rectore, sicut Canonum instituta censuerunt, ipsum deducentes electum, enucleatiùs eum de singulis indagantes capitulis, singillatim Orthodoxæ fidei atque divinorum voluminum interrogamus an habeat peritiam, & postquàm nobis fidelem responsionem edixerit, & à ceteris olitanis capitulis, quæ à Sacerdotibus cavenda sunt, mundum se esse perhibuerit, maximè hæresi Simoniaca, obtestantes sciscitamur, videlicet aliquam promissionem cuiquam aut dationem fecerit, quia Simoniacum & contra Canones est. Et, dum coram omnibus à nobis interrogatur, respondit. Absit. Et nos dicimus. Tu videris, &, si conscii sunt, capiti eorum respiciat periculum. Unde simili modo sub jusjurando in scriptis respondent, nunquam se aliquid accepturos de manus impositione.* CLXXIV.

Quintò, Adrianus Carolum rogat, ut nullum Ravennatem aut Pentapolitanum in conspectum admittat absque literis Pontificiis, quemadmodum ipse Pontifex neminem è Regia ditione absque Regiis literis admissurus est, sic enim fore videtur, ut uterque populus Domino suo morem gerere non recuset. *Sicut vestri homines*, inquit, *sine vestra absolutione ad limina Apostolorum neque ad nos conjungunt, ita & nostri homines, qui ad vos venire cupiunt, cum nostra absolutione & epistola veniant, quia sicut nos semper vestros homines suscipientes communemus, ut in vera fide atque puritate cordis, totis eorum viribus in vestro maneant servitio, ita & vos simili modo, quicumque ex nostris hominibus ad vos venerint, eos omnino obtestari atque commonere, vestram Regalem prudentiam quæsumus; ut sicut genitor vester sanctæ recordationis Domnus Pippinus, Magnus Rex, eos beato Petro ejúsque Vicario concessit, & demùm Excellentia confirmavit, sic ammonere atque obtestari videamini, ut nullo modo audeant se in superbiam elationis efferre, quando ad vos properave-* CLXXV.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

runt, sed potiùs subjecti atque humiles in servitio beati Petri & nostra praeceptionis maneant subjecti, & hortamini eos, quia omnino in servitio & ditione beati Petri Apostoli usque in finem seculi permanebimus, qui si tales non reperti fuerunt, à vestra Excellentia simúlque à vobis maneant correpti.

CLXXVI. ADELERICI PERFIDIA ET RESIPISCENTIA.

Ad hunc annum referri debent, quæ de Chorsone Duce Tolosano déque Adelerico Vascone narrantur in vita Ludovici Pii. *Chorsò Dux Tholosanus dolo cujusdam Vasconis, Adelerici nomine, circumventus est, & sacramentorum vinculis obstrictus, sicque demùm ab eo absolutus. Sed hujus navi ulciscendi gratiâ, Rex Ludowicus & Proceres, quorum consilio res publica Aquitanici Regni administrabatur, Conventum generalem constituerunt in loco Septimania, cujus vocabulum est Mors-Gothorum. Accitus autem idem Vasco, conscius facti sui, venire distulit, donec obsidum interpositione fretus, tandem occurrit. Sed eorumdem obsidum periculo nihil possus, insuper muneribus donatus, nostros reddidit, suos recepit, & ita recessit.* Proximâ æstate, ut anno sequenti probabimus, Ludovicus Wormaciam perrexit. Atque ex hac observatione corrigendæ sunt marginales ad ejusdem Ludovici vitam notæ, quæ res illas biennio prævortunt.

CLXXVII. EPISCOPI REGIENSES IN INSUBRIA.

Apollinaris apud Regium Lepidi Episcopus, si vulgato Ughello fides est, obiit *anno 786*, sed error in notas Chronologicas videtur irrepsisse, Charactere 9 transverso scriptus reperitur annus 786, cùm scribi debuerit 789. Nævus, quo textus Ughelli laborat, faciliùs commodiúsque tolli nequit, superstes enim in vivis erat Apollinaris anno Christi 787, cùm Carolus Româ reversus est in Galliam. Successit in Episcopatum Adelmus, de quo recurret sermo.

CLXXVIII.

Fuit hic annus præditus literâ Dominicali D, quæ Kalendis Novembris & sexto Idus ejusdem mensis in Kalendario præfigitur. Inde colligimus hoc anno Bremensem Ecclesiam Kalendis Novembris à Willehado Episcopo dedicatam esse, & sexto proximas Idus eundem Willehadum feliciter in cælum migrasse. Sic enim Anscharius in illius vita scribit. *Perceptâ consecratione Pontificali,* de qua locuti sumus ante biennium, *cœpit in omnibus etiam devotius se agere, & virtutum studia, qua priùs exercuerat, multipliciùs augmentando cumulare. Namque à primævis temporibus magna vir iste fuit continentia. Vinum & siceram, ac omne, unde inebriari potest, non bibit. Esca autem ejus erat, panis & mel, olera & poma. Namque ab esu carnium, à lacte & piscibus temperabat, nisi quòd memoratus Apostolicus Hadrianus ei jam in novissimo propter valitudines, quas in corpore tolerabat frequentes, quò piscem comederet præcepit. Cujus auctoritati ipse obtemperans, paullulum indulgentiùs in hac parte agere cœpit. Prætereà nullus ferè dies transiit, quo non sacra Missarum sollemnia cum magno fletu ac contritione cordis celebraret. Intentus erat jugiter lectioni atque meditationi. sancta doctrina, psalmodia quoque pariter studiosissimè invigilans, ita ut penè quotidie Psalterium, aliquando etiam duo vel trio decantaret. His itaque & aliis bonorum operum exercitiis vir Dei suffultus, magnam populis in suimet ostentatione gratiam Domini prætendebat; sícque doctrina ejus duplici præfulgebat oraculo, dum quod prædicabat ore, confirmabat exemplo. Pertransivit itaque in circuitu sua Diœcesis vir iste beatus, confirmans populum Christianum, qui olim baptizatus fuerat, & prædicationis verbo multorum ad viam salutis errantium corda compungens. Ædificavit quoque domum Dei mira pulchritudinis, in loco qui dicitur Brema, ubi & Sedem esse constituit Episcopalem, ac dedicavit eam Kalendis Novembris, die Dominico, in honorem Domini nostri Jesu Christi sub invocatione Sancti Petri Apostoli. Post hac verò, cùm studio pia intentionis cunctam in circuitu perlustraret Parochiam, ac docens ea qua Dei sunt plurimos in fide corroboraret, perveniens ad locum qui dicitur Pleccateshem, ibíque consistens gravi cœpit corporis febre vexari, & de die in diem languor crescebat fortissimus, ita ut cum eo positi discipuli illius de vita ejus ulteriore jam desperare cœpissent. Quorum unus, qui beato viro fortè*

WILLEHADUS EP. BREMENS. VIRTUTIBUS CLARET.

DICAT ECCLESIAM BREMENSEM.

familiariùs loqui solebat, nomine Egisriki, accedens ad eum, quasi de obitu ejus
trepidatione metuerent, ei lacrymabiliter ac questuosè innotuit, intentans etiam
plebis commissæ destitutionem admodùm periculosam, quæ sub Pastoris regimine
tunc tandem divino cultui parere videbantur. Noli, inquit, venerande Sacer-
dos, quos nuper Domino adquisisti, tam citò deserere; noli populum vel Clerum
tuo studio aggregatum tam maturè relinquere, ne grex adhuc in fide tenellus,
luporum pateat morsibus devorandus; noli nos humiles clientulos tua Sanctita-
tis defraudare præsentiâ, ne videamur sicut oves non habentes Pastorem errabun-
di vagari. Cui beatus vir in hac compunctus verba respondit. Noli, fili mi, me
à Domini mei diutiùs avocare conspectu; noli mihi temporalis molestiam vitæ
questuosis depromere vocibus; nec hic longiùs vivere appeto, nec mori perti-
mesco; tantùm Deum meum, quem toto corde semper dilexi, cui totâ intentione
servivi, precari volo, ut mercedem bonæ remunerationis, qualem ipsi placuerit,
mihi pro laboribus meis clemens ac propitius conferre dignetur. Oves autem,
quas mihi credidit, ipsi tuendas committo, quia & ipse, si quid boni facere po-
tui, illius potiùs virtute peregi. Non deerit ejus clementia, cujus misericordiâ
omnis plena est terra. Piâ ergo devotione vir Domini cælo semper intentus, & ora- OBIT.
tionis suæ ad Deum jugiter vota præmittens, sexto Idus Novembris, die Domi-
nico, post Solis ortum, Confessor Domini pretiosus in Christi requievit nomine.
Cujus ad exequias plebs undique devota accurrens, Patrem ac Doctorem beatis-
simum laudibus & hymnis ad Sedem devehunt Bremensem, ibique eum in Basi-
lica nova, quam ipse ædificaverat, cum honore & reverentia condigna sepulturæ
tradiderunt, id est, in Ecclesia Sancti Petri quam nuperrimè dedicarat.
Corpus ejus, ait Adamus [a], *Bremam deportatum in Basilica Sancti Petri, quam* [a] Lib. 1. c. 11.
ipse ædificavit, sepultum est. Locum, ubi Willehadus expiravit, idem Auc-
tor sic designat. *Obiit senex & plenus dierum in Fresia, in villa Pleccazze,*
quæ sita est in Rustris. Actum de Rustris anno superiore, cùm sermo de
finibus Bremensis Episcopatûs fieret.

Mansit in Episcopatu Beatus Willehadus electus Domini Pontifex annis CLXXIX.
duobus, mensibus tribus, diebus XXVI. Hæc Anscharius, cui sic Ada-
mus suffragatur. *Sedit Dominus & Pater noster Willehadus post ordinationem*
suam annos duos, menses tres, dies XXVI. Ab hac Chronologia non reces-
simus. Willehadum enim, cujus obitus sexto Idus Novembris, die Do-
minico, anno Christi septingentesimo undenonagesimo consignatur, tertio
Idus Julias anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo Episcopum
ordinatum diximus, & apud Adamum, *transitus ejus celebratur festivis gau-*
diis, VI *Idus Novembris; ordinatio*, III *Idus Julii.* Eget hic Auctor inter-
pretatione, cùm de eodem Willehado scribit, quòd *prædicavit tam Fre-*
sis quàm Saxonibus post martyrium Sancti Bonifacii, annos triginta-quin-
que. Superstes quidem Sancto Bonifacio vixit Sanctus Willehadus annos
triginta-quinque incompletos, & post Sancti Bonifacii Martyrium tam
Frisios quàm Saxones erudivit; at annis haud paucis ab illo Martyrio jam
elapsis è Nordanhumbria seriùs in Frisiam transfretavit, ut initio hujus SUCCEDIT
Tomi probatum est. Successit in Episcopatum Bremensem Willericus, WILLERICUS.
cujus quoque meminit Anscharius.

In Annalibus Silvanectensibus hoc anno ponitur obitus Adelberti Silva- CLXXX.
nectensis Episcopi, cui subrogatur Reginaldus. EPISCOPI

Obiit & hoc anno, Nonis Julii, Cymbertus sive Alimbertus Fabariensis SILVANECT.
Abbas. Successit in administrationem Monasterii Richardus. Hæc docet Bu- CLXXXI.
celinus parte secundâ Germaniæ Sacræ, confirmátque in Chronologia ABBATES
Rhætiæ sacra & prophana. FABARIENSES.

Apud Gewoldum in Abbatum Weltenburgensium Catalogo, Dedalri-
cus post Wigmandum hoc anno commemoratur. Et apud Hundium Wolf- CLXXXII.
bertus Altachii Inferioris Abbas in vivis superstes manet hoc eodem anno WELTENBURG. ALTAICH.
Thassilonis Ducis quadragesimo-secundo.

AN. CH. 789. Caroli R. 21. Pippini Ludov. RR. 9. Caroli R. 1.

runt, sed potiùs subjecti atque humiles in servitio beati Petri & nostra praceptionis maneant subjecti, & hortamini eos, quia omnino in servitio & ditione beati Petri Apostoli usque in finem seculi permanebimus, qui si tales non reperti fuerunt, à vestra Excellentia simúlque à vobis maneant correpti.

CLXXVI. Adelerici perfidia et resipiscentia.

Ad hunc annum referri debent, quæ de Chorsone Duce Tolosano déque Adelerico Vascone narrantur in vita Ludovici Pii. *Chorso Dux Tholosanus dolo cujusdam Vasconis, Adelerici nomine, circumventus est, & sacramentorum vinculis obstrictus, sícque demùm ab eo absolutus. Sed hujus nævi ulciscendi gratiâ, Rex Ludowicus & Proceres, quorum consilio res publica Aquitanici Regni administrabatur, Conventum generalem constituerunt in loco Septimania, cujus vocabulum est Mors-Gothorum. Accitus autem idem Vasco, conscius facti sui, venire distulit, donec obsidum interpositione fretus, tandem occurrit. Sed eorumdem obsidum periculo nihil passus, insuper muneribus donatus, nostros reddidit, suos recepit, & ita recessit.* Proximâ æstate, ut anno sequenti probabimus, Ludovicus Wormaciam perrexit. Atque ex hac observatione corrigendæ sunt marginales ad ejusdem Ludovici vitam notæ, quæ res illas biennio prævortunt.

CLXXVII. Episcopi Regienses in Insubria.

Apollinaris apud Regiom Lepidi Episcopus, si vulgato Ughello fides est, obiit *anno 786*, sed error in notas Chronologicas videtur irrepsisse, Charactere 9 transverso scriptus reperitur annus 786, cùm scribi debuerit 789. Nævus, quo textus Ughelli laborat, faciliùs commodiúsque tolli nequit, superstes enim in vivis erat Apollinaris anno Christi 787, cùm Carolus Româ reversus est in Galliam. Successit in Episcopatum Adelmus, de quo recurret sermo.

CLXXVIII. Willehadus Ep. Bremens. virtutibus clarat.

Fuit hic annus præditus literâ Dominicali D, quæ Kalendis Novembris & sexto Idus ejusdem mensis in Kalendario præfigitur. Inde colligimus hoc anno Bremensem Ecclesiam Kalendis Novembris à Willehado Episcopo dedicatam esse, & sexto proximas Idus eundem Willehadum feliciter in cælum migrasse. Sic enim Anscharius in illius vita scribit. *Perceptâ consecratione Pontificali*, de qua locuti sumus ante biennium, *cæpit in omnibus etiam devotus se agere, & virtutum studia, qua priùs exercuerat, multipliciùs augmentando cumulare. Namque à primævis temporibus magna vir iste fuit continentia. Vinum & siceram, ac omne, unde inebriari potest, non bibit. Esca autem ejus erat, panis & mel, olera & poma. Namque ab esu carnium, à lacte & piscibus temperabat, nisi quòd memoratus Apostolicus Hadrianus ei jam in novissimo propter valitudines, quas in corpore tolerabat frequentes, quò piscem comederet pracepit. Cujus auctoritati ipse obtemperans, paullulum indulgentiùs in hac parte agere cæpit. Praterea nullus ferè dies transiit, quo non sacra Missarum sollemnia cum magno fletu ac contritione cordis celebraret. Intentus erat jugiter lectioni atque meditationi sancta doctrina, psalmodia quoque pariter studiosissimè invigilans, ita ut penè quotidie Psalterium, aliquando etiam duo vel tria decantaret. His itaque & aliis bonorum operum exercitiis vir Dei suffultus, magnam populis in suimet ostentatione gratiam Domini pratendebat; sícque doctrina ejus duplici prafulgebat oraculo, dum quod pradicabat ore, confirmabat exemplo. Pertransivit itaque in circuitu sua Diœcesis vir iste beatus, confirmans populum Christianum, qui olim baptizatus fuerat, & pradicationis verbo multorum ad viam salutis errantium corda compungens.*

Dicat Ecclesiam Bremensem.

Ædificavit quoque domum Dei mira pulchritudinis, in loco qui dicitur Brema, ubi & Sedem esse constituit Episcopalem, ac dedicavit eam Kalendis Novembris, die Dominico, in honorem Domini nostri Jesu Christi sub invocatione Sancti Petri Apostoli. Post hac verò, cùm studio pia intentionis cunctam in circuitu perlustraret Parochiam, ac docens ea qua Dei sunt plurimos in fide corroboraret, pervenit ad locum qui dicitur Pleccatesbem, ibique consistens gravi cæpit corporis febre vexari, & de die in diem languor crescebat fortissimus, ita ut cum eo positi discipuli illius de vita ejus ulteriore jam desperare cæpissent. Quorum unus, qui beato viro fortè

familiarius loqui solebat, nomine Egisriki, accedens ad eum, quasi de obitu ejus trepidatione metuerent, ei lacrymabiliter ac quæstuosè innotuit, intentens etiam plebis commissæ destitutionem admodùm periculosam, quæ sub Pastoris regimine tunc tandem divino cultui parere videbentur. Noli, inquit, venerande Sacerdos, quos nuper Domino adquisisti, tam citò deserere; noli populum vel Clerum tuo studio aggregatum tam meturè relinquere, ne grex adhuc in fide tenellus, luporum pateat morsibus devorandus; noli nos humiles clientulos tua Sanctitatis defraudare præsentiâ, ne videamur sicut oves non habentes Pastorem errabundi vagari. Cui beatus vir in hac compunctus verba respondit. Noli, fili mi, me è Domini mei diutiùs avocare conspectu; noli mihi temporalis molestiam vitæ quæstuosis depromere vocibus; nec hic longiùs vivere appeto, nec mori pertimesco; tantùm Deum meum, quem toto corde semper dilexi, cui totâ intentione servivi, precari volo, ut mercedem bonæ remunerationis, qualem ipsi placuerit, mihi pro laboribus meis clemens ac propitius conferre dignetur. Oves autem, quas mihi credidit, ipsi tuendas committo, quia & ipse, si quid boni facere potui, illius potiùs virtute peregi. Non deerit ejus clementia, cujus misericordiâ omnis plena est terra. Piâ ergo devotione vir Domini cælo semper intentus, & orationis suæ ad Deum jugiter vota præmittens, sexto Idus Novembris, die Dominico, post Solis ortum, Confessor Domini pretiosus in Christi requievit nomine. Cujus ad exequias plebs undique devota accurrens, Patrem ac Doctorem beatissimum laudibus & hymnis ad Sedem devehunt Bremensem, ibique eum in Basilica nova, quam ipse ædificaverat, cum honore & reverentia condigna sepulturæ tradiderunt, id est, in Ecclesia Sancti Petri quam nupertimè dedicarat. *Corpus ejus*, ait Adamus [a], *Bremam deportatum in Basilica Sancti Petri, quam ipse ædificavit, sepultum est.* Locum, ubi Willehadus expiravit, idem Auctor designat. *Obiit senex & plenus dierum in Fresia, in villa Pleccatze, quæ sita est in Rustris.* Actum de Rustris anno superiore, cùm sermo de finibus Bremensis Episcopatûs fieret.

Mansit in Episcopatu Beatus Willehadus electus Domini Pontifex annis duobus, mensibus tribus, diebus XXVI. Hæc Anscharius, cui sic Adamus suffragatur. *Sedit Dominus & Pater noster Willehadus post ordinationem suam annos duos, menses tres, dies* XXVI. Ab hac Chronologia non recessimus. Willehadum enim, cujus obitus sexto Idus Novembris, die Dominico, anno Christi septingentesimo undenonagesimo consignatur, tertio Idus Julias anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo Episcopum ordinatum diximus, & apud Adamum, *transitus ejus celebretur festivis gaudiis*, VI *Idus Novembris; ordinatio*, III *Idus Julii.* Eget hic Auctor interpretatione, cùm de eodem Willehado scribit, quòd *prædicavit tam Fresis quàm Saxonibus post martyrium Sancti Bonifacii, annos triginta-quinque.* Superstes quidem Sancto Bonifacio vixit Sanctus Willehadus annos triginta-quinque incompletos; & post Sancti Bonifacii Martyrium tam Frisios quàm Saxones erudivit; at annis haud paucis ab illo Martyrio jam elapsis è Nordanhumbria seriùs in Frisiam transfretavit, ut initio hujus Tomi probatum est. Successit in Episcopatum Bremensem Willericus, cujus quoque meminit Anscharius.

In Annalibus Silvanectensibus hoc anno ponitur obitus Adelberti Silvanectensis Episcopi, cui subrogatur Reginaldus.

Obiit & hoc anno, Nonis Julii, Cymbertus sive Alimbertus Fabariensis Abbas. Successit in administrationem Monasterii Richardus. Hæc docet Bucelinus parte secundâ Germaniæ Sacræ, confirmátque in Chronologia Rhætiæ sacra & prophana.

Apud Gewoldum in Abbatum Weltenburgensium Catalogo, Dedalricus post Wigmandum hoc anno commemoratur. Et apud Hundium Wolfbertus Altachii Inferiotis Abbas in vivis superstes manet hoc eodem anno Thassilonis Ducis quadragesimo-secundo.

Margin: AN. CH 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1. — OBIT. — [a] Lib. 1. c. 11. — CLXXIX. — SUCCEDIT WILLERICUS. — CLXXX. EPISCOPI SILVANECT. — CLXXXI. ABBATES FABARIENSES. — CLXXXII. WELTENBURG. ALTAICH.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1. CLXXXIII.

Ferdinandus Ughellus [a] Petri Mediolanensis Archiepiscopi Diploma pro Monasterio Ambrosiano, sibi à Cosmo Rainonio ejusdem Cœnobii Abbate Bernardinæque Congregationis in Italia Præside communicatum sic publicavit. *Petrus, per Dei gratiam, Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Monasterio, quod Deo jubente * instituimus juxta Ecclesiam Sancti Confessoris Ambroxii, in ejus honore & Sanctorum Martyrum Prataxii & Gervaxii, ubi eorum sacra corpora venerabiliter requiescunt condita, seu Benedicto Abbati, successoribúsque ejus, cunctáque cœtui ipsius in perpetuum. Cunctis adire volentibus ad consortia supernorum civium Omnipotens Dominus suis fidelibus itinera propitius pandit, intérque illud statuit sequi solidum iter, quod nullis curvatur vitiorum flexibus, neque spinarum sepitur cupidine, sed directum, fulgidum, ad caleste prominet Regnum. Per hoc quisque graditur, qui sacram Cœnobialem eligit vitam, qui jam mundo moritur, & Deo vivere delectatur. Ob hoc etenim ego, qui suprà, Petrus, Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscapus, tam pro Regum nostrorum felicitate, & totius ipsorum populi sospitate, quàm & pro statu Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, animaque mea salute, juxta. . . . . * Sanctorum prædictorum Martyrum, Protaxii & Gervaxii seu Confessoris Christi Ambroxii, Cœnobium instituere commodum existimavi, quia eorum suffragati meritis, ab adversis tuemur, & regimur. Dignum est, ante veneranda ipsorum corpora laus Regi æthereo sedulò decantetur à Monachis ibidem constitutis, & ne aliquo impulsu penuria ipsa sacra Collegio * stimulata gravetur, cui, Deo miserante, Abbatem instituimus Benedictum Presbyterum, concedimus sibi suísque successoribus, qui pro tempore fuerint, nunc & deinceps, omnibúsve sub eis regulariter viventibus, locum habitationis ampliorem & honestiorem, scilicet ad habitandum & regulariter vivendum; & ipsam Ecclesiam, quæ usque nunc Cella vocabatur, quatenus eam orationis solummodo secretioris continentissimam habeant; eandem verò, quàm superiùs diximus in honore supradictorum Sanctorum Martyrum Protaxii & Gervoxii atque Confessoris Christi Ambroxii constructam, sub sua cura & providentia tam ipse Benedictus Presbyter Abbas, quàm quicumque successores ejus Abbates, qui ibidem ordinandi sunt perpetuà, ita utpote ut ante sancta eorum corpora continuatim indifferenter ac publicè officia & divinas laudes concelebrent, absque mea & successorum meorum molestia, providéque ipsam Ecclesiam suâ moderatiane & rectitudine disponere studeat, quatenus Dominorum nostrorum Regum, Caroli & Pippini, animabus proficiat, mihi meísque in Christo filiis, majoris scilicet ordinis totius gradibus, à quibus diutiùs laborantibus in eadem Ecclesia * . . . . . merces acquiratur æterna. Statuimus etiam eidem Abbati, suísque successoribus, uti diversis rebus atque substantiis ad ipsam Ecclesiam, quæ hactenus Cella vocabatur, pertinentibus, atque imposterum à Christi fidelibus inibi conferendis, sicut usque hactenus à Forte Diacono filio nostro possessa est, quam nos ab ipsa cum rebus supradictis per commutationem suscepimus, dans ei ad vicem curtem proprietatis nostræ in Lenniauello, seu & in aliis locis, ubicumque habere ex parentum successione videor, ad commodum admutandi & concambiandi modum. Quicquid vero in jam dicta Ecclesia Sancti Ambraxii à Piissimis Imperatoribus, sive Regibus, seu quibuscumque potestatibus, in subsidiis Monachorum, sive à me licèt peccatore, à quo præfatum Cœnobium constructum esse dignascitur, Deo auxiliante collatum fuerit, ulla absque invasione & diminoratione quietè ac pacificè prælibatum Benedictum Abbatem suósque posteros *, eo modo consensum præbentibus Sacerdotibus ac Levitis, cunctísque ordinis nostri, ut diximus, gradibus, spiritualibus filiis, confirmantibus quoque Domnis nostris Regibus, Carolo & Pipino, in æternum victuris, unà & populo pleno favente animo. Confirmamus per hoc nostræ securitatis munimen universa, quæ nunc possidere probatur, vel quod Dominus ibidem per suos fideles conferre dignatus fuerit in ipso Monasterio, itaus Abbas cum fratribus omnia, secundùm instituta venerabilis Patris Benedicti ejúsque Regulam, disponat & ordinet. Sed neque Abbas ibidem ordinetur extraneus, ullo unquam tempore, nisi aut eodem in Monasterio priùs Monas-*

CHARTA PETRI ARCHIEP. MEDIOLAN. PRO MON. S. AMBROS.

[a] Tom. 4. Ital. Sacr. in Arch. Mediolan. 51.

* Ughellus legendum arbitratus juvante.

* Ughello videtur habendum Ecclesiam

* id est Congregatio

* Ughell. multoties rogatus, legendum videtur multoties dicta, vel quid simile.

* deest aliquid.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

ticum sumpserit habitum ex ipsa jam Congregatione, aut quem fratres eligant, qui eos, secundùm Divinas Leges & Patrum Regulas, valeat gubernare. Et ita censemus, ut nullus unquam de nostris successoribus hanc nostram dispositionem, nostrorúmque Dominorum Regum dignam concessionem ac petitionem seu confirmationem, quam pro amore beati Christi Confessoris Ambroxii & Sanctorum Martyrum Protaxii & Gervaxii, seu prædictorum Regum durabili stabilitate, necnon etiam pro Sacerdotum Ecclesiæ nostræ omniúmque nostrorum concivium salute construximus, irrumpere aut destruere præsumat, & temerariâ mente vidare aut exterminare maluerit, exterminetur à Deo, & à Beato Petro Apostolo, Sanctóque Patrono nostro Ambroxio, & deleatur nomen ejus de libro vitæ, portio ejus efficiatur cum apostata spiritu in igne perpetuo. Quod Præceptum nostrum Anspert Subdiaconum Sanctæ nostræ Mediolanensis Ecclesiæ scribere jussimus, & subter manibus propriis roboravimus, & in ipso Monasterio tradidimus conservandum, anno Dominorum nostrorum Caroli & Pipini Regum in Italia sextodecimo & nonodecimo Kalend. Novembris, Indictione 3.

In anno Regum, ut edita est hæc subscriptio, manifestus apparet error, CLXXXIV. amanuensis enim duabus ex hisce vocibus *nono* & *decimo* unam conflavit, nempe *nonodecimo*, & illâ depravatione Diploma, de quo nunc agimus, datum indicavit Kalendis Novembris, anno Caroli Regis in Italia decimo-nono, Pippini decimo-sexto, sed annus Pippini Regis decimus-sextus cum anno Caroli Regis in Italia decimo-nono non convenit, annus enim primus Pippini Regis cum octavo Caroli Regis in Italia componitur, quia Carolus anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto regnare cœpit in Italia, Pippinus verò Rex à Patre renuntiatus est anno Christi septingentesimo octogesimo-primo. Sic igitur restituenda subscriptio, quam examinamus. *Anno Dominorum nostrorum Caroli & Pipini Regum in Italia sextodecimo & nono, decimo Kalend: Novembris.* Id est, decimo Kalendas Novembris, anno Caroli Regis in Italia decimo-sexto, Pippini Regis nono, sive anno Christi septingentesimo undenonagesimo, quocum & annus Caroli Regis in Italia decimus-sextus, & Pippini Regis annus nonus per mensem Octobrem comparatur.

Quod ad Indictionem attinet, in ea quoque deprehenditur error ama- CLXXXV. nuensis, qui scripsit Indictionem 3 pro 13. nam decimo Kalendas Novembres, anno Christi septingentesimo undenonagesimo currebat Indictio decima-tertia jam inchoata.

Diplomati subscribit Petrus Archiepiscopus, sic. *Petrus Episcopus pecca-* CLXXXVI. *tor & indignus Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ in hoc præcepto à me facto subscripsi.* Darhæus Archipresbyter, sic. *Dathaus Archipresb. S. Mediolan. Ecclesiæ in hoc præcepto ex jussione D. Petri Archiepisc. subscr.* Olfredus Archidiaconus, sic. *Olfredus Archidiac. S Mediolan. Ecclesiæ in hoc præcepto ex jussione D. Petri Archiepisc. subscr.* Subscribunt & tredecim Presbyteri cum sex Diaconis, *omnes ex jussione D. Petri Archiepisc.* Presbyterorum ista sunt nomina. *Deusdedit, Senator, Stephanus, Lucebertus, Oldebertus, Ansnertus, Rodulphus, Lampertus, Igulphus, Theodorus, Penio, Theefredus,* & *Ade.* Hæc verò Diaconorum. *Petrus, Fortis, Jacobus, Rosfredus, Ottelinut,* & *Aristetus.*

CLXXXVII.

Apud eundem Ughellum [a] Grimoaldus Dux Beneventanus, hoc eodem anno, Ducarûs sui secundo, mense Junio, Indictione duodecimâ, rogatus à Davide Episcopo Beneventano in gratiam Trasulphi viri nobilis hoc edit Diploma. *In Nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Regnante Domino Piissimo Carolo Magno Rege Francorum & Longobardorum, seu Patritio Romanorum, anno Regni illius vigesimo* (legendum vigesimo-primo) *firmamus nos Dominus vir gloriosissimus Grimoaldus summus & Princeps gentis Longobardorum, per rogum* seu rogatum *Davidis Reverendissimi Episcopi Sanctæ nostræ Beneventanæ Ecclesiæ, tibi Trasulpho, filio quondam Joannis ..... omnes*

CHARTA GRIMOALDI DUCIS BENEVENT. PRO TRASULPHO VIRO NOBILI.

[a] Tom. 8. in Ep. Benevent. 40.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

* *fui.* * *firmatis* * *firmatis*

*res ipsius genitoris tui *, quicquid justo ordine possidere visus fuerat, quàm & quod tu legibus conquisisti, tam Principum concessione, quàm & emptione, donatione etiam, & commutatione; hoc est casas, vineas, territoria, cultum & incultum, familiam, mobilia & immobilia, omnia & in omnibus seséque moventia, quæ, ut dictum est, ipse tuus genitor & tu legibus acquisivistis, tibi ea per hoc nostrum inviolabile Præceptum, & ipsius nostri Oratoris postulationem confirmavimus, in ea videlicet ratione, ut à modò & deinceps per hoc nostrum firmitatis * Præceptum tu, Trasulphe, & filii filiorum tuorum securo nomine possideatis, & à nullis ex nostris Judicibus, hoc est, Comitibus, Gastaldis, vel à quibuscunque gentibus habeatis aliquando aliquam requisitionem, sed perpetuis temporibus securi, atque quieti valeatis possidere. Quod verò Præceptum firmitatis * ex jussione nominati Domini nostri viri Gloriosissimi Grimoaldi, secundo anno, Deo dispensante, Principatûs, scripsi ego Rodepertus Notarius. Actum Beneventi in sacro nostro Palatio, mense Junii, Ind. 12. feliciter admodùm.* De Davide Beneventano Episcopo recurret sermo, Grimoaldo enim Duci, de quo loquimur, superstes vixit.

ERGA MON. CASIN. MUNIFICI FIUNT, GRIMOALDUS DUX BENEVENT.

a Lib. 1. c. 16. vet. edit. c. 14. novæ edit.

* *fauce*

CLXXXVIII. Idem Grimoaldus sub hoc tempus, cùm Theodemar Abbas erat Casinensis, munificum instar patris erga Casinense Monasterium se præbuit. Audi Leonem Ostiensem [a]. *Huic Abbati*, nempe Theodemari, *prædictus Arichis Princeps concessit partes majores in territorio Gentiana, super id, quod Gisulfus Dux jam Petronaci Abbati concesserat. Sequenti etiam tempore Grimoaldus filius ejus (quem à Carolo obsidem datum præmisimus) ejusdem Regis concessione post patris obitum Beneventum remissus, & Princeps effectus, per Præceptum Donationis concessit Sancto Benedicto universa Dominicalia sua cum servis & ancillis in eodem territorio Gentiana, & Cellam Sancti Agapiti, partum quoque Trajectensem & Vulturnensem, necnon & totam piscariam de civitate Lesina cum ipsa foce * sua.* Tres igitur Donationes, in territorio Gentianæ, totidem Duces Beneventani Monasterio Casinensi fecerunt; unam Gisulfus, cùm Cœnobii regimen erat penes Abbatem Petronacem, nec adhuc Franci Longobardiam subegerant; alteram Arichisus, tertiam Grimoaldus, cùm Theodemar Abbatiali munere fungebatur, & Longobardia Carolo Francorum Regi subjacebat. Hujuscemodi Donationes apud eundem Leonem [b] Majo quoque Presbyter ac Monachus Casinensis in colloquio cum fratribus coram Joanne Abbate sic distinguit. *In primis Gisulfus Dux concessit Domno Petronaci Abbati in Monasterio Sancti Benedicti territorium Gentiana. Posteà verò Arichis Princeps concessit Theodemario Abbati partes majores ibidem in Gentiana. Iterúmque Grimoald filius ejus per Præceptum Donationis concessit Sancto Benedicto omnia Dominicalia sua, cum servis & ancillis in eodem loco Casa Gentiana, & Cellam Sancti Agapiti, & plurima alia. Similiter etiam in eisdem Præceptis continebatur Donatio ipsarum Principum de portu Trajecti, & de portu Vulturnensi, sed & de piscaria Lesinensi.* Apud eundem Auctorem, ut editus est ab Angelo de Nuce, capite duodevicesimo libri primi, Casa Gentiana in Liburia sic collocatur. *Obtulit etiam idem Guacco in Ecclesia Sancti Benedicti, quæ sita est in Liburia, loco Casâ Gentianâ, campum de Porcari.* Situs Liburiæ, quam corruptè quidam Liguriam vocant, ex ejusdem Leonis contextu facillimè deprehenditur. In editione Angeli de Nuce caput tricesimum-quintum libri primi sic inchoatur. *Intereà nequissimus Saracenorum Rex, nomine Seodan, Barim egressus, venit Capuam, quam totam circumcirca devastans, Cantiam quoque & Liburiam, nullo sibi valente resistere, peragrans, in campo Neapolitano tentoria fixit.* Et in editione Breulii caput tricesimum-septimum ejusdem libri. *Intereà nequissimus Saracenorum Rex, Seodam nomine, egressus Barim, Capuam venit. Quam totam in circuitu vastans Cantiámque & Liburiam, nullo sibi obsistere valente, peragrans, in campo Neapolitano tentoria fixit.* Item in editione Angeli de Nuce, capite quinquagesimo-quinto libri primi hæc leguntur.

b Lib. 1. c. 51. vet. edit. c. 40. novæ edit.

AN CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

leguntur. *Venientes innumerabiles Ungari super Capuam, omnia in circuitu ipsius depradati sunt. Similiter etiam Beneventi fecere, usque Sarnum ac Nolam discurrentes, & devastantes omnia, cunctámque Liburiam peragrantes, iterum Capuam reversi, per* XII *dies in campo Galliano commorati sunt.* Et in editione Breulii, capite duodesexagesimo ejusdem libri. *Venientes innumerabiles Ungari circa Capuam pradati sunt. Eadem verò & Beneventi fecerunt, Sarnum usque ac Nolam discurrentes, & devastantes omnia, peragrantésque Liburiam iterum Capuam reversi, diebus* XII *in campo Galliano commorati sunt.* Grimoaldus per suam Donationem Casinensi Monasterio concedit *universa Domnicalia sua cum servis & ancillis in territorio Gentiana.* Legit Breulius *Dominicalia.* Terras interpretare Dominicales seu Dominicatas & Indominicatas, quæ sunt de patrimonio Domini, seu de Dominico, quod & dominium ac domanium vocatur. Major est difficultas super portubus Trajectensi & Vulturnensi. Portus in triplici ponitur differentia, sunt enim portus maritimi, fluviales, & montani. Portus usitatissimè dicitur in mari, sumitúrque pro loco maritimo ac tuto, qui naves ab hyemis ac tempestatum injuria vendicat, & apud Isidorum [a] nomen habet *à deportandis commerciis.* Cùm autem per amnes quoque hinc inde merces & viatores comportentur, portus etiam in fluviis usurpatur; in Gallia plurimi sunt, omnium instar esto portus Sanctæ * Mariæ ad dexteram Garumnæ ripam infra Aginnum; quin & navigium ipsum, quo quidpiam ab una ripa fluminis ad alteram transvehitur, portus appellatur in Italia, ut asserit Angelus de Nuce in suis ad textum, quem examinamus, observationibus. Nec tantùm trans mare tránsque fluvios, sed etiam trans montes mercimonia deferuntur, ideóque ut in mari & in fluminibus, sic & in montibus nomen portûs auditur. Loca, quæ commodiorem per Pyrenen transitum præbent, portus nuncupantur, quales sunt portus * Roscidæ Vallis, & alii, de quibus consule Favynum in Historia Navarræ [b], ubi agit de Fano Sancti Joannis, quod Inferioris Navarræ caput est, & ob viciniam portûs in hac postrema significatione sumpti Pedeportuense * cognominatur. Portus Trajectensis & Vulturnensis nec ad mare nec ad montes pertinent; Vulturnensis nomen habet ab amne Vulturno *, qui Venafrum & Capuam alluit; Trajectensis ab ipso trajectu vel ab oppido Trajecto prope locum quà Lyris trajicitur, est autem Lyris * seu Liris Italiæ fluvius, qui supra Soram apud Atinam oritur, & Latium à Samnio & Campania disterminat. Sunt igitur ad flumina prædicti portus Trajectensis & Vulturnensis, ille ad Lirim, hic ad Vulturnum, uterque in Ducatu Beneventano. Lesina, cujus etiam meminit in suo Præcepto Grimoaldus, sita est ad radices Montis Gargani, nec procul ab Adriatico mari.

[a] Lib. 14. c. 8.

* *Le Port Sainte Marie sur la Garonne, au dessous d'Agen.*

* *Le Port de Roncevaux.*

[b] Lib. 1.

* *Saint Jean pied de Port, capitale de la Basse Navarre.*

* *Volturno.*

* *Carigliano.*

CLXXXIX. HILDEBRANDUS DUX SPOLET.

Sequitur apud Leonem Donatio Hildebrandi Ducis Spoletani, sic. *Per idem tempus, Hildebrandus quoque Spoletii Dux obtulit in hoc Monasterio* Casinensi *Curtem, qua dicitur Castrinianum, cum omnibus pertinentiis ejus, in Comitatu Pinnensi; & Olivetum in Tronto, loco qui dicitur Turri; in Comitatu verò Marsorum, loco qui Paternus vocatur, Curtem quingentorum simul modiorum, & familias multas cum omnibus substantiis earum; necnon & aliquot piscatores in lacu Fucino, cum portu ipsius lacûs vocabulo ad Restina; sed & Gualdum suum, nomine Cusanum.* Breviùs in editione Breuliana, sic. *Per idem tempus, Hildebrandus quoque Spoleti Dux obtulit Monasterio Curtem unam in Comitatu Pinnensi, & Olivetum in Tronto *; aliámque in Comitatu Marsorum; utramque optimam, & alia plurima.* Est autem *Gualdum* commune nomen nemorum & sylvarum, quod deducitur ex Germanico *Wald*, ut post Vossium [c] observat Angelus de Nuce.

* *Intronto.*

[c] De vit. Serm. l. 2. c. 8.

CXC. ET WACCO GASTALDUS BENEVENT.

Denique hoc Casinensium Donationum caput apud Leonem sub Abbate Theodemaro sic clauditur. *Quidam etiam vir dives, Wacco nomine, Beneventanus Gastaldeus in expeditione constitutus obtulit in hoc sancto Cœnobio*

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

filium suum, nomine Wachipertum cum rebus inferiùs designatis, Casale in Trane, ubi dicitur Cimilianum, Casale in Trepurio, Casale in Ariano, Casale in Virgilie, Casale in Terranea, aliud in Vinigro, & in Massa, & ad Ripam, & in Noceto, & in Corneto, in Tamaro, in Latiniano, in Marsico, in Trelicio, in finibus Potentiæ, & Casale in Sancta Agnete. Casam verò suam intra civitatem judicavit Tasia uxori suæ, in vita duntaxat ipsius. Servos autem suos, & ancillas omnes, libertati donavit, sub ditione tamen & tutela Monasterii hujus, itaut per singulos, singulas operas annualiter, ubi nostri Ordinati præciperent, exercerent. Breviùs in editione Breuliana, sic. *Quidam etiam vir dives, Waco nomine, Beneventanus, in expeditione constitutus, obtulit Monasterio filium suum, nomine Wachipartum, cum* x x *possessionibus suis, variis in locis constitutis. Servos autem suos & ancillas omnes libertati donavit, ita tamen ut essent sub ditione & tutela Monasterii, singulique singulas annuatim operas Monasterio, ubi eis præciperetur, exercerent.* Suos igitur servos & ancillas integrâ plenâque libertate non donavit Wacco, sed redegit in ordinem Aldiorum & Aldiarum, de quibus ad annum Christi septingentesimum octogesimum-primum [a] jam locuti sumus. Erant Aldii liberti cum impositione operarum facti. Liutprandus Longobardorum Rex libro secundo [b] legis Longobardicæ sancit, ut *si quis Aldiam alienam aut suam ad uxorem tollere voluerit, faciat Widerboram*, eâque sanctione Widerboram, quæ absoluta est ab omni conditione atque omnino libera est, opponit Aldiæ, quæ manumissa est cum aliqua conditione. Ceterùm in textu suprà citato Aldii, qui sub ditione & tutela Casinensis Monasterii remanent, tenentur operas exercere, sicut *Ordinati* præceperint; Ordinatos autem interpretare Præpositos locorum, qui ordinantur ad obeunda officia.

[a] Num. 81.
[b] Tit. 1. l. 9.

CXCI. NOVALISIUM MON.

Tot Donationibus, quibus ditatum est Casinense Monasterium, subjicimus amplissimam, quâ Novalisiense Monasterium hoc anno ex Abbonis munificentia locupletatum est abundantissimè. Vir Clarissimus & antiquitatis studiosissimus Antonius *de Vyon*, Dominus *d'Herouval*, à litteraris quibusque numquam satis laudatus, nobis pro sua singulari benevolentia nuper manuscriptum Codicem communicavit, qui totus est de rebus ad Episcopatum Gratianopolitanum pertinentibus, constátque foliis octoginta-septem, quibus Chartæ quatuor duntaxat & triginta continentur. Quæ numero est vicesima-secunda incipit à folio x x x v i i i desinitque in l v i i. Titulum hunc habet. *Hæc Carta, quæ est de Monasterio Novalisia, dicit, quòd Castrum de Vinnaco, & villa Quintiacum, quæ est in mandamento Sancti Georgii, in Episcopatu Gratianopolitano sunt.* Est autem Diploma, quo Carolus Imperator à Frodino seu Frodoino Abbate Novalisiensi rogatus Donationem ab Abbone factam ac sub Testamenti nomine de verbo ad verbum insertam confirmat. Chronographus Novalisiensis illo de negotio sic scribit [c]. *Eo tempore Beatus Frodoinus volens Testamentum ipsius Ecclesiæ renovari, quòd quondam Abbo Patricius de ipsa Ecclesia fecerat tempore Theoderici Gothorum Regis, misit duos Monachos Agabertum scilicet & Gizlaramnum ad Karolum Magnum Imperatorem, ut sibi suo Imperiali Præcepto Testamentum ipsud renovari concederet. Qui benignè illi annuens, cuncta quæ illi petiit, impetrare valuit.* Carolus istam Frodoini petitionem in suo Diplomate sic commemorat. *Vir venerabilis Frodinus Abbas ex Monasterio, quod est constructum in honore Sanctorum Principum Apostolorum, loco nuncupato Novaliciis, missâ petitione per * religiosos Monachos, Gislaramnum scilicet & Agabertum, Serenitati nostræ suggessit, qualiter Abbo quondam vir Deo devotus per Testamentum Donationis suæ aliquas res ad ipsum Sanctum locum Novaliciis * delegasset.* Carolus nec Abbonem vocat Patricium, nec eum dicit vixisse regnante in valle Segusiana *, ubi Novalisium, Theodorico Gothorum sive Ostrgothorum Rege, testatur tantùm virum fuisse Deo devotum, & in vivis superstitem non esse. *Abbo*, inquit, *quondam vir Deo devotus.* Ipse-

[c] Ap. Duchesn. Tom. 2. Coll. Hist. Franc.
* &
* *Novalesio.*
* *de Suso.*

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI Ludov. RR. 9. CAROLI R. 1.

met Abbo ætatem suam ostendit, Testamentum enim hoc anno, Caroli Regis vicesimo-primo sic consignat; *sub die tertio Nonas Maias, anno vigesimo primo, gubernante illustrissimo Karolo Regna Francorum.* Ab hoc anno ad obitum usque Caroli Imperatoris, effluxerunt anni penè viginti-quinque. Tanti temporis spatio, Monachi Novalisienses, ut Carolus jam Augustus affirmat, *sæpissimè per Placita Comitum, per diversos pagos, necessitate cogente, ipsum* Abbonis Testamentum *ad relegendum detulerunt*, & ideò, cùm eidem exhibitum est Augusto, *jam ex parte valdè dirutum esse videbatur.* Chronicon Novalisiense multis scatet erroribus, Auctor vixit procul ab ætate Caroli Magni, suámque lucubrationem ad undecimum usque seculum perduxit. Idcircò duos Abbones facilè commiscuit; unum, qui Novalisiense Monasterium condidit regnante apud Ostrogothos Theodorico; alterum, qui locupletavit idem Cœnobium anno vicesimo-primo postquàm Carolus Magnus in Francia regnare cœpit. Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Novalisio & Ferdinandus Ughellus in Episcopis Taurinensibus assentiuntur Philiberto Pingonio in Augusta Taurinorum unum eundémque laudanti Abbonem; qui Novalisiense Monasterium à Longobardis ante multos annos dirutum reparavit regnante apud Francos Pippino, & Testamentum anno vicesimo-primo Caroli Regis conscripsit. Duos igitur Abbones de Navalisio benè meritos distingue. Primus Monasterium sub Ostrogothis construxit; alter eversum instauravit sub Pippino Francorum Rege, & amplissimis ditavit reditibus sub Carolo Magno, atque is est Abbo Patricius, quem Charta Massiliensis ad annum ejusdem Caroli Regis duodecimum, sive ad annum Christi septingentesimum octogesimum [a], suprà commendavit.

[a] Num. 19.

CXCII. De Novalitiensis Monasterii conditu sic Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Chronologica Pedemontanæ Regionis Historia, capite decimo-sexto. *Ad radices montis Cinisis * non longè à flumine etiam Cinisio sita est vetustissima Sancti Petri de Novalisio Abbatia sic dicta ab ejusdem nominis oppido præfata Abbatia jurisdictioni subjecto sive à Nova Luce. Hæc adhuc in humanis agente Divo Benedicto ab Abbone Patricio Romano, ut ex quodam Diplomate Abbatia Bremetensi hujus filia à Benedicto Papa VIII anno 1014 concesso appares, constructa, ejúsque Monachis concessa adeò opulentos habuit redditus, ut quingentis Monachis, ita testante Guillelmo Baldessano, sufficerent.* Migravit ad Deum Sanctus Benedictus duodecimo Kalendas Aprilis, anno Christi quingentesimo quadragesimo-tertio. Theodoricus Ostrogothorum Rex priùs obierat, anno videlicet Christi quingentesimo vicesimo-sexto, mense Septembri. Lege Tomum primum ad illos annos [b]. Porrò, cùm Benedictus Abbas Theodorico Regi quatuordecim duntaxat annis cum dimidio superstes vixerit, Abbo Patricius erigere Monasterium potuit *tempore Theoderici Gathorum Regis* ut habet Chronographus Novalisiensis, & *adhuc in humanis agente Divo Benedicto* ut loquitur Franciscus Augustinus ab Ecclesia. Sed cùm hæc assertio supponat id factum esse ante annum Christi quingentesimum vicesimum-sextum, Ordinis Benedictini Monachos à primo Cœnobii conditu collocatos negamus.

* Le Mont Cenis.

QUANDO CONDITUM.

[b] An. 526. n. 2. & 543. n. 3.

CXCIII. Philibertus Pingonius in Augusta Taurinorum, *Novaliciense Monasterium eversum* scribit, cùm *tres Longobardorum Duces, Amo, Zaban, & Rhodanus, Italiâ egressi, Gallias deprædati sunt, & ne quidem Templis & sacris locis pepercerunt.* Idque vult contigisse *anno Christi* DLXXV. Franciscus Augustinus ab Ecclesia & Ferdinandus Ughellus locis jam citatis haud aliter censent. Nos annum Christi DLXXIV reposuimus Tomo secundo, cùm illam Longobardorum irruptionem ex Gregorio Turonensi [c] descripsimus. Jacuit Novalisiense Monasterium ad annum usque Christi septingentesimum quinquagesimum-sextum, quo rursum ab altero excitatum est Abbone, de quo sic Pingonius. *Anno Christi* DCCLVI. *Abbo Patricius Romanus, natione Gallus, Felicis & Rustica filius, Marronis & Dodinæ nepos,*

QUANDO DIRUTUM.

[c] Lib. 4. c. 39.

QUANDO REPARATUM.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

cis tránsque Alpes potentissimus, Novolesianum Cœnobium in situ jacens, & jam diu incultum, novis adsficiis restituit, Valchino Archiepiscopo Ebrodunensi patruo curante, & Godonem Abbatem instituit, quem Abbo alter sequutus, tum Joseph, inde Guillelmus, mox Giraldus, denique Asenarius, & alii. Atque pinguibus proventibus per vallem Secusiam & ad agrum usque Taurinensem locus adauctus est. Hic Auctor, ut potiorem sibi fidem conciliet, in margine testatur sumpta hæc esse *ex notis ejus seculi Cœnobii Novalesiani.* Nonnullis tamen eget emendationibus. Cur juniorem hunc Abbonem, quem natione Gallum fatetur, Patricium Romanum vocet, cúrque Valchinum Archiepiscopum Ebrodunensem & ejusdem Abbonis patruum vocet, ratio non occurrit. De Valchino Episcopo, quem Abbo in suo Testamenro non semel nominat, fusiùs agemus infrà. In seriem atque ordinem Nnvalisiensium Abbatum præcipuè nobis hic inquirendum.

CXCIV. Quos habuit Abbates. In textu Pingonii post reparatum Novalesii Monasterium antiqnissimi recensentur Abbates hoc ordine, *Godo, Abbo, Joseph, Guillelmus, Giraldus, Asenarius*; quibus *Witgarium* & *Froidinum* proximè subjungit Franciscus Augustinus ab Ecclesia.

CXCV. Anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto Placitum Attiniacense suâ subscriptione communivit *Asinarius Abbas de Novalicio.* Tertio Nnnas Maias, anno vicesimo-primo Caroli Regis, id est, anno Christi septingentesimo undenonagesimo, cùm Abbo Testamentum suum condidir, Novaliciense Monasterium Abbas regebat Abbo quoque dictus, ur ipsius Testamenri textus infrà publicandus edocet. Eidem Cœnobio post annum Redemptoris octingentesimum, cùm Carolus Imperarorio Titulo gaudebat, præerat Froidinus seu Frodinus Abbas, ut ex ejusdem Augusti Diplomate jam allegato constat.

CXCVI. Ad illas tres epochas, quæ certissimæ sunt, revocanda series Abbatnm, qui Novalisiense Monasterium sub Regibus Pippino ejúsque filiis Carolomanno & Carolo gubernarunt. Tnmo superiore Godoni seu Godono, quem omnes post instaurationem Novalisii primum Abbatem anno Christi septingentesimo quinquagesimo-sexto constituunr, proximè subrogavimns Asinarium, qui Placito Attiniacensi subscripsit anno Christi septingenresimo sexagesimo-quinto. Suffecimus & Asinario Witgarium, cujus obitum anno Christi septingentesimo septuagesimo sub Carolomanno Rege consignavimus, nixi testimonio Francisci Augustini ab Ecclesia. Huc usque rectè processimus. Ar quia Testamentum Abbonis nondum videramus, Wirgario Frodinum seu Frodoinum successorem perperam dedimus. In errorem nos adduxerunt Auctor Chronici Novaliciensis & Franciscus Augustinus ab Ecclesia. Uterque enim Frodoinum Witgario successisse scribit, addítque susceptum ab eodem Abbare Frodoino Carolum, cùm in Italiam adversùs Desiderium Longobardorum Regem anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio proficisceretur. Chrnnographus Novalisiensis, sic. *Defunctus est seculo almificus Pater Azenarius. Cui successit protinus in Abbatiam vir valdè laudabilis ad onus Witgarius Episcopus. Qui cùm obisset, successit post eum gloriosissimus Pastor Frodoinus.* Et inferiùs. *Rex movens exercitum pervenit ad Novaliciense Monasterium*, &c. *Promittens Rex ante suum egressum ibi multa bona facere propter ammirationem prædicti Abbatis*, nempe Frodoini, quem anreà nominavit, rursúmque pnsteà sic nominat. *Post modicum mandans prædictus Rex Abbati Novaliciensi, scilicet Frodoino, ut ad se veniret.* Et Franciscus Augustinus ab Ecclesia, sic. *Witgarius Episcopus & Abbas. 770. S. Froidinus.* Et paulò pòst. *Carolus multa bona contulit, ex quo pertransiens in Italiam contra Desiderium Longobardorum Regem in ipso Cœnobio honorificè exceptus, aliquandiu apud ipsum Abbatem Froidinum moratus.* Quicquid hi scribant Auctores, ex Abbonis Testamento & Caroli Diplomate simul collatis patet Frodoini decessorem non Witgarium,

sed Abbonem fuisse, cui locus inter Witgarium & Frodoinum tribuen- AN. CH.
dus. Ergo quæ de Frodoino Abbate post obitum Witgarii scripsimus, ad 789.
annum Christi septingentesimum septuagesimum abtade, & anno pòst ter- CAROLI
tio, cùm primus Caroli Regis in Italiam adventus describitur, Josephum R. 21.
Abbatem loco Frodoini tepone.

Præmissis his obsetvationibus, antiquissimos instaurati Monasterii Nova- PIPPINI LUDOV.
lisiensis Abbates, quorum series in Augusta Taurinorum & in Historia RR. 9.
Chronologica Pedemontanæ Regionis interturbatur, suo damus ordine, CAROLI
Godonem, Asinarium, Witgarium, Josephum, Guillelmum, Giraldum, R. 1.
Abbonem, Frodoinum. Reparati Monasterii regimen anno Christi septin- CXCVII.
gentesimo qninquagesimo-sexto suscepit Godo. Attiniacensi Placito sub-
scripsit Asinarius anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto. Wit-
garius anno Christi septingentelimo septuagesimo vitam clansit. Anno
Christi septingentesimo septuagesimo-tertio Carolum Regem in Italiam
proficiscentem excepit Josephus, eique *Carolus villam Bardonissam donavit*,
ut Franciscus Augustinus ab Ecclesia testatur; istam quoque Donationem
laudat Chronographus Novalisiensis, etsi tejiciat in tempus quo Carolus
& Ludovicus ejus filius simul tegnabant, *Hludowicus cum patre Karolo eidem*
Monasterio Novalisiensi *auxit vallem Hardoniscam* seu Bardonissam *cum Cas-
tro Bardino, de eadem valle Abbati Joseph Preceptum faciens*; at ante annum
Christi septingentesimum undenonagesimum, quo Abbo Frodoini deces-
sor in vivis erat, Josephns administrationem Monasterii gesserit necesse est;
tunc autem Ludovicus, quem Carolus anno Christi septingentesimo octo-
gesimo-primo Regem Aquitaniæ constituit, apud Novalisium cum patre
non regnabat; est igitur error in Chronico Novalisiensi, & solus Carolns
Abbati Joseph Præceptum de valle Bardonissa censendus est fecisse, cùm
iter in Longobardiam adversùs Desiderium Regem suscepisset. Annus quo
Josephus Abbas obiit, manet incompertus. Ei successit Guillelmus, tum
Girardus, deinde Abbo. Hic Abbatiale munus gerebat anno Caroli Re-
gis vicesimo-primo, sive anno Christi septingentesimo octogesimo-nono,
cùm alter Abbo vir prædives scripto Testamento Monasterium Novalisien-
se plurimùm ditavit.

Hoc Testamentum vidit atque in epitomen sic redegit Pingonins. *Anno* CXCVIII.
Christi DCCLXXXIX. *idem Abbo Patricius capulo proximus, quòd & filium
Riculfum amisisset, absoluto Novaleciana Templo, & ædificiis, accrescente pio-
rum virorum cœtu, Testamentum condidit, quo majore patrimonii parte Monas-
terium heredem instituit eorum, quæ in valle Maurigenia (nunc Mauriana dic-
ta) & Gratianopolitana, Matacense, Ebrodunense, Arelatense, Tolonense, &
aliis aliquot regionibus Gallicis possidebat, & quorundam etiam in Italia; cetera
Vapponicensis, Sigistertii, Regensis agri, dat Virgilia filiæ; secunda non memi-
nit; tertia verò Honoria, quæ apud Secusinos & Taurinenses erant, reliquit, &
quæ priùs Riculfo filio jam olim donarat.* Atque in margine hanc adjecit no-
tatiuncnlam, quâ suæ fidem assertioni conciliatet. *Ex Testamento dato anno
Regis Caroli* XXI, *tertio Nonas Maias, per Lidybertum Clericum scripto.* In
posteriori parte hujus epitomes aliquot sunt nævi, de quibus infrà.

Præter annum Caroli Regis vicesimum-primum, quocum annus Christi CXCIX.
septingentesimus undenonagesimus comparatur, in Abbonis Testamento
mentio fit multarum possessionum in diversis pagis, Gratianopolitano,
Diensi, Viennensi, Lugdunensi, Matascensi seu Matacensi vel Matisco-
nensi, qui numquam paruerunt Ostrogothis, & sub Burgundionum po-
testate permanserunt ad annum usque Christi quingentesimum tricesimum-
quartum, quo Franci Regnum Burgundiæ penitus extinxerunt. Unde li-
quet hoc Testamentum non Senioris Abbonis esse, qui vixit ætate Sancti
Benedicti, & regnante apud Osttogothos Theodorico Monasterium No-
valisiense construxit, sed Junioris Abbonis, qui tepatavit idem Cœnobium.

anno Christi septingentesimo quinquagesimo-sexto sub Pippino Francorum Rege, diúque factus eidem Pippino superstes post annum Christi septingentesimum undenonagesimum in senectute bona quievit.

Ipsum Testamentum, quod hactenus ineditum delituit, accipe ex Codice, qui scriptus fuit ante annos circiter sexcentos, habet [a] enim Catalogum Gratianopolitanorum Episcoporum desinentem in Hugone primo, qui Gregorio VII Papæ synchronus vixit. Barbariem styli multis è locis sustulimus, in marginem verò nonnullas rejecimus voces, quarum aperta depravatio.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, sub die tertio Nonas Maias,
CC. *anno vigesimo-primo* [1], *gubernante Illustrissimo Karolo Regna Francorum feliciter.*
CCI. *Ego in Dei Nomine Abbo, filius Felicis & Rustica nomine quondam, sana mente atque consilio cogitans casus humana fragilitatis, Testamentum condidi, quo venerabili Hytberto Clerico scribendo rogavi. Quod Testamentum meum, si quo casu & jure Pratorio, vel alicujus legis adinventionisque, quoquomodo valere nequiverit, ac si ab intestato ad vicem codicillorum eum valere volo ac jubeo. Quos, quas, liberos liberásve esse decrevero, liberi liberæve sint omnes, & quaque per hoc Testamentum meum dedero, legavero, dare jussero, id ut fiat, detur, prastetur, fidei haredis mei committo. Ego in Dei Nomine Abbo, cùm me dispensatio divina de hac luce migrare praeceperit, debitáve* [2] *natura complevero, tunc tu, sacrosancta Ecclesia in honore Beati Petri Apostoli seu & caeterorum Sanctorum, Novaliciis Monasterii in valle Sigusina, quem ex opere nostro in rem proprietatis nostra construximus, ubi turmam* [3] *Monachorum sub Religionis ordine spiritali & Regula Sancti Benedicti custodiendis Deo adjuvante conlocavimus; ubi ad prasens venerabilis* [4] *vir Abbo praesse videtur, hares michi es tu, haredem meam te esse volo. Cetera exharedes sint tota. Tu verò, Sancta Ecclesia Beati Petri Apostoli suprascripti Monasterii in valle Sigusina, tam infra muros ipsius civitatis, quàm & in ipso pago, ex alodo parentum meorum, vel undecumque michi justissimè ibidem ex legibus obvenit, hoc est, quicquid in ipsa valle Novaliciis, etiam & in Barro seu & in Albanato, & ultra Anisca subtus Cravasca, & in Faido, vel ceteris locis, quod prasente tempore ad ipsum Monasterium adjacet vel aspicere videtur, cum sylvis, pratis, Alpibus, aquis, aquarumque decursibus, quicquid prasente tempore ad ipsum Sanctum locum aspicere videtur, tam de proprio, quam de conquesto, seu & de commutationis causa in valle Maurigenica recepimus, unà cum mancipiis, terris, vineis, sylvis, cum omni integritate ut habeas volo ac jubeo. Similiter quicquid in Balmas, ubi Oratorius in honore Sancti Verani est constructus, visi sumus habere, & in Lastadio Gallionis, Grummo, Camundis, Lipamsne, Corvallico, Petracava, Trebocis, vel circa civitate, quantumcumque ex proprietate parentum meorum vel conquesto in ipsa loca habere videmur, te haredem meam habere volo ac jubeo. Et quicquid circa civitate Segusia, vel in ipsa valle habere videmur, hoc est, in Orbano, Cicimiano, Veroxio, Raudenoviliano, te, hares mea, habere volo ac jubeo. Et in Valaucis portionem, quam liberto nostro dedimus, volo ut habeat; & ipse & infantes sui ad haredem meam aspicere debeant, volo ac jubeo. Similiter Cammite superiore & Cammite subteriore, Brosiolis unà cum ingenuis; Rogationis, Tamoborgonis, unà cum Ministrale nostro Johanne & Infantibus suis, Libertato cum infantibus suis; Critovis, Orbana, Bicorasco, unà cum infantibus Walana, hoc est, Harioldo & germana sua; qua Dummius habet in Galisiaca, & Alpes in Cinisio; quæ de Ecclesia Sancto Petro de ipsa constructa Lugdunense commutavimus; ista omnia superiùs comprehensa, unà cum mancipiis, libertis, terris, domibus, adificiis, vineis, campis, pratis, pascuis, sylvis, Alpibus, vel omnes adjacentias ad se pertinentes, te haredem meam habere volo ac jubeo. Et in Cella infra Regnum Longobardorum, qua vocatur Tollatecus, quicquid ex alode parentum nostrorum michi ibidem obvenit, unà cum mancipiis ibi consistentibus vel omni jure suo, ut habeas volo ac jubeo. Etiam & in colonica in valle*

[a] fol. 71.

[1] Indictione VII. Intrusa hæc nota, nondum enim erat in usu apud Francos, & anno Caroli R. 21. per mensem Maiam conveniebat Indictio XII.

[2] *debito venatore*

[3] *norma*

[4] deerat *venerabilis*

DITATUR AB ABBONE.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

Diubiasca infra fines Langobardorum, ubi dicitur Bicciatis, quâ parentes nostri & nos ibidem habuimus, ut habeas volo atque pracipio. Simili namque modo & quicquid in valle Maurigennica ex alode parentum nostrorum vel quolibet titulo justè & rationabiliter nobis ibidem obvenit, hoc est, in ipsa Maurigenna domum cum adificiis, cortiferis, exartis, hortis, vineis, campis, unà cum Ecclesia Sancti Petri, quam parentes nostri ibidem construxerunt, cum omni integritate vel adjacentiis ad se pertinentibus, immóque Ecclesia Sancti Pancratii proprietatis nostra, unà cum colonica in Birisco cum omnibus adjacentiis ad se pertinentibus, te haredem meam habere volo. Et in ipsa valle Maurigennica, loco nuncupante Fontanâ, quicquid ibidem prasente tempore de parentibus nostris visi sumus habere, seu & in Nanosces unà cum illis ingenuis de Amberto, & liberto nostro de Alsede nomine Orbano, & ingenua nostra nomine Rigovera de Bognosco, vel quicquid in Bregis de alode parentum nostrorum [5] Austrualdus in beneficio habet, te, superscripta Ecclesia Sancti Petri hares mea, habere volo ac jubeo. Pro modo simili quicquid de Domna Siagria in ipsa valle Maurigennica conquisivimus, Misiottano, Obliciacis, colonicâ in Albiadis, in Bausetis, & colonica super Bricoscis, & Amalicione ubi Blancolus vervecarius manet, & Gratavimna, etiam & [6] ...... cum adjacentiis earum, te, sacrosancta Ecclesia, habere volo ac jubeo: Immóque quicquid in valle Durentasiense ex alode parentum nostrorum, vel quod de Siagria ibidem ad nos pervenit, unà cum mancipiis, libertis, colonis, inquilinis, & servis, te haredem habere volo atque pracipio. Similiter in pago Gratianopolitano, Olonnâ, qua ad libertam meam nomine Sendebertam dedi, volo ut habeat; Missoriano, qua de Siagria conquisivi; Piniaco & Corenno, qua ad libertam meam nomine Aurilianam dedi; ipsas libertas meas cum ipsas res, volo ut habeas ac jubeo. Seu in Aravardo libertos nostros, Magnebertum unà cum germano suo Columbo; Misicatianâ, Mesatico, Cambe, Quintiaco, Viennatico; ista omnia suprascripta unà cum libertis ac colonis & servis, vel omnes adjacentias suas ad ipsa loca pertinentes in suprascripto pago Gratianopolitano, tu, hares mea, ut habeas volo atque discerno. Item in pago Viennense, Maconiano, quod de alode parentum meorum nobis obvenit, & quod de Siagria conquisivimus, & colonica in ipso pago Viennense Baccoriaco super fluvium Carusium, ubi faber noster Majorianus mansit, & filius ejus Ramnulfus, Blaciaco quod incontra Ardulfo per judicium Agnarici Patricii evindicavimus; similiter & in pago Vianense & Lendunense, Bornaco, Basciasco, Amblariaco, Blaciaco, colonicâ Sevorio; ista omnia superscripta unà cum terris, domibus, vineis, campis, pratis, vel cum omni jure earum, ac colonis, servis, & libertis ad ipsa loca aspicientibus, tu, hares mea, ut habeas volo [7] atque pracipio. Item in pago Matascense, Carnaco, & Basciaco, qua de Siagria conquisivimus, unà cum ingenuis, libertis, ac colonis, & servis, vel omnes adjacentias ad ipsa loca aspicientes ut habeas volo ac jubeo. Similiter & in pago Briantino & Aquisiana, & Annevasca, loca nuncupantes Briancione Valle, unà cum libertis ac colonis, & servis; Annede unà cum ingenuis, libertis, & servis; Agracianis, Exoratianâ, Aquislevas cum libertis & servis; vel omnes adjacentias ad se pertinentes, tu, sacrosancta Ecclesia, ut habeas volo atque pracipio. Colonicas infra ipsa valle Briantina & Aquisiana, quas de Windigunde conquisivimus, unde Bardinus Capitularius est; similiter & in Gorentonnis colonicas de ipsa ratione Windigundis, qua ad nos pervenerunt, quas Signaldus libertus noster in beneficio habet; colonicam, quam de muliere Gismundi, nomine Pannutia, in ipsa vallo in tertia recepimus, ubi Marius noster vervecarius in ipsa colonica manet; similiter curtem meam Salliaris, Alpes, prata, ingenua, Vendanum, Mullinaricum, villam Vitole; ista omnia suprascripta unà cum libertis, ac colonis, & servis, vel omnes adjacentias earum ad ipsa loca aspicientes, tu, hares mea, ut habeas volo ac jubeo: Et colonicas in valle Gerentonica, quas libertis meis Theudoaldo & Honorio dedi, ut ipsi & infantes ipsorum habeant, & ad haredem meam sacrosanctam Ecclesiam aspiciant; ista omnia superiùs comprehensa unà cum adjunctis adjacentiisque suis,

[5] addebatur quem

[6] cetera vocabula

[7] deerat, volo

ANCH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

campis, pratis, pascuis, sylvis, Alpibus, montibus, rivis, aquarúmve decursibus, aquísque omnibus, cum omni jure vel termino earum, tu, sacrosancta Ecclesia hæres mea, ut habeas volo ac jubeo. Similiter liberti nostri in valle Aquisiana, qui ad parentes nostros aspexerunt, seu & in ipso pago Briantino commanere videntur, unde Vitalis Capitularius est, ad memoratam Ecclesiam hæredem meam ut aspiciant, & pensionem faciant, volo ac jubeo. In pago Ebredunense & valle Moccense, Bruitico portiones nostras, quas de Waldeberto Presbytero & de Rigaberga conquisivimus, & de proprio alode meo, & quod de parente mea Godane ad me pervenit, & in ipsa valle Moccense, quæ de Siagria conquisivimus, unà cum Alpibus, & quod de Dodone & Godane ad nos pervenit, seu & quod de Domno Waldeberto Episcopo & de Riguberga ibidem conquisivimus; & colonicam, ubi dicitur Albariosco, quam Marcianus servus noster habet, quæ de Dodone parente meo in ipso pago Ebredunense ad me pervenit; necnon & colonicas nostras in pago Rigomagense, quas Baronta libertus noster in beneficio habet; item in ipso pago Ebredunense, colonicas in Boresio, quas Sauma in beneficio habet, Rodis ubi vervecarius noster nomine Laurentius manet; colonicam in Velentio, quæ per Præceptionem Dominicam de ratione Riculfi & de germano suo Rodbaldo ad nos pervenit; omnia & ex omnibus quicquid in ipso pago Ebredunense, seu & in valle Moccense, & Rigomagense, tam de conquesto quàm de alode parentum meorum nobis in ipsos pagos obvenit, advenit ad integrum, unà cum Alpibus, te, suprascripta hæres mea sacrosancta Ecclesia, habere volo ac jubeo. Simili namque modo in pago Wapencense, cortes meas, Talarnum unà cum libertis nostris, Sicualdo & sororibus suis & infantibus earum; Calaicum unà cum libertis nostris & aldionicis quos de Windigunde conquisivimus, & liberti nostri in ipso aldionico commanere jubentur; Marium cum germanis suis & libertis nostris in Venavella, Hidebertum cum uxore sua & infantes eorum, qui de Windigunde ad nos pervenerunt; Kalares, quam de ipsa Windigunde conquisivimus, ubi Matarellus libertus noster manet; in colonica Dominicali terras & vineas Dominicales; ista omnia suprascripta unà cum libertis, ac colonis, & servis, unà cum adjunctis adjacentiisque suis ad ipsa loca pertinentibus, tu, sacrosancta Ecclesia ut habeas volo ac jubeo. Et dono libertum meum ad ipsam Ecclesiam nomine Amalbertum, qui habet uxorem filiam ipsius Matarelli quem ego manumisi, & duo mancipia dedi ad casam Wapencensem his nominibus Rusticam & Lupolmam; itémque & in ipso pago Wapencense, Altanam, quam de alode parentum meorum habeo, Curennum, Galiscum, Ancillam, quas genitor meus de Persa conquisivit, & illas terras ibidem in campania, cum illa Alpe Cassanda, quam de Lavarnosco ibidem habemus, ipsas terras usque ad summa mancipia quæ de Siagria conquisivimus; ista omnia suprascripta unà cum campis, pratis, sylvis, pascuis, Alpibus, adjacentibúsque suis ad ipsa loca pertinentibus, tu, sacrosancta Ecclesia, habeas volo ac jubeo. Simili namque modo in ipso pago Wapencense, cortem meam Opagam cum omnibus appenditiis suis ad se pertinentibus, quam de alode parentum meorum habeo; & colonicam, quam de venatore avunculus meus Domnus Simforianus Episcopus conquisivit, tu, hæres mea, ut habeas volo ac jubeo. Colonicam subtus Ripas, quam ad libertum meum nomine Bertarium dedimus, ut infantes sui habeant, volo ac jubeo, & ipsi ad hæredem meam aspicere debeant. Boniscravioscum tu, hæres mea sacrosancta Ecclesia Sancti Petri Monasterii Novalicius, ut habeas, volo ac jubeo. Similiter cortem meam Valeriguacam unà cum liberto meo Savino & filiis suis & filiis liberti mei Sisebergi, Magnibertum cum germanis suis & filiis suis, vel alios libertos nostros, qui ad ipsam curtem aspiciunt, habere volo ac jubeo. Romam unà cum adpendiciis suis & Alpes, præter quod ad libertos meos infantes. Aldefredi & Godoberti in ipsa Roma dedimus; volo ut habeant & ipsi ad hæredem meam aspiciant; Laquaticum unà cum appendiciis suis ad ipsum locum pertinentibus, & quod ad libertam meam Dumnulinam dedi in ipso Laquatico volo ut habeat, & ad hæredem meam Sacrosanctam Ecclesiam aspiciat; & terras in Esturbatina, quas de Bonevalo conquisivi, & ad

suprascriptam

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

suprascriptam libertam meam nomine Sendebertam dedi, volo ut habeat, & ad haredem meam aspiciat; colonicas in Taraone quas de Ricnberga conquisivimus, & terras in Craritis, & libertos nostros, Maroaldum, & uxorem suam, vel filios eorum, quos genitrix mea Rustica de pago Genevense fecit venire, & super ipsa terra ipsos mansuros fecit; terram & mancipia in Sevelis, qua de avolo Presbytero & de Freberga fœmina avunculus noster Domnus Semforianus conquisivit, & libertos nostros in Artonosco, filios Victoris & Vera, Johannem, Justebertum, Paulum & Verissimum, Justinam & Bertildem, tu, hares mea Sacrosancta Ecclesia Sancti Petri Novaliciensis Monasterii, ut habeas volo ac jubeo. Capannas, quas ad libertam meam nomine superscriptam Bertildem dedi, volo ut habeas, & ad haredem meam aspiciat. Vobridium quem de Mauro conquisivi, & ad libertam meam suprascriptam nomine Justinam dedi, quem Dadinus habet, volo ut habeat, & ad haredem meam aspiciat. Colonicam Utronnum ex alode parentum meorum, Glasiam, Pentum, Bullonem, Muccunavam Bladonis, tu, hares mea, ut habeas volo ac jubeo. Similiter & res illas, Maurovilam, Rodanonem, unà cum adjacentiis earum, vel quicquid de parentibus nostris Dodone & Godana nobis ibidem obvenit, & res illas quas de Gondoberto conquisivimus, quas Marabertus in beneficio habet, & illas res quas de Escussario conquisivimus, unà cum mancipiis, terris, vel omnes adjacentias ad ipsa loca aspicientes; ista omnia suprascripta te, Sacrosancta Ecclesia Domni Petri, haredem meam habere volo atque pracipio. In Cronnolnciano ex alode parentum meorum, & in Latiomaus ubi Mora ancilla nostra manet, quod de genitrice nostra Rustica michi obvenit; colonicas in Gradiosa quas Ministerialis noster Bajo in beneficio habuit, tu, heres mea, ut habeas volo ac jubeo. Quonaone in pago Vasense, unà cum ingenuis, quod de Windegunde conquisivimus; Doliana in pago Vendascino, quod de ipsa Windegunde ad nos pervenit, & suprascriptis libertis meis Justino & Dadino dedimus, volo ut habeant, & ad haredem meam Sacrosanctam Ecclesiam aspiciant. In pago Sigesterico vineas & terras in Planciano, quod de parente nostro Wandalberto Abbate conquisivimus; & in Massilia res nostras, proprias casas & hortiles, quod de avunculo meo Dodone michi obvenit, & de avia nostra Dodina; similiter ad Pero casas & hortiles, quod michi de parente mea Godana obvenit, & campos, & vineas infra civitate, & portionem nostram in Centronis, & ad fontem Lisola terras & pasina; in pago Arelatino Anglarias & Vivario portionem nostram, & illam aliam, qua de avunculo meo Dodone michi obvenit, tu, hares mea, habeas volo ac jubeo. Croniam in pago Tolonense unà cum libertis, ac colonis, & servis, terris, vineis, olivetis, seu & adjacentias ad se aspicientes, te haredem meam, Sacrosancta Ecclesia Sancti Petri Monasterii Novaliciis, habere volo atque discerno. In pago Regense Wardacelis, illud proprium nostrum, & illam portionem quam de Godana conquisivimus, unà cum colonica in Cumbolis & in Pratalione qui ad Wardacelis aspicit, ubi Siricarius noster permansit, tu, hares mea, ut habeas volo ac jubeo. Salinas in pago Arelatense, qua de Godana parente nostra ad nos pervenerunt, & illam portionem Siagria, quam de ipsa conquisivimus, unà cum areis & campis, vineis & olivetis, mancipiis, pascuis, ibidem & in campo, & illas salinas in Alserneto, Cattorosco, & in Leonio, tam nostram portionem, quàm & quod de avunculo nostro Dodone ibidem conquisivimus; in pago Diense [8] ...... & portionem nostram in Bosedone, quam de Siagria conquisivimus, unà cum libertis, & servis, vel adpendices suas, & libertum nostrum Unebertum & filios suos, quem ex alode de genitore meo habeo, ut habeas volo ac jubeo. In Ambillis, ubi Gavioaldus servus noster manet, unà cum cultura qua de Domna Siagria ad nos pervenit, quam ipse Unebertus in beneficio habet, & illam colonicam de ratione parentis mea Godana super [9] ...... in pago Diense ubi Orbicianus servus manet, ubi dicitur Riaciosco, te haredem meam, Sacrosancta Ecclesia, habere volo ac jubeo. Colonicas in pogo Aptense in Variates, & colonicas in pago Cavellico, Attanisco, Quossis, Pecciano, Torrido, quod mibi ex alode ge-

[8] *Cassies sibi tepiis*

[9] *de deranso*

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

nitriciis mea Rustica & de avunculo meo Dodone obvenit; ista omnia superscripta unà cum adjunctis adjacentibus suis ad ipsa loca aspicientibus, sacrosancta Ecclesia Beati Petri Apostoli Novaliciis Monasterii, te haredem meam habere vola atque pracipio. Colanicas in pago Diense, ubi dicitur Macitha, unà cum salinis ad Verdonem, qua ad Lavarioscum cortem meam aspexerunt, quam de Domna Siagria conquisivimus, te haredem meam habere volo ac jubeo. Casale in Tenegandia unà cum terris & pascuis in ipso monte quem de Valeriano genitor meus conquisivit, te hæredem meam, Sacrosancta Ecclesia Domni Petri Monasterii, habere volo ac jubeo. Et placuit michi in hac pagina Testamenti mei adnecti de alode parentum meorum, avorum meorum Maurino & Dodina, qua cum consobrina mea Hanorata filia Eptolena amita mea per pactionis titulum inter nos divisimus. Noscitur convenisse, ut ipsa omnem portionem suam de ipsa facultate prasentaliter recipiat, & de proprietate nostra, quod pro falcidia, si ipsa vel haredes sui superstites fuerint, per legem recipere potuissent, eis prasentaliter de proprietatis portione nostra loca nominata, qua in pactione nostra continentur scripto, in falcidia reputata dimisimus, ne nullo unquam tempore in postmodo ipsa nec hæredes sui contra hoc Testamentum meum ambulare nec refragari debeant. Quòd si fecerint, pœnam, quam pactio nostra per communem consensum continet, incurreant, & quod repetent evindicare non valeant. Et vola, ut omnes liberti nostri, quos, quas, parentes nostri fecerunt liberos, & nos posteà fecimus, ut ad ipsam haredem meam Ecclesiam Sancti Petri aspiciant, & obsequium & impensionem, sicut ad parentes nostros & nabis juxta legis ordinem debent impendere, ita & in anteà ad ipsam haredem meam Sancta Petro Novaliciis Manasterii constructam facere debeant. Quòd si contumaces aut ingrati ad haredem meam suprascriptam Ecclesiam steterint & rebellare voluerint, tunc liceat agentes haredis mea eos cum pietatis ordine coercere, ut ipsi impensionem faciant, sicut ad parentes nostres & nos fecerunt. Quòd si ingrati & rebelles persliterint [10], tunc quod lex de ingratis & contumacibus libertis continet, cum Judicis interpellatione & districtione [11] ad haredem meam exsolvant, & ad ipsam revertant, volo ac jubeo. Et dono in superscripto pago Gratianopolitano liberta mea Scintilda, qua manet in Pino cum filiis suis Sicufredo & Sigirico, Sicumare, & germanis eorum Helena & Sigilina, & in ipso pago Gratianopolitano donamus ad libertum nostrum nomine Gondobertum Eunuchum & germanas suas omnem rem quam Windigundis ad parentes suos in pagnanum per cessionem dedit, & volo ut habeant, & ad haredem meam aspiciant. Donamus liberta nostra Droctesenda & filiis suis (habet ipsam libertam homo ingenuus nomine Radbertus) colonicam in Glisione prope de Arcia. Dedimus Celseberto colonicas, terras, & vineas Dominicales, quas Jocbolator noster in cessione, & Opilionicus usque nunc in beneficia habuit, quas de Sicuberga conquisivimus; vola ut ipse per Testamentum nostrum libertus fiat, & ipsas colonicas sub nomine libertinitatis habeat, & ad haredem meam, sicut liberti nostri faciunt, ita & ipse sic facere debeat, &, si ipse de Monasterio sicut libertus se abstrahere voluerit, in pristino servitio revertatur, & ipsas colonicas ipsi Monachi ad partem haredis mea Sancti Petri Monasterii recipiant. Et illud michi in hoc Testamento meo addere placuit, ut dum Domnus patruus meus Semforianus quondam Episcopatum Wapencensem in sua habuit gubernatione, & devotione suâ medietatem de Rogationes portionem ipsius in valle Segusia ad ipsam Ecclesiam per sua instrumenta delegare voluit, & diebus vita sua tutelam meam in sua habuit receptam potestate, & apud nas nullam deduxit rationem, & dum per legem nulla exinde potuit delegare (& facultates nostra indivisa remanserunt) ipsâ chartâ Donationis de medietate locelli nostri communis de Rogationes in valle Signsina ad jam dictam Ecclesiam Sancta Maria Wapencensem, quam scripserat, dum & lex hoc prohibet, & postea ipse de ipso Episcopatu à malis hominibus ejectus fuit, & ipsa partio de Rogationes ad ipsam Wapencensem numquam fuit tradita, ideóque nos tam pro anima nostra remedio, quàm & pro ipsius suprascripti patrui nostri com-

10 præstiterint.

11 distractione

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

muni ratione Domni Semforiani, donamus ad ipsam Ecclesiam Sanctæ Mariæ Wapenecensem locella nostra nuncupantes Bractio unà cum Vocancio, quæ de parense nostra Godana ad nos pervenerunt, unà cum libertis, ac colonis, & servis, domibus, adificiis, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, sylvis; omnia & ex omnibus quicquid infra ipsum pagum Regensem ad ipsum Bractium & Vocantium aspicere videtur, præter quod superiùs dictum est, ad hæredem meam Ecclesiam Sancti Petri dedi, ut tam pro anima nostra remedio ut diximus, quàm & pro devotione patrui nostri Domni Semforiani, in luminaribus ipsius Ecclesiæ, & pro substantia pauperum perhennis temporibus proficiat in augmentis, volo ac jubeo. Immáque donamus ad ipsam Ecclesiam Sanctæ Mariæ Wapenecensem locella nostra in ipso pago Wapenecense, nuncupantes, Ruarmo, Ambillis in Taraone, unà cum libertis ad ipsa loca aspicientibus; in pago Cavellico Memianam, quam Domnus & avus noster Marro quondam de Domno Crammelino Episcopo conquisivit. De istis omnibus suprascriptis, dum adhuc vixero, usum & fructum michi reservo; post obitum quidem meum, quandoquidem Deus voluerit, Agentes Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Wapencensis ipsa loca recipiant & habeant, volo ac jubeo. Simili modo donamus ad Ecclesiam Sancti Johannis Baptistæ Maurigenna, in luminaribus ipsius Sancti loci, & pro anima nostra remedio, loca nuncupantes in pago Gratianopolitano, Crispiaco quem de Siagria conquisivimus, Abrici colonicam in pago Viennense quæ de ipsa Siagria ad nos pervenit, Macciano quem de alode parentum habeo, & in commutationis causa ad ipsam casam Maurigennicam pro colonicis in Venavis in valle Segusina dedimus Vireavias in Maleneiano, quas filio Bertelini servi Sancti Johannis pro ingenuitate dedimus; ipsa verò loca unà cum colonis, ac servis, libertis ad ipsa loca commanentibus, & omnes adjacentias ad se pertinentes, in luminaribus ipsius Ecclesiæ Sancti Johannis Maurigennicæ, & pro substantia pauperum, volo ut habeat, & proficiat in augmentis. Donavimus dulcissima nostra Virgilia loca nuncupantes, Laciomans, & Licentiaco, Cassaniola, Ciconiola, quæ de Domno Waldeberto Episcopo, & de Domna Siagria, & Windigunde, & Deo sacrata Ricuberta fœmina conquisivimus; similiter in pago Sigisterico, Lavariosco unà cum omnibus adjacentiis suis, quantò infra ipso pago Sigisterico ad ipsam cortem aspicere videntur, quæ de Domna Siagria ad nos pervenit; etiam & in pago Regense, Cinicino, quod de domno Waldeberto, ad nos pervenit; ipsa verò loca unà cum ingenuis, libertis, ac colonis, & servis, terris, domibus, adificiis, campis, pratis, pascuis, sylvis, vineis, cum omnibus adjacentiis earum ad se pertinentibus, præter quod in ipsis pagis, Sigisterico, Regense, & Wapencense, ad hæredem meam Ecclesiam Sancti Petri Monasterii Novaliciis dedimus, ut habeat volo ac jubeo. Et placuit michi in hoc testamento meo plenissimâ voluntate scribere, dum & Domnus & in Christo Pater noster Walchunus Episcopus ab initio inchoationis operis fundamentum Ecclesiæ Sancti Petri Monasterii Novaliciis hæredis meæ posuit, & usque ad culminis consummationem fabricam perduxit, & in omni opere adificiorum adjutor & gubernator stetit, ut, dum ipse advixerit, sub suo nomine & gubernatione, & nostra communi, ipsum Monasterium Sancti Petri cum omnibus rebus ad ipsum delegandis consistere valeat; &, quod humanum est, quando Abbas de ipso Monasterio de hac luce migraverit, tunc Abbatem, quem ipse Domnus Walchunus Episcopus in ipso Monasterio eligere voluerit, mittat; & ipse Abbas vel sui Monachi taliter agant, dum & ipse Domnus Walchunus advixerit, qualiter ipse eos spiritaliter monere voluerit, & licentiam non habeant de ipsis rebus aliud faciendi, nisi quod ipse suprascriptus Domnus Walchunus Episcopus pro communi utilitate ipsius Monasterii eis jusserit. Et ita michi placuit, addendo, ut omnis facultas mea, quam per hoc Testamentum meum vel epistolas ad ipsum Monasterium delegavi, dum & ego & ipse Domnus Walchunus advixerimus, sicut jam dictum est, sub suo nomine & nostro diebus vitæ suæ ad profectum jam dicti Monasterii consistere valeat, &, si michi superstes fuerit, diebus vitæ suæ in sua permaneat potestate. Et, si quislibet, quod esse non debet, de Monachis ipsius Monasterii contumax aut auctor[a]

[a] aut corrumpor fabulis insidiarum.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

insidiarum contra jam dictum Domnum Walchunum Episcopum extiterit, aut rebellare voluerit, licentiam habeat eum juxta qualitatem opera sua coercere, & sententiâ juxta canonicam Regulam Sancti Benedicti Institutionis judicare; &, si noluerit se in sua castigatione corrigere, & rebellis extiterit, licentiam habeat eum de ipso Monasterio in sua contumacia ejicere. Dona ad suprascriptam haredem Sacrosanctam Ecclesiam Sancti Petri Monasterii Novalicis terras & vineas, unà cum mancipiis in Matanatis, quem locum de alode parentum meorum habeo, quem Berroleus in beneficio habuit. Dono fideli meo Protadio res illas in pago Wapencense, ubi dicitur Semprugnanum, cum adpendicibus suis quas de Agloaldo conquisivimus, & illam portionem quam de Maurongo Clerico pro sua infidelitate, quod nobis mentivit, & per verbum Dominicum canquisivimus, dum & ipse nobis mentitus est, ipsas res Palatium nobis cessit. Donamus Tersia, filia Honaria liberta nostra, quam Teudaldus de Seguciu uxorem habuit, res illas, qua fuerunt Riculsi filii Rodulsi quondam, quas, per Praceptionem Domni Theoderici Regis & illustris viri Domni Karoli, in pago Diense, Wapencense, & Gratianopolitano conquisivimus, prater colonicas in pago Ebredunensi, in Valentio, quas ad Ecclesiam Sancti Petri haredem meam delegavimus, dum & ipse Riculfus gentem Sarracenarum ad infidelitatem Regni Francorum sibi sociavit, & multa mala cum ipsa gente pagana fecit, volo ut ipsa Tersia ipsas suprascriptas facultates habere debeat. Et vola, ut liberti nostri, filii Walana, cum illis rebus quas ipsi Walana dedimus, ad haredem meam Ecclesiam Sancti Petri aspiciant. Dono libertam meam, ad haredem meam Ecclesiam Sancti Petri, nomine Fredbergam, uxorem Tasculsi cum nepotibus ipsius Fredberga, qui in Etone aut in Pareliana manere videntur; ut tam liberti quàm eorum res ad ipsam Ecclesiam aspiciant, volo ac jubeo. Et notamini in hac pagina Testamenti mei addendum placuit; dum & provincia ista à gentibus Sarracenorum desolata & destructa sunt, & tam liberti nostri quàm & servi & ancilla utrinsque generis per plura loca vicinorum pro necessitate dispersa fuerunt, volo ut ubicumque Agentes[1] haredis mea Ecclesia Monasterii Sancti Petri Novalicis constructi eas invenire potuerint, licentiam habeant in sua, absque cujuslibet contradictione, revocare dominatione; &, sicut ad parentes nostros & ad nos assexerunt, ita & ad haredem meam Ecclesiam Sancti Petri Monasterii Novaliciis aspicere debeant, volo ac jubeo. Et volo, ut Gislarannus libertus noster & uxor sua, qua de Domna Siagria ad nos pervenerunt, unà cum colonicis illis, quas eis, in Comario in pago Gratianopolitano dedimus, habeant, & ad haredem meam Monasterium Sancti Petri Novalicis aspicere debeant. Et illa, qua non sunt nominata, & ad nastrum jus pertinent, & alicubi non delegavimus, volo ut ad haredem meam perveniant. Et, si qua caraxatura aut literatura in hac pagina Testamenti mei reperta fuerint, nos eas fieri rogavimus, dum & non semel sed sepiùs rogavimus. Et humiliter precor à Dominis Principibus, vel omnium potestatibus, & Episcopis, per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, qui potestatem dominandi & regendi habetis, ut hanc voluntatem nostram, quam per hoc Testamentum meum ad haredem meam Ecclesiam Sancti Petri Monasterii pra substantia Monachorum & pauperum delegavi, in nulla permittatis convellere nec irrumpere, ut ad augmentum mercedis vestra commune pertineat. Et si quis ausu temerario contra hanc voluntatem meam, quam promptissimâ devotione conscribere rogavi, insidiator extiterit & esse voluerit, iram calestem incurrat, & à communione omnium Ecclesiarum excommunicatus appareat, & insuper inferat ad ipsum Sanctum locum haredem meam sociantem fisco libras quinquaginta, & quod repetit evindicare non valeat, stipulatione pro omni firmitate subnixâ. Ega Abbo, hoc Testamentum à me factum. Rusticius Vir Clarissimus. Magnobertus Vir Clarissimus. Widebertus Vir Clarissimus. Semphorianus Vir Clarissimus. Vitalis Vir Clarissimus.

[1] *ad gentes haredem meam Monasterii.*

CCII. JAM GRANDÆVO.

Abbo, cùm hoc Testamentum condidit, anno Caroli Regis vicesimoprimo, sive anno Christi septingentesimo octogesimo nono, grandævus

erat ætate, siquidem Novalicіense Monasterium, ut suprà diximus, ante annos tres ac triginta repararat, imò, ut ex ipso Testamento constat, multò AN. CH.
citiùs res multas in pagis, Diensi, Vappincensi, & Gratianopolitano, per 789.
præceptionem Theodorici Regis & Caroli Majoris-domûs conquisiverat, CAROLI
hoc est, ante obitum Theodorici Quarti Regis, qui Carolum cognomento R. 21.
pòst Martellum habuit Majorem-domûs, & anno Christi septingentesi- PIPPINI
mo tricesimo-septimo vitam cum morte commutavit. Scripto igitur Tes- LUDOV.
tamento diu superstes in vivis esse non potuit Abbo. RR. 9.

Pingonius jam citatus tres illi filias attribuit, Virgiliam, alteram cujus CAROLI
nomen non memoratur, & Honoriam. *Cetera*, inquit, *Vapponicensis, Si-* R. 1.
gistertii, Regensis agri, dat Virgilia filia; secunda non meminit; tertia verò CCIII.
Honoria, qua apud Secusinos & Taurinenses erant, reliquit, & qua priùs Ri- ERRORES
culfo filio jam olim donarat. Ipsa verò Testamenti verba filiam Abbonis, nec PINGONII.
Virgiliam, nec Honoriam declarant. *Donavimus*, ait Abbo, *dulcissima nostra Virgilia loca*, &c. Quòd autem Virgiliam dulcissimam suam vocet, haud continuò filiam ejus dicas, hæc phrasis potiùs de uxore quàm de filia videtur capienda; provectæ ætatis est Abbo, quem ante annos duos & quinquaginta Theodoricus Rex & Carolus Major-domûs habuerunt in existimatione; conjugi suæ multò juniori dat amplas opes in pignus mutuæ, quâ nexi sunt, amicitiæ. Textus de Honoria Pingonium manifestiùs redarguit. Honoriam Abbo non filiam sed libertam appellat suam, & partem bonorum non ipsi largitur Honoriæ sed ejus filiæ cui nomen Tersia. Illius textûs, cujus lectio contentionem omnem placabit, duplicem subjicimus editionem; unam, quæ manuscripti Codicis barbariem nævósque servat; alteram, quæ sublatâ barbarie sublatisque nævis sensum eundem retinet.

TEXTUS CODICIS MS. CUM SUA BARBARIE SUISQUE NÆVIS.

Donamus tersia filia honoria liberti nostra. quem teudaldos de segucin huxorem habuit. res illas qua fuerunt riculfum filium rodulfum condam. quem per praceptione domno theodorico rege. & illuster vero domno Karolo. in pago diense. wvapencense. & gratianopolitano conquesivimus. prater colonicas in pago ebredunense. in volencio. quem ad monasterio sancto petro herede meam delegavimus. dum & ipse Riculfus apud gente sarracenorum ad infidelitatem regni francorum sibi sociavit. & multa mala cum ipsa gentem pagana fecit. volo ut ipsa tersia ipsas suprascriptas facultates habere debeat.

TEXTUS EJUSDEM CODICIS SUA BARBARIE SUISQUE PURGATUS NÆVIS.

Donamus Tersia, filia Honoria liberta nostra, quam Theudaldus de Segucin uxorem habuit, res illas qua fuerunt Riculfi filii Rodulfi quondam, quas per Preceptionem Domni Theoderici Regis & illustris viri Domni Karoli, in pago Diensi, Vappincensi, & Gratianopolitano conquisivimus, prater colonicas in pago Ebredunensi, in Valentio, quas ad Ecclesiam Sancti Petri heredem meam delegavimus, dum & ipse Riculfus gentem Saracenorum ad infidelitatem Regni Francorum sibi sociavit, & multa mala cum ipsa gente pagana fecit, volo ut ipsa Tersia ipsas suprascriptas facultates habere debeat.

Abbo Tersiæ legat in illo textu res, quas Riculfus, Rodulfi filius, in CCIV.
pagis, Diensi, Vappincensi, & Gratianopolitano, quondam possedit, idémque vituperatur Riculfus, quòd Saracenis in Franciam irrumpentibus se socium adjunxerit. Id autem intelligendum de bello, quod Saraceni Pro-

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI Ludov. RR. 9. CAROLI R. 1.

vincialibus intulerunt, cùm Regnum Francorum penes Theodoricum esset, penes Carolum Majoratus Regiæ Domûs, ut dictum Tomo quarto. Ex eodem quoque textu malè intellecto apud Pingonium Abbo Tertiæ dat bona, quæ Riculfo filio suo priùs tradidit, nec erga Novalecianam Ecclesiam adeò munificum se præbet, nisi post ejusdem Riculfi mortem, quia masculus sibi non superest hæres. Abbo Riculfum, de quo loquitur, suum non vocat filium, imò filium Rodulfi dicit, nec Abboni fuisse filium aliunde quis probare potest.

CCV.

Abbo, postquàm de dulcissima sua Virgilia locutus est, priusquàm sermonem ad Tersiam transferat, interserit multa de Walchuno Episcopo, quem Pingonius perperam & Ebrodunensem * Archiepiscopum & ipsius Abbonis patruum vocat ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-sextum, ubi de eodem Abbone scribit, quòd *Novalesianum Cœnobium in situ jacens & jam diu incultum novis ædificiis restituit, Valchino Archiepiscopo Ebredunensi patruo curante.* Cujus Sedis Episcopus fuerit Walchunus seu Valchinus, satis apertè docet Abbo, cùm illum ita commendat. *Domnus & in Christo Pater noster Walchunus Episcopus ab initio inchoationis operis fundamentum Ecclesiæ Sancti Petri Monasterii Novaliciis heredis mea posuit, & usque ad culminis consummationem fabricam perduxit, & in omni opere ædificiorum adjutor & gubernator stetit.* Hæc periodus Walchunum declarat Episcopum illius Diœceseos, in qua situm Novalicium, id est, Diœceseos aut Taurinensis aut Mauriennensis. Novalicium enim, priusquàm in Francorum potestatem hæc regiuncula deveniret, ad Taurinensem Diœcesim pertinuit, deinde Episcopatui Mauriennensi attributum est regnante Guntchramno Francorum Rege ac Mauriennæ conditore, postremò rediit ad Ecclesiam Taurinensem, postquàm de Longobardis, quibus Augusta Taurinorum parebat, triumpharunt Franci. Longobardiam partim anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio, partim anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto subegit Carolus Magnus. Mutili sunt per id tempus Indices Episcoporum Taurinensium ac Mauriennensium, quicquid in contrarium de Taurinatibus afferat Ughellus [a]. Si statim ac Taurinum Francis deditionem fecit, illius civitatis Episcopus parœcias è sua quondam avulsas Diœcesi recuperavit, Taurinensibus Episcopis accensendus est Walchunus. At illam mutationem seriùs factam putamus, & ab Episcopo Walchuno jacta credimus prima Novaliciensis Ecclesiæ fundamenta, priusquàm Novalicium Taurinensi Diœcesi restitueretur, fortè & priusquàm Franci Longobardiam subjugarent. Suum igitur locum inter Mauriennenses Episcopos Walchuno reddê post Wirgarium, cujus obitum anno Christi septingentesimo septuagesimo consignavimus, & eidem Witgario, qui Mauriennensis Episcopus & Novaliciensis Abbas simul fuit, ut Josephum in Abbatiam Novalicii, sic etiam Walchunum in Episcopatum Mauriennæ * subroga. Walchunum Abbo patruum in suo Testamento non vocat, &, ut Walchunus Abbonis patruus habeatur, vix pati potest ipsius Abbonis ætas. Post conditum ab eodem Abbone Testamentum, quot annos Walchunus Episcopus vixerit, haud liquet. Huic proximè videtur successisse Felinasius, quem Franciscus Augustinus ab Ecclesia & Sammarthani Mauriennensem Episcopum in Mauriennensium Episcoporum Catalogis ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-tertium agnoscunt.

* d'Ambrun.

[a] Tom. 4. Ital. Sacr.

EPISCOPI MAURIENNENSES.

* Maurienne.

CCVI. ARCHIEPISCOPI EBREDUNENSES.

Ex præcitato Pingonii textu, Walchunum seu Valchinum, quem in Mauriennensi Cathedra sedisse diximus, Ebreduneosibus Archiepiscopis soli annumerant Sammarthani cum hac tamen observatione non spernenda, quòd hic Præsul Ebredunensi Chartophylacio sit hactenus incompertus. Iidem quoque Auctores rectè sommovent Marcellum, quem nonnulli fingunt Archiepiscopum Ebreduoensem, aiúntque interfuisse consecrationi-

cùm Altatis Sancti Salvatoris de Aniana in Diœcesi Magalonensi tum Monasterii Grassensis in Carcassonensi. Pingonius, quia Valchinum anno Christi septingentesimo quinquagesimo-sexto sedisse credidit, Godòno, qui tunc Novaliensis Abbas institutus est, proximum successorem dedit Abbonem, quem unà cum Valchino Episcopo superstitem Abbo Patricius in suo Testamento laudavit. At inter Godonum & Abbonem Novalisienses Abbates, ut suprà demonstratum est, Asinarius, Wirgarius, Josephus, aliique sunt reponendi. Post res gestas Ærherii Ebredunensis Episcopi Metropolitani, qui Concilium Cabilonense cum aliis Præsulibus anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto celebravit, de Pontificibus Ebredunensibus ad hæc usque tempora nihil occurrit examinandum. Valchinum & Marcellum, quos quidam Catalogis Ebredunensium Archiepiscoporum inserere conati sunt, expungendos asserimus, eorúmque loco substituimus Waldebertum, cujus mentio fit in Abbonis Testamento. Duo celebrantur in illo Testamento Waldeberti, quorum unus Presbyter, alter Episcopus. Abbo ab Episcopo Waldeberto multa sibi bona in pagis Ebredunensi & Vappeneensi comparavit. Prima pagina manuscripti Codicis, ex quo Testamentum Abbonis descripsimus, præfixum habet nomen *Nic. Chorerii IC Viennensis*, è cujus Bibliotheca prodiit, eâdem autem manu scribitur *Waldebert. Episc. Vapincens.* in margine ad illius Testamenti periodum, in qua memorat Abbo loca, quæ *in ipso pago Wapencense de Domno Waldeberto Episcopo* conquisivit. At Episcopatum Vappineensem, ut ostendemus infrà, regebat Donadeus cùm Abbo Testamentum condidit. Recurrendum igitur ad Episcopatum Ebredunensem, & inter Metropolitas Ebredunenses suus sub Carolo Magno locus est concedendus Waldeberto, cujus nomine Catalogos Ebredunensium Archiepiscoporum augeas hactenus mutilos ab Ætherio suprà laudato sive à medio septimo seculo, usque ad Bertmundum, de quo post medium nonum seculum acturi sumus.

Abboni patruus non Walchunus seu Valchinus Episcopus sed Symphorianus seu Semphorianus Episcopus fuit, quem Abbo avunculum modò suum & Episcopum vocat, modò patruum ac tutorem suum necnon Episcopum Vappineensem dicit. Avunculum suum & Episcopum, sic. *Avunculus meus Domnus Simforianus Episcopus.* Patruum suum & Episcopum Vappincensem, sic. *Domnus patruus meus Simforianus quondam Episcopatum Wapencensem in sua habuit gubernatione.* Tutorem paulò pòst, sic. *Diebus vitæ suæ tutelam meam in sua habuit receptam potestate, & apud nos nullam deduxit rationem.* Patruus & avunculus in Chartis & Historiis illorum temporum sæpè confunduntur. Symphorianus Episcopus Vappincensis priùs obiit, quàm Abbo suum faceret Testamentum, ut testantur hæ voces proximè citatæ, *diebus vitæ suæ*. De Donadeo Vappincensi* Episcopo constar, quòd anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo Narbonense Concilium suâ subscriptione communivit. Addunt Sammarthani Episcopum eum fuisse anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo. Unde redarguas eos, qui Waldebertum anno Christi septingentesimo undenonagesimo Vappincensem Episcopum fuisse contendunt. Anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto Potentissimus Vappincensis Episcopus Synodo Cabilonensi subscripsit. Ejus successores per annos abhinc ducentos & ampliùs apud Robertum in Gallia Christiana desiderantur. Ex Concilio Narbonensi, quod anno Caroli Regis vicesimo-tertio, sive anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo celebratum est, Donadeum Vappincensem Episcopum Carellus libro quinto Historiæ Linguodochianæ in Daniele Archiepiscopo Narbonensi & Sammarthani Tomo tertio Galliæ Christianæ in Catalogo Vappincensium Episcoporum resuscitarunt. Resuscitamus & ex Abbonis Testamento Symphorianum, qui prædictum Donadeum in Episcopatu antecessit. Utrumque igitur Indici Vappincensium Epi-

CCVII. EPISCOPI VAPPINCENSES.

* de Gap.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

ſcoporum ſic reſtitue, ut Symphotianus Epiſcopatum gerat regnantibus apud Vappincum, Pippino, Carolomanno, & Carolo; Donadeus verò ſedeat regnante Carolo, ſuperſtéſque vivat anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo.

CCVIII. CAVELLICENSES. * de Cavaillon.

Ex Abbonis Teſtamento deprehenditur & Crammelinus Epiſcopus, à quo nonnulla bona *in pago Cavellico* conquiſivit avus ejuſdem Abbonis, ideóque Cavellicus Epiſcopus in margine vocatur idem Crammelinus à Nicolao Chorerio. Poſt Sanctum Veranum Cavellicenſem Epiſcopum, qui ſedebat anno Chriſti quingenteſimo undenonageſimo, nihil omnino de Cavellicenſibus Epiſcopis in vulgatis Indicibus legitur ad Synodum uſque habitam apud Junearias anno Chriſti nongenteſimo nono, ut eruditè probat Stephanus Baluzius in ſuis ad illud Concilium notis. At ex Concilio Narbonenſi, de quo poſt biennium, ſuus inter Cavellicenſes * Epiſcopos per hæc tempora reſtituendus eſt Lupo locus, ut & Crammelino ſub exitum ſeptimi ſeculi ex præcitato Abbonis Teſtamento.

CCIX. * de Siſteron. * Bevons. ABBATES BODANENSES.

Plures in illo Teſtamento non nominantur Epiſcopi. Wandalbertus Abbas memoratur *in pago * Segeſterico*. Cùm autem nullum hactenus Monaſterium præter Bodanum * in Segeſtarienſi Diœceſi laudaverimus, hunc Wandalbertum fortè non temerè Bodanenſibus Abbatibus acceuſeas. Segeſtarienſes Inſulæ tunc erant penes Bonum Epiſcopum, de quo non ſemel ſermonem fecimus Tomo ſuperiore.

CCX. Abbo in ſuo quoque Teſtamento complurium meminit bonorum in aliis ſitorum Diœceſibus, Lugdunenſi, Matiſconenſi, Viennenſi, Gratianopolitana, Arelatenſi, Vendaſcina, Vaſenſi, Dienſi, Maſſilienſi, Tolonenſi, Aptenſi, Regenſi, & Darantaſienſi, de quarum Epiſcopis juxta provinciarum ſitum nonnulla hîc obſervare non erit ingratum.

CCXI. EPISCOPI MATISCONENSES. * de Maſcon.

Addo, de quo jam locuti ſumus, Archiepiſcopus erat Lugdunenſis. In Cathedra Matiſconenſi ſedebat Leduardus, qui pervenit ad nonum uſque ſeculum, ut conſtat ex Charta Caroli Magni tunc Imperatoris, quam ſuo loco deſcribemus ex Severtio. Tomis ſecundo ac tertio Deodatum ſive Adeodatum Matiſconenſem Epiſcopum ad annos ſeptimi ſeculi, triceſimum-primum, quadrageſimum, & quadrageſimum-quartum, ex probatiſſimis monumentis laudavimus. In vulgatis Indicibus, quos Severtius & Robertus ediderunt, Adeodatum proximè ſequuntur Decius & Domnolus, tum Leduardus. Apud Severtium Deodatus & Decius Epiſcopi ſeculum integrum complent. Si placet hæc Chronologia, mutilus non eſt Epiſcoporum Matiſconenſium Catalogus, & Domnolus, quem anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-tertio ſediſſe conſtat, deceſſor eſſe potuit Leduardi, cujus obitus ineunte nono ſeculo contigit. Severtius anno Chriſti ſeptingenteſimo undeſeptuageſimo Leduardum Domnolo ſufficit. Robertus ad eundem annum pro Leduardo citat Diploma Caroli, cui Madalbertus Notarius ſubſcripſit; at hæc Charta poſt annum Redemptoris octingenteſimum debet rejici, quia Carolus in ea ſe divinâ Clementiâ Imperatorem Auguſtum dicit. Leduardum omiſerunt Sammarthani. Nos poſt Deodatum, de quo poſt Concilium Cabilonenſe ſub Clodoveo Secundo Rege, ſeu poſt annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-quartum, nihil occurrit, ad nonum uſque ſeculum tres duntaxat Epiſcopos, Decium, Domnolum & Leduardum Eccleſiæ Matiſconenſi * præfuiſſe non arbitramur; quibus etiam locis inſerendi ſint ii, quorum nomina penitus exciderunt, haud benè novimus, quia de Decio nihil habemus omnino præter nomen, id verò tantùm de Domnolo, quòd anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-tertio Pontificatum geſſerit Pippino tum Majore-domûs, ut de Lednardo, quòd à Carolo jam Auguſto literas ineunte nono ſeculo pro dotatione Matiſconenſis Eccleſiæ ſcriptas acceperit. Ceterùm quoniam qui Leduardum proximè ſecuti ſunt Wichardus & Gundulphus,

AN. CH. 789.

phus, ii quoque Carolo tunc Imperatore tenuerunt Episcopatum, facilè credimus Leduardum priùs ad Episcopales Infulas promotum fuisse, quàm Abbo Testamentum suum conderet.

CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

Tunc Archiepiscopus Viennensis erat Ursio, de quo plura post quinquennium. Codex manuscriptus, è quo Testamentum Abbonis descripsimus, Indicem habet Gratianopolitanorum Episcoporum usque ad Hugonem primum, ut observatum suprà. Sed hic Catalogus, & qui vulgati sunt hactenus, præter Episcoporum nomina nihil omnino repræsentant à Concilio Cabilonensi usque ad Valentinum, sive ab anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto ad octingentesimum quinquagesimum-quintum. Diœcesi, quantùm ex Nomenclaturis colligi potest, præerat Corbus Episcopus, cùm Pippinus regnare cœpit, ut dictum Tomo superiore. Post Corbum Gratianopolitanam * Ecclesiam rexerunt, Leopardus seu Leopertus, Ardincus sive Ardentius, Odolardus, Radoldus sive Adoldus, Suipertus seu Suspectus, Ebroardus sive Ebroldus, Adalulfus sive Aladulfus vel Adadulphus, Ebbo sive Ebo cujus mentio fit in præfatione Synodi Valentinæ sub Lothario Augusto Caroli Magni nepote. Suspicamur Odolardum Episcopum fuisse cùm Abbo Testamentum condidit, Radoldum verò cùm Carolus Magnus obiit.

CCXII. GRATIANOPOLITANI. * de Grenoble.

Post biennium agemus de Concilio Narbonensi, cui subscripserunt, Elefantus Archiepiscopus Arelatensis, Desideratus Diensis Episcopus, & Amatus Episcopus Capentoractensis seu Vendascinus, quos admodum probabile est sedisse, cùm Abbo Testamentum fecit. In eadem provincia Viennensi secunda, sub Arelatensi Metropolita, Massiliensis Episcopus erat Maurontus, qui regnante Pippino Pontificatum suscepit, & in vivis ad annum usque quartum seculi noni superstes fuit. Mutili sunt autem per id tempus Episcoporum Tolonensium ac Vasionensium * in eadem provincia Catalogi.

CCXIII. DIENS. CARPENTORACT. MASSILIENS. * de Vaison.

In provincia Narbonensi secunda, Magnericus seu Maginccus aut Magnicus, cujus mentionem ante biennium jam fecimus, rursúmque post biennium facturi sumus, Aptensem Diœcesim administrabat. Reiensem Ecclesiam in eadem provincia gubernabat Riculphus juxta Chronologiam, quam de Reiensibus Episcopis post longam disputationem Tomo superiore [a] stabilivimus.

CCXIV. APTENS. REIENS. [a] Ad an. 759. n. 19.

Quis Darantasiensis tunc Archiepiscopus extiterit, haud ita patet, Baudomeris enim seu Bondemeri, qui Synodum Cabilonensem cum aliis Præsulibus anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto celebravit, proximi successores undecim, solis noti sunt nominibus, ad Teutrandum usque seu Teutrannum, qui Joanni Octavo Papæ synchronus vixit. Lege Franciscum Augustinum ab Ecclesia in Historia Pedemontanæ Regionis [b]. Post Bonimundum, quem existimamus Archiepiscopum fuisse, cùm Pippinus Regnum iniit, hi recensentur Archiepiscopi, Errufino sive Ermino, Possessor, Eodebertus sive Rodoabertus, Andreas, Audax, Teutrandus. Ex hac enumeratione colligimus Archiepiscopales Infulas, cùm Abbo Testamentum condidit, penes Possessorem fuisse. Trium enim horum Archiepiscoporum Errufinonis, Possessoris, & Eodeberti Chronologiam sic instituendam ducimus, ut primus ad Archiepiscopatum promoveatur Pippino Rege adhuc superstite, tertius vitam finiat Ludovico Pio Imperium jam adepto, medius autem Possessor Pontificatum suscipiat claudátque regnante Carolo.

CCXV. ARCHIEPISCOPI DARANTASIENSES. [b] Cap. 42.

Ferdinandus Ughellus anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo-secundo, cùm Taurinensium * Episcoporum Indicem texeret, octavo loco Claudium Episcopum constituit *ante annum 774*, id, est antequàm Franci Longobardiâ potirentur, *eóque sedente* Novaliciensem Ecclesiam hæredem ab Abbone factam subjecit. In assertionis suæ probationem so-

CCXVI. * de Turin

AN. CH. 789.
CAROLI R. 21.
PIPPINI LUDOV. RR. 9.
CAROLI R. 1.
EPISCOPI TAURINENSES.
a In Ep. Taurin. 6.
PSEUDO-DIPLOMA CAROLI,

lum protulit Caroli Magni Diploma, quod hac Claudii subscriptione munitum publicavit. *Claudius Episcopus Taurinensis cognovi & subsc.* Istius Claudii nulla mentio fit apud Robertum & Franciscum Augustinum ab Ecclesia, qui Taurinensium Episcoporum Catalogum priùs ediderunt. Hi Taurinensium Pontificum nomina desiderari testantur à Rustico, qui Synodo Romæ anno Christi sexcentesimo octogesimo ab Agathone Papa celebratæ interfuit, ad Claudium usque Iconomachum, de quo sermonem sub Ludovico Pio sæpè faciemus. Diploma, quo nititur Ughellus, tale est Tomo quarto Italiæ Sacræ [a]. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Carolus Magnus divinâ illustrante Clementiâ honore Regni, & Romanorum Patricius prædignus, consilio Domini Apostolici pro Dei amore & remedio Illustrissimi patris, & matris nostræ, ac propter petitionem Donni consanguinei nostri Frodini Novalicensis Abbatis, & Hugonis filii nostri ejusdem Cœnobii Monachi, ipsi Monasterio in honorem Beatorum Apostolorum Petri & Pauli & Andreæ constructo, omnes terras, proprietates, unde Donnus Abbo Patricius eam Ecclesiam ditaverat, cum omni integritate & pertinentiis, sicut per Præcepta ipsius Abbonis Patritii & patris nostri Pipini pertinere videntur, corroboramus & penitus confirmamus, tertiam videlicet partem Secusinæ vallis cum tertia parte districti tam in montibus quàm in planitiis & aquis, & totum Lectadrum à petra stricta, & à cursu aquæ usque ad summitatem montium, & totam Novalicensem vallem cum montibus, & aquis, & piscationibus, & venationibus, & pratis utriusque partis vallis, & seratam cum omni districtu à descensu collis, qui est circa Secusiam, usque ad planitiem montis Cinisii, & ipsum etiam montem cum ripatico fluminis usque ad fontem Varsiniscam, & ne ab hominibus ad ipsum Cœnobium tantùm pertinentibus apud Secusiam, neque in alio loco ejusdem patriæ in coloneo pedagium, vel quislibet alius census in emendo, vendendo, seu in quibuslibet aliis negotiationibus exigatur. Portaticum verò navium solummodo ad hoc Monasterium spectantium, & quicquid D. Abbo Patricius sibi in Italia, seu in cunctis Galliis dedit, concedimus & confirmamus. E Regalibus verò beneficiis nostris huic tanto Cœnobio pro mercede animæ nostræ attribuimus, & absque omni retentu conferimus in partibus Franciæ Monasterium Sancti Medardi cum omnibus suis appenditiis, & Ecclesiam Beatæ Mariæ de monte Martyrum cum suis pertinentiis, atque Abbatiam Sancti Nicasii in Remis *, & quartam partem nostrorum redditruum, quos in Bellonensis civitate accepimus, cum iis omnibus, quæ genitor noster Pipinus ipsi Monasterio dedit, & duas curtes in Mauriana * scilicet Arvem & Lianam, & Valonem atque Hectonem, & tertiam partem ejusdem vallis Maurianæ, quæ tamen ad nos spectant, & in Italia curtem Gabianam cum mille mansis ad ipsum pertinentibus, & curtem Soponici cum quingentis & septem mansis, & vallem Bardoniscam cum Castro Bardino, filiis Ludovico & Hugone rogantibus Concessiones autem Ducum, Marchionum, &c. auctoritatem Domini Papæ, cujus jussione hoc fecimus, prorsus corroboramus & confirmamus. Insuper etiam pro anima nostra salute, ejusdem Cœnobii perpetuâ tranquillitate volumus, atque nostrâ Imperiali auctoritate præcipimus, atque præceptali paginâ corroboramus, quatenus prædictum Cœnobium nulli de cetero nisi nostræ ditioni * subjaceat solummodo & successorum nostrorum, & ab omni Archiepiscoporum & Episcoporum, Ducum, Comitum, Marchionum, ceterorùmque hominum dominio liberum & absolutum permaneat, nec ullo tempore cuiquam successorum nostrorum prælibatum Cœnobium, vel quæ ad ipsum pertinere videntur hac præceptali paginâ seu quolibet scripto, alicui personæ tradere vel in beneficium concedere liceat, sed omni tempore Imperatoriæ sit tantummodo potestati subjectum. Præcipientes itaque jubemus, & nostrâ corroboratione firmamus, ut nullus Dux, Archiepiscopus, Episcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, Gastaldio, &c. Si quis autem hujus nostræ confirmationis & largitionis Præceptum rumpere præsumpserit, sciat se compositurum auri optimi libras mille, medietatem cameræ nostræ, & medietatem jam dicto Cœnobio suisque Rectoribus. Quod ut luce clarior red-*

* Remes.

* Mariana.

* dictioni

datur, & omni tempore inviolatum conservetur, manu propriâ roborantes, sigillo nostro signari jussimus. Signum Caroli Magni Gloriosissimi Regis. Ego Mandanarius Caroli Magni Notarius cognovi & scripsi. Signum Evasini Episcopi Astensis. Ego Conradus Cancellarius cognovi & subscripsi. Signum Henrici Archiepiscopi. Signum Ugbnis Episcopi. Claudius Episcopus Taurinensis cognovi & scripsi. Ego Remoardus cognovi & subsc. Signum Glariuti Archiepiscopi. Ego Risparcus Comes cognovi & subsc. Ego Archimerius Comes cognovi. Roso Comes cognovi. Datum in Ticini Palatio. Multa sunt argumenta, quæ Diploma commentitium ostendunt, potiora tantùm seligemus, quibus opinionem nostram stabiliamus tueamúrque.

Primò, Carolus numquam se cognomento Magnum dixit, aut prædignum se Patritium Romanorum vocavit. Ridiculum est igitur hoc Diplomatis exordium. *Ego Carolus Magnus divinâ illustrante Clementiâ honore Regni, & Romanorum Catricius pradignus.* Necnon & hæc Notarii subscriptio. *Ego Mandanarius Caroli Magni Notarius cognovi & scripsi.* CCXVII. Refellitur.

Secundò, Diploma datum dicitur *in Ticini Palatio.* Abbo Testamentum, quod suprà descripsimus, anno Caroli Regis vicesimo-primo, sive anno Christi septingentesimo undenonagesimo condidit, cùm alter Abbo Novaliciensis erat Abbas. Huic in administrationem Monasterii successit Frodinus, qui munus Abbatiale per annos tres ac quadraginta gessit. Carolus post conscriptum ab Abbone Testamentum, semel tantùm Papiam seu Ticinum adiit, anno scilicet primo noni seculi, cùm Româ rediret auctus Imperatoriâ dignitate. Tunc Abbonis Testamentum confirmare potuit *propter petitionem Frodini Novalicensis Abbatis.* At quomodo *propter petitionem Hugonis filii* sui, *ejusdem Cœnobii Monachi?* Reginam enim nondum duxerat, ex qua duos posteà filios, Drogonem videlicet & Hugonem suscepit, ut Eginhardus in ejus vita testatur, suisque locis fusiùs exponemus. Supposititium est igitur Diploma, seu Carolus quid confirmasse *propter petitionem Hugonis filii* sui, *Cœnobii* Novalisiensis *Monachi*, seu quid eidem Monasterio contulisse perhibetur, *filiis Ludovico & Hugone rogantibus:* CCXVIII.

Tertiò, Carolus *honore Regni* se sublimatum & *Romanorum* Patricium dicit, atque in contextu Diplomatis *Imperiali auctoritate* præcipit, *quatenus* &c. Hæc autem pugnant inter se, quia Carolus nomen Patricii deposuit, cùm Imperator & Augustus appellari cœpit. CCXIX.

Quartò, Carolus de Novalisiensi Monasterio sic statuisse fertur. *Nostrâ Imperiali auctoritate pracipimus, atque praceptali paginâ corroboramus, quatenus pradictum Cœnobium* Novalisiense *nulli de cetero nisi nostra ditioni subjaceat solummodo & successorum nostrorum, & ab omni Archiepiscoporum & Episcoporum, Ducum, Comitum, Marchionum, ceterorúmque hominum dominio liberum & absolutum permaneat, nec ullo tempore cuiquam successorum nostrorum pralibatum Cœnobium, vel qua ad ipsum pertinere videntur hac praceptali paginâ seu quolibet scripto, alicui persona vel in beneficium concedere liceat, sed omni tempore Imperatoria sit tantummodo potestati subjectum.* Hæc periodus non ætatem Caroli sed multò recentiorem sapit, cùm magnæ contentiones Romanos inter Pontifices Imperatorésque Germaniæ verterentur. Certè Carolus, qui dignitatem tantùm Imperatoriam in Occidente renovavit, nec ullum ex novo Imperatoris Titulo pagum suis ditionibus adjecit, nullo unquam Diplomate præcepit potuitve præcipere, *quatenus* Novaliciense *Cœnobium omni tempore Imperatoria tantummodo potestati subjectum* esset. Franciam in multa divisit Regna, diviserunt & ejus filius nepotes ac pronepotes. Unus tantùm vocabatur Imperator, ceteri promiscuè Reges Francorum appellabantur. Imperator ne vicum quidem habebat in sua potestate tanquam Imperator, sed quia Francorum Rex erat, Francici Regni partem, sicut alii Francorum Reges, hæreditario possidebat jure, nec CCXX.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

ullam in eosdem Reges, quos dignitate tantùm antecibat, obtinebat dominationem. Hæc suis probabuntur locis, & à nobis hîc breviter indicantur, ut observes omnia Novaliciensis Monasterii bona, quæ per diversas Franciæ provincias dispergebantur, non soli subjacuisse Regi, cui Titulus Imperatoris accesserat, idcóque numquam à Carolo scriptum, ut *prædictum Cœnobium omni tempore Imperatoria tantummodo potestati subjectum permaneret.*

CCXXI. Quintò, nobis non placent hæc verba, quibus Carolum in suo Diplomate usum volunt. *Auctoritatem Domini Papæ, cujus jussione hoc fecimus, prorsus corroboramus & confirmamus.* Carolus Abbonis Testamentum suo Præcepto confirmavit. Id autem non præstitit, ut Leonis Papæ jussioni pareret, aut ejusdem Pontificis auctoritatem corroboraret. Leo enim nec Abbonem, ut Testamentum conderet, suâ permovit auctoritate, nec Carolo jussit, ut illud Testamentum suâ confirmaret Præceptione. Carolus quomodo cúmque Testamentum Abbonis confirmarit, ipsemet in Codice

a Chart. 22. Chorcriano [a], quem à Clarissimo Viro Domino *de Vyon d'Herouval* nobis communicatum suprà laudavimus, hoc exposuit Diplomate; quod annis plurimis cum Imperiali Titulo jam decursis emisit. *In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, Karolus Imperator Augustus, Piissimus, à Deo coronatus, Magnus, Pacificus, Imperator Romanum gubernans Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum. Igitur notum sit omnium fidelium nostrorum Magnitudini, præsentium scilicet & futurorum, quia vir Venerabilis Frodinus Abba ex Monasterio, quod est constructum in honore Sanctorum Principum Apostolorum, loco nuncupato Novaliciis, missâ petitione per religiosos Monachos, Gislarannum scilicet & Agabertum, Serenitati nostræ suggessit, qualiter Abbo quondam vir Deo devotus per Testamentum Donationis suæ aliquas res ad ipsum Sanctum locum Novaliciis delegasset, unde ipsa casa Dei & Monachi ibidem consistentes, seu pauperes & peregrini euntes & redeuntes maximam consolationem habere videntur, & ipsum Testamentum nostris detulerunt obtutibus ad relegendum. Sed quia sæpissimè per Placita Comitum, per diversos pagos, necessitate cogente, ipsum ad relegendum detulerunt, jam ex parte valdè dirutum esse videbatur. Et ideò quia per se non fuerunt ausi ipsum Testamentum renovare, petierunt Celsitudini nostræ, ut per nostram jussionem denuò fuisset renovatum * eo tenore, sicut ipse ad hoc relegi meliùs potuisset. Nos autem*

* renovatum

*considerantes eorum necessitatem & mercedis nostræ augmentum, jussimus per fideles Notarios nostros infra Palatium ipsum Testamentum denuò renovare, ita ut deinceps pro mercedis nostræ augmento *, inspecto ipso Testamento, sicut inibi declaratur, ad ipsam casam Dei nostris futurísque temporibus proficiat. Non enim ex consuetudine anteriorum Regum hoc facere decrevimus, sed solummodo propter necessitatem & mercedis augmentum transcribere præcepimus * hoc modo, & subter plumbum sigillari jussimus.* Sequitur Abbonis Testamentum, quod suprà descriptum est. Unde colligas ab hoc genuino Caroli Diplomate plurimùm illud differre, quod Ughellus evulgavit.

* augmentum.

* præcepimus

CCXXII. Quamvis hic Auctor istud Diploma desumptum *ab authentico exemplari* scribat, pluribus non opus est argumentis, ut commentitium censeatur, sputiáque rejiciatur subscriptio Claudii Taurinensis Episcopi cum signo *Evasini Episcopi Astensis.* Evasinus sive Evasius Astensis Episcopus Luitprando Longobardorum Regi synchronus vixit. At antiqua desunt monumenta, quæ probent superstitem fuisse, cùm Carolus Longobardiam subegit, multò minùs cùm Abbonis Testamentum confirmavit. Quod ad Taurinenses Episcopos attinet, eorum interciderunt nomina qui post annum Christi sexcentesimum octogesimum sederunt, ad Claudium usque Iconomachum, de quo sæpè sermonem sub Ludovico Pio facturi sumus, frustráque Ughellus hunc Claudium sui nominis Secundum vocavit, atque alium, qui numquam fuit, ex fictitio tantùm Diplomate præmisit.

AN. CH. 789.
CAROLI R. 21.
PIPPINI LUDOV. RR. 9.
CAROLI R. 1.
CCXXIII.

Extant apud Joannem Beslyum in probationibus ad Historiam Comitum Pictaviensium [a] prolixæ narrationes de origine Monasterii Carrofensis, at scatent fabulis, licèt ex ipsius Cœnobii Tabulario descriptæ sint. In illis mira prorsus commentorum congeries. Ambæ Leonis Papæ ad Carolum profectiones haud distinguuntur, simul etiam confunduntur Legationes ad eundem Carolum ex Oriente diversis temporibus missæ. Leo præsente Carolo Monasterium dicat decimo-octavo Kalendas Julii. Carolus Leonis hortationibus impulsus Hierosolymam cum omni exercitu suo proficiscitur, id consilii pergratum esse Deo multis agnoscit Miraculis, à Basilio Patriarcha Hierosolymitano Reliquias obtinet, sacris pignoribus locupletissimè ditatus in Aquitaniam revertitur, & pretiosissimas exuvias in prædicto Monasterio perhonorificè deponit. Amputatis hujusmodi fabulis, si quid veri superest in iisdem narrationibus, illud paucis adverte. Cùm Carolus Francorum ac Longobardorum Rex Romanorúmque Patricius erat, & Ludovicus ejus filius in consortium Regni vocatus Aquitaniam omnem cum Septimania & parte citerioris Hispaniæ gubernabat, erectum est ad Carantonum amnem in Episcopatu Pictavienfi Monasterium, illic Monachi duodecim collocati cum Abbate, primarii fundationis authores Rotgerius Comes Lemovicensis ejúsque conjux Eufrasia, data pòst ad utriusque petitionem emunitas à Carolo Rege. Quibus autem annis hæc gesta sint, scire non possumus. Loci dedicationem decimo-octavo Kalendas Julias, hoc anno post Christum natum septingentesimo undenonagesimo consignandam putamus, quia tales cæremoniæ Dominicis diebus fieri solent, & decimo-octavo Kalendas Julii præfigitur in Kalendario litera D. Ab anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, quo Ludovicus à Carolo patre Rex est constitutus, ad annum usque octingentesimum, quo Carolus Patricii Titulum deposuit, séque Imperatorem & Augustum dixit, tres duntaxat observantur anni, qui per mensem Junium literâ Dominicali D præditi fuerint, nempe septingentesimus undenonagesimus, septingentesimus nonagesimus-quintus, & octingentesimus. In annum Redemptoris octingentesimum rejici non potest dedicatio de qua loquimur, quia posterius videtur Emunitatis Præceptum, quod à Carolo adhuc Patricio Romanorum necdum Imperatore concessum est. Ex aliis duobus annis elegimus septingentesimum undenonagesimum, David enim, qui secundum in Carrofensium Abbatum Catalogo locum tenet, Abbatiali munere jam fungebatur, cùm Emunitatis Chartam Carolus Rex emisit.

[a] Ad c. 1.

CARROFENSIS MON. FUNDATIO.

DEDICATIO.

CCXXIV.

Regium illud Diploma, si Chronologicis muniretur Characteribus, Carrofensi Chronologiæ non parum lucis afferret. Sic autem exhibetur loco jam citato. *Karolus Gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, & Patricius Romanorum. Maximum Regni nostri in hoc augeri credimus munimentum, si beneficia opportuna locis Ecclesiarum benevolâ * devotione concedimus, ac Domino protegente stabiliter perdurare conscribimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus nostris præsentibus scilicet & futuris, qualiter Vir Illustris Rotgerius Comes fidelis noster ad nostram accessit Clementiam & Monasterium proprietatis, quod ipse novo opere in honore Domini & Salvatoris nostri in loco nuncupato Karrofum super fluvium Karante in pago Pictavense construxit, cum omnibus rebus & ornamentis Ecclesiæ seu voluminibus librorum, & cum omnibus appenditiis suis vel adjacentiis, in manibus nostris plenissimâ deliberatione visum est delegare, ubi & Virum Venerabilem David constituit Abbatem. Idcircò ad ejus petitionem tale pro æterna retributione beneficium erga ipsum sanctum locum visi fuimus indulsisse, ut in Ecclesiis & locis vel agris seu reliquis possessionibus ipsius Monasterii, quas moderno tempore justè & rationabiliter possidere videtur, vel quod deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas ampliare, nullus Judex publicus ad causas audiendum, vel freda undique exigendum quoque tempore non præsumat, sed hoc ipse Abbas, vel successores sui, seu Congre-*

* exemplo

EMUNITAS.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

gatio ipsius Monasterii propter nomen Domini sub integra Emunitatis nomine valeant dominari. Statuentes ergo jubemus, ut neque vos, neque juniores, seu successorésque vestri, vel quislibet ex Judiciaria potestate in Ecclesiis, vel locis, vel agris, seu reliquis possessionibus suprascripti Monasterii nostri, ad causas audiendum, vel freda undique exigendum, nec mansiones aut paratas faciendum, vel fidejussares tollendum, aut homines ipsius Ecclesiæ distringendum, nec ullas redibitiones requirendum, ullo unquam tempore ingredi aut exactare præsumatis. Sed quod nos propter nomen Domini & aeternâ remuneratione indulsimus ad jam præfatum Monasterium perennibus temporibus proficiat in augmentum, quatenus avidiùs delectet ipsos servos Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis, uxoréque, ac liberis nostris attentiùs Domini misericordiam exorare. Et ut hæc præsens auctoritas nostris & futuris temporibus inviolata perdurare valeat, manûs nostra signaculis eam decrevimus roborari, & de annulo nostro jussimus sigillari.

CCXXV. FABULOSÆ DE ILLO NARRATIONES. Ex hoc Diplomate liquet Sancti Salvatoris Monasterium, de quo sermonem nunc habemus, à Rotgerio Comite conditum fuisse ad Carantonum amnem in loco, cui nomen Carrofum, Diœceseos Pictaviensis. Auctores tamen narrationum, quas Beslyus è Carrofensi Tabulario descripsit, opiniones de Carrofi nomine multùm diversas habent. Unus loco nomen Carrofi vult in procinctu Dedicationis inditum à Carolo. *Prolato coram Rege prædicto possessionum Testamento à Comite Rotjerio, statuit Rex super omn suæ auctoritatis edictum, ut ipse locus, quem etiam Karrofum tunc vocitari decrevit, cum omnium rerum suarum integritate, ac totius familiæ suæ numero, ab omnium potestatum, sive Episcoporum, sive laicorum, inquietudine, & ab omni prorsus dominatione maneret semper immunis. Hoc verò suæ auctoritatis Præceptum & anulo signavit suo, & Leonis S. R. E. Pontificis roboravit Privilegio. His ita ordinatis, ad Altaris & Ecclesiæ ipsius Dedicationem Leonem PP. cum plurimis Episcopis dirigit; qui venientes Altare vel locum in honore Sancti Salvatoris mundi, Sanctæque suæ Genitricis & Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, 18 Cal. Jul. dedicaverunt, & Ecclesiastico more cuncta ritè complentes, ad sua redierunt.* Alter contendit loco nomen Sancti Carrofi seriùs datum à populo post Altaris dedicationem, imò post Caroli reditum ex Oriente. *Quo*, inquit, *dedicata, cœpit conqueri Imperator cum Domno Apostolico & Duce Rotgerio de virtutibus Sanctorum, &, Deo dante, adjutorio & eorum consilio adiit Hierosalymam Imperator cum omni exercitu suo. Cùm verò pervenisset ad Sanctum Sepulchrum, exiit ei obviam B. Patriarcha Basilius cum paucis Christianis oblatis clavibus portarum sanctæ civitatis: pedibus verò nudis & venerandum corpus nudatum vestibus Rex ingressus est sepulchrum Domini, & factâ oratione indicavit Patriarchæ consilium sui pectoris. Inito verò consilio & indicto triduano jejunio, convocatis Patriarcha omnibus secum Christianis indicavit eis consilium Imperatoris. Illucescente ergo die tertiâ & Patriarchâ Basilio celebrante Missarum solemnia, & Imperatore Catholico flectente genua, apparuit super calicem Christi dextera signans sacra Christi pocula, posuit sanctam Virtutem super sacra vasa. Videns ergo Patriarcha vas sigillatum Christi dexterâ, advocat Imperatoris præsentiam; cúmque sereno vultu conspiceret Rex piissimus, astitit parti dexteræ benignissimus parvulus, & dixit pio ore audientibus omnibus. O Nobilissime Princeps, accipe hoc munusculum ex mea vera carne & sanguine. Suscipiens ergo Rex sanctam Virtutem in manibus oravit in cælum extensis manibus. Cúmque ab oratione cessasset, & cum gaudia ad propria remeasset, uni ex militibus soluta est anima ex carne. Videns itaque quod vitam finisset, signaculum Christi impressit ejus ori, & revixit vivens à morte. Cúmque cum gaudio remeassent, Lemovicam ingressi sunt urbem; obviam ei fuit Domnus Rotgerius cum quodam beato viro & gaudentibus populis, & cœpto itinere venerunt quasi miliarium super Karantonis fluvium, & posuerunt Sanctam Virtutem super aram Christi, & gaudentes populi imponentes nomen loci*

ANCH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

Sanctum Karrofum in charitate Christi, & gaudentes populi regressi sunt in propria, laudantes nomen Domini. Tertius eandem habet narrationem de Carolo, de Basilio, déque Miraculis suprà recitatis, deinde hæc de nomine cùm Sanctæ Virtutis tum Carrofi distinctissimè subjungit. *Imperator post multos sudores itineris, tandem pervenit ad fines Lemovicensium civitatis. Cui properanti ad civitatis mœnia Dux ille Rotgerius, de quo superiùs fecimus mentionem, obviam processit cum populi multitudine copiosa. Et ad Imperatorem perveniens de prosperitate requirit itineris. Imperator gesta & rem ex ordine pandit, fit in commune lætitia, sícque pervenitur ad urbis prædicta mœnia, ubi, quemadmodum * Regi placuit, suo cum exercitu comperendinavit. Post comperendinationem movit exercitum, & Duce Rotgerio comitatus, venit ad Salvatoris, pro quo tanta pertulerat, Monasterium. Quò perveniens, satis officiosè, prout possibile erat, susceptus Ecclesiam intravit, donum cæleste super altare posuit, illúdque tunc primùm Sanctam Virtutem nominari placuit. Quod nomen quia non sine nutu acceperit divino, hactenus testatur diversa Miracula faciendo. Rebus ita peractis, Imperator de loci nomine cogitare cœpit, tandémque cum consilio suorum Karofum vocitari decrevit. Quod nomen cur ei dederit, sicut nostros latuit Majores, ita quoque & nos latet, quamvis multa super hujus interpretatione nominis à multis dicantur. Quæ nos vanitati potiùs quàm veritati deputantes, silere potiùs quàm de his aliquid scribere elegimus.* At Carolino Diplomati potior est auctoritas, eliminandæque procul fabulæ, quæ de Leonis Papæ adventu in Aquitaniam, de Caroli profectione in Orientem cum exercitu, déque subsecutis Miraculis commemorantur.

* *quondam*

CCXXVI. ABBATUM CATALOGUS EMENDATUR.

Auctor primæ narrationis quatuor antiquissimos Monasterii Carrofensis Abbates hoc ordine recenset, Dominicum, Davidem, Gunbaldum, & Guillelmum, hujúsque Præfecturam cum Regno Caroli Calvi componit. *Conventus*, inquit, *Episcoporum factus est plurimorum, cum multa Cleri plebísque ac totius nobilitatis affluentia, pridie Kalendas Maii apud Vermerias Palatium ad Sancta videlicet Ecclesia reparandum statum juxta Canonum Decreta priscorum. Igitur in medio consessu Episcoporum Domno residente Karolo convenit eò Guillelmus Cœnobii Karrofensis Abbas deferens Regalia Præcepta.* Et paulò pòst. *Hic autem Guillelmus, post primum Dominicum, Davídque secundum, ac tertium Gunbaldum, jam quartus Abbas Cœnobii Carrofensis erat.* Eget adhuc hic Auctor emendatione, quia Justus Monasterii Carrofensis Abbas erat pridie Idus Februarias, anno Redemptoris octingentesimo decimoquinto, nam Ludovicus Pius Imperator in suo Diplomate, cujus hæ sunt notæ Chronologicæ, *dat. 2 Id. Febr. anno, Christo propitio, 2 Imperii Domini nostri, Indict. 8.* sic habet. *Noverit Sagacitas seu Utilitas omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm & futurorum, quia Vir Venerabilis Justus Abbas ex Monasterio Carrof. quod est constructum in honore Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, situm in pago Pictavensi, prope fluvium Karentona, obtulit obtutibus nostris auctoritatem Immunitatis Domini & Genitoris nostri Karoli bonæ memoriæ Piissimi Augusti, in qua erat insertum, quod ipsum Monasterium Rotgerius quondam Comes in suo ædificavit proprio, & cum omnibus rebus & ornamentis Ecclesiæ, seu & cum omnibus appenditiis & adjacentiis suis eidem Genitori nostro per Chartulam delegaverit Donationis, & quòd ad ejus petitionem ob inquietudinem judiciariæ potestatis sub sua devotione & Immunitatis tuitione consistere fecerat.* Ex hoc Diplomate, quod integrum suo loco recitabimus, apertè liquet Justum Abbatem fuisse ante Guillelmum, qui Præfecturam gessit regnante Carolo Calvo. Deinde hoc eodem Ludovici Pii Diplomate confirmatur Immunitas à Carolo patre nondum Imperatore data, cùm David Abbatiale munus exercebat. Duabus igitur hisce Chartis simul collatis, licèt ignoretur annus, quo Carolina sit emissa, tres hi nobis vetustissimi videntur Abbates Carrofenses, Dominicus, David & Justus.

ANTIQUISSIMI ABBATES.

AN. CH. 789. CAROLI R. 21. PIPPINI LUDOV. RR. 9. CAROLI R. 1.

Rotgerius Comes Lemovicensis Carrofense Monasterium in loco proprietatis suæ construxit. Ibi collocati duodecim Monachi cum Abbate Dominico. Tempus determinatè non proditur. Erectum Cœnobium Ludovico in Regni consortium jam adscito, non igitur ante annum Christi septingentesimum octogesimum - primum, quo Ludovicus à Carolo patre Rex est institutus. Idem Monasterium decimo - octavo Kalendas Julias, anno Christi septingentesimo undenonagesimo dedicatum est. Ergo prima illius incunabula referri debent ad unum ex intermediis annis, qui fluxerunt ab anno Christi septingentesimo octogesimo - primo ad septingentesimum undenonagesimum.

CCXXVII. DOMINICUS, Primus Abbas illius loci fuit Dominicus, superfuitque Dedicationi, sed non vixit ad istud usque tempus, quo Carolus Rex Emunitatem concessit.

CCXXVIII. Ab anno Christi septingentesimo undenonagesimo, quo facta Carrofensis Monasterii Dedicatio, ad annum usque Christi octingentesimum, quo Carolus Imperator acclamatus est, anni numerantur undecim. Illâ temporis intercapedine mortuus est Dominicus Carrofensis Cœnobii primus Abbas. DAVID, In administrationem Monasterii successit David, penes quem munus erat Abbatiale, cùm Carolus nondum Imperator Emunitatem ad Rotgerii Comitis petitionem dedit.

CCXXIX. JUSTUS. Successor Davidi subrogatus est Justus. Hic Abbas erat pridie Idus Februarias, anno Redemptoris octingentesimo decimo - quinto, ut ex Ludovici Pii Diplomate jam citato constat. Monasterii Præfecturam adeptus est Carolo tunc Imperatore, utrùm autem & Rotgerio Comite adhuc superstite non liquet. *Quandiu Rotgerius vixit, Karrofense Cœnobium quibus potuit muneribus ditavit, moriénsque suarum rerum, quia filium non habebat, heredem reliquit*. Id etsi legatur in narratione, quam falsitatis arguimus, à vero non videtur alienum.

CCXXX. Beslyus in Episcopis Pictaviensibus, eo tempore, quo Carrofense Monasterium fundatur, Bertrandum Episcopum laudat, additque illum in Rotgerii Comitis & Eufrasiæ conjugis Testamento nominari, deinde subjicit Sigibrannum, de quo plura sub Ludovico Pio Augusto dicemus. Post Benedictum igitur Episcopum, quem ad annum Christi septingentesimum EPISCOPI PICTAVIENSES. septuagesimum - octavum commendavimus, in Pictaviensi Cathedra sederunt, qui recensentur in vulgatis Indicibus Episcopi, Joannes, Bertrandus, Sigibrannus; nec audiendi sunt, qui Severinum interserunt ex Anianensi Diplomate, quod fusè suo loco refellemus. Nudum Joannis nomen occurrit. Bertrandus in Chartis Carrofensis Monasterii memoratur. Plura de Sigibranno dicemus Tomo sequenti.

AN. CH. 790. CAROLI R. 22. PIPPINI LUDOV. RR. 10. CAROLI R. 2.

ANNUS

CHRISTI		790.
CAROLI SEN.	R.	22. 19. 17.
PIPPINI II.	R.	10.
LUDOVICI	R.	10.
CAROLI JUN.	R.	2.

I. ANNO DCCXC *Franci quieverunt*. Ita clauduntur Annales Nazariani, quos hactenus citavimus. *Hujus anni principio*, inquit Annalista Metensis, *Rex Carolus primogenitum filium suum Carolum ultra Sequanam direxit, dans*

AN. CH. 790.

CAROLI R. 22. PIPPINI LUDOV. RR. 10. CAROLI R. 2.

dans ei Ducatum Cenomannicum, eodem anno æstatis tempore ad patrem revertitur. Hunc textum sic interpretare, ut Carolum, qui Neustrasiæ Rex jam constitutus fuerat, in Neustrasiam, ubi Ducatus Cenomannicus, ineunte hoc anno à patre directum eredas. Senior autem Carolus, ut Annalista Laureshamensis docet, *in Wormacia civitate Pascha celebravit.* Et, teste Annalistâ Petaviano, *ibi habuit magnum Conventum vel Placitum Deo propitiante, cum Francis*, filiúmque è Neustrasia reversum excepit, ut indicatum suprà. De ceteris rebus Laureshamensem Annalistam audi sic differentem. *Hoc anno nulla expeditio à Rege facta est, sed in Wormacia residens Legatos Hunnorum & audivit, & suos vicissim ad eorum Principes misit. Agebatur de confiniis inter eos Regnorum suorum, quibus in locis esse deberent. Hæc contentio atque altercatio, belli, quod posteà cum Hunis gestum est, seminarium & origo fuit. Rex autem, ne quasi per otium torpere ac tempus terere videretur, per Mœnum fluvium ad Sala Palatium suum in Germania juxta Salam fluvium constructum navigavit, atque inde iterum per eundem amnem secundâ aquâ reversus est*, & Wormaciæ *Natalem Domini celebravit.* Sala * fluvius, de quo sermonem hic habemus, oritur in hodierna Franconia, Turingiam ac Misniam cum Comitatu Mansfeldiensi * & Principatu Anhaltino * rigat, atque in Barbiensi * Comitatu sinistram Albis ripam subit.

CAROLUS R. CAROLUM FIL. MITTIT IN NEUSTRASIAM.

PER LEGATOS AGIT CUM HUNNIS DE CONFINIIS REGNORUM.

Carolus Wormariâ non tantùm ad Salam cui Regale Palatium adsidebat, sed etiam ad Vidulam * qui Remos alluit, hoc anno profectus est, ut Regium docet Diploma, quod Stephanus Peratdus ita publicavit. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Carolus gratiâ Dei Rex. Si ea quæ Sanctæ Dei Ecclesiæ adquisierit & fideles nostri, confirmaverimus Præcepto nostræ auctoritatis, idcircò scimus nobis Dei misericordiam præstolari, & viventes in nostra fidelitate promptiores exhibemus.* 11. *Quocirca noverit omnium Optimatum ac nostrorum fidelium solertia Regni * nostri, quoniam venit ad nostræ Sublimitatis Excellentiam Richertus Venerabilis Abbas ex Monasterio Sancti Eugendi Jurensis, in civitate Remis apud Sanctum Remigium, unà cum Abbate Dottone & Comite Adalardo, quos anteà direximus ad suum præfatum Cœnobium ad discernendas & inquirendas rationes quas ipse habebat & Gedeon Archiepiscopus Vesontionensis de Cella, in qua corpus beati Lupicini humatum jacet, humilitérque & adclinè supplicando petiit cum suis Monachis, ut eis concederemus & confirmaremus, Præcepto nostræ auctoritatis, rectitudinem, quam se ostendit habere ante nostrorum præsentiam Legatorum in prædicta Cella, cujus petitioni assensum præbentes, suam mansuetudinem humilitatémque videntes, præcipimus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, vel aliquis Ministerialis, ipsam Cellam subtrahat à prædicto Monasterio Sancti Eugendi, neque Monachis ibi Deo deservientibus aliquam molestiam neque damnitatem inferre præsumant, sed sicut temporibus priscarum Patrum vel Sanctorum (ut à multis didicimus) unanimes sive consortes fuerunt, in sylvis exartandis & terris laborandis, ita sint à præsenti & in futuro socii in prosperis & in adversis. Ne ergo aliqua persona ab hac die & deinceps lites inferat Monachis de prænominata Cella suisque appendiciis, donamus ad prædictum locum Condatiscensem, sylvam quæ vocatur Juris, à termino bracioli aqua, vocabulo Orba, & in ipsa contra terminationem Nigri montis, sicut pendit aqua, & in ipsa contrà ubi aqua in foveam intrat, usque in Alpes, & usque in viam quæ venit per mediam ferrariam, sicut aqua currit quæ vocatur Seronna, usque ad Brunnum Betus, & à Brunnum Betus usque ad Salcimanam, & à Salcimana usque ad Betus nocivum, & à Betus nocivum tertiam partem Escalon, & sicut ab ipsa jam dicta Orba partibus Occidentalibus venitur in Calmibus, Merrenses vocabulo, usquequo perveniatur in planiciem Parrochiæ Segonciacensis. Et ut hæc nostræ corroborationis authoritas pleniorem in Dei Nomine obtineat vigorem, manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione signavimus. Signum Caroli Gloriosissimi * Regis. Hrodmundus Notarius ad vicem Cancellarii recognovi. Data XI * Kalendas Octobris,*

LITEM DE CELLA S. LUPICINI MOTAM INTER ARCHIEP. VESONTION. ET ABB. JURENSEM COMPONIT.

* La Sale.
* de Mansfeld.
* d'Anhalt.
* de Barby.
* la Vesle.
* Imperio
* Serenissimi Augusti
* 11

AN CH. 790. CAROLI R. 22. PIPPINI LUNOV. RR. 10. CAROLI R. 2.

anno XXII *Regni Caroli Piissimi. Actum Remis civitate, apud Sanctum Remigium.*

In hujus Diplomatis margine Perardus annum notat 790, quocum annus Caroli Regis à Pippini patris obitu vicesimus-secundus componitur. Ejusdem Chartæ meminerunt Sammarthani Tomo primo Galliæ Christianæ in Gedeone Vesontionensium Archiepiscopo, & annum Caroli Regis vicesimum-secundum, quem à morte Carolomanni fratris numerarunt, interpretati sunt annum Christi 793; deinde Tomo quarto in Ricberto Abbate Jurensi, eundem annum Caroli Regis vicesimum-secundum de Regno ejus Burgundico intelligendum repetunt, licèt errore librarii scriptus hìc reperiatur annus Christi 790. Certè Remi, ubi datum Diploma; Cella, de qua disceptatum; Vesontio & Monasterium Jurense, quibus auctores litis Gedeon Vesontionensis Archiepiscopus & Ricbertus Abbas Jurensis præerant, fuerunt sub Carolomanni Regis potestate, nec ante hujus obitum Carolo fratri parere cœperunt. Hæc observatio Sammarthanis plurimùm favet, re tamen accuratiùs examinatâ, cùm Ricbertus Abbas anno Christi septingentesimo nonagesimo-secundo vitam clauserit, & veteres Annalistæ Carolum anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio procul à Remorum Civitate constituant, adstipulandum putamus Perardo, quia Carolus toto anno Christi septingentesimo nonagesimo pacem coluit, ejusdémque anni præcipuam partem sic Wormatiæ transegit, ut absque rerum narratarum dispendio Remos sub Autumnum potuerit proficisci. Ceterùm Diploma, de quo nunc agimus, sive anno Christi septingentesimo nonagesimo, sive anno pòst tertio datum dicas, emissum est à Carolo nondum Imperatore. Quapropter apud Perardum, ubi *signum* ostentabatur *Caroli Serenissimi Augusti*, reposuimus *signum Caroli Gloriosissimi Regis*. Hanc emendationem tenor Chartæ bis confirmat, sub initium enim *Carolus Rex* nuncupatur, & in subscriptione notatur annus *Regni Caroli*, Imperii nequaquam. Quod ad diem attinet, Sammarthani scribunt XI *Cal. Octob.* idque optimè, quia Carolus post patrem VIII *Kalend. Octobris* regnare cœpit, ut ex Annalibus Nazarianis ad annum Christi septingentesimum duodeseptuagesimum [a] retulimus.

III.

[a] Num. 10.

IV. Tomo primo [b] actum de Lauconnensi Monasterio, in quo sepultus fuit Sanctus Lupicinus. Locum illum posteri Cœnobium seu Cellam Sancti Lupicini vocarunt. Hac eadem de Cella disceptarunt Archiepiscopus Vesontionensis & Abbas Jurensis seu Condatescensis. Explicatam habes Caroli super ea lite sententiam in Diplomate suprà descripto.

[b] Ad an. 534. n. 24.

V. ARCHIEPISCOPI VESONTION. Gedeon Archiepiscopus erat Vesontionensis; Harifeo, qui Placito Attiniacensi subscripsit anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto, successerat in Archiepiscopatum. Archiepiscopi enim, qui Vesontionensem Ecclesiam octavo seculo gubernarunt, hoc ordine sunt recensendi, Albo, Wandelbertus, Euroldus, Aurulcus, Herveus, Harifeus, Gedeon. Quonam anno Archiepiscopus hic esse vel cœperit vel desierit non liquet. Cùm suscepit Archiepiscopatum, luctuosissimus erat Civitatis status: quam Saraceni penè flammis absumpserant, Ecclesiis adeò spoliatis, ut ex reditibus Sancti Joannis & Sancti Pauli vix tres ministri sustentari possent. Cladem illam explicuimus Tomo quarto ad annum Christi septingentesimum tricesimum-secundum [c].

[c] Num. 33.

VI. RICBERTUS ABB. CONDATESC. De Cella Sancti Lupicini cum Gedeone Vesontionensium Archiepiscopo disceptavit Ricbertus Abbas Jurensis seu Condatescensis. Hic apud Sammarthanos *in Chronico à quadringentis ferè annis conscripto dicitur Abbas fuisse annis 9*, id est, ad annum usque Christi septingentesimum nonagesimum-secundum, quia decessor Hyppolytus ad Deum migravit duodecimo Kalendas Decembris, anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio, atque ex hac computatione liquet Diploma, quod recitavimus,

AN. CH. 790.

CAROLI R. 22. PIPPINI LUDOV. RR. 10. CAROLI R. 2.

in annum Christi septingentesimum nonagesimum-tertium rejici non posse.

VII.

DOTTO ABB. LUXOVIENSIS.

Dotto Abbas, qui Remis aderat, cùm Carolus litem de prædicta Cella motam composuit, non alius fuit à Dottone, qui locum vicesimum-quartum in Catalogo Luxoviensium Abbatum apud Sammarthanos [a] obtinet, Andreæ, cujus mentionem ad annos Christi septingentesimum septuagesimum-quintum & septingentesimum septuagesimum-sextum fecimus, proximus successor. In Abbatum Luxoviensium Nomenclatura post Dottonem sequuntur, Sikelmus & Dadinus solis nominibus noti, deinde Ansegisus quem anno Christi octingentesimo decimo-quinto floruisse constat.

[a] Tom. 4 Gall. Christ.

VIII.

LUDOVI-R. AQUITAN PATREM ADIT.

ADELERICUS IN EXILIUM MITTITUR.

In vita Ludovici Pii, postquàm narrata sunt ea, quæ anno priore de Chorsone Duce Tolosano déque Adelerico Vascone commemoravimus, hæc proximè subjiciuntur ad hunc annum pertinentia, quo Carolus Wormatiæ resedit. *Æstate verò subsequente, jussu patris Ludovicus Rex Wormatiam simpliciter, non expeditionaliter venit, & cum eo in hibernis perstitit. Ubi jam dictus Adelericus ante Reges dicere causam jussus, atque auditus, purgare objecta volens, sed non valens, proscriptus atque inrevocabili est exilio deportatus. Chorsone porrò à Ducatu Tholosano submoto, ob cujus incuriam tantum dedecus Regi & Francis acciderat, Willelmus pro eo subrogatus est.*

CHORSO COM. TOLOSANUS EXAUCTORATUR. SUBROGATUR WILLELMUS.

Chorso, seu Ducem seu Comitem illum voces, Præfectus seu Gubernator fuit Tolosanus. Primum in Comitum Tolosanorum Catalogo locum tenet. Ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-octavo Præfecturam per annos duodecim gessit. Vocatur à plerisque Torso seu Torsinus. Ducatus seu Comitatus Tolosanus iisdem limitibus, quibus Episcopatus tum Tolosanus circumscribebatur. Nec audiendi sunt, qui vel Torsinum Tolosæ, Burdigalæ, Narbonæ ac Provinciæ præfuisse volunt, vel hodierno Linguodochio duas in partes diviso duos quoque Præfectos, superiori Torsinum, inferiori Bernardum attribuunt. Utrosque Guillelmus Catellus in Historia [b] Comitum Tolosanorum confutat. Bessus Historiam Ducum Narbonensium seriùs edidit, & ut Torsinum non Comitem modò Tolosanum sed Ducem etiam Narbonensem probaret, duobus usus est argumentis; unum sumpsit ex Auctoribus à Catello citatis, alterum ex Charta pro Monasterio Alectensi *. Scriptores, quos Catellus allegavit, ab eo quoque satis supérque sunt reprobati. Charta pro Monachis Alectensibus, nullius est auctoritatis, Torsinum enim seu Teteinum anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto nondum exauctoratum sic supponit. *In Nomine Domini, Amen. Anno sepcentesimo nonagesimo-sexto, & decimo Calendarum Februarii, in domo Cœnobiarcharum Electi *, Comitatu Redensi *, Dei gratiâ regnante Potentissimo atque Christianissimo Principe Carolo Magno Rege Francorum, sub illo regnante in ista provincia Tercino Principe Tolosensis & Narbonensis, palam me & testibus infrà scriptis*, &c. Bessus [c], ut extricare se posset, Torsini Ducis exauctorationem in annum Christi septingentesimum nonagesimum-nonum rejecit, & testem produxit Catellum paginâ quadragesimâ-quintâ, ibi enim Guillelmus Torsino legitur in Comitatu Tolosano subrogatus anno Christi 799, ídque scripsisse dicitur *Adelmus Benedictinus* in vita Ludovici Pii. Sed in Catelli textu Chronologicos Characteres constat esse depravatos, & anni 799 loco annum Christi 789 restituendum; eâdem enim paginâ, paucis lineis interjectis, ut aliis probationibus supersedeamus, Catellus Guillelmi Comitis, qui Chorsoni seu Torsino successit, annum quartum eum anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio componit, & Ludovici Pii vita, cujus Auctorem credit Adelmum Benedictinum, non alia est ab ea, quæ cuidam aulico professione Astronomo attribuitur, & in margine ad locum, ubi Chorsonis Ducis exauctoratio perstringitur, notatum habet annum 789. Inde fortassis in

IX.

COMITATUS TOLOSANUS.

[b] Lib. 1. c. 5.

* d'Alet.

* Alet.

* le Razez.

[c] Cap. 8.

AN.CH. 790. CAROLI R. 22. PIPPINI LUDOV. R R. 10. CAROLI R. 2.

affectati doli suspicionem veniet Bessus, qui certè nec Adelmum nec Catellum in opinionis suæ confirmationem proferre debuit. Ut autem Ludovici Pii vitam, quam Catellus consuluit, eandem censeamus cum ea, cujus incertus Auctor, qui se professione Astronomum & in ipsius Imperatoris Palatio versatum testatur, suadet hæc postrema Præfationis periodus. *Quæ scripsi usque ad tempora Imperii*, id est, usque ad tempus quo Ludovicus Imperium suscepit, *Adhemari nobilissimi & devotissimi Monachi relatione didici, qui ei coævus & connutritus est; posteriora autem, quia ego interfui rebus Palatinis, quæ vidi & comperire potui, stylo contradidi.* Nec te moveat, quòd in illo Prologo nuncupatur Adhemarus, quem Catellus Adelmum appellat. Adelmus & Adhemarus sæpè confunduntur. Audi Andream Duchesnium[a] in Præfatione quam Annalibus Eginhardinis, vel, ut vocamus, Lautesbamensibus præposuit. *Qui hos Annales primus in lucem dedit Hermannus Comes Nuenarius, de Auctoris illius nomine nihil certi habuit, sed per quendam Benedictina Religionis Monachum collectos fuisse, tantùm suspicatus est: cujus opinioni insistens Marquardus Freherus eosdem postea Adelmo nescio cui Benedictino, vel secundùm alios Ademaro Monacho tribuit.* Quod ad Chronologiam attinet, in ora prædictæ vitæ notantur anni complures, è quibus septingentesimus septuagesimus-octavus, septingentesimus octogesimus-septimus, duóque subsequentes ad ætatem Chorsonis pertinent. Cùm enim Chorso aliique Comites in Aquitanico Regno constituuntur, scriptum habes in margine annum 778. Deinde, ubi Chorso ab Adelerico circumventus dicitur, in margine legis annum 787. ut & annum 788 ubi sermo fit de subsequente æstate, quâ Ludovicus Rex jussu patris Wormaciam venit. Denique, ubi Chorsonis seu Chersonis exauctoratio commemoratur, in margine occurrit annus 789. Atque hæc est ratio, cur Catellus Guillelmum anno 789 subrogatum Chorsoni putavit. At ex veteribus Annalistis, Laureshamensi, Fuldensi, ac Bertiniano, qui diuturnam Caroli moram apud Wormatiam ad annum Christi septingentesimum nonagesimum observant, apertè liquet Chorsonem Adelerici dolos expertum esse anno Christi septingentesimo octogesimo-nono, & æstate proximâ, cùm annus Christi septingentesimus nonagesimus numerabatur, Ludovicum Wormatiam pertexisse. Textus autem è vita Ludovici Pii suprà descriptus non obscurè significat Chorsonem eodem exauctoratum esse anno, quo Ludovicus ad patrem ex Aquitania pervenit. Hoc esto nostræ Chronologiæ stabilimentum.

[a] Tom. 2. Collect. Hist. Franc.

X. LUDOVICUS IN AQUITANIAM REVERSUS CONVENTUM REGNI SUI CELEBRAT TOLOSÆ. NUNCIOS ABUTAURI SARACENI PETENTIS PACEM ET DONA MITTENTIS SUSCIPIT.

Eodem anno Ludovicus in Aquitaniam reversus est, & Tholosæ generalem Regni sui Conventum celebravit. Sic enim narrationem suam Auctor vitæ persequitur. *Chersone à Ducatu Tholosano submoto, ob cujus incuriam tantum dedecus Regi & Francis occiderat, Willelmus pro eo subrogatus est. Qui Vasconum nationem, ut sunt naturâ leves, propter eventum suprodictum valdè elatos, & propter multotionem Adelerici nimis repperit efferatos. Quos tamen tam astu quàm viribus brevi subegit, illisque pacem imposuit nationi. Rex verò Ludovicus eodem anno Tholosæ Placitum generale habuit, ibíque consistenti, Abutaurus Sarracenorum Dux cum reliquis Regno Aquitanico conlimitantibus, ad eum Nuntios misit, pacémque petens, & dona Regia mittens. Quibus secundùm voluntatem Regis acceptis, Nuntii ad propria sunt reversi.* De Abutauro sive Abitauro Saraceno jam locuti sumus. Adelericus unus è Vasconiæ Comitibus videtur fuisse, Vasconiam enim seu Novempopulaniam in multos divisam Comitatus observat Petrus de Marca in Historia Benearnensi[b].

[b] Lib. 1. c. 19. n. 5.

XI. Qui Chorsoni Isauretum subrogant, fabulas sectantur. In Comitatum Chorsoni successit Willelmus, ut ex vita Ludovici Pii probatum suprà. Hujus Comitis, de quo sermonem sæpè faciemus, vitam in epitomen redegit ac publicavit Ordericus[c] Vitalis Monachus Uticensis cum hac Præ-

[c] Lib. 6.

AN. CH. 790. CAROLI R. 22. PIPPINI LUDOV. RR. 10. CAROLI R. 2. WILLELMI COMITIS TOLOSAE PARENTES

fatione. *Nunc, quia de Sancto Guillelmo nobis incidit mentio, libet vitam ejus breviter hic inserere. Novi, quòd ipsa rarò invenitur in hac provincia, & nonnullis placebit de tali viro relatio veridica. Hanc etenim Antonius Guentoniensis Monachus nuper detulit, & nobis eam videre desiderantibus ostendit. Vulgò canitur à joculatoribus de illo cantilena, sed jure præferenda est relatio autentica, quæ à religiosis doctoribus solerter est edita, & à studiosis lectoribus reverenter lecta est in communi fratrum audientia. Verùm quia portitor festinabat abire, & brumale gelu me prohibebat scribere, sinceram abbreviationem, sicut tabellis tradidi compendiosè, sic nunc satagam membranæ summatim commendare, & audacis Marchisi famam propalare.* Ipsam verò vitam sic exorsus est. *Tempore Pipini Regis Francorum, Guillelmus ex patre Theoderico Consule & matre Aldana natus est. In infantia litteris imbutus est, & sub Carolo Magno militia mancipatus est. Nomen Consulis & Consulatum, & in rebus bellicis primæ cohortis sortitur Principatum. Deinde à Carolo Dux Aquitaniæ constituitur.* Hujus textûs singulæ partes exponendæ.

XII. ÆTAS, TYROCINIUM.

Willelmus, cùm Regnum Francorum penes Pippinnm Regem erat, lucis usuram accepit. Ab obitu Pippini Regis ad hunc usque annum effluxerunt anni duo supra viginti. Inde colligitur ætas Willelmi, qui tyrocinium sub Carolo Rege Pippini filio ac successore posuit, antequàm ab eodem Carolo Præfecturam provinciæ seu Tolosanæ seu cujuspiam altetius obtineret. Patrem habuit Theodoricum, matrem Aldanam. Theodericus seu Theodoricus non alius est à Thederico, cujus mentionem ad annum Christi septingentesimum octogesimum-secundum fecimus ex Annalibus Laureshamensibus, in quibus & Comes & propinquus Regis sic appellatur. *In ipsa Saxonia obviavit Thedericus Comes, propinquus Regis, cum iis copiis, quas auditâ Saxonum defectione raptim in Ripuaria congregare potuit.* Qui *Comes* ab Annalista Laureshamensi nuncupatur, *Consul* dicitur apud Ordericnm nullo veritatis Historicæ detrimento, nam voces illæ pro eadem dignitate sumuntur, & Comes seu Consul is est, qui Præfectus sive Gubernator alicujus territorii seu regionis constituitur. De Theodorici genere disputavimus suprà, negavimúsque Aldanam Pippini Regis sororem extitisse.

XIII.

Joannes Plantavitius in Lodovensium Præsulum Chronologia [a] vitam habet Willelmi Comitis Tolosani, quam ait à se repertam *in agiologio Joannis Molani Sanctorum Belgii*, cum tribus mendis, quæ paucis exprobrat emendátque. *Nempe quòd loco Lutovensis territorii, in quo situm est Monasterium*, quod Willelmus in Valle Gelonis erexit, *posuerit Lucinicnsis. Deinde quòd dixerit ejusmodi territorium esse in Arvernia, cùm in Occitania dixisse debuerit. Denique quòd illum Hannoniæ Comitem fecerit, cùm reverà Tolosæ Comes & Aquitaniæ Dux fuerit.* Agemus infrà de Cœnobio in Valle Gelonis extructo, satis est hic asserere, quòd Hannoniæ Comes numquam fuit Willelmus illius Monasterii conditor, quem Carolus hoc anno Tolosanum Comitem instituit superstite tunc in vivis ejus patre Theodorico, cujus mentionem ex Annalibus Laureshamensibus ad annos Christi septingentesimum nonagesimum-primum [illegible] septingentesimum nonagesimum-tertium adhuc facturi sumus.

[a] In epist. 1.

XIV. ADRIANUS PP. QUERITUR APUD CAROLUM,

[b] Cod Carol. ep 94.

XV. DE EPISCOPIS LONGOBARDIÆ QUI NON SUNT CONTENTI FINIBUS SUARUM PAROCHIARUM,

Adrianus Papa suis ad Carolum Regem litteris [b] iterum questus est, quòd aliquot Episcopi Longobardiæ non essent contenti finibus suarum Parochiarum, & Moniales relicto Monasterio illicitis nuptiis copularentur.

Prior pars sic habet. *Domno Excellentissimo filio nostróque spiritali compatri Carolo Regi Francorum & Langobardorum atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Si in rebus sæcularibus suum cuique jus & proprius ordo servandus est, quanto magis in Ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio, ne ibi discordia locum non inveniat, unde pax* [1] *deberet procedere? Quod hac* [2] *verè ratione servabitur, si nihil potestati sed totum æquitati tribuitur. Perlatum si-*

[1] pacis debeno
[2] Quod hac veneratione

AN. CH 790. CAROLI R. 22. PIPPINI LUDOV. RR. 10. CAROLI R. 2.

quidem ad nos est, quòd Langobardorum Episcopi alter alterutrum invadentes opponunt periculum, simúlque Ecclesiastica statuta enormiter deposcentes conantur invadere, & aliorum partes illiciter detinentes, in pristino errore perseverare moliuntur. Olim quippe eorum gens in errore existens vestra à Deo protecta Regali Potentia servata est à talibus malignis & infidelibus actis emendari, ut unde Gloriosiores ceteris Regibus eminetis, inde Omnipotenti Domino, qui dat salutem Regibus, perfectiùs placeatis, & fidem, quam Catholicè & Apostolicè per Beatum Petrum Apostolorum Principem, ejúsque Vicarium, Orthodoxè venerantes colitis, adjutricem in omnibus habere mereamini. Quapropter poscentes vestram à Deo promotam Regalem Excellentiam, quæsumus, ut eorum errores contemnentes, canonicè unusque suam Diœcesim Sacerdotali moderamine tenere, atque disponere Officio Ecclesiastico valeat; &, sicut termini seculares pro territoriis existunt, atque in judicio sub jure civitatis & ditionis actoribus disponuntur, ita ejusdem civitatis Ecclesia Episcopo Diœcesis atque Parochia non emittantur, ut dum unusquisque Episcopus, per instituta Sanctorum Canonum atque prædecessorum nostrorum Pontificum Sanctorum, Privilegiorum & Sanctionum jura receperint, in eorum Parochia atque Diœcesi in omni Sacerdotali officio ministrantes, dignè valeant pro vestra à Deo instituta Regali in triumphis ampla victoria & præcellentia fundere preces.

XVI. ET DE MONIALIBUS QUÆ RELICTO MONASTERIO ILLICITIS NUPTIIS COPULANTUR.

Posterior, sic. *Porrò & hoc vestra suggerentes Regali Excellentia innotescimus errorem illum, qui in eadem gente Langobardorum callidè regnare in stupris & spurcitiis diaboli non desinit. Semel quippe Deo se voventes, & veste fuscâ Monachico habitu induentes, iterum retrorsum revertentes, quod dici nefas est, seculares vestes circumferentes, illicito copulari matrimonio perhibentur, quatenus pro hoc sæpiùs ammonuimus per Guntfridum & alios* [3] Gasindos seu famulos *vestros epistolas dirigentes Raginaldo & Raginbaldo, ut tam detestabile stuprum devitarent. Sed ipsi nolentes adquiescere, per eorum contumaciam, filiam Ermenaldi Monachico habitu circumdatam suo nepoti, nomine Nazario, diabolicâ versutiâ copulaverunt, & nostris Apostolicis adhortationibus assensum tribuere noluerunt, & eorum adimplentes iniquam præsumptionem, ministri diaboli effecti sunt, & plures in Italia eorum invitari exemplo non desinunt. Prorsus nempe freti existimus, quia pro hoc Canonicas dispositiones vestro à Deo protecto Regali Culmini incognitas non esse credimus, qualiter talia tetra connubia eorum vetantes gladii ancipitis sanctionibus feriunt. Et idcircò petimus, ut nostris vestrísque temporibus Canonicè in omni Christiano populo nobis à Deo commisso tale illicitum scelus emendetur, ut per hoc vos ampliùs dignos cultores Omnipotentis Domini demonstretis, quemadmodum ab omni errore Christiano populo eruto, valeat cum Propheta clamare. [Domine, salvum fac Regem, & exaudi nos in die quâ invocaverimus te.] Quia crebrò in virtute tua lætatur, & super salutare tuum exultat vehementer, & fidem Sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia amplectens in ævo, sine errore astruens cum Sanctis omnibus permanebit, nósque in hoc ovantes, & gratias Omnipotenti Domino referentes, ejúsque divinam exorantes Clementiam pro vobis, ut Regni gubernacula longiori ævo, unà cum Domna Regina, atque præcellentissima sobole fruentes, in æthereis arcibus sine fine regnare mereamur. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.*

[3] & aliis Gasindis vestris

XVII. EPISCOPI ATREBATENSES.

Hoc anno, septimo Idus Januarias obiit Albericus sive Albricus Atrebatensis & Cameracensis Episcopus. Annum ac diem in Gallia Christiana notant Robertus & Sammarthani. Diem reticet Joannes Carpentierus in Historia Cameracensi [a], sed eundem retinet annum additque Albericum in Basilica Sancti Autberti sepultum fuisse. Successit in Episcopatum Hildoardus sive Hilduertus aut Hildiguardus. Id autem Locrius post annos septem rejicit.

[a] Part. 2. c. 2.

XVIII. ULTRAJECTINI.

Hoc eodem anno Teotardus seu Theodatdus Ultrajectinus Episcopus, cùm Ecclesiæ suæ præfuisset *annis sex*, ex hac vita discessit, & humatus

AN. CH. 790. CAROLI R. 22. PIPPINI LUDOV. RR. 10. CAROLI R. 2.

est in Ecclesia Sancti Salvatoris, ut Wilhelmus Heda testatur. Proximo successori nomen Harmokarus sive Erwacherus.

In Armorica Sancta Cunadanus sive Enadanus hoc pariter anno Venetensem Episcopatum post mortem Bilii suscipit.

XIX. VENETENSES.

XX. SEDUNENSES. ABBATES AGAUN.

Altheus, quem ex Abbate Agaunensi Sedunensem Episcopum factum diximus, hoc anno in vivis erat. Id in Sedunensium Episcoporum Catalogis testantur Franciscus Augustinus ab Ecclesia & Sammarthani. Nonnihil tamen difficultatis apud hos remanet in Agaunensium Abbatum Indice, ubi eundem Altheum Hadriano Papæ, hujus nominis Secundo, synchronum constituunt, successorémque faciunt Adalougi, qui Carolo Magno supervixit. Episcopi Sedunenses hoc sunt ordine recensendi. Alobotgus, cujus mentionem ad annum Christi septingentesimum septuagesimumquartum fecimus, Altheus, Theodulus, Adalongus. Et Agaunensium Abbatum Index sic instituendus. Benedictus Abbas anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo; Altheus Hadriano Papæ Primo, non autem Secundo synchronus; Adalongus ejusdem Althei non decessor sed successor. Annus, quo decessit Altheus, haud scitur. Ei successit in munus Episcopale Theodulus, de quo fusiorem sermonem ad annos Redemptoris octingentesimum secundum & octingentesimum undecimum faciemus.

XXI. RIPOLANUM MONAST. DITATUR.

In Diœcesi Florentina Ripolanum Sancti Bartholomæi Monasterium hoc anno multis possessionibus locupletatur à tribus fratribus, quorum hæc sunt nomina, *Atroald, Adonald, & Adopald*. Ipsum Donationis instrumentum apud Ughellum [a] consulere poteris. Initio, annus Christi septingentesimus nonagesimus per annos Regum in Italia, Caroli decimum-septimum, & Pippini decimum, necnon & per Indictionem decimam-tertiam sic designatur. *Regnante Domino nostro Carolo, & Pippino ejus* * *filio, Viris Excellentissimis Regibus, anno Regni eorum in Italia septimo-decimo, & decimo; Indictione decimâ-tertiâ.* Et, ne super Indictione quid scrupuli supersit, in fine mensis Julius sic additur. *Actum Florentia* XIV *die mensis Julii.* Prædicti fratres in eadem Charta proavum suum Adonaldum, qui Cœnobium ipsum *in propriis rebus à fundamentis construxit*, avum suum Atropaldum, qui munificum erga eundem locum se præbuit, patrem quoque suum Atripertum laudant, nec omittunt Eufrasiam amitam, quæ Monasterio cum Abbatissæ titulo præest, itémque Teupergam alteram amitam & Austripertam sororem, quæ vitam in eodem Cœnobio ducunt. Si fides est Ughello, superest adhuc in vivis Thomas Florentinus Episcopus, de cujus successoribus nihil auditur ante Pontificatum Eugenii Secundi Papæ.

[a] Tom. 3. in Episc. Flo- rent. n. 9.

* ejusque

EUFRASIA ABBATISSA.

XXII. HAYMO ET VEREMUNDUS MEDANI MONASTERII CONDITORES MORIUNTUR.

In Mediolanensi Diœcesi sub hunc annum obierunt Haymo & Veremundus fratres, Medani Monasterii conditores, de quibus ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-sextum locuti sumus. *Virtutum, quarum se maximè studio dedebant, præcipua caritas erga proximum fuit; quotidie in viduas, orphanos, aliósque inopes, suas erogabant facultates, & quidquid ædificationi Monasterii Monachorúmque sustentationi supererat nummorum. Ipsi interim pauperem vitam agebant; stramen iis aut paucula sarmenta lectus erant; cervical, saxum; stragulum, rudis storea; indusium, asperum cilicium: ita enim existimabant iis, qui sequi Christum constituissent, propriam exuendam esse voluntatem, ferendámque Crucem pœnitentiæ & mortificationis. Hanc illi rationem vivendi tenuerunt ad extremum usque diem, quem obiisse existimantur sub annum* DCCXC. *Corpora eorum in Sancti Victoris, quod juxta veterem Sancti ejusdem adiculam fabricarant, templo humata. Anniversaria eorum memoria, magnâ religione & populorum concursu recolitur Idibus Februarii*, quo die Bollandum consule.

XXIII. ABBATES HASNONIENSES.

Certiùs hoc anno ponitur obitus Geroldi Hasnoniensis Abbatis, cui post annos regiminis octodecim successit in munus Abbatiale Godefridus, qui

AN. CH. 790.

CAROLI R. 22. PIPPINI LUDOV. RR. 10. CAROLI R. 2.

pervenire potuit ad tempora Ludovici Pii. Lege Hasnoniensium Abbatum Catalogum apud Vinchantium in Annalibus Hanoniæ.

His circiter temporibus Carolus Cellæ Sancti Goaris Nasoniam villam ob sanatam Reginam contulit. Ea de re sic Wandalbertus in libro de Miraculis [a] Sancti Goaris. *Ejusdem Principis*, nempe Caroli, *conjux Fastrada, cùm vehementissimo dentium dolore torqueretur, & ad locum*, id est, ad Cellam Sancti Goaris, *ob remedium ejus doloris oratum venisset, continuò ut supplex facta est, incommodo caruit: ob quam rem data est ab Imperatore*, sive à Carolo Rege qui posteà fuit Imperator, *villa, quæ Nasonia nuncupatur, &*
XXIV. *in jure loci hactenus retinetur.*

[a] Num. 11.

CELLA S. GOARIS LOCUPLETATUR OB SANITATEM REDDITAM FASTRADÆ REGINÆ.

Apud Ugellum [b] hoc anno memoratur Aldo Veronensis Episcopus, à quo *omnes res, quæ ad ipsam Sanctam Dei Ecclesiam bonorum devotorúmque hominum collata fuerant, destructæ sunt*, ut posteà questus est Rothaldus ejusdem civitatis Episcopus in Diplomate, quod suo loco ex eodem Auctore describemus. Ceterum inter Aldonem & Rotaldum medius sedit Eginus, cujus mentionem infrà facturi sumus.

Apud eundem Auctorem [c] hoc quoque anno, Caroli Regis in Francia vicesimo-secundo, Diploma, quod anno priore pro Monasterio Ambrosiano Petrus Mediolanensis Archiepiscopus emiserat, à Rege sic confirmatum legitur. *Carolus, gratiâ Dei, Rex Francorum & Longobardorum atque*
XXV. *patritius Romanorum. Illud namque ad æternam beatitudinem seu stabilitatem Regni nostri in Dei Nomine pertinere confidimus, si justis petitionibus servorum Dei, in quo auribus nostris patefacta fuerint, libenter obtemperamus, atque ad effectum producimus. Igitur notum sit omnium fidelium nostrorum Magnitudini, præsentium scilicet & futurorum, qualiter vir venerabilis Petrus, sanctæ Me-*
XXVI. *diolanensium urbis Ecclesiæ Episcopus Serenitati Regni nostri suggessit, qualiter ob amorem Dei & venerationem Sancti Ambrosii, juxta corpora Sanctorum Martyrum Protasii & Gervasii, seu ipsius Beatissimi Confessoris Christi, Cœnobium institutum habeat, atque Monachos ibidem sub Regula Sancti Benedicti noviter, qui laudes Deo illic sedulas referrent, & pro felicitate Regni, ac totius populi Christiani sospitate, seu pro statu Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ exorarent, constituisset, atque inibi venerabilem Benedictum Presbyterum Abbatem ordinasset, unde petiit clementiam Celsitudinis nostræ, ut omnia, quicquid ipse pro divino intuitu ad jam dictum Monasterium ex rebus Ecclesiæ suæ Mediolanensis largitus est, vel moderno tempore ibidem justo tramite delegatum fuit, & nunc justè & rationabiliter partibus ipsius Monasterii possidere dignoscitur, vel quod in anteà à Deum * timentibus hominibus, tribuente Domino, additum, vel delegatum fuerit, nostris oraculis plenissimè confirmare deberemus, quatenus sub regimine & potestate Rectoribus, qui fuerint, Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, sicut ab ipso statutum esse cernitur, omni tempore permanere debeat, & quandoquidem divinâ vocatione Abbas ex ipso Monasterio de hac luce ad Dominum migraverit, licentiam haberent Monachi de ipso Monasterio Sanctæ Dei Ecclesiæ Mediolanensium, nobísque per omnia fidelem super se secundùm ordinem sanctum & Regulam Sancti Benedicti, eligendi Abbatem. Cujus petitionem, propter nomen Domini & reverentiam ipsius sancti loci, meritísque sanctis antedicti Pontificis compellentibus, nolumus denegare; sed in eleemosyna nostra ita concessisse atque in omnibus confirmasse cognoscite. Quapropter per præsentem auctoritatem nostram decernimus, ac jubemus, ut, sicut constat ab jam fato viro venerabili Petro Archiepiscopo Monasterium, ut suprà memorabamus, juxta corpora Sanctorum Martyrum Protasii & Gervasii, seu Confessoris Christi Ambrosii, unà cum adjacentiis vel appenditiis ipsius Monasterii, stabilitum esse, inspectâ ipsius auctoritate, per hoc nostra * Serenitatis Præceptum atque confirmationis donum perpetuis temporibus jure firmissimo stabiliter permanere habeat; & neque Abbas ibidem ordinetur extraneus ullo unquam tempore, nisi ex ipsa Congregatione, ut suprà diximus, Sanctæ Dei Ecclesiæ Mediolanensium, nobísque*

per

[b] Tom. 5. Ital. sac. EPISCOPI VERONENSES.

[c] Tom. 4. Ital. sacr. in Archiepisc. Mediolan. 31.

REGIUM PRÆCEPTUM PRO MON. S. AMBROS.

* Ughell. Deo

* Ughell. nostrum

AN. CH. 790. CAROLI R. 22. PIPPINI LUDOV. RR. 10. CAROLI R. 2.

*per omnia fidelis, quem fratres eligere voluerint, qui eos secundùm Divinas Leges & Regulam Sancti Benedicti, voleat gubernare. Etita censemus, ut nullus de nostris successoribus, seu prædicti Pontificis, unquam hanc nostram dispositionem, quam pro amore beati Christi Confessoris Ambrosii seu stabilitate Regni nostri confirmavimus, irrumpere atque destruere præsumat, sed, ut meliùs delectet ipsos servos Dei, qui sub norma beatitudinis ibidem vitam per tempora degere videntur, pro nobis, uxoréque nostra, ac liberis, seu stabilitate Regni nostri Domini misericordiam jugiter exorare, nostris, Deo auspice, futurísque temporibus, inviolabiliter atque irrefragabiliter perdurare vel consistere debeat. Et, ut hac auctoritas firmior habeatur, vel per tempora conservetur, manu nostrâ subter eam * roborare decernimus, atque annulo nostro sigillari jussimus. Signum Caroli Gloriosiss. Regis. Dat. in mense Aprile anno vigesimo-secundo & decimo-septimo Regni nostri. Actum Placentiæ ex Palatio nostro publico in Dei Nomine feliciter. Amen.*

* Ughell. eum

XXVII. EXAMINATUR SUBSCRIPTIO.

In hac subscriptione duplex epocha Carolini Regni consignatur, prima petitur à morte Pippini Regis, altera sumitur ab extincto Longobardorum Regno. Dubium non est, quin Carolus in Francia post Pippini Patris obitum anno Christi septingentesimo duodesexptuagesimo regnare cœperit, in Italia verò post deletam Longobardorum dominationem anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto. Pippinus è vivis excessit anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo, mense Septembri. Per mensem igitur Aprilem annus Caroli Regis in Francia vicesimus-secundus cum anno Christi septingentesimo nonagesimo convenit. At quia de mense, quo Carolus Francorum Rex Regem quoque Longobardorum se dixit, haud ita constat, in controversiam venire potest, utrùm annus Christi septingentesimus nonagesimus per mensem Aprilem cum anno Caroli Regis in Italia decimo-sexto, an cum decimo-septimo comparetur. Carolus eodem anno, quo triumphum de Longobardis egit, Romæ Pascha celebravit tertio Nonas Aprilis, Romá rediit ad obsidium Papiense, Papiâ pòst ad deditionem compulsâ captóque Desiderio Longobardorum Rege Regium in Longobardia Titulum assumpsit, séque deinceps non Francorum modò sed etiam Longobardorum Regem nominavit. Inde fit, ut apud plerosque mensis Maius initium Carolini Regni in Italia constituat. Id autem si verum est, annus Caroli Regis in Italia decimus-sextus in prædicta subscriptione restitui debet. Est & error in nomine civitatis ubi datum Diploma dicitur. Carolus ab Italia, ubi Placentia, procul aberat, nam Wormaciæ Paschalem Solemnitatem egit, ut observatum suprà; Wormaciam expuncto Placentiæ nomine reponendam putamus. Placentiæ tunc Episcopus sedebat Julianus, de quo consule Petrum Mariam *Campi* in Ecclesiastica Historia [a] Placentiæ.

[a] Lib. 7.

XXVIII. PIPPINUS R. LONGOBARDICAM LEGEM VARIIS AUGET SANCTIONIBUS.

Legem Longobardorum multis auxit Articulis Rex Pippinus. Id in dubium vocari nequit; quonam autem anno, manet incertum, certè ante annum Redemptoris octingentesimum quo Carolus acclamatus est Imperator, Rex enim à Pippino vocatur libro primo supradictæ Legis Titulo nono, Articulo duodetricesimo; libro secundo, Titulo quinquagesimo-tertio, Articulo decimo-sexto; & libro tertio, Titulo primo, Articulis vicesimo-secundo, vicesimo-quarto, & vicesimo-quinto. Placet igitur ipsas Pippini sanctiones hoc loco recensere, præsertim quia nullum hoc anno bellum gessit, & in Italia quietus degit.

XXIX.

Libro primo, Titulo secundo, *de compositionibus ad Regem pertinentibus* sic decernit Pippinus Articulo decimo. *De compositionibus, quæ ad Palatium nostrum pertinent, si Comes ipsas causas commoverit ad requirendum, ille tertiam partem ad ejus recipiat opus, duas verò ad Palatium: &, si per ejus negligentiam remanserint, & Missus Dominicus ipsas causas requirat, tunc volumus ut ille Comes illam tertiam partem non habeat, sed cum integritate ad Palatium perveniat.*

AN. CH. 790. CAROLI R. 22. PIPPINI LUDOV. RR. 10. CAROLI R. 2.

XXX. Titulo nono, qui *de homicidiis liberorum hominum* inscribitur, de peregrinis ita statuit [a]. *De advenis & peregrinis, qui in Dei servitio vel Romam vel ad alia loca festinant ad sanctorum corpora, ut salvi vadant & revertantur sub nostra defensione. Et qui ex ipsis peregrinis ausus fuerit occidere, LX sol. in sacro Palatio nostro componat, & insuper compositio ipsa fiat de ipso homicidio, cui Legibus Leudum ipsum pertinuit. Et hoc damus in mandatis, cunctis Episcopis, Abbatibus, seu actionariis nostris, ut hac omnis suprascripta justitia de praesenti, absque ulla tarditate, adimpleta fieri debeat, ut qui in tantos annos justitiam habere non potuerit, vel modò per Dei Omnipotentis misericordiam & Praeceptum Domini & genitoris Karoli Regis Francorum & Longobardorum ac Patricii Romanorum, simul & per nostram Praeceptionem unusquisque justitiam suam accipiat.*

[a] Art. 28.

XXXI. Titulo vicesimo-quinto, qui *de furtis & servis fugacibus* inscribitur, Pippinus tres habet [b] sanctiones. Unam, sic. *De servis & ancillis fugacibus, unusquisque Judex studium ponat ad perquirendum, juxta ut Edictum continet. Et hoc damus in mandatis, ut tam in Austria, quàm in Neustria, quómque in Aemilia & Tuscia, & littore maris, per omnia loca perquirantur suprascripti fugaces, & apud locum jurent sculdasii*, id est, exactores, qui delictorum poenas exigunt, *schuld* enim Saxonibus delictum est, *Decani, Saltarii* seu Saltuarii, *vel loco Praepositi * ut nullus hos celet *, & ubicumque inventi fuerint, unà cum Misso Comitis de ipso loco ad nos perducantur, ita ut jurare valeant, quòd neminem celassent.* Alteram, sic. *De fugacibus, qui in partibus Beneventi, & Spoleti, sive Romania*, id est, Exarchatûs Ravennatis, *vel Pentapoli confugium faciunt, ut reddantur, & sint reversi ad propria loca.* Tertiam, sic. *Quicunque post Missam Sancti Johannis Baptistae latroni mansionem dederit, si Francus est, cum XII similiter Francis juret, quòd latronem eum fuisse nesciret, licèt pater ejus sit, aut frater, aut propinquus. Et, si hoc jurare non potuerit, aut ab alio consecutus fuerit, quòd latronem in hospitio suscepisset, quasi & latro infidelis judicetur. Quia qui latro est, infidelis est in nostro Regno & Francorum, &, qui illum susceperit, similis est illi. Si autem audivit quòd latro est, & ipse tamen nescit firmiter, aut juret solus, quòd nunquam audisset, nec per veritatem, nec per mendacium, eum latronem esse: aut sit paratus, si ille posteà de latrocinio convictus fuerit, ut similiter damnetur.*

[b] Art. 73. & seqq.

* positi

* celes

XXXII. Titulo vicesimo-septimo, qui *de invasionibus* inscribitur, Pippinus hanc habet sanctionem [c]. *Ut nullus alteri praesumat res suas, aut alienam causam sine judicio legali tollere aut invadere, & qui hoc facere praesumpserit, ad partem nostram exinde bannum componat.*

[c] Art. 10.

XXXIII. Libro secundo Pippinus sanctiones multò plures adjecit, inseruítque Titulis longè pluribus, putà decimo, duodecimo, decimo-octavo, vicesimo, duodetricesimo, tricesimo-quinto, quadragesimo-secundo, quadragesimo-septimo, quadragesimo-octavo, undequinquagesimo, quinquagesimo-tertio, quinquagesimo-septimo, & undesexagesimo.

XXXIV. Titulo decimo, Articulo tertio sic habet. *Placuit nobis etiam, ut, sicut quaecunque foemina potestatem habet cum licentia viri sui res suas vendere, ita habeat potestatem donare.*

XXXV. Titulum duodecimum de mancipiis sic claudit. *De mancipiis Palatii nostri, & Ecclesiarum nostrarum, nolumus mundium recipere, sed nostra mancipia habere.*

XXXVI. Titulo duodevicesimo [d] *de ultimis voluntatibus* sic decernit. *Si cujuscunque res in eleemosyna data sunt, & ipse homo mortuus fuerit, antequàm eas dispenset, tunc Dominicus Missus unà cum Episcopo Parochiae ipsius consideret, qualiter pro mercede Domini Regis eleemosyna fiat facta, & infra XXX noctes adimpleta esse debeat.*

[d] Art. 6.

XXXVII. Titulus vicesimus *de eo, quod pater filiis vel filiabus necesse habeat relinquere*, sic à Pippino clauditur. *De filia, cujus pater per manum erogatoris*

omnes servos suos jussit fieri libertos, quia contra Legem esse videtur, statuimus, ut filia ipsa in tertiam portionem de præfatis rebus iterum introire possit.

Titulo duodetricesimo [a] præcipit Pippinus, *ut nullus comparet caballum, bovem, jumentum, vel aliam rem, nisi illum hominem cognoscat, qui ei vendiderit, aut de quo pago est, vel ubi manet, & quis est ejus senior.*

Titulo tricesimo-quinto *de manumissionibus*, Articulo undecimo Pippinus ita statuit. *Homo Denarialis non habeat hæreditatem in sua generatione antequàm usque in tertiam generationem perveniat. Et homo Chartularius similiter.* De Chartulariis & Denarialibus dictum alibi. XXXVIII.

Titulo quadragesimo-secundo [b], qui totus est de judiciis, Pippinus de Lege & Consuetudine sic sancit. *Placuit nobis inserere, ubi Lex deest, præcellat Consuetudo; & nulla Consuetudo superponatur Legi.* XXXIX. XL.

Titulum quadragesimum-septimum *de armis infra patriam non portandis, vel ad Placitum*, Pippinus ab hac auspicatur sanctione. *Ut nullus ad mallum, vel ad Placitum, infra patriam arma, id est, scutum & lanceam portet.* XLI.

Titulo duodequinquagesimo [c], qui *de Advocatis & Vicedominis* inscribitur, Pippinus, ut Sacerdotes Advocatos habeant, ita statuit. *De Advocatis Sacerdotum volumus; ut pro Ecclesiastico honore, & pro illorum reverentia, Advocatos habeant:* XLII.

Titulum undequinquagesimum sic orditur. *Ut viduæ & orphani tutores habeant juxta illorum Leges, qui illos defendant & adjuvent, ut per malorum hominum oppressionem justitias suas non perdant. Et si tutor illorum aliquis esse noluerit, Judex prævideat Dominum timentem hominem, juxta ut Lex illorum est, qui pro nostra Præceptione illorum causam peragere debeat.* XLIII.

Titulo quinquagesimo-tertio [d], qui *de officio Judicis* inscribitur, quinque insunt Pippini sanctiones. Prima, sic. *De universali quidem populo, qui ubicunque justitiam quæsierint, suscipiant tam à Comitibus suis, quàm etiam à Gastaldiis, seu Sculdasiis, vel loci Præpositis, juxta ipsorum Legem, absque tarditate. Et, si Comites Franci distulerint ad justitiam faciendam, & probatum fuerit, juxta ut eorum fuerit electio, ita pœna subjaceant: & de illorum honore ita fiat, sicut est consuetudo Francorum: Et de Longobardis Comitibus, qui ex ipsis neglectum posuerit ad justitiam faciendam, sicut illorum Lex est, ita componat. Et, si forsitan attenderit ad gasindium, vel ad parentem, aut ad amicum suum, seu ad præmium, & Legem non judicaverit, & probatum fuerit, widrigild suum componat, & honorem suum amittat, sicut ipsorum Lex est. Et, si Gastaldius, aut Sculdasius, vel loci Præpositus, de qualibet judiciaria, tam ad suos pagenses, quàm ad alias, qui justitiam quæsierint, non fecerint, sicut Lex ipsorum est, componat. Et, si forsitan Francus aut Longobardus, habens beneficium, justitiam facere noluerit, ille Judex, in cujus ministerio fuerit, contradicat illi beneficium suum, interim dum ipse, aut Missus ejus, justitiam faciat.* XLIV.

Secunda, sic. *Ut Judex unusquisque faciat jurare ad Dei judicia per civitates, homines credentes, juxta quantos prævideri, seu foras per curtes, vel vicos, ubi manent, ut cui ex ipsis cognitum fuerit, homicidia, furta, adulteria, & de illicitis conjunctionibus, ut nemo ex eis eas concelet. Et hoc damus in mandatis, ut si quis venerit justitiam reclamare super quempiam hominem, dicendo de homicidio, furto, aut præda, & ille, super quem dixerit, denegare voluerit, tunc ille, qui reclamat, si potuerit, approbet illud, &, si forsitan non potuerit approbare, & ipse, super quem dixerit, negaverit, quòd ipsum malum nec ipse, nec homines ipsius perpetrassent, & posuerit excusationem, & dixerit, [nomina mihi meos homines, qui tibi istud malum fecerint, ego tibi de illis justitiam faciam;] & ille incognitus, qui reclamat, nomina illorum hominum nescit, nec approbare potest, & ipsi, qui exinde veritatem sciunt, denegare voluerint, & ille, qui reclamat, dixerit, quia illi homines veritatem sciverint: tunc ipse Judex, qui in ipso loco est, faciat jurare homines, quilibet fuerint, Franci aut*

[a] Art. 4.
[b] Art. 6.
[c] Art. 3.
[d] Art. 14. & seqq.

AN.CH. 790. CAROLI R. 22. PIPPINI LUDOV. RR. 10. CAROLI R. 2.

Longobardi, quos ipse nominativè dixerit, ut dicant veritatem. Et, si credentes homines fuerint, in manu Comitis sui dextram dent; & , si latrocinia, vel furta, aut præda, inventa fuerint, emendentur, ita ut eorum Lex est, cui ipsum malum perpetratum fuerat. Tamen Judex de loco, unde fuerit, de latronibus & furibus studium ponat, ut iste pòst hìc habitans aut veniens in pace vivere valeat. Tertia, sic. *Placuit atque convenit nobis, ut omnes justitia pleniter facta esse debeant infra Regnum nostrum, absque ulla dilatione, tam de Ecclesiis, de Xenodochiis, seu pauperibus, & viduis, & orphanis, atque de reliquis hominibus, secundùm jussionem Domni Karoli Regis,* id est, secundùm Capitula [a], quæ Carolus Rex anno Christi septingentesimo octogesimo Legi Salicæ adjecit, & anno sequenti pro Lege haberi voluit. Quarta, sic. *Ut in illius Comitis ministerio ibidem Missi nostri Placitum non teneant, qui in aliquo Missatico directus est, donec reversus fuerit.* Quinta, sic. *Ut ubicunque Missi nostri, aut Episcopum, aut Comitem, aut Abbatem, vel alium quemlibet, quocunque honore præditum, invenerint, qui justitiam facere noluerit, vel prohibuerit, de ipsius rebus vivant, quamdiu in eodem loco justitiam facere debent.*

[a] Vid. a. 780. n. 2.

XLV. Titulo quinquagesimo-septimo [b], Pippinus hanc de diversarum Legum hominibus sanctionem habet. *De diversis generationibus hominum, quæ in Italia commanent, volumus, ut ubicunque culpa contigerit, unde faida crescere poterit, pro satisfactione hominis illius, contra quem culpaverit, secundùm Legem ipsius, cui negligentiam commiserit, emendet. De statu verò ingenuitatis, aut de aliis querelis, unusquisque secundùm suam Legem semetipsum defendat.*

[b] Art. 2.

XLVI. Titulo quinquagesimo-nono, duæ Pippini sunt *de perjuriis* sanctiones [c]. Una, sic. *Si quis perjurium fecerit, nullam redemptionem ei facere liceat, nisi manum perdat. Et, si ille, qui priùs illud sacramentum jurat, de illo perjuria probatus fuerit, & aliquis de suis juratoribus dixerit, quòd nesciens se ibidem perjurasse, aut hoc apud judicium Dei approbet verum esse, aut similiter manum perdat. De cujus causa perjurium fecerit, sicut mos loci illius, ubi perjurium factum est, à longo tempore fuerit, de eorum pretio emendare studeat.* Altera, sic. *Ut qui se perjuraverit, auc infamis eric, postquàm pœnitentiam acceperit, inculpabilis esse videatur.*

[c] Art. 3. 4.

XLVII. Libro tertio longè plures sunt Pippini sanctiones, sub paucioribus tamen Titulis, sanctiones videlicet duodetriginta sub Titulis octo.

XLVIII. Titulo primo, qui de Episcopis & Clericis inscribitur, sexdecim sunt Caroli sanctiones, quatuordecim Pippini, priores ad annum Christi septingentesimum octogesimum-primum [d] retulimus, posteriores hìc accipe.

[d] Nu. 10. & seqq.

XLIX. *I. Ut Ecclesia Baptismales, seu Oracula, qui eas à longo tempore restauraverint, mox iterum eas restaurent: & tam curtis Regia, quàm Longobardi, tales ibi habeant dominationes, quales illorum à longo tempore fuerit consuetuda.*

L. *II. Ut Pontifex unusquisque ordinet & disponat Ecclesiam suam Canonico ordine, & Sacerdotes suos vel Clericos distringat Canonico ordine vivendo. Et, si quis Pontifex Clericos suos Canonico ordine distringere noluerit, anathema sit. Et, si illi ad secularem pertransierint habitum, quod Canones Clericos prohibent facere, Comes qui in illo loco ordinatus fuerit, distringat illos in omnibus ad suam partem, sicut alios exercitales.*

LI. *III. Monasteria virorum & puellarum, tam quæ in mundio Palatii esse noscuntur, quàm quæ in mundio Episcopi sui seu reliquorum hominum, distringat unusquisque in cujus mundio sunt, ut regulariter vivant.* Per mundium tutelam seu protectionem intellige; à mundio fiunt mundeburdis & mundiburdium.

LII. *IV. Similiter in Xenodochiis, cujuslibet sint, fratres in omnibus pascantur, juxta possibilitatem locorum illorum.*

LIII. *V. Ut de restauratione Ecclesiæ, vel ponte facienda, aut strata restauranda, omnia generaliter faciant homines, sicut antiqua fuit consuetudo, & non anteponatur Immunitas, nec pro hac re ulla occasio perveniat.*

VI. Instituimus, ut sicut Domnus Karolus Rex commendavit de illis Mana-
chis, qui de Francia vel de aliis locis venerint, & eorum Monasteria dimiserint,
ut præsentialiter in illis partibus revertantur ad Monasteria: & nemo ex vobis
ipsos secum detineat.

VII. De Presbyteris, qui de aliis locis vel provinciis veniunt, ut nullus eos
debeat recipere, sine dimissoria Episcopi sui, de cujus Parochia sunt.

VIII. Placuit nobis de Ecclesiis Baptismalibus, ut in omnibus ita debeant
esse ordinata & conservata, ut Domnus Karolus Rex commendavit, & in suo
Capitulari continetur.

IX. Et hoc constituimus, ut Immunitates, quæ sunt jam à dicto patre nostro LIV.
confirmata, ut in omnibus conservata esse debeant, sicut jussio ipsius Domini Ka- LV.
roli Regis est. LVI.

X. Consideravimus, ut via, & portus, & pontes, infra Regnum nostrum in LVII.
omnibus pleniter emendata esse debeant, per illa loca, ubi jam anteà fuit con- LVIII.
suetudo. Nam per alia loca super ipsa flumina nullatenus pontes esse debeant.

XI. Stet nobis, ut Missos nostros, unum Monachum, & alium Capellanum; LIX.
direxissemus infra Regnum nostrum, providendo & inquirendo per Monasteria
virorum ac puellarum, quæ sub Sancta Regula vivere debent, quomodo est eorum
habitatio, aut qualiter est vita eorum, aut conversatio eorum, & quomodo
unumquodque Monasterium debeat habere, unde vivere possit.

XII. Ut quicunque Xenodochia habent, si ita pauperes pascere voluerint, & LX.
consilium facere, quomodo ab antea fuerit, habeant ipsa Xenodochia, & regant
ordinaliter; &, si hoc facere noluerint, ipsa dimittant, & per talem homi-
nem in anteà sint gubernata, cum consilio Episcopi, qualiter Deo & nobis exin-
de placet.

XIII. De Ecclesiis Baptismalibus, ut nullatenus laici homines eas tenere de- LXI.
beant, sed per Sacerdotes fiant, sicut ordo est, gubernata. Neque illi pagenses
negligentiam habeant de hoc, quod ibidem facere debent; & illi Sacerdotes eas
sic regant, quomodo Ordo Canonicus exposcit.

XIV. De Monasteriis & Xenodochiis, quæ per diversos Comitatus esse viden- LXII.
tur, & Regalia sunt, ut quicunque ea habere voluerint, per beneficium Domni
Regis habeant.

Titulo secundo, Articulo tertio, Pippinus *de Presbyteris, qui de alia pro-* LXIII.
vincia veniunt, iterum repetit quòd *nullus eos debeat recipere sine dimissoria*
Episcopi sui.

Titulo quarto, qui *de iterantibus* sive itinerantibus inscribitur, Pippinus LXIV.
hanc habet sanctionem [a]. *De Episcopis, & Abbatibus, Comitibus, seu Vassis* [a] Art. 5.
Dominicis, vel reliquis hominibus, qui ad Palatium veniunt, vel inde vadunt,
vel ubicunque pergunt per Regnum nostrum, ut non præsumant ipsi, aut homines
illorum, alicui homini suam causam tollere, vel suum laboratum: in tantùm si
non comparaverit, aut ipse homo suâ spontaneâ voluntate eis non dederit. Et
quando hybernum tempus fuerit, nullus audeat mansionem vetare ad ipsas iteran-
tes: in tantùm quòd ipsi iterantes injustè nullas causas tollant. Et, si aliquis hoc
præsumpserit facere, tam seniores, quàm vasalli nostri, & ipse homo ibidem ad
eos proclamaverit, tunc volumus, ut præsentialiter ipse, qui hoc fecerit, hoc quod
ad ipsum hominem tulerit, secundùm suam Legem emendet. Et, si evenerit,
quòd ei ipsa causa ibidem secundùm Legem præsentialiter emendata non fuerit,
& ad Palatium exinde proclamatio evenerit, tunc volumus, ut ipse, qui hoc ma-
lum fecerit, contra ipsum hominem, qui proclamaverit, secundùm suam Legem
emendet, & insuper ad Palatium nostrum bannum componat, ex eo quòd bannum
nostrum frangere ausus fuerit.

Titulus nonus est *de his, qui se in potestate alterius subdiderint, vel res* LXV.
suas per fraudem alienaverint, vel divisionem distulerint facere, complec-
titúrque novem sanctiones, omnes à Pippino conditas, si postremam ex-
cipias.

AN. CH. 790. CAROLI R. 22. PIPPINI LUDOV. RR. 10. CAROLI R. 2.

LXXVI. LXVII. LXVIII. *I. Statit nobis de illis hominibus liberis Longobardis, ut licentiam habeant commendandi, ubi voluerint, sicut anteà in tempore Longobardorum consuetudo fuit, in tantùm ut suo Comiti faciant rationabiliter quod debent.*

II. De illis hominibus, qui res suas alienaverunt, ubicunque super eas resident, distringat eos Comes, per excubias publicas, sicut Lex continet.

III. Placuit nobis, ut liberi homines, qui non propter paupertatem, sed ob vitandam Reipublica utilitatem, fraudulenter ac ingeniosè res suas Ecclesiis delegant, denuò sub censu utendas recipiunt, ut quousque res ipsas possident, & hostes, & reliquas publicas functiones faciant. Quòd si jussa facere neglexerint, licentiam eos distringendi Comitibus permittimus per ipsas res, non resistente Immunitate, ut status & utilitas Regni nostri hujusmodi adinventionibus non infirmetur.

LXIX. *IV. Volumus, ut similiter in laicali ordine hac servetur mensura, videlicet ut si quis alterius proprietatem, qui hostem facere possit, emerit, aut quovis modo ad eum pervenerit, eíque ad utendum eam dimiserit, si negligenter de hoste fuerit, per ipsas res à Comite distringatur, ut quoque modo publica utilitas non minoretur.*

LXX. *V. Videtur nobis, ut quicunque liber homo ingeniosè in servitium alicujus se tradiderit, is qui eum recipit, hoc quod ille, qui se in servitium tradidit, in publico per antiquam consuetudinem facere debuit, adimpleat.*

LXXI. *VI. De his personis, qua suas res ideo ad alienam personam delegant, ut ad Placitum venire non compellantur, ut mala, qua facta habent, non emendent. Quòd si apparuerit ideo delegasse, ne justitiam facerent, volumus, ut ipsa res in bannum mittantur, quousque ille, qui eas habet, authorem in Placitum adducat, & sic de malefactore justitiam faciat.*

LXXII. *VII. Pracipimus, ut de his fratribus, qui in nostris & Romanis finibus in paternam vel maternam succedunt hareditatem, si contigerit, quòd unus eorum Ecclesiastica militia sit mancipatus, & idcircò is qui seculariter militare debuerat, ut se ad defensionem Regni subtrahat, in nostris finibus partem substantia in portionem suscipere dissimulaverit, idcircò ut neque à Comite distringi valeat: ubicumque enim suus Comes eum invenerit, licentiam distringendi ei concedimus, ita ut primùm fidejussorem donet, ut ad Placitum veniat, & bannum nostrum persolvat. Si verò fidejussorem non invenerit, tamdiu per Comitem sub custodia teneatur, quousque fidejussorem inveniat, & bannum nostrum persolvat.*

LXXIII. *VIII. De liberis verò hominibus, qui in alienam potestatem mobile suum transferunt, ut causatores eorum pignorare eos non possint; placet nobis, ut eorum res infiscentur, quousque venientes ad audiendam justitiam faciant. Si verò venire contempserint, secundùm Capitulare Domini ac genitoris nostri de rebus eorum agatur. Nam & de rebus eorum habitâ astimatione damnum quasitori sarciatur. Qui verò illud mobile recipit, si hoc per sacramentum probare non potuerit, quòd propter justitiam alterius differendam illud mobile non recepisset, bannum nostrum persolvat. De fratribus namque, qui simul in paterna seu materna hareditate vivunt communiter, nolentes substantiam eorum dividere, occasione ut unus eorum tantùm in hostem vadat, volumus, ut, si solus est, vadat. Si verò duo, similiter. Si verò tres fuerint, unus remaneat. Si ultra tres numerus creverit, unus semper propter domesticam curam atque rerum communium excolentiam remaneat. Si verò inter eos aliqua fuerit orta contentio, quis eorum expeditionem facere debeat, tunc prohibemus, ut nemo eorum remaneat. In atate quoque illorum Lex propria servetur; & in nepotibus hac conditio remaneat similiter.*

LXXIV. Titulo duodecimo [a], Pippinus vetat, ne liberi homines opprimantur. *Placuit nobis*, inquit, *ut ullos liberos homines Comites nostri ad eorum opus in servitium non opprimant; &, quicumque hoc fecerit, secundùm judicium, quod statutum habemus, emendet.*

[a] Art. 2.

Titulo tricesimo-secundo, *qualiter judicium inter Episcopum & privatum fieri debeat*, sic exponit. *Ut qui se reclamaverit super Pontificem, quòd justitiam habeat ad inquirendum, dirigat illum Comes, aut per Missum suum, aut per epistolam suam, ad ipsum Pontificem. Et, si Episcopus ipse Francus aut Longobardus distulerit ad justitiam faciendam, tunc juxta ut ipsi Episcopi elegerint, ubi consuetudo fuerit pignorandi à longo tempore, ut in anteà in eo modo fiat pro justitia facienda. Et hoc statuimus; ut ubicunque Episcopi substantiam habuerint, Advocatum habeant in ipso Comitatu, qui absque tarditate justitiam faciat & suscipiat. Et talis sit ipse Advocatus, liber homo, bonæ opinionis, laicus aut Clericus, qui sacramentum pro causa Ecclesiæ, quam peregerit, deducere possit,* LXXV.
juxta qualitatem substantiæ, sicut Lex eorum habet.

Titulo tricesimo-tertio, qui *de rebus forfactis* inscribitur, sic statuit. *De* LXXVI.
rebus forfactis, quæ per diversos Comitatus sunt, volumus ut ad Palatium pertineant, transacto anno & die. Res forfactæ hîc dicuntur, quæ amissæ sunt ex delicto, seu quæ sunt confiscatæ, & in eo sensu leguntur *forisfacere & forfacere*, *forisfactum* & *forfactum*, *forisfactura* & *forfactura*.

Titulo tricesimo-quarto de hominibus Placentinis sic habet. *Non est* LXXVII.
nostra voluntas, ut homines Placentini per eorum Præceptum de curte Palatii nostri Aldiones recipiant. Hujus Articuli meminit Petrus Maria *Campi* libro septimo Historiæ Placentinæ in Juliano Episcopo.

Auctor Annalium Masciacensium, quos Philippus Labbeus [a] evulgavit, LXXVIII.
ad hunc annum de Andegario Episcopo sic disserit. *Andegarius Episcopus Monasterii Sancti Martini obiit XV Kalendas Februarii. Fuit autem ex genere Anglorum, sed pater ejus, Botto nomine, negotiator fuit in urbe Massilia. Fuit autem magnæ humilitatis, unde omnibus gratissimus habebatur.* Hos Annales non viderat Radulphus Monsnyerus, cùm adversùs Joannem Launoium jura Ecclesiæ Sancti Martini Turonensis propugnanda suscepit, ideóque nullam Andegarii mentionem fecit capite operis sui secundo, cùm Hadriani Papæ Privilegium, quod ad annum Christi septingentesimum octogesimum-sextum examinavimus, *verum esse & non suppositium* conatus est demonstrare. Non ita sentiendum de Luca Dacherio & Joanne Mabillono, cùm præfationem tertio Seculo Benedictino præmiserunt, nam tertio paragrapho textum inseruerunt suprà descriptum, & Indicem Episcoporum Martinianorum, quem Monsnyerus texuerat, auxerunt Wicterbo & Andegario, quorum unum Episcopum simul & Abbatem, alterum Episcopum tantùm prædicarunt. *Tam aperta*, inquiunt, *Scriptorum antiquorum testimonia sufficiunt ad illustrandam propriorum Episcoporum notitiam; qui aliquando iidem ipsi Abbates erant, ut Wicterbus; aliquando alii ab Abbate, ut Andegarius, qui Alcuino Abbate fuit Episcopus Martinianus.* Ut Wicterbum sic & Andegarium negamus Episcopum Martinianum fuisse. Nostram de Wicterbo sententiam ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-sextum [b], quo decessit, fusè Tomo superiori explicuimus. De Andegario quid sentiamus, hîc accipe.

[a] Tom. 2. Biblioth.

AN ECCLESIÆ MARTINIANÆ EP. ANDEGARIUS?

[b] Nu. 33. & seqq.

Antiqua desunt monumenta, quibus Auctores præcitati suam de Mar- LXXIX.
tinianis Episcopis opinionem tueantur. Monsnyerus nullum allegat Scriptorem, qui Martinianum Episcopum laudet ante hunc annum, quo mors Andegarii consignatur. Pontificiorum Diplomatum auctoritate munitum se dicit. At quænam sunt illa Romanorum Pontificum Diplomata? Duo profert, unum Adeodati, alterum Hadriani, sed ex utroque nihil præsidii nanciscitur. Adeodati Papæ Diploma, quod Tomo tertio accuratissimè per partes ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-quartum [c] examinavimus, ne verbum quidem habet, unde eruas permissum Martinianis Monachis, ut peculiarem Episcopum haberent. Quicquid in eo Diplomate narratur de Episcopo, id dubio procul intelligendum de Episcopo Turonensi, intra cujus Diœcesim Monasterium Sancti Martini

[c] Nu. 33. & seqq.

AN. CH. 790. CAROLI R. 22. PIPPINI LUDOV. RR. 10. CAROLI R. 2.

situm conspicitur. Verba Diplomatis clarissima sunt. *Reverentissime Episcope, in cujus Parochia memoratum venerabile Monasterium, vel res ejus ac possessiones constiterint, faciendæ tantùm ordinationis & promotionis Sacerdotum atque Levitarum, vel conficiendi Chrismatis sit tantùm concessa licentia.* Ad hæc verba, quæ profectò non ostendunt concessam Martinianis Monachis licentiam proprium habendi Episcopum, sic ipsemet ratiocinatur Monsnyerus [a]. *Non dissimulabo favere utcumque verba hæc Adversario, in eo, quòd licentiam illam proprium habendi Episcopum, ne sonare quidem minimùm videantur. At scias velim, cùm ex eo rescripto constet, Ægyricum Abbatem & Presbyterum Sancti Martini ab Adeodato Papa petiisse primùm, & verò etiam obtinuisse, Crotperto Turonensi Episcopo volente, & consentientibus Gallicanis Episcopis, exemptionem in perpetuum Monasterii Sancti Martini ab omni Turonensium Episcoporum Jurisdictione, consequens id esse, ut petierit quoque, & verò etiam obtinuerit facultatem habendi proprium Episcopum à se suisque Monachis eligendum, pro Sacerdotum & aliorum Ministrorum promotionibus, & pro Chrismate conficiendo, sive etiam, ut ait Hadrianus Papa, [per cujus prædicationem populus, qui à diversis regionibus ad sacra beati Confessoris limina concurrebat, erudiretur.]* Æquus examinet Lector, utrùm Privilegium à Crotperto Turonensi Metropolita concessum & ab Adeodato Papa confirmatum, quod Turonensi Metropolitæ, juxta receptam Privilegiorum formulam, in Monasterio Martiniano faciendæ ordinationis & promotionis Sacerdotum atque Levitarum necnon & conficiendi Chrismatis licentiam reliquit, ejusdem Cœnobii Monachis facultatem proprium habendi Episcopum concesserit. Addit tamen Monsnyerus concessionem illam textu Adeodati proximè citato contineri. *Concessionem verò hanc,* inquit, *præfatis Adeodati verbis contineri constans fuit ac perpetua Majorum nostrorum fides.* Ut autem id probet, unum allegat Papyrium Massonum, qui libro secundo de Romanis Pontificibus in Adeodato sic loquitur. *Reperi rescriptum Adeodati, quo Monachis illius loci peculiarem habere Episcopum permittit, connivente Cutperto, & Episcopis Galliæ quamplurimis consentientibus; Cutperto, inquam, cujus potissimùm intererat, Monachos illos peculiarem Episcopum non habere.* Sed non magis Massono quàm Monsnyero credimus. Apud utrumque, necnon apud Baronium, Binium, Sammarthanos & alios idem Adeodati Diploma legimus. Nulla nos editio docuit permissum tunc fuisse Martinianis Monachis, ut peculiarem Episcopum haberent. Fabulis igitur accensendum, quicquid in contrarium quocunque prætextu interpretationis à Massono cæterisque neotericis affertur. Porrò, si Monsnyero non favet Adeodatus, certè nec Hadrianus, cujus auctoritas eo tantùm consilio producitur, ut Adeodati Diploma confirmasse videatur. Lege ad annum Christi septingentesimum octogesimum-sextum quæ scripta sunt de Hadriani Diplomate, atque ex ejus refutatione conclude peculiarem Episcopum in Martiniano Cœnobio per illa tempora non fuisse.

[a] Cap. 2.

LXXX. Quod ad Annales Masciacenses attinet, horum unico præsidio gaudere possunt, qui Martinianis Episcopis Andegarium annumerandum putant. At invalidum hoc præsidium, quandoquidem ut Monachi Martiniani peculiarem Episcopum haberent, nec Privilegium Turonensis Metropolitæ, nec auctoritas Romani Pontificis accessit. Posito enim, quòd Martiniani Monachi peculiarem Episcopum non habuerint, Annalista Masciacensis facilem admodum interpretationem patitur. *Andegarius Episcopus Monasterii Sancti Martini obiit* XV *Kalendas Februarii.* Id est, decimo-quinto Kalendas Februarii vitam clausit Andegarius Episcopus, qui dictus est Episcopus Monasterii Sancti Martini, non quòd Episcopalem Sedem habuerit in Basilica Martiniana, sed quòd Episcopatu sponte abdicato Monasticam vitam in Cœnobio Martiniano duxerit. Sæpè contigit, ut Episcopi atque etiam Metropolitæ Monasticen in Galliarum Cœnobiis amplecterentur.

Exempla

Exempla vidimus in Wlfranno Senonensi Metropolita, in Eremberto Episcopo Tolosano, in Baino Taruannensi Episcopo, in Turnoaldo Episcopo Parisiensi, &c. Ex his nonnulli facti quoque sunt Abbates Monasteriorum, in quæ se receperant dimissis Episcopatibus. Testes prælaudati Bainus & Turnoaldus. Bainus Taruannensis Episcopus fuit ab anno Christi sexcentesimo octogesimo-primo, ad annum usque Christi sexcentesimum nonagesimum-septimum, quo Monachum induit in Cœnobio Fontanellensi sub Abbatis Hilberti disciplina, cui posteà in munus Abbatiale successit anno Christi septingentesimo, rexitque cum laude Monasterium annis octo, donec ad Deum feliciter migravit. Similiter Turnoaldus Parisiensis Episcopus fuit ab anno Christi sexcentesimo nonagesimo-quarto, ad annum usque Christi septingentesimum nonum, quo Monasticen in Cœnobio San-Dionysiano suscepit, ibique post annos septem, cùm Chilardus Abbas obiisset, anno Christi septingentesimo decimo-sexto factus est Abbas ejusdem loci regnante tum Chilperico Tertio, sub cujus successore Theodorico Quarto vitam clausit, longè antequàm ad Ecclesiæ Catholicæ regimen assumeretur Stephanus Tertius, qui Monachis San-Dionysianis, ut peculiarem Episcopum haberent, Privilegium dedisse fertur. Lege quæ de Turnoaldo accuratè Tomo superiore scripsimus ad annum Christi septingentesimum duodeseptuagesimum [a], quo Diploma Stephani Tertii recitavimus examinavimúsque.

AN. CH. 790. CAROLI R. 22. PIPPINI LUDOV. RR. 10. CAROLI R. 2.

[a] Nu. 41. & seqq.

LXXXI. Percelebris erat Monasterii Martiniani fama, cùm Andegarius Episcopus ibi Monasticam vitam professus est. Eò jam se receperat Wicterbus Episcopus, qui non tantùm ex Episcopo Monachus, sed & ex Monacho factus Abbas, Childerico Tertio & Pippino Regibus vixit synchronus. Andegarius ex Episcopo quidem Monachus, sed ex Monacho non est factus Abbas. Cujus Sedis Episcopus fuerit non liquet. *Fuit ex genere Anglorum*, ait Annalista Masciacensis. Plerosque regionarios Episcopos ex Anglorum genere commendavimus. Talis videtur Andegarius, qui Monachum induerit in Cœnobio Martiniano, vitámque clauserit sub Iterio Abbate. Sive autem regionarius fuit Episcopus, sive in Anglia vel alibi Sedem Episcopalem nactus est, Turonos non venit, ut Episcopus Martinianæ Basilicæ, sed ut Monachus illius loci fieret. Exemptionis seu libertatis Privilegia, quæ Monasteriis à Diœcesanis Episcopis concessa sunt, atque à Romanis Pontificibus nonnumquam confirmata reperiuntur, nullum omnino verbum de peculiaribus illorum Monasteriorum Episcopis habent. Episcopus, qui Privilegium concedit, in vetere Marculfi formula sic loquitur. *Ab antiquitus juxta Constitutionem Pontificum per Regalem Sanctionem Monasteria Sanctorum Lirinensis, Agaunensis, Luxoviensis, vel modò innumerabilia per omne Regnum Francorum sub libertatis Privilegium videntur consistere.* Quis autem unquam audivit id indultum Privilegii Monachis Lirinensibus, Agaunensibus, ac Luxoviensibus, ut peculiares in suis Monasteriis Episcopos haberent? Andegarius ideò tantùm laudatur, quòd *fuit magnæ humilitatis, unde omnibus gratissimus habebatur*, eáque commendatio præ ceteris optimè convenit viro, qui, cùm ordinatus esset Episcopus, dimisit Episcopale munus, ut Monachus inter Monachos viveret.

LXXXII. Hoc igitur esto nostrum de Andegario Episcopo judicium. Andegarius Episcopus abjecto Episcopali regimine secessit in Cœnobium Martinianum, ibíque Monasticam vitam ad obitum usque, sive ad annum usque Christi nonagesimum supra septingentesimum, duxit. Martinianus tunc Abbas erat Iterius, præfuitque Monasterio ab anno Christi septingentesimo octogesimo-secundo ad annum usque Christi septingentesimum nonagesimum-sextum, quo vivere desiit, eique datus est successor Alcuinus, ut ex ipsiusmet Alcuini literis suo loco probabimus. Atque ex his calculis obiter Auctores suprà nominatos redargue, quòd Andegarium, quem Ec-

AN. CH. 790. CAROLI R. 22. PIPPINI LUDOV. RR. 10. CAROLI R. 2.

clesiæ Martinianæ Episcopum perperam fingunt, per insignem adhuc errorem Episcopum constituant *Alcuino Abbate.*

LXXXIII. His circiter temporibus Gervoldus Fontanellensis Abbas Scholam erexit in suo Monasterio, ideóque sic ab illius loci Chronographo [a] commendatur. *Scholam in eodem Cœnobio esse instituit, quoniam omnes penè ignaros literarum invenit, ac de diversis locis plurimum Christi gregem aggregavit, optimísque cantilenæ sonis, quantùm temporis ordo sinebat, edocuit. Erat enim præfatus Gervoldus, quanquam aliarum literarum non nimiùm gnarus, cantilenæ tamen artis peritus, vocísque suavitate ac excellentiâ non egenus.*

[b] Cap. 15.

SCHOLA FONTANELL. INSTITUITUR.

LXXXIV. *Sub hujus* Gervoldi *tempore,* subdit idem Chronographus, *Presbyter egregius nomine Harduinus florebat, qui in Cella clari Martyris Saturnini, quam B. Wandregisilus ædificaverat, ob gratiam vitæ contemplativæ remotior degens, quæ sita in latere montis plaga Aquilonaris, præfatum Cœnobium spectat, plurimos Arithmeticæ artis disciplinâ alumnos imbuit, ac arte scriptoriâ erudivit; erat enim in hac arte non mediocriter doctus. Unde plurima Ecclesiæ* Fontanellensi *proprio sudore conscripta reliquit volumina,* quæ per ordinem ab eodem Auctore commemorantur. *Hic etiam religiosus vir Romam, præsidente in Sede ejusdem Ecclesiæ Adriano Apostolico, ad limina Apostolorum orationis ac visitationis gratiâ, locorum etiam Sanctorum, profectus est, prosperéque Domino comitante reversus.* Obiit Adrianus anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto; supervixerunt Gervoldus & Harduinus, ut suis ostendemus locis.

HARDUINUS PRESBYTER IT ROMAM.

AN. CH. 791. CAROLI R. 23. PIPPINI LUDOV. RR. 11. CAROLI R. 3.

ANNUS

CHRISTI		791.
CAROLI SEN.	R.	23. 20. 18.
PIPPINI II.	R.	11.
LUDOVICI	R.	11.
CAROLI JUN.	R.	3.

I. BELLUM HUNNICUM.

ANNO Christi septingentesimo nonagesimo-primo, Carolus Wormatiæ Pascha celebravit. *Inde autem itinere permoto partibus Bajoariæ, perrexit ad Reganesburg. Ibi exercitum suum conjunxit. Ibique consilio peracto Francorum, Saxonum, Frisonum, disposuerunt propter nimiam malitiam & intolerabilem, quam fecerunt Avari contra Sanctam Ecclesiam, & populum Christianum, unde justitias per Missos impetrare non valuerunt, iter fuit consilium peragendi, cum Dei adjutorio, partibus jam dictis Avarorum. Ibi constituerunt Letanias faciendi per triduo, Missarúmque sollemnia celebrando, Dei solatium postulaverunt pro salute exercitûs, & adjutorio Domini nostri Jesu Christi, & pro victoria & vindicta super Avaros. Supradictus verò Princeps de Australi parte Danubii iter peragens, Saxones autem cum quibusdam Francis, & maximè plurima Frisonum * de Aquilone parte Danubii similiter iter peragentes, ubi ad locum pervenerunt, ubi jam dicti Avari firmitates habuerunt præparatas. De Australi verò parte Danubii ad Cummeoberg, de alia verò ripa in loco qui dicitur Camp, quia sic nominatur fluvius ille, qui ibi confluit in Danubio. Avari enim cùm vidissent utrasque ripas exercitum continentes, [& navigia per medium fluvium venientes, à Domino eis terror pervenit; dereliquerunt eorum loca munita, quæ suprà nominata sunt, firmitatésque eorum vel machinationes*

* Frixorum.

AN CH. 791. CAROLI R. 23. PIPPINI LUDOV. RR. 11. CAROLI R. 3.

dimiserunt, fugâ lapsi, Christo perducente populo suo, utrosque exercitus sine læsione intraduxit supradictus Rex.] *Sicque iter peregerunt usque ad fluvium, cujus vocabulum est Raba. Et exinde uterque exercitus de ambabus ripis ad propria reversi sunt, magnificantes Deum de tanta victoria. Et celebravit Domnus Rex Carolus Natalem Domini in Reganesburg.* Hæc Annalista Loiselianus, ut publicatus est ab Andrea Duchesnio [a], qui nonnulla his notis [ ] inclusa supplevit è Codice Petaviano. Addit alia Codex Casinianus [b]. Imprimis ubi Loiselianus Francos, Saxones & Frisios nominat, habet Ripuarios, Frisones, & Saxones cum Thuringis. Deinde hæc de Pippini Regis exercitu è Longobardia directo, déque Avarorum regione à Carolo vastata subjicit. *Exercitus, quem Pippinus filius ejus, de Italia transmisit, introivit in Illyricum, & inde in Pannoniam, & fecerunt ibi similiter, vastantes & incendentes terram illam, sicut Rex* Carolus *fecisset cum exercitu suo, ubi ipse erat. Cùm autem vidisset Rex Carolus, quòd nullus ei de parte Avarorum resistere ausus esset, aut suis, tunc circumivit terram illam, per dies quinquaginta-duos incendendo & vastando cum præda sine mensura & numero, & captivos & mulieres & parvulos innumerabilis inde multitudo ducebat.* Denique mortem duorum Episcoporum in Codice Loiseliano prætermissam sic subjungit. *In ipso itinere obiit bona memoria Angilrannus Archiepiscopus Mediomatricis Ecclesiæ. Et Sympertus Episcopus ibi defunctus est.* Quæ stylo barbaro narrantur in præcitatis Annalibus, elegantiore phrasi contextúque dilucidiore sic in Laureshamensibus commemorantur. *Transacto vere, circa æstatis initium Rex de Wormacia movens Bajoariam profectus est eâ meditatione, ut Hunis factorum suorum vicem redderet, & eis quàm primùm posset bellum inferret. Comparatis igitur ad hoc ex omni Regno suo quàm validissimis copiis & commeatibus, bipartito exercitu iter agere cœpit. Cujus partem Theoderica Comiti & Meginfrido Cubiculario suo committens, eos per Aquilonarem Danubii ripam iter agere jussit. Ipse cum parte, quam secum retinuit, Australem ejusdem fluminis ripam, Pannoniam petiturus, occupavit, Bajoariis cum commeatibus exercitûs, qui navibus devehebantur, per Danubium secundâ aquâ descendere jussis. Ac sic inchoato itinere, prima castra super Anesum posita sunt. Nam is fluvius inter Bajoariorum atque Hunorum terminos medius currens, certus duorum Regnorum limes habebatur. Ibi supplicatio per triduum facta, ut id bellum prosperos ac felices haberet eventus. Tum demùm castra mota, & bellum genti Hunorum à Francis indictum est. Pulsis igitur Hunorum præsidiis, ac destructis munitionibus, quarum una super Cambum fluvium, altera juxta Comagenos civitatem in montem Cumeberg, vallo firmissimo erat extructa, ferro & igne cuncta vastantur. Cúmque Rex cum eo quem ducebat exercitu usque ad Arrabonis fluenta venisset, transmissa eodem fluvio, per ripam ejus usque ad locum, quo is Danubio miscetur, accessit, ibique stativis per aliquot dies habitis per Bajoariam reverti statuit. Alias verò copias, quibus Thedericum & Meginfridum præfecerat, per Behemannos viâ quâ venerant reverti præcepit. Sic peragratâ ac devastatâ magnâ parte Pannoniæ, cum incolumi exercitu Francorum in Bajoariam se recepit. Saxones autem & Frisones cum Thederico & Meginfrido per Behemannos, ut jussum erat, domum regressi sunt. Facta est autem hæc expeditio sine omni rerum incommodo, præter quod in illo, quem Rex ducebat, exercitu tanta equorum lues exorta est, ut vix decima pars de tot millibus equorum remansisse dicatur. Ipse autem cùm dimissis copiis Reginum civitatem, quæ nunc Reganesburg vocatur, venisset, & in ea hyematurus consedisset, ibi Natalem Domini celebravit.*

II. TRIDUANÆ SUPPLICATIONES IN CASTRIS REGIIS INDICTÆ.

Litania, Rogatio, Supplicatio, voces sunt synonymæ. Quam Laureshamensis Annalista *Supplicationem per triduum* factam dixit, Carolus Rex in suis ad Fastradam Reginam literis infrà citandis *Litaniam tribus diebus* indictam scripsit. Et in Concilio Moguntiacensi [c], quod idem Carolus anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio celebrandum curavit, *Litaniæ Græco nomine appellantur, quæ Latinè dicuntur Rogationes*, eædémque Litaniæ

[a] Tom. 2. Coll. Hist. Franc.
[b] Tom. 3. antiq. Lect.
[c] Can. 32.

AN. CH. 791. CAROLI R. 23. PIPPINI LUDOV. RR. 11. CAROLI R. 3.

indicuntur *propter rogandum Deum & impetrandam in aliquo misericordiam ejus.* Hujuscemodi triduanæ Supplicationes in duplici ponuntur differentia; aliæ quolibet anno statis fiunt diebus; aliæ qualibet anni tempestate, feriis secundâ tertiâ & quartâ, seu diebus Lunæ Martis & Mercurii celebrantur. Primi generis sunt eæ, quas Mamertus Viennensis Metropolitanus proximis ante Ascensionem diebus agendas instituit. Secundi generis sunt illæ, quas Carolus hoc anno Nonis Septembris duobúsque sequentibus diebus fecit. Posterioris hujus generis fuerunt & Rogationes, quarum mentionem Tomo primo ad annum Christi quingentesimom quinquagesimum-quartum [a] egimus. Illo anno, quarto Kalendas Julii, die Dominico, Gallus Arvernensis Episcopus ad Deum feliciter migravit, sequenti triduo, cùm corpus in Ecclesia jacebat, celebratæ Rogationes, quales ante Ascensionem fieri solent. Gregorium Turonensem in vita sancti Galli sic explicuimus. Huic expositioni locum varia dederunt exempla, quæ nos docebant usu receptum fuisse, ut instar Rogationum, quæ ante Ascensionem agi consueverant, aliis temporibus aliæ pro subitaneis causis indicerentur. Ipsemet Gallus anno ante obitum octavo, *Rogationes instituit mediâ Quadragesimâ*, ut in ejus vita testatur idem Gregorius Turonensis. Nostram igitur mentem non benè videtur assecutus Gabriel Cossartius in Appendice ad Tomum quintum Conciliorum, ubi Metensem Synodum, in qua Cautinus Sancti Galli successor Arvernensis Episcopus consecratus est, ex Ecclesiastica Gregorii Turonensis Historia [b] describit, nósque sugillat, quasi Dominicam Rogationum ante Ascensionem in diem quartam ante Kalendas Julii rejecerimus anno Christi quingentesimo quinquagesimo-quarto, quo mortem Sancti Galli consignavimus.

[a] Num. 3.

[b] Lib. 4. cc. 6. 7.

III. THEODORICUS COMES IN RIPUARIA.

Thedericus seu Theodoricus Comes, cujus operâ Rex adversùs Hunnos usus est, in Annalibus Laureshamensibus non semel commendatur. Pippini Regis frater fuit patruelis, auditâ Saxonum defectione copias *raptim in Ripuaria* congregavit anno Christi septingentesimo octogesimo-secundo, ut suo probatum loco, Comitatu donatum putamus in ea regione, potiorémque fidem idcircò tribuimus Codici Canisiano, qui Ripuarios accenset populis, quos Theodoricus in suis Castris habuit. Avarorum sive Hunnorum ditiones in Australes & Boreales medius dividebat Danubius, cui commiscentur in hodierno Austriæ * Archiducatu Anisus sive Anesus & Cambus, Francorum eorumdémque Avarorum certi tunc termini. Anisus * ad urbem cognominem subit dexteram Danubii ripam, sinistram Cambus * infra Chrembsam * oppidum è regione Trigisami *. Raba sive Arabo *, quem Carolus pertransiit, fluvius est in hodierna Hungaria cuique notus.

* l'Archiduché d'Autriche. * l'Ens. * le Camb. * Chrembs. * Trasmaur. * le Rab.

IV. LITERÆ CAROLI R. AD FASTRADAM REGINAM.

Melchior Inchofer in Chronico, quod Annalibus Ecclesiasticis Hungariæ præposuit, Carolum ad hunc annum sic laudat. *Feliciùs à Carolo contra Hungaros pugnatum, quòd fide quàm armis potentior, triduano jejunio, Litaniis & celebratione Missarum exercitum roborasset, & hinc jam designari cœpta Religionis apud ipsos fundamenta.* Quid secutum sit, suis dicemus locis. Interim literas accipe, quas Fastradæ Reginæ, quæ Reginoburgi remanserat, hoc anno scripsit Carolus, de nobilissima victoria, quam de Avaris Italicæ copiæ reportarunt, deque Litania trium dierum, quam ex Episcoporum consultu cum suis observavit.

V. *Karolus gratiâ Dei Rex Francorum & Langobardorum ac Patricius Romanorum, dilectæ nobis & valdè amabili conjugi nostræ Fastradæ Reginæ. Salutem amabilem tibi in Domino per hos apices mittere studuimus, & per te dulcissimis filiabus nostris, vel ceteris fidelibus nostris tecum manentibus. Scientem te enim facimus, quia, gratias Deo, sani & salvi sumus. Missus quidem dilecti filii nostri Pippini, nomine ill. nobis nuntiavit de ejus sanitate, ac Domni Apostolici, vel de salvatione confinium nostrorum illis partibus positorum, unde valdè latificati extitimus. Et insuper retulit nobis, qualiter illa scara, quas priùs de Ita-*

lia jussimus pergere partibus Avaria, in ill. confinia residendum, perrexerunt infra fines ipsorum decimo Kalendas Septembris, & inierunt pugnam cum eis, & dedit eis Deus Omnipotens pro sua misericordia victoriam, & multitudinem de ipsis Avaris interfecerunt, in tantùm, ut dicunt, quòd in multis diebus major strages de ipsis Avaris facta non fuit. Et expoliaverunt ipsum vallum, & sederunt ibidem ipsâ nocte, vel in crastina usque hora diei tertia. Et acceptis spoliis reversi sunt in pace, & centum quinquaginta de ipsis Avaris vivos comprehenderunt, quos reservaverunt, ut nostra fiat jussio qualiter exinde agere debeant. Fideles Dei ac nostri, qui hoc egerunt, fuerunt ille Episcopus, ille Dux, ille & ille Comites. Ill. Dux de Histria, ut dictum est nobis, ibidem benè fecit cum suis hominibus. Vassi verò nostri fuerunt illi. Nos autem, Domino adjuvante, tribus diebus Litaniam fecimus, id est, Nonis Septembris, quod fuit Lunis die, incipientes, & Martis, & Mercoris, Dei misericordiam deprecantes, ut nobis pacem & sanitatem, atque victoriam, & prosperum iter tribuere dignetur, & ut in sua misericordia & pietate nobis adjutor & consiliator, atque defensor in omnibus angustiis nostris existat. Et à vino & carne ordinaverunt Sacerdotes nostri, qui, præter infirmitatem, aut senectudinem, aut juventudinem, obstinere poterant, ut abstinuissent; & qui redimere voluisset, quòd vinum licentiam habuisset bibendi ipsis tribus diebus, ditiores & potentiores homines in unaquaque die solidum unum dedissent, minùs potentes juxta possibilitatem ipsorum, & qui ampliùs dare non poterat, & vinum bibere volebat, saltem vel unum denarium donasset. Eleemosynam vero unusquisque secundùm propriam atque bonam voluntotem vel juxta possibilitatem fecisset. Et Sacerdos unusquisque Missam specialem fecisset, nisi infirmitas impedisset; & Clerici, qui Psalmos sciebant, unusquisquè quinquaginta cantasset, & interim, quòd ipsas Litanias faciebant, discalceati ambulassent. Sic consideraverunt Sacerdotes nostri, & nos omnes ita aptificavimus, & Domino adjuvante complevimus. Unde volumus, ut tu cum ill. & ill. vel ceteris fidelibus nostris considerare debeas, qualiter ipsa Litania ibidem facta fiant. Tu autem juxta quod tua infirmitas permittit, in tuo committimus arbitrio. Et mirum nobis fuit, quia vester Missus, nec epistola, postquàm de Ragenisburgo, ad nos non venit. Unde volumus, ut sapiùs nobis de tua sanitate, vel de aliud quod placuerit significare debeas. Iterùmque salutamus te multùm in Domino. Hæ literæ, quas Jacobus Sirmondus [a] & Andreas Duchesnius [b] publicarunt, datæ sunt hoc anno, præditus enim fuit literâ Dominicali B, Nonæque Septembres, quibus cœpta Litania, cum die Lunæ coinciderunt. Fastrada Carolum in Bojoariam usque secuta fuerat, atque ad Danubium Ragenisburgi sive Reganesburgi vel Regini seu Reginoburgi, vel, ut nostrates hodie loquuntur, Ratisbonæ* manebat exitum belli præstolatura. Octavus agebatur annus, ex quo nupserat Carolo, vixit ad annum usque Christi septingentesimum nonagesimum-quartum, duásque tantùm filias peperit, quarum mentionem facit Eginhardus [c]. Quæri potest, utrùm ad has duntaxat, an etiam ad alias, quas ex Hildegarde susceperat, respexerit Carolus hoc suarum ad Fastradam literarum initio. *Salutem amabilem tibi in Domino per hos apices mittere studuimus, & per te dulcissimis filiabus nostris.* Ex eo certè quòd in præcitatis ad Fastradam literis Rex his utitur verbis, *filiabus nostris*, colligi nequit eum de solis locutum filiabus, quæ natæ sunt matre Fastradâ, cùm enim de Pippino Hildegardis filio sermonem facit, eandem protsus locutionem usurpat, *Missus*, inquit, *dilecti filii nostri Pippini*. Omnes Caroli filias in Fastradæ seu matris seu novercæ comitatu fuisse credimus. Eidem Carolo filii tunc erant quatuor; ex Himiltrude Pippinus; ex Hildegarde Carolus, alter Pippinus, & Ludovicus. Hildegardis filii Reges à patre jam instituti fuerant, Carolus in Neustrasia, Pippinus in Longobardia, Ludovicus in Aquitania. Nec dubium, quin Austrasia Pippino Himiltrudis filio servaretur, at hic impatiens moræ patris iram in se concitavit, ut anno proximo dicturi sumus. Pippinus junior

[a] Tom. 2. Conc. Gall.
[b] Tom. 2. Coll. Hist. Franc.
* *Ratisbonne*. Germanis *Regensburg*.
[c] In vit. Car. M.

AN.CH. 791. CAROLI R. 23. PIPPINI LUDOV. R R. 11. CAROLI R. 3. LUDOTICUS R. AQUITANIÆ PATREM ADIT.

è Longobardia copias adversùs Avaros misit; testes hujus rei literæ Caroli patris ad Fastradam Reginam suprà descriptæ. Astronomus, qui vitam Ludovici conscripsit, postquàm res anno superiore in Aquitania gestas enarravit, hæc proximè subjungit. *Anno sequente, patri Regi Rex Ludowicus Ingelnheim occurrit, inde Renesburg* (Pithœus scribit *Ravesburg*, nos *Reginesburg*, id est, Reginoburgum, suspicamur restituendum) *cum eo abiit. Ibique ense, jam appellens adolescentiæ tempora*, attingebat enim annum ætatis decimum-quartum, *accinctus est, ac deinde patrem in Avares exercitum ducentem usque ad Chuneburg comitatus, jussus est reverti, & usque ad reversionem paternam cum Fastrada manere Regina. Itaque cum ea hyemem exegit imminentem, patre in expeditione cœpta permanente.* Totam hyemem in expeditione non egit Carolus, Natalem enim Domini cum Fastrada Regini seu Reginoburgi celebravit, ut dictum suprà. De duobus aliis ejus filiis, id est, de Pippino Seniore & de Carolo, nihil occurrit hic observandum.

VI. OBITUS ANGELRAMNI EP. METENS.

In Codice Canisiano, quem allegavimus, hoc anno moriuntur Angilrannus & Sympertus Episcopi. Metensis Episcopus erat Angilrannus. In Catalogo, quem Codex Sancti Symphoriani Metensis suppeditavit, ita commendatus invenitur. *Angelramnus Archiep. & Palatii Capellanus, qui sedit annos* XXIII. *& dies* XXVIII. *requiescit in Monasterio, cui vocabulum Nova Cella, ob.* VII *Kal. Nov. in loco qui dicitur Afsuagabunc Chunisberg, & cessavit Episcopatus ann.* XXVII *& menses* III. Hæc cum nostra Chronologia mitè conveniunt, ab anno enim Christi septingentesimo duodeseptuagesimo, quo sedere cœpit Angelramnus, ad hunc usque annum quo vitam clausit, anni tres ac viginti numerantur. In Chronico quoque Metensium Episcoporum, quod Lucas Dacherius Tomo sexto sui Spicilegii publicavit, Angelrannus Præsulatum gerit *annis* XXIII, sed perperam *sub Apostolicis, Hadriano, Leone, & Stephano*, nam priùs è vivis sublatus est quàm Hadrianus, cui Leo, tum Stephanus in Pontificatum successit. Meurissius [a], quia interpontificium post Angelranni mortem non admittit, hujus Episcopatum ad annos usque quinquaginta, vitámque ad annum usque Christi octingentesimum duodevicesimum protogat. Codex Canisianus, cujus auctoritate nitimur, Angelramnum eodem anno, quo Carolus bellum adversùs Avaros suscepit, imò *in ipso itinere*, cùm in Caroli comitatu esset, mortuum testatur, locum reticet, *Afsuagabunc Chunisberg* vocat Codex Sancti Symphoriani, *Cummeoberg* Annalista Loiselianus, Lauteshamensis *Cumeberg*. Apud Meurissium in Martyrologio Metensi, septimo Kalendas Novembris hæc leguntur. *Obiit Dominus Angelramus Sanctæ Dei Metensis Ecclesiæ Archiepiscopus, qui Sancto Paulo*, id est, Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, *concessit Milleriacum. Unde debemus habere integrum servitium.* Cœnobium Sancti Nabotis, cui nomen etiam Novæ Cellæ, plurimùm dilexit. *Monasterium Privilegiis proventibúsque opportunis auxit, ac fabricæ parti, quam Sigisbaldus Episcopus moriens imperfectam reliquerat, extremam manum imposuit.* Ad illum locum post mortem delatus est, ibique sepultus requiescit. Ex Regia Caroli munificentia tumulum Sancti Naboris exornare cœperat, obiit autem opere nondum perfecto. Qua de re sic Alcuinus [b].

Pontificalis apex, Pastor, Patriarcha, Sacerdos,
Angeliramnus ovans, fretus pietate magistrâ,
Martyris egregii Naboris deductus amore
Cœperat intentus sacro vestire sepulchrum,
Amplificante pio Karolo per munera Rege.
Ne compleret opus, rapuit mors improba patrem.

VII. ET SYMPERTI EP. REGINOBURG.

Quod ad Sympertum Episcopum attinet, quem Codex Canisianus hoc etiam anno in comitatu Caroli Regis adversùs Hunnos profecti mortuum tradit, is Ecclesiæ Reginoburgensi præfuit. Apud Hundium [c] annos duos

[a] Lib. 2. in Episc. 35.

[b] Poem. 164.

[c] Tom. 1. Metrop. Salisb.

ac triginta sedet ex Reginoburgensium Episcoporum Catalogo, quatuor ac viginti ex Sancti Haymerani Chronico. Neutra nobis opinio placet, quia Sympertus anno Christi septingentesimo sexagesimo-primo Pontificatum suscepit. Annos igitur egit in Episcopatu triginta. Sepultus est in Basilica Sancti Emmerani, quam ex Regia Pippini Carolique munificentia plurimùm amplificarat. De successore movetur controversia, quia Constantinus, qui nominatur in Chronicis Sancti Emmerani, & anno uno Præsulatum gessisse dicitur, in Catalogo Reginoburgensium Episcoporum desideratur. Stamus ab hac Nomenclatura, & Symperto subrogamus Adalwinum, de quo plura dicemus infrà.

VIII. IN CASTRIS REGIIS. Ex prædictis liquet Angelramnum & Sympertum Episcopos in exercitu Caroli versatos fuisse, sed hos ne putes instar militum processisse galeatos ac loricatos. Angelramnus erat Apocrisiarius Apostolicæ Sedis & Archicapellanus Regii Palatii, Sympertus Diœcesim à castris non procul remotam administrabat. Si præter eos Episcopi fuerunt in exercitu, piis simul rebus ad auxilium Dei promerendum incubuerunt, ut testantur Caroli Regis ad Fastradam literæ. Nec dubium, quin id executioni tunc mandaretur, quod annis Christi septingentesimo octogesimo-primo & septingentesimo octogesimo-septimo in Conventibus Wormatiensibus firmatum fuerat, ne deinceps Episcopi præliis interessent.

IX. CODEX CAROLINUS. Hoc anno, Carolus epistolas à Romanis Pontificibus avo Carolo, Pippino patri, sibique scriptas, eò quòd nimiâ vetustate jam ex parte deletæ essent, memorabilibus iterum membranis rescribendas curavit, ut illarum volumini præfixa restatur vetus hæc membranacei Codicis inscriptio. *Regnante in perpetuum Domino & Salvatore nostro Jesu Christo, anno Incarnationis ejusdem Domini nostri* DCCXCI. *Carolus Excellentissimus & à Deo electus Rex Francorum & Langobardorum ac Patricius Romanorum, anno felicissimo Regni ejus* XXIII, *divino nutu inspiratus; sicut ante omnes, qui ante eum fuerunt, sapientiâ & prudentiâ eminet, ita in hoc opere utilissimum sui operis instruxit ingenium, ut universas Epistolas, quæ tempore bonæ memoriæ Domni Caroli avi sui, necnon & Gloriosi genitoris sui Pippini, suisque temporibus, de Summa Sede Apostolica beati Petri Apostolorum Principis, seu etiam de Imperio ad eos directæ esse noscuntur, eò quòd nimiâ vetustate & per incuriam jam ex parte dirutas atque deletas conspexerat, denuò memorabilibus membranis summo cum certamine renovare ac rescribere decrevit. Incipiens igitur, ut suprà diximus, à Principatu præfati Principis Caroli avi sui, usque præsens tempus, ita omnia exarans, ut nullum penitus testimonium Sanctæ Ecclesiæ profuturum suis deesse successoribus videatur* &c. Inde paret nullam illarum Epistolarum hoc anno posteriorem esse, cunctas fermè perstrinximus suis annis, quantùm ex aliis Scriptoribus vel ipsâ conjecturâ potuimus assequi.

X. Appendix ad Chronicon jussu Nibelungi Comitis conscriptum, quam citavimus hactenus, ad hunc quoque annum perducta est, nam quæ sub ejus finem sequuntur ad annum usque Christi octingentesimum sextum, iisdem planè verbis in Annalibus Loiselianis referuntur.

XI. CONCILIUM NARBONENSE. Hoc eodem anno, Caroli Regis vicesimo-tertio, celebratum est Concilium Narbonense, quod quinque Characteribus, inter se multùm discrepantibus, ita consignatum reperitur. *Anno Incarnationis Dominicæ* DCCLXXXVIII. *Indictione* XII. *Gloriosissimo quoque Domino Imperatore Karolo. Regnante ann.* XXIII. V *Kalend. Jul.* Annus enim Christi septingentesimus duodenonagesimus per mensem Junium nec cum Indictione duodecima, nec cum anno Caroli Regis vicesimo-tertio convenit, multò seciùs cum ejusdem Imperio, quod cœptum est exeunte anno Christi octingentesimo, cùm annus Regni per Franciam tricesimus-tertius, per Italiam vicesimus-sextus jam numerabatur. At anno Caroli Regis vicesimo-tertio, Franci publicis instrumentis nec annum Incarnationis Dominicæ, nec In-

AN. CH. 791.

dictionem apponebant. Ambo igitur hi Characteres inter supposititios amandandi. Titulus Imperatoris, qui Carolo tribuitur, à Stephano Baluzio multorum exemplorum auctoritate defenditur. Sed quisquis annum Incarnationis Dominicæ & Indictionem supposuit, is Imperatorem facilè dixit, quem debebat Regem vocare. Guillelmus Catellus in Historia Linguodochiana [a] Concilium hoc Narbonense primus publicavit, deinde Stephanus Baluzius in additionibus ad caput vicesimum-quintum libri sexti de concordia Sacerdotii & Imperii, novissimè Philippus Labbeus in postrema Conciliorum editione [b]. Synodum ipsam mendis, quas in Characteres Chronologicos irrepsisse diximus, aliisque quas ad oram notabimus, accuratè purgatam nunc accipe.

[a] Lib. 5. in Daniele Archiep. Narbon.
[b] Tom. 7. ad an. 788.

XII. *Gloriosissimo Domino Rege [1] Karolo, regnante an.* XXIII. v *Kal. Jul. dum pro multis & variis Ecclesiasticis negotiis, præsertim pro Felicis Urgellitanæ [2] Sedis Episcopi pestifero dogmate, monente per sua auctoritatis literas Domno Apostolico Adriano, ac Domino Rege [3] per Missum suum, nomine Desiderium, convenissemus urbem Narbonam, intra Basilicam Sancti Justi & Pastoris, ego scilicet Danihel, licèt indignus atque peccator, gratiâ tamen Dei, Sanctæ Metropolitanæ præmissæ urbis Episcopus, necnon & Elifantus [4] Arelatensis Episcopus, cum plurimorum Collegio Venerabilium Episcoporum, unà cum auctoritate Domini [5] Apostolici, Missoque prædicto Domini [6] Regis Karoli, inter cetera, quæ veraci sermone finem acceperunt, orta est querela coram nobis omnibus de Parochia Narbonensi, unde [7] præcipiente Domino Rege [8] subtili examinatione & speciali, ob prolixas altercationes, examinari jusserat. De qua Danihel Episcopus per testes idoneos, Justum [9] scilicet Agathensem Episcopum [10], & Witeringum Nemausensem Episcopum, atque Amicum Magalonensem Comitem, ceterosque quamplures, discutiendo elucidans, totum Reddensem [11] pagum super Winedurium [12] Heltnensem Episcopum evindicavit; & marginem Parochiæ Narbonensis ex alia parte usque ad fluvium [13], qui vocatur Orbus, quandiu vocabulum suum idem Comitatus retinet, superiùs & inferiùs perduxit, plenissimè ratione Wlfegarii Episcopi Biterrensis cum prædictis testibus superatâ. Prætereà idem Daniel Archiepiscopus de Ausonensi Parochia rationem adhibens, ostendit quòd nullo modo Episcopum ponere illic [14] potuisset ob paganorum infestationem, & quemadmodum auxiliante [15] Deo per antecessoris sui industriam quondam ibidem hæresis extincta fuit; & quia ejusdem pagi plebs, sicut quidam ipsorum [16] in præsentia retulerunt, nulli Parochiæ adhærere vellet [17], nisi Narbonensi, ob principalitatem tantæ Sedis præcipua. Cujus Archiepiscopi rationem [18] salubrem esse comprobantes, pro [19] prædictis commoditatibus, & ne confinio Hispaniæ occasionem tristitiæ ingereremus [20], unanimiter justo perpendimus examine, ut nulli Sedi deinceps sociata habeatur, nisi Narbonensi, servatâ verumtamen auctoritate, si per se Episcopum habere nequiverit. Rogamus igitur cunctos subsequentes nos, & hoc nostræ auctoritatis confirmamus, sancimus, stabilimus, tam de Reddensi [21] pago, quàm etiam de Ausonensi, sive confinio Narbonensi & Biterrensi, quod est Orbus, ut sicut coram nobis discussum & comprobatum est, ita inconvulsum [22] & incontaminatum, nullius contradictione valente, in [23] perpetuum permaneat. Si quis verò nostram communem contemnens diffinitionem [24], per aliquam insidiam aut subreptionem, hoc nostræ firmitatis decretum infregerit, aut aliquâ machinatione violaverit, si ordine Ecclesiastico est adunatus, canonicâ sententiâ [25] irrecuperabiliter feriatur, sicut temerator tanti Concilii ac decreti. Quòd si laica potestas in [26] hoc se per atrocitatis violentiam miscuerit, nisi à temeraria præsumptione se citissimè subtraxerit satisfaciendo quod deliquit, dignâ ultione totius anathematis sit undique & ubique multatus, Domini nostri Jesu Christi [27] & nostrâ auctoritate vigente. Ut autem hoc nostræ firmitatis decretum certiorem roborationis [28] obtineat vigorem, manûs nostræ subscriptione illud roborare studuimus.* Sequuntur apud Baluzium subscriptiones undetriginta, duodetriginta verò apud Catellum; de singulis agemus infrà.

[1] *Anno Incarnationis Dominica* DCCLXXXVIII *Indictione* XII *Gloriosissimo quoque Domino Imperatore Karolo, regnante an.* XXIII. v *Kal. Jul.*
[2] *Urgelitana*
[3] *Imperatore*
[4] Catell. *Elefantis*
[5] *Domni*
[6] *Domno Imperatoris*
[7] Catell. *inde*
[8] *Imperatore*
[9] Catell. *Instinum*
[10] Baluz. deest *Episcopum.*
[11] Baluz. *Redensem*
[12] Catell. *Wiverdarium Hostiensem*
[13] Baluz. *flumen.*
[14] Baluz. *illuc*
[15] Catell. deest *auxiliante*
[16] Cat. *eorum*
[17] Catell. deest *vellet.*
[18] Catell. *salubrem esse rationem*
[19] Catell. deest *pro*
[20] Catell. *ingeremus.*
[21] Baluz. *Redensi*
[22] Catell. *inconcussam*
[23] Catell. *imperpetuum*
[24] Catell. *definitionem.*
[25] Catell. *censurâ aut sententiâ*
[26] Catell. *ex hoc*
[27] Catell. *Jesu Christi authoritate & nostrâ vigente.*
[28] Catell. *obtineat roborationis*

Ex.

AN CH. 791. CAROLI R. 23. PIPPINI LUDOV. RR. 11. CAROLI R. 3.

Ex Adriani Romani Pontificis epistola, quæ numero est nonagesima-septima in Codice Carolino, & *omnibus Orthodoxis Episcopis per universam Spaniam commorantibus* inscribitur, apertè liquet ante hunc annum, quo volumen illud epistolarum à Carolo collectum est, auditum dogma Felicis Urgellitanæ Sedis Episcopi, qui non tantùm suam Diœcesim, sed & vicinam Septimaniam reliquámque Galliam necnon & Germaniam pestiferâ conatus est hæresi fœdare. Quapropter mirum nemini debet esse, quòd Synodus habita sit *monente per sua auctoritatis literas Domno Apostolico Adriano, ac Domino Rege* [11] *per Missum suum, nomine Desiderium.* Tunc Urgella Narbonensi Metropoli subjiciebatur, atque inde colligimus è sollicitudine Narbonensis Archiepiscopi fuisse, ut nascenti malo eum Episcoporum suorum consilio prudenter occurreret. Quia verò gravis hæc erat causa, complures Episcopos annuente Rege non tantùm è sua, sed etiam è vicinis provinciis, Arelatensi, Aquensi, Ebredunensi, Viennensi, Bituricensi, Burdigalensi, & Elusana congregandos curavit. Quid autem Patres super ea re statuerint, Acta Synodalia non produnt. Ipsi Concilio Felix interfuit subscripsítque. Suspicamur in hac Synodo variè disputatum, nec defuisse qui Felicem tuerentur, ideóque sub initium anni proximi ductum esse in Bojoariam, ubi Carolus cum Ludovico filio Aquitaniæ Rege morabatur. Habitum tunc alterum Concilium Reginoburgi, Felicem illic primò damnatum Annalistæ, Loiselianus, Fuldensis ac Bertinianus testantur cum Monacho Egolismensi & incerto Auctore, qui vitam Caroli conscripserunt. Ex hac observatione ac serie rerum non leve duces argumentum adversùs eos, qui Narbonensem Synodum anno Christi septingentesimo duodenonagesimo celebratam volunt, & inter hanc Synodum ac Reginoburgensem in qua Felix primùm damnatus est, intercapedinem quatuor annorum collocant. Agemus anno sequenti de Concilio Reginoburgensi, déque Felicis damnatione, qui eodem illo anno, ut Annalista Laureshamensis [a] docet, *apud Regiunm Bajoariæ civitatem congregato Episcoporum Concilio auditus est, & errasse convictus, ad præsentiam Adriani Pontificis Romam missus, ubi etiam coram ipso in Basilica Beati Petri Apostoli, hæresim confessus est atque abdicavit.*

XIII. [11] Imperatore. EX VARIIS PROVINCIIS.

[a] Ad an. 791.

XIV. DECRETA.

Præter ea, quæ spectant ad fines Parochiæ seu Diœceseos Narbonensis, nihil omnino sancitum in Narbonensi Concilio reperitur. Tres autem movebantur de limitibus illis controversiæ.

XV.

Primò, lis erat inter Archiepiscopum Narbonensem & Episcopum Helenensem de Comitatu Reddensi*. Comitatus hic Archiepiscopo fuit adjudicatus. Inde factum ut nonnulli sequentium Archiepiscoporum, ne istius judicii memoria periret, se Narbonenses ac Reddenses Archiepiscopos dixerint. Apud Catellum in Historiæ Linguodocbianæ Commentariis [b] occurrit *Arnustus Ecclesia Sanctæ Matris Narbonensis & Reddensis Archiepiscopus.* In Comitatu Reddensi præ ceteris locis celebrabantur Electa & Limosum. Erectum apud Electam * Monasterium Ordinis Benedictini, unde dicti sunt Abbates Electenses & Abbates de Electa vel Electo ad seculum usque decimum-quartum, quo Sedes illic Episcopalis à Joanne Papa Vicesimo-secundo constituta, Diœcesísque Narbonensis in tres, nempe Narbonensem, Electensem ac Tomeriensem est divisa, floruerunt enim deinceps Electenses Episcopi, iíque Narbonensi provinciæ fuerunt attributi. Limosum * Electæ vicinum est, ibi primùm collocata Sedes Episcopalis à prædicto Joanne Papa, quæ paucis pòst annis Electam ab eodem Romano Pontifice translata, restitutúmque Diœcesi Narbonensi Limosum seu Limosinm; Archiepiscopus Narbonensis illic habet Officialem, qui vocatur *Officialis Limosii & Redesii.* Catellus in Commentariis [c] jam laudatis urbes, oppida, & arces Linguodochii describit, illum consule in Electa & Limoso.

* *de Rasez.*

[b] Lib. 2. c. 21.

* *Alet.*

* *Limous.*

[c] Lib. 2.

AN.CH. 791. CAROLI R. 23. PIPPINI LUDOV. R R. 11. CAROLI R. 3.

Secundò, lis erat de limitibus inter Archiepiscopum Narbonensem & Episcopum Biterrensem; in Synodo statutum, ut Orbus Diœceses Narbonensem ac Biterrensem disterminaret. Orbus * sive Orobus aut Orobius vel Obris sive Orobris *secundùm Bliteras* seu Biterras *fluit*, ac paulò inferiùs in mare mediterraneum egeritur.

Tertiò, lis erat de finibus Diœceseos Narbonensis ultra Pyrenæum montem, seu de Ausonensi Parochia, quam Narbonensi Diœcesi Daniel Archiepiscopus Narbonensis accensebat. Causam suam Daniel tribus his tuebatur argumentis; *ob paganorum* seu Saracenorum *infestationem* proprium in Ausonensi Parochia statuere nondum potuerat Episcopum; ejus ante-

XVI. cessor hæresim in illo pago penitus extinxerat; plebs Ausonensis nulli Pa-

* l'Orbe.

XVII. rochiæ nisi Narbonensi volebat attribui. Re discussâ definitum à Synodo, ut Ausonensis pagus, donec peculiarem Episcopum habere posset, ad Narbonensem Diœcesim pertineret.

XVIII. Huic Concilio subscripserunt Episcopi sex ac viginti, præter unum Presbyterum unúmque Diaconum à suis directos Episcopis. De singulis post eorum subscriptiones pauca præcipuè notabimus, ut scias è quibus accici provinciis fuerint.

SUBSCRIPTIONES.

XIX. I. *In Christi nomine Daniel Dei miseratione Sedis Narbonensis Metropolitana Ecclesia Episcopus hujus Decreti institutione* * *subscripsi.* De Daniele Narbonensi Metropolitano sæpè jam locuti sumus. Præter hunc Metropolitam subscripserunt Sedium suffraganearum Episcopi novem. Ucecienses, Carcassonensis, Nemausensis, Urgellensis, Agathensis, Gerundensis, Helenensis, Barcinonensis, & Magalonensis, cum Diacono Biterrensi, de quibus infrà.

* Catell. *subscriptionem.*

XX. II. *Ego Elefantus prima Sedis Arelatensis Episcopus confirmavi.* In Arelatensium Archiepiscoporum Catalogo, post Wiliarem, de quo sub prioris Tomi finem egimus, collocatur Arladis, tum Elefantus sive Elifantus vel Alefantus. Præter hunc Archiepiscopum Concilio Narbonensi subscripserunt quatuor Episcopi suffraganei, Deensis, Arausicanus, Cabellionensis & Carpentoractensis, quorum subscriptiones suo referemus ordine.

XXI. III. *Ego* * *Desideratus Diensis Episcopus subscripsi.* Apud Joannem *Columbi*, Polycarpus Larivierius huic Desiderato Diensi seu Deensi Episcopo locum tribuit inter Aramandum & Ulfinum, quorum alterum ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-sextum, alterum ad annum Christi octingentesimum laudat. Præterea scribit [a] Aramandum sedisse anno Christi septingentesimo duodenonagesimo. Columbus verò ratus celebratam illo anno Synodum Narbonensem cui Desideratus interfuit, de Aramando & Desiderato pronuntiare non audet uter utri successerit. At si Narbonense Concilium, ut oportet, in annum Christi septingentesimum nonagesimum-primum rejicitur, adimitur omnis dubitandi ratio, certáque deprehenditur epocha Desiderati Deensis Episcopi sub Elefanto Arelatensi Metropolita.

* Baluz. deest *ego*

[a] In Episc. Diens. n. 22.

XXII. IV. *Ego Salicus Arausicensis* * *Episcopus subscripsi* *. Index Arausiensium sive Arausicanorum Episcoporum adeò mutilus est, ut à Trapidio seu Trapetio, qui Concilium Matisconense secundum cum aliis Episcopis anno Christi quingentesimo octogesimo-quinto celebravit, ad hunc usque Salicum, qui Synodo Narbonensi interfuit, per annos ducentos & ampliùs nulla supersit intermediorum Episcoporum memoria.

* Baluz. *Arausisensis*

* Baluz. deest *subscripsi.*

XXIII. V. *Ego Arricho* * *Tolosana Sedis Episcopus confirmavi.* Mancus est etiam Tolosanorum Episcoporum Catalogus, post Erembertum enim, cujus Episcoparus anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto exordium sumpsit, nullius Episcopi nomen ad hunc usque Arrichonem sive Arrusonem invenitur. A Clodovei Magni temporibus Tolosa Metropoli Bituricensi

* Catell. *Arruso*

suberat, nec ex ea provincia quis præter Arrichonem Narbonensi Concilio subscripsit. AN. CH. 791. CAROLI R. 23. PIPPINI LUDOV. RR. 11. CAROLI R. 3.

VI. *In Dei nomine Donadeus Wappencensis * Episcopus.* Ad Narbonensem secundam, cujus Metropolis Aquæ Sextiæ, pertinet Vappincum. Quatuor ex hac provincia Synodo Narbonensi subscripserunt Episcopi, nempe Vappincensis, Aptensis, Antipolitanus, & Forojuliensis. Lege quæ de Donadeo Vappincensi Episcopo ejúsque decessore dicta sunt ante biennium in notis ad Abbonis Testamentum pro Monasterio Novaliciensi. XXIV.

VII. *Ego Francolinus Consceranensis * Episcopus subscripsi.* Tres è Novempopulania Concilio Narbonensi subscripserunt Episcopi, Consotanensis, Vicojuliensis, & Convenensis. Ab anno Christi quingentesimo undequinquagesimo, quo Eleutherius Archidiaconus Theodoti Episcopi nomine Concilio Aurelianensi quinto subscripsit, ad hanc usque Synodum Narbonensem nihil omnino de Episcopis Ecclesiæ Consoranicæ legitur. XXV.

* Catell. Vappencensis.

* Catell. Cosoranensis.

VIII. *Ego Lupus Cavalionensis Episcopus subscripsi.* Ab anno Christi quingentesimo undenonagesimo ad annum Christi nongentesimum nonum mancus est vulgatus Cavalionensium seu Cabellionensium Episcoporum Catalogus. At consule quæ dicta sunt ante biennium de Crammelino & hoc ipso Lupo Cavellicensibus seu Cavalionensibus Episcopis in notis ad Abbonis Testamentum tunc editum. XXVI.

IX. *Ego Arimundus Uceciensis Episcopus S.* Hic Armudus à Catello vocatur, ab aliis Arnaudus & Armadus. Sigiberto seu Sigiperto, de quo locuti sub Pippino sumus, proximè successit. XXVII.

X. *Ego Hiscipio Carcassensis Episcopus subscripsi.* Hic ab aliis Hiscepio nuncupatur & Scipio. Primus numeratur inter Carcassenses seu Carcassonenses Episcopos, qui sub Francorum Regibus floruerunt. XXVIII.

XI. *In Christi nomine Magincus Adtensis Episcopus subscripsi.* Apud Catellum legitur *Magnicus Episcopus Atensis*, apud Sammarthanos Magneticus Aptensis, ut ad annum Christi septingentesimum octogesimum-septimum [a] jam notavimus, nec dubium quin hic Episcopus, seu Magnericus seu Magincus aut Magnicus dicatur, Aptensi præfuerit Ecclesiæ sub Aquensi Metropolita. XXIX.

[a] Num. 24.

XII. *Witeringus Nemausensis Episcopus confirmavi.* Apud Catellum, *Witerincus Nemausensis confirmavi*, apud quosdam *Vintericus*. Quonam anno Pontificatum inierit, haud scitur. XXX.

XIII. *Felix Episcopus Urgellitana Sedis subscripsi.* Hic in Episcopatum Urgellensem successit Datillæ, qui superstes ad annum Christi septingentesimnm septuagesimum-nonum commendatur, ut observatum suprà. XXXI.

XIV. *Ego Bonitus Valentina * Sedis Episcopus S.* Hic solus è provincia Viennensi prima Concilio Narbonensi subscripsit. Columbus Bonito Lupicinum, huic Waldum sufficit. At loco movendus & Bonito præponendus videtur Lupicinus, qui regnantibus Pippino & Carolomanno sederit, obieritque Carolo Monarchiam Francorum jam adepto. XXXII.

* Catell. Vacentina.

XV. *Ego Justus Agathensis Episcopus subscripsi.* Hic successit Dagoberto, cujus meminimus ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-septimum, Caroli Regis nonum. XXXIII.

XVI. *Ego Adaulfus Jerundensis Episcopus subscripsi.* Corruptè legitur apud Catellum *Termidensis Episcopus*. Illum Antistitem ad annum Christi septingentesimum octogesimum-quintum jam laudavimus. Successores Walerius & Nifredus solis duntaxat nominibus sunt noti. XXXIV.

XVII. *In Christi nomine Wenedarius Helenensis Episcopus S.* Hic Wenedutius seu Wenedarius aut Vinedarius Helenensis sive Heltnensis aut Helnensis, vel, ut hodie scribitur, Elnensis Episcopus, in vulgatis hactenus Catalogis desideratur. De illius successoribus consule Baluzium in XXXV.

AN. CH. notis ad Synodnm Narbonensem de qua loquimur. Ramnus Wenedurii proximus successor ad tempora Ludovici Pii pervenit.

791. CAROLI R. 23. PIPPINI LUDOV. RR. 11. CAROLI R. 3. XXXVI. XVIII. *Ego Fervidei Barchinonensis Episcopus.* Ita Catellus. Baluzius verò sic. *Ego Se....... Barcinonensis Episcopus S.* Hæc subscriptio non potest emendari, quia, post Hispanicum per Saracenos excidium, Hieronymus Paulus, Joannes Tamayus, aliique Nomenclatores Catalogum Barcinonensium Episcoporum tumultuariè prosecuti, nec ullum in eorum annis aut serie servarunt ordinem, nec nllius Episcopi nomen recensuerunt, cnjus initium esset à syllaba *Fer* aut *Se.* Videtur tamen absque proprio nomine sic restituenda. *Ego servus Dei Barchinonensis Episcopus.*

XXXVII. XIX. *Ego Autbertus Antipolitana Sedis Episcopus subscripsi.* Apud Catellum legitur *Aribertus.* A Deocario, qui Cabilonense Concilium anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto suâ subscriptione sub Clodoveo Secundo Rege communivit, ad hunc usque Autbertum sive Aribertum, qui Concilio Narbonensi sub Carolo Magno interfuit, manci sunt Antipolitanorum Episcoporum Catalogi.

XXXVIII. XX. *Ego Johannes Cimelanensis Episcopus S.* corruptè Catello *Cunelanensis.* Olim distinguebantur in Alpibus Maritimis sub Ebredunensi Metropolita Diœceses Nicaensis & Cemelensis seu Cimelanensis, unitæ sunt autem simul, anrequàm illa provincia Francicis ditionibus adjungeretur. Ideò Magnus in subscriptionibus Concilii Aurelianensis quinti, quod anno Christi quingenresimo undequinquagesimo celebratum est, Episcopus Cemelensis & Nicaensis appellatur. Successores lapsu temporis promiscuè dicti sunt aut Cemelenses aut Nicaenses. Præter Johannem, de quo loquimur, ex eadem Alpium Maritimarum provincia Concilio Narbonensi subscripsit Raganbaldus electus Diniensis Episcopus, de quo infrà. Ceterùm observa Johannem cum successoribus ad medium usque undecimum seculum in vulgaris Episcoporum Nicaensium Catalogis desiderari.

XXXIX. XXI. *Ego .... Forojulensis Episcopus S.* Hic Episcopus à Catello prætermittitur. Nomen, quia legi non potuit, sciri nequit. In Forojuliensium Episcoporum Catalogo, quem Tomo superiote ad annum Christi septingentesimum tricesimum-nonum [a] examinavimus, seculis octavo & nono quatuor tantùm deprehenduntur Episcopi, Jacobus, Bartholomæus, Berengarius & Romanus. Utrùm unus ex iis fuerit ille, qui Concilio Narbonensi subscripsit, haud possumus asserere; si creditur alius, nec etiam patet quis illi locus in Nomenclatura sit tribuendus.

[a] Num. 20.

XL. XXII. *Ego Joannes Madalonensis Episcopus S.* Baluzio *Joannes Madolonensis*, id est, Magalonensis, nam communis hic compluribus error est, ut pro Magalona Madalonam, Magelonam & Magdalonam scribant. Anno Christi sexcentesimo octogesimo-tertio *Vincentius Magalonensis Episcopus* Concilio Toletano decimo-tertio subscripsit, successores ignorantur ad Joannem usque, qui Concilio Narbonensi interfuit.

XLI. XXIII. *Ego Asinarius Vicujuliensis Episcopus*, apud Catellum corruptè *Asinarius Urcavilensis.* Ex hac subscriptione, Catalogo Vicojuliensium Episcoporum adscribendus probatur Asinarius, omnibus Nomenclatoribus ad hunc usque diem ignotus.

XLII. XXIV. *Abraham Commenensa Sedis Episcopus S.* id est, Episcopus Convenarum. A Concilio Matisconensi secundo, quod anno Christi quingentesimo octogesimo-quinto celebratum est, ad hanc usque Synodum Narbonensem nihil omnino de Convenensibus Episcopis auditur.

XLIII. XXV. *Ego Amatus Carpentoratinensis Episcopus S.* Catello *Carpentinensis*, id est, Carpentoractensis. Amatus autem Agapito, quem Tomo superiore sub Carolomanno Rege laudavimus, proximè successit. Apud Sammarthanos in Gallia Christiana ponitur Antonius Carpentoractensis Episcopus hoc eodem anno quo Synodus Narbonensis habita. Qua-

AN. CH. 791. CAROLI R. 23. PIPPINI LUDOV. RR. 11. CAROLI R. 3.

propter Amatum abſolutâ Synodo ſtatim ex hac vita ſublatnm arbitrare.

XLIV. XXVI. *Ego Raganbaldus Diaconus, Dunenſis vocatus Epiſcopus S.* Catello *Dianenſis*. Neutra lectio nobis placet. Reſtituendus *Dinienſis* in Alpibus Maritimis ſub Ebredunenſi Metropolita. Dianenſis Epiſeopatus manet incognitus. Duoenſes Epiſcopi memorantur duo, Aventious & Promotus, de quibus actum Tomis primo & ſecundo. Cur Aventious in Parochia Carootenſi factus ſit Epiſcopus Duoeoſis, expoſuimus ad annum Chriſti quadringenteſimum oonageſimum-ſeptimum, oec omiſimus eundem Avcotioum Solennii, qui Carnotenſem Epiſcopatum gerebat, ſucceſſorem tunc declaratum eſſe, ſi ſuperſtes ei foret, quod anno Chriſti quingenteſimo nono contigit, ideóque extinctus eſt Dunenſis Epiſcopatus. Poſt obitum Caletrici Carnotenſis Epiſcopi Promotus Caſtri Dunenſis Epiſcopum ſe dixit adverſus Pappolum Caletrici ſucceſſorem, ſed anno Chriſti quingeoteſimo ſeptuageſimo-tertio damnatus eſt in Concilio Pariſienſi quarto. Certè numquam Epiſcopalis apud Duoum Sedes fixa, numquam Carnoteoa Diœceſis io duas fuit diviſa. Fruſtrà quis igitur Raganbaldum Dunenſibus Epiſcopis accenſeat. Addequod Dunum pertinebat ad provinciam Lugdunenſem quartam, quæ loogiſſimè diſtabat à prima Narbonenſi ubi habitum Concilium. Tres iſtæ literæ *ini* facilè mutari potuerunt in haſce duas *un*, & *Dinienſis* in *Dunenſis*. Porrò Raganbaldus Diaconum ſe dicit, Dioienſem vocatum Epiſcopum, poſtremóque cum Epiſcopis loco ſubſcribit, quia Dinienſis electus Epiſcopus nec adhuc ordinatus. Nomen ejus reſtitui debet Catalogo Dinienſium Epiſcoporum, de quibus nihil ad Synodum uſque Narbonenſem occurrit poſt Cabilonenſe Concilium, quod anno Chriſti ſexceoteſimo quadrageſimo-quarto celebratum fuit.

XLV. XXVII. *Ego Anſebrandus * Diaconus ad vicem Landeberti Eglinenſium Epiſcopi S.* id eſt, Egoliſmenſium io Aquitania ſecuoda ſub Metropoli Burdigaleoſi. Varii modis ſcribitur Egoliſma, Ecoliſma, Engoliſma, Inculiſma, Ecoleſina, Egoleſina, atque etiam hîc veluti per ſyncopen Eglina. Ex hac autem ſubſcriptione locus in Engoliſmeoſium Epiſcoporum Catalogo tribuendus eſt Landeberto poſt Frodebertum, qui ſedit regnante Pippino.

* Catell. *Anſebrandus*

XLVI. XXVIII. *Ego Riccimirus * indignus Presbyter ad vicem Wlfegarii * Sedis Biterrenſis Epiſcopi S.* Hic Wlfegarius de limitibus Epiſcopatûs ſui cum Daniele Narbonenſi Metropolita contendebat, ut ex Actis ipſiuſmet Synodi Narbonenſis ſuprà recitatis conſtat.

* Catell. *Domineus.*
* Catell. *Vulfegarii.*

XLVII. Denique ſequitur hæc Cancellarii ſubſcriptio. *Ego Arricho Cancellarius, ac ſi indignus Presbyter, hoc Decretum ſcripſi die & anno quo ſuprà.* id eſt, quioto Kalendas Julii, anno Caroli Regis viceſimo-tertio, quocum annus Chriſti ſeptingenteſimus nonageſimus-primus componitur.

XLVIII. Nonnulli Amicum, quem Acta Narbonenſis Concilii *Megalonenſem Comitem* vocant, Epiſcopum Magalooenſem conſtituunt. At erroris à Gariello rectè redarguuntur, eidem enim Syoodo ſubſcripſit Joanoes Epiſcopus Magalonenſis, Catello Madalonenſis, quia plerique Madalonam pro Magalona ſcripſerunt.

XLIX. In Appendice ad Hiſtoriam Eccleſiæ Metropolitanæ Turonenſis apud Joannem *Maan* hæc extat Charta de fundatione Cormarici Cœnobii. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ego humilis etſi peccator Itherius Abbas vocatus Monaſterii Sancti Martini Turonicæ Civitatis, in quo ipſe pretioſus Dominus corpore requieſcit, cum omni Deo devota Congregatione ibidem conſiſtenti. Pertractans caſum humanæ fragilitatis, ac paveſcens diem vocationis ultimum, ne gravatus tantâ mole peccaminum ſine fructu aliquo (quod abſit) boni reperiar operis. Idcircò illuſtratione pietatis di-*

CORMARICUM MONAST. ERIGITUR.

AN. CH. vina provocatus, necnon egregii Prædicatoris confortatus alloquio, in quo ait;
791. [si cujus opus manserit, mercedem accipiet,] ergo promptissima nobis unà cum
CAROLI consensu fratrum nostrorum decrevit voluntatis devotio, ad augendum scilicet
R. 23. hujus Sancti Monasterii honorem ac lucra animarum, ut Cellam aliquam in pago
PIPPINI. Turonico nostro labore ad perpetuam Omnipotentis Dei laudem construere debere-
LUDOV. mus. Quod ita & fecimus. In qua etiam, ut potuimus, Ecclesiam ædificantes,
RR. 11. ad invocationem Sanctæ Trinitatis, trina construximus altaria, ubi Sanctorum
CAROLI posuimus Apostolorum Reliquias, in majore scilicet altario Sancti egregii Prædi-
R. 3. catoris ac Doctoris gentium Pauli, alio quidem Sancti Petri Apostolorum Prin-
cipis, tertio verò Sancti Martini Patroni nostri præclarissimi Confessoris, adjunctis simul ceterorum, prout potuimus, Sanctorum patrociniis, quorum nos intercessionibus defendi largiente Domino confidimus. Itaque in Dedicatione præfatæ Basilicæ dedimus, simúlque delegavimus ac tradidimus ad memoratum

* Cormeri. Sanctum locum, qui nuncupatur Cella Sancti Pauli, qui Cormaricus * à priscis & hactenus vocatur, donatúmque in perpetuum ibidem ob mercedem & stabilitatem Dominorum Regum Francorum seu parvitatis nostræ esse volumus, tam pro opportunitate ejusdem Cœnobioli, quàm & pro stipendio fratrum ibidem in Deò servitio habitantium, necnon consolatione peregrinorum. Primùm omnium delegavimus ibidem res ipsas, quas Pantaleon ac germanus suus Palladius, vel diversi homines in eodem loco ac in circuitu nobis per eorum instrumenta confirmaverunt, seu & quod de ratione Sancti Petri Puellarum Monasterii commutavimus, necnon reculas, quas in Fabricas & in Arces conquisivimus, seu & in Cursiniaco de Reginaldo per venditionis titulum comparatas, & quidquid Hualdus partibus Sancti Martini donavit, necnon & diversos mansos in ipso pago per alia loca in circuitu, ut diximus, quæ ad opportunitatem ipsius Cellæ attraximus incendita Evenirise & Combortense, & alia ubique in ipso Turonico pago sita. Delegamus etiam ibidem aliquas res de ratione Sancti Martini, quas largiente Domino nostro Carolo Excellentissimo Rege acquisivimus, in pago videlicet Pictavo Antoniacum villam, cum appendiciis suis, in Burnonio, ut & in loco nuncupante Arciaco. In pago quidem Turonico Paternacum cum adjacentiis suis Columbo & ceteris seu locello Ferriaco ipsi Cellæ adhærenti paríque modo confirmamus. Item in pago Blesensi & Dunensi, reculas illas, quas de Reginalanda Deo sacrata ad partes Sancti Martini attraximus, loca scilicet, quæ vocantur Ermentaria & Culmulla, cum omnibus adjacentiis suis, sicut præsenti tempore possessa sunt. Simúlque largimur ibidem in pago Andegavo reculas, videlicet Ulmum & Ambieneum cum integritate earum. In pago verò Cœnomannico Ruscoialum & Hilariacum. Hæc omnia superiùs nominata unà cum terris, Ecclesiis, domibus, ædificiis, accolis, mancipiis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmque decursibus, farinariis, mobilibus & immobilibus; omnia & ex omnibus eisdem rebus pertinentibus ad præfatum sanctum locum pro lucranda mercede & augmentis sanctæ Congregationis hujus donamus, tradimus, simúlque delegamus, ita ut ab hac die ibidem in augmentis proficiant. Unde constitui ob hoc, pro devotionis amore, anniversariâ Principum Apostolorum veniente solemnitate, juxta qualitatem possibilitatis, sicuti Dominus affluentiam ibi dederit, omni anno fratribus sancti senioris ministrandam. Et quia multa Sanctorum Cœnobia diversas Cellas sub se habere video constructas, quæso ne à quibusdam superfluo honore fecisse dicar, præsertim cùm magis pro honore sancti Monasterii nostri, quàm pro favore humano ædificasse me profitear.

* perficiant, Et quamvis nunc minùs opeata, quàm desidero, perficiam *, precor tamen Dominum ac successorem meum mox futurum, & post eum succedentes Abbates, ut parvula à nobis facta ad divinam Omnipotentis Dei laudem & incrementum ipsius Cellæ conservent, & in eorum eleemosyna augere dignentur, nam de his, quæ fecimus, indignum est aliquid minorari vel subtrahi. Quocirca satagant fideles pro Deo, potiùs augmentando conservare, quàm aliquid subtrahendo adnibilare, quatenus illorum bona facta in præsenti & in futuro, sicuti & nostra fe-

AN. CH. 791. CAROLI R. 23. PIPPINI LUDOV. RR. 11. CAROLI R. 3.

cerint, Deo auspice conservent. Et illud in hoc Testamento intimare curavi, ut, si fuerit ulla extranea persona, quæ contra hoc venire conata fuerit, aut à rebus ibidem à nobis datis aliquid vel etiam minimum abstrahere præsumpserit, optamus eum divino corrigi judicio. Insuper qui pulsator astiterit, sociante fisco, auri libras tres, argenti pondera quinque multâ componat, & quod repetit non vindicet, sed præsens Testamentum à nobis promptissimâ voluntate factum, pro stabilitate videlicet & eleemosyna Dominorum nostrorum Regum & Congregationis Sancti Martini atque Abbatum succedentium, necnon & ob refrigerium animæ meæ, omníque tempore maneat illibatum atque firmissimum. Quod & nos manu propriâ ab omni firmitate roboravimus, atque confratres nostros ceterásque personas firmare rogavimus. Data septimo Idus Februarii, Indictione quarta-decimâ, anno vigesimo-tertio Regni Domini nostri Gloriosissimi Regis. Actum Turonis in Monasterio Sancti Martini in Dei Nomine feliciter. Itherius etsi indignus Abbas hoc Testamentum feci devotione plenissimâ pro anima mea remedio. Signum Domini Abbatis. Harembertus peccator Presbyter subscripsi. Zachæus quamvis peccator Diaconus subscripsi. Gartaldus Diaconus subscripsi. Christianus Monachus subscripsi. Anno quamquam peccator subscripsi. Gualthadus Monachus subscripsi. Adagarus peccator subscripsi. Lambertus peccator Monachus subscripsi. Madalbertus peccator Diaconus subscripsi. Haimo quamquam peccator Presbyter subscripsi. Frambertus peccator Presbyter subscripsi. Gislefredus peccator Presbyter subscripsi. Gaudius quamquam peccator Diaconus subscripsi. Audobertus scripsi & subscripsi.*

* cum

Herlingus tunc Archiepiscopus erat Turonensis. Id Joannes *Maan* haud diffitetur [a]. Tomo superiore vulgatos Indices Archiepiscoporum, qui Pippino & Carolo Regibus Ecclesiam Turonensem rexerunt, egere correctione jam monuimus. Apud Chenutium & Severtium recensentur, Aubertus, Ostaldus, Ensebius, Herlingus, Joseph; apud Robertum, Aubertus, Ostaldus, Eusebius, Ragenelmus, Herlingus, Joseph; apud Sammarthanos & Maanem, Aubertus, Ostaldus, Gavienus, Eusebius, Herlingus, Joseph. Perperam hi Gavienum Eusebio præponunt, Eusebius enim Attiniacensi Placito subscripsit anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto, & Gavienus anno Christi septingentesimo sexagesimo-nono Romanæ Synodo cum aliis Præsulibus interfuit. Perperam quoque Robertus Eusebio proximè subrogat Ragenelmum ex Concilio Pontigonensi, quod non anno 786 ut ille opinatur, sed anno 876 celebratum est. Præmissis his emendationibus Archiepiscopi Turonenses hoc numerandi sunt ordine, Aubertus, Ostaldus, Eusebius, Gavienus, Herlingus, Joseph. Sedebat Gavienus anno Christi septingentesimo undeseptuagesimo, ut probavimus ex Synodo Romæ tunc habita. Huic successit Herlingus, quonam anno incertum. Sub eiusdem Herlingi Pontificatu Canonicos in Ecclesia Sancti Martini constitutos observant optimè Sammarthani, nec assentiendum Maani, qui factum id contendit accedente cùm Caroli Regis auctoritate tum Eusebii Archiepiscopi qui pridem obierat consensu. Sub Præposito vixerunt Canonici; Monachi verò, qui relaxari noluerant, sub strictiori Regula remanserunt, ita tamen, ut Abbate communi uterentur utrique omnes, & uni parerent universi pro suo cujusque instituto. Inde Itherio Abbati occasio data condendæ apud Cormaricum Cellæ, ubi Monachos constituit ac dotavit, ut docet Charta superiùs descripta, cujus Characteres Chronologici, dies septimus ante Idus Februarias, Indictio decima-quarta, & annus vicesimus-tertius Caroli Regis cum anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo certissimè conveniunt. Joannes Maan in margine ad illam Chartam Carolum interpretatur Carolum Tertium, & annum illius Caroli vicesimum-tertium per mensem Februarium cum anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo componit. Cur Carolum, qui Magnus cognominari consuevit, Carolum III dicat, haud ca- L.

[a] In Archiep. 44.

AN. CH. 791. CAROLI R. 23. PIPPINI LUDOV. RR. 11. CAROLI R. 3.

pimus. Capimus autem cut anoum Catoli Magni Regis vicesimum-tertium anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo per mensem Februarium illiget, Catolum enim ab eo die, quo Rex à Stephano Tertio Papa inunctus est, Regem vocat, sed anni Caroli Regis ab illa iounctione oomquam numerati sunt, & anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo Itherius Wulsardo Abbati Sam-Martiniano in munus Abbatiale nondum successerat.

LI. FABULA DE ILLO MONASTERIO.

Idem auctor in encomio Herlingi Archiepiscopi rectè monet sibi non placere, & à vero prorsus alienum esse: *quod habet Lemovicense Chronicum, & Joannes Monachus Cluniacensis tradit in Odone, Martinianos omnes Monachos ab exterminatore Angelo unâ nocte neci datos esse; aut peste calitùs immissâ extinctos, quod scribunt Ademarus & Gaguinus; aut denique, quod malunt recentiores, civium gladio deletos, Itherio uno superstite, qui communis fratrum exitii, propriaque vita deflenda studio secedens in Eremum, paucos ab se viros crescente in dies virtutum famâ illexerit, erectóque sacris eorum largitionibus sacello, ipsius Abbatiæ jecerit fundamenta, cui Cormaricum à pœnitudine sua, quasi Cor mærens, indiderit nomen.*

LII. REFELLITUR.

Tres rationes, quibus fabellam hanc confutat, multùm laudamus. Primò, non ea tum temporis fuit Martioianorum vita & morum corruptio, cui horrendum hoc à Deo vindice inferretur Monachorum exterminium; quin potiùs is erat Martinianæ Basilicæ splendor, eáque seu Clericorum seu Monachorum divinis illic mysteriis operantium celebritas, quanta fuit unquam maxima, ut colligimus cùm ex vita Caroli, anno Christi octingentesimo, illuc *orationis causâ* profecti; tum ex Cabilonensi Concilio, quod anno Christi octingentesimo decimo-tertio celebratum est; Canon enim quadragesimus-quintus peregrinatiooes ad Sancti Martini Basilicam frequentissimas testatur, ubi queritur errari *plurimùm à quibusdam, qui Romam Turonúmve, & alia quadam loca, sub prætextu orationis inconsultè peragrant.* Deinde Itherius in literis suprà recitatis profitetur erectam à se Doctori gentium Cellam io fundo, qui Cormaricus vocabatur, ídque à se factum asserit è Martinianorum fratrum consilio, quorum quoqoe subscriptiones ipsis lireris appositæ cernuntur; hæc autem dici nequaquam possunt, si, Martinianis fratribus deletis, unus Itherius superstes in sylva profugus & gemebundus latebat. Denique per multos annos iidem Cormaricenis qui Martioianis præfuerunt Abbates, Itherius, Alcuinus, & Fredugisus, de quibos infrà. Ceterùm ex quo Cormaricense Monasteriom coostructum ac dotatum fuit, illuo Monachi Sam-Martiniani confluxerunt, & Turonis io Æde Sam-Martiniana soli remanseruot Canonici. Qua de re rursum fusiúsque sub Alcuino Itherii successore.

LIII. BETTO EP. LINGONENS.

Betto seu Bero vel Berto sive Bicto vel Becto, qui Waldrico seu Baldrico in Episcopatum Lingooensem successerat, Divione munificum erga Basilicam Sancti Stephani se præbuit mense Maio, hoc anno, Caroli Regis vicesimo-tertio. Qua de re sic Robertus [a] ex ejusdem Ecclesiæ Chartulario. *Betto, vel Berto, vel Bicto, dedit Sancto Stephano Divionensi decimas Thili Castri, Cutiniaci, Sancti Martini Campaniensis, seu Fontanorum, Copiaci *, & Nobiliaci *, mense Maio, regnante Domino nostro Carolo, anno 23.* Betto io eadem Donatione *venerabiles in Christo Confratres* vocat Stephaoienses Canonicos teste eodem Roberto. Quapropter ejusdem Ecclesiæ Canonicus fuisse creditur, dooec ad Episcopatum Lingoneosem promotus est, ut scribit Jacobus Vignerius io Chronico Lingoneosi [b], ubi elogium ejusdem Præsulis ita persequitur. *Becto seu Betto Carolo Magno Regi atque Imperatori percharus, cujus & ille usus est in multis operâ atque consilio. Plurima sunt ab utroque, sive in Ecclesiasticis rebus, sive in politicis, reformata; instituta cùm literarum tum armorum schola; pontes refecti; via munita; constructa peregrinis, & invalidis, ac senio languentibus, multis in locis, hospitia.*

[a] In Episc. Lingon. n. 34.

* Conche.

* Nully.

[b] In Episc. 39.

Ut

AN. CH. 791. CAROLI R. 23. PIPPINI LUDOV. RR. II. CAROLI R. 3.

LIV. Ut autem Betto post Waldricum in Cathedra Lingonensi sedit, sic & Aridius post eundem Waldricum factus est Abbas Benignianus, eidémque Aridio in regimen Monasterii successit Hildebrannus Herlegaudi decessor. De Benignianis illis Abbatibus sic illius loci Chronographus. *Defuncto Waldrico Abbate successit in regimine Pastoralis Officii Aridius, &c. Memorato Abbate Aridio diem obeunte, Hildebrannus accepit curam regiminis &c. Peractis aliquot annis Hildebrannus in Pastorali cura defunctus est. Cui successit Herlegaudus Abbas.* Hunc Waldrico Robertus in Gallia Christiana proximè sufficit, Aridio & Hildebranno perperam omissis. Quonam Aridius anno cœperit ant desierit Abbas esse, non liquet; ejus successor Hildebrannus obiit Carolo jam Imperatore, Donatio enim, quam Frodo in diebus Hildebranni fecit, apud eundem Chronographum *anno primo imperii Caroli Magni* consignatur. Res Monasterio Benigniano collatas, cùm Aridius illud regebat, sic attingit idem Auctor. *Adolescens quidam ex nobili ortus progenie, nomine Doda, veniens ad conversionem in hoc Divionense Monasterium, Deo & Sancto Benigno cupiens militare, tradidit prædicta Abbati Aridio & Monachis hujus loci, quicquid possidere videbatur in villa Salonis & in Bargis, totum ad integrum; & in villa Monfarulfi vocata, dimidiam quæ ad se pertinebat, cum omnibus appenditiis & mancipiis desuper commanentibus. Et constituit ut ipsi servi annis singulis uno die ad mensam fratrum darent frumenti modium unum in pane, vini modium unum, cervisiæ modia duo & pretium unde possint præparari duo pulmentaria, secundùm quod præcipit Regula Monachorum*, seu Benedictina, cujus caput undequadragesimum sic inchoatur: *Sufficere credimus ad refectionem quotidianam tam Sexta quàm Nona, omnibus mensis cocta duo pulmentaria propter diversorum infirmitates, ut fortè, qui ex uno non potuerit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant.*

ARIDIUS ABBAS S. BENIGNI.

LV. Carolus hoc anno, Regni sui vicesimo-tertio litem composuit inter Hrotbertum Abbatem Sancti Germani de Pratis prope Parisios & Autbertum Comitem excitatam ratione sylvæ, quæ Mons Adraldi dicitur in pago Milidunensi. Lege Joannem Mabillonum in Observationibus, quas Translationi Sancti Germani Parisiensis Episcopi præfixit [a].

LIS INTER ABB. S. GERMANI ET AUTBERTUM COMITEM COMPONITUR.

[a] Tom. 3. sec. 3. Benedict.

LVI. Apud Antonium Sanderum in Auctario ad primum Tomum Flandriæ Illustratæ legitur Catalogus Abbatum Blandiniensium, ibique ad commendationem Scorani Abbatis, quem Tomo priore jam laudavimus, id commemoratur. *Saxbertus & Guntbertus dederunt Sancto Petro*, id est, Blandiniensi Monasterio, *res suas in Locuvirde & Wackinio Scorano Abbate anno 791.*

SCORANUS ABB. BLANDINIENSIS.

AN. CH. 792. CAROLI R. 24. PIPPINI LUDOV. RR. 12. CAROLI R. 4.

ANNUS

CHRISTI		792.
CAROLI SEN.	R.	24. 21. 19.
PIPPINI II.	R.	12.
LUDOVICI	R.	12.
CAROLI JUN.	R.	4.

I. ANNO DCCXCII *resedit Rex in Bajoaria, & apud Reganesburg celebravit Pascha* decimo-septimo Kalendas Maii. *Sed, appropinquante æstate, Saxones existimantes, quod Avarorum gens se vindicare de Christianis de-*

SAXONES REBELLANT.

AN. CH. 792. CAROLI R. 24. PIPPINI LUDOV. RR. 12. CAROLI R 4.

buisset, hoc, quod in corde eorum dudum jam anteà latebat, manifestissimè ostendebant, quasi canis, qui revertitur ad vomitum suum, & ad paganismum, quem pridie respuerunt, iterum relinquentes Christianitatem, mentientes tam Deo quàm Domno Regi, qui eis multa beneficia præstitit, conjungentes se cum paganis gentibus, quæ in circuitu eorum erant. Sed & Missos suos ad Avaros transmittentes, conati sunt imprimis rebellare contra Deum Dominum, contra Regem & Christianos. Omnes Ecclesias, quæ in finibus eorum erant, cum destructione & incendio vastabant, rejicientes Episcopos & Presbyteros, qui super eos erant, & aliquos comprehenderunt, necnon alios occiderunt, & plenissimè se ad culturam idolorum converterunt. Huc usque Annalista Loiselianus editionis Canisianæ, nam Duchesniana nullam Saxonum Avarorúmque mentionem facit, ex hac autem editione validum erui non potest argumentum, ut Canisianæ fides abrogetur, Annalista enim Petavianus ad hunc eundem annum de Saxonibus ita scribit. *Saxones mentiti sunt fidem, quam polliciti fuerunt jamdudum Domno Regi Karolo.* Et Chronicon Moissiacense cum editione Canisiana consentit. Quin & in Chronico San-Dionysiano Franci prope Oceanum ad Albim fluvium dicuntur à Saxonibus pridie Nonas Julias interempti. *Saxones interfecerunt Francos super fluvio Alpia prope mare prid. Non. Jul. feriâ* VI. Annus hic bisextilis fuit, duabúsque præditus literis Dominicalibus A & G, quarum posterior per mensem Julium cucurrit.

II. PIPPINUS IN PATREM ET FRATRES CONJURAT.

In Codice Canisiano suprà citato & in Chronico Moissiacensi hæc proximè sequuntur de Pippino Caroli Regis filiò natu maximo, qui nefariis pessimorum hominum consiliis abreptus in patrem suum fratrésque conjuravit. *In ipso anno inventum est consilium pessimum *, quod Pipinus filius Regis ex concubina Hilmiltrude * nomine genitus, contra Regis * vitam, seu filiorum ejus, qui ex legitimo matrimonio nati sunt, qui voluerat * Regem & ipsos occidere, & ipse pro eo, quasi Abimelech in diebus Judicum Israel regnaret, qui accidit fratres suos, septuaginta viros super petram unam, & regnavit pro Gedeone patre suo, cum malitia tamen, & non diu. Rex Carolus cùm cognovisset consilium Pipini, & consentaneorum suorum, coadunavit * adventum Francorum & aliorum fidelium suorum ad Reganesburg, ubi universus populus Christianus, qui cum Rege aderant, judicavit Pipinum & consentaneos suos in ipso nefando consilio, ut hæreditate & vitâ privarentur, & ita de aliquibus impletum est. Nam de Pipino filio suo, quia noluit * Rex ut occideretur, judicaverunt Franci, ut ad servitutem ei inclinare debuisset. Et ita factum est, & misit jam Clericum in Monasterium.* Codex Loiselianus, quem Andreas Duchesnius [a] publicavit, hac de conjuratione nihil omnino refert, at Duchesnius hanc addit periodum ex Codice Petaviano. *Conjuratio contra Regem à filio ejus Pipino facta, detecta, & compressa.* Cum editione Canisiana convenit Chronographus Moissiacensis, éstque correctior, ut ex vocabulis ad oram rejectis liquet. Ejusdem conjurationis alii meminerunt Annalistæ, Petavianus, Laureshamensis ac Fuldensis, necnon Eginhardus in vita Caroli.

* pessimum
* Hilmedrude
* Regem
* voluerunt
* coadjuvit
* voluit
[a] Tom. 2. Collect. Hist. Franc.

III. Multis argumentis jam probavimus Auctorem Annalium, quos Laureshamenses vocamus, plerique verò Eginhardinos appellant, alium esse ab Eginhardo, qui vitam Caroli Magni conscripsit. Eadem quoque confirmabitur assertio, si simul conferantur quæ de Pippini conjuratione in Annalibus Laureshamensibus & in vita Caroli leguntur. Annalista Laureshamensis sic habet. *Rege ibidem* id est, apud Reginum *, *æstatem agente, facta est contra eum conjuratio à filio suo majore, nomine Pipino, & quibusdam Francis, qui se crudelitatem Fastradæ Reginæ ferre non posse asseverabant, atque ideo in necem Regis conspiraverant. Quæ cùm per Ardulfum Langobardum detecta fuisset, ipse, ob meritum fidei servatæ, Monasterio Sancti Dionysii donatus est. Auctores verò conjurationis, ut rei læsæ Majestatis, partim gladio cæsi, partim patibulis suspensi, ob meditatum scelus tali morte multati sunt.*

* Ratisbonne.

Et Eginhardus in vita Caroli, sic. *Erat ei*, nempe Carolo, *filius, nomine Pippinus, ex concubina editus, cujus inter ceteros mentionem facere distuli, facie quidem pulcher, sed gibbo deformis. Is, cùm pater bello contra Hunos suscepto in Bajoaria hyemaret, agritudine simulatâ, cum quibusdam è Primoribus Francorum, qui sibi vanâ promissione Regni illuserant, adversùs patrem conjuravit. Quem, post fraudem detectam & damnationem conjuratorum, detonsum in Cœnobio Prumia religiosa vita jámque volentem vacare permisit.* Ac paulò pòst hujus alteriúsque conjurationis contra Carolum priùs in Germania factæ causam omnem in Fastradam Reginam sic rejicit. *Harum tamen conjurationum Fastrada Regina crudelitas causa & origo extitisse creditur. Et idcircò in ambabus contra Regem conspiratum est, quia uxoris crudelitati consentiens à sua natura benignitate ac solita mansuetudine immaniter exorbitasse videbatur.* Illæ narrationes adeò differunt, ut non unius sed duorum videantur Auctorum fœtus.

IV. Primò, tempestatem anni quâ conjuratio facta est, *æstatem* videlicet, & urbem, in qua Carolus tum morabatur, nempe *Reginum Bajoaria civitatem*, notat Annalista Laureshamensis. *Rege*, inquit, *ibidem*, id est, apud Reginum, *æstatem agente, facta est contra eum conjuratio.* Eginhardus verò conjurationem factam ait, *cùm* Carolus, *bello contra Hunos suscepto, in Bajoaria hyemaret.*

V. Secundò, Annalista Laureshamensis Pippinum Caroli Regis filium *majorem* seu filiorum natu maximum dicit, nec ullum ei corporis aut natalium defectum exprobrat. Eundem autem Pippinum Eginhardus *gibbo* deformem exhibet, asseritque natum *ex concubina.* De Pippini statura non disputamus. At Himiltrudem ejus matrem uxorem Caroli legitimam fuisse jam probavimus ex variis Auctoribus, ac potissimùm ex literis, quas eisdem Carolo & Carolomanno Regibus inscripsit Stephanus Quartus Papa. Falluntur, qui de Pippino minùs honorificè quàm de filiis Hildegardis loquuntur. Atque id observatum esto præcipuè adversùs Chronographum Moissiacensem & Auctorem Codicis Canisiani citatos suprà.

VI. Tertiò, conjurationis causam in Fastradæ crudelitatem rejicit Annalista Laureshamensis; rejicit & Eginhardus. At hic addit Pippinum à quibusdam è Primoribus Francorum, *vanâ promissione Regni* deceptum fuisse. Causam conjurationis haud aliam intercessisse suspicamur, quàm quòd Pippinus ægerrimè ferret se prætermisso ceteros Caroli filios à patre Regnis donatos esse, Carolum Neustrasiâ, Longobardiâ Pippinum, Ludovicum Aquitaniâ, licèt pro certo tenere deberet Austrasiam sibi reservari, quæ Francici Regni pars habita sæpè nobilissima, concessáque filiis Regum natu maximis. Si Chronico Moissiacensi & Codici Canisiano fides est, in suos etiam fratres conjuravit, universámque Francorum Monarchiam affectavit Pippinus. Procul à patris comitatu & ab aula novercæ regnabat degebátque Pippinus minor, Rex Longobardiæ. Ludovicus, Aquitaniæ Rex, apud Reginoburgum in Bojoaria cum noverca morabatur, nec ante autumnum reversus est in Regnum suum; sic enim Auctor vitæ. *Accepit ab eo*, id est, à Carolo patre, *mandatum in Aquitaniam redire, & fratri Pippino* Longobardiæ Regi *suppetias, cum quantis posset copiis, in Italiam pergere. Cui obediens Aquitaniam autumni tempore rediit, omnibúsque, qua ad tutamen Regni pertinent, ordinatis, per montis Cinisii asperos & flexuosos anfractus in Italiam transvehitur, atque Natalem Domini Ravenna celebrans ad fratrem venit.* De Carolo Neustrasiæ Rege nihil ad hunc annum legitur.

VII. Quartò, Annalista Laureshamensis conjurationem *per Ardulfum Langobardum* detectam scribit. Apud Eginhardum nulla fit Ardulfi mentio. Eundem Ardulfum *ob meritum fidei servata* prælaudatus Annalista *Monasterio Sancti Dionysii* donatum testatur.

AN. CH. 792. CAROLI R. 24. PIPPINI LUDOV. RR. 12. CAROLI R. 4.

VIII. Quintò, in Annalibus Laureshamensibus, *Auctores conjurationis, ut rei læsæ Majestatis, partim gladio cæsi, partim patibulis suspensi, ob meditatum scelus tali morte mulctati* dicuntur. Eginhardus verò conjuratores quidem damnatos ait, sed quo plexi sint supplicio non declarat. Annalista Fuldensis auctores factionis, *partim morte, partim exilio & cæcitate damnatos* scribit.

IX. Sextò, nullum in Annalibus Laureshamensibus verbum occurrit de pœna, quam Pippino Carolus pater irrogavit. Idem autem Carolus, si fides est Eginhardo, Pippinum, *post fraudem detectam & damnationem conjuratorum, detonsum in Cœnobio Prumia religiosæ vitæ jámque volentem vacare permisit*. Ea de re fusiùs agemus anno sequenti.

X. Annalista Laureshamensis prædictæ conjurationi narrationem de hæresi Feliciana, quæ bis hoc anno, semel Reginoburgi, rursum Romæ damnata est, ita præponit. *Orgellis est civitas in Pyrenæi montis jugo sita, cujus Episcopus nomine Felix, natione Hispanus, ab Elipando Toleti Episcopo per literas consultus, quid de humanitate Salvatoris Dei & Domini nostri Jesu Christi sentire deberet, utrùm secundùm id quod homo est, proprius an adoptivus Dei filius credendus esset ac dicendus, valdè incautè atque inconsideratè, & contra antiquam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, adoptivum non solùm pronunciavit, sed etiam scriptis ad memoratum Episcopum libris pertinacissimè pravitatem opinionis suæ defendere curavit. Hujus rei causâ ductus ad Palatium Regis, qui tunc apud Reginum Bajoariæ civitatem, in qua & hyemaverat, residebat. Ubi congregato Episcoporum Concilio auditus est, & errasse convictus, ad præsentiam Adriani Pontificis Romam missus, ubi etiam coram ipso in Basilica beati Petri Apostoli, hæresim confessus est atque abdicavit. Quo facto, ad civitatem suam reversus est.* Urgella sive Orgella vel Orgellis aut Orgelium, urbs Hispaniæ citerioris ad Sicorim * amnem, nec procul à Galliarum confinio, Francis parebat, & Aquitaniæ Regno provinciæque Narbonensi tunc accensebatur. Ea de causa Felix illius civitatis Episcopus, cùm pravum dogma sereret, Reginum ductus est, ubi tum Carolus ejúsque filius Ludovicus Rex Aquitaniæ morabantur.

FELIX EP. URGELLENSIS HÆRETICUS DAMNATUR REGINOBURGI.

ROMÆ ABDICAT HÆRESIM.

* la Segre.

XI. Jonas Aurelianensis Episcopus, qui Pontificatum sub Ludovico Pio & Carolo Calvo gessit, huic libros tres obtulit de cultu sacrarum imaginum, quos imperante Ludovico contra Claudium Taurinensem Episcopum scripserat. Initio suæ lucubrationis hæc habet de Felice, qui nomen hæresi Felicianæ dedit. *Emersit ex Hispania, tempore sanctæ memoriæ Caroli piissimi atque invictissimi Augusti, quidam Felix nomine, actu infelix, Urgelitanensis civitatis Episcopus, qui, juncto suo sceleratissimo * errori Elipando * Toletanæ urbis Episcopo, secundùm humanitatem non esse proprium filium Dei sed adoptivum prædicare ausus est. Et hac virulentâ doctrinâ uterque Hispaniam magna ex parte infecit. Deinde Apostolorum Christi actus imitari volentes, cùm ipsi non Apostoli Christi, sed præcones essent hostis antiqui, unusquisque separatim diversas provincias eâdem suâ insanâ doctrinâ imbuendas appetivere.* De Elipando, qui suis erroribus *Asturias & Gallaciam* infecit, non est nobis hîc agendum. *Porrò Felix, cùm multis apud Septimaniam eundem haustum pestiferum propinaverit, cum tamen Galliæ Germaniæque (quantum in illo fuit) propinare voluit. Sed, divinâ gratiâ adminiculante, nullum apud Galliam Germaniámque ejus error locum invenire quivit, quoniam non solùm apud Germaniam studium literarum & amor Sanctarum scripturarum, verùm etiam apud eandem Galliam (quæ sola, teste Hieronymo, monstra non habuit, sed viris semper fortibus & eloquentissimis abundavit) ejusdem memorabilis Viri,* Caroli videlicet Magni, *solertissimo studio & ferventissimo desiderio actum est, ut, Domino opem ferente, in sibi commissæ Ecclesiæ filiis & liberalium artium apprimè disciplina & divinarum Scripturarum perfectè polleret intelligentia. Quibus milites Christi, utpote invictissimis armis muniti, ejus vesanam doctrinam*

* scelerato
* Elyphanto

propulsaverunt. Ejusdem namque Principis jussu in unum coacti, adhibitâ etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate, eundem Felicem damnaverunt, imò cum auctore sui erroris Nestorio, quem imitatus est, perpetuo anathemati mancipaverunt. Hæc postrema periodus spectat ad Concilium Francofordiense, de quo fusè post bienuium. AN. CH. 792. CAROLI R. 24. PIPPINI LUDOV. RR. 12. CAROLI R. 4.

XII. Hæresis Feliciana, priusquàm Carolus Episcoporum Synodum, cui Legati quoque Romani Pontificis interfuerunt, *ex omnibus Regni sui provinciis* apud Francofurtum congregaret, bis hoc anno damnata est, ut ex Annalibus Laureshamensibus observatum suprà. Breviter hoc negotium apud Annalistam Loiselianum in editione Duchesniana sic perstringitur. *Hæresis Feliciana primitus audita, & in Regenesburg primò condemnata est. Quem*, nempe Felicem, *Angilbertus ad præsentiam Adriani Apostolici adduxit, & confessione factâ suam hæresim iterum abdicavit.* Hic Auctor fallitur, cùm hæresim Felicianam hoc anno *primitus* auditam dicit. Inter epistolas enim, quas Carolus in unum volumen anno Regni vicesimo-tertio sive anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo collegit, Adrianus Papa nonagesimam-septimam inscripsit *omnibus Orthodoxis Episcopis per universam Spaniam commorantibus*, & apud illos de prædicta hæresi sic questus est. *De partibus vestris pervenit ad nos lugubre capitulum, quòd quidam Episcopi ibidem degentes, filium Dei adoptivum confiteri non erubescunt, quòd nullus è qualibet hæresi antea talem blasphemiam ausus est oblatrare, nisi perfidus ille Nestorius, qui purum hominem Dei confessus est filium.* Felicem hoc anno Reginoburgi primò damnatum non tantùm præcitatus Annalista Loiselianus, sed & alii testantur Auctores, quos anno priore citavimus, cùm de Narbonensi Concilio sermonem haberemus.

XIII. Felix Reginoburgo Romam missus est, ibique, coram Adriano Papa, suam ipsemet hæresim damnavit. Illuc ab Angilberto ductus est. Ea de re conveniunt omnes. Annalista Fuldensis Angilbertum tunc Abbatem vocat. Angilbertus in Cœnobio Centulensi Monasticen sub Abbatis Symphoriani disciplina professus est, eíque posteà in munus Abbatiale successit. Hæc constant ex monumentis Centulensibus jam citatis, utrùm autem ante Synodum Reginoburgensem an posteà gesta sint, operæpretium videtur hîc studiosiùs indagare.

XIV. ANGILBERTI VITA EXAMINATUR. Angilberti vitam, & Centulense Chronicon, in quo multa de Angilberto commemorantur, composuit Ariulfus Monachus Cœnobii Centulensis seu Sancti Richarii. Vitam Angilberti Joannes Bollandus [a] ex manuscriptis Codicibus Centulensis Monasterii publicavit, Chronicon Centulense publici juris ex Codice Duchesniano fecit Lucas Dacherius [b]. Quonam autem tempore vixerit Ariulfus, ipsemet in fine Chronici Centulensis ita declarat. *Ego frater Ariulfus Monasterii Beati Richarii humilis Monachus, hoc de sancti loci nostri nobilitate vel utilitatibus à Domno Saxowale ante plures annos inchoatum opus Deo auxiliante perficiens, obsecro omnes, qui in hoc sancto loco militaturi sunt, immò per virtutem Dei & sapientiam Christum obtestor, ut hæc, in quibus congregandis desudavimus, diligenter ipsi custodiant, & ea qualicumque modo deperire non permittant. Completum est autem istud opus humanitatis filii Dei anno* MLXXXVIII. *Indict.* X. *anno Regis Philippi* XXVIII. *Widone Pontivorum Comite annis* XXXVI. Quo in textu non annus MLXXXVIII, sed MLXXXVII legendus videtur, quoniam Indictio X cum anno Christi MLXXXVII coincidit, & Philippus in Regni consortium à patre Henrico die Pentecostes anno Christi millesimo nudesexagesimo adscitus est, itaut illius Regis annus XXVIII cum eodem anno Christi MLXXXVII componatur. At Ariulfus Centulense Chronicon anno Christi seu MLXXXVII seu MLXXXVIII perfecit, ab Angilberti Abbatis ætate procul abfuit, ideóque levioris est auctoritatis in multis, quæ strictò debemus hic examini subjicere.

[a] D 15. Febr.
[b] Tom. 4. Spicil.

AN. CH. 792. CAROLI R. 24. PIPPINI LUDOV. RR. 12. CAROLI R. 4.

XV. *Anno Dominica Incarnationis septingentesimo quinquagesimo-quarto, cùm Pippinus filius Caroli cognomento Martelli, cum duobus filiis Carolo & Carolomanno, Francorum populis sceptro Regio præsideret, vir inclytus Angilbertus generis nobilitate illustris, animique industriâ ac probitate nulli secundus, Palatinis atque Regalibus negotiis implicatus degebat, & splendore sua indolis eorumdem Regum animos in tantum sui amorem accenderat, ut tanquam filium vel fratrem carissimum, vehementissimè eum diligerent. Erat enim totius affabilitatis & cautissima jocunditatis efficaciâ cumulatus, & ultra ætatem tot studiis honestatis decoratus, staturâ quoque elegantior, & vultu venustissimus, ut mirum in modum omnibus, qui eum videre vel audire poterant, veniret in amorem, & Dei gratia, qua sibi in illo gratum cubile collocaverat, omnibus illum commendabilem exhiberet.* Hæc Ariulfus in Angilberti vita, nec dissentanea scribit libro secundo Chronici Centulensis, hæc enim primo capite reperiuntur. *Anno Incarnationis Dominica* DCCLIV, *cùm Pipinus cum filiis Karolo & Karolomanno Francorum orbi imperaret, omnium bonorum laude semper attollendus Angilbertus indole sua nobilitatis jam dictos Reges sic in sui amorem converterat, ut miro modo visceraliter illum diligerent, & verso moda Reges, quibus ab aliis placeri studetur, huic præ affectu dilectionis placere studerent.* At ne Angilbertum ab anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto *Palatinis atque Regalibus negotiis* implicatum credamus, prohibet ætas Bertæ, quæ anno seculi octavi vel exeunte septnagesimo-nono, vel octogesimo ineunte nata est, duos eidem Angilberto filios Nithardum & Harnidum paritura. Bollandus [a] à vero non putat alienum, ut Angilbertus Carolo Rege *pauculis annis* junior habeatur. Carolus autem, cujus Nativitas anno Christi septingentesimo quadragesimo-septimo consignatur, annum adhuc ætatis suæ septimum anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto numerabat.

[a] D. 18. Febr. in prolegom. ad vit. S. Angilb. n. 4.

XVI. Ex eadem ætate geminóque Bertæ partu refelluntur etiam, quæ Pippino Rege de tonsura Clericatûs ab Angilberto suscepta sic in ejus vita subjiciuntur. *Liberalibus quoque studiis ad unguem informatus, & donis gratiarum abundanter fœcundatus, consilio parentum amicorúmque, instinctu etiam Principum, à quibus quammaximè diligebatur, tonsuram Clericatûs accipit, & titulo sacra religionis insignitus, magnum lumen pia conversationis ministrabat Palatinis.* Hac de re sermo rursum occurret infrà.

XVII. Pergit Ariulfus eodem loco. *Pippinus intereà annis duodecim Regni fastigia sublimatus, diem clausit extremum, & Regni heredes post se reliquit Carolum & Carolomannum fratres, ex quibus Carolomannus paucis post obitum patris supervixit annis. Sicque totius Regni Monarchiam Carolus Magnus recepit, qui ideo Magnus vocatus est, quia sapientiâ & viribus ac alacritate magnanimus, bellorum quoque diuturnâ tolerantiâ ac experientiâ magnificus fuit. Hic igitur Rex Angilberto amantissimus per omnia mansit, tam pro insigni nobilitate, quàm etiam pro morum honestissima probitate. Nam omnes de ejus prosapia viri clarissimi, & Francorum Regibus familiares semper habiti sunt, & clari avi ejus & proavi aut in dignitatibus primi, aut dignitatum magnalibus affines fuerunt & propinqui. Præfatus ergo Rex Carolus in tantam amicitiam eum tenuit, ut quocumque iret vel rediret, Domnum Angilbertum semper secum haberet, ob expertam scilicet in eo prudentiam & tutam ad omnia fidelitatem. Et hac tanta dilectio ad hoc processit, ut eum secretorum conscium & Primatem Capellanorum faceret: sibi quoque eundem Silentiarium statueret, ut in quo compereret prudentia altitudinem, ejus consilio componeret totius Regni utilitatem.* Ex libro secundo [b] Centulensis Chronici. *Pipinus denique annis duodecim superstes duobus filiis Regni successionem reliquit, è quibus Karolus moriente germana Monarchiam solus obtinuit. Cui clarissimus vir Angilbertus nobilitatis & sapientia merito extitit carissimus, adeò ut præ omnibus ei familiarissimus haberetur.* Fallitur Ariulfus, cùm Pippini Regnum spatio duodecim annorum circumscribit,

[b] Cap. 2.

nam Pippinus, ut superiore Tomo probatum est, anno Christi septingentesimo quinquagesimo-secundo regnare cœpit, biennio pòst unctus est à Stephano Papa, vitámque ad annum usque Christi septingentesimum duodeseptuagesimum prorogavit. De dignitatibus, quas iste Scriptor Angilberto tribuit, specialiùs hic inquirendum. AN. CH. 792. CAROLI R. 24. PIPPINI LUDOV. RR. 12. CAROLI R. 4.

Angilbertus ab Ariulfo *Primas Capellanorum* vocatur, id est, Archicapellanus. At toto tempore, quo Carolus regnavit, tres duntaxat Archicapellanos, Fulradum, Engelramnum & Hildiboldum agnoscit Hincmarus, anno priore jam descriptus. Fulradus Presbyter & Abbas San-Dionysianus obiit decimo-septimo Kalendas Augustas, anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto, Caroli Regis decimo-sexto. Post Fulradum Archicapellanus fuit Ingilramnus sive Angilramnus aut Engelramnus Metensis Episcopus, cujus obitum septimo Kalendas Novembris, anno superiore, Caroli Regis vicesimo-quarto jam inchoato consignavimus. Angilramno in munus cùm Archicapellani tum Apocrisiarii successit Hildebaldus sive Hildeboldus Coloniensis Archiepiscopus, ut patet ex Canone quinquagesimo-quinto Synodi Francofordiensis, de qua post biennium. Carolo superstes vixit Hildebaldus, ut vetus Anonymus in vita Ludovici Pii declarat ad annum Christi octingentesimum decimum-sextum, quo Stephanus Quintus Papa Remos pervenit. *Cui, Ludovicus Imperator etiam obviam Hildebaldum Archicapellanum sacri Palatii, Theodulphum Episcopum Aurelianensem, Johannem Arelatensem, aliorúmque ministrorum Ecclesiæ copiam, procedere jussit, Infulis indutos Sacerdotalibus.* Hæc autem cùm ita sint, Angilbertus inter Caroli Regis Archicapellanos locum obtinere non potest, & ab Ariulfo perperam *Primas Capellanorum* nuncupatur. Accedent aliæ rationes infrà, quibus assertionem nostram denuò fulciemus. XVIII.

Ariulfus Angilbertum non Primatem modò Capellanorum, sed etiam Silentiarium vocat, & ad illud munus assumptum à Rege dicit, *ut in quo Carolus compererat prudentiæ altitudinem, ejus consilio componeret totius Regni utilitatem.* Angilbertum ad intima consilia Caroli Regis admissum concedimus. Illâ enim ætate Silentium, sive Σελέντιον aut Σιλέντιον, appellabatur paucorum Conventus, qui coram Principe de gravioribus Regni negotiis agebant, & Alcuinus ipsum Angilbertum *Regiæ voluntatis Secretarium* laudat in literis ad Adrianum Papam, quas alio loco descripsimus. XIX.

Multa, quæ nullam prorsus fidem merentur, in ejusdem Angilberti vita sic Ariulfus subjungit. *Dehinc supernis donis cum ætate crescentibus, Sacerdotii gradum, superni instinctu amoris, & Regali consilio suscepit, ut videlicet cælestibus officiis decoratus, magis ac magis propinquaret suscipiendis Pontificalibus Infulis. Tractabat nempe Rex præfatus illum sublimare in arcem alicujus Metropolitanæ civitatis, utpote quem ubertim commendabat & generis claritas & magnæ scientiæ diffusa peritia. Sed aliter accidit,* quia *Domnus Angilbertus à Sacerdotii sanctimonia desciscens, Regis gener effectus est, & ex toto sociatus copulâ nuptiali, duos filios Nitardum & Arnidum procreavit.* XX.

Angilberto duos fuisse filios Nitardum & Harnidum ex Berta Caroli Magni filia non inficiamur. Ipsemet enim Nithardus [a] de Angilberto sic scribit. *Qui ex ejusdem Magni Regis filia nomine Berchta Harnidum fratrem meum & me Nithardum genuit.* At Angilbertum, ut Clericum & Archicapellanum, sic & Sacerdotem negamus fuisse, priusquàm prolem gigneret. Apud Auctores coætaneos altum per illa tempora de Angilberti Clericatu silentium. Nec assentiri possumus Malbranco, qui *Sacerdotium* in Ariulfi textu non Presbyteratum sed titulum interpretatur Ecclesiasticum, quem Angilbertus sacris nondum initiatus deserere pro arbitrio potuerit. *Non crediderim*, inquit [b], *sacris initiatum, sed cùm pullato & Clericali vestitu* XXI.

[a] Lib. 4.

[b] Lib. 5. c. 32.

amictus incederet, Præfecturis Ecclesiasticis fuisse indutum: uti etiamnum videmus pinguibus Sacerdotiis donatos nobiles demortuis primogenitis & opportuno accedente matrimonio ea deserere. Quisquis Ariulfum attentè loco præcitato legerit, eum fatebitur Sacerdotii vocabulo non de titulo duntaxat Ecclesiastico, sed verè de Sacerdotio seu de Ordine Sacerdotali locutum esse, rémque falsam de Angilberto literis commendasse.

XXII. Ex prædictis constat rejicienda post hunc annum, quæcumque scribuntur ab Ariulfo de Angilberti & Berthæ conjugio déque geminæ prolis ortu, necnon etiam de Angilberti Monachatu & Abbatiali munere. Singula suis locis examinabimus. Interim hæc sufficiant, ut eos censeas errasse, qui Felicem Utgellensem Episcopum Reginoburgo Romam hoc anno ab Angilberto jam Abbate ductum affirmarunt.

XXIII. Simeon Monachus Benedictinus & Dunelmensis Ecclesiæ Præcentor narrationem rerum hoc eodem anno in Anglia gestarum sic orditur. *Anno* DCCXCII, *Karolus Rex Francorum misit Synodalem librum ad Britanniam sibi à Constantinopoli directum. In quo libro (heu proh * dolor) multa inconvenientia, & vera fidei contraria reperientes, maximè quòd penè omnium Orientalium Doctorum non minùs quàm trecentorum * vel eo ampliùs Episcoporum unanimâ assertione confirmatum *, Imagines adorari * debere, quod omninò Ecclesia Dei execratur. Contra quod scripsit Albinus epistolam ex authoritate divinarum Scripturarum mirabiliter affirmatam, illámque cum eodem libro, ex persona Episcoporum ac Principum nostrorum, Regi Francorum attulit.* Hunc Auctorem Rogerus Hovedenus priori parte Annalium sic transcripsit. *Anno 792, Carolus Rex Francorum misit Synodalem librum ad Brittanniam, sibi à Constantinopoli directum. In quo libro (heu proh dolor) multa inconvenientia & vera fidei contraria reperiebantur, maximè quòd penè omnium Orientalium Doctorum, non minùs quàm trecentorum, vel eo ampliùs Episcoporum unanimô assertione confirmatum fuerit, Imagines adorari debere, quod omnino Ecclesia Dei execratur. Contra quod scripsit Albinus epistolam* &c. ut suprà. Utrumque verò Matthæus Westmonasteriensis anno proximo, sive *anno gratiæ* DCCXCIII, sic reddidit. *Carolus Rex Francorum misit librum Synodalem ad Britanniam, in quo vera fidei multo reperta sunt obviantia, & eò maximè, quòd penè omnium Orientalium Doctorum unanimi assertione est deffinitum, Imagines adorari debere, quod omnino Ecclesia Catholica execratur. Contra quod Albinus scripsit epistolam, ex authoritate divinarum Scripturarum mirabiliter dictatam, illámque cum eodem Synodali libro, in persona Episcoporum ac Principum idem Albinus ad Regem attulit Gallicanum.* Anno illo Christi septingentesimo nonagesimo-tertio Flaccus Albinus sive Alchuvinus Anglus in Franciam ad Carolum Regem natali solo relicto venit. Matthæus igitur Westmonasteriensis cum Simeone Dunelmensi & Rogero Hovedeno sic conciliari debet. Anno Christi septingentesimo nonagesimo-secundo Carolus Rex acceptum Constantinopoli Synodalem librum in Britanniam misit, ut Simeon Dunelmensis & Rogerus Hovedenus testantur, annóque proximo Albinus sive Alcuinus ex Anglia in Franciam ad Carolum Regem perrexit, ut Matthæus Westmonasteriensis scribit. De Alcuini adventu in Franciam agemus anno sequenti. Quæ verò de libello Synodali ab urbe Constantinopoli in Franciam atque inde in Britanniam directo narrantur, hîc examinanda.

** pro dolor*
** trescentorum*
** confirmantum*
** adorare*

CAROLUS SYNODALEM LIBRUM CONSTANTINOPOLI SIBI DIRECTUM MITTIT IN BRITANNIAM.

XXIV. Anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto, conciliabulum trecentorum triginta-octo Episcoporum adversùs cultum sanctarum Imaginum celebratum est Constantinopoli, falsóque dictum à Græcis septimum Concilium Oecumenicum. Imperabat tunc Constantinus Copronymus, cujus obitus in annum Christi septingentesimum septuagesimum-quintum incidit mense Septembri, cùm annum Imperii tricesimum-quintum post mortem patris ageret teste Theophane. Ἐβασίλευσε δὲ εἰκοσι-

DUÆ DISTINGUUNTUR PSEUDOSYNODI CONSTANTINOPOLITANÆ.

τωρ

τὴν μετὰ τὴν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τελευτὴν ἔτη λδʹ. μῆνας βʹ. ἡμέρας κϛʹ. AN. CH.
Patri successit Leo Quartus. Hic proximo die Paschæ, Indictione decimâ- 792.
quartâ, *ἥτις ἦν ἡ μεγάλη κυριακὴ τοῦ Πάσχα ιδʹ. ἰνδικτιῶνος*, id est, anno CAROLI
Christi septingentesimo septuagesimo-sexto Constantinum filium Imperii R. 24.
consortem fecit, desiitque vivere mense Septembri, anno Christi septingen- PIPPINI
tesimo octogesimo, Indictione quartâ jam inchoatâ, *τῆς τετάρτης ἰνδικτιῶνος*. LUDOV.
Tunc Constantinus & ejus mater Irene simul imperare cœperunt, im- RR. 12.
peraruntque simul ad mensem usque Octobrem Indictionis decimæ- CAROLI
quartæ sive anni post Christum natum septingentesimi nonagesimi. *Συναχ-* R. 4.
θέντες δὲ τῷ Ὀκτωβρίῳ μηνὶ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης ἰνδικτιῶνος οἱ τῶν θεμάτων ἐν τῇ Ἀτζώᾳ ἐπιζητήσαντες πάντες κοινῇ γνώμῃ Κωνσταντῖνον βασιλέα ἔχειν ἄρχοντα ἔτος. φοβηθεῖσα δὲ Εἰρήνη τὸ ὅρμημα τοῦ λαοῦ ἀπέλυσεν αὐτόν. αὐτοὶ δὲ τοῦτον αὐτοκράτορα ἐκύρωσαν μόνον. ἀπεκήρυξαν δὲ τὴν τούτου μητέρα. Anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo, cùm regimen Imperii penes Constantinum Copronymi nepotem & Irenen ejus matrem esset, convocata Synodus, quæ Nicæna Secunda seu Septima Oecumenica nuncupatur; hæc prædictum conciliabulum Constantinopolitanum seu pseudoseptimum Concilium Oecumenicum damnavit, Imaginibus suum servavit cultum ex Orthodoxa vetustiorum Patrum sententia, nec eas ut Trinitatem latriâ colendas dixit. A secunda Synodo Nicæna usque ad hunc annum, quo Carolus Francorum Rex librum Synodalem ab urbe Constantinopoli acceptum misit in Britanniam, quinquennium intercessit. Eâ temporis intercapedine, seu Constantinus imperabat cum Irene matre, seu pulsâ jam matre solus, ut probabilius nobis videtur, Imperium regebat, Græci novam Constantinopoli fecerunt Synodum, atque inde librum Synodalem ad Carolum Regem direxerunt, *in quo vera fidei multa reperta sunt obviantia, & eò maximè quòd penè omnium Orientalium Doctorum unanimi assertione est diffinitum, Imagines adorari debere, quod omnino Ecclesia Catholica execratur*

Secunda Synodus Nicæna sacris Imaginibus debitum cultum servavit. XXV.
Verùm, inquit Alfordus [a], *contraria factio, qua Constantinopoli remansit, Nicænis Patribus refragata, librum edidit, misitque in Occidentem ad Magnum Carolum, in eòque confixit multa, qua dictis Patribus invidiam parerent. Inter ea latriam Sanctorum Imaginibus difinitam esse, quod meritò omnis Occidens aversatus est.* Hic Auctor duas agnoscit pseudosynodos Constantinopolitanas; unam, quæ secundam Synodum Nicænam annis antecesserit triginta-tribus, cultúmque sanctarum Imaginum penitus abdicarit; alteram, quæ post secundam Synodum Nicænam habita sit, & latriam in eadem Synodo Imaginibus Sanctorum difinitam finxerit. Duas quoque pseudosynodos Constantinopolitanas distinguimus, unam sub Imperatore Constantino Copronymo, anno ante Concilium secundum Nicænum tricesimo-tertio, alteram post secundum illud Concilium Nicænum sub Imperatore Constantino, Leonis Quarti filio, Constantini Copronymi nepote. Nec etiam inficiamur cultum sacrarum Imaginum in priore pseudosynodo Constantinopolitana proscriptum fuisse. Sed quod posteà de præscripta latria disseminatum fuit, id profectum putamus ex prava posterioris Constantinopolitanæ pseudosynodi definitione, non autem ex commento ad invidiam adversùs secundum Concilium Nicænum industriè comparato.

[a] Tom. 2. ad hunc an. n. 11.

Multæ res, ut ita sentiamus, nos impellunt. Hincmarus Remensis Archiepiscopus in Opusculo tricesimo-tertio [b] sic scribit. *Pseudosynodus de Imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra verò pars intellectu sano diffiniens, sine auctoritate Apostolica Sedis, non* XXVI.

[b] Cap. 20.

AN. CH. 792. CAROLI PIPPINI R. 24. LUDOV. R R. 12. CAROLI R. 4.

longè ante nostra tempora, Constantinopoli est à quamplurimis Episcopis habita. In eóque textu, cùm Græcos in pseudosynodo *Constantinopoli* duas in partes pariter erroneas divisos ait ob Imagines, *quas quidam confringendas, quidam antem adorandas dicebant, neutra verò pars intellectu sano diffiniens*, duas subindicat Synodos habitas Constantinopoli, quarum una confregit Imagines, cultu latriæ prosecuta est altera, *neutra* quidquam statuit *intellectu sano*. In secundo Concilio Nicæno, nomine προσκυνήσεως, quæ Imaginibus tribuitur, non latria, quæ naturæ divinæ debetur, sed honoraria tantùm intelligitur veneratio, quâ dum Imagines prosequimur, ipsa prototypa per eas honoramus, & hic Imaginum cultus pseudosynodum Constantinopolitanam sub Constantino Copronymo factam damnat. Eandem pseudosynodum ad Blachernas dictam, quæ *Christi omniúmque Sanctorum Imagines idola nominavit, intercessiones negavit, & à Deo honoratas Reliquias igni tradidit*, Episcopi Francorum in duobus Conciliis, Gentiliacensi videlicet ac Romano, reprobarunt, antequàm secundum Nicænum Oecumenicum celebraretur. Lege Tomo superiori, quæ de Concilio Gentiliacensi ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-septimum, déque Romano ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-nonum dicta sunt. Post secundum Concilium Nicænum, quod anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo congregatum est, habita Constantinopoli posterior pseudosynodus, quæ Sanctorum Imagines adorandas, id est, latriâ prosequendas, dixit. Hanc posteriorem Græcorum pseudosynodum, cujus librum Carolus Francorum Rex in Britanniam hoc anno misit, *pro adorandis Imaginibus* factam & à Concilio Francofordiensi rejectam affirmant Annalistæ, Loiselianus, Tilianus, Metensis, Bertinianus, ac Fuldensis, Chronographus Moissiacensis, Ado, Regino, & incertus Auctor in vita Caroli Magni. Canon autem Francofordiensis mentem Græcæ pseudosynodi *de adorandis Imaginibus* sic exponit ac reprobat. *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui suprà sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.*

XXVII. Plerique volunt secundam Synodum Nicænam à Patribus Francofordiensis Concilii rejectam fuisse. Qua de re commodiùs agemus ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-quartum, quo celebrata Synodus Francofurtana. Per anteceffum observa duas in causa Sanctarum Imaginum à nobis distingui pseudosynodos Constantinopolitanas, quarum posterior post secundum Concilium Nicænum habita Sanctorum Imagines cultu latriæ prosequendas dixit, librúmque Synodalem direxit ad Carolum Francorum Regem, qui librum eundem in Britanniam hoc anno transmisit, atque inde Alcuino data occasio, ut anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio in Franciam ad Carolum proficisceretur, annóque postero cum eodem Rege Concilio Francofordiensi interesset. Cur autem Carolus librum, quem ab urbe Constantinopoli directum acceperat, in Britanniam miserit, hæc potest afferri ratio, quòd inter eum & Offam Merciorum Regem singularis intercederet amicitia, cujus testes epistolæ non paucæ, quibus tamen nolumus accenseas illam, quam Alfordus ad hunc annum * ex Offæ vita per Anonymum scripta & Matthæi *Paris* nomine excusa recitavit, adulterinámque jam dixit. In hisce literis Carolus ait subjugatas à se Longobardiam & Saxoniam, Regémque Longobardorum ac Duces Saxoniæ, Witmundum videlicet seu Witikindum & Albionem, cum omnibus ferè Saxonibus baptizatos fuisse, deinde se Regum Orientalium potentissimum, Offam verò Regum Occidentalium Christianorum potentissimum vocat. Observat Alfordus Alcuinum, licèt epistolas

* Num. 4.

AN. CH. 792. CAROLI R. 24. PIPPINI LUDOV. RR. 12. CAROLI R. 4.

à Carolo ad Offam *accuratè* collegerit, hujus nuſquam meminiſſe. Sed imbecillum eſt hoc argumentum, ſeriùs enim, poſtquàm Alcuinus in Franciam venit, exaratæ ſunt epiſtolæ Carolinæ, quæ reperiuntur Alcuinianis inſertæ. Rationes autem validiſſimæ ſunt, quæ vel à Deſiderii Baptiſmo vel à Titulis Caroli deſumuntur. Deſiderius enim Longobardorum Rex, priuſquàm captivus in poteſtatem Caroli deveniret, Baptiſmum ſuſcepit, utpote Chriſtianis ac Catholicis parentibns natus. Et Carolus nunquam Orientalem Regem, nedum Orientalium Regum potentiſſimum ſe nominavit. Literæ tamen ſic publicatæ ſunt. *Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum, Viro venerando & Fratri cariſſimo Offano Merciorum Regi ſalutem, honorem & amorem. Cùm deceat Reges potentes & famoſos amicitiæ fœdere convinciri, & mutuis gaudiis ad invicem gratulari, ut, in vinculo charitatis, Chriſtus in omnibus & ab omnibus glorificetur, veſtræ Serenitati hoc elogium duximus deſtinandum. Cùm nobiliſſimam Longobardorum civitatem cum ſuis civibus omnibus noſtro dominatui potenter ſubjugaverimus, & Italiam totam noſtro imperio feliciter ſubjugaverimus, Chriſti adjutorio, cui famulari deſideramus, Rex Deſiderius Longobardorum, Ducéſque Saxoniæ, quos noſtris nutibus inclinavimus, Withmundus & Albion, cum ferè omnibus incolis Saxoniæ, Baptiſmi ſuſceperunt ſacramentum, Domino Jeſu Chriſto de cætero famulaturi. Hoc igitur ſalubri mandato, ego Carolus Regum Orientalium potentiſſimus, vos, Offane, Regum Occidentalium Chriſtianorum potentiſſime, cupio lætificare, & te in dilectione ſpeciali amplecti ſynceriùs.*

XXVIII. EPISCOPI TURON.

In provincia Lugdunenſi tertia vitam hoc anno clauſerunt Herlingus Turonenſis Epiſcopus Metropolitanus, & Benedictus ſeu Budicus Aletenſis Epiſcopus. Hic annos undecim ſederat, ut Auctor Armoricæ Sanctæ teſtatur. De annis Herlingi non adeò liquet, annus enim ignoratur quo Pontificatum iniit; ſuperſtes in vivis erat anno priore, cùm erectum eſt Cormarici Monaſterium, nec hunc prætergreſſus eſt annum, Joſephus enim ſucceſſor ſententiam depoſitionis in alterum Joſephum Epiſcopum Cenomanenſem anno proximo feret. Hæc de Herlingo. Ut autem hic Joſephum in Turonenſi Cathedra, ſic & Benedictus Doemaelem in Aletenſi ſucceſſorem habuit. ALETENS.

XXIX. SENONENS.

Tomo ſuperiore [a], cùm ageremns de Berardo ſeu Beonrado, qui primùm Epternacenſis Abbas, deinde Senonenſis Archiepiſcopus fuit, Tavellum in Senonenſibus Archiepiſcopis & Bucelinum in Abbatibus Epternacenſibus conſulendos ſimúlque conferendos jam monnimus. Bucelinus ſic habet. *Beonradus poſt 22 Abbatiæ annos Senonenſium creatus Archiepiſcopus.* Tavellus, ſic. *Berardus obiiſſe traditur anno ſui Pontificatûs* III. *qui eſt Chriſti* DCCXCV. *menſe Maio.* Inde colligimus Wilebaldum Senonenſem Archiepiſcopum, cùm ab anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſeptimo Pontificatum per annos quinque geſſiſſet, hoc anno mortunm eſſe, eique ſucceſſiſſe Berardum ab annis duobus ac viginti jam Abbatem Epternacenſem. Addit Bucelinus *incertum* eſſe, *quo anno Beonrado* in Epternacenſis Monaſterii regimen *Ado ſucceſſerit*. Dubinm ex eo proficiſcitur, quòd utrùm Berardus hoc anno munus Abbatiale dimiſerit, an Abbas ſimul & Archiepiſcopus deinceps ad obitum uſque fuerit, haud omnes conveniunt. Subſequentium Abbatum anni, de quibus infrà, poſteriori favent opinioni.

[a] Ad an. 770. n. 33.

XXX. PAPIENS.

In Italia feliciter ad Deum migravit Sanctus Hieronymus Papienſis Epiſcopus. *Præfuit novem annis, requievítque in Domino die 22 menſis Julii.* Hæc Ughellns [b], qui ſubdit annum ſeptingenteſimnm octogeſimum-ſeptimum, ſed perperam, ut probare eſt ex dictis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-octavum [c], quo Petrus ipſius Hieronymi deceſſor ſedere cœpit. Apud eundem Ughellum Hieronymo *Ubaldus* ſubrogatur *natione Gallus, Abbas Monaſterii Angitenſis prope Conſtantiam.* Eadem

[b] Tom. 1. Ital. Sacr.

[c] Num. 16.

AN. CH. 792. CAROLI R. 24. PIPPINI LUDOV. RR. 12. CAROLI R. 4.

apud Bruschium [a] leguntur de Waldone, quem alii Waltonem vocant. At Ubaldus Ticinensis Episcopus à Waldone seu Waltone Augiensi Abbate distingui debet, Waldo enim seu Walto Augiam Divitem ab anno Christi septingentesimo octogesimo-sexto ad annum Christi octingentesimum sextum cum Abbatis titulo rexit, deinde factus est Abbas San-Dionysianus in agro Parisiensi, nec unquam Episcopus fuit, licèt eum suis Episcopis non Papienses tantùm adscribant, sed etiam Basileenses quibus alter Waldo per hæc tempora præfuit Heitonis à nobis laudati proximus successor. Hoc autem anno, quo mortem Hieronymi Papiensis Episcopi consignamus, sedebat in Senensi Cathedra Joannes, cujus mentionem quoque facit Ughellus [b].

[a] In Augia Divite.

SENENS.

[b] Tom. 3. Ital. Sacr.

XXXI. ABBATES FLAVINIAC. Adalbertus Flaviniacensis Abbas *quinto anno ordinationis suæ*, ut Hugo ejusdem loci Abbas testatur in Chronico Virodunensi, vitam clausit, id est, hoc anno, ut ante quinquennium jam insinuavimus. Successit Zacho. Lege quæ per antecessum ad confirmandam Chronologiam ad annum Christi septingentesimum octogesimum-septimum [c] dicta sunt.

[c] Nu 47.

XXXII. STABULENS. Obiit & hoc anno Sichardus Abbas Stabulensis & Malmundariensis, cui Fisenus annos in regimine tribuit tredecim. Datus est ei successor Wirundus, qui Carolo Magno percharus fuit, vitámque Ludovico Pio jam Imperatore terminavit.

XXXIII. ELWACENS. Si Chronologiam Elwacensium Abbatum ad annum Christi septingentesimum octogesimum [d] benè correximus, vitam hoc anno clausit Victerbus Abbas, cui Bruschius & Bucelinus Grimoldum sufficiunt.

[d] Num. 27.

XXXIV. VINCENTINI. In Chronico Monasterii Vincentini prope Vulturnum hæc occurrunt sub finem libri primi. *Consummatis in sua Sede Pater Paulus annis* IX. *mensibus* V. *diebus* XX. *migravit ad Christum*, XIV *Kal. Aprilis, die Dominicâ, anno Incarnationis Dominicæ septingentesimo nonagesimo-secundo, Indictione* XV. *sepultus in pace.* Hi Characteres simul convenire non possunt, ideóque textus ita corrigendus videtur. *Paulus anno sui regiminis* IX *migravit ad Christum*, XV *Kal. Aprilis, die Dominicâ, anno Incarnationis Dominicæ septingentesimo nonagesimo-secundo, Indictione* XV. *sepultus in pace.* Paulo successit Josue, de quo plura commemorantur libro secundo ejusdem Chronici.

XXXV. CONDATESCENS. Apud Sammarthanos, qui Chronicon *à quadringentis ferè annis* conscriptum citant, Ricbertus Abbas Monasterio Condatescensi præest annos novem, ab anno videlicet Christi septingentesimo octogesimo-tertio ad hunc usque annum, quo moritur, eique successor datur Berthadus.

XXXVI. Ad hunc annum, quo Carolus in Bojoaria diutissimè moratus est, referendus videtur ejusdem Caroli nondum Imperatoris cum Utone Eremita congressus, cui Mettense Monasterium in Diœcesi Pataviensi sua debet incunabula. Prima hæc in Gestis Gamelberti & Utonis occurrit epocha, quæ probabili conjecturâ niti possit, ideóque neutrius mentionem à nobis hactenus factam ne mireris. Res à Religiosissimo viro Gamelberto præclarè gestas ex manuscripto Codice Sancti Emmerammi descripsit Wolfgangus Selenderus Sancti Wenceslai Abbas Braunoviensis in Bohemiæ Silesiæque confinio. Illam lucubrationem in epitomen redegerunt Andreas Brunnerus [e] & Joannes Adlzreitterus [f] egregii rerum Boicarum Scriptores, à quibus hanc narrationem post accuratam collationem mutuati sumus.

[e] Lib. 6. n 3.

[f] Part. 1. l. 9. nu 24. & seqq.

XXXVII. GESTA GAMELBERTI BOJOARII PRESBYTERI. Gamelbertus in oppido Bojoariæ, quod *Michelsbuch* vulgò dicitur, nobilibus natus est parentibus. Dum in ludo literarum elementa condisceret, adeò captus est amore vitæ sanctioris, ut, suprà quàm puerilis ætas solet, inania crepundia studiosè fugeret. Erat alioquin in puero liberalis indoles, vivax ingenium, generosus animus, qui nihil spectaret humile, sed factus ad magna putaretur. Vix pueritiam excesserat, cùm à patre filium per ves-

AN. CH. 792. CAROLI R. 24. PIPPINS LUDOV. RR. 12. CAROLI R. 4.

tigia majorum ad opes & honores grassaturum rato destinatus est militari disciplinæ tanquam tritæ ac soli ferè ad gloriam viæ. Mutato mox patris consilio, velut ignavus ac degener à fratribus semotus est præfectusque pascendo gregi, quia nec gladiolos amabat, nec alia quæcumque nobilium filiis ad pugnarum pruritum exasperandis objici solent. Suscepit imperium in oves avidissimè, quò liberiùs, procul à turbis domesticis, semet Deo totum impenderet. E somno quondam evigilans, librum, Angelico haud dubiè ministerio delatum, supra pectus invenit. Eo se prodigio ad studia literarum credidit invitari, sapientique Magistro se permisit erudiendum patre tunc annuente. Brevi plurimùm profecit, progressionibus tamen in virtute faciendis ardentiùs studuit, reportavitque triumphos multò clariores iis, quos anteà pater ex profana militia promiserat. Prostituti pudoris fœminæ ad flagitium sollicitanti ne victas manus daret, citatis se pedibus eripuit, quorum in hoc conflictu maximus usus, ex quo fugientes coronantur. Posteà Deo vovit integrum castitatis florem, quem ad ultimum spiritum servavit. Tunc aliis ad divinum cultum excitandis maturior, per singulos gradus ad Sacerdotium evectus est. Non multò pòst orbatus patre, in cernenda cum fratribus hæreditate municipium obtinuit, quod ipsi erat natale, ibique Pastoris ac Patris munia diligenter obivit, nullo beneficentiæ genere in quemquam mortalium prætermisso. Ex quo tempore Presbyterii Ordinem susceperat, per annos quinquaginta & ampliùs omni carnium esu sibi interdixit, insigni alioquin in cetero victu abstinentiâ. *Jam grandi natu*, inquit Brunnerus, sive ut Adlzreitterus scribit, *cùm annum ageret septuagesimum*, Apostolorum limina Romæ salutavit. Cùm inde rediret, divertit ad hospitium in Italiæ confinio, unde id temporis loci Sacerdos aberat. Illic rogatus, ut infantulum recèns in lucem editum baptizaret, non abnuit id officii, salutarique tinctum latice Utonem nominavit. Tum divinitus edoctus, in quantum virum puer esset evasurus, parentes monuit, eum Christianis moribus diligenter informarent, caverèntque, ne quam nactus erat in sacro fonte innocentiam labe vitiorum temeraret; eum porrò se filii hæredísque loco habiturum; vellent proinde, ubi per ætatem liceret, ad se mittere, &, ne regionis, locíque, in quem mittendus esset, nomen oblivìscerentur, memoriæ causâ jussit annotare. Reversus in Bojoariam, quasi peregrinando curiositati plusculùm indulsisset, severâ in semeripsum castigatione animadvertit. Desertâ domo paternâ, quam habebat amplam & ornatam, vile sibi legit domicilium prope sacram Ædem, idque quatuor in terram Crucibus ad totidem Orbis plagas depactis brevi inter se spatio circumduxit, ultra quos limites pedem efferre non liceret. Semel tamen egressus dicitur, ut capitales inimicitias, quæ jam in duellum eruperant, interventu suo sopiret. Non ferebat in subjectis, quos ferè glebæ mancipatos habebat, ullas discordias, nedum mutuas simultates, à quibus nisi moniti abstinerent, libertate donatos jubebat solum vertere, satius esse dictitans carere servis, quàm habere peccatis servientes. Ipse verò pacem adeò religiosè cum omnibus coluit, ut, quoad vixit, nullum unquam verbo factove notatus sit offendisse. *Verni* seu Quadragesimalis *jejunii* feriis à publico prorsus abstinebat; peccata confitentibus dabat aures per fenestellam velo oppansam, ne cujus conspectu, cùm cetera jejunus esset, pasceret oculos; reliqua per vicarios procurabat. Ad unicam quotidie corporis refectionem, nihil præter modicum panis secundarii & salem, sub vesperum adhibebat, itáque durabat ad eam lucem, quâ Christi de morte triumphantis memoria recurrit. In ultima senectute positus rescivit incolas sollicitos esse de cooptando successore, quem ipse aptissimum huic muneri crederet. Laudavit eorum charitatem, verùm monuit istâ provisione nihil opus esse, quia virum, qui sibi succederet, olim divinitus ostensum noverat, asseruitque præsentem adfuturum post revolutum anni circulum; nec

AN. CH. 792.
CAROLI R. 24.
PIPPINI LUDOV. RR. 12.
CAROLI R. 4.

vana prædixit, anno enim elapſo recreatus eſt Utonis adventu, de quo talem ad amicos ſimul convocatos ſermonem habuiſſe ᵃfertur. *En virum, quem Deus vobis delegit: hoc Paſtore vos ſibi devotos vult ſervare. Is ipſe eſt, quem ego in lavacro regenerationis mihi optavi filium, rerúmque mearum hæredem, qualem ex aſſe eum hodie dico, nuncupo, & vobis teſtibus inſtituo. Ejus deinceps juſſis, quod decet ſubditos, perinde atque olim meis, geretis morem, ſequemini conſilia ductúmque ad beatam vitam.* Paulò pòſt morbo correptus eſt, animámque Deo reddidit decimo-ſexto Kalendas Februarii major nonagenario.

XXXVIII. ET UTHONIS DISCIPULI.

* Metten.

Utho ad Gamelbertum profectus, ultimum morientis ſpiritum hauſit, & in ejus curas ſucceſſurus, ſuſcepto Sacerdotio, impigrè ſe dedit animarum curæ. Sed cùm reliquas impiæ ſuperſtitionis fibras perſequeretur, nec fructus operæ reſponderet, laborem pertæſus inutilem ſubduxit humeros oneri, trajectóque non longè à Mettena * Danubio vaſtum nemus ingreſſus humili ſe abdidit casâ, nec ulli mortalium agnitus eſt, donec Carolus Magnus feras eò loci ſectatus in ipſum incidit, neſcio quid operis molientem; cujus ſecurim ſolaribus ſuſpenſam radiis (ita fertur) cùm attonitus ſpectaſſet, facilè animadvertit vili amiculo non vulgarem abſcondi virtutem, quam Sol tam raro obſequio prodidiſſet. Auxit opinionem oratio cælum ac Deum ſpirans, quâ Rex delectatus poteſtatem fecit petendi, quicquid illi ad vitæ ſubſidium uſui fore videretur. Utho humi fuſus rogavit facultatem domicilium ibi religioſorum virorum cum Sancti Michaelis Templo conſtruendi, & à pientiſſimo Monarcha non fundum modò ſed etiam ædificii ſumptus impetravit. Atque iſtis initiis haud procul à Deekendorfio *, quod ſitum eſt ad oram Danubii, cœptum eſt Mettenſe Monaſterium, cujus originem qui rejiciunt poſt annum Redemptoris octingenteſimum, facilè refutantur notiſſimo illo Caractere, quòd Carolo nondum Imperatore hæc contigiſſe veteres Chartæ memorant.

* Deckendorf.

INITIA METTENSIS MON.

XXXIX. De Uthone, qui Carolo faſces Imperii jam adepto factus eſt primus Cœnobii Mettenſis Abbas, non tantùm hoc Tomo ſed etiam ſequenti recurret ſermo, nec deerunt Auctores, qui Chronologiam illorum temporum fulciant.

CAROLUS R. LEGEM BOJOAR. VARIIS AUGET SANCTIONIBUS.

XL. Ad hunc etiam annum, quo Carolus diuturnam in Bojoaria moram fecit, referenda nobis videntur Capitula, quibus idem Carolus Legem Bojoariorum adauxit, Thaſſilone Duce jam exauctorato & in Monaſterium truſo. Illa Capitula numero ſunt duo ſupra viginti, duas in claſſes diſtinguuntur, octo in publico promulgata ſunt Conventu, cetera Regi reſervata ſunt, ut ea populo per ſuos Miſſos ſignificaret; utraque leguntur apud Lindenbrogium poſt legem Bajuvariorum, & apud Adlzreitterum in Annalibus ᵃ Boicæ gentis.

ᵃ Part. 1. l. 8. n. 1.

XLI. Primum prioris generis hoc eſt. *Ut bannum ipſius quiſlibet irruperit, componere debeat.*

XLII. Secundum. *Ut Eccleſia, viduæ, orphani, vel minùs potentes pacem rectam habeant, & ubicunque fuerit infracta,* LX *ſolid. componatur.*

XLIII. Tertium. *Ut raptum vel vim per collectam hominum, & incendia infrà patriam nemo facere præſumat: & qui hoc commiſerit,* LX *ſol. in bannum noſtrum componat.*

XLIV. Quartum. *Similiter & qui juſſionem Regiam in hoſte bannitus* ſive ad militiam evocatus *irruperit.*

XLV. Quintum, *de denarialibus*, id eſt, de manumiſſis per denarium, *ut ſi quis eos occiderit, Regi componantur.*

XLVI. Sextum. *Similiter de his, qui per chartam in Eccleſia juxta altare dimiſſi ſunt liberi, cum* XL *ſolid. componantur.*

XLVII. Septimum. *Qui verò per chartam ingenuitatis dimiſſi ſunt liberi, ubi nullum patrocinium, & defenſionem non elegerunt, ſimiliter Regi componantur cum* XL *ſolid.*

Octavum. *Ut Clericum nemo recipere audeat sine consensu Episcopi sui: &,* AN. CH.
si eum aliquis acceptum habet, quando licentia ipsius Episcopi fuerit, aliter non 792.
faciat, nisi eum ejus præsentia perscrutandum, si dignus fuerit, deducat. CAROLI
Posterioris generis primum Capitulum hoc est. *Ut nullus ad mallum vel* R. 24.
ad placitum infra patriam arma, id est, scutum & lanceam portet. Lege librum PIPPINI
tertium Capitularium Capitulo vicesimo-secundo. LUDOV.
II. De latronibus, quicumque post Missam Sancti Joannis latroni mansionem RR. 12.
dederit, &c. Hoc Capitulum insertum est libro tertio [a] Capitularium. A CAROLI
nobis omittitur, quia legitur inter sanctiones, quibus Longobardicam R. 4.
Legem Pippinus Rex auxit, ut ad annum Christi septingentesimum nona- XLVIII.
gesimum observavimus [b]. XLIX.
III. Ut nullus comparet caballum, bovem, & jumentum, vel aliud quid, L.
nisi illum homines cognoscant, à quo venditur, aut de quo pago est, vel ubi ma- [a] Cap. 23.
net, aut quis ejus senior. Hoc quoque Capitulum libro tertio [c] Capitula- [b] Num. 31.
rium insertum est. LI.
IV. De adventitiis, ut cùm Missi nostri ad placitum nostrum venerint, habeant [c] Cap. 24.
obstrictè quæsitum, quanti adventitii sunt in illorum Missatico, & de quo pago LII.
sunt, & nomina eorum, & qui sunt seniores eorum. Hoc Capitulum est se-
cundum in Appendice secunda post quartum librum Capitularium.
V. Similiter direximus Missos in Aquitaniam & Longobardiam, ut omnes LIII.
fugitivos & adventitios ad nostrum placitum adducant.
VI. Quicunque illa Capitula habet, ad alios Missos ea transmittat, qui non LIV.
habent, ut nulla excusatio de ignorantia fiat. Et hæc Missi nostri ante Nativita-
tem Domini omnibus cognita faciant.
VII. In primis omnium jubendum est, ut habeant Ecclesiæ eorum justitias, LV.
tam in vita illorum qui habitant in ipsis Ecclesiis, quàmque in pecuniis & subs-
tantiis eorum.
VIII. Ut omnes Episcopi potestativè secundùm Regulam Canonicam doceant, LVI.
& regant eorum ministeria, tam in Monasteriis virorum quàm puellarum, vel
in forensibus Presbyteris, seu reliquo populo Dei.
IX. Ut viduæ, & orphani, & minùs potentes, sub Dei defensione & nostro LVII.
mundeburdo pacem habeant, & eorum justitias adquirant.
X. Episcopi cum Comitibus stent, & Comites cum Episcopis, ut uterque ple- LVIII.
niter suum ministerium peragere possit. Hoc Capitulum libro quinto Capitu-
larium est centesimum duodequadragesimum, inscribitúrque *de concordia*
Episcoporum & Comitum.
XI. Ut latrones, vel homicidæ, seu adulteri, & incestuosi, sub magna dis- LIX.
trictione & correctione sint correpti, secundùm ewa Bajoariorum vel Legem, aut,
ut habet editio Adlzreitterana, *secundùm Bajoariorum velle.* Lege librum
quintum Capitularium, Capitulo centesimo undequadragesimo.
XII idem est cum centesimo quadragesimo ejusdem quinti libri Ca- LX.
pitularium, ibíque *de invasione alienarum rerum* inscribitur. Factâ autem
trium prælaudatarum editionum collatione cum Spelmanno in verbo *pro-*
prindo & participio *proprisus* sic edendum videtur. *De rebus proprisis, ut ante*
Missos, vel Comites nostros, & Judices veniant, & ibi accipiant finitivam sen-
tentiam. Et anteà nullus præsumat alterius res proprindere, nisi magis suam
causam quærat ante Judices nostros, ut diximus, & ibi recipiat quod justum est.
Hoc Capitulum in Capitularibus & apud Lindenbrogium sic inchoatur,
de rebus propriis, & apud Adlzreitterum sic, *de rebus proprensis:* & infe-
riùs loco *proprindere* quod occurrit in Capitularibus, Lindenbrogius &
Adlzreitterus legunt *proprendere.* Nos cum Capitularibus servavimus *pro-*
prindere, & initio Capituli reposuimus, *de rebus proprisis,* quoniam à *pro-*
prindo, quod est, invado, arripio, vel, ut Jurisconsulti dicunt, saisinam capio,
non formatur *proprensus* sed proprisus teste Spelmanno, unde in formulis
proprisæ res, id est, invasæ, occupatæ.

AN. CH. 793. CAROLI R. 25. PIPPINI LUDOV. RR. 13. CAROLI R. 5.

post initium hujus anni, cùm filiorum ad paternam aulam reditus expectabatur à conjuratis, per horum absentiam nihil molituris. Mirum igitur nemini debet esse, si Longobardiæ & Aquitaniæ Reges nullum eo de negotio, priusquàm tumultus Beneventanus sedaretur, hoc anno nuncium acceperint. Huic assertioni plurimùm lucis affert Chronographus Moissiacensis, qui de Conventu Reginoburgensi déque bello Beneventano sic scribit. *Anno* DCCXCIII. Rex *in ipsa hyeme iterum fecit Conventum ad Ragenesburg. Et cùm cognovisset fideles suos Episcopos, Abbates, & Comites, qui cum ipso ibi aderant, & reliquum populum fidelem, qui cum Pipino in ipso consilio pessimo non fuissent, multiplicitet eos honoravit, in auro, argento, & serico, & donis plurimis. Et in ipsa hyeme transmisit Rex Karolus duos filios suos Pipinum & Ludovicum cum hoste*, id est, cum exercitu, *in terra Beneventana. Et facta est ibi fames validissima super populum illum, qui ibi inventus est, & super exercitum qui advenerat, itaut aliquanti nec ipsâ Quadragesimâ se ab esu carnium abstinere potuissent. Sed & fames* * *valida in Italia & Burgundia, & per aliqua loca in Francia incumbebat fames, necnon in Gothia & in Provincia erat fames valida, ita ut ex ipsa fame mortui fuissent.* Depravatus est ad hunc locum Codex Canisianus, idque factâ collatione facilè deprehendes. *Ortâ autem fame gravissimâ*, ut Ardo Smaragdus in vita Benedicti Abbatis scribit, *per idem tempus cæpit multitudo pauperum, viduarum, & pupillorum, ad eum*, id est, ad ipsum Benedictum in Gothia seu Septimania tunc Abbatem, *confluere, ac portas Monasterii viásque stipare, quos ille intuens inediâ tabidos, imò ipsâ jam morte glutitos, angebatur, quoniam, unde tantam pasceret multitudinem, ignorabat. Sed quia nihil deest timentibus Deum, quousque fruges attingerent novas, quæ fratribus sufficere possent seorsim jussit reponi, cetera per constitutos fratres per singulos dies præcepit largiri, carnes etiam armentorum oviúmque dabantur per singulos dies, lac etiam vervecum præbebat auxilium. Siquidem fecerant sibi tuguria congruis locis, in quibus usque ad novas habitarunt fruges. Deficiente cibario, rursus ea, quæ in fratrum reponi jusserat usus, mensurare præcepit, quod factum est ter. In fratrum vero animis tantus inerat affectus misericordiæ, ut libenter etiam impenderent, si fas esset, cuncta. Namque quæ sibi subtrahere poterat quisque, clàm deferebat inediâ consumptis, sicque vix erepti à famis fuere periculo, aliquoties enim in ore panem habens mortuus reperiebatur.* Utrùm hac de fame, an de alia, quæ per universam Franciam anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono irrepsit, intelligendus sit Canon vicesimus-quintus Synodi Francofurtanæ, dictum suprà [a].

* famis

FAMES VALIDA.

BENEDICTUS ABB. INEDIAM PAUPERUM SUBLEVAT IN GOTHIA.

[a] Ad an. 779. n. 25.

III.

De modo, quo conjuratio Pippini detecta est, Monachus San-Gallensis in vita [b] Caroli non pauca scribit, quæ fabulis accenseri debent. Standum potiùs ab Annalista Laureshamensi, qui conjurationem per Ardulfum Langobardum derectam, ipsúmque Ardulfum, ob fidei servatæ meritum, Abbatialibus Infulis donatum sic asserit. *Cùm per Ardulfum Langobardum conjuratio detecta fuisset, ipse, ob meritum fidei servata, Monasterio Sancti Dionysii donatus est.* Ardulfus seu Fardulfus Desiderii Longobardorum Regis anteà familiaris, à Carolo, qui Longobardiam subegit, exul in Franciam est abductus, & per hæc tempora Magenario Abbati San-Dionysiano in munus Abbatiale successit. Libro primo [c] de Miraculis Sancti Dionysii, vetus Auctor laudat *Fardulfum, qui Magenario luce excedente, Cœnobio Sanctorum*, id est, Sancti Dionysii sociorúmque, *regendo successerat.* Magenarius seu Maginarius, cujus epitaphium integrum ad annum Christi septingentesimum octogesimum-quartum post obitum Fulradi jam retulimus, Abbatiam ab illo anno ad hæc usque tempora gubernavit, sepultúsque est in Æde San-Dionysiana prope eundem Fulradum Magistrum quondam suum, ut primum hoc ejusdem epitaphii distichon docet.

Hic sit sub pedibus tibi, Maginare, Magistri,
Jam sacra mundanis temporibus requies.

[b] Lib. 1. c. 18.

PIPPINI SENIORIS CONJURATIO DETEGITUR ET PUNITUR.

[c] Cap. 20.

AN. CH. Si Monacho San-Gallensi [a] fides est, *nanus & gibbosus Pippinus*, qui
793. conjurationis in vitam Caroli factæ reus fuit, *ad Cellam Sancti Galli, qua cunctis locis Imperii latissimi pauperior visa est & angustior, castigandi gratiâ ad tempus aliquantulum destinatus est. Nec multò post quidam de Primoribus Francorum in Regem manus mittere voluerunt. Quod cùm eum minimè lateret, & tamen non libenter eos perderet, quia si benè voluissent, magnum Christiani populi munimen esse potuissent, direxit Legatos suos ad eundem Pippinum, sciscitans ab eo, quid de his fieri oporteret. Quem cùm in horto cum senioribus fratribus, junioribus ad majora opera detentis, urticas & noxia quæque tridente extrahentem reperissent, ut usui proficua vivaciùs excrescere valerent, indicaverunt ei causam adventûs sui. At ille ex imis præcordiis suspiria trahens, ut omnes debiles animosiores sanis esse consueverunt, in hac verba respondit. [Si Carolus consilium meum dignaretur, non ad tantas me deponeret injurias. Ego nihil illi demando; dicite ei quid me agentem inveneritis.] At illi timentes, ne sine aliquo certo responso ad formidabilem reverterentur Imperatorem, iterum atque iterum requirebant ab eo, quid Domino renunciare deberent. Tunc ille stomachando, nihil, inquit, aliud ei demando, nisi quod facio. Inutilia recrementa extraho, ut olera necessaria liberiùs excrescere valeant. Igitur illi tristes abscesserunt, quasi qui nihil rationabile reportarent. Venientes autem ad Imperatorem, & requisiti quid referrent, conquesti sunt se tanto labore & itinere fatigatos ne in uno quidem sermone certiorari potuisse. Sagacissimo autem Rege per ordinem interrogante, ubi eum, vel quid agentem repererint, quídque illis responsi reddiderit, dixerunt. [In tristio rusticano sedentem eum invenimus, & tridente areolam olerum novellantem, causámque itineris nostri revolventes, hoc solum ab eo responsi magnis flagitationibus extorquere potuimus. Nihil aliud ei demando, nisi quod facio. Inutilia recrementa extraho, ut olera necessaria liberiùs excrescere valeant.] His auditis, astu non carens, & sapientiâ pollens Augustus, confricatis auribus, & inflatis naribus, dixit ad eos. [Rationabile responsum, optimi vassalli, reportastis.] Illis itaque de periculo vitæ metuentibus, ipse vim dictorum ad effectum perducens, cunctos illos insidiatores suos de medio viventium auferens, fidelibus suis occupata ab infructuosis loca crescendi & se extendendi causâ concessit. Unum verò adversariorum, qui excelsissimum in Francia collem, ut quacumque de eo prospicere posset, sibi in possessionem delegit, in eodem colle altissima trabi affixum jussit levari. Pippinum verò nothum suum præcepit eligere sibi, quomodo vitam degere voluisset. Qui, optione concessâ, aptavit locum in quodam Monasterio tunc nobilissimo, nunc autem non incertum qua de causa destructo.* Scribebat hic Auctor sub Carolo Crasso Caroli Magni pronepote, narrationem suam multis fabulis fœdavit, ac minùs honorificè quàm par erat de Pippino locutus est. Pippinus Himiltrudem matrem habuit eámque primam ac legitimam Caroli conjugem, ut probatum suprà non semel; reúsque conjurationis in patrem ac fratres factæ, tonso capite trusus est in Prumiense Monasterium expiandi sceleris ergò, ut Eginhardus in ipsius Caroli vita testatur hoc pœnæ temperamento per adulationem addito, quod Religiosæ vitæ jam vacare vellet, ídque tunc exequendi licentiam à patre tandem obtinuerit. *Post fraudem*, inquit, *detectam, & damnationem conjuratorum*, pater *detonsum in Cœnobio Prumia Religiosæ vitæ jámque volentem vacare permisit.* Idem Auctor mentionem alterius conjurationis ita subjicit. *Facta est & alia priùs contra eum in Germania valida conjuratio, cujus auctores partim luminibus orbati, partim membris incolumes, omnes tamen in exilium acti sunt, neque ullus ex eis interfectus est, nisi tres tantùm, qui cùm se, ne comprehenderentur, strictis gladiis defenderent, aliquas etiam occidissent, quia aliter coerceri non poterant, interempti sunt.* Lecto forsan Eginhardo Monachus San-Gallensis hanc conjurationem, quæ Pippininam præcessit, posteriorem finxit, & inde cepit occasionem multa scribendi, quæ nullo nituntur fundamento, quis enim Pippinum exhæreda-

CAROLI R. 25. PIPPINI LUDOV. RR. 13. CAROLI R. 5. IV.

[a] Lib. 2. cc. 18. 19.

AN. CH. 793. CAROLI R. 25. PIPPINI LUDOV. RR. 13. CAROLI R. 5.

rum ac detonsum super administratione Regni posteà consultum à patre credat? Werdo tunc Abbas erat Monasterii San-Gallensis, cujus splendorem ab Episcopis Constantientibus ac præsertim ab Eginone valdè imminutum jam observavimus. Florebat autem Prumia sub Assueto Abbate, cujus industriâ & pietate Pippinus ad omnem Monasticæ conversationis honestatem cultumque traductus, reliquum vitæ tempus illic in ascetica Christianæque virtutis militia posuit; de Nortmannorum irruptionibus, qui Cœnobium illud vastarunt incenderúntque, suis agemus locis. Cetera, quæ pertinent ad hunc annum, jam persequamur.

V. SAXONES REBELLANT.

Cùm Rex bellum adversùs Hunos *à se inchoatum conficere cuperet, & Pannoniam iterum petere disposuisset, nunciatum est copias, quas Thedericus Comes per Frisiam ducebat, in pago Rhiustri juxta Wisiram * fluvium à Saxonibus esse interceptas atque deletas. Cujus rei nuncio accepto, magnitudinem damni dissimulans, iter in Pannoniam intermisit.* Hæc Annalista Laureshamensis. An Carolus Pippinum Longobardiæ Regem diu secum retinuerit, haud scimus, hunc tamen ab eo suspicamur parvo pòst intervallo dimissum in Italiam, ne Avaris, si quid molirentur, à tergo immineret. *Quicquid autem superfuit æstatis, autumni, & hyemis, cum patre Rege Rex Ludowicus exegit. Magnoperè enim curabat Rex pater, ne Regem filium aut nutrimenta honesta laterent, aut externa inhærescentia in aliquo dehonestarent.* Lege Astronomum in vita Ludovici.

* le Weser.

VI. FOSSA INTER RADIANTIAM ET ALEMANNUM FLUVIOS.

Annalista Loiselianus ad hunc annum ita scribit. *Rex autumnali tempore de Ragenisburg iter navigio faciens usque ad fossatum magnum inter Alemannum & Radantia pervenit. Ibique Missi Apostolici cum magnis muneribus præsentati sunt.* Clariùs Laureshamensis, sic. *Cùm ei*, nempe Carolo, *persuasum esset à quibusdam, qui sibi compertum esse dicebant, quòd si inter Radantiam & Alemonum fluvios ejusmodi fossa duceretur, quæ esset navium capax, posse commodè à Danubio in Rhenum navigari, quia horum fluviorum alter Danubio, alter Mæno* Rhenum subituro *miscetur, confestim cum omni comitatu suo ad locum venit, ac magnâ hominum multitudine congregatâ totum autumni tempus in eo opere consumpsit. Ducta est fossa inter prædictos fluvios duûm millium passuum longitudine, latitudine* CCC *pedum, sed in cassum. Nam propter juges pluvias, & terram, quæ palustris erat, nimio humore suapte naturâ infectam, opus, quod fiebat, consistere non potuit. Sed quantùm interdiu terra à fossoribus fuerat egestum, tantùm noctibus humo iterum in locum suum relabente subsidebat.* Alcmanus aut Alcmóna sive Alemonia vel Alomonus aut Alemannus * alluit Aichstadium *, atque in sinistram Danubii ripam Ingolstadium inter ac Ratisponam influit. Radiantia * verò sive Radantia vel Ardantia seu Radenza, Pegneso *, qui Norimbergam rigat, auctus à dextra, præterlabitur Bambergam, ac paulò inferiùs lævæ commiscetur ripæ Mœni * seu Mogoni, qui dexteram Rheni ripam contra Moguntiam subit.

* Altmul.
* Aichstadt.
* le Rednitz.
* le Pegnitz.
* le Meyn.

VII.

Regi in hoc opere, id est, in fossa Radiantiam inter & Alemannum ducenda, *occupato duo valdè displicentia de diversis terrarum partibus allata* scribit Annalista Laureshamensis. *Unum erat Saxonum omnimoda defectio; alterum, quòd Saraceni Septimaniam ingressi, prælióque cum illius limitis Custodibus atque Comitibus conserto, multis Francorum interfectis, victores ad sua regressi sunt. Quibus rebus commotus in Franciam reversus est, celebravítque Natalem Domini apud Sanctum Kilianum in Wirtzáburgo juxta Mœnum fluvium.* Iter illud Annalista Loiselianus rudiore stylo sic perstringit. *Inde per Radiantia in Mochin*, id est, à prædicta fossa per Radiantiam in Mœnum usque, *navale iter peragens, Natalem Domini celebravit ad Sanctum Chilianum in Wersinburg*, sive in Wirtziburgo, ubi Sanctus Kilianus Martyr requiescit.

VIII.

De bello Saracenico Moissiacensis Chronographus ceteris accuratiùs scripsit. *His*, inquit, *temporibus regnabat in Spania Exam*, sive Isem, *filius Ab-*

AN. CH. 793. CAROLI R. 25. PIPPINI LUDOV. RR. 13. CAROLI R. 5. SARACENI IRRUMPUNT IN SEPTIMANIAM.

dirraman, fecitque malum sicut fecerat pater ejus, cujus obitum anno Christi septingentesimo duodenonagesimo consignavimus. *Ille audiens, quòd Rex Karolus partibus Avarorum perrexisset, & existimans quòd Avari contra Regem fortiter dimicassent, & ob hanc causam in Franciam reverti non licuisset, misit Abdelmelec unum ex Principibus cum exercitu magno Sarracenorum ad vastandum Gallias. Qui venientes Narbonam, suburbium ejus igne succenderunt multósque Christianos; ac pradâ magnâ captâ, ad urbem Carcassonam pergere volentes, obviam iis exivit Wilhelmus, & alii Comites Francorum cum eo. Commiserúntque prælium super fluvium Oliveio, ingravatúmque est prælium nimis, ceciditque maxima pars in ipso die ex populo Christiano. Wilhelmus autem pugnavit fortiter in die illo. Videns verò, quòd sufferre eos non posset, quia socii ejus dimiserunt eum fugientes, divertit ab eis. Sarraceni verò collectis spoliis reversi sunt in Spaniam.* Locus ille corruptus est in Codice Bavarico seu Canisiano. Rodericus in Arabum Historia caput undevicesimum, quod *de actibus Isen* inscribitur, sic inchoat. *Anno Arabum centesimo septuagesimo-septimo*, cui dedit initium dies decimus-septimus Aprilis hoc anno post Christum natum septingentesimo nonagesimo-tertio, *misit quendam à suis qui Abdelmelic dicebatur, cum magno exercitu, ut Christianorum patriam devastaret. Hic Narbonam, & Girundam, & loca interposita cepit & subjugavit, & tot spolia secum duxit, ut in quinta parte Isen suo Principi Morabetinorum quadraginta-quinque millia pervenirent, ex quibus Mezquitam Corduba, quam pater suus inceperat, consummavit. Narbonenses autem & ceteri Christiani tanto exterminio ferebantur, quòd pactis concordiæ interjectis, ut à Narbona usque Cordubam humeris & vehiculis terram ferrent, ex qua in suo præsidio Mezquitam ædificavit.* Francos hoc anno cum Saracenis infeliciter in Septimania seu Gothia pugnasse non inficiamur. Id etiam Fuldensis Annalista sic testatur. *Prælium factum est inter Sarracenos & Francos in Gothia, in quo Sarraceni superiores extiterunt.* At negamus pacis intercessisse leges, per quas Saraceni cis Pyrenæos montes in Gallia vel glebam retinuerint, aut quempiam Gallorum coegerint *à Narbona usque Cordubam humeris & vehiculis terram ferre.* Citò revocatus est è Septimania cum suis copiis Abdelmelicus, consiliique tam subitò mutati genuina ratio peti potest ex Annalibus Hispaniæ, quoniam Aldefonsus Christianorum in Hispania Rex hoc anno, Regni sui tertio, nobilissimam de Mugaio Saracenorum duce victoriam reportavit, septuaginta millibus hostium cæsis. Pugnam adeò cruentam non omisit Rodericus Toletanus libro quarto [a] de rebus Hispaniæ, cùm ad annum tertium Aldefonsi Regis pervenit. *Anno*, inquit, *Regni sui tertio exercitus Arabum cum duce suo, nomine Mugay, Asturias est ingressus, sed Aldefonsi milites in loco, qui Lucos dicitur, Arabes prævenerunt, & cum eodem duce bello inito septuaginta millia Arabum ceciderunt. multisque præliis repellens Arabes, pacem patriæ confirmavit.* A Mariana [b], Hispano Scriptore non mediocris famæ, commendatur *Caroli præcipua & maxima inter Christianos Principes auctoritas.* Profligatis in Asturia Saracenis, ut dictum suprà, celeberrimum quoque factum est Aldefonsi sive Adefonsi nomen. Inter utrumque Regem singularis postmodum amicitia coalnit, &, Eginhardo teste, Carolus *adeò Adefonsum Gallicia atque Asturica Regem sibi societate divinxit, ut is cùm ad eum vel literas vel Legatos mitteret, non aliter se apud illum, quàm proprium suum appellari juberet.*

[a] Cap. 8.

[b] Lib. 7. c. 7.

IX. Barcinonem igitur & Gerundam, urbes Hispaniæ, quæ Francis priùs parebant, in Saracenorum potestatem hoc anno rediisse credimus. De Gerunda constat ex Roderico suprà citato, de Barcinone liquet ex Annalista Lauresbamensi, qui civitatem illam *in limite Hispanico* sitam, post quadriennium, sive anno Christi septingentesimo nonagesimo-septimo, *tandem per Zatum Saracenum, qui tunc eam invaserat, Regi* Carolo *redditam* scribit. Præter has civitates à Saracenis hoc anno nihil Francis ereptum, in quorum

potestate permansit omnis Septimania cum Urgella & vicinis aliquot oppidis Hispaniæ.

X. AN ETIAM IN PROVINCIAM?

Ex prædictis patet commentitia esse, quæ de Arelate hoc anno Saracenis erepta circumferuntur apud Baronium in Annalibus Ecclesiasticis & apud Saxium in Pontificio Arelatensi ex inscriptione lapidea, quæ sic habet in Ecclesia Sanctæ Crucis ad radices Montis-Majoris. *Noverint universi, quòd cùm Serenissimus Princeps Carolus Magnus Francorum Rex civitatem Arelatem, quæ ab infidelibus detinebatur, obsedisset, & ipsam vi armorum cepisset, & Saraceni in eadem existentes pro majori parte aufugissent in montana Montis Majoris, & ibidem se retraxissent, & in eadem se munissent, & idem Rex ibidem cum exercitu suo venisset pro ipsis debellandis, triumphum de ipsis obtinuisset, & de ipso gratias Deo agendo in signum hujusmodi victoriæ præsentem Ecclesiam in honorem Sanctæ Crucis dedicari fecit, & præsens Monasterium in honorem Sancti Petri Apostolorum Principis dedicatum, quod ab ipsis infidelibus penitus destructum fuerat, & inhabitabile redactum, idem Rex ipsum reparavit, & reædificavit, & Monachos ibidem pro serviendo Deo venire fecit, & ipsum dotavit, & plura bona eidem contulit. In quo quidem Monasterio plures de Francia ibidem debellantes sepultè sunt, ideo fratres orate pro eis.* Hoc de monumento Saxius [a] suum sic judicium prodit. *Imposturæ suspicione fortè non vacat hæc inscriptio, authores enim plurimi Carolum Martellum Arelatem à Saracenis recepisse prædicant, nullus Carolum Magnum. Verùm enim verò inspicienti solertiùs verba inscriptionis illius, à vero nihil in illis alienum apparet, nam ab infidelibus occupatam, & à Saracenis liberatam Arelatem indicat. Quos infideles verosimiliter existimas? Gothos & Mauros ex Hispania devicta per Occitaniam palabundos, qui facilè cum reliquiis Saracenorum societatem & conjurationem inierint in victorem Carolum Magnum, iterùmque Arelatem nostram recuperarint, & iterum perdiderint.* Guesnayus in Annalibus Ecclesiasticis Massiliæ & Jofredus in Historia Niciensi, quia Carolum ex testimonio veterum Annalistarum procul ab Arelate toto hoc anno norunt abfuisse, recurrunt ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-octavum; quo Carolus bellum in Hispania gessit. At nec illo anno Arelatem, ut prænominati Scriptores volunt, aut Nicæam accessit, ut Jofredus speciatim affirmat. Iter enim per Aquitaniam & Wasconiam habuit, Pascha celebravit apud Cassinogilum in Aquitania, Pompelonem rectà contendit cepitque, Cæsaraugustam usque profectus est, in reditu Pompelonem destruxit, clade affectus est à Wasconibus, Comites in Aquitania constituit, atque inde venit Autissiodorum, auditàque Saxonum irruptione copias Rhenum versùs direxit, ipse pertexit Heristallium, ibique hyemem egit. Hæc ad illum annum ex veteribus Annalistis probata. Locum adi.

[a] Num. 60.

XI.

Tomo superiore [b], Monasterium, quod Childebertus Francorum Rex, Clodovei Magni filius, intra muros Arelatenses erexit, contra mentem Saxii distinximus à Cœnobio Sancti Petri seu Montis-Majoris, paulò seriùs extra eosdem muros extructo, cujus primus Abbas florebat anno Christi undesexcentesimo. Præterea utrumque anno Christi septingentesimo undequadragesimo à Saracenis eversum diximus. De restauratione Monasterii, quod Childebertus Rex Francorum condidit, nihil occurrit. Cœnobium Sancti Petri seu Montis-Majoris post multa secula reparari cœpit, cùm civitas Arelatensis totàque Provincia sub potestate Francorum ampliùs non erant. Lege Sammarthanos Tomo quarto Galliæ Christianæ, in Monte-Majore. Corruunt igitur & evanescunt plurima ex iis, quæ Saxius proximè sic subjecit. *Vacua quidem & deserta Sancti Petri Insula Monasterium à Childeberto fundatum, à Carolo Magno restitutum, & muneribus auctum membrana nostra testantur in Yterio; verùm de reportata in Saracenos victoria silent. Quibus cùm assentiar, fidem tamen non nego affirmantibus, quòd eadem in Insula, secundo ab hoc seculo, Pontius Ecclesiam Sanctæ Crucis, olim à Carolo*

[b] Ad an. 739. n. 9.

AN. CH. 793. CAROLI R. 25. PIPPINI LODOV. RR. 15. CAROLI R. 5.

Magno constructam (fortè collapsam & restauratam) dedicavit, Raimberto Abbate. Monasterium extra muros Arelatenses, quod & Sancti Petri & Montis-Majoris Cœnobium promiscuè vocatur, nec Childebertum agnoscit fundatorem, nec Carolo Magno suam debet instaurationem, quicquid membranæ sub Yterio testentur Archiepiscopo, quem Saxius [a] anno Christi nongentesimo sexagesimo-secundo successorem Manassis constituit. Quod attinet ad Pontium Archiepiscopum, qui Sanctæ Crucis Ecclesiam dedicavit, is Archiepiscopatum post annum Christi millesimum gessit, & *cryptam Sanctæ Crucis*, quam Raimbertus Abbas construxerat, *ad ejus petitionem consecravit*, ut scribunt Sammarthani loco jam laudato.

[a] Num. 66.

XII. Saxius in textu suprà citato non dissimulat de victoria per Carolum Magnum in Saracenos reportata nihil in membranis legi, quæ Sancti Petri Monasterium ab eo reparatum ac muneribus auctum testantur. Ne tamen Caroli Regis adventus ad urbem Arelatensem in dubium vocetur, hæc addit. *Venit etiam in hujus rei confirmationem Ecclesia, quæ Arelate extat, quam Carolus Magnus Divi Luciani cineribus celebrem fecit, Tilpino Rhemensium Episcopo Missarum solemnia celebrante, quam tamen non à fundamentis construxisse, sed tantùm restaurasse, certos nos reddunt fornices subterranei, quibus innititur Templum.* At desunt probationes, quibus id innitatur, nam qui Carolum ac Tilpinum Arelatem profectos asserat, solus invenitur pseudo-Tilpinus capite tricesimo de Gestis ejusdem Caroli.

XIII. De Saracenis igitur, præter irruptionem supra descriptam, quam fecerunt in Septimaniam, nihil hoc anno commemorandum habemus. Wilhelmus, qui pugnam cum illis infeliciter conseruit, haud alius est à Wilhelmo Comite Tolosano sæpè jam nominato, qui, teste Orderico [b], *nomen Consulis & Consulatum, & in rebus bellicis prima cohortis fortitur principatum, deinde à Carolo Dux Aquitaniæ constituitur, eique legatio contra Theodebaldum Regem* (lege Abdelmelicum Saracenicarum copiarum ex Hispania in Septimaniam irrumpentium ducem) *& Hispanos atque Agarenos injungitur.* Infaustè dimicavit, luctuosâque affectus est clade ad fluvium Olivelum, ut Chronographus Moissiacensis appellat. Bessus in Historia [c] Ducum Narbonensium, hunc amnem eundem facit cum Orbione * sive Odurobione vel Urbione, qui dexteram Atacis * ripam supra Narbonem subit. In ipso pugnæ loco complures adhuc conspiciuntur tumuli, Christianorum illic cæsorum lugubre monumentum.

[b] Lib. 6. sub init.

[c] Cap. 8.

* l'Orbieu.

* l'Aude.

XIV. Huc usque Codex Bavaricus seu Canisianus, quem non semel cum Loiseliano contulimus. Hic in anno Christi decimo-tertio supra octiogentesimum desinit. At quæ sequuntur ad illum usque annum, stylo sic à præcedentibus differunt, ut alterius Auctoris fœtus, aut in multis correcta videantur. Andreas Duchesnius, à quo publici juris facta sunt, ita jam censuit [d].

[d] Tom. 2. Collect. Hist. Franc.

XV. FELIX EP. URGELLENSIS HÆRETICUS REDIT AD VOMITUM.

Hoc anno, Elipandus Archiepiscopus Toletanus Felicem Urgellensem Episcopum, qui Romæ confessionem Orthodoxæ fidei ediderat, ad hæresim reduxit, &, ut virus extra Hispaniam in Gallias ac Germaniam diffunderet, scriptis ad Carolum Francorum Regem literis, perfidiæ suæ professionem, quam testimoniis Patrum, ut hæreticorum mos est, aut depravatis aut detruncatis fulcire conabatur, petiit Theologis examinandam & discutiendam communicari; nec dubitavit Ildefonsum aliósque, qui præcesserant, Toletanos Antistites de hæresi mendacissimè per insignem calumniam sugillare. Convocata statim Synodus, de qua sic Paulinus Patriarcha Foro-Juliensis in libello sacrosyllabo adversùs Elipandum. *Sancto incitante Spiritu, ac Zelo fidei Catholicæ scintillatim sub pectore fervescente, Clementissimi & Tranquillissimi Gloriosissimíque Caroli Regis, Domini terræ, Imperii ejus decreto per diversas provincias Regni ejus ditioni subjectas summâ celeritate piacurrente, multitudo Antistitum sacris obtemperando præceptis, in*

AN. CH. 793. CAROLI R. 25. PIPPINI LUDOV. RR. 13. CAROLI R. 5.

uno Collegio aggregata convenit. Quadam verò die residentibus cunctis in aula Sacri Palatii, adsistentibus in modum corona Presbyteris, Diaconibus, cunctóque Clero, sub præsentia prædicti Principis, allata est epistola missa ab Elipando auctore noxii sceleris, Toletana Sedis pseudo-Episcopo, Hispalensi termino circumsepta. Cúmque, jubente Rege, publicá voce recitata fuisset, statim surgens venerabilis Princeps de sella Regia stetit supra gradum suum, & adlocutus est de causa fidei prolixo sermone, & adjecit. Quid vobis videtur? Ab anno prorsus præterito, id est, ab anno Christi septingentesimo nonagesimo-secundo, quo Felix Reginoburgi primùm, deinde Romæ damnatus est, *ex quo cœpit hujus pestis insania tumescente perfidia ulcere diffusiùs ebullire, non parvus in his regionibus, licèt in extremis finibus Regni nostri horror inolevit, quem censurâ fidei necesse est modis omnibus resecare. Cúmque imprecata & concessa esset morosa dilatio per dies aliquot, placuit ejus mansuetudini, ut unusquisque quicquid ingenii captu rectiùs sentire potuisset, per sacras syllabas, die statuto, ejus clementia oblatum sui cor pectoris, fidei munus styli ferculo, mentis vivacitate deferret. Sed sicut mos est hæreticis, tristitia latis, dulcia permiscere amaris, veneni poculum mellis sapore temperare, quadam in eadem Epistola plena blasphemiis, & Catholica fidei reperta sunt modis omnibus inimica: quadam verò inveniri poterant non rejicienda, sed in eodem poculo, in quo gutta veneni infusa turgescit, mellis nihilominùs amarescit dulcedo.* Carolus examinandas hujuscemodi literas Adriano Papæ transmisit, eodémque tempore adversùs eas libellum de Sanctissima Trinitate, dictum sacrosyllabum & à nobis jam laudatum, scripsit Paulinus Aquileïensis seu Forojuliensis Patriarcha. *Quapropter*, inquit, *ego Paulinus, licèt indignus peccator, omniúmque servorum Domini ultimus servus, Aquileïensis Sedis Veneriis * oris accincta, cui, Deo auctore, deservio, nomine non merito Præsul, unà cum Collegis, Dominis & fratribus meis, juxta exilem intelligentia mea tenuitatem, sancto perdocente Spiritu, corde, linguâ, stylo, contra eorum vesanias, qui recta fidei sunt adversarii, respondere non formido, cùm sic sancta & universalis Ecclesia super firmam nihilominùs immobiliter fundata petram, & porta inferi nequeant prævalere adversùs eam.* Et sub ejusdem libelli finem sententiam adversùs Elipandum & Felicem eorúmque fautores ita pronuntiat. *Omnium hæreticorum perversa dogmata cum auctoribus & sequacibus suis æterno anathemate percelli judicamus. Elipandum namque & Felicem novos hostes Ecclesia, sed veternosâ face perfidia pollutos, nisi ab hac stultitia resipiscant, & per recta fidei satisfactionem lamentis se abluant pœnitentia, indignos & ingratos * eos à consortio Catholicorum perpetuâ animadversione eliminare decerno, & à gremio sancta matris Ecclesia censeo alienos. Eos etiam, qui post hanc tam saluberrimam definitionem, quam plenaria Synodus*, ex diversis videlicet Regni provinciis hoc anno post acceptas Elipandi literas à Carolo Rege congregata, *Sancto afflata Spiritu, concorditer subtili sinceritate terminavit, falsissimis eorum adsertionibus, sive clàm, sive in publica voce præbuerint assensum, simili eos sententia vindictâ sancimus esse plectendos; reservato per omnia juris privilegio Summi Pontificis Domini & Patris nostri Adriani, prima Sedis beatissimi Papa.* Adrianus acceptis, quas Carolus transmisit, Elipandi literis, hujus Archiepiscopi doctrinam discussit, hæreticam invenit, & anathematis sententiâ condemnavit, ut patet ex literis quas ad Hispaniarum Episcopos ea de re direxit. Illarum initium tale est. *Hadrianus Papa Sancta Catholica atque Apostolica primaque Pontifex Sedis, dilectissimis fratribus & consacerdotibus nostris, Galliciis Spaniisque Ecclesiis præsidentibus, in roseo Christi sanguine salutem. Si tamen licet de omnibus fratribus & consacerdotibus dici. Non enim caritatis vinculo fraterna ansula perstringente nostris illigare amplexibus amoris connivemus modo, qui non sunt fidei nostra communioni sinceris sensibus sociati, ac per hoc à gremio Sancta matris Ecclesia lacrymabili divisione exstant exortes. Igitur dilectissimus filius noster, & spiritalis compater, Dominus Carolus Magnus & Ve-*

* Hesperiis

* ingratis

AN. CH. 793. CAROLI R. 25. PIPPINI LUDOV. RR. 13. CAROLI R. 5.

nerabilis Princeps, Rex Francorum ac Langobardorum, ſeu Patricius Romanorum, ſæpe nos ſtyli ferculo, Catholicæ fidei epulas offerendo, multâ refectionis dulcedine ſatiare conſuevit, & confluente ad vallem mentis ex aliis quibuſcumque rebus amaritudinis undâ, mellitis quinimò rivulis lætitiæ de fonte manantibus, ſummâ nihilominùs ſuavitate temperare non ceſſat. Sed quoniam ferventi ſuccenſus fidei zelo, ea, quæ contraria Orthodoxæ fidei Spaniarum de confiniis allata ſibi perſenſit, noſtris curavit ſummâ pernicitate obtutibus præſentari, Beati Petri amore feliciter obſtrictus, non renuit illi honorem debitum exhibere, & Sedis ejus Præſulem dignum duxit ſacris ſyllabis conſulendum, Regiam videlicet vel Canonicam placuit ei conſuetudinem renovare. Cúmque perlectus & ſagaciùs exploratus fuiſſet epiſtolæ textus, reperta ſunt in eodem pſeudoſyllabo perquamplurima cum auctore ſuo Elipando Toletanæ Sedis Archiepiſcopo redarguenda, ac per hoc redargutionis vindictâ modis omnibus ulciſcenda. Unde non mediocri dolore mente noſtrâ ſauciatâ, medium ſe in animum noſtrum triſtitiæ angor immerſit. Quâ de re nimio ſatis Zelo compulſi, ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ, pro cauſa ſiquidem Orthodoxæ fidei, æquum ratúmque per ſacros apices preſſeximus reſpondendum. Materia autem cauſalis perfidiæ inter cetera rejicienda, de adoptione Jeſu Chriſti filii Dei ſecundùm carnem falſis argumentationibus digeſta, perfidorum verborum ibi ſtramina incompoſito calamo legebantur. Hoc Catholica Eccleſia numquam credidit, numquam docuit, numquam malè credentibus aſſenſum præbuit. Literas integras per otium legere poteris in variis Conciliorum Collectionibus. Sanam Eccleſiæ doctrinam Adrianus tuetur verbis Chriſti, ſententiis Principum Apoſtolorum, & auctoritate beatiſſimorum Patrum cùm Græcorum tum Latinorum, Athanaſii, Gregorii Nazianzeni, Auguſtini, & Gregorii Magni.

XVI. Epiſcopis, *Galliciis Spaniiſque Eccleſiis præſidentibus*, inſcribuntur illæ literæ. Super hac inſcriptione nonnihil difficultatis occurrit. Binius enim, licèt hunc ipſis literis titulum præfigat, *Epiſtola Hadriani Papæ I. ad Epiſcopos Hiſpaniæ contra Elipandum Epiſcopum Toletanum*, tamen in ſuis notis eandem illam epiſtolam *ad Epiſcopos Galliarum & Hiſpaniarum* ſcriptam dicit, ibíque *Gallicias Eccleſias* interpretatur Eccleſias Galliarum. Meliùs autem per Eccleſias *Gallicias Spaniáſque*, ſolas intelliges Eccleſias Hiſpaniarum, quia ſi quædam excipias loca citerioris Hiſpaniæ, quæ Francicis tunc ditionibus accenſebantur, erat omnis Hiſpania ſub duorum Regum poteſtate, Adefonſi videlicet Chriſtiani & Iſeni Mahumetani, quorum ille *Gallicia* [a] *atque Aſturica Regem*, hic Hiſpaniarum Amiramomenum ſe ſcribebat. Eccleſias igitur, quæ ſunt in Adefonſi Regno, *Gallicias* vocat Adrianus, eas verò, quæ ſunt in Iſeni Regno, *Spanias* appellat. Ceterùm, priuſquàm literas illas exararet, Synodum è Romana provincia credimus ab eo convocatam, Carolus enim, ut anno ſequenti fuſiùs exponemus, prædicti libelli tenore propalatum dicit, *quid Dominus Apoſtolicus cum Sancta Romana Eccleſia & Epiſcopis illis in partibus quaquaverſum commorantibus & Catholicis Doctoribus ſentiret.*

[a] Eginh. in vit. Carol.

XVII. Eodem anno, poſt geminam Felicis Urgellenſis Epiſcopi damnationem proximo, Alcuinus ex Anglia in Franciam venit. Id ipſemet innuit haud obſcurè libro primo adverſùs Elipandum. *Antequàm ego*, inquit, *eodem ſapientiſſimo Rege Carolo jubente veniſſem in Franciam, hæc eadem veſtri erroris ſecta, eodem Glorioſo Principe præſidente, præſente Felice, quem multùm laudare ſoles, veſtræ partis tunc defenſore, ventilata eſt in celeberrimo loco, qui dicitur Raiginisburg, & Synodali authoritate Sacerdotum Chriſti, qui ex diverſis Chriſtiani Imperii partibus convenerant, æterno anathemate damnata; immò & à beatæ memoriæ Adriano Papa, qui tunc temporis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Apoſtolicâ authoritate rexerat Sedem, funditus exterminata, donec idem Felix infeliciter ad veſtras refugiens partes ſopitos infidelitatis cineres vobis exhortantibus reſuſcitare intendit.* Nec etiam ſeriùs rejici poteſt adventus Alcuini,

Alcuinus relicta Britannia venit in Franciam.

quia

quia Concilio interfuit Francofordiensi, quod anno Christi septingentesimo nonagesimo-quarto celebratum est.

Cur Alcuinus sive Albinus in Franciam venerit, variæ proferuntur rationes. Monachus San-Gallensis [a] Albinum solâ Caroli Regis erga viros sapientes seu doctos humanitate captum dicit. *Audito Albinus de natione Anglorum, quòd gratanter sapientes viros Religiosissimus Regum Carolus susciperet, conscensâ navi venit ad eum.* Willielmus Malmesburiensis [b] amœnitatem Franciæ sic conjungit. *Alcuinus pro pace in Franciam missus, ibi apud Carolum seu terræ amœnitate seu Regis humanitate captus resedit.* Scoti Alcuinum ab Achaio Scotorum Rege ad Caroli petitionem missum asserunt. At præstat ipsummet audire Alcuinum, qui se profectum in Franciam ait, ut piissimum Regem Carolum in fidei Catholicæ defensione contra hæreticos adjuvaret, sibíque hoc etiam à sanctissimo quodam viro Prophetiæ spiritu prædito, dum adhuc in Britannia versaretur, prædictum fuisse sic profitetur in epistola libris adversùs Elipandum præfixa. *Hominem ad meum numquam comparavi servitium, sed magìs devotâ charitate omnibus Christi Dei mei famulis servire desiderans, ad cujus servitii facultatem, diviná, ut credo, jubente dispensatione, ad gloriosum & omni honore nominandum hujus Regni Principem & Regem Carolum vocatus adveni, sicut mihi quidam sanctissimus vir Prophetiaque spiritu praditus Dei esse voluntatem in mea pradixerat patria, etiam & ut vir Venerabilis totúsque Deo deditus meus mihi mandatum dederat Magister, ut si alicubi novas audirem oriri sectas, & Apostolicis contrarias doctrinis, mox totum me in Catholica defensione fidei dedissem.* Ex libro primo adversùs eundem Elipandum sic scribit. *Admones me non pio, ut videtur, animo, sed severá invectionis castigatione, Gloriosum Regem Carolum non corrumpere. Non ego illum corrumpere veni in Franciam, qui corrumpi non potest, sed adjuvare in fide Catholica, in qua ille ab ineunte atate nutritus fuit, & optimè à Christianissimis parentibus & magistris Catholicis edoctus. Impossibile enim est, ut corrumpatur à quoquam, quia Catholicus est in fide, Rex in potestate, Pontifex in pradicatione, Judex in aquitate, Philosophus in liberalibus studiis, inclytus in moribus, & omni honestate pracipuus.* Tunc duæ pullulabant hæreses; una Felicis Urgellensis Episcopi, quæ Christum non naturâ sed adoptione filium Dei dicebat; altera posterioris pseudosynodi Constantinopolitanæ, quæ Sanctorum Imaginibus ut Deificæ Trinitati cultum latriæ persolvendum statuerat. Anno superiore, Felix cùm Reginoburgi tum Romæ damnatus suam abdicarat hæresim, & pseudosynodi Constantinopolitanæ libellus, quem Carolus ex Oriente acceptum in Britanniam misit, venerat in manus Alcuini. Scriptores rerum Anglicarum, Simeon Dunelmensis, Rogerus Hovedenus, & Matthæus Westmonasteriensis, quos ad illum annum citavimus, epistolam *ex authoritate divinarum Scripturarum* ab Alcuino contra librum illum Synodalem scriptam, unáque cum eodem libro ad Carolum Regem ab ipso Alcuino delatam testantur hoc anno, quo Felix ad vomitum rediit. Adversùs has hæreses conditi sunt duo Canones in Synodo Francofurtana, cui Carolus Rex & Alcuinus Levita præsentes interfuerunt, ut anno proximo dicturi sumus. Venit igitur in Franciam Alcuinus eo potissimùm consilio, ut piissimum Regem Carolum in Orthodoxæ fidei defensione contra prædictas hæreses adjuvaret. Evocatum autem à Carolo se prodit in literis [c] ad eundem Regem directis. *Me etiam*, inquit, *infimum, ejusdem sancta sapientia vernaculum, de ultimis Britannia finibus adsciscere curastis, atque utinam tam utilem in domo Dei servulum, quam promptulum vestra obedire voluntati. Quia diligens diligebam in sacratissimo pectore vestro, quod in me vos velle invenire intelligebam.* Statim ac in comitatu Regis fuit, audivitque Felicem rursum ad errores hortatu Elipandi Toletani Archiepiscopi deflexisse, literas ad eum direxit exhortatorias, ut ad unitatem Catholicam rediret. Illius

SCRIBIT FELICI EP. URGELLIT.

[a] Lib. 1. c. 2.
[b] Lib. 1. de Gest. RR. Angl.
[c] Ep. 23.

AN. CH. 793. CAROLI R. 25. PIPPINI LUDOV. RR. 13. CAROLI R. 5.

Præficitur Palatinæ Scholæ.

Epiſtolæ mentionem in libro primo adverſùs Elipandum ſic facit. *Idem Felix infeliciter ad veſtras refugiens partes ſopitos infidelitatis cineres vobis exhortantibus reſuſcitare intendit. Cui ego in has adveniens partes charitatis calamo Epiſtolam exhortatoriam, ut ſe Catholicæ jungeret unitati, dirigere curavi.* Quæ ſecuta ſunt, infrà narrabuntur. Interim Alcuinus Palatinæ ſcholæ præfuit, donec factus eſt Abbas Eccleſiæ Sam-Martinianæ. Utrobique maxima cum laude docuit. Palatinæ ſcholæ meminit Epiſtolâ nonâ, queritur enim repertos eſſe, qui, poſtquàm è Palatio diſceſſerat, Ægyptiacam computationem Latinæ prætulerant. *Ego*, inquit, *imperitus, ego ignarus, neſciens Ægyptiacam ſcholam in Palatio Daviticæ verſari Gloriæ. Ego abiens Latinos ibi dimiſi. Neſcio quis introduxit Ægyptios. Nec tam indoctus fui Memphiticæ ſupputationis, quàm benivolus Romanæ conſuetudinis; annum cum nato Chriſto, & creſcente Luna, initiare ſecundùm Latinos volens, non cum Ægyptiis.* Et Epiſtolâ decimâ-quintâ mentionem utriuſque Scholæ, Palatinæ videlicet & Turonicæ, ſic facit. *Ego licèt parum proficiens, cum Turonica cottidie pugno ruſticitate. Veſtra verò auctoritas Palatinos erudiat pueros, ut elegantiſſimè proferant.*

XIX. Ludgerus Presbyter.

Ex prædictis liquet commentitia eſſe apud Browerum Acta, quæ Luidgerum ex Italia revocatum à Carolo teſtantur *prodente eum Alchuino præceptore ſuo, qui eo tempore de Britannia in Franciam veniſſet.* Etenim anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſeptimo, cùm Luidgerus ex Italia in Friſiam rediit, Alcuinus adhuc degebat in Britannia, nec illam Inſulam, ut Carolum Francorum Regem adiret, ante hunc annum à Chriſto nato ſeptingenteſimum nonageſimum-tertium deſeruit. Extant duæ Chartæ hoc eodem anno datæ, quæ citantur ab Henſchenio [a] in Commentario prævio de Sancto Ludgero [b], una eſt Donationis, emptionis altera. Prior ita legitur. *Notum fieri omnibus deſidero, tam præſentibus quàm futuris, quomodo ego Liudgerus, filius quondam Hredgaeri, tradidi amico meo Luidgero Presbytero, pro remedio animæ meæ & pro æterna retributione, dimidietatem hæreditatis meæ, quæ mihi jure paterno & lege hæreditariâ, in Berilſi & infra terminos, qui illuc attinent, id eſt, ab Evedſeac uſque in locum ſupradictum contingit. Sed & dimidietatem ei tradidi hæreditatis meæ eâdem ratione in ſylva, quæ dicitur Scaewald ſive Suiſterbant, exceptis agris, qui inibi antè extirpati ſunt à patribus aut ab hominibus noſtris. Ceteram autem dimidietatem ipſi Luidgero Presbytero tradidi in territorio jam dicto, & in ſylva ſuperiùs nominata cum omni integritate, traditúmque in perpetuum eſſe volo, & nullis unquam temporibus immutari: ſed ipſe Luidgerus Presbyter hæc omnia poſſideat jure hæreditario, & cuicumque voluerit poſt obitum ſuum, ad utilitatem animarum noſtrarum, jure hæreditario commendet, ſtipulatione ſubnixâ. Acta eſt autem publicè hæc traditio anno Regni Religioſiſſimi Regis Carli* XXV. XI *Kal. Aprilis in villa, quæ dicitur Bidningahuſum, coram teſtibus*, &c. Ultimo loco eſt *ſignum Hildegrimi Diaconi*, quem Henſchenius exiſtimat eſſe ipſius Sancti Luidgeri fratrem, qui deinde Epiſcopus fuit. In poſteriore Charta, *Sigiwinus, filius Giſleberti, tradidit Liudgero Presbytero, contra pretium ejus, particulam hæreditatis ſuæ, id eſt, in Hrodbertinga-hova, unum modicum curtile cum agris tribus, in eadem villa, & cum Waterſcapiis, perviis, communiis, paſcuis; & dedit ei poteſtatem habere in ſylvam, quæ dicitur Sithroth, & aliam ſylvam, quæ dicitur Huvil*, &c. *Acta ..... in villa, quæ dicitur Widugiſes-hova, anno* XXV *Regni Domini noſtri Glorioſi Regis Caroli*, II *Kal. Julii*. In utraque Charta Luidgerus ſeu Liudgerus vocatur Presbyter, nondum enim Epiſcopatum gerit. Atque inde redarguas Albertum Krantzium, qui libro ſecundo [c] Saxoniæ Ludgerum ſcribit anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo conſtitutum Epiſcopum, necnon Hermannum Stange-folum, qui biennio Krantzium antevertit in Annalibus Circuli Weſtphalici. Ceterùm in poſteriore Charta *pervium* interpretare tranſitum, & *Waterſcapium* locum ubi aqua hauritur.

[a] §. 4. n. 20.
[b] D. 26. Mart.
[c] Cap. 16.

AN CH. 793. CAROLI R. 25. PIPPINI LUDOV. RR. 13. CAROLI R. 5.

Apud Mersseum Cratepolium Ricolphus Colniensis Archiepiscopus Præsulatum init *anno tertio sub Carolo Magno*, id est, anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo, geritque *annis 22. laudabiliter*, sive ad hunc usque annum, qui septingentesimus nonagesimus-tertius à Christo nato numeratur. Successit in Archiscopatum Hildebaldus, qui fuit etiam Archicapellanus Regii Palatii & Apostolicæ Sedis Apocrisiarius, ut anno sequenti dicemus. Ex hac autem Coloniensium Archiepiscoporum Chronologia commentitium ostenditur Diploma, quod ad annum Christi septingentesimum undenonagesimum in Annalibus Circuli Westphalici tantoperè laudatur cum falsa hac subscriptione. *Hildebaldus Archiepiscopus Coloniensis & sacri Palatii Capellanus recognovi. Data IV Calend. Octob. Anno Dominicæ Incarnationis* DCCLXXXIX. *Indict.* XII. *Anno autem Regni Domini Caroli* XXI. *Actum in villa Trutmanni feliciter. Amen.* Ut enim nec annus Incarnationis Dominicæ nec Indictio ponebatur in publicis Francorum instrumentis, sic Hildebaldus nec Colniensis erat Archiepiscopus nec Archicapellanus Regii Palatii, nam Ricolphus & Angilramnus superstites in vivis erant, ille Coloniensis Archiepiscopus, hic Metensis Episcopus & Archicapellanus Regii Palatii. XX. ARCHIEPISCOPI COLONIENSES.

In Italia Hieronymus Derthonensis Episcopus è vita discessit hoc anno, cùm annos in Episcopatu septem egisset. Datus ei successor Desiderius. Lege Ughellum Tomo quarto Italiæ Sacræ. XXI. EPISCOPI DERTHONENS.

Segnienus Bituricensis Archiepiscopus, cui Nomenclatores annos in Pontificatu quinque tribuunt, obiit etiam hoc anno, si Catalogos benè correximus. Successit David *vir summâ virtutum integritate spectabilis, totius forma disciplinæ, atque conspicuum sanctimoniæ exemplar*, ut Auctor Patriarchii Bituricensis testatur [a]. Sub initium sui Pontificatûs adjuvante Asclepin Lemovicensium Episcopo Carolum Regem permovit, ut in civitate Bituricensi puellare Monasterium Sancti Laurentii construeret. Qua de re sic idem Auctor. *Duo reverendi admodum, multâque sanctitate conspicui Antistites, David Bituricensis, & Asclepius Claromontensis (seu, ut aliàs habetur, Lemovicensis) oravere, suasere, institere usque adeò, donec Christianissimus Rex memoratus supradictam Divi Laurentii Ecclesiam ad summum fastigium perduxit. In quo quidem opere Ludovicus, cognomento Pius, tunc Rex Aquitaniæ, patris sui cooperator extitit, & idcircò Aimoinus Monachus in libro quinto de Gestis Francorum, cap. 8. eandem Basilicam memorat inter cæteras, quas idem Ludovicus in Aquitaniæ Regno dicitur extruxisse.* Rectiùs Aimoini Continuatorem allegasset, suam enim Historiam longè ante hæc tempora clausit Aimoinus. Ex eodem autem Continuatore, cujus textum alibi recitabimus, constat erectum esse Laurentianum Monasterium, cùm Ludovicus Rex erat Aquitaniæ, patrémque superstitem in vivis adhuc habebat. Idque nequaquam in dubium vocari potest, nam David Bituricensis Archiepiscopus Carolum Magnum non supervixit, & priùs eodem Davide mortuus atque in Æde Laurentiana sepultus est Asclepius Episcopus. Utrùm hic Ecclesiæ Claromontensis, id est, Arvernensis, an Ecclesiæ Lemovicensis Episcopus fuerit, haud omnes consensisse, textus suprà citatus ostendit. Auctor stat pro Diœcesi Claromontana sive Arverna, nos pro Lemovicina. In vulgatis Lemovicensium Episcoporum Catalogis, quos Bernardus Guidonis, Demochares, Chenutius & Robertus ediderunt, inter Cessatorem & Remigebertum, solus invenitur Ebbo sive Ebulo vel Ebulus. Sedebat Cessator anno Christi septingentesimo tricesimo-secundo, ut ad illum annum probavimus Tomo quarto. Qui Cessatori successit Ebulus, è vita migravit regnante Pippino, ut diximus Tomo quinto. Remigebertus seu Remigibertus aut Regimbertus à Ludovico Pio confirmationem Privilegiorum Roberto Sammarthanisque testibus impetravit anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo. Mancus Indices sub Carolo Magno nemo non

XXII. ARCHIEP. BITURICENS.

[a] Cap. 40.

MON. S. LAURENTII CONDITUR.

EPISCOPI LEMOVICENSES.

AN. CH. 793. Caroli R. 25. Pippini Ludov. RR. 13. Caroli R. 5. [a] Num. 11.

agnoscit, ut ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-primum [a] Tomo superiore jam observavimus. At Ebuloni subrogari debet Asclepius, qui Davidi Bituriensi Metropolitæ syochronus occurrit in ejusdem Davidis eocomio. Fortè qui murilus erat Catalogus, hac uoâ suppletione talis esse desioet. Quot anoos Cessator post anoum Christi septingentesimum tricesimum-secundum vixerit, haud scitur. Ebulus ad postrema Pippini Regis tempora pervenite potuit. Asclepius hoc anoo, post Christum natom septingentesimo nonagesimo-tertio, qoo David Archiepiscopatum Bituriceosem suscepit, in vivis erat, obiitque aote annum Redemptoris octingentesimum secundum, quo David Bituricensis Archiepiscopus vitam clausit. Eâ computatione Prioc ipatus Caroli Magni cum Episcopatu partim Asclepii, partim Remigiberti componitur. In prænotatis Episcoporum Lemovicensium Catalogis, Asclepius aut suo motus è loco videtur, aut temerè coofusus cum Asclepiodoro, cujus mortem ad annum Christi sexcentesimum decimum-tertiom Tomo secundo retulimus. Apud Bernardum Guidonis, apud Democharem, & apud Chenurium, Asclepiodorus ejúsque proximus successor Asclepius distinguunntur; Asclepium autem eundem esse cum Asclepiodoro suspicatur Robertus, asserunt Sammarthani. Lupum Asclepiodoro subrogavimus, nec admittendum per illam ætatem putavimus Asclepium, qoi distingueretur ab Asclepiodoro.

Duo distinguuntur Asclepii. [b] Ad an. 508. n. 6.

Duo certè distingueodi suot Asclepii Lemovicenses Episcopi. Senior, qui & Asclepiodorus vocatur, ad Deum migravit anno Christi sexcentesimo decimo-tertio, sepultúsque fuit Lemovicis in Augustiniano Cœnobio, quod olim sub Sancti Augustini nuncupatiooe construxerat Roricius Episcopus, quem Tomo primo [b] diximus Ecclesiæ Lemovicensi præsedisse, cùm Clodoveus Magnus Aquitaniam subegit. Junior Asclepius floruit ætate Caroli Magni, tumulatúsque fuit Bituricis in Cœnobio Laurentiano, sive in puellari Monasterio Sancti Laurentii, quod unà cum Davide Metropolita Bituricensi curarat erigendnm ab eodem Carolo. Lemovicenses igitur Episcopi, qui post Asclepiodorum ad obitum usqoe Caroli Magni sederuor, hoc sunt ordine receosendi. Asclepiodorus seu Senior Asclepius, Lupus, Simplicius, Felix, Adelphius, Rusticus, Hertenobertus, Cæsarius, Ermenus, Salutaris, Aggericus, Sacerdos, Ausindus, Cessator, Ebulus, Asclepios Junior, & Remigibertus. Quod ad Arvernenses Episcopos attinet, Avitus & Fridigisus Arvernensem Ecclesiam sub Carolo Magno rexerunt. Porrò cùm neutrius nomen ad Asclepiom accedat, & Auctor Patriarchii Bituricensis, qui locum quæstioni fecit, Asclepiom, de quo loquimur, in veteribus exemplaribus Episcopum Lemovicensem dici fateatur, ab antiqua stamus opinione, & Asclepium, qui simul cum Davide Bituricensium Archiepiscopo apud Carolum Regem egit, ut Regiâ munificeotiâ Laurentianum Monasterium in urbe Bituricensi conderet, Lemovicensibus Episcopis acceosemus. Est & alius error in Patriarchio Bituricensi, ubi agitur de prima Laurentianarum Monialium Abbatissa, quæ Caroli Magni filia sic asseritur. *In quo quidem loco*, id est, io Monasterio Sancti Laurentii, *Sancta Eufrasia filia Regis Caroli Magni, statuto devotarum virginum choro, cum eisdem sub Divi Patris Benedicti Regula gratum Deo virginitatis munus exolvit, sub cura & protectione amabilis Deo Antistitis Davidis, tunc miris & odoriferis virtutum floribus vernantis.*

Eufrasia Abbatissa S. Laurentii.

Cum Roberto & Sammarthanis Eufrasiam prædicti Monasterii primam agnoscimus Abbatissam, sed eam inficiamur Caroli Magni filiam fuisse, quia veteres Auctores Carolo nullam illius nominis prolem attribuunt. Eufrasiam oonnulli naturalem Caroli Magni filiam vocant, nec exprimunt quâ matre nata sit. Erectum est Sancti Laurentii Monasterium constante Caroli Regis cum Lludgarde matrimonio. Atque inde pater Eufrasiam in lucem editam eo circiter tempore, quo Carolus Hildegardem in uxorem duxit. Quos autem

An filia Caroli Magnii

AN. CH. 793. CAROLI R. 25. PIPPINI LUDOV. RR. 13. CAROLI R. 5.

Neoterici liberos Caroli spurios dicunt, eos affirmant ortos ex quatuor concubinis, quas Eginhardus in ejusdem Caroli vita commemorat. In qua significatione sumendum sit apud Eginhardum nomen concubinæ, non semel explicuimus explicabimúsque. Concubinæ, quarum meminit Eginhardus, uxores fuerunt legitimæ. Quatuor ex illis successivè sibi sociavit Carolus, postquàm Liutgardem Reginam pridie Nonas Junias anno Redemptoris octingentesimo mortuam deflevit. *Post cujus*, nempe Liutgardis, *mortem*, inquit Eginhardus, *quatuor habuit concubinas; Mathalgardim scilicet, quæ peperit ei filiam, nomine Rothildim; Gersvindam Saxonici generis, de qua ei filia, nomine Adeldrudis, nata est; & Reginam, quæ ei Drogonem & Hugonem genuit; & Adelluidam, ex qua Thedericum procreavit.* Locus inter hos Caroli Magni liberos dari non potest Eufrasiæ, quia priùs Abbatissa fuit, quàm Liutgardis ex hac vita tolleretur. Frustrà quis recurrat ad Himiltrudem Pippini matrem, licèt eam Eginhardus concubinam quoque nominet. Nam Stephanus Quartus Papa, cujus literas ad annum Christi septingentesimum septuagesimum [a] Tomo superiore descripsimus, conjugium Caroli Regis & Himiltrudis *legitimum* vocat, illúdque *Dei voluntate & consilio*, priusquàm idem Carolus orbaretur patre, contractum asserit. Ex Carolo & Himiltrude nati duo tantùm liberi, Pippinus & Rothais, de quibus actum suprà. Patrem igitur Carolum Eufrasia non habuit, atque ita nonnullos jam sensisse non malè observaverunt in Genealogica Francicæ Domûs Historia [b] fratres gemini Scævola & Ludovicus Sammarthani.

[a] Num. 13.

[b] Lib. 7. c. 1.

XXIII.

Nonus hic annus agitur, ex quo Josephus Episcopatum Cenomannensem suscepit. Hujus Episcopi Pontificatum ex Cenomannensibus monumentis Corvaisierus & Bondonnetus ita describunt. Josephus ex Archipresbytero factus Episcopus graves cum Clericis inimicitias gessit, ab iis apud Carolum de quibusdam criminibus accusatus innocentem se probavit; at ultionis cupidus nonnullos ex Presbyteris & Canonicis, quos præcipuos accusationis authores arbitrabatur, in suo conspectu virgis primùm cædi, deinde oculis ac virilibus orbari præcepit. Tanti flagitii, quod ab Episcopali mansuetudine patientiâque plurimùm discrepabat, nuncio ad Regem perlato, custodiæ traditus est, scelus sibi per calumniam denuò dixit impositum, &c, ut judicium protelaretur, variis artibus ac subterfugiis obtinuit. Indictâ tandem ad examinandam causam Synodo, cùm nullum tergiversationi locum superesse nosset, mutatâ veste, sumptóque venatoris habitu fugam arripere statuit. Excubitores quidem fefellit, evasitque ex eorum custodia, sed ab iisdem, cùm non procul abesset, iterum captus, nec eâ spoliatus veste quâ tunc induebatur, in conspectum Regis adductus est, atque ab eo missus Turonos, ut suo sisteretur Metropolitæ. Causâ discussâ tenebroso carceri apud Condedam oppidum Turoniæ mancipatus est in reliquam vitam, ibique tædio & squalore confectus interiit, subrogato in ejus locum Francore seu Francone provectæ jam ætatis viro, cujus Episcopatus initium hoc anno sumpsit.

JOSEPHUS EP. CENOMANN. DEPONITUR.

SUBROGATUR FRANCO

XXIV.

Corvaisierus Josephum accusatum ait apud Imperatorem, Bondonnetus multò rectiùs apud Carolum Magnum, quia Carolus Imperatorem se nondum dicebat. Uterque Turonensem Metropolitam Josephum vocat, cujus mentionem anno superiore jam fecimus. Duos vicos à Josepho Cenomannensi Episcopo emptos & Ecclesiæ Cathedrali attributos iidem scribunt Auctores, addúntque amissam ab eo jurisdictionem quam in Canonicos obtinebat, atque ab illo tempore jus exemptionis ab iisdem Canonicis adversùs Episcopum prætendi, sed hoc eget probatione, quis enim ob unius Josephi flagitium jus successorum adeò imminutum credat? Idem quoque dicendum de Abbatibus Aurionensi & Anisolensi, quos jure etiam exemptionis, de quo sermo non semel recurret, exinde vel gavisos, vel gaudere conatos asserit Corvaisierus

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

ANNUS

CHRISTI 794.

CAROLI SEN. R. 26. 23. 21.

PIPPINI II. R. 14.

LUDOVICI R. 14.

CAROLI JUN. R. 6.

I. DECIMO Kalendas Aprilis, anno Christi septingentesimo nonagesimo-quarto, Carolus Francorum Rex, qui *Natalem Domini apud Sanctum Kilianum in Wirtziburgo* ad Mœnum celebrarat, *Paschalis festi solennitatem* egit *super eundem fluvium in villa Franconofurt, in qua & hyemaverat*, ut Annalista Laureshamensis restatur. Ibi celebrata Synodus præsentibus Adriani Papæ Missis Theophylacto & Stephano. Qua de re sic idem Auctor: *Rex ad condemnandam hæresim Felicianam æstatis initio, quando & generalem populi Conventum habuit, Concilium Episcoporum ex omnibus Regni sui provinciis in eadem villa congregavit. Affuerunt etiam in eadem Synodo Legati Romani Pontificis, Theophilactus ac Stephanus Episcopi, vicem tenentes ejus, à quo missi fuerant, Adriani Papæ.*

SYNODUS FRANCO-FORDIENSIS.

II. Hujus Concilii Canones extant sex & quinquaginta, quos Jacobus Sirmondus [a] ex Remensi Codice Monasterii Remigiani primus evulgavit anno Christi millesimo sexcentesimo vicesimo-nono. Duo duntaxat jam prodierant cum quatuor libris Carolinis, de quibus infrà. *Canonum*, inquit [b], *qui antehac desiderabantur, copiam nacti sumus ex vetusto item Codice S. Remigii, eodem ipso, quo usum constabat illum, qui primus libros Carolinos, & cum his primum & secundum hujus Concilii Canonem, dissimulato & interpolato nomine suo, in lucem dedit.*

CANONES. [a] Tom. 2. Conc. Gall. [b] In not. ad Tom. 2.

III. Primus Canon damnat Elipandum & Felicem Episcopos, qui in Dei Filio adoptionem asserunt. *Conjungentibus, Deo favente, Apostolicâ auctoritate, atque Piissimi Domni nostri Caroli Regis jussione, anno XXVI Principatûs sui, cunctis Regni Francorum, seu Italiæ, Aquitaniæ, Provinciæ, Episcopis ac Sacerdotibus Synodali Concilio, inter quos ipse mitissimus Sancto interfuit Conventui. Ubi in primordio Capitulorum exortum est de impia ac nefanda hæresi * Elipandi Toletanæ Sedis Episcopi, & Felicis Orgellitanæ, eorúmque sequacibus, qui malè sentientes in Dei Filio asserebant adoptionem. Quam omnes, qui suprà, Sanctissimi Patres, & respuentes unâ voce contradixerunt, atque hanc hæresim funditus à Sancta Ecclesia eradicandam statuerunt.*

* Sirmond. *hæreso*

IV. Annalista Loiselianus de Francofordiendi Concilio sic scribit. *Ibi tertiò condemnata est hæresis Feliciana. Quam damnationem per auctoritatem Sanctorum Patrum in Libro conscripserunt, quem * librum omnes Sacerdotes manibus propriis subscripserunt.* Eadem planè verba reperiuntur apud Reginonem, apud Annalistas Bertinianum ac Metensem, necnon apud incertum Auctorem & Monachum Egolismensem in vita Caroli; nec Annalista Tilianus [c], licèt breviorem hoc loco narrationem instituat, hæresim illam *tertiò* condemnatam negat. Lege quæ dicta sunt de Conventibus cùm Reginoburgi tum Romæ ante biennium habitis, Felix enim Reginoburgi primùm damnatus est, deinde Romæ, tertiò Francofurti. Nullam autem hîc mentionem facimus Synodorum, quæ anno priori habitæ sunt cùm in Francia, tum Romæ, celebratæ sunt enim occasione tantùm literarum, quas

* Al. *cui omnes*

[c] Ad an. 795.

Elipandus Archiepiscopus Toletanus Carolo Regi scripserat, petierátque Theologis examinandas ac discutiendas communicari.

Cannnibus Francnfordiensibus præponuntur epistolæ quatunr, adversùs eosdem hæreticos conscriptæ.

De prima, quæ est Adriani Papæ ad Episcopos Hispaniæ contra Elipandum Toletanæ Sedis Archiepiscopum, actum anno priore.

Secunda est Episcoporum Iraliæ, qui Concilio tunc intererant, ad Episcopos Hispaniarum adversùs eundem Elipandum, & in Collectionibus Conciliorum hoc insignirur titulo. *Libellus Episcoporum Italiæ contra Elipandum, Concilii decreto missus ad provincias Hispaniæ.* Initium tale est. *Incipit libellus sacrosyllabus, Catholico salubriter editus stylo in Concilio, divino nutu habito in* V. *suburbanis Moguntiæ Metropolitanæ civitatis, regione Germaniæ, in loco celebri,* VI. *qui dicitur Franconofurd, sub præsentia Clementissimi Principis Domini Caroli* VII. *Gloriosissimi Regis, anno felicissimo Regni ejus* XXVI. *Placuit igitur sancto venerandoque Concilio, quatenus hic libellus pro causa fidei ad provincias Galliciæ ac Spaniarum mitti deberet ob noxios resecandos errores, specialiter autem ad Elipandum Toletanæ Sedis Episcopum, in quo omnis hujus negotii constat materia quæstionum. Sancto incitante Spiritu,* &c. Hic libellus nnn alius est ab eo, quem anno priore, ut ad illum annum observavimus, Paulinus Parriarcha Forojuliensis adversùs Elipandum conscripsir, postquàm Elipandi literæ in plenaria Synodo coram Carolo Rege lectæ fuerunr. Edirus est duplici modo, primùm ur à Paulino scriptus est adversùs Epistolam Elipandi, deinde ut ab Episcopis Italiæ ex Francofordiensis Concilii decreto missus est ad provincias Hispaniæ. Prior editio pnst Alcuini opera quæ publicara sunt ab Andrea Duchesnio, & in Bibliothecis Patrum reperitur; posterior in Collectinnibus Cnnciliorum. Inter utramque parum discriminis occurrir; in una Paulinus singularem aliquando numerum sic usurpar, *decerno, censeo;* pluralem semper in alrera sic, *decernimus, censemus.* Præcipuus differentiæ locus est sub initium operis, ubi Paulinus de se sic loquitur in editione, quam anno priore jam citavimus. *Ego Paulinus, licèt indignus peccator, omniúmque servorum Domini ultimus servus, Aquileiensis Sedis Venetiis * oris accincta, cui, Deo auctore deservio, nomine non merito* * Hesperiis *Præsul, unà cum Collegis, Dominis, & fratribus meis, juxta exilem intelligentia mea tenuitatem, Sancto perdocente Spiritu, corde, linguâ, stylo, contra eorum vesanias, qui rectæ fidei sunt adversarii, respondere non formido, cùm sit sancta & universalis Ecclesia super firmam nihilominùs immobiliter fundata petram, & portæ inferi nequeant prævalere adversùs eam:* In alrera verò sic. *Ego Paulinus, licèt indignus peccator, omniúmque servorum Domini ultimus servus, Aquilegiensis Sedis Venetiis * oris accincta, cui Deo auctore deservio,* * Hesperiis *nomine non merito Præsul, unà cum Reverendissimo & omni honore digno Petro Mediolanensis Sedis Archiepiscopo, cunctísque Collegis fratribus & consacerdotibus nostris, Liguriæ, Istriæ *, Venetiæ, Æmiliæ, Catholicarum Ecclesiarum ve-* * Austria. *nerandis Præsulibus, juxta exilem intelligentiæ nostræ tenuitatem,* &c. ut Hesperia. suprà.

VIII. In rota Iraliæ parte, quæ Francis tum parebar, duo duntaxat erant Metropolitæ, Paulinus Aquileïensis seu Foro-Juliensis Parriarcha, & Perrus Mediolanensis Archiepiscopus. In rextu proximè recitaro quatunr tantùm nominantur provinciæ, Liguria, Istria, Venetia, & Æmilia, quarum Episcopi Concilio cum prædictis Metropoliris interfuerunt. Foro-Juliensi Metropoli suberanr Istria & Venetia, Mediolanensi Liguria, Æmilia Ravennati. De singulis pauca hîc nbservanda.

IX. Regnante apud Longobardos Agilulphn, facta est Ecclesiasticarum provinciarum, Aquileïensis & Gradensis, divisio: Sedes Aquileiensis Forum-Julii translata est regnante tum Liurprando, deinceps hujus Sedis Antistites promiscuè dicti Patriarchæ Foro-Julienses & Aquileïenses, eâque ra-

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

tione Paulinum, qui se *Aquilegiensis Sedis Præsulem* hîc appellat, Foro-Juliensem Patriarcham suprà nominavimus. Cùm potestas Longobardorum defecit, vigebat adhuc eadem provinciarum divisio. Erant sub Patriarchatu Foro-Juliensi Ducatus Foro-Juliensis & Marchia Tarvisana, cum Episcopatibus, Veronensi, Comensi ac Tridentino. Sub Patriarchatu Gradensi erant, Istria quæ pulsis Longobardis ad Græcorum Imperium redierat, & marina Venetia quæ liberi juris permanebat. Post aliquot annos à Græcis ad Francos transiit Istria, Carolo & Pippino Longobardiæ Regibus, Aquileïensis seu Foro-Juliensis Patriarchatus eâ tunc auctus est regione, quæ sex Episcopatus, Tergestinum videlicet, Justinopolitanum, Æmoniensem, Parentinum, Pitinensem & Polensem, comprehendebat. Abhinc pertinuerunt ad provinciam Foro-Juliensem in Ducatu Foro-Juliensi præter Forum-Julii Metropolim Concordia; in Marchia Tarvisina, Vicentia, Patavium, Tarvisium urbs Marchiæ primaria, Ceneta, Feltria, Bellunum; item Tridentum in Alpibus, Verona ad Athesim amnem, Comum ad lacum Larinum; in Istria, Tergestum Justinopolis, Æmonia, Parentium, Pitinum, & Pola. Quapropter ubi Paulinus Patriarcha Foro-Juliensis Liguriam, Istriam, Venetiam, & Æmiliam nominat, dubium non est, quin Istriam & Venetiam Foro-Juliensi Metropoli subjectas testetur. Super Istria, si varias ejus vicissitudines, quas attigimus suprà, diligenter attendas, nulla difficultas; nulla quoque super Venetia, si Venetiæ nomine maximam veteris Venetiæ partem intelligas, quæ, deleto Longobardorum Regno, Francis cessit, à Pado enim & Adriatico littore ad amnem Athesim atque ad Alpes latissimè porrigebantur antiquæ Venetiæ fines, quibus includitur Aquileïensis provincia, qualis erat Agilulphi Longobardorum Regis ætate cùm Gradensis Istriam & marinam Venetiam complectebatur. Ex prædictis autem observa Sedem Aquileiensem, cui Paulinus præest, ab eo propter conterminos marinæ Venetiæ limites rectè dici *Venetiis oris* accinctam, nec è textu suprà recitato malè rejectas ad marginem istas voces *Hesperiis, Austriæ, Hesperiæ*, quibus has ex ultima Conciliorum Collectione suffecimus, *Venetiis, Istriæ, Venetiæ*. Hæc de Paulini Patriarchatu.

X. Duplex est Liguria, una littorea, altera mediterranea. Littorea versùs Ortum Macrâ fluvio terminatur, Alpibus Occasum versùs, mari Ligustico versùs Meridiem, Septentrionem versùs Appennino monte. Mediterranea cingitur eodem Appennino monte ad Meridiem, Alpibus ad Occasum, ad Septentrionem Pado fluvio, ad Ortum partim Appennino monte partim Pado amne. De Liguria sic plerique Geographi, qui Liguriam per Padum ab Insubria disterminant. Aliis Insubria pars est Liguriæ. Tomo superiore [a], cùm Donationem Pippininam explicaremus, varias Italiæ divisiones attulimus, in quibus Insubriæ nulla mentio, quia sub Liguria comprehenditur. Instar omnium Auctorum, qui regiones seu provincias Italiæ recensuerunt, à nobis haberi debet Paulus Diaconus, qui regnante Carolo Magno vitam duxit. Ab eo Liguria sic describitur in Gestis Longobardorum [b]. *Post Venetiam est Liguria. A legendis, id est, colligendis leguminibus, quorum satis fertilis est, nominatur. In qua Mediolanum est, & Ticinum quæ Papia alio nomine nuncupatur. Hac usque ad Gallorum fines extenditur.* Qui Liguriam ab Insubria sejungunt, ii Mediolanum & Papiam in Insubria collocant. Ergo Paulus Insubriam à Liguria non distinxit, & Paulinus Foro-Juliensis Patriarcha, qui Paulo synchronus vixit, ubi Mediolanum Metropolim agnovit, & Petro Mediolanensi Metropolitæ Liguriam subjecit, Insubriam quoque sub Liguriæ nomine comprehendit.

[a] Ad an. 755. nn. 71. 73. 76.

[b] Lib. 2. c. 11. vet. edit. c. 13. novæ edit.

XI. In divisione Italiæ apud Paulum Diaconum octodecim sunt regiones, quarum decima Æmilia inter Vatrinum ac Trebiam fluvios sita, Placentiam, Parmam, Regium, Mutinam, Bononiam, & Imolam seu forum Cornelii complectitur, ut ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-

gesimum-quintum ª Tomo superiore probavimus. Hæc regio, cùm Francofurti Synodus habita est, partim Regi Francorum, partim Romano Pontifici parebat. Pippinus enim Francorum Rex Bononiam & Imolam Apostolicæ Sedi contradiderat, deletóque Longobardorum Regno Placentiam, Parmam, Regium ac Murinam Francicis ditionibus adjecerat Carolus Pippini filius. Ravennæ verò Metropoli, quam Donatio Pippinina ditionis etiam Pontificiæ fecerat, suberat omnis Æmilia. Ravennas Archiepiscopus Concilio non interfuit, quia Ravenna extra Franciæ limites erat, & apud Paulinum per Æmiliam pars duntaxat Æmiliæ debet intelligi, quæ Carolo & Pippino Francorum Regibus tunc obtemperabat. AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

ª Num. 77.

XII. Præter Istriam, Venetiam, Æmiliam, & Liguriam, suprà descriptas, erant aliæ regiones in Italia vel totæ vel ex parte sub imperio Francorum, quarum tamen apud Paulinum mentio non occurrit. Ex hoc silentio liquet illarum regionum Episcopos Synodo Francofurtensi non adfuisse. Cur autem abfuerint, hæc dari ratio potest, quòd immediatè Romano Pontifici tanquam Metropolitæ subjacerent, & Romanæ provinciæ Synodis interesse consuevissent. Eorum plerique Romæ versabantur, cùm Felix Urgellensis Episcopus suam ipsemet hæresim coram Adriano Papa damnavit, necnon etiam cùm Apostolicæ literæ, de quibus anno priore locuti sumus, ad Hispaniarum Episcopos adversùs Elipandum Toletanæ Sedis Archiepiscopum directæ sunt, in quibus exposuit *Dominus Apostolicus, quid ipse cum Sancta Romana Ecclesia & Episcopis illis in partibus quaquaversum commorantibus sentiret.*

XIII. Tertia epistola quæ Canonibus Francofurtensibus præfigitur, scripta est ab Episcopis Galliæ & Germaniæ, qui Concilio tunc intererant. Id ex ipso liquet titulo. *Synodica Concilii ab Episcopis Gallia & Germania ad Præsules Hispania missa.* Initium verò tale est. *Sancta Synodus, & Venerabiles in Christo Patres, cum omnibus Episcopis Germania, Gallia & Aquitania, & toto Catholica pacis Clero, Præsulibus Hispania & ceteris ibidem Christianitatis nomen habentibus, in Domino Deo, Dei filio vero & proprio, Jesu Christo, æterna beatitudinis salutem. In Nomine Domini nostri Jesu Christi, qui dixit, [ubi sunt duo vel tres congregati in Nomine meo, ibi sum ego in medio eorum,] congregatis nobis in unum caritatis conventu, præcipiente & præsidente Piissimo & Gloriosissimo Domino nostro Carolo Rege, ad renovandum, cum consilio pacifica unanimitatis, Sanctæ Dei Ecclesiæ statum, & ad prædicandam Orthodoxa fidei veritatem,* &c. In illis literis gravissimæ sunt adversùs Hispaniarum Episcopos querelæ, quòd *Sanctorum Patrum venerabiles sensus per intermissiones aliquorum verborum maculare* nitantur, & *purissimos Catholica fidei fontes heretico pede turbare* non timeant; item, quòd ex Sancti Augustini Sermonibus testimonia transtulerint, iisque per insignem malitiam, ut tanti Doctoris nomine suos errores tuerentur, has voces addiderint, *non genere esse filium Dei, sed adoptione*, quódque Sanctos Hilarium & Hieronymum aliósque Patres Orthodoxos ad suam opinionem per pravam interpretationem traducere studuerint.

XIV. Quarta seu postrema epistola est Caroli Regis ad Elipandum & ceteros Episcopos Hispaniæ. *Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, Filius & Defensor Sanctæ Dei Ecclesiæ, Elipando Toletana civitatis Metropolitano, & ceteris in partibus Hispania consacerdotibus Orthodoxa fidei & fraterna caritatis, in Christo Dei filio proprio & vero optamus salutem.* Et paucis interjectis, quid ipse pro redintegranda pace peregerit, sic exponit. *Fraternâ cogente caritate, jussimus Sanctorum Patrum Synodale ex omnibus undique nostra ditionis Ecclesiis congregari Concilium, quatenus sancta omnium unanimitas firmiter decerneret, quid credendum sit de adoptione carnis Christi, quam nuper novis adsertionibus, & Sancta Dei universali Ecclesia antiquis temporibus inauditis, vos ex vestris scriptis intulisse*

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

cognovimus. Immo & ad Beatissimam Apostolica Sedis Pontificem, de hac nova inventione, nostra devotionis ter quatérque direximus Missos, scire cupientes, quid Sancta Romana Ecclesia, Apostolicis edocta traditionibus, de hac respondere voluisset inquisitione. Necnon & de Britannia partibus aliquos Ecclesiastica disciplina viros convocavimus, ut ex multorum diligenti consideratione veritas Catholica fidei investigaretur, & probatissimis Sanctorum Patrum hinc inde roborata testimoniis absque ulla dubitatione teneatur. Idcircò vobis per singulos libellos dirigere curavimus, quid prædictorum Patrum pia unanimitas & pacifica perscrutatio auctoritate Ecclesiasticâ invenires, statuisset, confirmaret.

XV. Alludit ad tres epistolas suprà recensitas, de quibus hæc proximè subjungit. *Primò, quid Dominus Apostolicus cum Sancta Romana Ecclesia & Episcopis illis in partibus quaquaversum commorantibus & Catholicis Doctoribus sentiret, sub unius libelli tenore statuimus. Deinde secundo loco, quid Ecclesiastici Doctores & Sacerdotes Ecclesiarum Christi de propinquioribus Italiæ partibus cum Petro Mediolanensi Archiepiscopo & Paulino Forojuliensi vel Aquileiensi Patriarcha, viris valdè venerabilibus, intelligi vel firmiter credi voluissent, suis propriis responsionibus exaratam posuimus libellum, quia ipsi quoque præsentes nostro Synodali Conventui adfuerunt. Posthac tenet & tertius libellus Orthodoxam Sanctorum Patrum Episcoporum & virorum venerabilium fidem, qui in Germania, Gallia, Aquitania, & Britannia partibus, dignis Deo deserviunt officiis, vestrísque objectionibus Sanctarum Scripturarum testimoniis roboratas obtinet responsiones.* Primus illorum libellorum scriptus fuit anno priore, cùm Felix in hæresim denuò lapsus esset, & ex Caroli textu non obscurè colligimus Synodum è Romana provincia priùs convocatam esse, nam libelli tenor exposuit *quid Dominus Apostolicus cum Sancta Romana Ecclesia & Episcopis illis in partibus quaquaversum commorantibus & Catholicis Doctoribus sentiret.* Alter libellus hoc anno scriptus fuit Francofurti, cùm Synodus illic habebatur, explicuitque quid Paulinus Patriarcha Foro-Juliensis & Petrus Mediolanensis Archiepiscopus cum Istriæ, Venetiæ, Æmiliæ & Liguriæ Episcopis intelligi firmitérque credi vellent. Tertius eodem quoque tempore scriptus est etiam Francofurti, nec ab Episcopis tantùm *Galliæ & Germaniæ*, vel *Germania, Gallia & Aquitania*, ut habent tituli, sed & à venerabilibus viris, quos Carolus è transmarina Britannia vocarat, ut ex antedictis patet.

XVI. Tribus illis libellis idem Carolus quartum adjecit, de quo nunc agimus. *Dein*, inquit, *quarto loco, mea propria unanimitatis cum his sanctissimis prædictorum Patrum Decretis & Catholicis statutis consensum subnexui, sicut vosmetipsi in vestra epistola, quam meo specialiter adsignastis nomini, rogare curastis, id est, ne paucorum subdolis adsertionibus consentirem, sed plurimorum testimoniis roboratam fidem firmiter tenerem.* Ut hæreticorum pertinaciam confunderet, validius afferre non potuit argumentum. Duplicem quoque calamitatem, quâ premebantur, maximo ductus zelo pietatis ob oculos exhibuit, unam spiritalem, quam ciebat hæresis, alteram corporalem, quam inferebat Saracenorum potestas per Hispaniam latissimè diffusa, seque promptissimo pollicitus est auxilio fore, quotiescumque ab utraque se cuperent expedire. Regem ipsum audi ad opus adeò sanctum eos sic adhortantem. *Hactenus, antequàm hujus adoptionis in Christo nomen à vobis exortum nostras offenderet animos, vos germanitatis amore dileximus. Etsi nos vestrum corporale servitium contristaret, rectitado tamen fidei Catholicæ latificavit in vobis. Nunc verò duplici pro vobis affligimur mœrore, diabolicâ fraude decepti in corde, & inimicâ servitute oppressi in corpore. Sed redite, obsecro, ad unitatem sanctæ matris Ecclesiæ, ut vos eruat de angustia servitutis terrenæ, qui vos per Baptismi gratiam à vinculo liberavit originalis peccati. Exspoliastis veterem hominem, quomodo iterum, fraude decepti malignâ, induimini illo? Adoptionis filii Deo Patri facti estis per eum qui non est adoptivus sed proprius: fiote per*

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

fidei inviolabilem confessionem in libertate filiorum Dei, & nolite infidelitatis jugum subire. Expellite vincula diabolica deceptionis de cordibus, quatenus Deus Christus, qui solvit compeditos, excutiat catenam gentis inimica de manibus vestris. Habetis nos, divinâ auxiliante gratiâ, cooperatores gaudii vestri, si vos nobiscum Catholica fidei vultis esse prædicatores. Certissimum itaque ibi erit divina miserationis auxilium, ubi una est totius Ecclesia caritas, & una vera fidei confessio. Ad multitudinem populi Christiani, & ad Sacerdotalis Concilii unanimitatem revertimini. Si enim duorum vel trium sancto pióque consensui, secundùm suam promissionem, Dominum esse præsentem non dubitamus, quanto magis ubi tot sanctissimi Patres, tot venerabiles fratres, tot filii pia matris Ecclesia, in nomine illius pacificâ conveniunt unanimitate, eum adesse medium non est dubitandum, & illorum regere consilia, qui sui nominis laudem quærere dinoscuntur. Ad confirmanda igitur corda vestra in fide & veritate, hanc nostri nominis, fraternâ instigante caritate, epistolam scribere curavimus, optantes ut nostra, quam habemus pro fide Catholica, proficiat devotio, & vos divina clementia ad fidem reducat Catholicam. Antè igitur quàm hujus sæpè dicti scandali à vobis oriretur offensio, duplici caritate, sicut prædiximus, dileximus vos, id est, in orationibus nostris per omnes Regni nostri Ecclesias habuimus socios, & vestri memoriam quotidie facientes: itidem quoque & Deo auxiliante voluntatem habuimus vos liberare à servitio secularis necessitatis, secundùm temporis opportunitatem & vestri consilii adhortationem. Nunc verò hac duplici caritate (quod sine dolore non dicimus) fraudastis vosmetipsos, non intelligentes vos fraude diabolicâ esse deceptos, ut utroque juvamine vos denudaret, id est, participatione fidei & orationum nostrarum, vel solatio auxilii nostri. Videte, videte, quàm grande malum adversùm vosmetipsos habetis factum, quòd nequaquam ausi sumus orare pro vobis, sicut pro fidelibus Sancta Dei Ecclesia filiis: nec vos adjuvare, quomodo fratres, in vestris maximis necessitatibus. Quapropter revertimini ad hanc duplicem consolationem, & abjicite à vobis hanc malignam diabolica fraudis versutiam, ut possitis nobiscum consortium habere in omni caritate & auxilio opportuno. Post hanc verò correptionem sive admanitionem Apostolica auctoritatis & Synodalis unanimitatis, si non resipiscitis ab errore vestro, scitote omnino vos pro hæreticis haberi, nec ullam vobiscum communionem pro Deo audemus habere. Currite dum lucem habetis, ne tenebra vos anathematis apprehendant, unde non potestis pedes vestros explicare, sed æternâ damnatione irretitos esse lugebitis. Adhuc enim pia mater Ecclesia revocat vos ad gremium sua misericordia, volens vos Deo nutrire in filios. Tantùm nolite vos abstrahere ab ejus pietate, qui vos vocavit in Regnum filii dilectionis sua.

Sequitur fidei confessio, quam in iisdem literis à Carolo editam non audemus reticere, ne celebrando tanti Regis pro dogmatibus Orthodoxis zelo defuisse videamur. *Credimus in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem cæli & terra, visibilium omnium & invisibilium. Credimus & in unum Dominum nostrum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, natum ex Patre ante omnia secula, & ante omnia tempora; lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: natum non factum: naturalem non adoptivum: per quem omnia condita sunt, calestia & terrestria; unius essentia & unius substantia cum Patre. Credimus & in Spiritum Sanctum, Deum verum, vivificatorem omnium, à Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio coadorandum & conglorificandum. Credimus eamdem Sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unius esse substantia, unius potentia & unius essentia tres personas, & singulam quamque in Trinitate personam plenum Deum, & totas tres personas unum Deum Omnipotentem: Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum Sanctum procedentem ex Patre & Filio: nec Patrem aliquando cœpisse, sed sicut semper est Deus, ita semper & Pater est, quia semper habuit Filium. Æternus Pater, æternus Filius, æternus & Spiritus Sanctus ex Patre Filiáque procedens; unus Deus Omnipotens, Pater & Filius & Spiritus Sanctus,* XVII.

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

ubique præsens, ubique totus, Deus æternus, ineffabilis, incomprehensibils. In qua Sancta Trinistate nulla est persona vel tempore posterior, vel gradu inferior, vel potestate minor: sed per omnia æqualis Patri Filius, æqualis Patri & Filio Spiritus Sanctus divinitate, voluntate, operatione, & gloriâ. Alius tantummodo in persona Pater, alius in persona Filius, alius in persona Spiritus Sanctus. Non aliud, sed unum naturâ, potentiâ & essentiâ, Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Credimus ex hac Sancta Trinitate Filii tantummodo personam, pro salute humani generis, de Spiritu Sancto & Maria Virgine incarnatam, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, esset & in humanitate hominis matris filius; perfectus in divinitate Deus, perfectus in humanitate homo: Deus ante omnia secula, homo in fine seculi: verus in utraque substantia Dei filius; non putativus, sed verus, non adoptione sed proprietate: una persona Deus & homo, unus mediator Dei & hominum: in forma Dei æqualis Patri, in forma servi minor Patre: in forma Dei Creator, in forma servi Redemptor. Unus in utroque Dei Filius proprius & perfectus, ad implendam humana salutis dispensationem, passus est verâ carnis passione, mortuus verâ corporis sui morte: surrexit verâ carnis sua resurrectione, & verâ animæ resumptione: & eodem corpore, quo passus est, & resurrexit, ascendit in cælos, sedens in dextera Dei Patris; & in eadem forma, quâ ascendit, venturus judicare vivos ac mortuos, cujus regni non erit finis. Prædicamus unam Sanctam Dei Ecclesiam toto Orbe diffusam, locis separatam, fide & caritate conjunctam: & veram remissionem peccatorum in eadem Ecclesia, sive per Baptismum, sive per Pænitentiam, divinâ donante gratiâ, & bonâ voluntate hominis cooperante. Credimus & omnes homines resurrecturos esse, & singulos secundùm sua opera judicari: impios æternis suppliciis damnandos cum diabolo & Angelis ejus: sanctos verò æternâ gloriâ coronandos cum Christo & Sanctis Angelis ejus in secula sempiterna.

XVIII. Secundus Canon Francofordiensis novam Græcorum Synodum de adorandis Imaginibus sic rejicit. *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui suprà Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem * & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.*

* Eli-phili. & orationem

XIX. Hic Canon hactenus eruditos quosque torsit torquétque. Cùm nondum editus in lucem esset, plerique decepti lectione quorumdam Auctorum, de quibus infrà, septimum Concilium Oecumenicum seu Nicænum secundum, quod anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo Indictione undecimâ jam incboatâ celebratum est, in Synodo Francofurtana reprobatum censuerunt, & quoniam advertebant in illa Synodo Nicæna nomine προσκυνήσεως, quæ Imaginibus tribuitur, non veram latriam, quæ naturæ divinæ debetur, sed honorariam tantùm venerationem intelligi, quâ dum Imagines prosequimur, ipsa prototypa per eas honoramus, Iconomachorum errorem Patribus Concilii Francofordiensis adscribere non dubitarunt. At hæc opinio nullâ nititur verisimilitudine, nam Galliarum Episcopi de cultu sacrarum Imaginum longè aliter senserant anno Christi septingentesimo sexagesimo-septimo in Synodo Gentiliacensi, & anno Christi septingentesimo sexagesimo-nono in Synodo Romana; nec à Claudio Taurinensium Episcopo, qui se Iconomachum ostendit sub Ludovico Pio, suámque pravitatem in Occidentalem Ecclesiam introducere voluit, allata est auctoritas Concilii Francofordiensis, quæ certè, si contra Nicænam Synodum pugnavit, in ea causa non debuit omitti. Deinde quis Oecumenicam Synodum, qualis Nicæna Secunda semper habita est, in Concilio Francofordiensi præsentibus Legatis Apostolicæ Sedis condemnatam existimet?

XX. Postquàm Canon Francofordiensis, de quo nunc agimus, in lucem cum libris Carolinis prodiit, quæsitum est à doctissimis viris de Canone isto

déque libris Carolinis verine essent an falsi, & utrùm Synodus illa Græcorum, cui adversantur, Nicæna pro Imaginibus Synodus fuerit, an alia. De utroque capite variæ circumferuntur opiniones. Alii supradictum Canonem librósque Carolinos arbitrantur veros, alii subditirios. Rursum Synodum Græcorum, à qua Canon ac libri prædicti dissentiunt, alii Nicænam Synodum pro Imaginibus, aliam alii interpretantur. Quid ipsi post multiplices tot Auctorum discrepantias sentiamus, aliquot assertionibus ostendemus.

XXI. De Canone, quin is verus sinceriúsque sit, haud ambigimus, non tantùm quia cum aliis ejusdem Concilii, quos Sirmondus evulgavit, in antiquissimo Codice repertus est, sed etiam quia in vetere Chronico Moissiacensis Cœnobii cum aliquot mendis, quæ facilè possunt ex editione Sirmondana corrigi, sic ad hunc annum invenitur. *Allata est etiam in eadem Synodo quæstio de nona Græcorum Synodo, quam de adorandis Sanctorum Imaginibus Constantinopoli fecerant. In qua scriptum habebatur. Ut qui Imagines Sanctorum ita ut Deificam Trinitatem servicio aut oratione non impenderent, anathema judicaverunt. Qui * super sanctissima Patris & serviente renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Postrema hæc periodus est depravata, corrigique debet ex editione Sirmondana, quam posuimus in margine. Displicet quoque nobis in Chronico Moissiacensi vox *nona*, cujus loco *nova* videtur restituenda, licèt opinioni nostræ *nona* plurimùm faveat, nam si nona Synodus ea dicitur quam Patres Francofordienses impugnant, duæ distinguantur pseudosynodi Constantinopolitanæ necesse est, una, quæ septima Synodus Oecumenica perperam censeatur & secundam Nicænam antecesserit, altera, quæ secundâ Synodo Nicænâ posterior habeatur & nona Synodus Oecumenica malè nominetur.

* Legendum *Qui suprà sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes.*

XXII. Non ita de Carolinis libris ac de Canone Francofordiensi censemus. Illos enim libros, qui Nicænam pro Imaginibus Synodum apertissimè impugnant, abjudicamus Carolo.

XXIII. Sirmondus, qui contrariam tuetur opinionem, Adriani responsione ac literis Hincmari fretum se dicit. *Nunc verò*, inquit in admonitione ad Lectorem Francofurtanis Canonibus præfixa, *& Synodi Canones, librósque Caroli pro legitimis omnes ferè agnoscunt, & de Synodo Nicæna quæstionem fuisse, quod ex libris ipsis patet, similiter consentiunt. Ac de libris sanè Caroli, ut Hincmarum omittam, qui hos à se lectos testatur, inficiari nemo potest, nisi qui Hadriani Papæ ad eosdem libros responsioni seu confutationi, quæ in omnium manibus versatur, fidem detractam velit.*

XXIV. Textus Hincmari talis est in Opusculo tricesimo-tertio [a]. *Septima autem apud Græcos vocata universalis pseudosynodus de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra verò pars intellectu sano diffiniens, sine auctoritate Apostolicæ Sedis, non longè ante nostra tempora, Constantinopoli est à quampluribus Episcopis habita, & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Unde tempore Karoli Magni Imperatoris, jussione Apostolicæ Sedis, generalis est Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore, celebrata, & secundùm Scripturarum tramitem traditionémque Majorum, ipsa Græcorum pseudosynodus destructa & penitus abdicata. De cujus destructione non modicum volumen, quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum. In cujus voluminis quarto libro hæc de universali nomine scripta sunt.* Sequitur apud Hincmarum textus Carolinus, totum penè duodetricesimum caput libri quarti complexus. Ut simul conferre possis, utrumque placet hîc describere.

[a] Cap. 20.

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6. XXV.

TEXTUS CAROLINUS CAPUT XXVIII

APUD HINCMARUM.

Universitas ab uno cognominatur, quod uno multotiens verso propagatur. Nam multitudo unitatum, vertente in unum collecta, universitas efficitur.

Sicut enim Ecclesia universalis est, quæ Græco eloquio Catholica dicitur: ita nimirum omne quicquid ab ejus unitate non discessit, Catholicum nuncupori potest. Omnis enim doctrina Christiana, vel qualibet constitutio sive traditio talis esse debei, ut universali conveniat Ecclesiæ. Quod nequaquam hæretici observaverunt, qui per diversas mundi partes, aliquibus regionum partibus coartati, conventicula quædam statuerunt, quibus & se & quamplures ab Ecclesiastica unitatis consortio segregaverunt. Cùm ergo duarum & trium provinciarum Præsules in unum conveniunt, si antiquorum Canonum institutione muniti aliquid prædicationis aut dogmatis instituunt, quod tamen ab antiquorum Patrum dogmatibus non discrepat, Catholicum est quod faciunt, & fortaßè dici potest universale: quoniam quamvis non sit ab universi Orbis Præsulibus actum, tamen ab universorum fide & traditione non discrepat, quod crebrò factum in plerisque mundi partibus quibusdam necessitatibus incumbentibus scimus. Multa enim Concilia gesta sunt, quorum institutionibus sancta munitur & cortoboratur Ecclesia. Si verò duarum aut trium provinciarum Præsules in unum convenientes, nova quædam statuere cupientes, conventicula quædam faciunt, quæ non cum universi Orbis Ecclesia sentiunt, sed ab ea quadam ex parte dissentiunt, non est Catholicum quod faciunt, & ideo universale nuncupari non potest. Omne, quod Ecclesiasticum est, Catholicum est; & omne, quod Catholicum est, universale est: omne autem, quod universale est, profanis vocum novitatibus caret; omne igitur, quod Ecclesiasticum est, profanis vocum novitatibus caret. Et, si hæc Synodus vocum novitatibus careret, antiquorum Patrum dogmatibus contenta,

LIBRI IV CAROLINI.

Inter cetera deliramenta, quæ in eadem Synodo vel gesta vel scripta dicuntur, hoc quoque non omnibus eorum deliramentis minus est, quòd eandem Synodum universalem nuncupant, cùm neque universalis fidei inconvulsam habeat puritatem. Sicut enim Ecclesia universalis est, quæ Græco eloquio Catholica dicitur; ita nimirum omne quicquid ab ejus unitate non discedis, Catholicum nuncupari potest. Omnis enim doctrina Christiana, vel qualibet constitutio sive traditio talis esse debet, ut universali conveniat Ecclesiæ, quod nequaquam hæretici observaverunt, qui per diversas mundi partes aliquibus regionum partibus coartati conventicula quædam statuerunt, quibus & se & quamplures ab Ecclesiastica unitatis consortio segregaverunt. Cùm ergo duarum & trium provinciarum Præsules in unum conveniunt, si antiquorum Canonum institutione muniti aliquid prædicationis aut dogmatis statuunt, quod tamen ab antiquorum Patrum dogmatibus non discrepat, Catholicum est quod faciunt, & fortaßè dici potest universale: quoniam quamvis non sit ab universi Orbis Præsulibus actum, tamen ab universorum fide & traditione non discrepat: quod crebrò factum in plerisque mundi partibus quibusdam necessitatibus incumbentibus scimus. Multa enim Concilia gesta sunt, quorum institutionibus sancta munitur & corroboratur Ecclesia. Si verò duarum aut trium provinciarum Præsules in unum convenientea nova quædam statuere cupientes, conventicula quædam faciunt, quia non cum universi Orbis Ecclesia sentiunt, sed ab ea quadam ex parte dissentiunt, non est Catholicum quod faciunt, & ideo universale nuncupari non potest. Omne, quod Ecclesiasticum est, Catholicum est; & omne, quod Catholicum est, universale est, omne autem, quod universale est, profanis vocum novitatibus caret: omne igitur, quod Ecclesiasticum est, profanis vocum novitatibus caret. Nam si hæc Synodus vocum novitatibus careret, & antiquorum

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

contenta, universalis dici poterat: non autem antiquorum Patrum dogmatibus contenta est; non igitur universalis dici potest.	*rum Patrum dogmatibus contenta esset, universalis dici poterat. Non autem antiquorum Patrum dogmatibus contenta est, non igitur universalis dici potest. Universitas namque ab uno cognominatur, quod uno multoties versa propagatur. Nam multitudo unitatum vertenda in unum collecta universitas efficitur.*
Universalem planè eandem Synodum non cunctaremur profiteri, nisi eam universalis Ecclesiæ dogmatibus sentiremus refragari.	*Universalem planè eandem Synodum non cunctaremur profiteri, nisi eam universalis Ecclesiæ dogmatibus sentiremus refragari.*

Tempore Caroli Regis, qui posteà fuit Imperator, habita Francofurti Synodus, quæ, quoniam ex Italia, Gallia & Germania, sive ex omnibus Caroli ditionibus convocata, dici potest generalis eodem titulo, quo nonnullæ, de quibus actum sub Meroveadis Regibus. Damnata in illo Concilio pseudosynodus Græcorum. Adversùs eandem pseudosynodum editum ab Orthodoxis Patribus volumen, quod Romam à Carolo per quosdam Episcopos missum est, deinde in Palatio Ludovici Pii lectum ab Hincmaro tunc adolescentulo, atque anno Christi octingentesimo septuagesimo sive anno post Synodum Francofurtanam septuagesimo-sexto citatum in Opusculo tricesimo-tertio ut suprà. Sed illud volumen nobis aliud videtur ab eo, quod *Eli. Phili.* id est, Elias Philyra (sic enim Joannes Tilius nomen suum dissimulavit, quia Joannes Baptista in Evangelio [a] dicitur Elias, & φίλυρα Græcis arbor est quæ Latinis tilia) publicavit anno Christi millesimo quingentesimo undequinquagesimo cum hoc Titulo, *Opus Illustrissimi & Excellentissimi seu Spectabilis Viri, Caroli Magni, nutu Dei, Regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italiámque, sive harum finitimas provincias, Domino opitulante, regentis, contra Synodum, quæ in partibus Græciæ pro adorandis imaginibus stolidè sive arroganter gesta est.* Genuini libri, quos Carolus Romam ad Hadrianum Papam adversùs pseudosynodum Constantinopolitanam misit, ab hostibus Orthodoxorum dogmatum corrupti sunt, variísque depravationibus callidè detorti contra Concilium Nicænum Secundum, quod habetur Oecumenicum. Inde fit, ut textus, quem Hincmarus ex libro quarto voluminis Carolini descriptum à se testatur, ultimo quoque capite ejusdem libri legatur in editione Eliæ Philyræ seu Tiliana, nec ex eo quòd idem textus utrobique reperitur, vulgatis libris Carolinis quidquam auctoritatis accedat. Cum Canone Francofordiensi convenit Hincmarus, ubi Synodum, quæ rejecta est, habitam *Constantinopoli* testatur, discrepat autem à libris Carolinis, nam capite decimo-tertio libri quarti Synodus illa *ob imaginum cultum & adorationem in urbe Nicæa* dicitur celebrata. Nec audiendi sunt, qui quod actum asseritur *Constantinopoli*, gestum interpretantur intra fines Imperii Constantinopolitani. Hincmarus, ut ante biennium jam notavimus, cùm Græcos in pseudosynodo *Constantinopoli* duas in partes pariter erroneas divisos ait ob imagines, *quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra verò pars intellectu sano diffiniens*, duas subindicat pseudosynodos habitas Constantinopoli, quarum una confregit Imagines, cultu latriæ prosecuta est altera, *neutra* quidquam statuit *intellectu sano*. Anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto, Imperatore Constantino Copronymo, conciliabulum trecentorum triginta-octo Episcoporum adversùs cultum sanctarum Imaginum celebratum est Constantinopoli, vocatúmque à Græcis septimum Concilium Oecumenicum. Anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo convocata Synodus, quæ Nicæna Secunda seu septima Oecumenica XXVI.

[a] Matth. c.11.

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

nuncupatur. A secunda Synodo Nicæna usque ad Francofordiensem intercesserunt anni septem. Eâ temporis intercapedine Græci novam pseudosynodum *de adorandis Imaginibus* fecisse *Constantinopoli* videntur, *in qua* Patres Concilii Francofurtani *scriptum* testantur, *ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitiam aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur*, & Hincmarus Græcos erroris redarguit, quòd Imagines *adorandas* dicerent *intellectu non sano*, id est, quòd Imaginibus ut Deificæ Trinitati adorationem seu latriam impendendam assererent. Adversùs hanc posteriorem pseudosynodum Constantinopolitanam, quæ nec priori conciliabulo Constantinopolitano seu pseudoseptimæ Synodo Oecumenicæ Imagines frangenti, nec Concilio Oecumenico septimo seu Nicæno secundo antiquum Imaginibus cultum servanti consentit, actum in Synodo Francofordiensi. Libros igitur, quos Carolus Rex Romam misit, genuinos haud evulgavit Joannes Tilius, &, ut contraria stabiliatur opinio, frustrà citatur Hincmarus Opusculo triceśimo-tertio.

XXVII. Libris quoque Carolinis nihil auctoritatis accedit ex vulgata Hadriani Papæ ad eos responsione, quæ sæpiùs edita in manibus omnium versatur. Sub initium Hadrianus Carolo sic scribit. *Directum à vestra clementissima præcelsa Regali potentia suscepimus fidelem familiarem vestrum, videlicet Engilbertum Abbatem & Ministrum Capellæ, qui penè ab ipsis infantia rudimentis in Palatio vestro enutritus est, & in omnibus consiliis vestris receptus, ut ideo sicut à vobis in omni familiaritate recipitur, ita & à nobis reciperetur, & condecenter honoraretur. Unde pro nimio amore, quem erga vestram mellifluam gerimus Regalem Excellentiam, sicut misistis cum nimio amore dulcedinis eximia, eum suscipientes, prout voluit, & qualiter voluit, cum magna familiaritate nobis enarrantem, aure placabili & mente benignâ eum suscepimus, & quasi vestrâ corporali Excellentiâ nobis narrante, nostrum ei patientiùs credidimus consilium, ad profectum Sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, & vestræ à Deo protectæ Regalis potentiæ exaltationem. Inter quæ edidit nobis Capitulare adversùm Synodum, quæ pro sacrarum Imaginum erectione in Nicæa acta est. Unde pro vestra melliflua Regali dilectione per unumquodque Capitulum responsum reddidimus, non quemlibet, absit, hominem defendentes, sed olitanam traditionem Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ tenentes, priscam prædecessorum nostrorum sanctorum Pontificum sequimur doctrinam, rectæ fidei traditionem modis omnibus vindicantes.*

XXVIII. Anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto, sive anno post Synodum Francofordiensem proximo, vitam clausit Hadrianus. Epistolam eodem, quo decessit, anno scripserit, etiam morti proximus; Berta Caroli Regis filia tunc annum ætatis suæ decimum-sextum explebat, nata octavi seculi anno, vel exeunte septuagesimo-nono, vel octogesimo ineunte. Hæc ætas Bertæ non patitur, ut Engilbertum sive Angilbertum illo anno Abbatem censeamus, quem constat Abbatem ex Monacho factum, nec Monasticam vitam priùs amplexum esse, quàm duos ei filios eadem Berta peperisset. Alia ex Alcuini epistolis occurrent argumenta, quæ Hadrianum ex hac vita sublatum ostendent Angilberto nondum Abbate. Suppositiis igitur accensendæ sunt literæ, in quibus Angilberto Titulus Abbatis ab Hadriano tribuitur.

XXIX. In dubium non vocamus, quin Auctor illarum literarum, ubi Angilbertum *Ministrum Capellæ* vocat, intelligat Archicapellanum seu *Primatem Capellanorum* ut Aiulfus interpretatur, quis enim virum tantâ nobilitate atque auctoritate conspicuum, unum ex minoribus Capellanis fuisse credat? Angilbertum autem, quandiu Hadrianus Pontificatum gessit, ut Abbatem, sic & Ministrum Capellæ negamus. Lege quæ sæpiùs jam dicta sunt [a] de Archicapellanis, qui temporibus Pippini, Caroli Magni, & Ludovici Pii floruerunt, & ex eo quòd Angilbertus in Hadriani Papæ

[a] Ad ann. 791. 792.

Papæ literis *Minister Capellæ* nominatur, eas tanquam commentitias explode. AN. CH.

Hincmarus volumen, quod Carolus Romam misit, *per quosdam Episcopos* delatum scribit. Ergo subdititiæ sunt, quæ nomen Hadriani præferunt literæ, &, quod à quibusdam Episcopis actum est, ab Angilberto Abbate factum volunt. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI

Super loco, ubi Synodus celebrata, quam Canon Francofordiensis impugnat, dissentiunt etiam inter se Hincmarus & Auctor istarum literarum; ille enim Constantinopolim notat, hic Nicæam. Cum Hincmaro consentiunt Canon Francofordiensis, Chronographus Moissiacensis, & Annalista Laureshamensis. Nicææ nomen in solis Caroli libris, ut à Joanne Tilio publicati sunt, & in Hadriani responsione quam examinamus, positum reperitur. Plerique Scriptores neutrum locum nominant. Annalistæ Loiselianus & Tilianus sic habent. *Pseudosynodus Græcorum, quam falsò septimam vocabant, & pro adorandis Imaginibus fecerunt *, rejecta est à Pontificibus.* Bertinianus, sic. *Pseudosynodus Græcorum, quam falsò septimam vocitant, quam pro adorandis Imaginibus fecerunt, rejecta est ab ipsis Pontificibus.* Fuldensis, sic. *Pseudosynodus Græcorum, pro adorandis Imaginibus habita, & falsò septima vocata, ab Episcopis damnatur.* Annalista Metensis & Regino, sic. *Pseudosynodus Græcorum, quam pro adorandis Imaginibus fecerunt, ab Episcopis rejecta est.* Ado, sic. *Pseudosynodus, quam Græci septimam appellant, pro adorandis Imaginibus, abdicata penitus.* Incertus Auctor in vita Caroli, sic. *Pseudosynodus Græcorum pro adorandis Imaginibus facta, quam falsò septimam vocabant, rejecta est à Pontificibus.* Et Monachus Egolismensis, sic. *Pseudosynodus Græcorum, quam falsò septimam vocabant, pro Imaginibus, rejecta est à Pontificibus.* LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6. XXX. XXXI.

*Til. *fecerant.*

XXXII. Ex Auctoribus proximè citatis, Annalistæ, Loiselianus, Tilianus, Bertinianus, ac Fuldensis, item Ado in suo Chronico, necnon Monachus Egolismensis & incertus Auctor in vita Caroli, pseudosynodum, quam Canon Francofordiensis damnat, à Græcis septimam falsò vocatam affirmant. His addi quoque potest Annalista Laureshamensis, cujus hæc sunt verba. *Synodus etiam, quæ ante paucos annos in Constantinopoli sub Irene & Constantino filio ejus congregata, & ab ipsis non solùm septima, verùm etiam universalis erat appellata, ut nec septima nec universalis haberetur diceretúrve, quasi supervacua in totum ab omnibus abdicata est.* Plerique Synodum illam, de qua Laureshamensis Annalista loquitur, interpretantur Nycænam secundam, quæ pseudosynodum Constantinopolitanam sub Copronymo convocatam damnavit anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo, cùm regimen Imperii penes Constantinum Copronymi nepotem & Irenen ejus matrem esset. At Synodus, quam Annalista Laureshamensis abdicatam ait, haud Nicææ sed Constantinopoli dicitur habita. Post annum igitur Christi septingentesimum octogesimum-septimum, sive post secundam Synodum Nicænam seu Constantinus cum Irene matre tunc imperabat, seu pulsâ jam matre solus, ut probabilius nobis videtur, Imperium regebat, alia Synodus est Constantinopoli congregata, quæ, quoniam priorem pseudosynodum Constantinopolitanam & secundam Synodum Nicænam condemnabat, Oecumenica quoque septima falsò potuit à suis fautoribus appellari, rejectáque est à Patribus Concilii Francofordiensis, qui doctrinam Orthodoxam de cultu sacrarum Imaginum secuti, neutram pseudosynodorum Constantinopolitanarum censuerunt habendam pro Oecumenica septima, sed hoc titulo decorandam judicarunt Nicænam secundam, cui prænominatæ duæ pseudosynodi Constantinopolitanæ penitus adversantur.

XXXIII. Qui septimam Synodum Oecumenicam seu Nicænam secundam in Concilio Francofordiensi damnatam contendunt, ii volunt Episcopis, qui Sy-

AN. CH. nodum Francofurtanam præsentibus Sedis Apostolicæ Legatis celebra-
794. runt, haud perfectè notum fuisse, quod in secunda Synodo Nicæna de
CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6. sanctatum Imaginum cultu fuerat ante annos septem definitum.

Ad Synodum Francofordiensem, si Surio credimus, *plùs minùs trecenti ex Germania, Gallia, Italia,* convenerunt Episcopi. Non vocamus in dubium, quin frequentes admodum interfuerint. Sed quoniam in toto Caroli Regno tunc erant perpauci supra ducentos, numerum, qui jam à Surio ad Binium transierat, Sirmondus & Labbeus reticuerunt. Copiosus adfuit Episcoporum ex universa Francia numerus, nec Hadrianus Pontifex

XXXIV. suos abesse Legatos voluit. Vix autem quispiam sibi persuadeat tot Episcopos ignorasse, quid actum esset in secunda Synodo Nicæna, maximè cùm certum sit utrique Synodo, Nicænæ videlicet ac Francofordiensi, Legatos Sedis Apostolicæ præsentes adfuisse. Theophylactum & Stephanum Episcopos, quorum mentionem jam fecimus, in Synodo Francofurtana vicem Adriani Papæ tenuisse docent veteres Annalistæ, Loiselianus, Lauresshamensis, Tilianus, Fuldensis, Bertinianus ac Metensis, necnon Ado & Regino in suis Chronicis, & Monachus Egolismensis atque incertus Auctor in vita Caroli. Series Episcoporum, qui secundam Synodum Nicænam celebrarunt, initio primæ actionis inchoatur ab ejusdem Hadriani Papæ Legatis, *Petro Reverendissimo Archipresbytero sanctissima Roma Ecclesia scilicet Apostoli Petri, & Petro Reverendissimo Presbytero Monacho & Abbate venerabilis Monasterii Sancti Sabba Roma siti, retinentibus locum Apostolica Sedis almi & sanctissimi Archiepiscopi senioris Roma Hadriani.* Πέτρου τοῦ εὐλαβεστάτου πρώτου πρεσβυτέρου τῆς κατὰ τὴν Ῥώμην ἁγιωτάτης ἐκκλησίας τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Πέτρου, καὶ Πέτρου τοῦ εὐλαβεστάτου πρεσβυτέρου, μοναχοῦ καὶ ἡγουμένου τῆς κατὰ τὴν Ῥώμην εὐαγοῦς μονῆς τοῦ ἁγίου Σάββα, ἐπεχόντων τὸν τόπον τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας τοῦ ὁσιωτάτου καὶ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης Ἀδριανοῦ.

XXXV. Prætereà Patres Concilii Francofordiensis, ut ex illorum epistolis ad Episcopos Hispaniæ constat, sæpè professi sunt se majorum traditionibus adhærere, nec ab eorum vestigiis discedere. Cui professioni nihil magis contrarium moliri potuerunt, quàm si secundam Synodum Nicænam in causa Sanctarum Imaginum damnare præsumpserint.

XXXVI. Similiter iidem Patres singularem reverentiam erga Romanum Pontificem sæpè profitentur. Paulinus Patriarcha Forojuliensis & alii Præsules ex Italia convocati, sub finem literarum, quas Episcopis Hispaniæ scribunt, sententiæ contra hæreticos prolatæ subjungunt hæc verba. *Reservata per omnia juris privilegio summi Pontificis Domini & Patris nostri Hadriani prima Sedis beatissimi Papa.* Et Carolus Rex in literis ad eosdem Episcopos Hispaniæ testatur consultum à se Romanum Pontificem de causis in Concilio posteà tractatis. *Jussimus*, inquit, *Sanctorum Patrum Synodale ex omnibus undique nostra ditionis Ecclesiis congregari Concilium, quatenus sancta omnium unanimitas firmiter decerneret, quid credendum sit de adoptione carnis Christi, quam nuper novis assertionibus, & Sancta Dei universali Ecclesia antiquis temporibus inauditis, vos ex vestris scriptis intulisse cognovimus. Imò & ad beatissimum Apostolica Sedis Pontificem, de hac nova inventione, nostra devotionis ter quaterque direximus Missos, scire cupientes, quid Sancta Romana Ecclesia, Apostolicis edocta traditionibus, de hac respondere voluisset inquisitione.* Ac paulò pòst, quanti faciat antiquas traditiones & judicium Sedis Apostolicæ, sic edocet. *Apostolica Sedi & Catholicis traditionibus totâ mentis intentione, totâ cordis alacritate* me *conjungo. Quidquid in illorum legitur libris, qui divino Spiritu afflati, toti Orbi à Deo Christo dati sunt Doctores, indubitanter teneo.* Hæc autem quomodo convenire possunt cum anathemate, quod contra Synodum Nicænam secundam in Concilio Francofordiensi

prolatum dicitur? Episcopos Synodi Francofordiensis in tam prava non habeamus existimatione, ut eos aliter sensisse, aliter locutos esse censeamus. AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

Absit igitur, ut tam præclatos Antistites Carolúmque Regem Catholicum secundæ Synodo Nicænæ coram Legatis Summi Pontificis arbitremur adversatos esse, vel ipsi Hadriano Papæ restitisse. Certè Acta Concilii Nicæni secundi iu causâ imaginum à Patribus Synodi Francofurtanæ confirmata esse jam docuerunt, Alanus, Sanderus, Surius, Vasquius, Suarez, aliique à Binio in notis ad eandem Synodum Francofordiensem allegati, necnon Synodus Senonensis anno Christi millesimo quingentesimo duodetricesimo celebrata, quæ in Decretis fidei, capite decimo-quarto, Carolum Francorum Regem Christianissimum laudavit; quòd *Francofordiensi Conventu, ejusdem erroris*, quem Nicæna Synodus secunda condemnarat, id est, Iconomachiæ, *suppressit insaniam.* Synodus Francofurtana Nicænam secundam propugnavit non tantùm adversùs pseudosynodum Constantinopolitanam seu pseudoseptimam Synodum Oecumenicam quæ statuerat imagines esse frangendas, sed etiam adversùs pseudoconcilium ipsâ secundâ Synodo Nicænâ posterius, in quo cultus imaginibus idem qui Deificæ Trinitati perperam decretus. XXXVII.

Huc usque actum de duobus duntaxat Canonibus Francofurtanis, quos Eli. Phili. seu Joannes Tilius in Præfatione ad Christianum Lectorem libris pseudo-Carolinis præfixa primus evulgavit. Unus Felicianam hæresim damnat, alter imaginibus ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem vetat impendi. Binius, cùm plures illius Concilii Canones haud nosset, hunc ei titulum præposuit. *Concilium Francofordiense provinciale, approbatum, quo 300 circiter Episcopi Elipandum & Felicem, eorumque hæresim de filio Dei, quæ Feliciana nominatur, condemnarunt; Actáque Nicæni Concilii II in causa Imaginum confirmarunt anno Domini 794. tempore Hadriani Papæ I. & Caroli Magni, anno Imperii illius 26.* Sirmondus, quia libros Carolinos non subdititios sed veros putavit, & secundum Canonem Francofurtanum Synodo Nicænæ secundæ sive Oecumenicæ septimæ refragari credidit, unius tantùm Canonis mentionem in Concilii Francofordiensis titulo sic fecit. *Concilium Francofordiense, in quo hæresis Feliciana ab Episcopis universi Regni Francorum, Italiæ, Galliæ, ac Germaniæ, præsente Carolo Magno, atque Hadriani Papæ Legatis, Theophylacto & Stephano Episcopis, tertiò damnata est, anno Christi* DCCXCIV. *Hadriani ejusdem Papæ* XXIII. *Caroli Magni* XXVI. Labbeus utrumque titulum consuluit correxitque; numerum Episcoporum, qui dubio procul apud Binium excedit, censuit à Sirmondo rectè suppressum, ut & Imperii nomen quod Caroli nondum Augusti Regno malè tribuitur ab eodem Binio; recessit autem ab opinione, quam Sirmondus habere se testatus est de secundo Canone Francofordiensi; juxtáque has observationes titulum sic edidit. *Concilium Francofordiense, in quo hæresis Feliciana ab Episcopis universi Regni Francorum, Italiæ, Galliæ, ac Germaniæ, præsente Carolo Magno Rege, atque Hadriani Papæ Legatis, Theophylacto & Stephano Episcopis, tertiò damnata est, Actáque Concilii Nicæni II in causa imaginum confirmata, anno Christi* DCCXCIV. *Hadriani Papæ* XXIII. *Caroli Magni* XXVI. Hic titulus non attingit ceteros Canones, qui supersunt numero quatuor & quinquaginta, totíque spectant ad Ecclesiasticam disciplinam, paucis admodum exceptis, in quibus secularia tractantur negotia. De singulis agemus eo quo publicati fuut ordine. XXXVIII.

Tertius Canon Francofordiensis. *His peractis*, id est, conditis duobus Canonibus, quos explicuimus suprà, *de Tassilone definitum est Capitulum, qui dudum Bajoaria Dux fuerat, sobrinus videlicet Domni Caroli Regis. In medio sanctissimi adstitit Concilii veniam rogans pro commissis culpis, tam quas tempore Domni Pipini Regis adversùs eum & Regnum Francorum commiserat, quàm &* XXXIX.

AN CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

quas posteà sub tempore Domni nostri Piissimi Caroli Regis, in quibus fraudator fides sua extiterat, indulgentiam ut ab eo mereretur accipere, humili petitione visus est postulasse, dimittens videlicet puro animo iram atque omne scandalum de parte sua, quæque in eo perpetrata fuissent, & sciebat; necnon omnem justitiam & res proprietatis, quantùm illi aut filiis vel filiabus suis in Ducatu Bajoariorum legitimè pertinere debuerant, gurpivit atque projecit, & in postmodum omni lite calcandâ, sine ulla repetitione indulsit, & filios ac filias suas in illius misericordiæ commendavit. Et idcircò Domnus noster misericordiâ motus præfato Tassiloni gratuito animo, & culpas perpetratas indulsit, & gratiam suam pleniter concessit, & in sua eleemosyna eum in amore dilectionis visus est suscepisse, ut securus de Dei misericordia existeret inanteà. Unde tres breves ex hoc Capitulo uno tenore conscriptos fieri præcepit; unum in Palatio retinendum; alterum præfato Tassiloni, ut secum haberet in Monasterio, dandum; tertium verò in sacri Palatii Capella recondendum fieri jussit.

XL. Thassilo matrem habuit Chiltrudem Pippini Regis sororem, ideóque *sobrinus Caroli Regis* appellatur. Lege quæ de illo illiúsque liberis dicta sunt ad annum Christi septingentesimum duodenonagesimum, quo diversa trusi sunt in Monasteria. Manserunt ad Synodum usque Francofordiensem, Thassilo in Cella primùm Sancti Goaris ad lævam Rheni ripam Diœceseos Trevirensis, deinde trans Rhenum in Cœnobio Laureshamensi Diœceseos Wormaciensis; Teudo filius natu major in Monasterio Sancti Maximini prope Trevirim; Theotbertus alter filius in eadem regione, nec à patre fratréque procul dissitus. Post Synodum autem Francofordiensem in Cœnobium Gemmeticense Diœceseos Rotomagensis relegati sunt: quot annos ibi vixerint, manet incompertum. Tres Enervati, ut vocant, in isto Monasterio sepulti jacent, quorum tumuli hactenus in Oratorio Sancti Petri visuntur. Loci traditio est illic quiescere Clodovei secundi Regis & Balthildis Reginæ filios tres, *qui ob defectionem à patre factam nervis debilitati, & in profluentem Sequanam impositi, Gemeticum appulsi sint, eóque loci vitam finierint.* Quoniam autem id eruditis viris persuaderi non potest, Dacherius & Mabillonus in Thassilonis elogio[a] suspicantur ipsum Thassilonem Regi suo rebellem ejúsque filios Regiæ stirpi adfines materiam fabulæ præbuisse, nec id nobis à vero videtur alienum.

[a] Tom. 2. Sec. 3. Bened. a. circ. 798. d. 23. Dec.

XLI. Hundius in Historia Monasterii Pollingensis multa de Thassilone scribit, quæ recitasse sufficiet, ut fabulis accenseantur. *Devictus*, inquit, *precibus jam dicti Caroli Imperatoris avunculi sui ad debellandum Longobardum proficiscens, cunctísque inibi prosperè succedentibus, genti jam supernominatæ ab Imperatore in Regem præficitur. Qui etiam, heu! postmodum consilio incolarum illius terræ depravatus, avunculo suo Imperatori se opposuit, à quo non post multùm temporis elapsum in prælio publicè cum suis devincitur, vinculis mancipatur, & per duarum pelvium ignitarum inspectionem excæcatur. Qui pœnitentiâ ductus ad petitionem Principum absolvitur, & liberè, quocumque divertere vellet, ire permittitur. Jam verò ob spem futurorum prospera cuncta mundi despiciens Laurissam devenit, ibíque sub specie pauperis habitúque religioso & ab omnibus ignotus usque ad extremum vitæ suæ terminum permansit. Post multorum verò annorum curricula jam sæpè supradictus Carolus Imperator avunculus ejusdem Tessilonis ad Ecclesiam Laurisensem pervenit, ibíque unâ noctium more solito orationi vacans videt Tessilonem lumine carentem per manus Angeli de ara ad aram cum summa reverentia deduci. Imperator summo diluculo surgens patrem Ecclesiæ advocat, diligentérque sciscitatur, quisnam sit cui tanta beneficia ab Angelo impensa fuissent, qui se ignorare respondit. Sequenti nocte Abbas unà cum Rege beneficia jam prælibato Tessiloni ab Angelo impensa videre promeruit. Cùm verò Dominus creator, reformator, & remunerator omnium, hunc famulum suum post longam carnis macerationem, voluntariam paupertatem, necnon laudabilem vitam, de hoc sæculo eripere decrevisset, febre corripitur, & à viris religiosis Corpore &*

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

Sanguine Domini nostri Jesu Christi procuratur, sanctóque oleo innunctus, contestatus vita sua originem illis innotescere, qui graviter suspirans singula per ordinem eisdem enarravit. Hic verò suetis ordinationibus insistendo feliciter migravit ad Dominum, ad cujus tumbam Dominus per merita famuli sui, cunctis ejus auxilium implorantibus, quamplurima beneficia usque in præsens impertiri non dedignatur. Horum beneficiorum testimonia perhibent in Laurissa adhuc prævivientes.

Adversùs has Hundii fabulas, Brunnerus [a], Adlzreitterus [b], Dacherius [c] & Mabillonus jam declamarunt. Tassilo Carolum non habuit avunculum; Rex Longobardiæ numquam præpositus fuit; trusus est in Monasterium, at nequaquam excæcatus; in Cœnobio Gemmeticensi, non autem in Laureshamensi, decessit. XLII. Ejectus è Præfectura Bojoariæ, tonsúsque cum filiis, reliquam vitam inter officia pietatis exegit, quam prodigiis divinis comprobatam recentiores quidam Scriptores affirmant, at de prodigiis fabularum, quas interlinunt, queritur Brunnerus, & sine Auctoribus paulò vetustioribus, parùm aut nihil esse fidei in re valdè annosa rectè monet Adlzreitterus. Dubii aliquamdiu hæserunt Dacherius & Mabillonus, utrùm inter Sanctos, an inter viros illustres Ordinis Benedictini locum darent Tassiloni, noverant enim eum Idibus Decembris inter Cælites numerari cùm in Fastis Benedictinis, tum in Supplemento Martyrologii Gallicani, sed ampliùs hac de re putabant inquirendum, quòd istius opinionis non satis firmum appareret fundamentum, ideóque, donec certiora suppetant argumenta, tutius duxerunt ei non Sancti sed Pii nomen in elogii titulo sic attribuere. *Tassilonis Ducis Bojoariæ, dein Monachi Piissimi, Elogium Historicum.* Plura de Tassilone non recurrent. In Gemmeticensi Cœnobio susceptus est ab Adamo Abbate, qui Landrico à nobis ante septennium laudato successit.

[a] Lib. 5. in fin.
[b] Lib. 7. in fin.
[c] Tom. 2. Sec. 3. Benedict. in elog. Tassilon.

Quartus Canon Concilii Francofordiensis est de stabili pretio annonæ, cùm privatæ tum publicæ, quolibet tempore sive famis sive abundantiæ. XLIII. *Statuit Piissimus noster, consentiente Sanctâ Synodo, ut nullus homo, sive Ecclesiasticus, sive laicus sit, unquam cariùs vendat annonam, sive tempore abundantiæ, sive tempore caritatis, quàm modium publicum & noviter statutum. De modio de avena denarius unus; modio ordei, denarii duo; modio sigali, denarii tres; modio frumenti, denarii quatuor. Si verò in pane vendere voluerit, duodecim panes de frumento, habentes singulos libras duas, pro denario daro debeat, sigalatios quindecim æquo pondere pro denario; ordeaceos viginti similiter pensantes, avenaceos viginti-quinque similiter pensantes. De annona verò publica Domni Regis, si venundata fuerit, de avena modii duo pro denario, ordeo denario uno, sigalo denariis duobus, frumento modius denariis tribus. Et qui nostrum habet beneficium, diligentissimè prævideat, quantùm potest, Deo donante, ut nullus ex mancipiis ad illud pertinentibus beneficium fame moriatur: & quod superest ultra illius familiæ necessitatem, hoc liberè vendat jure præscripto.*

Quintus Canon est de novis denariis, ut ab omnibus ubique recipiantur. XLIV. *De denariis autem certissimè sciatis, nostrum Edictum, quod in omni loco, in omni civitate, & in omni emporio similiter vadant isti novi denarii, & accipiantur ab omnibus. Si autem nominis nostri nomisma habent, & mero sunt argento, pleniter pensantes, si quis contradicit eos in ullo loco, in aliquo loco emptionis vel venditionis, si ingenuus est homo, quindecim solidos componat ad opus Regis; si servilis conditionis, si suum est illud negotium proprium, perdat illud negotium, aut flagelletur nudus ad palum coram populo. Si autem ex jussione domini sui fecerit, tunc ille dominus solidos quindecim componat, si ei approbatum fuerit.*

Sextus Canon statuit, ut Episcopus justitias in sua Diœcesi faciat, XLV. exponítque quomodo in casu contumaciæ vel inobedientiæ causa sit ad Metropolitanum aut ad Regem referenda. *Statutum est à Domno Rege &*

AN. CH. *Sancta Synodo, ut Episcopi justitias faciant in suis Parochiis. Si non obedierit*
794. *aliqua personna Episcopo suo, de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconi-*
CAROLI *bus, Monachis, & ceteris Clericis, vel etiam aliis, in ejus parochia, veniant ad Me-*
R. 26. *tropolitanum suum, & ille dyudicet causam cum suffraganeis suis. Comites quo-*
PIPPINI *que nostri veniant ad judicium Episcoporum. Et, si aliquid est, quod Episcopus*
LUDOV. *Metropolitanus non possit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accusato-*
RR. 14. *res cum accusato cum literis Metropolitani, ut sciamus veritatem rei.*
CAROLI Septimus Canon migrationes Episcoporum à suis Diœcesibus, ut &
R. 6. Presbyterorum ac Diaconorum à suis Ecclesiis in alias sic interdicit. *Defi-*
XLVI. *nitum est etiam à Domno Rege & Sancta Synodo, ut Episcopus non migret de civitate in civitatem, sed curam habeat Ecclesiæ suæ. Similiter Presbyter, & Diaconus maneat in sua Ecclesia canonicè.*

XLVII. Octavus Canon est de quinque Sedibus Metropolitanis, Viennensi, Arelatensi, Darantasiensi, Ebredunensi & Aquensi, duásque dividitur in partes, quæ, teste Sirmondo, distinctos Canones in manuscriptis Codicibus faciunt, itaut universæ Synodi Canones sint septem supra quinquaginta.

XLVIII. Prior pars Canonis spectat ad contentionem obortam de provinciarum limitibus inter Metropolitanos Viennensem & Arelatensem. *De altercatione Ursionis Viennensis Episcopi & Elifanti Arelatensis Episcopi, lectæ sunt epistolæ beati Gregorii, Zosimi, Leonis, & Symmachi, quæ definierunt eò quòd Viennensis Ecclesia quatuor suffraganeas habere Sedes deberet, quibus illa quinta præmineret, & Arelatensis Ecclesia novem suffraganeas habere deberet, quibus ipsa præmineret.* Hæc prior pars Canonis non caret difficultate. Leo Papa Primus quatuor has Sedes Viennensi Metropoli suffraganeas attribuit, Valentinam, Darantasiensem, Genavensem, & Gratianopolitanam, ut ex ejus literis, mox allegandis liquet. Et Codex Lugdunensis, quem Sirmondus [a] consuluit, novem has Sedes Arelatensi Metropoli suffraganeas enumerat, Massiliensem, Albensem, Deensem, Tricastinensem, Vasionensem, Arausicanam, Cabellionensem, Avenionensem, & Carpentoractensem. Hæc suffraganearum Sedium distributio non perduravit ad Synodum usque Francofordiensem. Darantasia Metropolis ætate Leonis Magni, cùm solam Sedem Octodorensem suffraganeam haberet, alteri Metropoli subjici debuit, quia Metropolitanus Darantasiensis in sua provincia non habebat sufficientem numerum Episcoporum à quibus ipse ordinaretur, & quibuscum Synodos celebraret. A temporibus autem Guntchramni Regis, cujus obitus in annum Christi quingentesimum nonagesimum-tertium incidit, provincia Darantasiensis duobus aucta est Episcopatibus, Augustensi videlicet & Maurianensi, quia Guntchramnus Augustam à Longobardis accepit, & Maurianam civitatem construxit. Eadem provincia deinceps, quamdiu sub potestate Francorum fuit, quatuor complexa est Diœceses. Plures tunc non erant nec adhuc sunt in provincia Belgica prima, quæ, præter Trevirim Metropolim, tres tantùm habet civitates, Metas, Tullum, & Virodunum. Duo Metropolitarum genera distingui debent; alii vocantur αὐτοκέφαλοι, qui nulla in re dependent ab alio Metropolita, numerúmque suffraganeorum Episcoporum pro suis ordinationibus celebrandísque Conciliis sufficientem habent; alii imminutæ dicuntur auctoritatis, quia superiorem alium in prædictis rebus aut in quapiam illarum agnoscunt Metropolitam. Darantasiensis Archiepiscopus, postquàm tres suffraganeas Diœceses habuit, αὐτοκέφαλον Metropolitam se dixit reclamante Viennensi, cúmque lis illa magis ac magis cresceret, ea de re *Legatio facta est ad Sedem Apostolicam*, ut posterior pars Canonis Francofordiensis testatur. Ejusdem igitur Canonis prior pars docet quidem in Synodo lectas Romanorum Pontificum epistolas, *quæ definierunt eò quòd*

[a] In not. ad Conc. Francoford.

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

Viennensis Ecclesia quatuor suffraganeas habere Sedes deberet, quibus illa quinta præmineret, sed non decrevit ut idem deinceps Viennensis provinciæ status persisteret. Civitas Arelatensis, ubi se insignibus Privilegiis ab Imperatoribus ornatam vidit, cum Viennensi, cui prius subjiciebatur, de dignitate Metropolitana contendit. Ad sopiendam omnem controversiam factæ sunt duæ provinciæ Viennenses, civitate Arelatensi in Metropolim erectâ. Utriusque provinciæ limites Ecclesiasticos Leo Magnus in suis literis tertio Nonas Maii, Valentiniano Augusto septimùm & Avieno Viro Clarissimo Consulibus, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo, sic definiit. *Vicinis sibi quatuor oppidis* Viennensis Episcopus *præsidebit, id est, Valentiæ, & Tarantasiæ, & Genavæ, & Gratianopoli, ut cum his ipsa Vienna sit quinta, ad cujus Episcopum omnium prædictarum Ecclesiarum sollicitudo pertineat, reliquæ verò civitates ejusdem provinciæ sub Arelatensis Antistitis auctoritate & ordinatione consistant.* Lectis Leonis aliorúmque Summorum Pontificum epistolis Synodus Francofordiensis id tantùm videtur definiisse, quòd Valentia, Genava, & Gratianopolis, ut anteà, sub Viennensi Metropoli permanerent, & de Tarantasia, quæ Viennæ Metropoli nolebat ampliùs subjici, Legatio fieret ad Apostolicam Sedem, & quicquid Romanus Pontifex statuisset, hoc observaretur. Quod ad Arelatensem provinciam attinet, eædem Romanorum Pontificum epistolæ, quæ lectæ sunt in Synodo Francofordiensi, *definierunt eò quòd Arelatensis Ecclesia novem suffraganeas habere deberet, quibus ipsa præmineret.* Addita pòst decima, nempe Tolonensis, de qua non semel locuti sumus. Hac autem additione non dilatati sunt Arelatensis provinciæ limites, sed auctus Episcopatuum numerus, ut in aliis provinciis sæpè contigit.

XLIX. Posterior pars Canonis octavi Francofordiensis hæc est. *De Tarantasia verò, & Ebreduno, sive Aquis, Legatio facta est ad Sedem Apostolicam, & quidquid per Pontificem Romanæ Ecclesiæ definitum fuerit, hoc teneatur.* Id Sirmondus actum opinatur ab harum civitatum Episcopis, ut inter Metropolitanos in Ecclesia censerentur. *Etsi enim*, inquit, *tres istæ civitates jam olim capita & Metropoles erant suarum provinciarum, videntur tamen illarum Episcopi superioribus seculis sub aliarum provinciarum Metropolitanis fuisse; Tarantasiensis nimirum sub Viennensi, Ebredunensis & Aquensis sub Arelatensi.* Cùm Synodus habita est Francofurti, quatuor erant civitates in Alpibus Graiis ac Penninis, id est, in provincia Darantasiensi, quæ sic enumerantur in Notitia Galliarum. *Metropolis Civitas Centronum, id est, Darantasia. Civitas Valensium, id est, Octodorus. Civitas Augusta Prætoria. Civitas Morienna à Gundranno Rege Burgundionum constructa.* In Alpibus Maritimis sive in provincia Ebredunensi sex erant hæ civitates Episcopales. *Metropolis Civitas Ebredunensium. Civitas Diniensium, id est, Dina. Civitas Saniciensium, id est, Sanesio. Civitas Glanatena. Civitas Cemelenensium*, seu Civitas Nicea. *Civitas Vinsiciensium, id est, Ventio.* In Aquensi provincia sive in Narbonensi secunda civitates erant Episcopales hæ septem. *Metropolis Civitas Aquensis. Civitas Aptensis. Civitas Reiensis. Civitas Forojulensis. Civitas Vappensis. Civitas Segesteriorum. Civitas Antipolitana.* Darantasienses igitur, necnon Ebredunenses, atque Aquenses Archiepiscopi sufficientem suffraganeorum Episcoporum numerum habebant, à quibus ipsi ordinarentur & quibuscum Synodos celebrarent, ideóque recurrendum ad aliam rationem, quâ permoti Metropolitæ Viennensis & Arelatensis in Metropolitas, Darantasiensem, Ebredunensem, & Aquensem, sufficiente suffraganeorum Episcoporum numero pro suis ordinationibus celebrandísque Conciliis nequaquam destitutos, jus & auctoritatem sibi tum vindicarent.

L. Cùm Rufus Breviarium suum Valenti Augusto dicavit, Galliæ dividebantur in quatuordecim tantùm provincias, quæ sic apud eundem Auctorem enumerantur. *Alpes Maritimæ, provincia Narbonensis, Viennensis, No-*

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

vempopulana, Aquitania duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgica duæ, Lugdunenses duæ. In hac divisione Gallia Braccata seu Narbonensis quatuor provincias complectitur, Narbonensem scilicet ac Viennensem, cum duabus Alpinis, id est, cum Alpibus Maritimis & Alpibus Graïis. Quatuor hisce provinciis addita quinta, nempe Narbonensis secunda, quæ Metropolim habet Aquas Sextias, & ad fines usque Maritimarum Alpium protenditur; hæc autem, licèt Narbonensis secundæ nomen obtinuerit, distracta est à Viennensi, quæ Massiliam & Arelatum complexa per Rhodanum à Narbonensi disterminabatur. Abhinc Gallia Braccata per quinque provincias designari cœpit. Tomo primo [a] varios protulimus Auctores, qui Gallias in Gallias & quinque provincias sic distinguunt, ut per Gallias veterem Galliam Comatam, per quinque provincias veterem Galliam Braccatam intelligant. *Catholicorum Sacerdotum*, inquit Maximus Imperator in literis ad Siricium Papam, *Conventum ex opportunitate omnium, vel qui intra Gallias, vel qui intra quinque provincias commorantur, in qua elegerint urbe, constituam.* Divisa quoque pòst provincia Viennensis in duas Viennenses, quarum Metropoles Vienna & Arelas. Sic Gallia Braccata seu Narbonensis in sex tandem provincias distributa fuit, in duas nempe Narbonenses, totidémque Viennenses, atque Alpinas, quarum Metropoles, Narbo, Aquæ Sextiæ, Vienna, Arelas, Ebredunum, Darantasia. Talis erat Galliæ Braccatæ status *Honorio* IX *& Theodosio* V *Augg. Coss.* id est, anno Christi quadringentesimo duodecimo, cùm *Gothi Rege Athaulfo Gallias ingressi* sunt, ut prosper in Fastis Consularibus testatur. Ab illo anno, quo *Gothi* seu Wisigothi sedes suas in provincia Narbonensi prima fixerunt, ad bellum usque quod in eadem provincia Pippinus Rex adversùs Arabes initio Regni sui gessit, effluxerunt anni quadraginta supra trecentos. Spatio temporis adeò longo provincia Narbonensis prima, quam Romani Wisigothis cesserant, aut Wisigothorum aut Arabum dominationi subjacuit. Interim reliqua Gallia Braccata, quæ duas provincias Viennenses Alpinásque totidem cum Narbonensi secunda complectebatur, sub Imperio Romanorum fuit, atque inde in potestatem Burgundionum venit, deinde paruit partim iisdem Burgundionibus partim Ostrogothis, utrisque verò successerunt Franci, quos Rhodanus à Wisigothis primùm, ab Arabibus posteà sejunxit. Cùm autem provincia Narbonensis prima sub Wisigothis esset, & à reliqua Gallia Braccata, quæ alii Dynastæ parebat, per Rhodanum separaretur, ex illa divisione crevit auctoritas Metropoleos Viennensis, quæ Narbonensem exteræ ditionis factam sprevit, séque matricem dixit Galliæ Braccatæ, Rhodano, mari mediterraneo, & Alpibus tum circumscriptæ. Sed Arelatensis Ecclesia, quæ cum eadem Viennensi, cui quondam subjiciebatur, de Metropolitana dignitate jam contenderat, & Wisigothis in provinciam Narbonensem primam nondum ingressis erecta fuerat in Metropolim, pati quoque non potuit, ut Viennensis Metropolita sibi per Galliæ Braccatæ provincias inter Alpes ac Rhodanum sitas jus arrogaret, quod olim Narbonensi tanquam primariæ Sedis Metropolitæ per universam Galliam Braccatam seu Narbonensem competebat. Hinc ortum inter Viennensem & Arelatensem Metropolitas alterum jurgium, cùm neuter alteri cederet, uterque verò se Primatem diceret Alpinarum provinciarum ac Narbonensis secundæ, quarum Metropoles, Darantasia, Ebredunum, & Aquæ Sextiæ. Durante hac posteriori disceptatione, Metropolitæ, Darantasiensis, Ebredunensis, & Aquensis, cùm sibi viderent sufficientem esse suffraganeorum Episcoporum numerum pro suis ordinationibus Synodísque celebrandis, ac jus Metropolitarum in alios Metropolitas per omnem Galliam jam penè totum evanuisse nossent, Metropolitas primi se generis, id est, αὐτοκεφάλους, dixerunt, indignantibus Arelatensi ac Viennensi. Quapropter *de Tarantasia & Ebreduno,*

[a] Ad an. 508. nn. 52. 53.

Ebreduno, sive Aquis, Legatio facta est ad Sedem Apostolicam, & posteriore Canonis octavi parte, quam explicamus, Syoodus Francofurtana statuit, ut *quidquid per Pontificem Romanæ Ecclesiæ definitum fuerit, hoc teneatur.*

Sratuit Romanus Pontifex, ut Alpinæ provinciæ suos habereot Archiepiscopos αὐτοκεφάλους, nec ulli subditos Primati, Aquensis verò Metropolitanus auctoritatis esset imminutæ, qui singulariter ab Arelatcosi Metropolita tanquam à Primate dependeret, & obligatns esset ad se sistendum Conciliis ab eodem Arelatcosi Metropolita congregandis. Ut ita sentiamus, author est Carolns Magnus in Testamento [a], quod anoo Redemptoris octingeotesimo undecimo condidit, Darantasiam enim & Ebredunum civitatibus Metropoliticis accensuit, nec ullam Aquarnm Sextiarum mentionem fecit. Cur autem Carolus de Aquensi Archiepiscopo non adeò magnificè locutus sit ac de Darantasiensi & Ebredunensi, solam hanc rationem affert Petrus *de Marca* in Historia Bcoearnensi [b] quòd post Synodum Fraocofordiensem Papa *de Tarantasia & Ebreduno sive Aquis* consultus, exemplo Symmachi, cujus Decretum confirmavit, Aquensem Ecclesiam Arelatensi subesse dixit. Hæc responsio non benè satisfacit. Scribebat suas literas Symmachos tertio Idus Junii, Marco Aurelio Cassiodoro Scoatore Consule, sive aono Christi quingentesimo decimo-quarto. Per illud tempus Darantasia, cùm solam Sedem Octodorensem suffraganeam haberet, Metropolis adhuc erat auctoritatis imminutæ, Vieonæque Metropoli subjiciebatur. Idem enim Symmachus io aliis literis, Idibus Novembris, Probo Viro Clarissimo Consule, sive anno Christi quingentesimo decimo-tertio, datis sic ait. *Cuncta inter Ecclesias Arelatensem & Viennensem à decessore nostro beatæ recordationis Leone Papa, quæ super hac parte ordinata sunt, Ecclesiæ Romana fidelis declarat instructio. Atque ideo ne ea, quæ semper veritatis est æmula, sibi aliquid vendicare queat oblivio, & prioris Decreti vigor temporis diuturnitate vergatur in senium, necessarium duximus olim promulgata in lucem reddere nostris affatibus. Ideircò quemadmodum decessor noster Leo Papa dudum cognitis allegationibus partium definivit Parochiarum numerum vel quantitatem Arelatensi & Viennensi Sacerdotibus deputandam; & nos præcipimus nullius usurpationibus transcendi. Sed (ut ante prædiximus) juxta indulgentiam supradicti Pontificis, Valentiam, Tharantasiam, Genevam, Gratianopolim, oppida Viennensis Antistes juri suo vendicet, nec quicquam amplius ab his, quæ semel ab Apostolica sibi Sede concessa sunt, æstimet præsumendum. Alias verò Parochias vel Diœceses cunctas privilegio & honore suo Arelatensis Episcopus sub temporum continuatione defendat.* Ergo Symmacho Pontifice par ratio fuit utriusque Metropoleos, Darantasiæ videlicet & Aquarum Sextiarum, ot enim tunc Aqnæ Sextiæ subdebantur Arelatensi Metropoli, sic & Viennensi subjacebat Darantasia. Hæc autem cùm ita sé habuerint, inqnireodum nobjs est accuratiùs, cur Aquæ Sextiæ sub Arelatensi Metropoli post Synodum Francofordiensem ex Romani Pontificis sententia permanserint, Darantasia verò Viennensi Metropoll subesse penitus desierit. Ex perantiqua Galliarum divisione, quam superiùs attigimus, Alpes Maritimæ & Alpes Graïæ duas in Gallia Braccata provincias constitueruot. Seriùs provincia Viennensis in duas distincta est in Viennensem & Aquensem. Hæc Metropolim habuit Aquas Sextias, &, quamvis avelletetur à provincia Viennensi, nomen accepit Narbonensis secundæ, quia Narbo primaria Galliæ Braccatæ civitas tunc erat. Romanus Pontifex, qui post Syoodum Francofurtanam *de Tarantasia, & Ebreduno, sive Aquis*, consultus fuit, habitâ ratione cùm provinciarum io quas Galliam Barccatam diversis olim temporibus divisam fuisse non ignorabat, tum statûs in quo sciebat illam versari, Metropolitis primi generis sive αὐτοκεφάλοις accensuit Daraotasiensem & Ebredunensem, secus verò censuit de Aquensi, quoniam à pervetusta Galliarum divisione Darantasia & Ebredunum civitates existebant Metropoliticæ, nec instar Aquarum Sex-

[a] Eginhard. in vit. Car. M.

[b] Lib. 1. c. 29.

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

tiarum à provincia Viennensi fuerant avulsæ. Cur autem Aquas Sextias Arelati potiùs quàm Viennæ subjecerit, mirum certè videri potest; ut enim Aquarum Sextiarum sic & Arelatis, at seriùs Arelatis quàm Aquarum Sextiarum à Vienna facta est avulsio. Papa Metropolim electurus quæ præsideret Aquis Sextiis, Arelatem Viennæ prætulit. Arelatensis prærogativæ rationes afferri multæ possunt; Vicariatus Sedis Apostolicæ per plures sæpè provincias Arelatensi Metropolitæ, Viennensi numquam commissus; & Aquarum Sextiarum situs Arelati vicinior quàm Viennæ; ne quod ex Sirmondo jam notavimus, iterum repetamus Darantasiensem quidem Ecclesiam sub Viennensi Metropoli, Ebredunensem autem & Aquensem sub Arelatensi quondam fuisse. In Antiquitatibus Viennæ, quædam Leonis Tertii & Nicolai Primi publicatæ sunt epistolæ, quæ, temporibus horumce Romanorum Pontificum, Darantasiam adhuc Viennæ Metropoli subjacuisse significant, sed commentitiæ sunt, ut suis ostendemus locis, idque obiter hîc monitum te volumus, ut è nostris Annalibus deleas earum fragmenta, quæ Tomo primo citavimus ad annum Christi quingentesimum octavum [a], nec existimes validum ex hujuscemodi fictitiis operibus argumentum erui, quo nostra de octavo Canone Francofordiensi sententia explicatióque superiùs allata destruantur.

[a] Num. 55.

LII. Nonus Canon Concilii Francofordiensis est de purgatione & reconciliatione Petri Episcopi, qui conjurationis adversùs Carolum Regem ejúsque Regnum à Pippino filio nuper initæ particeps dicebatur. *Definitum est etiam ab eodem Domno nostro Rege, sive à Sancta Synodo, ut Petrus Episcopus contestans coram Deo & Angelis ejus juraret cum duobus aut tribus, sicut sacrationem suscepit, aut certè cum suo Archiepiscopo, quòd ille in mortem Regis sive in Regnum ejus non conciliasset, nec ei infidelis fuisset. Qui Episcopus, dum, cum quibus juraret, non invenisset, elegit sibi ipse, ut suus homo ad Dei judicium iret, & ille testaretur absque Reliquiis & absque Sanctis Evangeliis, solummodo coram Deo, quod ille innocens exinde esset, & secundùm ejus innocentiam Deus adjuvaret illum suum hominem, qui ad illud judicium exiturus erat. Et exivit tamen ejus homo ad judicium Dei, neque per Regis ordinationem, neque per Sancta Synodi censuram, sed spontaneâ voluntate. Qui etiam à Domino liberatus, idoneus exivit. Clementia tamen Regis nostri præfato Episcopo gratiam suam contulit, & pristinis honoribus eum ditavit, nec passus est eum esse sine honore, quem prospexit de composito crimine nihil malè meruisse.* Petrus, cujus agebatur causa, Virodunensis Episcopus erat in Belgica prima, sub Metropolitano Trevirensi. In sua purgatione usus est modo, quem nec Carolus, nec Synodus præcepit; hominem misit, qui duello contenderet, & hic felici dimicatione declaratus est *idoneus* sive innocens. *Idoneus* enim innocentem hoc loco significat, ut apud Gregorium Turonensem libro nono, capite decimo-sexto. *Vult se Dominus noster, frater tuus Richaredus, de hoc crimine exuere, quod ei imponitur, quasi in mortem sororis vestræ fuisset conscius. De quo, sacramento, si vultis, aut qualibet alia conditione idoneus*, id est, insons, *reddi potest.* De duello, quod olim ad explorandam veritatem in causis dubiis præviâ judicum auctoritate fieri solebat, actum sæpiùs; hîc tantùm observa duellum in Petri Episcopi causa nec ex Regis ordinatione nec ex Synodi censura commissum esse.

LIII. Decimus Canon est de Gerbodi Episcopi depositione. *Definitum quidem à Domno Rege & à Sancta Synodo esse dignoscitur, ut Gerbodus, qui se Episcopum esse dicebat, & sua ordinationis testes non habuit, qui tamen Episcopalia à Magenardo Metropolitano Episcopo consecutus est, qui etiam professus est Diaconum & Presbyterum non secundùm Canonicam ordinationem ordinatum esse, ut ab eodem gradu Episcopatûs, quem se habere dicebat, deponeretur à prædicto Metropolitano sive à comprovincialibus Episcopis.* Magenardus seu Maginardus, Archiepiscopus erat Rotomagensis ab anno Christi septingentesimo septua-

AN.CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

gesimo-secundo. *Gerbodus verò à* Sirmondo *videtur, quem inter Ebroicenses Episcopos numerant veteres Catalogi, & Girvoldum appellant, ex Abbate Fontanellensi.* Sed Canone Francofordiensi & Fontanellensi Chronico simul collatis, Gerbodum, quem Synodus Francofordiensis ab Episcopatûs gradu deponendum pronuntiat, jam distinximus [a] à Gervoldo Ebroicensi Episcopo, qui Sirmondo Girvoldus est, & à Chronographo [b] Fontanellensi multùm laudatur. Fuit hic Gervoldus Bertradæ Reginæ Capellanus, eâ superstite filióque Carolo jam regnante factus est Episcopus Ebroicensis, & Episcopatu sponte dimisso constitutus est Abbas Fontanellensis ineunte anno Christi septingentesimo duodenonagesimo. Nec aliâ opus est argumentatione, ut habeatur longè diversus à Gerbodo, de cujus depositione post annos sex actum in Synodo Francofurtana. Gerbodum autem Gervoldo in Episcopatum Ebroicensem successisse nil vetat.

[a] Ad an. 788. n. 2.
[b] Cap. 15.

Undecimus Canon statuit, ut Monachi à secularibus negotiis & placitis abstineant. *Ut Monachi ad secularia negotia, neque ad placita exercenda non exeant, nisi ita faciant sicut ipsa Regula præcepit.* LIV.

Duodecimus vetat, ne Reclusi, nisi ex Episcopi & Abbatis approbatione, fiant. *Ut Reclusi non fiant, nisi quos antè Episcopus provinciæ atque Abbas comprobaverint, & secundum eorum dispositionem in Reclusionis loco ingrediantur.* LV.

Decimus-tertius præcipit, *ut Abbas cum suis dormiat Monachis secundùm Regulam Sancti Benedicti.* Capite vicesimo-secundo suæ Regulæ Sanctus Benedictus hæc habet. *Singuli per singula lecta dormiant. Lectisternia pro modo conversationis secundùm dispensationem Abbatis sui accipiant. Si potest fieri, omnes in uno loco dormiant; sin autem multitudo non sinit, deni aut viceni cum senioribus, qui super eos solliciti sint, pausent.* LVI.

Decimus-quartus est de Cellariis. *Ut Cellarii in Monasteriis avari non eligantur, sed tales electi sint, quales Regula Sancti Benedicti docet* capite videlicet tricesimo-primo, quod ad annum Christi quingentesimum quadragesimum-quartum [c] Tomo primo descripsimus. LVII.

[c] Num. 46.

Decimus-quintus Canon est *de Monasterio ubi corpora Sanctorum sunt,* statuítque ut tale Monasterium *habeat Oratorium intra claustrum, ubi peculiare officium & diuturnum fiat.* LVIII.

Decimus-sextus prohibet ne pro introeuntibus in Monasterium exigantur præmia, vel pecunia requiratur. *Audivimus enim quòd quidam Abbates cupiditate ducti præmia pro introeuntibus in Monasterium requirant. Ideo placuit nobis, & Sanctæ Synodo, ut pro suscipiendis in sancto Ordine fratribus nequaquam pecunia requiratur, sed secundùm Regulam Sancti Benedicti suscipiantur.* Lege Capita Regulæ Benedictinæ quinquagesimum-octavum & quinquagesimum-nonum, de quibus nos Tomo primo [d]. LIX.

[d] Ad an. 544. nn. 73. 74.

Decimus-septimus Canon decernit, *ut Abbas in Congregatione non eligatur, ubi jussio Regis fuerit, nisi per consensum Episcopi loci illius.* LX.

Decimus-octavus vetat, ne Monachus ob culpam ac deviationem à Regulari disciplina cæcetur aut mutiletur. *Abbates, qualibet culpâ à Monachis commissâ, nequaquam permittimus cæcare, aut membrorum debilitatem ingerere, nisi Regulari disciplina subjaceant.* LXI.

Decimus-nonus statuit, *ut Presbyteri, Diaconi, Monachi, & Clerici, tabernas ad bibendum non ingrediantur.* LXII.

Vicesimus, *ut Episcopum Canones & Regulam non liceat ignorare.* LXIII.

Vicesimus-primus, *ut dies Dominica à vespera usque in vesperam servetur.* LXIV.

Vicesimus-secundus, *quòd non oporteat in villis, nec in vicis, Episcopos ordinari.* LXV.

Vicesimus-tertius decernit *de servis alienis; ut à nemine recipiantur, neque ab Episcopis sacrentur, sine licentia dominorum.* LXVI.

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. R R. 14. CAROLI R. 6.

Vicesimus-quartus *de Clericis & Monachis, ut in suo proposito permaneant.*

LXVII. LXVIII. Vicesimus-quintus præcipit, ut decimas & nonas Ecclesiæ solvant qui debent, & omnes decimam de sua proprietate. *Ut decimas & nonas sive censum, omnes generaliter donent qui debitores sunt ex beneficiis & rebus Ecclesiarum, secundum priora Capitula Domni Regis*, id est, secundùm Capitulare Haristalliense [a], de quo nos superiùs ad annum Caroli Regis undecimum, Christi septingentesimum septuagesimum-nonum [b]. *Et omnis homo ex sua proprietate legitimam decimam ad Ecclesiam conferat.* Ejusdem quoque Capitularis meminit Carolus in Edicto [c] Regio, quod hoc loco nolumus omittere, tum quia solutionem decimarum & nonarum præcipit, tum quia potestatem & honorem Episcoporum valdè commendat. *Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Langobardorum ac Patricius Romanorum, dilectis Comitibus, seu Judicibus, & Vassis nostris, Vicariis, Centenariis, vel omnibus Missis nostris, & Agentibus. Cognoscat utilitas vestra, quia resonuit in auribus nostris quorumdam præsumptio non modica, quòd non ita obtemperetis Pontificibus nostris, seu Sacerdotibus, quemadmodum Canonum & Legum continet auctoritas. Ita ut Presbyteros nescio quâ temeritate præsentari Episcopo denegetis. Insuper & aliorum Clericos usurpare non pertimescatis, & absque consensu Episcopi in vestras Ecclesias mittere audeatis. Necnon & vestris ministeriis Pontifices nostros talem potestatem habere non permittatis, qualem rectitudo Ecclesiastica docet. Insuper nonas & decimas, vel census, improbâ cupiditate de Ecclesiis, unde ipsa beneficia sunt, abstrahere nitimini, & precarias de ipsis rebus, sicut à nobis dudum*, anno videlicet undecimo Regni nostri, sive anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono, *in nostro Capitulare institutum est, accipere negligitis, & ipsam Sanctam Dei Ecclesiam, unà cum ipsis Episcopis vel Abbatibus, emendare juxta vires vestras. Quapropter nos, unà cum consensu Episcoporum nostrorum, Abbatum, necnon & aliorum Sacerdotum, hac instituta partibus nostris direximus. Præcipientes enim jubemus, ut nullus quilibet ex fidelibus nostris à minimo ad maximum in his, quæ ad eum pertinent, Episcopo suo inobediens parere audeat de supradictis Capitulis, seu aliis eruditionibus ad illorum ministeria pertinentibus, sed cum bona voluntate, & omni mansuetudinis subjectione, unusquisque Sacerdoti suo propter Deum & pacis studium obtemperare studeat. Si quis autem, quod absit, unus ex vobis ullus de nonis & decimis censibúsque reddendis, atque precariis renovandis negligens apparuerit, & importunus Episcopis nostris de his, quæ ad ministerium illorum pertinere noscuntur, vel sicut in Capitulare dudum à nobis facto continetur, contradicere præsumpserit, sciat se procul dubio, nisi se citò correxerit, in conspectu nostro exinde ducere rationes. Et ut has literas certiùs credatis, de anulo nostro subteriùs decrevimus roborare.*

[a] Cap. 14.
[b] Nu. 1. & seqq.
[c] Ap. Sirmond. Tom. 2. Conc. Gall.

LXIX. Vicesimus-sextus Canon statuit, ut Ecclesiæ per eos restaurentur qui beneficia habent, & ut res inde ablatæ restituantur. *Ut domus Ecclesiarum, & tegumenta ab eis fiant emendata vel restaurata, qui beneficia exinde habent. Et ubi repertum fuerit per veraces homines, quòd lignamen, & petras, sive tegulas, quæ in domibus Ecclesiarum fuerint, & modò in domo sua habeat, omnia in Ecclesia fiant restaurata, unde abstracta fuerunt.*

LXX. Vicesimus-septimus est *de Clericis, ut nequaquam de Ecclesia ad aliam Ecclesiam transmigrent, neque recipiantur sine conscientia Episcopi & literis commendatitiis, de cujus Diœcesi fuerunt, ne fortè discordia exinde veniat in Ecclesia. Et ubi modò tales reperti fuerint, omnes ad eorum Ecclesias redeant, & nullus eos posthac retinere audeat, postquàm Episcopus aut Abbas suus eos recipere voluerit. Et, si fortè Senior ignorat, ubi suum requirere debet Clericum; cum quo fuerit, ipse eum sub custodia retineat, & non permittat eum vagari alibi, usquedum domino suo restituatur.*

LXXI. Vicesimus-octavus est de iisdem Clericis vagis, & ab Ecclesia sua in aliam transmigrantibus, *ut non absolutè ordinentur.*

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI Ludov. RR. 14. CAROLI R. 6.

Vicesimus-nonus præcipit, *ut unusquisque Episcopus sibi subditos benè* LXXII.
doceat & instruat, itaut in domo Dei semper digni inveniantur, qui Canonicè possint fieri electi.

Tricesimus est *de Clericis ad invicem altercantibus, aut contra Episcopum* LXXIII.
suum agentibus, ut sicut Canones docent, ita omnimodis peragant. Et, si fortè inter Clericum & Laicum fuerit orta altercatio, Episcopus & Comes simul conveniant, & unanimiter inter eos causam definiant secundùm rectitudinem.

Tricesimus-primus est *de conjurationibus & conspirationibus, ne fiant, &,* LXXIV.
ubi sunt inventæ, destruantur.

Tricesimus-secundus jubet, *ut Monasteria secundùm canonicam institutio-* LXXV.
nem fiant custodita.

Tricesimus-tertius, *ut fides Catholica Sanctæ Trinitatis, & oratio Dominica,* LXXVI.
atque symbolum fidei, omnibus prædicetur & tradatur.

Tricesimus-quartus est *de avaritia & cupiditate calcanda.* LXXVII.

Tricesimus-quintus, *de hospitalitate sectanda.* LXXVIII.

Tricesimus-sextus, *de criminosis, ut non habeant vocem accusandi majores* LXXIX.
natu, aut Episcopos suos.

Tricesimus-sextus, *de reconciliatione tempore necessitatis.* LXXX.

Tricesimus-octavus, *de Presbyteris, qui contumaces fuerint contra Episcopos* LXXXI.
suos, ut nequaquam communicent cum Clericis, qui in Capella Regis habitant, nisi reconciliati ab Episcopo suo, ne fortè canonica excommunicatio super eos exinde veniat.

Tricesimus-nonus est de judicio Presbyteri in crimine deprehensi. *Si* LXXXII.
Presbyter in criminali opere fuerit deprehensus, ad Episcopum suum ducatur, & secundùm Canonicam institutionem constringatur. Et, si fortè negare voluerit, & accusator comprobationem dare non potuerit, & coram Episcopo definitum esse nequiverit, tunc ad universale, seu totius provinciæ, *Concilium, illorum ratio deferatur.*

Quadragesimus est *de puellis quæ parentibus privatæ fuerint, ut sub Episco-* LXXXIII.
porum & Presbyterorum providentia gravioribus fœminis commendentur, sicut Canonica docet auctoritas.

Quadragesimus-primus statuit, *ut nullus Episcopus propriam Sedem amittat* LXXXIV.
alibi frequentando, aut in propriis rebus suis manere audeat ampliùs quàm tres hebdomadas. Et propinqui vel hæredes Episcopi, res quæ ab Episcopo sunt acquisita, aut per comparationes, aut per traditiones, postquàm fuerit ordinatus, nequaquam post ejus obitum hæreditare debeant, sed ad suam Ecclesiam catholicè. Illa autem, quas priùs habuit, nisi traditionem ad Ecclesiam ex eis fecerit, hæredibus & propinquis succedant.

Quadragesimus-secundus est de Sanctis in Ecclesia venerandis. *Ut* LXXXV.
nulli novi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur, sed hi soli in Ecclesia venerandi sint, qui ex auctoritate passionum, & vitæ merito electi sunt.

Quadragesimus-tertius præcipit, *ut de arboribus & lucis destruendis Cano-* LXXXVI.
nica observetur auctoritas.

Quadragesimus-quartus, *ut electi Judices de utrisque partibus non spernantur.* LXXXVII.

Quadragesimus-quintus, *ut de testibus Canonica sit observatio: & par-* LXXXVIII.
vuli non trahantur ad sacramentum, sicut Gunthadingi faciunt, id est, qui Gundebadâ lege seu lege Burgundionum à Gundebaldo seu Gundebaudo Burgundiæ quondam Rege latâ utuntur. Hæc interpretatio patet ex secundo libro Legis Longobardornm, Titulo enim quinquagesimo-sexto, lege vicesimâ-secundâ, Carolus decernit, *ut infantes, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare, sicut Gundebadâ lege viventes faciunt.*

Quadragesimus-sextus est *de virginibus, quo tempore velandæ sint, vel quibus* LXXXIX.
occupationibus ante annum XXV *detinendæ; si necessitas compellit, ea quærantur, quæ in Canone scripta sunt.*

AN CH. 794. Caroli R. 26. Pipini Ludov. RR. 14. Caroli R. 6.

Quadragesimus-septimus præcipit, *ut de Abbatissis, quæ canonicè aut regulariter non vivunt, Episcopi requirant, & Regi annuntient, ut ab honore priventur.*

Quadragesimus-octavus, *ut de oblationibus, quæ in Ecclesia vel in usus pauperum conferunt, Canonica observetur norma, & non ab aliis dispensentur, nisi cui Episcopus ordinavit.*

Quadragesimus-nonus est *de Presbyteris ante XXX ætatis annum non ordinandis.*

Quinquagesimus statuit, *ut confectis sacris mysteriis in Missarum solenniis*
XC. *omnes generaliter pacem ad invicem præbeant.*
XCI. Quinquagesimus-primus est *de non recitandis nominibus, antequàm obla-*
XCII. *tio offeratur.*
XCIII. Quinquagesimus-secundus Deum in omni lingua docet & orari & ado-
XCIV. rati. *Ut nullus credat, quòd non nisi in tribus linguis Deus orandus sit; quia in*
XCV. *omni lingua Deus adoratur, & homo exauditur, si justa petierit.*
XCVI. Quinquagesimus-tertius decernit, *ut nulli Episcoporum & Sacerdotum liceat sacros Canones ignorare.*

XCVII. Quinquagesimus-quartus præscribit, quatenus Ecclesiæ ab ingenuis constructæ tradi aut vendi queant: *De Ecclesiis, quæ ab ingenuis hominibus construuntur, licet eas tradere aut vendere, tantummodo ut Ecclesia non destruatur, sed serventur quotidie honores.*

XCVIII. Quinquagesimus-quintus est de Hildebaldo Apocrisiario. *Dixit etiam Dominus Rex in eadem Synodo, se à Sede Apostolica, id est, ab Hadriano Pontifice, licentiam habuisse, ut Angilramnum Archiepiscopum in suo Palatio assiduè haberet propter utilitates Ecclesiasticas. Deprecatus est eandem Synodum, ut eo modo sicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildebaldum Episcopum habere debuisset, quia & de eodem, sicut & de Angilramno, Apostolicam licentiam habeat. Omnis Synodus consensit, & placuit eis eum in Palatio esse debere propter utilitates Ecclesiasticas.* Hunc Hildebaldum Anastasius in vita Leonis Tertii Papæ vocat *Hildsvaldum Archiepiscopum & Capellanum.* Hildebaldus sive Hildivaldus aut Hildiboldus vel Hildeboldus Coloniensis Archiepiscopus fuit; Ricolpho, cujus obitum anno superiore consignavimus, in Archiepiscopatum successit; à Carolo Rege factus est etiam Archicapellanus Sacri Palatii, & Apostolicæ Sedis Apocrisiarius ab Adriano Papa; quapropter licentiam obtinuit, ut, sicut anteà Ingelramnus, in Regio Palatio assiduè maneret. Consule quæ de Ingelramno sive Angilramno variis locis, déque muneribus Archicapellani & Apocrisiarii superiùs aliâ occasione dicta sunt. Præterea observa preces additas à Carolo, ut licentiâ sibi à Romano Pontifice concessâ liceret uti, *quia*, inquit Hincmarus [a], *Episcopi continuas vigilias supra gregem suum debent assiduè exemplo & verbo vigilare, & non diutiùs, secundùm sacros Canones, à suis abesse Parochiis.* Hildebaldus *Apocrisiarius Apostolicæ Sedis* appellatur à Jacobo Sirmondo in notis ad hunc Canonem, & ab Ægidio Gillenio in Coloniensium Antistitum Catalogo, quem libro primo de magnitudine Coloniæ Agrippinensis inseruit.

[a] Opusc. 14. c. 14.

XCIX. Quinquagesimus-sextus est de Alcuino. *Commonuit etiam* Dominus Rex, *ut Alcuinum ipsa Sancta Synodus in suo consortio, sive in orationibus recipere dignaretur, eò quòd esset vir in Ecclesiasticis doctrinis eruditus. Omnis namque Synodus secundùm admonitionem Domini Regis consensit, & eum in eorum consortio sive in orationibus receperunt.* Alcuinus sive Alchuvinus, in nonnullis Codicibus corruptè *Aliquinus* & *Aquilinus*, anno superiore venerat in Franciam, ut piissimum Regem Carolum in Orthodoxæ fidei defensione contra novas hæreses adjuvaret, idque præstitit egregiè variis scriptis, de quibus infrà. Sub hoc tempus, Rex *dedit illi duo Monasteria; Bethleem scilicet, quod altero nomine Ferrariæ vocatur, & Sancti Lupi apud Trecas.* Lege ipsius Alcuini vitam. In Ferrariensium Abbatum Catalogo, post Garmun-

dum, cujus mentionem sub Pippino Rege fecimus, ponuntur, *Ogerius, Constantius, Alcuinus*. E Præsulibus autem, qui Monasterio Sancti Lupi per octavum seculum præfuerunt, unius Alcuini superest hodie nomen. AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

C. FASTRADÆ REGINÆ MORS, LIBERI,

Eodem tempore quo Concilium Francofurti celebrabatur, *mortua est ibi Fastrada Regina, & Moguntiaci apud Sanctum Albanum sepulta*, ut Annalista Laureshamensis testatur. Haud dissimilia scribunt, Loiselianus, Fuldensis, Bertinianus, ac Metensis, cum Reginone, necnon incerto Auctore & Monacho Egolismensi in vita Caroli. Carolus duas è Fastrada filias, Thedradam videlicet & Hildrudem, suscepit. Id in illius vita sic testatur Eginhardus. *Habuit & alias tres filias, Thedradam, Hildrudim, & Rothaidem; duas de Fastrada uxore, tertiam de concubina*, id est, Rothaidem de Himiltrude, quam Caroli Regis uxorem æquè ac Fastradam appellare debuit. De Fastradæ filiabus, quæ matrem adhuc minorennes amiserunt, recurret sermo.

CI. SEPULTURA.

Apud Reginonem & apud Annalistam Metensem, *Fastrada Regina in Monasterio Sancti Albani honorificè sepulta* dicitur. Sanctus Albanus Martyr antiquissimum Moguntiæ Templum habuit. Locum illum ex Caroli Regis munificentia plurimùm auxit, exornavítque novâ Monasterii formâ Ricolphus Moguntiacensis Archiepiscopus, de quo Serarius in rebus Moguntiacis [a] hos è manuscripto Codice versus recitat.

> *Martyris Albani renovavit culmina Richolff*
> *Antistes humilis, Christi devotus honore*
> *Exornans aram pretiosis atque metallis.*

[a] Lib. 1. c. 30.

CII.

Monasterium jam inchoarat, nec adhuc absolverat Richolphus, cùm Fastrada diem obiit. Hujus Reginæ tria leguntur apud Browerum [b] epitaphia. Duo sepultam in Monasterio Sancti Albani supponunt, tertium jam inde translatam atque in primaria urbis Basilica reconditam ostendit. Abstinebimus à postremo, quoniam ad ætatem Caroli nullomodo pertinet.

[b] Lib. 7. n. 233.

CIII.

Primum & antiquissimum hoc est.

> *Fastradana pia Caroli conjunx vocitata,*
> *Christo dilecta jacet hoc sub marmore tecta,*
> *Anno septingentesimo nonagesimo quarto,*
> *Quem numerum metro claudere Musa negat.*
> *Rex pie, quem gessit Virgo, licèt hic cinerescit,*
> *Spiritus hæres sit patriæ, quæ tristia nescit.*

CIV.

Alterum hujus loco posteà positum videtur quod elegantiore metro legitur apud Theodulfum Aurelianensem Episcopum libro secundo Carminum [c].

> *Inclyta Fastrada Regina hîc membra quiescunt,*
> *De medio quam mors frigida flore tulit.*
> *Nobilis ipsa viro conjuncta & jure potenti est;*
> *Sed modo cælesti nobilior thalamo.*
> *Pars illi melior Carolus Rex ipse remansit,*
> *Cui tradat mitis tempora longa Deus.*

[c] Carm. II.

CV. LUDOVICUS R. IN AQUITANIAM REDIT.

Ineunte vere Carolus Ludovicum filium in Aquitaniam remisit, ut damna resarciret à Mauris illata. Quantam tunc adolescens expectationem sustineret, apprimè docet Auctor coætaneus, qui vitam & actus illius descripsit. *Magnoperè curabat Rex pater, ne Regem filium aut nutrimenta honesta laterent, aut externa inhærescentia in aliquo dehonestarent. Qui quùm primo vere à patre dimitteretur, interrogatus est ab eo, cur Rex quùm esset, tanta tenuitatis esset in re familiari, ut nec benedictionem quidem nisi ex postulato sibi offerre posset, didicítque ab illo, quia privatis studens quisque Primorum, negligens autem publicorum perversâ vice, dum publica vertuntur in privata, nomine tenus Dominus dictus sit, omnium penè indigus. Volens autem huic obviare necessitati, sed cavens ne filii dilectio apud Optimates aliquam pateretur jactu-*

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

CUM MISSIS PATRIS. REMITTIT FODERUM.

ram, si illis aliquid per prudentiam demeret, quod per inscitiam contulerat, misit illi Missos suos, Willebertum scilicet, Rotomagensis postea urbis Archiepiscopum, & Richardum Comitem, villarum suarum provisorem, præcipiens, ut villæ, quæ eatenus usui servierant Regio, obsequio restituerentur publico, quod & factum est. Quibus receptis, Rex & prudentiæ suæ monstravit continuò documentum, & misericordiæ, quæ illi genuina probatur, patefecit affectum. Nam ordinavit qualiter in quatuor locis hyberna transigeret, ut tribus annis exactis, quarto demùm anno hyematurum se quisque eorum susciperet locus, Tehotuadum scilicet Palatium, Cassinogilum, Andiacum, & Eurogilum. Quæ loca, quando quartum redibatur ad annum, sufficientem Regio servitio exhibebant expensam. Quibus prudentissimè ordinatis, inhibuit à plebeiis ulteriùs annonas militares, quas vulgò foderum vocant, dari. Et licèt hoc viri militares ægrè tulerint, tamen ille vir misericordiæ, considerans & præbentium penuriam, & exigentium crudelitatem, simul & utrorumque perditionem, satius judicavit de suo subministrare suis, quàm sic permittendo copiam rei frumentariæ, suos irretiri periculis. Quo tempore Albigenses tributo, quo in dando vino & annona gravabantur, suâ liberalitate relevavit. Habebat autem tunc temporis Meginarium secum, missum sibi à patre, virum sapientem & strenuum, gnarúmque utilitatis & honestatis Regiæ. Intantum autem Regi patri hæc placuisse dicuntur, ut hac imitatione stipendiariam in Francia interdiceret annonam militarem dari, & alia plurima corrigi juberet, congratulans filii profectibus. Hic Meginarius Francisco Pommerayo Rotomagensis est Archiepiscopus, at distingui debet à Magenardo seu Mainardo Archiepiscopo, qui sedere cœpit anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo, diùque superstes post Synodum Francofordiensem vixit.

CVI.

CAROLUS IN SAXONIAM PROFICISCITUR CUM EXERCITU.

Soluto Francofordiensi Concilio, exequiisque Fastradæ Reginæ peractis, Rex in Saxoniam cum exercitu profectus est. *Hoc anno*, inquit Annalista Petavianus, *Domnus Rex Karolus commoto exercitu venit in Saxoniam, & Saxones polliciti sunt emendari, fædúsque pepigerunt Domno Regi Karolo unà cum suis sodalibus, deinde Domnus Rex Karolus cum suis Optimatibus in Franciam.* Id fusiùs clariúsque Laureshamensis Annalista sic exponit. *Rex bipertito exercitu Saxoniam petere statuit, eo videlicet modo, ut ipse cum dimidia parte copiarum ab Australi parte intraret, Karolus verò filius ejus cum alia medietate Rhenum apud Coloniam trajiceret, & in eandem regionem ab Occidente veniret. Quo facto, licèt Saxones in campo, qui Sintfelt * vocatur, quasi prælium cum Rege commissuri consedissent, ibique adventum ejus operirentur, amissâ victoriæ spe, quam sibi paulo antè falsò pollicebantur, ad deditionem omnes conversi sunt, victíque sine prælio Regis victoris potestati se subdiderunt. Dederunt igitur obsides, & jurejurando fidem se Regi velle servare promiserunt. Sic omisso prælio & Saxones domum reversi sunt, & Rex transmisso Rheno in Galliam se recepit. Et cùm Aquasgrani venisset, ibidem hybernis habitis Natalem Domini celebravit.* Alii alias addunt circumstantias haud omittendas. In Annalibus Fuldensibus Saxones non tantùm subiguntur à Carolo, sed *& tertius ex eis homo translatus* dicitur. Apud Monachum Egolismensem non tantùm Regi Carolo fideles sed etiam Christianos se fore spondent. *Timore pleni*, inquit hic Auctor, *promiserunt se esse Christianos & fideles Domno Regi Carolo.* Talem autem promissionem incertus Auctor in vita Caroli *dolosè*, plerique Annalistæ, Loiselianus, Bertinianus ac Metensis *fraudulenter* factam scribunt. Locus ex vetere Chronico Moissiacensis Cœnobii deprehenditur cum zelo, quo Carolus æstuabat, ut Christianam Religionem propagaret. *Saxones venerunt ei obviam ad Ercsburg, promittentes iterum Christianitatem, & jurantes quod sæpè fecerunt. Et Rex eis credidit, & dedit eis Presbyteros.*

*hodie Sentfelt.

SAXONIBUS SE CHRISTIANOS FORE POLLICENTIBUS DAT PRESBYTEROS.

CVII.

LUDGERUS PRESBYTER.

Hoc anno, septimo Idus Octobris, anno Caroli Regis vicesimo-septimo jam inchoato, Wracharius, filius quondam Brunchardi, tradidit Luidgeto

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6. a d. 26. Mart.

gero Presbytero *terram proprii juris in pago Hisloa, in villa quæ dicitur Withmundi.* Godefridus Henschenius [a] in Commentario, quem vitæ Sancti Luidgeri præfixit, Chartam istius Donationis ex parte descripsit cum hac subscriptione. *Acta est autem publicè cum stipulatione subnixa, anno* XXVII *Regni Domini nostri Religiosissimi Regis Caroli,* VII *Id. Octob. in villa quæ dicitur Brimuum.*

Inter epistolas Alcuinianas Adriano Papæ sexagesima-tertia sic inscribitur. *Beatissimo & omni honore dignissimo, & Pontifici Magno, Adriano Papæ, humillimus omnium Sanctæ Ecclesiæ filiorum Albinus, æternæ beatitudinis salutem.* In his literis Albinus seu Flaccus Albinus Alcuinus aut Alchuvinus Angilbertum filium suum carissimum vocat, eúmque Romam à Carolo Rege mitti testatur. Angilbertus autem à Carolo bis ad Adrianum Papam directus est, semel anno Christi septingentesimo nonagesimo-secundo post Synodum Reginoburgensem, iterum hoc anno post Synodum Francofurtanam. Ideircò in Syntagmate de Nithardo Paulus Petavius dubitare visus est, an illæ Alcuini literæ in hunc annum rejici debeant. At cùm Alcuinus in Franciam ante annum superiorem non venerit, omnis dubitationi locus adimitur, illæque literæ sunt hoc anno consignandæ. Postremam tantùm partem hic recitabimus. *Jam aliquas petitiones,* inquit Alcuinus, *propriæ necessitatis meæ his quoque literis insererem. Sed quia electissimus Domni mei Regis Missus, filius equidem meus carissimus Angilbertus ad beatissimam summæ auctoritatis vestræ dirigitur Paternitatem, non esse necesse putavi literis exarare, quod ille vir fidelis & prudens meliùs vivâ voce, secundùm mandatum Domni Regis, auribus Excellentiæ vestræ poterit intimare. Nam inter ceteras fidelissimæ directionis, quam ad vos habet, Legationes, meæ quoque necessitatis postulationes eidem præfato Regiæ voluntatis Secretario commendavit, quem omnibus amicis valdè fidelem esse probavimus, maximè vobis, ut verè dignum est, Sanctissime Pater, qui vestram laudabili voce bonitatem sæpissimè Domno Regi sub præsentia multorum testium narrare solebat, & egregiæ pietatis per vos gesta, puræ fidei verbis de vobis proferre studuit, quatenus piæ dilectionis fidem ostenderet, & vestræ almitatis amorem plurimorum mentibus ingereret.* Observa in hoc textu Angilbertum dici *Regiæ voluntatis Secretarium*, Abbatem nequaquam.

CVIII. ANGILBERTUS ROMAM MITTITUR.

CIX. AN CONJUX BERTÆ?

Commentitia sunt, quæ de Angilberti Sacerdotio déque Berthæ nuptiis ex Hariulfo circumferuntur. *Angilbertus supernis donis cum ætate crescentibus, Sacerdotii gradum, superni instinctu amoris, & Regali consilio, suscepit, ut videlicet talestibus officiis decoratus, magis ac magis propinquaret suscipiendis Pontificalibus Infulis. Tractabat nempe Rex præfatus* Carolus *illum sublimare in arcem alicujus Metropolitanæ civitatis, utpote quem ubertim commendabat & generis claritas & magnæ scientiæ diffusa peritia. Sed aliter accidit, quàm Rex mortalis in sua cogitatione caraxavit. Nam Rex memoratus de Regina Hildegarda tres dudum filias genuerat, quarum sunt nomina, Rutrudis, Berta & Gisla. Ex his una, videlicet Berta, avidissimo amore in clarissimum virum Angilbertum oculos injecit, & quem in paterno amore super omnes mortales convaluisse noverat, eundem in sponsi titulum & amoris remedium totis affectibus prævenire præoptabat. Sed quia genitoris sensibus hæc per se intimare puellaris animus trepidabat, egit tamen opportunè, importunè, ut hæc mentis suæ passio patri Carolo veniret in notitiam. Qui quidem molestè tulit hujusmodi votum in cara prole exortum, sed veritus ne res in pejus procederet, considerans etiam Domni Angilberti ingenuam à proavis nobilitatem, detulit filiæ suæ voluntatem, & inito consilio cum Primoribus die statuto filiam accuratè ac regaliter exornatam Domino Angilberto conjugem sociavit, cunctis faventibus, qui adesse poterant. Sic Domnus Angilbertus à Sacerdotii sanctimonia deficiens, Regis gener effectus est, & ex toto sociatus copulæ nuptiali duos filios Nithardum & Arnidum procreavit. Data est etiam illi maritimæ Franciæ magna pars in Ducatum, ut scilicet Regis*

AN.CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

gener honoris fastigio non careret. Hæc Hariulfus in Angilberti vita scribit, habétque consentanea in Chronico Centulensi, sed breviore stylo, sic. *Karolus moriente germano Monarchiam solus obtinuit. Cui clarissimus vir Angilbertus nobilitatis & sapientiæ merito extitit carissimus, adeò ut præ omnibus ei familiarissimus haberetur: qua amicitia in tantum convaluit, ut Regis filiam, nomine Bertam, in conjugium acciperet, de qua duos filios Hernidum & Nithardum genuit. Cui etiam ad augmentum Palatini honoris, totius maritimæ terræ Ducatus commissus est.* Hoc anno, Berta, cùm decimum-quintum ætatis annum ageret, Angilberto Palatinis hactenus Officiis egregiè functo atque oræ maritimæ Ducatum adepto, quem paulò pòst Carolus Romam hoc eodem anno direxit, sociata primùm est, sed utrùm uxoris an alio nomine manet investigandum. Duplicis erroris reus est Hariulfus, in uno nullatenus excusatur, excusatur aliquatenus in altero. Angilbertum, priusquàm Bertæ copuletur, Sacerdotem supponit, nihil proferre potest à veritate magis alienum, quia Sacerdoti matrimonium interdicitur. At, si secundùm nostram opinionem Angilbertum hoc anno ne Clericum quidem agnoscit, valido non videtur argumento destitutus, ut Bertam Clarissimi Ducis uxorem vocet. In rebus Historicis par calumniæ crimen adulatio. Ut autem neutrum incurras, & de Berta, quæ duos Angilberto filios peperit, judicium rectè feras, audi quomodo de Carolo déque ejus liberis Eginhardus loquatur. *Filiorum & filiarum tantam in educando curam habuit, ut numquam domi positus sine ipsis cœnaret, numquam iter sine illos faceret. Adequitabant ei filii, filiæ verò ponè sequebantur, quarum agmen extremum ex satellitum numero ad hoc ordinati tuebantur. Quæ cùm pulcherrimæ essent, & ab eo plurimùm diligerentur, mirum quòd nullam earum cuiquam aut suorum aut exterorum nuptum dare voluit. Sed omnes secum usque ad obitum suum in domo sua retinuit, dicens se earum contubernio carere non posse. Ac propter hoc, licèt aliàs felix, adversæ fortunæ malignitatem expertus est. Quod tamen ita dissimulavit, ac si de eis numquam alicujus probri suspicio orta vel dispersa fuisset.* Hoc ipso anno, quantùm ex ætate Regiorum liberorum, Caroli videlicet ac Bertæ, colligere possumus, actum per Oratores de Caroli & Offæ Regum liberis conjugali nexu sociandis. Erat Offa Merciorum Rex in Anglia; illius filiam Rex Francorum in uxorem filio suo Carolo dari postulabat, annuebat Offa, sed vicissim Bertam Caroli Francorum Regis filiam sibi poscebat in nurum, at assentiri noluit huic petitioni Carolus, atque inde nonnihil simultatis ortum inter utrumque Regem. Testis fuit illarum rerum Gervoldus Fontanellensis Abbas, de quo sic scribit ejusdem Monasterii Chronographus [a]. *Hic Gervoldus super Regni negotia Procurator constituitur per multos annos, per diversos portus ac civitates exigens tributa atque vectigalia, maximè in Quintawich. Unde Offæ Regi Anglorum sive Merciorum potentissimo in amicitiis valdè cognoscitur adjunctus. Extant adhuc Epistolæ ab eo ad illum, id est, Gervoldum, directæ, quibus se amicum ac familiarem illius carissimum fore pronunciat. Nam multis vicibus ipse per se jussione invictissimi Regis Caroli ad præfatum Regem Offam Legationibus functus est. Novissimè verò propter filiam ejusdem Regis, quam in conjugium expostulabat Carolus junior; sed illo hoc non acquiescente, nisi Berta filia Caroli Magni ejus filio nuptui traderetur, aliquantulùm Rex potentissimus commotus præcepit, ut nemo de Brittannia Insula ac gente Anglorum mercimonii causâ littus Oceani maris attingeret in Gallia. Sed hoc ne fieret, admonitione ac supplicatione venerandi prædicti Patris Gervoldi inhibitum est.* Apud Mercios Offa regnare cœpit anno Christi septingentesimo duodesexagesimo. Quapropter ei notus esse potuit Gervoldus, priusquàm Fontanellensis Abbas esset, imò priusquàm fieret Ebroicensis Episcopus, aut Bertradæ Reginæ Capellanus existeret, quo videlicet tempore quo vectigalia exigebat *in Quintawich*, sive in Quentowico, id est, in Vico vel in Wicis ad Quentum * amnem, ubi Cella Sancti Judoci, non procul ab Oceano. Legationem pro matrimonio Ca-

[a] Cap. 15.

GERVOLDUS FONTANELL. ABB. VARIAS OBIT LEGATIONES.

SEDAT DISSIDIUM INTER CAROLUM ET OFFAM RR.

* Le Canche.

roli Junioris obitum hoc anno putamus, cùm idem Carolus annum ætatis suæ duodevicesimum ageret, & decimum-quintum Berta soror nondum complevisset. Suæ filiæque famæ Carolus Francorum Rex optimè consuluisset, si Bertam, ut rogabatur, uxorem filio Regis Merciorum locasset, Regia enim puella furtivos evitasset amplexus, quos ab Angilberto Romam nondum profecto passa est, ut anno proximo spuriæ prolis ortus edocebit. Interim observa Eginhardum textu jam citato verè de eodem Carolo Rege scripsisse, *quòd nullam* filiarum suarum *cuiquam aut suorum aut exterorum nuptum dare voluit.* AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

CX. EPISCOPI AVENIONENSES.

Josephus Avenionensis Episcopus, cui Franciscus Nouguierus annos in Præsulatu viginti-novem tribuit, hoc anno migravit è vita. Successor controvertitur. Eidem enim Nouguiero est Amicus, Humbertus Sammarthanis, quibus suspecta Codicis fides, in quo dicitur Amicus Avenionensis Episcopus Altaris Anianensis consecrationi cum plurimis aliis Episcopis interfuisse. Posteriorem hanc opinionem lubenter amplectimur, & Humbertum Josepho proximè subjiciendum ex Auctorum suprà nominatorum assertionibus constanter affirmamus, testibus enim Sammarthanis sedebat anno Christi septingentesimo nonagesimo-septimo, & teste Nouguiero Pontificatum annis sex ac viginti gessit, annóque Christi septingentesimo nonagesimo-sexto jam Episcopus ex Chartis Arelatensibus comprobatur. Nouguierus, ne peccare videatur adversùs Chronologiam, quam Arelatensia monumenta fulciunt, Altaris Anianensis dedicationem anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto consignat. Sed dum vitare scopulum cupit, in alium miserè cadit, quia Codex Anianensis supradictam dedicationem in illud rejicit tempus, *quo Carolus Magnus Rex Francorum, Patritius Romanorum, & Imperator Germanorum, & Papa Leo cum sua curia Prælatorum discurrebant terram istam* nempe Septimaniam, *& ad fidem Catholicam convertebant.* Carolum autem anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto non potuit adire Leo Papa, qui Pontificatum eodem anno die vicesimâ-sextâ Decembris suscepit. Humbertus Carolo superstes vixit, sedit enim annos sex ac viginti. Carolo igitur vel Rege vel Imperatore, Diœcesim Avenionensem duo duntaxat administrarunt Episcopi, Josephus & Humbertus. Horum alterutro Pontifice, restauratum à Carolo Templum Beatæ Mariæ de Domnis, quod à Saracenis eversum diu jacuerat. Accessit alia mutatio, nam locus ille, quem Agricolus Episcopus Monachis attribuerat, Monachorum loco Clericos deinceps habuit. Eandem Basilicam valdè locupletavit Carolus, idque præcitati Scriptores palàm testantur.

CXI. VENETENS. AUSCIENS.

In Armorica Sancta ponitur hoc anno mors Cunadani Venetensis Episcopi, cui successit in Episcopatum Blinlivetus. Obiit & hoc anno Asuarius sive Asnarius Ausciensis Episcopus, cùm annos octo sedisset, ut Chenutius & Robertus testantur; successor à Chenutio Revelius vocatur, Ravelius à Roberto, Remelius ab Oihenarto.

CXII. ABBATES GANDENSES.

Hoc eodem anno mortuus est Eynoldus Gandensis Abbas, cujus successor Wenebaldus Monasterium ad annum usque Redemptoris octingentesimum nonum gubernavit. Lege Sanderum in Auctario ad Tomum primum Flandriæ Illustratæ.

CXIII.

De Monasterii Neostadiensis origine, quod Carolo jam Rege in Wirceburgensi Diœcesi conditum fuit, déque antiquissimis Abbatibus illius loci Megingaudo & Waltrico, multa cùm ad annum Christi septingentesimum undeseptuagesimum [a], tum ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-sextum [b] jam scripsimus, nec dissimulavimus nostræ sententiæ duo refragari Diplomata, quæ Godefridus Henschenius [c] ex Archivo Neostadiensi publicavit in dissertatione de Sancta Gertrude culta in Franconia. Unum hoc anno datum dicitur, alterum anno Redemptoris

[a] Num. 19. [b] Num. 20. [c] d. 17. Mart.

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. R.R. 14. CAROLI R. 6.

octingentesimo decimo-tertio. Utrumque refellemus, ut polliciti sumus; primum hoc loco, secundum post annos novemdecim, eo videlicet tempore quo consignatum fertur.

CXIV. DIPLOMA NEOSTADIENSE

In nomine Domini Dei Omnipotentis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti, Carolus supernâ favente Clementiâ Rex Francorum. Quidquid pro Ecclesiarum opportunitate, vel quiete servorum Dei, ereximus, id nobis procul dubio, Domino adjuvante, ad æternam beatitudinem proficere confidimus. Ideo notum esse volumus omnibus nostris fidelibus, tam præsentibus quàm & futuris, quale initium habuerit Monasterium, quod vocatur Rorlacha sive Newenstadt, quod extruximus in sylva Speshart circa fluvium Moyna, ut ubi nos primitus, ob jucunditatem vitæ & dulcedinem, venatui nostro speciale diversorium elegimus, illic postmodum divino cultui condignum Oratorium haberetur; congregantes illic multitudinem servorum Dei, quos Burghardus Episcopus ex Anglorum gente adduxerat, & alios circumquaque, qui in solitudinibus & in cavernis terræ pro Christi amore latitabant, ut supradicto diversorio nostro, quasi terreni cultores, quantò secretiùs commorantes, tantò liberiùs pro statu Regni nostrâque salute Deum exorare valerent. Quibus etiam Meingaudium, rogante dulcissimâ Genitrice nostrâ Bertradâ, Abbatem prætulimus, post cujus obitum perpetuam & liberam illis Monachis eligendi, cùm opus fuerit, Abbatem inter se licentiam & arbitrium Regalitatis nostra pietate concedimus. Sumpsimus autem ex Capella nostra Reliquias Sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis, Martini Confessoris Christi, aliorúmque Sanctorum plurimorum, quas ad memoratum locum delatas, Ecclesiam in honorem Salvatoris nostri & Sanctæ Mariæ matris ejus, per Lullum Archiepiscopum & Willibaldum Episcopum in præsentia nostra XI Kalend. Septembris consecrari jussimus. In cujus Ecclesia dotem partem prædii in sylva Speshardt proprietatis jure perpetualiter absque contradictione possidendum Regali auctoritate nostrâ concessimus, &c. Interjectis aliquot periodis, quæ cùm ad Donationis terminos, tùm ad Immunitatis Privilegium pertineat, omissæque sunt ab Henschenio, Diploma sic concluditur. *Ut hæc auctoritas nostræ concessionis firmior habeatur, & per futura tempora meliùs observetur veriúsque credatur, manu propriâ nostrâ subter eam firmavimus, ac annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Domini Caroli Regis Gloriosissimi. Willisarius Cancellarius ad vicem Lulli Archicapellani recognovi. Data mensis Maii anno ab Incarnatione Domini DCCXCIV. Indictione II. anno Regni Caroli Regis in Francia XIX, & in Italia XII.* Huc usque Diploma.

CXV. REFELLITUR.

Chartam hanc suppositiam jam ostendit Henschenius factâ Characterum Chronologicorum inter se pugnantium collatione. Per mensem enim Maium annus Christi septingentesimus nonagesimus-quartus & Indictio secunda simul conveniunt, sed anno Caroli Regis nec undevicesimo in Francia, nec in Italia duodecimo illigantur, imò nec annus Caroli Regis ondevicesimus in Francia cum duodecimo in Italia componitur. Addequòd Carolo Rege nec annus ab Incarnatione Domini occ Indictio publicis Francorum monumentis inscribebatur; seriùs hi Characteres apud Francos cœpti sunt usurpari.

CXVI. E tot Characteribus, qui publicati sunt, idem Henschenius duos duntaxat retinendos existimat, mensem videlicet Maium, & annum Caroli Regis aut XIX aut XII. censétque superius Diploma, si genuinum in reliquis videatur, scriptum fuisse, cùm personæ, quæ in eo memorantur reperiuntur, in vivis adhuc superessent; id est, cùm Diœceses administrarent, Moguntinam Lullus, Burchardus Wirceburgensem, Eystettensem Willibaldus, Monasterium verò Neostadiense Megingaudus Abbas, superstésque viveret Bertrada Caroli mater. Hæc observatio duodecimum Caroli Regis annum decimo-nono præferendum suadeter, quia Bertrada decimo-quinto Caroli Regis anno vitam clausit, nec ad annum ejusdem Caroli Regis decimum-nonum pervenit. Carolus post Pippinum patrem

anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo, mense Septembri, regnare cœpit. Annos igitur Carolini Regni per mensem Maium cum annis Christi sic compone; duodecimum Caroli Regis cum septingentesimo octogesimo Incarnationis Dominicæ, decimum-quintum Caroli Regis cum septingentesimo octogesimo-tertio Dominicæ Incarnationis, & decimum-nonum Caroli Regis cum septingentesimo octogesimo-septimo Incarnationis Dominicæ. Porrò dubium non est in Henschenii opinione, quin Bertrada, Lullus, Willibaldus, Burchardus, & Megingaudus seu Meingaudius, anno Christi septingentesimo octogesimo, Caroli Regis duodecimo, superstites in vivis extiterint. Willibaldum enim anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, Bertradam anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio, Lullum anno Christi septingentesimo octogesimo-sexto vel sequente, Burchardum anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo, mortuos asserit, additque successisse in Episcopatum Burchardo Megingaudum, qui rogante Bertradâ primus Abbas Neostadiensis antè constitutus fuerat. De Bertrada & Lullo convenimus, de ceteris nequaquam. Bertradæ mortem anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio consignavimus, Lulli obitum anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo. Sed super ætate Willibaldi, Burchardi, ac Megingaudi, multùm ab Henschenio discrepamus. Ille Willibaldum anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, Burchardum anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo vult è vita discessisse. Nos Willibaldum, qui munificum erga Fuldense Monasterium anno Christi septingentesimo octogesimo-quinto se præbuit, ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum-septimum vixisse diximus; Burchardum verò, eùm Episcopatum ante triennium sponte dimisisset, ostendimus ex hac vita sublatum fuisse anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto, eòque loci Chronologiam Henschenianam totis annis septem ac triginta prævertimus. Quod attinet ad Megingaudum, quem Henschenius Burchardo in Episcopatum anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo successisse scribit, cùm priùs rogante Bertradâ primus Abbas Neostadiensis institutus fuisset, de illo longè aliter sentimus, neque enim Episcopum ex Abbate, sed Abbatem ex Episcopo factum probavimus. Anno Christi septingentesimo quinquagesimo-primo, cùm Burchardus Episcopatum abdicasset, subrogatus est Megingaudus Monachus anteà Friteslariensis; anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto Burchardus obiit; anno pòst decimo-quinto, sive anno Christi septingentesimo undeseptuagesimo Megingaudus Episcopatum dimisit, secessitque cum paucis Monachis in locum, *qui tunc Rorinlatha, posteà verò Neuwestat dictus est.* Post Megingaudum *Bernwelphus Cathedram Wirceburgensem tenuit annos septem. Tantam* autem *tàmque diuturnam inquietudinem patri quondam & magistro suo subrogatus Episcopus inflixit, ut tædio affectus sese suósque discipulos, ipsum quoque locum*, suprà nominatum, *Caroli Regis patrocinio committeret, & ejus adjutorio Monasterium ibidem à se suísque Monachis inhabitandum institueret.* Erectum igitur Neostadiense Monasterium intra illud septennium, quod ab anno primo Caroli Regis ad octavum, sive ab anno Christi septingentesimo undeseptuagesimo ad septingentesimum septuagesimum-sextum effluxit, &, si quod Megingaudo concessum est à Carolo Diploma, non debet in aliud tempus rejici, maximè cum nihil in antiquis monumentis occurrat, unde Megingaudum Bernwelpho superstitem probes. Atque hæc sufficiant, ut Chartam, quam examinamus, non tantùm ex Characteribus Chronologicis ut dictum suprà, sed etiam ex ipso contextu commentitiam censeas, quia Burchardus & Megingaudus vivis erepti sunt, ille priusquàm Carolus Regnum susciperet, hic antequàm Carolus annum suscepti Regni duodecimum numeraret.

AN. CH. 794.
CAROLI R. 26.
PIPPINI LUDOV. RR. 14.
CAROLI R. 6.
CXVII.

a Tom. 1. Bibl. Labb.

TRANSLATIO S. GLODESINDIS.

Hoc anno, qui decimus-quartus post Sanctæ Glodesindis discessum ex hac vita numeratur, integrum ejus corpus inventum est, & in novam Sanctæ Dei Genitricis Basilicam translatum. Glodesindis in civitate Metensi puellare Monasterium, quod à Sanctis Patronis, Petro Apostolorum Principe & Sulpitio Bituricensium Archiepiscopo, Cœnobium Sanctorum Petri & Sulpirii vocatum est, anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio construxit, illúdque rexit ad annum usque Christi septingentesimum septuagesimum-nonum, quo feliciter ad Deum migravit. Extra muros urbis in Ecclesia Sanctorum Apostolorum sepulta fuit. Quid autem post annos viginti-quinque contigerit, in prima ejus Translatione sic exponit Abbas Gorziensis [a]. *Postquam sacratissimæ virginis corpus intemeratum in Basilica Sanctorum Apostolorum extra muros urbis per annos XXV quieverat, quædam fortè Religiosarum suprà memorati Sanctimonialium Cœnobii revelatione divinâ se testata est fuisse commonitam, uti majori Ecclesiæ, quæ erat loco subteriori, alia adjacens extrinsecus in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ construeretur Basilica, modúmque ipsius revelationis hoc ordine referebat. Videbatur, inquiens, mihi quiescenti Beata Virgo Domini Glodesindis super murum civitatis stans lapidem eminùs veluti designando loco manu dejicere, méque verbis insuper compellare. Ibi, inqnit, Ecclesia fabricetur, quem in locum lapis casu devenit, in eo Beatissimæ semper Virginis Mariæ erigatur Altare. Monstrato denique aliam quandam in partem latere seorsum, hic, ait, ostium fiat, quo ex Ecclesia majori, hoc est, Monasterio, in eandem pervius novam sororibus aperiatur ingressus. Hoc somno discusso, cùm ceteris retulisset, ancipiti diu hæsere consilio, eò quod tunc temporis Regia tutela locus subesset, nec nisi ad eum rogatione perlatâ tale quid aggrediendi eis suggerebatur fiducia. Itaque re celerrimè Principi insinuatâ, eóque auctore in negotio exequendo, ut visio docuerat, summâ facilitate adducto, opus strenuè curatur atque perficitur. Edictum insuper Regia liberalitate eisdem Sanctimonialibus est adjectum, ut eadem nováque condenda esset Basilica, Cœmeterium Sororum denuò solemniter haberet, ac mox in eandem Basilicam corpus sacræ virginis ex loco prioris tumuli venerabiliter referretur humandum. Sic & longitudini itineris, quod funeribus ancillarum Dei urbe exportandis laboriosum cernebatur, temperatum, & patrocinium multitudinis fidelium est copiosissimè divinitus provisum. Nec ex eo tempore jam, ut priùs moris erat, vel ad memoratam Apostolorum, nunc Beati Arnulfi, nomine celebrem, vel ceteras circa urbem Basilicas, cujuslibet earum est funus elatum, sed veluti Matris-familias ut viventes devotis obsequiis, ita seculo functas sub tempus glorificationis suæ debitâ corporis videas adhærere quiete. Fabrica igitur nova Ecclesiæ ad summam manum perducta, ad locum sepulchri plebe totâ certatim undique accurrente, mirâ alacritate contenditur, effossâque humo circumjectâ, ac lapide monumento subducto reperiunt Sanctam toto adhuc corpore integram, nulla illius tam diutini sepulchralis sitûs signa in carne monstrantem, sed ac si die eodem esset deposita gratiam totius corporis referebat. Incomparabilem thesaurum piâ aviditate exceptum, cum solemni cælestis pompa triumphi, laudes Deo sacris ordinibus concentu religiosè tollentibus, ad præparatum sibi novæ Basilicæ deferunt habitaculum. Ibi Sanctimoniales inæstimabili in eam devotione ferventes, corpus beatissimum tanquam tunc primò vitâ excessisset, de more Ecclesiastico lavant atque exornant. Inter lavandum quædam Sanctimonialium diutino languore obsessa, vitámque ipsam in ancipiti trahens, spe salutis non frustrà præsumptâ, ad locum lavacri fiducialiter venit, & faciem Sanctæ digito levi tactu compressit. Illicò digitum redeuntem sanguis ex facie virginea prodigio mirabili est subsequutus, omnibus ibi pariter consistentibus, & in exemplum Dominici lateris miraculo stupentibus, cruor isdem palam apparuit. Cúmque eadem vix, ut dixi, religiosa fœmina supremum halitum retineret, repentè vires jam morbo exhanstas paulatim sibi redire persensit, & mensibus sex tanta rei testis postmodum supervixit. Expleto omni pii amoris circa sanctam virginem ministerio, deposuerunt eam item in sarcophago novo ad dexteram*

AN. CH. 794. CAROLI R. 26. PIPPINI LUDOV. RR. 14. CAROLI R. 6.

partem Altaris Sanctæ Dei Genitricis, humóque desuper aggestâ, diligenter componunt. Quænam Monasterii tunc esset Abbatissa, nemo prodit; Abbatissarum enim, quæ Cœnobio post Sanctam Glodesindem * præfuerunt, ad medium penè decimum seculum desiderantur nomina.

* Sainte Glossine.

Rabanus, puer annorum novem, Fuldensi Monasterio, cui Baugolfus Abbas præerat, à parentibus hoc anno traditus est. Qua de re sic Trithemius in ejus vita. *Præfuit in diebus illis novello Fuldensi Monasterio Reverendissimus Abbas, nomine Baugolfus, vir magna religionis, & multarum in Christo virtutum, qui Sancto Sturmo ejus loci primo Abbati succedens, annis præfuit quinque & viginti, nomen Sanctitatis apud Germanos omnes consecutus gloriosum. Hujus Abbatis clarissimi Magisterio Hrabanus puer, cùm esset annorum circiter novem, à parentibus traditur, &, juxta normam Sancti Patris Benedicti,* CXVIII. *Monachis instituendus commendatur. Facta est hac in Monasterium Hrabani solennis traditio, vicesima-primâ die mensis Martii, qua fuit ejusdem Sanctissimi Patris Benedicti festivitate solennis, anno Dominicæ Nativitatis septingentesimo nonagesimo-septimo, Indictione Romanorum quintâ.* Cur Trithemii Chronologiam triennio prævertamus, exposuimus [a] suprà in ortu Rabani. Est & error apud eundem Auctorem in annis Baugolfi. Baugolfus enim Abbas Fuldense Monasterium non *annis quinque & viginti*, sed annis tantùm tribus ac viginti gubernavit, ab anno videlicet Redemptoris septingentesimo septuagesimo-nono ad annum Redemptoris octingentesimum secundum, quo Ratgarium successorem habuit. Hunc Magistrum nactus est Rabanus, de cujus primordiis sic idem Trithemius. *Viris in Monasterio Fuldensi vitâ & conversatione sanctissimis Hrabanus puer divinâ ordinatione conjunctus, venerabili cuidam Monacho seniori, Rathgario nomine, scientiâ litterarum & sanctis moribus imbuendus committitur, à quo diligentissimè ad optima quaque informatur. Bona quoque dispositionis puer, bonum assecutus Doctorem, divinâ miseratione adjuvante, mox sanctæ conversationis primordia, quantùm ætas illa permisit, benè inchoavit, in meliúsque successivè perduxit, & optimo tandem fine consummavit.*

RABANUS FIT MON. FULDENS.

[a] Ad an. 785. n. 110.

ERUDITUR A RATGARIO.

ANNUS

CHRISTI		795.
CAROLI SEN.	R.	27. 24. 22.
PIPPINI II.	R.	15.
LUDOVICI	R.	15.
CAROLI JUN.	R.	7.

AN. CH. 795. CAROLI R. 27. PIPPINI LUDOV. RR. 15. CAROLI R. 7.

I. *ANNO* DCCXCV. *Rex Carolus apud Aquis Palatium celebravit Pascha* pridie Idus Aprilis, *& infidelitas, unde consueverat, à parte Saxonorum exorta est, quia eam Dominus Rex super alias gentes venire voluisset, nec ipsi ad eum pleniter venerunt, nec ei solatium, ut ipse jusserat, transmiserunt. Tunc iterum infidelitate eorum ......, cum exercitu suo veniens, alii ei pacifici obviam venientes ex parte Saxonorum, & cum eo in solatio suo ipsum iterum expleverunt. Et ipse cum exercitu suo ad Albia pervenisset, alii circa paludes Albia, & in Vacmodingas, ad eum pleniter non venerunt. Dominus Rex tamen recedens apud Bardanavil, tantam multitudinem obsidum inde tulit, quantam numquam in diebus suis, aut in diebus patris sui, aut in diebus Regum Francorum, inde aliquando tulerant. Sed & tunc omnes ad eum venientes, exceptis his quos..*

CAROLUS PERFIDIAM SAXONUM,

AN. CH. 795. CAROLI R. 27. PIPPINI LUDOV. RR. 15. CAROLI R. 7. ET NECEM REGIS OBOTRITORUM ULCISCITUR. *jam suprà commemoravimus, & his qui trans Albiam erant, ipsi adhuc pleniter non venerunt, eò quòd vassum Domini Regis Cabehin Abatrizarum occiderant. Ideo non credebant, quòd in gratia ejus pervenire potuissent. Ceteri autem omnes pacificè venerunt, jussionem suam promittentes implere. Et ita Dominus Rex iterum credens eis, nullum voluit interficere, fidem suam servando.* Huc usque vetus Chronicon Moissiacensis Cœnobii. Audi & Annalistam Laureshamensem. DCCXCV. *Quanquam Saxones æstate præteritâ & obsides dedissent, & secundùm quod jussi erant sacramenta jurassent, Rex tamen illorum perfidiæ non immemor, Conventum generalem trans Rhenum in villa Cuffenstein, quæ super Mœnum contra Moguntiacum urbem sita est, more solenni habuit, atque inde cum exercitu Saxoniam ingressus, penè totam populando peragravit. Cùmque in pagum Bardengau pervenisset, & juxta locum, qui Bardenwig vocatur, positis castris, Sclavorum, quos ad se venire jusserat, expectaret adventum, subitò ei nunciatum est, Wiltzan Regem Abotritorum, cùm Albim trajiceret, in dispositas à Saxonibus insidias in ipso flumine incidisse, & ab eis esse interfectum. Quod factum animo Regis ad Saxones citiùs debellandos velut quosdam stimulos addidit, & in odium perfidæ gentis ampliùs excitavit. Terrâ igitur magnâ parte vastatâ, & obsidibus, quos dare jusserat, acceptis, in Franciam reversus est.*

II. Locus, ubi Carolus generalem Francorum Conventum habuit, Annalistæ Laureshamensi est *villa Cuffenstein super Mœnum contra Moguntiacum urbem*, Annalistis Loiseliano & Bertiniano *Cuffinstang in suburbio Moguntiacensis urbis*, Annalistæ Metensi & Reginoni *Cuffistein in suburbio ejusdem urbis.* Observanda specialis ratio, propter quam in vetere Chronico Moissiacensis Cœnobii Carolus ad bellum Saxonibus inferendum provocatus legitur, nempe quòd auxilium ei contra gentes alias, id est, ut interpretamur, contra gentes Sclavorum aut Hunnorum præstare noluissent. De Bardvieo, seu Bardovico * ad Ilmenonem amnem infra Luneburgum, non semel jam locuti sumus. Egimus quoque non semel de Abotritis, quorum Princeps Wiltzan, sive, ut Annalista Petavianus loquitur, *Witsidus Dux in Winedis*, à Carolo plurimum diligebatur, ut ad annum Christi septingentesimum undenonagesimum speciatim observavimus.

* *Bardwick.*

III. AUDIT ORATORES MISSOS E PANNONIA. *In hac expeditione Saxonica, dum Carolus castra super Albim haberet, venerunt ad eum Legati de Pannonia, unius * ex Primoribus Hunorum, qui apud suos vocabatur Thudun. Is & suum adventum, & se Christianum fieri velle promisit.* Hæc Annalista Laureshamensis. Addit Loiselianus Oratores dixisse, *quòd idem Tudun cum terra & populo suo se Regi dedere vellet.* Suffragantur Fuldensis, Bertinianus ac Metensis cum Reginone necnon Monacho Egolismensi & incerto Auctore in vita Caroli. Textus Annalistæ Laureshamensis est depravatus, in vulgatis enim exemplaribus non *unius* ut reposuimus, sed *unus* legitur sensu longè diverso, venerunt enim ad Carolum Oratores unius ex Hunnorum Primoribus, cui nomen Tudun, non autem Oratores & unus ex Primoribus Hunnorum. Prava lectio Poëtam Saxonicum decepit, cujus hi sunt Versus.

* *unus*

Tunc ex Hunorum quidam Primoribus illuc,
Tudun habens nomen, venit per longa viarum,
Velle fatebatur Regi qui subdere sese,
Et Christo Domino devotâ credere mente.

IV. Michael Inchofer Ecclesiasticos Annales Regni Hungariæ ab hoc orditur anno, & exordium ducit ab egregiâ Caroli Magni commendatione, quam hic omittere non licet. *Res est, Hungaros à vexandis nationibus non cessasse, quòd divinitus ad castiganda mortalium scelera se factos existimarent, intereà omnium nationum opes in Pannoniam velut in horreum congerentes, tanquam sibi debita essent. Ducentos penè jam annos in affligendis & expoliandis nationibus consumpserant, cùm Carolus in Franciæ Regnum hæredis jure primùm succedens,*

AN. CH. 795. CAROLI R. 27. PIPPINI LUDOV. RR. 15. CAROLI R. 7.

ſuccedens, deinde divinâ diſpoſitione ad Imperium Occidentale vocandus, id in primis curis habuit, ut Eccleſiam & Chriſtianam Rempublicam pacatam ſervaret, omnéſque ab ea hoſtiles, præſertim infidelium, incurſus averteret; vel Religione, cum iis paciſcendo ſi Chriſtiana ſacra ſuſcipere voluiſſent; vel, ſi recuſaſſent, prælio & ſanguine decertando: neque enim ſuo magis, ut plerique libidine faciunt, quàm Chriſti Regno proferendo operam navavit: idcircò tot felix ſucceſſibus, tot clarus victoriis, quot acceſſione gentium ad Chriſtum, jure Auguſtus, & de Eccleſia Catholica benè meritus, quem ea de cauſa Hadrianus Papa Conſtantinum alterum appellavit. Hoc itaque anno ſeptingenteſimo nonageſimo-quinto, Thuduinus, ſive, ut alii ſcribunt, Theodo vel Thudo, Rex Hungarorum, Legatos mittens ad Carolum, & ſuum adventum ſignificavit, & ſe cum ſuis fidem Chriſtianam ſuſcepturum ſpopondit. Alii non Regem eum, ſed unum ex Primoribus Hungarorum, & Magnæ poteſtatis Dynaſtam fuiſſe, eò tradunt, quòd à morte Attilæ in plures ſecta natio, ferè à pluribus regebatur. Creditur permotus, aut afflictione ſuæ gentis, quæ jam tot bellis à Rege Chriſtiano fracta, ſuperſtitionem ſuam virtute deſtitutam rebatur, ídque opinione verius, quòd paulò antè Saxones quoque Chriſtianæ Religionis deſertores, atque ideo rebellantes, validâ manu coercuiſſet.

V. REDIT AQUISGRANUM.

Rex afflictis, ut Annaliſta Loiſelianus perſequitur, *magna ex parte Saxonibus, eorúmque terrâ vaſtatâ, acceptíſque obſidibus, in Gallias rediit, & in Palatio, qui vocatur Aquiſgrani, Natalem Domini celebravit.* Cùm illic eſſet, ad eum venit Sordarius Hunorum Regulus, allatum de Hadriani Papæ morte nuncium, delatíque ex Hunia theſauri. Tria hæc in prælaudato Moiſſiacenſis Cœnobii Chronico commemorantur. Primum ſic. *Tunc ad Aquis Palatium de terra Avarorum* ſive Hunorum, *Regulus quidam, nomine Sordarius, ad Dominum Regem veniens cum comitibus ſuis, quem Dominus Rex honorificè ſuſcepit, & baptizare juſſit, & eos, qui cum eo venerant, cum magno honore & donis eum remeare fecit ad propria.* Mors Adriani proximè ſic ſubjungitur. *In ipſa hyeme, id eſt,* VIII. *Kalend. Januarias, ſanctæ memoriæ Dominus Adrianus Summus Pontifex Romanus obiit.* At quæ ſequuntur de rebus à Carolo geſtis, poſtquàm Adrianum ex hac vita ſublatum audivit, quæque de theſauro Hunnorum præmittuntur, ad annum ſequentem pertinent in noſtra computatione, quia principium anni à Kalendis Januarii petimus. Obſerva quoque Adrianum non VIII, ut textus præcitatus habet, ſed VII Kalendas Januarii deceſſiſſe, eodémque die electum fuiſſe ſucceſſorem Leonem Tertium, de quo ſæpè locuturi ſumus. Anaſtaſius elogium Adriani ſic claudit. *Sepultus eſt in Baſilica Beati Petri Apoſtoli, 7. Cal. Januar. Indict. 4. Fuit autem temporibus Caroli Magni Regis.* Deinde hæc de Leonis electione paulò pòſt ſubjungit. *Divinâ inſpiratione, unâ concordiâ; eâdémque voluntate, à cunctis Sacerdotibus ſeu Proceribus, & omni Clero, necnon & Optimatibus, vel cuncto populo Romano, Dei nutu, in Natali beati primi Martyris Stephani electus eſt, & ſequenti die in Natali Sancti Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei Pontifex in Sede Apoſtolica ordinatus eſt.* Agemus anno ſequenti de nuncio, quod Carolus cùm de Adriani morte, tum de Leonis electione accepit.

SORDARIUM HUNNORUM REGULUM HONORIFICE SUSCIPIT, ET BAPTIZATUM REMITTIT CUM MUNERIBUS.

ADRIANUS PP. MORITUR. SUCCEDIT LEO.

VI.

Ferdinandus Ughellus Tomo primo Italiæ Sacræ, ubi Romanos Pontifices recenſet, de Hadriano Primo ſic ſcribit. *Ad Apoſtolicam Sedem evectus eſt die 9. Februarii, ann. 772, Conſtantino Copronymo imperante. Sedit ann. 23. menſes 10. dies 17. Mortuus eſt in ſumma tranquillitate temporum ann. 795, ſepultúſque Romæ eſt apud S. Petrum, cujus beatiſſimæ memoriæ Carolus ipſe Magnus, quem eximiè ſuperſtitem coluerat, ſepulchrum erexit, atque epitaphio à ſe compoſito exornavit. Unde planè conſtat vaticinari profunum illos, qui Hadrianum ſcribunt Spilemberti prope Mutinam vitam liquiſſe, illiúſque hoc tempore corpus in celebri Sancti Silveſtri Abbatia apud Nonantulam requieſcere.* Et de Hadriano Tertio, ſic. *Ad Petri Cathedram ſubvectus eſt 13 Kal. Februarii,*

AN. CH. 795. CAROLI R. 27. PIPPINI LUDOV. RR. 15. CAROLI R 7.

anno 884, imperantibus Carolo Tertio ac Basilio Macedone. Unum tantùm annum sedit, menses 3. dies 21. Fato cessit Id. Martii, ann. 885, super fluvium Scultenam in villa dicta Witrachara, sepultúsque in Monasterio S. Silvestri Nonantula prope Mutinam, ubi pia credulitas fidelium illum veneratur ut Sanctum, jacétque conditus sub majori Altari. Hinc erravere plerique illum Primum Hadrianum existimantes in Nonantulana Monasterio requiescere, quod non ita esse suprà docuimus ex epitaphio sepulchróque, quod eidem Romæ Carolus Magnus gratiâ familiaritatis excitavit. Deinde Tomo secundo in Mutinensibus Episcopis ª sententiam mutat, & Hadrianum Primum in Diœcesi Mutinensi mortuum atque apud Nouantulam tumulatum asserit. Auctores opinionis novæ duos allegat anonymos, à quibus ejusdem Hadriani Gesta metro prosâque conscripta sunt, nec dissimulat epitaphio se multùm torqueri, quod Romam transmissum est à Carolo, & in Ecclesia Vaticana sepulchro impositum legitur. *Quomodo verò*, inquit, *Carolus eundem apud Vaticanam Basilicam epitaphio à se composito exornaverit, cùm ille Nonantulæ humatus esset, an honoris, observantiæ, dulcisque ejus memoriæ causâ, quem eximiè superstitem coluerat, in celebri Christiani Orbis Vaticano Templo honorarium sepulchrum elogiúmque extare perpetuò voluerit, an verò Hadrianum apud Spilimbertum defunctum, in Nonantula Ecclesia delatum, ibidem ad tempus humatum, relatúmque deinde Romam, & in Vaticano reconditum Carolus sepulchro & elogio illustraverit prudens judicabit lector.* Sed Anonymus, quem citat, Hadrianum lougè post obitum Caroli, imò post concrematam ab Hungaris Nonantulam, id est, post annum Christi nongentesimum, apud Nonantulam adhuc quievisse testatur textu valdè fabuloso, quem ægrè suscipimus magna hic ex parte describendum, ut æquum de Scriptoris auctoritate judicium feras. *Hic*, nempe Hadrianus Papa, *dum ad Regem Carolum pergeret, ut veterum pandit memoria, in locum, qui Spina * Lamberti vocatur, vitam finivit* VIII *Idus Julii, & ad Ecclesiam Monasteriúmque Beati Silvestri, quod Nonantula dicitur, perductus honorificè sepultus est. Ubi etiam usque hodie miraculis coruscare dignoscitur. Cujus morte Carolus Francorum Rex auditâ nimiùm condoluit, diúque se in lamentis dedit*, &c. *Sepulto itaque Summo Pontifice & Universali Papâ Hadriano Apostolicis * Infulis involuto, ut mos est Romanum sepelire Episcopum, in præfato Nonantulano Monasterio, sicut superiùs prælibati sumus, septem jam dicto Cœnobio Diaconi & Monachi stolidissimum consilium reppererunt, dicentes. Quid huic Sancto & animæ defuncti prodest, quòd tantæ pulchræ vestes marcescant terreno humore? Melius certè esse, si hæc Sancta Ecclesia de illis honorem haberet; idcircò ad hoc venientes nocte omnes insimul ad sepulchrum ejus pergamus, & lucidis ac coruscis vestibus eum exuamus, & vilioribus vestibus induamus. Luce igitur discedente, & tenebris terram obumbrantibus, omnes ad monumentum exeuntes, eum cum silentio dissepelierunt, & vestimenta ei arripuerunt. Et ut lucidiùs & apertiùs hoc ab omnibus credatur, adhuc unam pulchram planetam, quam crassantes ei abstulerunt, in nostro Monasterio habemus. Sed ut animi similium de tali facinore contabescant, hoc in verum scimus, quia nullus evasit impunitus. Omnis namque ille funestus tumultus in eodem anno suæ vitæ finivit cursus, nisi tantummodo unus. Ipse verò, qui superstitit, in ecstasi ereptus, Sanctum Hadrianum vicinum Sancto Silvestro sedentem cernit. Qui etiam Sancto Silvestro de tali injuria conquerebatur, dicens. Domine, en Monachus tuus audacissimus, qui me expoliavit cum suis consortibus; de sua itaque audacia, te deprecor, ut mihi vindictam facias. Beatissimus verò Sylvester humilibus verbis respondens inquit. Noli mihi hoc, frater, dicere, sed, ut tuæ voluntati libet, eum de sua stultitia stude punire. Tunc B. Hadrianus eum arripiens, ter Pastorali virgâ percussit, dicens. Ista in mundo ostende signa, quatenus hic te fuisse omnis populus credat. Ibique quendam ejusdem Monasterii Monachum, adhuc in schola parvulum manentem, in ordine Abbatum ostendit sedentem. Mox autem ipse in se reversus * quid sibi evenit recitabat. Quem verò Abbatia ho-*

ª In Gisione Ep. 12.

FABULA DE HADRIANI PP. SEPULTURA REFELLITUR.

* Spinam

* Apostoli

* quærere

*norem habere debebat, ipse prædicebat, factus autem pœnitens usque ad vitæ suæ marginem omni die ad sepulturam ejus totum Psalterium canebat. Cùmque Sancti Silvestri Ecclesiam omnis populus renovare destinaverat, Sancti Hadriani corpus in alio sepulchro recondere cœperant. Ubi verò ejus corpus ita cum magna laude mutaretur, quidam ejusdem Ecclesiæ Vicedominus unum ex ossibus ejus improvidè tangere præsumpsit; quod ita fervidum esse senserat, ut se accensum ignem in manu tenere crediderat; mox illud deponens, quando manum suam exarsam conspexerat, velociter ad mansionem suam perrexerat, & unam candelam ad imaginem suam longam fecerat, & currens ad Sancti Hadriani sepulturam, leniter cum magna devotione eam obtulerat; mox autem ex manu sanus effectus rediit lætus. Hoc quoque multi se vidisse narrant, qui adhuc mundo restant. Videns igitur omnis populus tanta Miracula summi Dei potentiam * ostendere ob illius merita, eum venerari decreverunt, ac in quantùm valebant, eum colebant. Sed cùm divinâ ultione Nonantulanum Castrum concrematum fuisset, etiam arca, in qua Sancti ac Beatissimi Hadriani Papæ ossa jacebant, fuit exarsa; ossa verò ejus cum pannis ejus involutis in medio ardentis ignis ita illibata permanserant, ut ne aliquam panniculi particulam ignis tangere præsumpserat. Et ut hoc suggerat fidei augmentum, omnes scitote, quòd in eisdem pannis adhuc ossa ejus jacent forentia odorem immensum.* Anno Christi tertio supra nongentesimum Hungari Nonantulam incenderunt. Ad illum enim annum ita Sigonius. *Mutinam ingressi, urbem intactam virtute Sancti Geminiani Episcopi reliquerunt. Nonantulano Monasterio diti in primis atque opulento fœdum incendium est illatum. Leopardus Abbas cum Monachis fortè evasit incolumis.* Hoc de Leopardo sic Auctor Chronici Nonantulani. *Leopardus electus Abbas sedit annos 13. menses duos, dies 19. ordinatus anno Domini 899. obiit 12 Kal. Julii.* Hæc dicta sunto, ut anonymum, in quem inquirimus, ante decimum seculum scripsisse non immeritò neges. Alter haud potioris est auctoritatis, ubi suum Carmen de Gestis Hadriani Primi sic claudit.

* potentia.

Ad Carolum Regem posthac cum pergere vellet,
Lamberti campo vitam finivit in amplo,
Qui propter casus Lamberti Spina vocatur.
Ad sacrum cujus concurrunt undique funus.
Hinc resonant cantus, hinc fert turbatio planctus.
Ecclesiâ Sancti Silvestri jure colendi
Corpus sacratum cum luctibus est tumulatum.
Fletibus expletis lætare Nonantula felix,
Cui Dominus tantum concessit habere Patronum.

VII. Rerum in Hunia præclarè gestarum auditâ narratione, statim Alcuinus literas [a] direxit ad Paulinum Patriarcham Forojuliensem, de cujus zelo multa pro fide per illam regionem propaganda sperabantur. *Mirabiliter de Avarorum genere triumphatum est, quorum Missi ad Dominum Regem directi subjectionem pacificam & Christianitatis fidem promittentes. Et, si hoc, divinâ eos præveniente gratiâ, verum est, quis se servorum Dei tam pio & laudabili labori subtrahere debet, ut diaboli diruatur sævitia, & Christi Domini crescat servitium? Sed quamplurimorum in te, Pater optime, oculi respiciunt, quid vestra veneranda Sanctitas facere velit. Quia & vicinitas locorum tibi competit, & sapientiæ decus suppetit, & auctoritatis excellentia tibi appetit, & cuncta conveniunt, quæ tali operi necessaria esse videntur.* In iisdem literis Alcuinus eidem Paulino bis se paulò antè scripsisse sic testatus est. *Binas vestræ Paternitati paulò antè direxi cartulas, unam per sanctum Episcopum Histriensem, aliam per virum venerabilem Æricum Ducem.* Is est Henricus Dux, de quo plura dicemus anno sequenti. Licèt autem hæc Alcuinus Forojuliensi Patriarchæ scripserit, commodius tamen visum est, ut Hunnorum eruditio Salisburgiensi Episcopo committeretur. Ea quoque de re loquemur infrà, nec Epistolas omittemus, quas idem Alcuinus Arnoni Salisburgiensi Antistiti direxit.

[a] Ep. 112.

ALCUINI LITERÆ AD PAULINUM PATRIARCH. FOROJULIENS.

AN. CH. 795. CAROLI R. 27. PIPPINI LUDOV. RR. 15. CAROLI R. 7.

VIII. SYNODUS FOROJULIENSIS.

Paulinus Foro-Julienſis Patriarcha, poſt Synodum Francofurtanam, cui præſens anno priori cum aliis Præſulibus è diverſis provinciis interfuerat, in patriam reverſus, Concilium Foro-Julienſe cum ſuffraganeis Epiſcopis hoc anno celebravit, regnantibus Carolo & Pippino, quorum nomina Synodalibus apicibus ſic apponuntur. *Regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto in perpetuum ſuper omnes cælos, & ſuper omnem terram, Rege Regum & Domino dominantium, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. De cujus largiſſima benignitatis manu Invictiſſimi Principes Dominus Carolus ac Pippinus, donativo pietatis ejus ſuſcepto, Regalia ſceptra, ipſo opitulante, proſperis gubernare rebus probantur.* Error irrepſit in proximam periodum, quæ perperam utriuſque Regis annos ita comparat. *Anno igitur feliciſſimo Principatûs eorum tertio & viceſimo, & XV. Canonicis ſiquidem evocatum ſyllabis fraternum quorumdam Epiſcoporum contubernium Foro-Julium municipium Metropolim Aquilegienſem veneranter coacervatum convenit.* Annus Caroli viceſimus-tertius cum anno Pippini decimo-quinto componi non poteſt, Regnum enim inierunt Carolus anno Chriſti ſeptingenteſimo duodeſeptuageſimo, Pippinus anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo. Conciliorum Collectores, quotquot Foro-Julienſem hanc Synodum ediderunt, annum Chriſti præfixerunt ſeptingenteſimum nonageſimum-primum, quocum annus Caroli Regis viceſimus-tertius rectè confertur. At ſi viceſimum-tertium Caroli Regis annum ſervandum cenſuerunt, emendare debuerunt annum Pippini Regis decimum-quintum, cui nec annus Chriſti ſeptingenteſimus nonageſimus-primus, nec annus Caroli Regis viceſimus-tertius illigatur. Imus in opinionem omnino contrariam. Retinendum enim exiſtimamus annum Pippini Regis decimum-quintum, & expuncto Caroli Regis anno viceſimo-tertio reponimus viceſimum-ſeptimum, quocum annus Chriſti ſeptingenteſimus nonageſimus-quintus, & Pippini Regis annus decimus-quintus conveniunt. Hanc correctionem confirmant, quicumque Felicianam hæreſim aſſerunt *tertiò* condemnatam in Synodo Francofurtana, Felicem enim inſinuant damnatum, primò Reginoburgi, deinde Romæ, tertiò Francofurti, & Synodum Foro-Julienſem, in qua quoque damnatus eſt, rejiciunt poſt Francofordienſem, quam conſtat anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-quarto celebratam fuiſſe. Felicianam autem hæreſim in Synodo Francofurtana *tertiò* condemnatam affirmant Annaliſtæ, Loiſelianus, Tilianus, Bertinianus, & Metenſis, necnon Regino, Monachus Egoliſmenſis, & incertus Auctor, quos anno priore jam citavimus, cùm de Synodo Francofurtana nobis eſſet ſermo.

IX. Quâ Paulinus occaſione Concilium Foro-Julienſe congregarit, ipſemet in oratione ad comprovinciales Epiſcopos ita declarat. *Quamobrem, juxta quod definitum eſt, in hac veneranda Sede, cui, Deo authore, non meis meritis, ſed gratuito me praeſſe munere recognoſco, per tot temporum curricula minimè ſit reverendi Concilii Seſſio celebrata, veſtram ſcire non ambigo ſynceriſſimam charitatem. Nam propter improbos, qui ſolent irrumpere, mundanos tumultus, propterque imminentia præliorum bella, quæ circumquaque per gyrum finium noſtrorum frementi ferocitate ingruere non ceſſabant, intermiſſum interim hoc magnificum opus procul dubio poterit adprobari. Veruntamen non penitus intermiſſum veridicis valebit aſſertionibus æſtimari. Nam quoties reverendis Principalibus accerſiti imperiis, in generali celeberrima Synodi venerabilium Patrum conventione, humillimam parvitatis meæ præſentiam, quia ſæpiùs contigit adfuiſſe, veſtris eſt animis, ut opinor, non celatum, veſtriſque etiam obtutibus aliquoties latiùs patuiſſe in promptu, non dubito. Nunc autem divinâ opitulante clementiâ, attritis utique ferocium barbarorum ſuperbia typho erectis cervicibus, auxilio per omnia adminiculante de cælo, redditâ jam quietiſſimâ pace terris, ſupernâ prorſus largiente gratiâ, paululùmque reſpirantibus Regalibus juſſis, neceſſarium duximus ſummoperè feſtinantes dilectiſſimam Fraternitatem veſ-*

tram, juxta priscorum Canonum inviolabiles Sanctiones, in uno Collegio aggregari.

AN CH. 795. CAROLI R. 27. PIPPINI LUDOV. RR. 15. CAROLI R. 7.

Illis temporibus, *de Spiritu Sancto controvertebatur*, inquit Binius, *an is à solo duntaxat Patre, vel à Patre simul & Filio procederet? Antiquam controversiam adversùs hæreses sæpiùs antehac damnatas, Paulinus doctissimè decidit, ostendens Patrem & Filium unum esse principium processionis Spiritûs Sancti, adeóque impium & blasphemum videri, contra sententiam ab universa Ecclesia, temporibus Sancti Leonis Magni, receptam novos errores concitare. De Incarnatione Verbi Divini* Felix & Elipandus Episcopi, de quibus sæpè jam locuti sumus, *asserebant Dominum nostrum Jesum Christum secundùm naturam divinam dicendum esse Dei filium naturalem, secundùm humanitatem verò eundem Filium Dei adoptivum esse nominandum. Quæ doctrina cùm duos Dei Filios assereret, adeóque Nestorianismum jam diu antè condemnatum resuscitaret, Paulinus, recitatione Symbolorum Nicæni & Constantinopolitani, eandem solidissimè refutavit, explosit & condemnavit.* Lege orationem ipsius Paulini jam laudatam, quam Synodi Capitulis præfixam habes, in eodem enim Concilio Patres, postquàm tractationem dogmaticarum disputationum absolverunt, quatuordecim Canones, qui spectant ad Ecclesiasticam disciplinam, hoc ordine sanxerunt. X.

QUA OCCASIONE CONVOCATA. CANONES AD ECCLESIASTICAM DISCIPLINAM SPECTANTES.

Primus simoniam prohibet. *Juxta priscas Patrum divinitus editas Sanctiones, nullus Domini Sacerdotum, vel quicumque sub Canone constituti, Canonicas, quin imò Apostolicas ignorantes aut parvipendentes definitiones, inordinatè vel inhonestè in domo Dei, quæ est Ecclesia, conversentur, sed in suo ordine cunctis persistentibus, pulchritudo Ecclesiastici decoris inviolata permaneat. Illud summoperè vigilantíque studio præcaventes decernere curavimus, ut nullus Canonicæ deditus ditioni, donum Sancti Spiritûs, pecuniæ pretio fraudulenter deceptus vendere vel emere præsumat; ne cui in quemlibet sacrum Ecclesiastici Ordinis gradum, muneris exigente merito, liceat quempiam subvehendo promovere: patentíque semper cordis aure pertimescens intellige claram illam Domini vocem dicentis [gratis accepistis, gratis date.] Hanc quippe pestiferam Simoniacam hæresim primus Pastor Ecclesiæ in ipsa, ut ita dixerim, originali cupiditatis radice, anathematis ferro funditus resecare curavit.* XI.

Secundus est de Pastoribus, quos gregi suo longè præcellere convenit. *Ut longè altiùs excelsa vita Pastoris comparata subditi gregis, quibus singulariter boni Pastoris voce dicitur [Vos estis lux mundi.] Et rursus. [Vos estis sal terræ.] Et iterum. [Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.] Hinc enim colligi potest in quantùm distare debet Pastor à grege, dum istos homines, & illos plusquàm homines, id est, lucem hominum, Dominus voluit appellari. Si ergo lux mundi sumus, lucere utique absque nebulosa hypocrisis admixtione debemus. Et, si sal terræ sumus, condire nihilominùs terrenas mentes sapientiæ sapore per vim prædicationis debemus.* XII.

Tertius, postquàm in Clericis tria damnavit, ebrietatem, impudicitiam & gestionem secularium negotiorum, speciatim insectatur ebrietatem. *Item placuit, ut sobriè, piè castéque juxta Apostolum viventes, fugiamus turpis lucri gratiam. Non in comessationibus & ebrietatibus, & inebriemur vino, in quo est luxuria. Quemadmodum per semetipsam Veritas generaliter in Evangelio præcipiendo testatur, dicens. [Cavete à crapula & ebrietate, & curis hujus seculi.] Unde in Ecclesiastico Canone sententialiter constat decisum, aut cessare ab hujusmodi vitii ingurgitatione, aut certè perseverantes honoris jacturâ periclitari debere. Quorum hujus ultricis sententiæ dictatorum nos complices ac fautores esse fatemur.* XIII.

Quartus, ut à Clericis impudicitiæ suspicio penitus amoveatur, eis cujuscumque mulieris cohabitationem interdicit, ne matre quidem exceptâ: *Ut, juxta Nicæni venerandi diffinitionem Concilii, nullus patiatur subintro-* XIV.

AN. CH. 795. CAROLI R. 27. PIPPINI LUDOV. RR. 15. CAROLI R. 7.

ductas mulieres secum in domo propria hobere, vcl privatè cum eis cohabitantes conversari. Et quamquam de quibusdam inhonestâ carentibus suspicione clementiùs aliquo modo inibi legatur indultum, nos tamen omnes omnino nunc necessarium vetare pro.speximus, eò quod experimento didicerimus, illarum velamento alias licentiùs ad eos aditum veniendi, perditionis causam, habuisse. Non autem vetamus quempiam, sed potius adhortamur, pauperibus personis jure sibi cognationis conjunctis benefacere, cum sit omnibus benefaciendum, sed ab eis segregatæ in suis degentes domiciliis perseverent. Nicæni Concilii Canon tertius, ad quem Foro-Juliense Concilium alludit, matrem exceperat cum sorore & amita, Μητέρα, ἢ ἀδελφὴν, ἢ θείαν.

XV. Quintus vetat, ne Clerici secularibus se negotiis implicent. *Ut secularia negotia ultra modum mensuræ nulli liceat exercere. Ait enim Apostolus.* [*Nemo militans Deo, implicet se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit.*] *Intueri quapropter subtiliùs libet, cujus nos esse Regis milites gratulamur. Et quia in castris Dominicis militamus, sollicitè pensare constringimur, quibus armis muniti, cum tanto adversario certaminis bella aggressi pugnare valeamus, ut expediti ab omni præsentis seculi impedimento intrepidi in prima acie persistentes, post palmam victoriæ, triumphatricis gloriæ coronam ab eo Rege, qui nos de antiquo hoste triumphavit, suscipere mereamur.*

XVI. Sextus præcipit, ut Clerici mundanas dignitates, secularia Cantica, inanémque lætitiam respuant. *Item placuit, ut eas prorsus mundanas dignitates, quas seculares viri vel principes terræ exercere solent, in venationibus scilicet, vel in Canticis secularibus, aut in resoluta & immoderata lætitia, in lyris & tibiis, & his similibus lusibus, nullus sub Ecclesiastico Canone constitutus, ob inanis lætitiæ fluxum, audeat, fastu superbiæ tumidus, quandoque præsumendo abuti; nisi fortè si in hymnis & spiritualibus Canticis delectatur, de sacris videlicet scripturarum voluminibus dignè honestéque compositis utatur. Ab his igitur non solum non inhibemus abstinere, verùm etiam conniventes licentiæ concedimus votum.*

XVII. Septimus Presbyterum, Diaconum, aut Archimandritam de suo dejici gradu non patitur inconsulto Patriarchâ Foro-Juliensi. *Item placuit, ut nullus Episcoporum Presbyterum, vel Diaconum, vel Archimandritam, in dispendio honoris condemnare præsumat, absque hujus venerandæ Sedis consultu. Si quis post hæc prohibita temerarius usurpare tentaverit, non erit ambiguus de sui honoris periculo.*

XVIII. Octavus est de matrimonio inter affines contracto. *De his autem, qui propinqui sanguinis affinitatem sibi in matrimonium sociare tentaverint, quia valdè gravis nimísque asperrima in prisco Canone ab antiquis Patribus de hoc negotio judicialis sententiæ elimata sub pœnitentiæ flagello persistit vindicta, idcircò tanti præcaventes flagitii periculum, ut meliùs cautiúsque prospeximus, dignum duximus diffinire, ita duntaxat, ut nemini liceat furtim raptímque nuptias contrahere, ne fortè per erroris ignaviam, vel certè (quod pejus est) diabolico instigati amore, illicita connubia celebrentur. Sed interventis pactis sponsalibus, per aliquam dilationis moram, requisiti quin etiam diligenti curâ vicini vel majores natu loci illius, qui possint scire lineam generationum utrorumque, Sponsi scilicet vel Sponsæ. In eo etiam, ut sine notitia Sacerdotis plebis illius nullatenus fiat, quatenus nulla deinceps separationis tribulatio intercedat. Si verò hoc ordine cuncta peragantur, ac probatum sine fraude testium fuerit, & causa contigerit, quod posteà aut ipsi recordati fuerint, qui primùm se nescire professi sunt, aut certè per aliorum veracium hominum testimonium inventi fuerint in eo gradu consanguinitatis, qui segregari solent, segregentur quidem ab invicem & agant pœnitentiam, &, si fieri potest, perseverent utrique innupti. Quòd si propter incontinentiam, vel certè, quod est honestius, amore filiorum in id permanere nequeunt, transeant quidem ad secundas nuptias. Hoc autem dicimus secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. Beatiores tamen erunt, si sic permanserint, secundùm nostrum*

AN. CH. 795. CAROLI R. 7. PIPPINI LUDOV. RR. 15. CAROLI R. 7.

consilium. Filii verò, qui ex tali matrimonio procreati fuerint, legitimi habeantur ad hæreditatem defuncti capiendam. Qui autem non observaverint omnia hæc, quæ pro salute animæ & frugalitate vitæ suprà compendiosè scripta leguntur, & furtivas vel interdictas nuptias contrahere præsumpserint, & proximi cognationis fuerint inventi, separentur quoque & ipsi, & cunctis diebus vitæ suæ sub pœnitentiæ lamento permaneant, atque ad secundas nuptias numquam ille vel illa perveniant, alieni à communionis gratia judicentur, filiíque, qui de hoc tam incesto conjugio nati fuerint, improbi habeantur, nullámque rerum adipisci valeant parentum facultatem.

Nonus statuit, *ut nullus præsumat ante annos pubertatis, id est, infra ætatem, puerum vel puellam in matrimonium sociare, nec in dissimili ætate, sed coætaneos sibíque consentientes.* Hujus decreti rationem Patres sic reddunt. *Multas sæpiùs ex hujuscemodi nuptiali contractu ruinas animarum factas audivimus, & tales fornicationes perpetratas, quales nec inter gentes. Ita planè, ut cùm contigit puerum adultum esse, & puellam parvulam, & e contrario si puella maturæ ætatis & puer sit teneræ, & per virum cognata & socrus deprehendantur adulteræ, & per puellam frater vel pater pueri tanti peccati flagitio pereant irretiti.* Deinde pœnas in istius sanctionis contemptores ita decernunt. *Unde qui hæc prohibita de cætero usurpare præsumpserit, ab omni Ecclesiastico consortio sit alienus, sed * nec à publicis sit immunis judiciis.* XIX.

* & à

Decimus vetat, ne vir, qui conjugem propter fornicationem dimisit, aliam uxorem ducat adulterâ superstite, talíque mulieri, si marito superstes fiat, spem omnem secundarum nuptiarum in pœnam reatûs tollit. *Item placuit, ut, resoluto fornicationis causâ jugali vinculo, non liceat viro, quamdiu altera vivit, aliam uxorem ducere, licet sit illa adultera; sed nec adultera, quæ pœnas gravissimas vel pœnitentiæ tormentum luere debet, alium accipere virum, nec vivente, nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito. Nam etsi legatur in sacris Evangelicis paginis, solâ fornicationis causâ dixisse Dominum, dimittere virum uxorem suam, non tamen legitur concessisse aliam, vivente illâ, in conjugio sibi sociare, prohibuisse quidem modis omnibus non ambigitur. Ait enim. [Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.] Qua de re ita diffinire prospeximus, ut, juxta ejusdem Domini mellifluam vocem, nemo hæc interdicta violator inculcare præsumat. Sed quoniam in medio ambiguus interponitur sermo, id est, [nisi ob fornicationem,] quæri nimirum potest, utrùm ad solam licentiam dimittendi uxorem, [qui dimiserit uxorem nisi ob fornicationem,] an etiam ad utrumque dictum refertur, hoc est, ad aliam, vivente illâ, accipiendam, quasi dixerit. Qui dimiserit uxorem suam, & aliam, nisi ob fornicationem, duxerit, mœchatur. Et idcircò peritissimi viri Beati Hieronymi libellum Commentariorum reconferri nobis studiosè mandavimus, anxiè utique cognoscere festinantes, qualiter idem famosissimus Doctor hæc sacrata Dominica verba, juxta capacioris ingenii sui subtilitatem, sensisse monstraretur. Cujus nimirum sensum sagaciter explorantes, in promptu nihilominùs patuit, ad solam dimittendi uxorem licentiam pertinere. Nam cùm more suo vir Sanctus, hujus capituli summatim seriem exponendam transcurreret, inter cetera & post pauca sic ait. [Et quia poterat, inquit, accidere ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam primâ vivente non habeat.] Non enim debet imitari malum adulteræ uxoris, ut, si illa duo, immò unam carnem per scissuras fornicationum divisit in tres, dividat in quatuor. Unde patenter datur intelligi, quamdiu vivit adultera, non licet viro, nec potest impunè secundas contrahere nuptias.* Beati Hieronymi textus, quo Patres Foro-Julienses utuntur, habetur in Commentariis ad caput undevicesimum Sancti Matthæi. XX.

Undecimus Canon pœnas decernit in fœminas seu puellas seu viduas, quæ in proposito seu virginitatis seu continentiæ non perseverant. *Item placuit* XXI.

AN. CH. 795. CAROLI R. 27. PIPPINI LUDOV. RR. 15. CAROLI R. 7.

de fœminis cujuscumque conditionis, puellis scilicet vel viduis, quæ virginitatis sive continentiæ propositum spontaneè pollicentes, Deo emancipatæ fuerint, & ob continentiæ signum nigram vestem, quasi religiosam, sicut antiquus mos fuit in his regionibus, indutæ fuerint, licèt non sint à Sacerdote sacratæ, in hoc tamen proposito eas perpetim perseverare mandamus. Si verò posteà sese sive clanculò corruperint, seu publicè nupserint, dignis mundano judicio corporalibus coercitæ vindictis, segregentur ab invicem, & agant cunctis diebus vitæ suæ pœnitentiam, & à communione Corporis & Sanguinis Christi priventur, nisi fortè Pontifex, re scitâ illorum pœnitentiâ, si digna fuerit, humaniùs prævidens, poterit communionis gratiam indulgere. In extremo tamen vitæ suæ viatico humaniùs indulto non defraudentur. Et in his rebus præcipuè illa modis omnibus custodiatur interdictio, ut nulli liceat, prædictis personis habitum, id est, vestem mutare, absque sui Episcopi conscientia.

XXII. Duodecimus viros aditu puellarium Monasteriorum, Abbatissas & Monachas egressu Cœnobiorum interdicit, peregrinatione ad Apostolorum limina, quamvis ad pietatem composita videatur, ne quidem eis permissâ. *Hoc igitur inviolato stylo justè sancire prospeximus, ut Monasteria puellarum, quæ sub disciplina Regulæ degunt, obstructiùs munitis claustris, nullo pateant, nisi fortè compellente necessitate, aditu virorum. Sed neque Presbyteri, vel Diacones, vel quilibet de Clero vel etiam Archimandritis, quasi visitationis vel prædicationis causâ, sine permissu Episcopi civitatis, sibi licentiam tribuat ineundi. Quin etiam nec Episcopus absque Sacerdotibus vel Clericis suis, ut decet & honestè convenit, adire illuc licentiùs se existimet. Sed sive ipse, sive qualibet Religiosa persona, alienus ab illicita suspicione, quem morum gravitas ornat, permittente & admonente Episcopo, exhortationis vel ædificationis obtentu, quæ ad salutem animæ pertinet, dignum fuerit, ut adeant hæc Deo dicata loca, non aliter, sed cum idoneis testibus peragant, ne propter incautam præsumptionem Sanctæ Ecclesiæ infametur Angelicus ordo. Et nulla ullo unquam tempore licentia sit Abbatissæ vel cuilibet Monachæ, transfigurante se Satanâ in Angelum lucis, quasi orationis causâ, suggerente eis, Romam adire, vel alia loca venerabilia circuire. Quàm sit namque irreligiosum & reprehensibile cum viris propter itineris necessitatem conversari, nullus tam excors est vel desipiens qui ignoret. Si quis, post hanc definitionem hujus reverendi Concilii, de his, quæ consonâ voce salubritérque statuta sunt, temerario ausu violare tentaverit, Canonicis coerceatur vindictis, scilicet aut juxta modum & qualitatem culpæ excommunicatione mulctetur, aut anathematis vinculo penitus vinciatur, aut certè honoris proprii amissione nudatus, reus ab Ecclesiæ gremio evellatur. Hæ enim sunt Canonicæ ultrices vindictæ, à quibus nullus sacræ legis prævaricator poterit immunis abire, nisi fortè pœnitentia interveniente medelâ veniam meruerit adipisci.*

XXIII. Decimus-tertius docet, quomodò dies Dominicus sit colendus. *Diem autem Dominicum inchoante noctis initio, id est, vespere sabbati, quæ in prima lucescit sabbati, quando signum insonuerit, vel hora est ad vespertinum celebrandum Officium, non propter honorem Sabbati ultimi, sed propter sanctam illam noctem primi sabbati, hoc est, Dominici diei, cum omni reverentia & honorifica Religione venerari omnibus mandamus Christianis. Abstinere primum omnium ab omni peccato, & ab omni opere carnali, etiam à propriis conjugibus, & ab omni opere terreno, & nihil aliud vacare, nisi ad orationem, concurrere ad Ecclesiam cum summa mentis devotione, cessante omni causarum strepitu, cum caritate & dilectione benedicere Deum Patrem, & laudare totis medullis cordis unigenitum Dei Filium, qui istam diem per gloriosam suam sanctificavit Resurrectionem, & Hymnum dicere Sancto Spiritui, qui eam benedixit per admirabilem suum adventum, quando in igneis linguis super beatos descendit Apostolos. Sed & omnium penè dona charismatum in eadem sacratissima die creduntur in mundo collata. Nam in ipsa die Dominus post Resurrectionem in discipulis suis Spiritum Sanctum ad remittenda peccata insufflavit. In ipsa, in deserto Dominus de quinque*

AN. CH. 795. CAROLI R. 27. PIPPINI LUDOV. RR. 15. CAROLI R. 7.

quæ panibus quinque millia hominum pavit. In ipsa die, manna pluit de cælis primùm in eremo, & multa alia spiritalium munificentiæ rerum in ipsa die sunt manifestata, quas cunctas longum est per ordinem recenseri. Ipsum est enim sabbatum Domini delicatum, de quo Scriptura dicit. Qui fecerit in eo opus servile, id est, peccati, morte moriatur. Porrò, si de illo Sabbato diceret quod Judæi celebrant, quod est ultimum in hebdomada, quod & nostri rustici observant, diceret tantùm sabbatum, & nequaquam adderet, delicatum & meum. Sed quia differentiam voluit facere inter illud, & istud, quod est Dominica dies, ideo addidit, meum; ac si diceret, meum, non vestrum, delicatum, non in vestris observationibus maculatum. Et ideo cum omni reverentia est à nobis honorandum atque colendum. Cætera verò principales Festivitates & ipsæ sunt veneranter honorandæ vel custodiendæ. Et illa Festa, quæ Sacerdotes in Ecclesia prædicant, modis omnibus sunt custodienda. Nos autem, qui Sacerdotes vocamur, debemus populum nobis subjectum & prædicando verbis in omni bono, & faciendo quæ docemus, exemplis instruere, in caritate, in castitate, in humilitate, in continentia, in modestia, in vigiliis, in jejuniis & oratione, in Religione, in eleemosynis, in hospitalitate in quantùm vires permittunt, in verbo sapientia sale condito, in temperantia manducandi vel bibendi, in conversatione sancta, in simplicitate cordis, in omni opere bono, piè & justò vivendo, expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Decimus-quartus est de decimis & primitiis, sic. *De decimis verò vel* XXIV.
primitiis, salvis scilicet allegoricarum rerum mysticis sacramentis, nihil melius puto docere, quàm quod scriptum est in Malachia Propheta, dicente Domino. [Inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me in hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes.] Sed quia indignatio & ira Dei manet super gentem vel populum, qui hoc Domini præceptum toto corde & bonâ voluntate non adimplet, suprà præmiserat, dicens. [Si affiget (inquit) homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis, in quo configimus te? In decimis & primitivis vestris. In penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota.] Quæ de re quis non alacri & læto pectore offerat Deo, ut possit illam promereri benedictionem, de qua dicit. [Effundam super vos benedictionem meam usque ad abundantiam?] Vel quis non timeat vel contremiscat illam maledictionem, quam minatur nolentibus offerre. [Vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota?] Et, si fortè nobis non creditis, vel nos despicitis, quia homines sumus, credite ergo ipsi Domino dicenti, qui mentiri non potest, qui utrumque promisit, & maledictionem in hoc seculo & in futuro, nolentibus obedire ejus mandatis, & benedictionem, & abundantiam, & salutem animæ & corporum, bonâ voluntate obtemperantibus ejus imperiis, & in præsenti seculo se daturum & in futuro. Non enim exigit Deus à te quæ non habes, nec pensat quantùm tribuas, sed in quantùm habes, simplici corde de suis, non de tuis donis da Domino. Quia omne quod sumus, vivimus & habemus, ejus est, & de ipsius benignitatis suscepimus manu. Considerat namque quâ mente, & non quantùm in ejus sacrificium offeras, qui potens est, & in præsenti seculo centuplum, & in futuro vitam tribuere sempiternam. Qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu Sancto, & nunc & semper per cuncta secula seculorum. Amen.

Patriarchæ Forojuliensi suberant sexdecim Sedes suffraganeæ, Concor- XXV.
diensis, Vicentina, Patavina, Tarvisina, Cenetensis, Feltrensis, Bellunensis, Comensis, Veronensis, Tridentina, Tergestina, Justinopolitana, Oemonensis, Parentina, Petinensis seu Pucinensis, & Polensis. De illorum locorum Episcopis, ut occasio tulit, locuti sumus, ad annum præsertim Christi septingentesimum septuagesimum-quartum, quo Carolus provinciam Foroju-

STATUS PROVINCIÆ FOROJULIENSIS.

AN. CH. 795. CAROLI R. 27. PIPPINI LUDOV. RR. 15. CAROLI R. 7.

liensem cum reliquo Longobardorum Regno subegit, & ad annum Christi septingentesimum octogesimum-nonum, quo Pippinus, Caroli filius, Longobardiæ Rex, Istriam Græcis ademit. Ex iis autem, quæ commemoravimus, liquet Patavii Bodonem, Tarvisii Fortunatum, Eginum Veronæ, Comi Petrum, Amatorem Tridenti, Parentii Dominicum sedisse, cùm Paulinus Patriarcha Forojuliensem Synodum convocavit, ignorari verò nomina ceterorum Episcoporum, qui Diœceses, Concordiensem, Vicentinam, Cenetensem, Feltrensem, Bellunensem, Tergestinam, Justinopolitanam, Oemonensem, Petinensem, & Polensem tunc administrabant. Hæc de statu provinciæ Forojuliensis obiter dicta sunto.

XXVI. Berta, quæ duorum filiorum mater fuit, unum hoc anno, alterum anno sequenti peperit, Rege vel inscio, vel filiæ suæ probrum dissimulante. Hæc Chronologia ætate Bertæ & Angilberti pœnitentiâ nititur. De ætate Bertæ non semel locuti sumus. Agemus anno proximo de Angilberti pœnitentia & Monachatu. Supicamur Angilbertum, priusquàm ad Caroli Palatium rediret, aliquandiu moratum esse in Longobardia, túncque scriptam ab Alcuino Epistolam, quæ numero est quadragesima-secunda, inscribitúrque *fideli amico & venerabili Angelberto Primicerio*. Initium tale est. *Memor condictæ inter nos amicitiæ, has literas vobis dirigere præsumpsi deprecans, ut benignè harum portitorem literarum suscipere dignemini, & peregrinationis illius viis Dominum Pipinum Regem subvenire deprecemini.* In iisdem literis Alcuinus *insuper* Angelbertum sive Angilbertum *devotissimè* rogat, ut *Sanctorum Reliquias aliquas* sibi curet *transmittere*.

LITERA ALCUINI AD ANGILBERTUM.

XXVII. Carolus Aquisgrani Natalicia Domini celebravit. Ejus loci amœnitate jampridem mitificè captus, ibi Basilicam Sanctæ Dei Genitricis opere magnifico singularíque pulchritudine construxit. Hunc annum notat Carolus Sigonius libro quarto de Regno Italiæ, sequentem Hermannus *Stangefol* libro secundo Annalium Circuli Westphalici. Regiam autem Caroli munificentiam sic commendat Eginhardus in ejus vita. *Plurimæ pulchritudinis Basilicam Aquisgrani extruxit, auróque & argento & luminaribus, atque ex ære solido cancellis & januis adornavit. Ad cujus structuram cùm columnas & marmora aliunde habere non posset, à Roma & Ravenna devehenda curavit.*

AQUISGRANI BASILICA CONSTRUITUR A CAROLO R.

XXVIII. Hoc anno, Amulricus partem hæreditatis suæ Liudgero Presbytero tradidit, & in Charta, cujus fragmentum Henschenius [a] descripsit, Donationem à se factam sic publicavit. *Tradidi ad Reliquias Sancti Salvatoris & Sanctæ Mariæ semper Virginis, & in manus Liudgeri Presbyteri, qui easdem Reliquias procurabat, particulam hæreditatis meæ, id est, ipsum locum, qui dicitur Ad Crucem, cum pratis qui ibi jacent in ripa fluvii Arnapa, ubi quondam avus meus Irminfridus casam habebat cum duobus agris, qui separati sunt non longè ab eodem loco; dominationémque in sylvam quæ dicitur Sitroth, cum pascuis, perviis, aquis, piscationibus, quæ in ipso loco exceli possunt & persici. Acta anno* XXVII *Regni Domni nostri, Religiosissimi Regis Carli,* XVII *Kal. April.* In alia Charta, quam post quadriennium allegabimus, asseritur de Liudgero, quòd prælaudatas Reliquias *semper secum gestare* solitus esset, quas ei, cùm Romæ versaretur, dono datas à Papa scribit Browerus è schedis Fuldensibus.

[a] D. 26 Mart. in Comment. ante vitam S. Ludgeri, §. 4. n. 21.

DONATIO AMULRICI.

XXIX. Hadumarius sive Hatumarus aut Herimarus vel Harimarus hoc anno primus Paderbornensis Episcopus apud Gobelinum Personam Officialem Paderbornensem in Cosmodromio [b] sic constituitur. *Anno Domini* DCCXCV. *Carolus Ecclesiæ, quam in Padeborne fundavit, quendam Canonicum Ecclesiæ Wirziburgensis, Hatumarum nomine, de Saxonia ortum, & tempore superiorum bellorum sibi à parentibus obsidem datum, præfecit Episcopum.* Krantzius [c] in eadem versatur sententia, sed perperam addit Harimarum *sub magisterio B. Burchardi Wirtziburgensis Episcopi* fuisse, nam Sanctus Burchardus Episcopatum Wirtziburgensem abdicavit, imò excessit è vivis longè ante-

[b] Æt. 6. c. 38.

HADUMARIUS PRIMUS EP. PADERBORN. INSTITUITUR.

[c] Lib. 1. Metrop. c. 2.

AN. CH. 795. CAROLI R. 27. PEPPINI LUDOV. RR. 15. CAROLI R. 7.

quàm Carolus Regnum initet. A Personæ & Krantzii calculo, quem Gabriel quoque Bucelinus [a] & Hermannus Stangefolus [b] sequuntur, non multùm recedit Nicolaus Serarius ubi Paderbornensis Episcopatûs erectionem *circa Domini annum* IↃCCXCIV collocat [c].

Reverendissimus & Celsissimus Episcopus ac Princeps Paderbornensis Ferdinandus Furstenbergius opus edidit jam laudatum de Monumentis Paderbornensibus, atque in ipsa Præfatione ad Lectorem de Episcopatu Paderbornensi sic disseruit anno Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo-secundo. *Paderbornensis Diœcesis haud secus quàm Osnabrugensis, Bremensis, Ferdensis, ac ceteræ Diœceses, quamlatissimè suis finibus circumscripta fuit à Carolo M. Id cùm ex aliorum descriptionibus ac tabulis Geographicis, tum vel maximè ex Ludovici Pii Imperatoris, Ludovici Germaniæ Regis, & Caroli Crassi Imp. Diplomatis satis supérque cognitum est, qui Ecclesiam Paderbornensem sub sua tuitione, & immunitatis, ut loquuntur, defensione constituerunt; ac se in Donationum suarum tabulis ad progenitorésque avosque suos, ac postremùm ad Carolum M. primum hujus Episcopatûs conditorem referunt, & ad hos rursum appellant consequentes inde Cæsares, cumprimísque S. Henricus, qui in gemino Diplomate, quorum alterum anno* MIX, *alterum anno* MXXI *consignatum est, Carolum M. fundatorem Ecclesiæ Paderbornensis profitentur. Sanè quanto circùm ambitu Paderbornensis Diœcesis fines Episcopatûs Moguntini, Coloniensis, Monasteriensis, Osnabrugensis, Mindensis, & Hildesiensis contingit, tantùm se per Ducatum Westphaliæ, & regionem Brunswicensium; per Hassiæ & Corbeiæ Principatus, per Comitatum Waldecensem, Lippiensem, Swalenbergensem, Stoppelbergensem, Sternbergensem, Ravensbergensem, Pyrmontanum, Spiegelbergensem, ipsámque veterem Augariam, & Teutoburgienses montes, subjectámque eorum montium planitiem, inter decurrentes Luppiæ & Amisiæ ripas, jurisdictione sacrâ, quamlatissimè exporrigit, ac civili etiam potestate possessionéque, per Hassiæ Principatûs, & Comitatûs Lippiensis magnam partem, Comitatum Pyrmontanum, Stoppelbergensem, Sternbergensem, & Swalenbergensem, antiquitus fuit explicata, atque etiamnum ex parte protenditur. Ac ne fata temporum hic cum aliis requiras, olim multò etiam potentior fuit, quàm nunc conspicitur. Inde, propter amplitudinem Diœcesis, necesse fuit in plures eam Archidiaconorum regiones, partitâ Episcopi operâ dividere. Quarum nobiliores Horhusana cujus pars Hellinghusana, Huxariensis, Herivordiensis, Schildecensis, Lemgoviensis sive Dethmodiensis, præter duos Archidiaconatus majoris Præpositura, & Præpositura SS. Apostolorum Petri & Andreæ, prætérque Archidiaconatum Warburgensem, Iburgensem seu Driburgensem, & Steinheimensem. Ipsa verò Episcopi Sedes tanquam in umbilico Diœcesis, ad Paderæ fontes, celeberrimo totius Westphaliæ loco constituta est, ubi Romanis Francísque belli sedes fuit.*

[a] Part. 2. Germ. Sacr.
[b] Lib. 8. Annal. Circ. Westph.
[c] Not. 29. in vit. S. Bonif.

XXX.

EPISCOPATÛS PADERBORNENSIS DESCRIPTIO.

XXXI. E Diœcesibus in textu proximè descripto nominatis, quas Paderbornensis hodie contingit, pleræque seriùs institutæ sunt. Osnabrugensem & Paderbornensem Episcopatus Occidentalis Saxoniæ antiquissimos agnoscit Bernardus Rottendorffius, sic enim scribit in Præfatione, quam Monumentis Paderbornensibus præfixam reperies. *Scio primam quidem Episcopi Sedem Osnabrugo dari; sed primam in Comitiis Imperii Sedem inter Occidentalium Saxonum Episcopos, cùm ex Metropoli Moguntina, tum ex antiquitatis suæ origine Paderbornæ vendicari. Nec reperio in his Saxoniæ oris vetustius Christianæ Religionis domicilium, quàm Eresburgum. Ibi subverso idolo Martis & fano, de superstitione gentis primùm triumphatum. Ibi & primum veræ Religionis fundamentum & seminarium Christianorum Sacerdotum religiosorúmque virorum à Carolo Magno est positum, eò opportuniùs, quod jam Thuringia & vicina Hassia Christi fidem ex Francorum dominatu & Divi Bonifacii cultura admiserant.* Carolus Magnus in Monumento Paderbornensi nono [d] quod est de Eresburgo, laudatur ab Auctore manuscripto, quòd *apud Eresburgum, post eversionem idoli, Basilicam Imperialis munificentiæ & celsitudinis construxit,*

[d] Num. 7.

AN. CH. 795. CAROLI R. 27. PIPPINI LUDOV. RR. 15. CAROLI R. 7.

ut quem locum cultura dæmonum sordidaverat, Christianæ Religionis veneratio emundaret. Hujus Basilicæ, quam Capellam appellant, in suo Diplomate pro Monasterio Corbeiensi ad Visurgim Ludovicus & Lotharius Augusti sic meminerunt. *Nos divinâ inspiratione compuncti & cælestis patriæ amore succensi, ob animæ nostræ salutem, concessimus eidem Monasterio Capellam, quam dudum Dominus & genitor noster Karolus in Castello, quod dicitur Heresburg, construi jussit, cum omnibus rebus ac mancipiis ac decimis ad eam pertinentibus, quantumcumque Dominus & genitor noster eidem Capellæ piâ devotione contulisse dinoscitur, cum omni integritate prædicto Monasterio ad subsidia Monachorum ibidem Deo famulantium per hanc nostræ auctoritatis Donationem à die præsenti perpetuò habendum atque possidendum concessimus, & in ditionem ejus transfulimus.*

XXXII. Duo tantùm fuerunt Buriburgenses seu Birburgenses Episcopi, Witta & Mengotrus. Witta sive Alboinus Episcopatum ab anno Christi septingentesimo quadragesimo-secundo ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum-septimum tenuit. Mengottus sub idem tempus obiit, quo Paderbornensis Episcopatus institutus est. Serario [a] enim teste, *cùm Paderbornensis Episcopatus erectus est, Buriburgensis desiit, vel in illum potiùs coaluit.* Ab anno Christi septingentesimo quadragesimo-sexto, quo Bonifacius Archiepiscopus fixam Moguntiæ Sedem habere cœpit, Episcopi Birburgenses Metropolitis Moguntiacensibus subjacuerunt, ideóquo Paderbornensis Episcopatus, quocum Birburgensis coaluit, Metropolitam Moguntinum semper agnovit. Atque ex hac observatione fortassis haud malè colliges in Comitiis Imperialibus, ut Rottendorffius scribit, Paderbornensem Episcopum Osnabrugensi, jure etiam antiquitatis, anteponi, repetitâ scilicet Episcopatûs origine ab anno Christi septingentesimo quadragesimo-secundo, quo Birburgum Episcopali Sede nobilitari cœpit.

[a] Not. 29. in vit. S. Bonif.

BURIBURGENSIS EPISCOPATUS UNITUR PADERBORNENSI.

XXXIII. Hæc de Paderbornensis Episcopatûs initiis dicta sunto, cujus fundator Carolus ob insignem zelum erga Saxones nuper ad Christum conversos satis laudari nequit. *Debellatam Saxoniam, quod Romanis non licuit, Romanorum more in provincias & Episcoporum Diœceses descripsit, ideo verè Magnus*, inquit prælaudatus Paderbornensis Episcopus [b], *quia omnium Cæsarum conatus in subigenda Saxonia, Religione, virtute bellicâ & felicitate supergressus.* Et paulò inferiùs. *Postquàm Carolus Magnus gentem, in avita superstitione pertinacem, non sine multis expeditionibus & maximo labore ad Religionem Christianam perduxit, nova in Episcopatus & Diœceses cœpta distributio, & certi cuique limites designati.*

LAUDATUR CAROLUS OB ERECTOS EPISCOPATUS IN SAXONIA.

[b] In Præfat.

XXXIV. Apud Hundium [c] Monasterii Tegernseensis Abbates antiquissimi recensentur, Adalbertus, Bacho, Iskerus, & Megilo; sed inter hos, ut idem Auctor testatur, Aventinus Meginhardum circa hunc annum reponit. Anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto primordia Cœnobii consignavimus, ideóque Meginhardum Adalberto proximum subrogamus

[c] Tom. 3.

ABBATES TEGERNSEENS.

XXXV. successorem, qui Concilio Salisburgensi subscripsit decimo-septimo Kalendas Februarias anno Caroli Augusti septimo, sive anno Redemptoris octingentesimo septimo, ut ad illum annum fusiùs exponemus.

[d] Tom. 1. in Episc. Papiens.

EPISCOPI PAPIENSES.

Apud Ughellum [d] hoc anno Petrus in Papiensem Episcopatum Ubaldo succedit, nec aliâ opus est argumentatione, ut Ubaldum Papiensem Episcopum distinguas à Waltone Abbate, qui Monasterium Augiense ad an-

XXXVI. num usque Redemptoris octingentesimum sextum gubernavit, deinde factus est Abbas San-Dionysianus in agro Parisiensi.

[e] Tom. 1. in Episc. Aretin. Tom. 3. in Episc. Senens.

Apud eundem Ughellum [e] hoc anno memorantur Andreas Senensis Episcopus & Aripertus Episcopus Aretinus, de quorum lite pro finibus Episcopatuum ad annum Redemptoris octingentesimum primum differemus.

SENENSES. ARETINI.

XXXVII. Andreas Joanni successit, Aripertus Elveto.

SENONENS. Obiit mense Maio Beonradus seu Berardus Archiepiscopus Senonensis &

Abbas Epternacensis, anno suscepti Archiepiscopatûs tertio, muneris Abbatialis vicesimo-quinto. Successit in Archiepiscopatum Rambertus seu Raguibertus, in Abbatialem dignitatem Aldo, qui Carolo Magno superstes vixit. Lege simúlque confer Tavellum in Archiepiscopis Senonensibus & Bucelinum in Abbatibus Epternacensibus. Berardum *in Basilica Sancti Petri*, sepultum scribunt Sammarthani. Alcuinus ejusdem Bonradi rogatu duos libros de Sancti Willibrordi primi quondam Epternacensis Abbatis vita scripsit, eique jam Archiepiscopo Senonensi dedicavit *unum prosaico sermone gradientem, alterum Pierio pede currentem*.

ABBATES EPTERNAC. XXXVIII. FABARIENS.

Richardus Fabariensis Abbas duodecimo Kalendas Maias hoc eodem anno vitam clausit. Successit Bruninus seu Bruningus. Utrumque docet Bucelinus in Chronologia Rhætiæ, additque temporibus Brunini Abbatis in Fabariensi Monasterio vixisse Beatum Viggerum Episcopum, sed incertum manere, cujus Sedis Episcopus extiterit, & utrùm Episcopatu dimisso Monasticen professus sit, an extractus Cœnobio ut Episcopus ordinaretur, ejus enim interciderunt Acta.

XXXIX. SITIVSNSES.

Iperius in Chronico Bertiniano mortem Hardradi Abbatis & Odlandi subrogationem hoc anno sic apud Locrium collocat. *Dominus noster Abbas Hardradus, postquàm eleganter hanc Ecclesiam rexerat annis* XXIX.° *appositus est ad patres, & sibi successorem reliquit Odlandum anno Domini 795. qui, in omni bono, suo prædecessori coæqualis, anno primo sui regiminis impetravit à Rege Carolo Privilegium venandi in sylvis nostris & aliis ubicumque constitutis, ad volumina librorum tegenda, & manicas habendas, & zonas habendas, salvis forestis Regiis.* Malbrancus, qui Diploma præ manibus habuit, illud fusiùs exponit [b], datúmque contendit anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto, cùm Carolus in Sitivensi Monasterio degeret, & Odlandus primum suæ Præfecturæ annum adhuc numeraret. *Carolum Regem anno 796 exceperunt Morini, súbque Martii exitum in Cœnobium suum Sitivenses. Illic, quoniam dies sacrotiores agebantur, solita Regiæ pietatis officia obivit magnâ Ascetarum omnium lætitiâ, quæ aucta est novo eóque insigni Privilegio, siquidem cùm iis gratificandi indicia non obscura commonstraret, submissè suggessit Odlandus Abbas Cœnobio quidem Magnatum piorum benignitate & munificentiâ non unas sylvas & nemora occessisse, sed eorum administris & custodibus liberam venandi facultatem denegari: quo fiat, ut, præter domesticæ penùs culinæque inopiam, desint integumenta ad Codices & Volumina ingenti Monachorum conscripta labore contegendo, desit materies ad zonas & manicas conficiendas; stosim æquum duxit in supplicem libellum adeò justum descendere, jussitque tabulas exarari publicas, quibus severè inhibuit, ne quis in posterum ausit Sitivensibus liberam in sylvis suis venationem exercentibus officere; quotquot opus habuerint feras intercipiant, earum emolumenta in usum proprium convertant, salvis tamen forestis nostris ait.* Per *dies sacratiores*, quos in Sitivensi Monasterio Carolus egisse dicitur, dies intellige cùm Passioni tum Resurrectioni Dominicæ sacros, anno enim Christi septingentesimo nonagasimo-sexto Paschalis Solemnitas in diem tertium Aprilis incidit. At illo anno Carolus Pascha non apud Morinos in Sitivensi Monasterio, sed procul à Morinis apud Aquisgranum celebravit. Idque veteres unanimi consensu docent Annalistæ, Loiselianus, Bertinianus, ac Metensis, necnon Regino, Monachus Egolismensis, & incertus Auctor in vita Caroli. Commentitium igitur est Diploma, quod Carolum falsò supponit in Sitivensi fuisse Monasterio, cùm esset Aquisgrani testibus cunctis Auctoribus, qui, quibus in locis Carolus Pascha singulis annis celebravit, accuratissimè notarunt. Est & error in numeris Chronologicis, sic enim apud Malbrancum clauditur Diploma. *Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & per tempora melius conservetur, de annulo nostro subter sigillari jussimus. Data* 11 *Kalend. April. ann.* XXVI *Regni nostri. Actum in supradicto loco Sithiu, in atrio Sancti Bertini in*

[b] Lib. 5. c. 38.

AN. CH. 795. CAROLI R. 27. PIPPINI LUDOV. RR. 15. CAROLI R. 7.

Dei nomine feliciter, Amen. Annus autem Caroli Regis vicesimus-sextus pridie Kalendas Aprilis nec in Odlandi Præfecturam cadit, nec illigatur anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto, sed pertinet ad Præfecturam Hardradi, convenítque cum anno Christi septingentesimo nonagesimo-quarto, atque illo anno Carolus, ut prætitati quoque Scriptores attestantur, Pascha Francofurti celebravit. Tot argumentis, quæ fictitium Diploma palàm ostendunt, illud etiam meritò potest addi, quòd ad impetrandam intercipiendarum ferarum licentiam futiles omnino cationes in ipso Diplomate proponuntur.

XL. VEDASTINI.

Hoc eodem anno Radfridus Abbas Vedastinus obiit. Successit in administrationem Monasterii Raddo, cujus encomium ex Chronico Vedastino sic idem refert Locrius. *Raddo ad res instaurandas divino munere datus anno 795, expectationi omnium cumulatè respondit, qui ambustum fœdatúmque incendio Templum magnificè instauravit, ornavitque omnibus suis partibus. Imprimis magnâ vi auri argentique fusi & celati in Calices & Thecam Sancti Vedasti & consimilia: tum aulæis & clarâ veste impensis adeò magnis, parcimoniâ æquale vectigal suppeditante. Missale implacatum satis (ut ferebat conditio temporis) examini Venerabilis Alcuini subjecit, cujus descripta etiamnum extant apud nos duæ ad Raddonem Epistolæ, atque aliquot Versus, quibus opera ejusdem posteritati commendat. E quibus videre est magni admodùm nominis fuisse Raddonem, qui extremâ ætate rebus actis, pietate & canitie venerabilis, anno, ex quo Christus natus, 815 mortem obiit, quum viginti annos præfuisset. Post mortem ob vitæ innocentiam in terris felix habitus.*

XLI. ALCUINUS SCRIBIT VITAM S. VEDASTI.

Inter Raddonem & Alcuinum Abbates amicitia singularis intercessit. Alcuinus Abbas rogatus ab Abbate Raddone Vitam Sancti Vedasti studuit *emendare*, emendatámque eidem Raddoni direxit, ut ex ejusdem Vitæ prologo constat. Duo quoque Poemata leguntur apud Alcuinum, in quibus Raddo Abbas ob instauratam Sancti Vedasti Basilicam commendatur. Sexagesimum-sextum sic habet.

RADDONEM ABBATEM LAUDAT OB INSTAURATAM S. VEDASTI BASILICAM.

Hæc domus alma Dei, flammis crepitantibus olim
Arsit, & in cineres tota redacta fuit.
*Sed miserante Deo, Raddo Venerabilis * Abba*
Construxit meliùs, ac renovavit eam.
Plurima præsenti domui ornamenta ministrans,
Exornans totam muneribúsque sacris.
Cancellos, aras voluit vestire metallis,
Vedasti fabricans sarcophagúmque Patris.
Pallia suspendit parietibus, atque lucernas
Addidit, ut fieret lumen in Æde sacrum.
Officiis Domini fecit quoque vasa sacrata
Argento, necnon aurea tota quidem.
Induit Altaris speciosâ veste Ministros,
Ut foret egregium semper ubique decus.
Omnia mellifluo Christi devotus amore
Restaurans opera vir pius in melius.
Pro quo, quisque legat titulos, rogitare memento,
Adjuvet utque illum gratia summa Dei.

* Duchesn. *miserabilis*

XLII. Brevius est duodeseptuagesimum.

Pontificalis apex meritis vivacibus Aram
Vedastus Sanctus hanc regit ipse Pater.
Hanc Abbas humilis vestivit Raddo metallis,
In Domini laudem ductus amore Patris.

XLIII. Inter ejusdem Auctoris epistolas, quæ numero est octogesima-quinta, Offæ Merciorum Regi scripta legitur Caroli Regis nomine, nec malè ad hunc annum [a] refertur ab Alfordo, exarata est enim Hildebaldo Archie-

[a] Num. 11.

piscopo Diœcesim Coloniensem jam administrante, & Offâ Merciorum Rege in vivis adhuc superstite. Hildebaldus autem Archiepiscopatum anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio suscepit, & Offa triennio pòst vivere desiit. Hæc breviter ad Chronologiam. Ipsas literas nunc accipe. *Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Defensor Sanctæ Dei Ecclesiæ, dilecto fratri & amico Offæ Regi salutem. Presbyter, & ille Scottus, apud nos moratus est aliquanto tempore, in Parochia Hildeboldi Coloniensis Episcopi; sed reprehensibilis factus, ut fertur, à quodam accusatore, quòd carnem diebus Quadragesimalibus comedisset. Nostri verò Sacerdotes judicare renuerunt, quia plenum testimonium accusantium super eum non invenerunt. Tamen nec eum loco consueto habitationis suæ propter infamiam diutiùs morari permiserunt, ne Sacerdotalis honor apud vulgus imperitum vilesceret, vel rumigerâ loquelâ aliqui hortarentur sanctum jejunium violare. Visum est nostris Sacerdotibus, illum ad sui Episcopi, ubi Deo votum fecit, dirigere judicium. Idcircò vestram deprecamur providentiam, ut jubeatis illum, secundùm opportunitatem temporis & proveectionis, in suam transponere patriam, ut ibi judicetur, unde exivit. Nam ibi quoque Sanctæ Dei Ecclesiæ puritas in moribus, & firmitas in fide, & honestas in conversatione, secundùm Canonicam sanctionem, diligenter observari debebit, ut una perfecta & immaculata Columba, cujus pennæ deargentatæ, & posteriora ejus in specie auri clarescere debent. Vita, salus & prosperitas tibi tuisque fidelibus à Deo Christo detur in æternum.*

LITERÆ CAROLI R. AD OFFAM R. MERCIORUM.

XLIV.

Sub hunc etiam annum, cùm Athilhardus sive Ethelardus Dorovernensis erat Archiepiscopus & Ceolulphus Episcopatum Lindisfarorum gerebat, Offâ Merciorum Rege tum superstite, & Alcuino in Galliis jam commorante, Carolus prælaudatis Præsulibus epistolam direxit, quam Alcuinianis [a] insertam quoque reperies. Scribendarum literarum hæc fuit causa. Fugerat olim è Merciorum Regno, & Offæ Regis iram declinaverat, familiámque in Franciam, ut Caroli Regis humanitate tutus esset & procul injuriâ, traduxerat quispiam, eóque mortuo familia, cùm domum redire ibique reliquum vitæ peragere cuperet, literas ad promerendam Offani sive Offæ Regis benevolentiam à Carolo postulavit. Fecit humanissimè Carolus quod petebatur, & has in Britanniam literas direxit. *Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum, Athilhardo Archiepiscopo & Ceolwlpho Coepiscopo illius, æternæ beatitudinis salutem. Nullatenus vestram terræ longinquitatem, vel procellosi maris latitudinem, fœderatæ in Christo amicitiæ jura disrumpere, fas arbitramur. Seu quantò longiore spatio humana dividitur conversatio, tantò probatiore fide pietatis pactum servari debebit, quia sæpè in præsentia timor, vel erubescentia in facie foris ostendit, quod homo intus in corde non retinet. Igitur sancta fides in absentia laudabilis extat, & in præsentia venerabilis consistit. Unde & in ejus fiducia, quam piâ olim allocutione præsentes pepigimus, hos miseros patriæ suæ exules, vestræ direximus pietati, deprecantes ut pro eis intercedere dignemini, apud fratrem meum carissimum Offanum Regem, quatenus pacificè, & absque alicujus injustitiæ oppressione, in sua liceat conversari patria, & cuilibet deservire. Nam dominus illorum Umbringstan diem obiit, qui, ut nobis visum fuit, fidelis suo fuisset Domino, si in patria licuisset perseverare. Sed ut mortis evaderet periculum, ut dicere solebat, fugit ad nos, semper paratus se ab omni purgare infidelitate. Quem, propter reconciliationem, non propter inimicitias, aliquantisper retinuimus apud nos. His verò contribulibus suis si pacem precari valeatis, remaneant in patria: sin verò duriùs de illis frater meus respondeat, illos ad nos remittito illæsos. Melius est peregrinari, quàm perire: in aliena servire patria, quam in sua mori. Confido de bonitate fratris mei, si obnixè pro illis intercedatis, ut benignè suscipiat eos, pro nostro amore, vel magis pro Christi charitate, qui dixit. [Dimittite & dimittetur vobis.] Intercedentem pro nobis vestram Sanctitatem divina pietas incolumem custodiat in æternum.*

[a] Ep. 61.

AD ARCHIEP. DOROVERN. ET AD EP. LINDISF.

AN CH. 795. XLV. Alcuini pleræque Epiſtolæ cum nonnullis Poëmatibus ad noſtros pertinent Annales, & à nobis, ut occaſio poſtulabit, idcircò proferentur examinabuntúrque. In editione Ducheſniana ſunt Epiſtolæ quindecim ſupra centum, Poëmata ſeptuaginta-duo ſupra ducenta. Sed obſerva non omnes Epiſtolas, quæ Alcuinianarum Epiſtolarum libro continentur, ab Alcuino ſcriptas eſſe, ſive ipſius Alcuini ſive alterius nomine ſint editæ. Teſtis eſt Epiſtola centeſima undecima, quam Carolus Auguſtus Nicephoro Græcorum Imperatori dirigit poſt mortem Pippini Regis Italiæ, obierunt enim Alcuinus anno Redemptoris octingenteſimo quarto, Pippinus octingenteſimo decimo.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

ANNUS

CHRISTI .		796.
CAROLI SEN.	R.	28. 25. 23.
PIPPINI II.	R.	16.
LUDOVICI	R.	16.
CAROLI JUN.	R.	8.

I. CAROLUS R. Sub initium anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi nonageſimi-ſexti, Carolus, cùm in Aquiſgranenſi Palatio degeret, duplex nuntium, unum de Adriani Papæ morte, alterum de ſubrogatione Leonis accepit. Utrumque ſimul conjungimus, quia eodem die quo deceſſit Adrianus, id eſt, viceſimo-ſexto ſuperioris Decembris, in ejus locum ſucceſſit Leo, ut anno priore probavimus.

II. ACCEPTIS LEONIS PP. LITERIS. Extant literæ [a], per quas Carolus Leoni ſuam ad Pontificatum promotionem ſignificanti ſic reſpondet. *Karolus gratiâ Dei Rex Francorum & Langobardorum, ac Patritius Romanorum, Leoni Papæ perpetuæ beatitudinis in Chriſto ſalutem. Perlectis Excellentiæ veſtræ literis, & auditâ Decretali Chartulâ, valdè, ut fateor, gaviſi ſumus, ſeu in electionis unanimitate, ſeu in humilitatis noſtræ obedientia, & in promiſſionis ad * vos fidelitate. In quibus omnibus ex intimo cordis affectu multiplices divinæ pietati agentes gratias, quia nobis poſt lacrymabile doloris vulnus, quod animæ noſtræ dilectiſſimi Patris & fideliſſimi amici obitus inflixit, tale nobis ſolitâ ſuæ clementiæ providentiâ ſolatium perdonare dignatus eſt. Unde & veſtræ Sanctitati, quaſi vicario lætitiæ munere, per ejuſdem Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti miſericordiam, qui ſanctæ ſuæ Eccleſiæ in veſtræ Beatitudinis exaltatione conſuluit, noſtram omniumque fidelium noſtrorum demandamus proſperitatem. Necnon & pacificam in Dei voluntate totius Regni noſtri innoteſcimus unanimitatem, ut aquè in noſtræ devotionis gaudeatis, ſicut & nos in veſtræ ſanctitatis lætemur ſucceſſibus. Sed & hoc veſtræ ſanctiſſimæ benivolentiæ innoteſcimus, quòd cùm dilectionis munera Patri meo dulciſſimo, prædeceſſori veſtro, dirigere paraveram, ut caritatis, quam in eo habui, munificentiæ largitate, monſtrarem magnitudinem, & ſuaviſſimæ inter nos familiaritatis fidelitas multorum oſtenderetur oculis, ecce ſubitò, quod ſine dolore non dicam, ſine lacrymis non cogito præ triſtitia, obitûs illius legatione conſternatus, & ubi lætitiæ paraveram inſignia, ibi me triſtitiæ turbaverunt lugubria. Etſi Apoſtolus de mortuis contriſtari prohiberet, tamen caritas lacrymas elicere non ceſſat. Non quaſi mortuum plangentes, ſed quaſi melius cum Chriſto viventem recordantes. Si nos corporali præſentiâ amiſiſſet, non tamen*

[a] Ap. Alcuin. ep. 84.

* Edit. Pariſ. ad nos

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

*tamen Spiritali suffragio illum nos amittere arbitramur. Sed magnum divina nobis prævidebat gratia solatium, dum vos, Vir Venerande, in locum illius subrogavit, ut esset, qui cotidie apud beatum Petrum Principem Apostolorum pro totius Ecclesiæ stabilitate, & qui pro salute mea meorúmque fidelium, immò & pro totius stabilitate Regni nobis à Deo dati intercederet, & paternâ pietate nos in filium sibi adoptaret dilectionis pacificam unanimitatem. Angilberctum manualem nostræ familiaritatis vestræ direximus Sanctitati, quem priùs, sicut premisimus per religiosos viros Campolum & Anastasium, beatissimo Patri nostro, prædecessori vestro dirigere curavimus, sed, ut præfati sumus, dum xenia omnia parata erant, lugubri paternæ mortis nuntio repentè tardatum est iter illius, sed modò lætiores de vestræ sanctitatis successione facti, quod desideravimus in illo pio Patre agere, in vobis perficere studemus. Illique omnia injunximus, quæ vel nobis voluntaria, vel vobis necessaria esse videbantur, ut ex conlatione mutua conferatis, quicquid ad exaltationem Sanctæ Dei Ecclesiæ, vel ad stabilitatem honoris vestri, vel Patritiatûs nostri firmitatem necessarium intelligeretis. Sicut enim cum beatissimo prædecessore vestræ sanctæ Paternitatis pactum inii, sic cum Beatitudine vestra ejusdem fidei & caritatis inviolabile fœdus statuere desidero. Quatenus Apostolicæ Sanctitatis vestræ, divinâ donante gratiâ, Sanctorum advocatis * precibus, me ubique Apostolica benedictio consequatur, & sanctissima Romanæ Ecclesiæ Sedes, Deo donante, nostrâ semper devotione defendatur. Nostrum est, secundùm auxilium divinæ pietatis, sanctam ubique Christi Ecclesiam ab incursu paganorum, & ab infidelium devastatione, armis defendere foris, & intus Catholicæ fidei agnitione munire. Vestrum est, sanctissime Pater, elevatis ad Deum cum Moyse manibus, nostram adjuvare militiam, quatenus vobis intercedentibus, Deo ductore & datore, populus Christianus super inimicos sui sancti nominis ubique semper habeat victoriam, & nomen Domini nostri Jesu Christi toto clarificetur in orbe. Vestræ verò auctoritatis prudentia Canones ubique sequatur, quatenus totius Sanctitatis exempla omnibus evidenter in vestra fulgeant conversatione. Et sanctæ admonitionis exhortatio audiatur ab ore, quatenus luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Omnipotens Deus vestræ auctoritatis Beatitudinem ad sanctæ suæ Ecclesiæ exaltationem per multa annorum curricula incolumem conservare dignetur.* Per eundem Angilbertum Alcuinus suo nomine Leoni Papæ scripsit Epistolam, quæ numero est septuagesima-secunda in editione Duchesniana, quâ solemus uti.

ANGILBERTUM ROMAM MITTIT CUM MUNERIBUS.

* Edit. Paris. advocata

III. Pontificatus diem integrum post Adriani mortem non vacavit. In dubium igitur non vocamus, quin Carolus ab eodem Nuncio, qui retulit obitum Adriani, subrogationem quoque Leonis audierit. Hanc tamen donec à Leone literas accepit, à se scitam dissimulavit, quia tunc in more positum erat, ut novus Pontifex Regem Francorum de sua promotione certiorem faceret, illius amicitiam postularet, suámque vicissim ei polliceretur. Hæc dilatio locum Carolo dedit, ut Angilberti, per quem Adriano xenia jam parata missurus erat, *lugubri paternæ mortis nuntio tardatum iter* diceret, usquedum lætior *de* Leonis *successione* factus esset. Angilbertus vir erat genere, divitiis, aulicísque muneribus insignis, Romam bis ad Adrianum jam missus, postquàm habitæ Synodi Reginoburgensis & Francofurtana. Rex per eum primas ad Leonem literas cum donis Adriano priùs destinatis direxit, & ut tristitiam ob mortem Adriani, sic & lætitiam ob Leonis electionem significavit. Obitum Adriani Papæ multis prosecutus est lachrymis. *Nunciato sibi Adriani Pontificis obitu, quem amicum præcipuum habebat, sic flevit, ac si fratrem aut charissimum filium amisisset.* Verba sunt Eginhardi in ejus vita. Fletui religiosa conjunxit officia, suffragiáque cum eleemosynis, nec tantùm per suas ditiones, sed etiam per extera Regna, quorum Reges, ut infrà probaturi sumus, ad eandem pietatem scriptis epistolis provocavit. Sepulchrum quoque Regio decora-

OBITUM HADRIANI DEFLET.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

vit epitaphio, quod inter Alcuini Poëmata [a] legitur, & teste Baronio [b] pro foribus Ecclesiæ Vaticanæ sic extat.

[a] Poem. 217.
[b] Ad an. 795. n. 12.

Ejus sepulchrum ornat epitaphio.

Hic Pater Ecclesiæ, Romæ decus, inclytus auctor,
Hadrianus requiem Papa beatus habet.
Vir, cui vita Deus, pietas lex, gloria Christus,
Pastor Apostolicus, promptus ad omne bonum.
Nobilis, ex magna genitus nam gente parentum,
Sed sacris longè nobilior meritis.
Exornare studens devoto pectore Pastor
Semper ubique suo Templa sacrata Deo.
Ecclesias donis, populos & dogmate sancto
Imbuit, & cunctis pandit ad astra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate secundus,
Et pro plebe sacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
Urbs, caput Orbis, honor, inclyta Roma, tuas.
Mors cui nil nocuit, Christi quæ morte perempta est,
Janua sed vitæ mors melioris erat.
*Post Patrem Carolus * lachrymans hæc carmina scripsi,*
Tu mihi dulcis amor, te modò plango, Pater.
Tu memor esto mei, sequitur te mens mea semper,
Cum Christo teneas Regna beata poli.
Te Clerus, populus magno dilexit amore,
Omnibus unus amor, optime Præsul, eras.
Nomina jungo simul titulis, clarissime, nostra;
Hadrianus, Carolus; Rex ego, tùque Pater.
Quisque legas versus, devoto pectore supplex,
Amborum, mitis dic, miserere Deus.

* Edit. Paris. lacrymans Carolus

IV. Sequitur apud Alcuinum aliud Poëma [c], quod in eandem materiam videtur editum, & à Baronio cum priore sic conjungitur.

[c] Poem. 218.

Hac tua nunc teneat requies, carissime, membra,
Cum Sanctis anima gaudeat alma Dei.
Ultima quippe tuas donec tuba clamet in aures,
Principe cum Petro surge videre Deum.
Auditurus eris vocem, scio, judicis almam;
Intra nunc Domini gaudia magna tui.
Tum memor esto tui nati, Pater optime, posco;
Cum Patre, dic, natus pergat & iste meus.
O pete Regna, Pater felix, cælestia Christi,
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum Sol ignicomo rutilus splendescit ab axe,
Laus tua, Sancte Pater, semper in Orbe manet.

V. Nicolaus Alemannus in Historica Dissertatione [d] de Lateranensibus parietinis vult in hoc hemistichio, *Rex ego, tùque Pater*, Adrianum à Carolo Patrem appellari cum respectu ad Romanum Patriciatum, quem Carolus gerebat, utque opinionem suam confirmet, multa de Patriciis & Patriciatu congerit. Patricios distinguit in Præsentales & Præfectorios; Præsentales post Cassiodorum [e] vocat eos, qui nullam administrant provinciam, ac in Urbe & in Senatu præsentes adsunt; Præfectorios dicit eos, qui provinciarum regimini præficiuntur, & ex variis Auctoribus complures Italiæ, Africæ, Orientis, Siciliæ, Galliarúmque Patricios laudat. Urbis quoque Præsidi seu Præfecto nomen Patricii collatum ostendit. Deinde observat Pippinum Francorum Regem ejúsque filios Carolum & Carolomannum à Stephano Tertio Papa successoribúsque Patricios Romanorum nuncupatos esse, magnámque differentiam ponit inter hosce Patricios Romano-

[d] Cap. 11.
[e] Lib. 8. var. ep. 9.

AN. CH. 796.
CAROLI R. 28.
PIPPINI LUDOV. RR. 16.
CAROLI R. 8.

rum, & Patricios Præfectorios, qui provincias, quibus præsunt, quasi Prætores Præfectique ad Imperatoris nutum moderantur, & in officio populos iis, quas Augustus præscripserit, legibus continent, armísque ab hostibus tuentur. *Romæ*, inquit, *ac in Pontificum ditione non illa Carolo, quæ pridem Cæsarianis Patriciis, summa rerum potestas Prætoria fuit, sed tutelaris tantummodo, ac, ut ita dicam, Præsidiaria.* Atque inde supponit prædictos Francorum Reges synonymicè Patricios Romanorum, Defensores Sanctæ Dei Ecclesiæ, filios adoptivos Romanorum Pontificum appellari, eósque filios adoptivos interpretatur filios per arma ex vetusto more, quo viri fortes, bellicâ virtute & præclarorum gloriâ facinorum insignes, cùm à privatis hominibus, tum à Regibus, provinciarúmque Dominis adoptabantur, qui privatam familiarum, vel publicam Regnorum ac provinciarum rem tuerentur, si quod ab hostibus esset aliquando, vel à civibus timeretur periculum. Sed hæc accuratiùs examinanda. ERROR ALEMANNI DE PATRICIATU CAROLI.

VI. Stephanus Tertius Papa Pippinum ejúsque filios Reges inunxit Patriciósque Romanorum dixit anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto. Id Tomo superiore [a] probatum ex epistolis ejusdem Stephani & ex Annalibus Metensibus. Tunc Stephanus ne unius quidem vici supremum obtinebat dominium, nec obtinuit ante annum sequentem, quo Pippinus amplificandæ Ecclesiæ viam primus aperuit, & Exarchatum Ravennatem cum amplissimis urbibus, territoriis ac reditibus, Principi Apostolorum ejúsque demùm successoribus lubens ac volens concessit. Longè aliter sentit Alemannus, Romam enim magnámque Italiæ partem, à temporibus Gregorii Secundi Papæ, in ditione Romanorum Pontificum fuisse sibi persuasum habet. *Post excussam*, inquit [b], *à Gregorio II Pontifice Leonis Isauri Imperatoris hæretici dominationem, Gregorius III successor primus exterorum Principum auxilia & societatem quæsivit sibi & Ecclesiæ Romanæ. Quæsivit autem à Carolo Martello.* Ut autem Leonis Augusti dominationem à Gregorio Secundo excussam probet, hunc duntaxat Theophanis textum allegat. Γρηγόριος ὁ πανίερος Ἀποστολικὸς ἀνὴρ, καὶ Πέτρου τοῦ κορυφαίου σύνθρονος, λόγῳ καὶ πράξει διαλάμπων, ὡς ἀπέστησε Ῥώμην τε καὶ Ἰταλίαν, καὶ πάντα τὰ ἑσπέρια τῆς πολιτικῆς καὶ ἐκκλησιαστικῆς ὑπακοῆς Λέοντος, καὶ τῆς ὑπ' αὐτὸν βασιλείας. *Gregorius sanctissimus Apostolicus vir & Petri coryphæi consessor, verbo & opere illustris, Romam, Italiam ac totum Occidentem à Leonis obedientia tam civili quàm Ecclesiastica, & ab ejus Imperio subtraxit.* AN ROMA EXCUSSA IMPERATORIS DOMINATIONE PARUIT ROMANIS PONTIFICIBUS?

[a] Ad an. 754. n. 57.

[b] Cap. 24.

VII. Theophanes de dissidio, quod inter Gregorium ac Leonem intercessit, ter locutus est, semel ad annum Leonis nonum, bis ad annum ejusdem Leonis decimum-tertium. Imperavit Leo annos viginti-quatuor, menses duos, dies viginti-quinque, ab octavo videlicet Kalendas Apriles anni post Christum natum septingentesimi decimi-septimi usque ad decimum-quartum Kalendas Julias anni post Christum natum septingentesimi quadragesimi-primi. Hæc ex Theophane & Anastasio probata Tomis quarto & quinto. Conveniunt igitur anni Leonis Augusti nonus & decimus-tertius cum annis Christi septingentesimo vicesimo-quinto & septingentesimo vicesimo-nono. Sedebat tunc in Romana Cathedra Gregorius Secundus, Pontificatum enim, ut Tomo quarto diximus, ab anno Christi septingentesimo decimo-quinto ad annum Christi septingentesimum tricesimum-primum gessit, & ut undecimum sui Præsulatûs annum cum anno Leonis Augusti nono, sic & annum Episcopatûs sui decimum-quintum cum decimo-tertio Leonis Imperatoris anno comparavit. Nec te moveat, quòd in Theophanis Chronographia quintus tabularum Chronologicarum loculus Gregorio Papæ novem duntaxat annos tribuit, Ῥώμ. ἐπισκ. Γρηγόριος ἔτη θ'. & annum ejusdem Gregorii Papæ primum (α') cum anno Leonis Augusti nono (θ') componit. Loculos enim tabula- AN GREGORIO II?

AN.CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

rum Chronicarum, quæ pertinent ad Sedes Patriarchales, Tomo quarto Theophani jam abjudicavimus. Locum illum adi [a].

Ad annum Leonis Augusti nonum sic Theophanes. Τούτῳ τῷ ἔτει ἤρξατο ὁ δυσσεβὴς βασιλεὺς Λέων τῆς κατὰ τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων καθαιρέσεως λόγον ποιεῖσθαι. καὶ μαθὼν τοῦτο Γρηγόριος ὁ Πάπας Ῥώμης τοὺς φόρους Ἰταλίας καὶ Ῥώμης ἐκώλυσεν, γράψας πρὸς Λέοντα ἐπιστολὴν δογματικήν, μὴ δεῖν βασιλέα περὶ πίστεως λόγον ποιεῖσθαι, καὶ καινοτομεῖν τὰ ἀρχαῖα δόγματα τῆς ἐκκλησίας τὰ ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέρων δογματισθέντα. *Hoc anno irreligiosus Imperator Leo cœpit tractatum habere de proscriptione sacrarum ac venerandarum Imaginum. Et hoc sciens Gregorius Papa Romanus tributa Italiæ ac Romæ prohibuit, scriptâ priùs ad Leonem epistolâ Decretali, quâ monuit non decere Imperatorem de fide quidquam statuere, & convellere antiqua sancita Ecclesiæ à sanctis Patribus firmata.* In hoc textu nihil occurrit, quod in Italia Romam & alias Imperii civitates à Leone ad Gregorium transiisse testetur. Præterea non desunt epistolæ Gregorii Secundi Papæ, post annum Leonis Augusti nonum datæ, quarum subscriptiones non annum Gregorii Pontificis, sed annum Leonis Augusti, necnon & Constantini filii patitet Imperatoris exhibent. Gregorius responsorias literas ad varias interrogationes & consulta Bonifacii tunc Episcopi regionarii sic clausit. *Deus te incolumem custodiat, reverentissime frater. Data decimo Kalendas Decembris, imperante Domino Piissimo Augusto Leone à Deo coronato Magno Imperatore, anno decimo Imperii ejus, sed & Constantino Magno Imperatore, Regni ejus anno septimo, Indictione decimâ.* Hi Characteres Chronologici designant annum Christi septingentesimum vicesimum-sextum, ut Tomo quarto ad illum annum [b] observavimus. Ergo post annum Leonis Augusti nonum Gregorius in epistolarum suarum subscriptionibus annos usurpavit Imperatorum, eosque Romanæ civitatis, quæ sui Sedes Episcopatûs erat, dominos agnovit

[a] Ad an. 697. n. 18.

VIII.

[b] Num. 31.

IX. E duobus textibus, qui leguntur apud Theophanem ad annum Leonis decimum-tertium, prior ab Alemanno citatur, & à nobis descriptus est suprà, posterior prioris est epitome seu repetitio. Γρηγόριος ὁ ἱερὸς πρόεδρος Ῥώμης, ὡς προέφην, ἐλέγξας τὸν Λέοντα δι' ἐπιστολῶν, ὡς ἀσεβοῦντα, καὶ τὴν Ῥώμην σὺν πάσῃ Ἰταλίᾳ τῆς βασιλείας αὐτοῦ ἀπέστησεν. *Gregorius sacer Romæ Præsul, quemadmodum jam præmisi, redarguit Leonem per epistolas tanquam irreligiosum, ac Romam cum universa Italia ab ejus Imperio subtraxit*, vel, ut Jacobus Goar vertit, *ad defectionem ab ejus Imperio concitavit.* In his quoque textibus nullum est verbum de dominio Romæ atque Italiæ ab Imperatore ad Papam translato. Atque in ejusdem assertionis confirmationem veniunt scripta Gregorii Tertii, qui prædicto Gregorio Secundo successit anno Christi septingentesimo tricesimo-primo. Bonifacius Archiepiscopus de Bojoaria quatuor in Diœceses descripta, déque aliis rebus illic à se gestis, Gregorium Tertium per literas certiorem fecit, à quo gratulatoriam accepit epistolam cum hac subscriptione. *Data IV Kalendas Novembris, imperante Domino Piissimo Augusto Leone, Imperii ejus anno* XXIII. *sed & Constantino Magno Imperatore ejus filio, anno* XX. *Indictione* VIII. Hisce Characteribus illigatur annus Christi septingentesimus tricesimus-nonus, ut ad illum annum [c] Tomo superiore notavimus. Ergo Roma, quandiu Gregorius Secundus Pontificatum gessit, paruit Imperatoribus, horum enim nomina suis etiam literis apposuit ejusdem Gregorii Secundi successor alter Gregorius, cùm annum in Pontificatu nonum jam agebat.

AN GREGORIO III?

[c] Num. 40.

X. Si vera scribit Alemannus [d], *post excussam à Gregorio II Pontifice Leonis Isauri Imperatoris hæretici dominationem, Gregorius III successor primus exte-*

[d] Cap. 14.

AN. CH. 796.

CAROLI R. 28.
PIPPINI LUDOV. RR. 16.
CAROLI R. 8.

rerum Principum auxilia & societatem quæsivit sibi, & Ecclesiæ Romanæ. Quæsivit autem à Carolo Martello per binas Legationes, quibus ei Urbanam Præfecturam obtulit, & Defensionem ab eodem exegit. Illam quàm liberaliter Gregorius polliceretur, hanc quam ardenter expeteret, ita declaravit, ut nihil tam dignum, tam sanctum Romæ haberi Carolus Martellus intelligeret, quod non sub ejus præsidio esse Gregorius vellet, quando Confessionis Sancti Petri Claves in illius manus ultro conjiceret. At à Gregorio Secundo Papa, qui vitam anno Christi septingentesimo tricesimo-primo clausit, excussam Leonis Augusti dominationem jam negavimus, imò probavimus Romam eidem Imperatori, mense Octobri, anno Christi septingentesimo undequadragesimo paruisse. Biennio pòst Carolus Majordomûs, quem posteri Martellum cognominarunt, à Gregorio Tertio Papa duas accepit Legationes, de quibus ad annum Christi septingentesimum quadragesimum-primum [a] fusè disseruimus. Alemannus, quia Romam in ditione Pontificis tum fuisse putat, Urbanam Præfecturam in ejus dispositione ponit, & de Legationibus ad Carolum missis ita loquitur. *Gregorius III ei*, nempe Carolo, *Urbanam Præfecturam obtulit, & Defensionem ab eodem exegit.* Ut id probet, duobus utitur argumentis, quæ facili negotio refelli possunt.

[a] Nu. 1. & seqq.

XI. Primum sumit ex Gregorii literis ad Carolum, quas ita citat. *Conjuro te per Deum vivum & verum, & per ipsas sacratissimas Claves Confessionis beati Petri, quas vobis ad regimen direximus, ut velociùs sub nimia festinatione sentiamus, post Deum, tuam consolationem ad nostram Defensionem.* Fraudem hoc loco detegere cogimur. Alemannus epistolam Gregorii non allegat bonâ fide, ut enim Lectores incautos decipiat, hæc rescindit verba (*non præponas amicitiam Regum Longobardorum amori Principis Apostolorum*) quæ controversiam omnem dirimunt, Gregorius enim non auxilium pro se contra Imperatorem, ut Alemannus contendit, sed pro ipso Imperatore contra Longobardos à Carolo postulat. Id fusiùs ac liquidiùs exponetur infrà. Genuinus autem Gregorii textus ex editionibus Gretseri [b], Binii [c], Baronii [d], Sirmondi [e], Duchesnii [f], Duboucheti [g], Labbei [h], necnon & Centuriatorum [i], sic allegari debet. *Conjuro te per Deum vivum & verum, & per ipsas sacratissimas Claves Confessionis beati Petri, quas vobis ad Regnum dimisimus, ut non præponas amicitiam Regum Longobardorum amori Principis Apostolorum, sed velociùs & sub nimia festinatione sentiamus, post Deum, tuam consolationem ad nostram defensionem.* Hæc phrasis (*non præponas amicitiam Regum Longobardorum amori Principis Apostolorum*) in omnibus editionibus constantissimè servatur, imò ab his vocibus, *ut non præponas*, ad finem usque præcitati textûs, conformes sunt omnes editiones, excepto quòd quædam carent conjunctione & ad hunc locum, *velociùs & sub nimia festinatione*, sed hæc discrepantia nullius est momenti. Initio textûs variant duæ præpositiones *in* & *per*; & licèt in eadem nonnumquam significatione reperiantur, hanc illi præferendam censemus ad hunc locum, *conjuro te per Deum vivum.* Deinde ubi Alemannus legit, *quas vobis ad regimen direximus*, omnes editiones habent, *ad Regnum*; quædam verò, *dimisimus*; aliæ, *direximus.* Utrobique par sensus. Romanus Pontifex Claves Confessionis beati Petri Carolo dimittit seu dirigit, ad bellum cum auxilio Principis Apostolorum pro Romanis adversùs Longobardos feliciter gerendum, quemadmodum Gregorius Primus Childeberto Francorum Regi similes olim Claves transmiserat, quæ Regio collo suspensæ Regem in perpetuum à peccatis solverent, & à malis omnibus tuerentur. *Transmisimus*, inquit Gregorius Magnus in literis [k] ad Childebertum anno Christi quingentesimo nonagesimo-tertio scriptis, *Beati Petri Apostoli benedictionem, Crucem parvulam, cui de catenis ejus beneficia sunt inserta. Quæ illius quidem ad tempus ligaverunt, sed vestra colla in perpetuum à peccatis solvant.* Item in aliis [l] anno Christi quingentesimo nonagesimo-quinto datis. *Claves præterea Sancti*

[b] Cod. Carol. ep. 1.
[c] Tom. 3.
[d] Ad an. 740. n. 22.
[e] Tom. 1. Conc. Gall.
[f] Tom. 3. Collect. Hist. Franc.
[g] In Prob. ad c. 9. de vera Orig. Domûs Franc.
[h] Tom. 6.
[i] Centur. 8. c. 10.
[k] Lib. 2. ep. 33. Ind. 11.
[l] Lib. 5. ep. 6.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

Petri, in quibus de vinculis catenarum ejus inclusum est, Excellentiæ vestræ direximus, quæ collo vestro suspensa à malis vos omnibus tueantur. Alemannus[a] inter Claves à Romanis Pontificibus ad Childeberrum & ad Carolos Martellum ac Magnum missas maximam ponit differentiam, priores vocat eulogias, posteriores ait Claves esse Adyti Varicani. *Neque enim*, inquit, *Claves illæ* à Leone ad Carolum Magnum directæ *(quod clarissimorum virorum, Bellarmini videlicet ac Baronii Cardinalium, pace dixerim) hujusmodi erant, quales eulogiæ & benedictionis gratiâ Gregorius Magnus Regibus, Principibus fœminis, atque adeo etiam amicis mittit, sed quibus Templi Vaticani aptabantur fores, vel quibus Petri monumenti adyta & penetralia servabantur. Hasce, & munera, quibus Leo Carolum prosecutus est, disertè distinguunt Auctores, disertéque omnes non eulogias vocant, sed Claves Confessionis Sancti Petri, easque tum maximè missas affirmant, cùm Caroli patrocinium implorabatur.* Et paulò pòst. *Claves ergo Adyti Vaticani missæ sunt, ut Carolo quidem Martello Ecclesiæ Romanæ tuendæ negotium daretur, Carolo autem Magno confirmaretur. Quale enim in Urbe dominium Carolus Martellus unquam exercuit? susceptam tamen ab illo Ecclesiæ Romanæ defensionem, fœdúsque initum cum Gregorio Tertio Græcorum Latinorúmque Historiæ, dataque ad eum epistola loquuntur.* Carolus Martellus nullum in Urbe dominium exercuit. Hac de re convenimus. Responsa quæ per suos Oratores Gregorio fecit, nos latent. In morbum, quo mense tandem Octobri consumptus est, jam inciderat, cùm Legationes à Gregorio suscepit, ac morte præventus auxilium ei ferre non potuit. De anno, quo Gregorius epistolas suas Carolo direxit, adversùs Baronium ad annum Christi septingentesimum quadragesimumprimum[b] disputavimus. Illo anno discesserunt è vivis Leo Imperator, Carolus Major-domûs, Gregorius Tertius Papa; Leo decimo-quarto Kalendas Julii, Carolus Idibus Octobris, Gregorius quarto Kalendas Decembris. Post Leonis mortem solus Imperium tenuit Constantinus ejus filius; Gregorio, cùm Episcopatus dies quatuor vacasset, successit Zacharias.

AN ZACHARIÆ 1.

Hic multas scripsit epistolas, quarum subscriptiones utráque Constantini Imperatoris epochâ consignavit. E pluribus tria tantùm proferemus exempla, quæ Tomo superiori consulere poteris. Ad annum Christi septingentesimum quadragesimum-tertium[c], sic. *Data Kalendis Aprilis, imperante Domino Piissimo Augusto Constantino, à Deo coronato Magno Imperatore, anno vicesimo-quarto, Imperii ejus anno secundo, Indictione undecimâ.* Ad annum Christi septingentesimum quadragesimum-octavum, sic[d]. *Data Kalendis Maii, imperante Domino Piissimo Augusto Constantino, à Deo coronato, Magno, Pacifico Imperatore, anno XXIX. P. C. ejus anno VII. Indictione I.* Et ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-primum, sic[e]. *Dada pridie Nonas Novemb. imperante Domino Piissimo Augusto Constantino, à Deo coronato, Magno Imperatore, anno XXXII. Imperii ejus anno undecimo, Indictione quintâ.* Deinde quandiu Artavasdus & Nicephorus ejus filius adversùs Constantinum Imperatores acclamati purpuram gesserunt, in actis publicis Romæ, prætcrito Constantino cujus nomen Romanis odiosum erat, Artavasdus & Nicephorus nominabantur, ut patet ex duabus epistolis, quas idem Zacharias Pontifex ad annum Christi septingentesimum quadragesimum-quintum his munivit subscriptionibus. *Dat. X. Calend. Jul. imp. Dom. Artavasdo à Deo coronato Magno Imp. anno III. Pat. ejus anno III. sed & Nicephoro Magno Imp. anno III.* Item. *Data Nonis Novembris, imperante Domino Piissimo Augusto Artabasdo à Deo coronato Magno Imperatore anno tertio, Patriciatûs ejus anno tertio, sed & Nicephoro Magno Imperatore ejus filio anno tertio.* Ergo Gregorius Tertius, qui Zachariam in Pontificatu præcessit, nec Urbis dominio potitus est, nec Urbanam Præfecturam Carolo per Claves Confessionis beati Petri contulit, quæ, teste Bellarmino[f], *nihil erant aliud, nisi theca quadam preciosa, quibus Reliquiarum fragmenta ser-*

[a] Cap. 14.
[b] Num. 12. & seqq.
[c] Num. 31.
[d] Num. 42.
[e] Num. 42.
[f] Lib. de translat. Imp. c. 13.

vabantur. Solebant enim Pontifices, cùm summo aliquem munere afficere voluissent, rasuram cathenarum Sancti Petri, aut aliquid aliud generis ejusdem, claviculâ aureâ vel argenteâ inclusum, mittere. AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8. XII.

Alterum argumentum Alemannus [a] ut Urbanam Præfectutam Carolo Majori-domûs à Gregorio Tertio Papa oblatam probet, ex Appendice [b] ad Gregorium Turonensem, vel potiùs ex priori Appendice ad Historiam jussu Childebrandi conscriptam, sumit textu sic allegato. *Eo tempore bis à Romana Sede Sancti-Petri Apostoli beatus Papa Gregorius Claves venerandi sepulchri cum vinculis Sancti Petri, & muneribus magnis & infinitis, & Legationem (quod antea nullis auditum aut visum temporibus fuit) memorato Principi destinavit; eo pacto patrato, ut à parte Imperatoris recederet, & ut Romanum Consulatum præfato Principi Carolo sanciret.* Hic textus à Laurentio *de la Barre*, à Laurentio Bochello, ab Andrea Duchesnio sic editus est. *Eo tempore bis à Roma * Sede Sancti Petri Apostoli beatus Papa Gregorius Claves venerandi Sepulchri, cum vinculis Sancti Petri & muneribus infinitis, Legatione (quod antea nullis auditis aut visis temporibus fuit) memorato Principi destinavit. Eo pacto patrato, ut ad partes Imperatoris recederet, & Romanum Consulatum præfato Principi Carolo sanciret.* Vitium est eùm in parenthesi, rum in pacto. Parenthesin Alemannus ex Aimoini Continuatore [c], quem Guilielmus *Parvy* & Jacobus *du Breul* ediderunt, rectè sic restituit, *quod antea nullis auditum aut visum temporibus fuit.* Consule Tomum superiorem, eâdem enim emendatione ad annum Christi septingentesimum quadragesimum-primum [d] jam usi sumus. Quod ad pactum attinet, textus certè corruptus est, quomodo enim Romanus Pontifex simul & ad partes Imperatoris recedere, & Romanum Consulatum sive Imperium (nam Consulatus Imperium illis temporibus significabat) Carolo sancire potuit? Locum hunc depravatum jam agnovit Aimoini Continuator, quem Guilielmus *Parvy* sic publicavit. *Eo scilicet pacto, quatinus sacram Romanam Ecclesiam à Longobardorum tyrannide liberaret, terrena cælestibus præponderans floccipenderet, & à partibus Longobardorum Romanis consulendum præfatus Princeps Carolus sanciret.* Et Breulius, sic. *Eo scilicet pacto, quatenus sacram Romanam Ecclesiam à Langobardorum tyrannide liberaret, terrena cælestibus posthabens floccipenderet, & à partibus Langobardorum recederet, ac Romanum consultum præfatus Princeps Carolus sanciret.* Illatum editionum factâ collatione nemo non colligit hunc Appendicis præcitatæ sensum fuisse, ut tejecto Longobardotum fœdere Carolus ad partes Imperatoris accederet, & auxilio consilióque Romanis esset. Ideóque textus ejusdem Appendicis sic videtur restituendus. *Eo pacto patrato, ut ad partes Imperatoris accederet, & Romanum consultum præfatus Princeps Carolus sanciret.* Nec audiendus Annalista Metensis, qui locum illum sic exponit. *Epistolam quoque decreto Romanorum Principum sibi prædictus Præsul Gregorius miserat, quòd sese populus Romanus, relictâ Imperatoris dominatione, ad suam defensionem & invictam clementiam committere voluisset.* Certè Gregotius Tertius in suis ad Carolum epistolis ne verbum quidem habet de Romano Consulatu vel Romana ditione, sed de solis Longobardorum Regibus, Apostolicæ Sedi tunc infensissimis, abundantissimè sic conqueritur [e]. *Coartati dolore in gemitu & luctu consistimus, dum cernimus id, quod modicum remanserat præterito anno pro subsidio & alimento pauperum Christi, seu luminariorum concinnatione, in partibus Ravennatium, nunc gladio & igni consumi à Luithprando & Hilprando Regibus Longobardorum; sed in istis partibus Romanis mittentes plura exercita similia nobis fecerunt & faciunt, & omnes scalas Sancti Petri destruxerunt, & peculia, quæ remanserunt, abstulerunt.* Alemannus in textu, quem allegat, *Consulatum* interpretatur *Patriciam dignitatem & civilem Urbis administrationem.* Sed hæc expositio tolerari non potest, quia Consulatus, ut suprà jam insinuavimus, illis temporibus Imperium significabat. Omnium instar probationum, quas con-

[a] Cap. 14.
[b] Cap. 119.
* Barr. à Romana
[c] Lib. 4. c. 57.
[d] Num. 8.
[e] Cod. Carol. ep. 2.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R 8.

gerere facili negotio possemus, esto Caroli Magni Edictum, cujus initium apud Carolum Sigonium [a] sic legitur. *Carolus divino nutu coronatus, Romanum regens Imperium, Serenissimus Augustus omnibus Comitibus, Gastaldiis, seu cunctis Reipublicæ per provinciam Italiæ à nostra mansuetudine præpositis, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi* DCCCI, *Indictione* IX, *anno Regni nostri in Francia* XXXIII, *in Italia* XXVIII, *Consulatus autem nostri primo.* Per Consulatum Imperium hic intelligas necesse est, annus enim primus Imperii Carolini cum anno Christi octingentesimo primo comparatur. Plura non addemus adversùs Appendicem ad Gregorium Turonensem, quâ se fretum dicit Alemannus, ut à Gregorio Tertio Papa tanquam ab Urbis Domino Præfecturam Urbanam Carolo Majori-domûs oblatam confirmet.

[a] Lib. 4. de Regno Ital. a. 801.

XIII. Roma, cùm Gregorius Tertius ejúsque successor Zacharias Pontificatum gerebant, sub Imperatoris dominatione permansit. Id suprà variis auctoritatibus probatum ad mensem usque Novembrem anni post Christum natum septingentesimi quinquagesimi - primi, quo Zacharias Papa suas ad Bonifacium Moguntiacensem Archiepiscopum literas hisce Chronologicis Characteribus signavit. *Data pridie Nonas Novemb. imperante Domino Piissimo Augusto Constantino, à Deo coronato, Magno Imperatore, anno* XXXII. *Imperii ejus anno undecimo, Indictione quintâ.* Decessit Zacharias proximo mense Martio. Datus est ei successor Stephanus Secundus, qui quarto pòst die eodémque mense Martio nondum elapso vitam clausit. Mense Aprili successit Stephanus Tertius, qui sexto Kalendas Maias anno Christi septingentesimo quadragesimo-septimo vivere desiit. Hic primus è Romanis Pontificibus potitus est aliquot civitatum provinciarúmque Principatu, quas ex munificentia Pippini Francorum Regis anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto sibi collatas acceperat. Romam tamen in sua dominatione numquam tenuit. Idem censendum de proximis successoribus, Paulo, Stephano Quarto, & Hadriano,

AN STEPHANO III?

qui suis in scriptis Imperatores Urbis Dominos semper agnoverunt. Stephanus Tertius, paulò antequàm moreretur, literas scripsit Fulrado diversorum Monasteriorum quæ construxerat Abbati. Cusæ sunt sæpiùs hæ literæ. Datæ reperiuntur IV *Kalendas Martias, Indictione* X, id est, anno Christi septingentesimo quinquagesimo - septimo; tribus etiam consignantur epochis Augustorum, duabus Constantini, tertiâ Leonis, *imperante domno Piissimo Constantino, à Deo coronato Magno Imperatore, anno ...... post ejus Consulatum anno ...... sed & Leone majore Imperatore ejus filio, anno ......*

At ut in literarum contextum irrepserunt interpolationes, sic & mendæ in Augustorum epochas, quas idcircò prætermisimus. Utræque Tomo priori [b] examinatæ. Extat [c] Pauli Papæ Diploma pro immunitate Monasterii Sancti Hilari Galiatensis sub Ecclesia Ravennate positi, *datum Nonis Februariis, imperante Domno Piissimo Augusto Constantino, à Deo coronato, Magno Imperatore, anno* XL. *post Consulatum ejus anno* XIX *. *sed & Leone Imperatore ejus filio anno* IX *. *Indictione* XIII *. id est, anno Christi septingentesimo sexagesimo. Extat [d] & ejusdem Pauli Constitutum, *datum quarto Nonas Julii* *, *imperante Domino Constantino Augusto à Deo coronato, Magno Imperatore, anno quadragesimo-primo, ex quo cum patre regnare cœpit, & post Consulatum ejus anno vigesimo-primo, Indictione decimâ-quartâ*, id est, anno Christi septingentesimo sexagesimo- primo. Hadrianus Pontificatum iniit Carolo Monarchiam Francorum jam adepto, eundem Regem ter Romæ suscepit, annis videlicet octavi seculi, septuagesimo-quarto, octogesimo-primo, & octogesimo-septimo. Literas, quas inter Acta [e] secundi Concilii Nicæni reperies, VII *Kalendas Novembris, Indictione nonâ*, sive anno Christi septingentesimo octogesimo - quinto, Constantino & Irenæ Augustis transmisit cum hac inscriptione. Δεσπόταις εὐσεβεστάτοις, καὶ γαληνοτάτοις, νικηταῖς,

[b] Ad an. 757. nn. 1. & seqq.
[c] Tom. 6. Concil.
AN PAULO?
* XX.
* VII.
* XII.
[d] Tom. 6. Concil.
* Junii
[e] Tom. 7. Concil.
AN ADRIANO I

νικηταῖς, τροπαιούχοις, τέκνοις ἠγαπημένοις ἐν τῷ Θεῷ καὶ κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, Κωνσταντίνῳ καὶ Εἰρήνῃ Αὐγούστοις, Ἀδριανὸς δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ. *Dominis Piissimis & Serenissimis, Victoribus, Triumphatoribus, filiis dilectis in Deo & Domino nostro Jesu Christo, Constantino & Irenæ Augustis, Adrianus servus servorum Dei.* Quas ab ipsis Augustis epistolas accepit, eas in iisdem literis jussiones κελεύσεις appellavit; διὰ τῆς ὑμετέρας κελεύσεως. ἐν τῇ ἰδίᾳ ὑμῶν κελεύσει. Pluribus non opus est argumentis, ut Adriano Pontifice Romam sub Imperatotis potestate adhuc fuisse credas. AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

XIV. QUOMODO CAROLUS HADRIANUM VOCAT PATREM.

Porrò, cùm Romana civitas eo tempore, quo Pontificatus penes Adrianum fuit, sub Imperatoris dominatione permanserit, ad hoc hemistichium, *Rex ego, túque Pater,* cujus interpretationem indagamus, non benè ratiocinatur Alemannus, ubi Adrianum tanquam Urbis Dominum, à Carolo Patricio seu Defensore Ecclesiæ Romanæ vel filio per arma, Patrem appellari dicit. Carolus in Adriani epitaphio ad perpetuum singularis amicitiæ monumentum, quo sese mutuò prosequebantur, nomen suum cum Adriani nomine, necnon titulum suum cum ejusdem Pontificis titulo simul conjungit. Notum est utriusque nomen, notus & utriusque titulus; multarum gentium Rex est Carolus, Adrianus Pater est omnium Christianorum; aliam rationem ne quætas, cur Regem se Carolus, Adrianum verò Patrem vocet. Atque hæc istius distichi genuina est interpretatio.

Nomina jungo simul titulis, clarissime, nostra;
Hadrianus, Carolus; Rex ego, túque Pater.

XV. LÆTATUR OB ELECTIONEM LEONIS PP.

Carolus in responsoriis ad Leonem Papam literis, ut maximum dolorem propter mortem Hadriani, cujus epitaphium composuit, sic & singularem testatus est lætitiam propter Leonis subrogationem quem his compellavit verbis. *Magnum divina nobis prævidebat gratia solatium, dum vos, Vir Venerande, in locum illius subrogavit, ut esset, qui cotidie apud beatum Petrum Principem Apostolorum pro totius Ecclesiæ stabilitate, & qui pro salute mea meorúmque fidelium, immò & pro totius stabilitate Regni nobis à Deo dati intercederet, & paternâ pietate nos in filium sibi adoptaret, dilectionis pacificam unanimitatem.* De Caroli quoque Patriciatu postremam partem hujus textûs interpretatur Alemannus [a]. *Non erat, inquit, tanti, ut tam gravem Carolus adornaret expedirétque Legationem, uti nomen id sibi à Leone beneficii loco concederetur, quod ex domestica consuetudine à Romanis Pontificibus ne vel infimæ quidem plebis homuncioni negabatur. Liceat hîc penitiùs Caroli Patriciatum inspicere, ac ejus rationem conditionémque in lucem proferre. Cùm adoptari filius à Leone Carolus petit, rem petit minimè novam, si vel ejus ætatis morem, vel Pipini parentis exemplum animadvertimus. Pipinus quidem Patricius Romanorum à Stephano III declaratus, non semel filius adoptivus in iis litteris appellatus est, quas, Petri Apostoli personam inducens, ad eundem Pipinum, obsessâ à Longobardis Româ, perscripsit.* Inter Patricium Romanorum & filium adoptivum Romani Pontificis nulla ponatur differentia, per nos licet, modò Romanus Pontifex, ex eo quòd vel filium adoptat, vel Patricium Romanorum dicit, Urbis dominus non habeatur. Ab hac sententia longissimè recedit Alemannus, Pippinum enim, priusquàm bellum contra Longobardos susciperet, cum Carolo & Carolomanno filiis à Stephano Tertio tunc Urbis Domino Patricium Romanorum factum arbitratur, quoniam à temporibus Gregorii Papæ Secundi, qui Stephanum Tertium multis annis antecessit, Romam in ditione Romani Pontificis constituit excussâ Imperatoris dominatione. Sed hanc opinionem suprà refutavimus, ostendimúsque Romam sub Imperatorum potestate ad Leonis usque Tertii Pontificatum permansisse.

[a] Cap. 11.

AN. CH. 796.
CAROLI R. 28.
PIPPINI LUDOV. RR. 16.
CAROLI R. 8.

Cùm autem Roma pareret adhuc Imperatori, bellúmque Francos inter ac Græcos à multis annis ortum flagraret, Carolus vereri visus est, nè sui Patriciatûs auctoritas imminueretur. Quapropter in mandatis Angilberto dedit, ut apud Leonem non tantùm de exaltatione Sanctæ Dei Ecclesiæ déque stabilitate Pontificatûs eidem Leoni nuper collati, sed etiam de firmitate sui Patriciatûs ageret. Ut enim pactum olim cum decessore Adriano, sic & fœdus cum ipso Leone sancire cupiebat, *quatenus*, inquit in iisdem ad Leonem literis, *Apostolicæ Sanctitatis vestræ, divinâ donante gratiâ, Sanctorum advocatis precibus, me ubique Apostolica benedictio consequatur, & sanctissima Romanæ Ecclesiæ Sedes, Deo donante, nostrâ semper devotione defendatur.*

XVI. Cur de suo sollicitus est Patriciatu.

Patriciatus Romanorum in Sanctæ Dei Ecclesiæ & populi Romani protectione totus consistebat. Id Stephanus Tertius in suis ad Pippinum literis [a], quas ad annum Christi septingentesimum quinquagesimumquartum [b] Tomo priore jam citavimus, ita docet. *Nulli alio, nisi tantummodo tuæ amantissimæ Excellentiæ, vel dulcissimis filiis, & cunctæ genti Francorum, per Dei præceptionem & Sancti Petri, Sanctam Dei Ecclesiam & nostrum Romanorum Reipublicæ populum commisimus protegendum.*

[a] Cod. Carol. ep. 6.
[b] Num. 57.

XVII. Angilbertum in Galliam reversum, et Legatos Leonis PP. cum Clavibus Confessionis S. Petri, ac Vexillo Romanæ Urbis suscipit.

Caroli Regis literæ, de quibus actum hactenus, jucundissimæ fuerunt Leoni, qui statim Angilbertum in Galliam redire permisit, & paulò pòst, ut Annalista Laureshamensis ad hunc annum testatur, *per Legatos suos Claves Confessionis Sancti Petri, ac Vexillum Romanæ Urbis cum aliis muneribus Regi misit, rogavítque ut aliquem de suis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per sacramenta firmaret.*

Intereà Carolus thesauros ex Hunorum sive Avarorum regione delatos suscepit, cùm Aquisgrani moraretur, ubi Pascha tertio Kalendas Aprilis celebravit. Forum-Julium ex provincia rursus ad formulam Ducatûs redegerat, ac remotis Comitibus [c] Henricum, hominem Francum, Ducem constituerat, ut Avaros, qui adhuc in armis erant, aut reprimeret insultantes, aut quiescentes fatigaret. Hic igitur nactus occasionem, quòd Chaganus & Vigurus civili bello à suis interempti fuerant, missis copiis cum Wonomiro Sclavo in Pannoniam, Rhingum Avarorum Regiam expilavit, ac thesaurum longo annorum intervallo coactum Aquas ad Carolum misit. Qua de re sic verus Auctor in Chronico Cœnobii Moissiacensis. *A parte Avarorum sive Hunorum venerunt thesauri, pro quibus Dominus Rex Omnipotenti Regi gratias agens, distribuit ipsum thesaurum inter Ecclesias, & Episcopos, seu Abbates, & Comites, necnon & universos fideles suos de eodem thesauro mirificè honoravit.* Et Annalista Loiselianus. *Heiricus Dux Forjulensis missis hominibus suis cum Wonomiro Sclavo in Pannonias, Hringum gentis Avarorum longis retrò temporibus quietum, civili bello fatigatis inter se Principibus, spoliavit; Chagan sive Viguro intestinâ clade addictis & à suis occisis, thesaurum priscorum Regum multâ seculorum prolixitate collectum Domno Regi Carolo ad Aquis Palatium misit. Quo accepto, peractis Deo largitori omnium bonorum gratiarum actionibus, idem vir prudentissimus atque largissimus, & Dei dispensator, magnam inde partem Romam ad limina Apostolorum misit per Angilbertum dilectum Abbatem suum. Porrò reliquam partem Optimatibus Clericis sive laicis, ceterísque fidelibus suis largitus est.* Adstipulantur Annalistæ, Laureshamensis, Tilianus, & Bertinianus, cum Adone & incerto Auctore, quorum ille Chronicon, hic Caroli vitam scripsit.

XVIII. Thesaurum post debellatos Hunnos ab Henrico duce transmissum partim distribuit inter Episcopos, Abbates, atque Optimates;

[c] Sigon. l. 4. de Regno It.

XIX. In Annalibus Laureshamensibus *spoliata* dicitur *Hunorum Regia, quæ Ringus vocabatur.* Hic locus, ut ab Hunis *Ringus*, sic à Longobardis *Campus* appellabatur, in iisdem enim Annalibus hæc paucis interjectis de Pippino Longobardorum Rege subjiciuntur. *Pipinus Hunis trans Tizam fluvium fugatis, eorúmque Regiâ, quæ, ut dictum est, Ringus, à Longobardis autem Campus vocatur, ex toto destructâ, direptis penè omnibus Hunorum opibus, ad patrem Aquisgrani hyberna habentem venit.* Et in Fuldensibus, *Campus*

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

eorum, nempe Hunorum, *quem vocant Hringum, primò per Ehericum Ducem Forojuliensem, deinde per Pipinum filium Regis addictus & captus* asseritur. Non desunt tamen, qui Ringum sive Hringum vel Iringum, non villam aut Regiam, sed Ducem seu Principem Hunorum sive Avarorum fuisse contendant. In iis sunt Monachus Egolismensis, Annalista Metensis, & Regino. Trium horum Auctorum primus sic habet. *Henricus autem Dux Furjuliensis misso in Pannoniam Wonomirro Sclavo Principe suo, Ringum Ducem Avarorum interficere fecit.* Et alii duo. *Heiricus* * *Dux Forojulianorum missis hominibus cum Wonomiro Sclavo in Pannoniam, Iringum gentis Avarorum Principem, longis retrò temporibus quietum* * *civili bello fatigatis inter se Principibus, improvisè expoliavit.* Apud Eginhardum in vita Caroli, nulla Ringi sive Iringi Ducis seu Principis fit mentio, sed *locus, in quo Regia Cagani erat, ita desertus* exhibetur, *ut ne vestigium quidem in eo humanæ habitationis appareat.* Hæc nos permovent, ut Ringum sive Iringum non Ducem aut Principem Hunorum, sed locum interpretemur, in quo thesauri gentis illius servabantur.

* Annal. Met. Hericus.
* Regin. quietum.

XX. PARTIM ROMAM MITTIT PER ANGILBERTUM.

In Annalibus Loiselianis, Carolus *Romam ad limina Apostolorum* dirigit magnam partem thesauri, quem ab Henrico Duce Forojuliensi ex Hunia sibi transmissum accepit. Annalistæ Loiseliano consentiunt hoc loco, Laureshamensis, Tilianus, Fuldensis, Bertinianus ac Metensis, necnon Ado, Regino, Monachus Egolismensis, & incertus Auctor, à quo scripta Caroli vita. Sed quis Regium hoc donum Romam detulerit, liquidò non patet. Annalista Tilianus & Ado neminem indicant, cæteri nominant Angilbertum sive Angelbertum aut Engilbertum vel Ingilbertum, eúmque vocant Abbatem, atque omnium distinctissimè Laureshamensis Annalista nuncupat Abbatem *Monasterii Sancti Richarii.* De Angilberto, Angelberto, Engilberto, Ingilberto, (variis enim modis nomen illius effertur) ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-secundum & alibi jam locuti sumus, monuimúsque multa de illo fabulosè vel loco non suo commemorari. Vixit in Monasterio Centulensi seu Sancti Richarii sub Abbatis Symphoriani disciplina, deinde ex Monacho factus est Abbas ejusdem Cœnobii. Sed ista seriùs contigerunt, priùs enim duos suscepit filios è Berta Caroli Regis filia, quævel exeunte anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono vel ineunte proximo in lucem edita est.

XXI. VARIA CONSILIA MONITAQUE LEONI PP. PER EUNDEM ANGILBERTUM STUDET INCULCARI.

Inter epistolas Alcuinianas [a] extat Carolina Homero inscripta, id est, Caroli Regis ad ipsummet Angilbertum, in qua legere est, quæ Romam denuò proficiscenti mandata Carolus dederit, quæ consilia monitáque Leoni Pontifici voluerit inculcari. *Karolus gratiâ Dei Rex, & Defensor Sanctæ Ecclesiæ, Homero Auriculario salutem. Divinâ regente misericordiâ iterum & prosperè te adducente ad Domnum Apostolicum Patrem nostrum, admoneas eum diligenter de omni honestate vitæ suæ, & præcipuè de sanctorum observatione Canonum; de pia Sanctæ Dei Ecclesiæ gubernatione, secundùm opportunitatem conlationis inter vos, & animi illius convenientiam. Ingerásque ei sæpiùs, quàm paucorum honor ille, quem præsentialiter habet, annorum; quàm multorum est perpetualiter merces, quæ datur benè laboranti in eo. Et de Simoniaca subvertenda heresi diligentissimè studeas illi, quæ sanctum Ecclesiæ corpus multis malè maculat in locis. Et quidquid mente teneas sæpiùs querelis agitasse inter nos. Sed qualis mihi esset conlatio cum beato Adriano Papa prædecessore illius, de construendo Monasterio ad Sanctum Paulum, nullatenus dimittas suggerere illi, ut volente Deo revertens certum mihi responsum habeas referre. Dominus Deus ducat te, & deducat cum omni prosperitate. Dominus Deus regat & dirigat in omni bonitate cor illius, ut faciens faciat quod Sanctæ suæ proficiat Ecclesiæ, ut sit nobis pius Pater, & pro nobis præcipuus intercessor, ut idem Deus & Dominus noster Jesus Christus nos in sua florere faciat voluntate, & cursum, qui superest nobis vitæ nostræ, ad perpetuæ stabilitatis quietem perducere digne-*

[a] Ep. 83.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

tur. Vade * *cum prosperitate, proficiens in veritate, reversurus cum gaudio, Homeriane puer.* In his literis nonnulla sunt observanda. Angilbertus in hac epistola, ut & in aliis quibusdam, Homerus appellatur, vocatur & Auricularius, quia Regi ab intimis Consiliis, sive, ut alibi jam dictum, Silentiatius, aut Regiæ voluntaris Secretarius, Abbas verò nusquam nominatur, est enim adhuc laicus, rebúsque secularibus & Officiis Palatinis vacat. Vox *iterum*, quâ Carolus utitur, eundem Angilbertum ad Leonem Romam, ut proximè diximus, antreà jam profectum ostendit.

* Bolland. Vale

XXII. [a] Ep. 92. ALCUINI AD EUNDEM ANGILBERTUM LITERÆ.

Angilberto absenti literas [a] scripsit Alcuinus, quarum hoc est initium. *Dulcissimo filio vir fluctivagus salutem. Te abeunte, tentavi sæpius ad portum stabilitatis venire, sed rector rerum & dispensator animarum necdum concessit posse, quod olim fecit velle. Adhuc ex radice cordis nascentes cogitationum ramusculos ventus tentationum flagellat, ut consolationis flores & refectionis fructus nutriri nequiverint. Totâ nocte laborantes nihil cepimus, quia necdum in litore Jesus stetit, præcipiens in dexteram navigii rete mitti.* In iisdem literis Alcuinus pari cum Angilberto sorte se jactari testatur, cùm uterque Deo liberiùs opter servire, neuter verò catenis, quibus impeditur, adhuc expedire se possit. *Te*, inquit, *unanimem deposcens amicum, te custodem animi obsecrans, ut consilium salutis animarum nostrarum cum suffragiis Sanctorum Apostolorum à Deo depreceris. Nam uos ambos, ut recognosco, quædam necessitatis catena constringit, & libero cursu voluntatis castra intrare non permittit, nec est, qui compedes rumpere valeat, nisi qui inferni ferrea clanstra contrivit, qui est via, & veritas, & vita; via pergentibus per illum, veritas venientibus ad illum, vita manentibus in illo.* Munera quoque Româ sibi deferri sic postulat. *Patrocinia Sanctorum non oblivìscere. Res Ecclesiasticæ pulchritudinis oculis occurrentes noli negligere. Nostra rusticitas avara est de talibus, vestra nobilitas larga est de omnibus.* Denique, si nihil Angilbertus Româ detulerit, ei lepidè Poeticum Nasonis præsagium in memoriam revocat.

Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.

XXIII. AD QUID ROMAM MISSUS ANGILBERTUS.

Itineris ab Angilberto Romam iterum ad Leonem suscepti causam declarat Annalista Lauteshamensis. Leo Romanus Pontifex, post Angilberti discessum ex Urbe, de quo suprà, per Nuncios suos præter Claves Confessionis Sancti Petri direxerat Carolo Vexillum Romæ Urbis, eundémque Regem rogatat, ut per aliquem ex suis Optimatibus Romam ipsam ac populum Romanum, qui Græcis Imperatoribus hactenus paruerat, in suam fidem ac subjectionem reciperet. Sic enim prælaudatus Annalista. *Leo per Legatos suos Claves Confessionis Sancti Petri, ac Vexillum Romanæ Urbis cum aliis muneribus Regi misit, rogavítque ut aliquem de suis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per sacramenta firmaret. Missus est ad hoc Engilbertus Abbas Monasterii Sancti Richarii. Per quem etiam tunc ad Sanctum Petrum magnam partem thesauri, quem Ericus Dux Forojuliensis spoliatâ Hunorum Regiâ, quæ Ringus vocabatur, eodem anno de Pannonia Regi detulerat, misit; reliquum verò inter Optimates & aulicos, ceterósque in Palatio suo militantes, liberali manu distribuit.* Clarior est hic textus, quàm ut ullam pati difficultatem possit, miramúrque sensum à nonnullis atque in primis à Bellarmino adeò detortum, ut, si fides illis sit, Angilbertus Romam à Carolo missus censeatur, qui populum Romanum non ad fidem atque subjectionem Caroli Regis, sed ad fidem atque subjectionem Leonis Papæ per sacramenta firmaret. Hujuscemodi Scriptores egregiè refellit Ludovicus *Maimbourg*, Societatis Jesu Presbyter, in Historia Iconoclastarum, ad annum Redemptoris octingentesimum, quo Carolus à Romanis acclamatus est Imperator.

XXIV. Præter Annalistam Laureshamensem, plerique Vexillum Urbis Romanæ cum Clavibus Confessionis Beati Petri Carolo Regi Francorum à Leone Papa transmissum testantur. Annalista Loiselianus, de Leone sic. *Misit Le-*

gatos cum muneribus ad Regem, Claves etiam Confessionis Sancti Petri, & Vexillum Romanæ Urbis, eidem direxit. Tilianus, sic. *Misit Legatos cum muneribus ad Regem. Claves etiam Confessionis Sancti Petri, & Vexillum Romanæ Urbis eidem direxit.* Bertinianus, sic. *Adrianus Papa obiit, & Leo mox in ejus locum successit, misitque Legatos cum muneribus ad Regem, Claves etiam Confessionis Sancti Petri, & Vexillum Romanæ Urbis, eidem direxit.* Merensis, cum Reginone, sic. *Misit Regi Legatos cum muneribus. Claves etiam Confessionis Sancti Petri & Vexillum Romanæ Urbis direxit.* Incertus Auctor in vita Caroli, sic. *Legatos ad Regem misit cum muneribus, cum quibus Claves quoque Confessionis Sancti Petri, & Vexillum Romanæ Urbis, eidem direxit.* Monachus Egolismensis in ejusdem Caroli vita, sic. *Misit Legatos cum muneribus ad Regem. Claves etiam Confessionis Sancti Petri, & Vexillum urbis Romæ, ei direxit.* Et Ado in suo Chronico, sic. *Missis Legatis ad Pium Regem Carolum, Claves Confessionis Sancti Petri, simul & Vexillum Romanæ Urbis direxit.*

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

DONA LEONIS PP. CLAVES CONFESSIONIS S. PETRI, ET VEXILLUM ROMANÆ URBIS. XXV.

Claves ex Confessione seu Sepulchro Sancti Petri acceptæ Christianis olim Principibus mitti consueverant à Summis Pontificibus, ut testes sunt quamplurimæ Gregorii Magni aliorúmque Romanorum Pontificum Epistolæ. Nec audiendi sunt Novatores, qui Carolum per Claves Confessionis Sancti Petri in possessionem Romanæ Ecclesiæ immissum volunt.

QUID SIGNIFICENT CLAVES; XXVI. QUID VEXILLUM URBIS ROMANÆ.

Vexillum supremæ potestatis est Symbolum. Id multis auctoritatibus probat Joannes Morinus nostræ Congregationis Presbyter in eruditissimo Commentario [a] de Gestis Constantini Magni. Illam ob significationem notat Urbis Romanæ Vexillum olim Exarchis atque ipsis Imperatoribus Romam ingredientibus præferri solitum. In ejusdem rei confirmationem nobiscum observa nullam illius Vexilli mentionem apud Anastasium in primo Caroli Regis ad Urbem adventu quantumvis accuratè descripto fieri, quia Roma Constantino tunc Augusto parebat. In parietinis Lateranensibus, cùm ab Apostolorum Principe Carolus Vexillum, Leo Pallium accipiunt [b], quid per Vexillum nisi suprema Regni potestas, quid per Pallium nisi suprema Sacerdotii potestas designatur? Simili modo Silvester cum Clavibus, Constantinus cum Vexillo, repræsentantur [c] à Christo sic munerati. Anno Christi millesimo centesimo undequadragesimo Romanus Pontifex Innocentius, ut ex Chronico Beneventano liquet, *Rogerio Siciliæ Regnum per Vexillum donavit.* Baronius [d] Carolum *dono Vexilli* à Leone Papa honoratum dicit, *eò quòd potentissimus esset Ecclesiæ Romanæ defensor.* Carolum potentissimum Ecclesiæ Romanæ defensorem fuisse non inficiamur. At apud auctores, quos citavimus, *Vexillum* sive *Romanæ Urbis* sive *Urbis Romuleæ* vel *Urbis Romæ* non defensionem Ecclesiæ Romanæ, sed supremam Regis in ipsam Urbem populúmque Romanum potestatem significat. Certè Romam Carolo paruisse extra dubium est. Qui Festum Pompeium Carolo dicavit, his verbis, *civitatem vestram Romuleam,* usus est in Epistola præliminari, quibus Romam sub Imperio Caroli fuisse clarissimè demonstravit. In parietinis Lateranensibus [e] Carolus hoc donatur elogio, *Dominus noster.* Eidem Carolo *Domino Piissimo & Serenissimo* Leo Papa suas Epistolas inscribit. Illi autem tituli, ut Carolum Romæ regnasse comprobes, prævalido sunt argumento. Præterea Theophanes Romam potestati Francorum subjacuisse sic testatur, ὑπομείνης τῆς Ῥώμης ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῶν Φράγγων. Denique Carolus, ut suo loco dicemus, jus Romæ dixit, cùm Leonis accusatores reos Majestatis capite primùm damnavit, deinde rogatu Pontificis, animum ad clementiam inclinantis, eos in exilium egisse satis habuit. Quonam autem anno Roma Carolo patere cœperit, extra controversiam non est, Theophanes enim jam laudatus ait id contigisse, Leone Pontifice jam è Germania reverso suæque Sedi restituto; alii verò volunt id hoc anno factum esse, cùm Carolus Vexillum Ro-

[a] Part. 3. c. 24.

[b] Cap. 10.

[c] Cap. 9.

[d] Hoc an. n. 16.

[e] Cap. 10.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. R R. 16. CAROLI R. 8.

manæ Urbis à Leone transmissum accepit. Theophanis textus talis est. Ὁ δὲ προσφυγὼν πρὸς ῥῆγα τῶν Φράγγων Κάρουλλον, ἠμύνατο τοὺς ἐχθροὺς, καὶ πικρῶς, καὶ πάλιν κατέστησεν αὐτὸν εἰς τὸν ἴδιον θρόνον, ὑποπεσούσης τῆς Ῥώμης ἀπ' ἐκείνου χρόνου ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῶν Φράγγων. *Hic*, nempe Leo, *ad Carolum Francorum Regem confugit. Rex adversarios ejus graviter punivit, eúmque suæ rursum Sedi restituit, Româ potestati Francorum ab illo tempore attributâ.* Vetustos Auctores, qui Carolo Regi Vexillum Romanæ Urbis hoc anno à Leone directum testantur, non tantùm descripsimus suprà, sed etiam ex ejusdem Vexilli significatione, quam probatissimi quoque Scriptores nobis aperuerunt, asseruimus Romam in potestatem Caroli tùm venisse. Nullum dubitationi locum super hoc negotio relinquere videtur Annalista Laureshamensis, cùm addit rogatum etiam à Leone Carolum, *ut aliquem de suis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per sacramenta firmaret*, missumque *ad hoc* Engilbertum, de quo plura inferiùs.

XXVII. FLAGRANTE INTER FRANCOS ET GRÆCOS BELLO,

XXVII. Anno Christi septingentesimo duodenonagesimo, quo Constantinus Augustus uxorem sibi sociavit, sprerâ Rotrude Caroli filiâ, bellum Francos inter ac Græcos ortum grave ac diuturnum. Græci varias acceperunt clades, ex Istria pulsi sunt, infeliciter pugnarunt in Italia, Grimoaldo Duci Beneventano rebellionem molienti frustrà fuerunt auxilio. Pax inter utramque gentem nondum erat redintegrata, cùm Leo Papa Vexillum Urbis Romanæ Carolo direxit. Legati enim, quos Carolus Rex anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo *à Constantinopoli* suscepit, *pro pace* missi sunt, & cum eis in patriam liber abire permissus est Sisinnius; Tarasii Constantinopolitani Patriarchæ frater, quem Franci *jam dudum* sive *olim in Italia prælio captum* detinebant, ut ad illum annum ex Annalibus Loiselianis, Lauresbamensibus, Tilianis, Fuldensibus, Bertinianis, ac Metensibus, ex Reginone, ex Monacho Egolismensi, ex incerto Auctore in vita Caroli, & ex Poëta Saxonico, probaturi sumus. Ducatus Romanus cum ceteris regionibus, quas in Italia Græci possidebant, vix cohærebat ortum versùs ad oram maris, ubi Ducatus Neapolitanus Imperatoriæ tum ditionis. Everso Longobardorum Regno, victísque non semel Græcis, Franci trans Alpes latè dominabantur; Romanorum cervicibus imminebat gladius victoriosi Caroli multis ab annis evaginatus, hactenus tamen innoxius ob singularem Francicæ gentis reverentiam erga Summum Pontificem Sedémque Apostolicam; procul aberat, ferendóque auxilio parum idoneus babebatur, qui propter vitia vel contemptui vel odio Græcis erat Imperator. In tanto positi periculo, si sponte Francis deditionem facerent, saluti suæ sapienter consultum judicarunt Romani. Tam salubris consilii certus fuit Carolus accepto Urbis Romanæ Vexillo, quod Leo Romanus Pontifex unanimi omnium Ordinum voto direxit. Engilbertus vir illustris, qui Romà nupertimè redierat, extemplò missus est rursum è Francia, qui populum Romanum ad Caroli fidem atque subjectionem per sacramenta firmaret. Sic Urbs Roma totúsque penè Ducatus Romanus, cùm bellum Francos inter ac Græcos ardebat, à Græcis ad Francos nullo sanguine nullâque clade transierunt.

ROMA CUM DUCATU ROMANO SPONTE CAROLO SE DEDIT.

XXVIII. ROMANI DUCATUS LIMITES.

XXVIII. Ludovicus Pius Ducatum Romanum cis & ultra Tyberim, partim in Tuscia, partim in Campania situm describit, cùm Apostolicæ Sedi per suam Donationem concedit *civitatem Romanam cum Ducatu suo, & suburbanis, atque viculis omnibus, & territoriis ejus montanis & maritimis littoribus, & portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis, ac viculis in Tuscia partibus, id est, Portum, Centumcellas, Cære, Bledam, Marturanum, Sutrium, Nepe, Castellum Gallesii, Hortam, Polimartium, Ameriam, Tudertum, Perusium, cum aliis tribus Insulis suis, id est, majorem, & minorem, Pulvensem, & Lacum, Narniam, Otriculum, cum omnibus finibus ac territoris ad supradictas civitates*

pertinentibus; simili modo & in partibus Campania, Signiam, Anagniam, Ferentinum, Alatrum, Patricum, Frusinonem, cum aliis partibus Campania, necnon & Tibur, cum omnibus finibus & territoriis ad easdem civitates pertinentibus. Romanus hic Ducatus, ut à Ludovico Pio describitur, mari cingitur Ducatibúsque Tusciæ, Spoleti, Beneventi & Neapolis; Meridiem versùs clauditur mari, Septentrionem versùs Ducatu Spoletano, Ducatu Tusciæ Occasum versùs, ut Ortum versùs Ducatu Neapolitano, necnon & Beneventano cujus limes Occidentem versùs est Sora. Priùs autem quàm Leo Pontifex fieret, avulsæ ex eodem Ducatu Romano Civitates duæ, Narnia & Perusia. Pippinus in sua Donatione Narniam complexus est, ut Tomo superiore ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quintum [a] probavimus. Perusia fuit in potestate Longobardorum ad annum usque Christi septingentesimum septuagesimum-quartum quo Carolus Longobardiam Franoicis ditionibus adjecit. Lege Ughellum [b] in Episcopis Perusinis. De ceteris Ducatûs Romani Diœcesibus sermo nobis hic instituendus.

[a] Nu. 18. 19. 22. 61.

[b] Tom. 1. Ital. Sacr.

XXIX. Roma Metropolis Pontificem habebat Leonem Tertium, cujus præclara gesta nostris deinceps Annalibus plurimùm afferent ornamenti.

XXX. EPISCOPATUS. In Ducatu Romano sub Romana Metropoli, præter Narniam & Perusiam de quibus suprà, Sedibus Episcopalibus decorabantur, Ostia *, Velitræ, Tres Tabernæ, Sylva Candida, Portus, Præneste, Tusculum, Lavinum, Albanum, Centumcellæ, Bledum, Cære, Marturanum, Neper, Sutrium, Faleria, Gallesium, Horta, Polimartium, Tifernum, Ameria, Tudertum, Signia, Anagnia, Ferentinum, Alatrum, Frusino, Verulum, Privernum, Setinum, Tarracina, Ocriculum, Tibur.

* *Ostie.*

XXXI. Ostia, Velitræ, Tres Tabernæ, totidem olim Episcoporum Sedes, uni hodie subsunt Episcopo, qui dicitur Ostiensis ab Ostiis, & Episcopalem Cathedram habet Velitris *, éstque Sacri Collegii Decanus. Tres Tabernæ primùm unitæ Velitris, deinde Ostiis Velitræ sub Eugenii Tertii Pontificatu. *Quarto Nonas Junias, Indictione decimâ-quartâ*, sive anno Christi septingentesimo sexagesimo-primo, *Gratianus humilis Episcopus Velitrensis Ecclesia*, & *Parvus Humilis Episcopus Sancta Ecclesia in Tribus Tabernis*, Constituto Pauli Primi Papæ subscripserunt [c]. De proximis Parvi successoribus nihil invenitur. Ughellus Gratianum in Velitrensium seu Veliternensium Episcoporum Catalogo prætermisit, totóque tempore, quo Velitræ fuerunt in Francorum potestate, nullum illius civitatis Episcopum nominavit. Apud eundem Auctorem uberior est Index Ostiensium Episcoporum, quia Gregorius Adriano Papâ, Petrus Leone Tertio Pontifice Diœcesim Ostiensem regunt; Petrum sedisse credimus cùm Ostia Francicis ditionibus accessit.

* *Velletri.*

[c] Baron. Tom. 9. a. 761. n. 11.

XXXII. Portus & Sylva Candida, quibus unus hodie præsidet Episcopus, à Portu vocatus Portuensis *, Sacri Collegii Vicedecanus, Episcopos etiam ad Calixti usque Papæ Secundi tempora distinctos habuerunt. Ruffina & Secunda sorores, viâ Aureliâ, decimo ab Urbe lapide, Martyrium in persecutione Valeriani & Gallieni passæ sunt, locus ille, qui priùs ad Sylvam Nigram, post earum Passionem dictus est ad Sylvam Candidam, & propter frequentiam populorum sacras Reliquias venerantium nobilitatus est Episcopali Sede, cujus Antistes promiscuè Sylvæ Candidæ & Sanctarum Ruffinæ ac Secundæ nuncupatur Episcopus. Anno Christi septingentesimo undeseptuagesimo Gregorius, Episcopus *Silva Candida*, Synodo interfuit Romanæ, cujus meminit Anastasius in Stephano Quarto. De Gregorii successoribus ad Principatum usque Ludovici Pii nihil habet Ughellus, Joannem autem Episcopum Portuensem Carolo Magno synchronum commendat.

* *de Porto.*

XXXIII. Idem Nomenclator Prænestinos Episcopos laudat, Andream ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-secundum, & Constantinum

AN. CH. 796. sub Eugenio Secundo Papa, nec ullum nominat intermedium per totum temporis spatium, quo Præneste * Regi Francorum obtemperavit.

CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

Labicum seu Lavicum urbs olim Episcopalis inter Tusculum & Anagniam viæ Labicanæ seu Lavicanæ, quæ nunc *Strada di Valmontane* dicitur, nomen dedit. Labicanus seu Lavicanus vel Labicanensis aut Lavicanensis Episcopatus ad Paschalis usque Secundi Papæ Pontificatum perduravit. Aliquot Episcoporum nomina recensuit Ughellus. Constituto Pauli Primi Papæ subscripsit *Petrus Humilis Episcopus Ecclesiæ Labicanensis*, ejus successores ad annos usque ducentos oblivione consepulti sunt. Lavicanus Episcopatus à multis sæculis unitus est Tusculano, quem administravit Petrus Carolo Magno tunc Imperatore. Vetus autem Tusculum, quod Henricus Imperator evertit, in eodem erat loco, ubi hodie Friscata *.

* *Palestrine.*

XXXIV.

* *Frescati.*

XXXV. In Albanensium Episcoporum Catalogo nullus occurrit per illud tempus, quo Reges Francorum Albanum * in sua ditione tenuerunt. Apud Ughellum enim ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-secundum exhibetur Constantius, deinde Benedictus, qui, teste Baronio [a], Synodo Romanæ sub Eugenio Papa Secundo interfuit, cùm Ducatus Romanus à Francorum Regibus ad Romanos Pontifices integer jam transiisset.

* *Albano.*

a Tom. 9. a. 826. n. 2.

XXXVI. Centumcellæ, hodie *Civitavecchia*, civitas olim Episcopalis in littore maris Tyrrheni, unde appellati Episcopi Centumcellici & Centumcellenses. Blera, Ludovico Pio Bledum, vulgò *Bieda*, civitas olim Episcopalis, Sutrio & Viterbio finitima, unde Blerani nuncupati sunt ac Bledanenses Episcopi. Ceterùm Ecclesiæ Centumcellensis & Bledanensis Tuscanæ seu Tuscanellensi junctæ fuerunt. Apud Tuscanellam enim in Basilica Sancti Petri quondam Cathedrali visitur antiqua hæc inscriptio [b]. *Richardus Præsul Tuscanus, Centumcellicus, & Bleranus, anno 1093.* Deinde Cælestinus Tertius Papa Viterbiensi, quæ Ferentinæ excisæ in Episcopalem dignitatem successerat, tres prædictas Ecclesias adjecit, ut Cælestinus Quintus his verbis apud Ughellum [c] testatur. *Felicis Recordationis Cælestinus Papa Tertius prædecessor noster Viterbiensem, Tuscanellensem, Centumcellensem, ac Bledanensem, Ecclesias univit, prout in ipsius prædecessoris literis plenius continetur.* Lege quæ dicta sunt ad annum Christi septingentesimum octogesimum-septimum, quo Carolus Francorum Rex Ferentiam & Tuscanellam, cum Viterbio aliisque civitatibus Apostolicæ Sedi per insignem Donationem tradidit. Hìc tantùm observa mutilos esse Centumcellensium ac Bledanensium Episcoporum Catalogos per illud tempus, quo Centumcellæ & Blera sub Francorum potestate permanserunt.

b Baudrand. in verbo Tuscanela.

c Tom. 1. in Ep. Viterb.

XXXVII. Cære * & Marturanum * suos olim habuerunt Episcopos. Pauli Papæ Primi Constituto subscripserunt, *Petrus humilis Episcopus Ecclesiæ Cærensis*, & *Domnus humilis Episcopus Ecclesiæ Maturanensis* seu Marturanensis. Et Concilio Romano sub Eugenio Secundo præsentes interfuerunt Romanus Cærensis Episcopus & Theodosius Episcopus Manturanensis seu Marturanensis. Lege Baronium Tomo nono [d].

* *Cervetterre.*

* *Marturano.*

d Ad ann. 761 & 826.

XXXVIII. Eugenius Quartus Papa decimo-quinto seculo Sutrinam Ecclesiam cum Nepesina conjunxit; ut huic sic & illi suus anteà fuit Episcopus. Apud Baronium Gratiosus, corruptè Hitsiosus, Sutrinus * Episcopus Concilio Romano sub Zacharia Papa interest, & anno Christi septingentesimo septuagesimo Joannes Nepesinus Episcopus moritur, deinde ad aliam Synodum Romanam ab Eugenio Secundo Papa vocantur Valerianus Episcopus Sutriensis & Gratiosus Episcopus Nepesinus *. Nihil autem occurrit de Præsulibus intermediis utriusque Sedis, qui gesserunt Episcopatum, quando Sutrium & Nepet seu Nepis aut Nepisa vel Neps sub imperio Francorum erant.

* *de Sutri.*

* *de Nepi.*

XXXIX. Ludovicus Pius in sua Donatione jam citata *Castellum Gallesii* & *Hortam* commendat. Utrobique fuit olim Sedes Episcopalis. Alexander Quartus

Papa

AN. CH. 796.
CAROLI R. 28.
PIPPINI LUDOV. RR. 16.
CAROLI R. 8.

Papa Gallesium * seu Gallesiam & Civitatem * Castellanam uni deinceps parere voluit Episcopo, cui posteà Eugenius Quartus Hortanum etiam sive Hortam * adjecit, *atque ita factum est*, inquit Ughellus [a], *ut tres olim disjunctæ Ecclesiæ unum demùm Pastorem agnoscerent.* Longè ante Alexandri Quarti Pontificatum Ecclesiæ Falaritana & Castellana simul erant unitæ; nam Privilegio Benedicti Noni Papæ pro Ecclesia Sylvæ Candidæ subscripsit *Benedictus Sanctæ Ecclesiæ Fallaritanæ & Castellanæ Episcopus.* Porrò, cùm hodiernam Civitatem Castellanam periti Geographi vel in eo constituant loco ubi vetus Faleria * stetit, vel sesquimilliario duntaxat ab ejus ruderibus abesse contendant, duas eodem tempore Sedes Episcopales, unam Faleriæ, alteram in Civitate Castellana non admittimus, sed existimamus eandem Sedem, quæ Faleriam multis seculis illustrarat, excisâ Faleriâ translatam esse in Civitatem Castellanam, cujus Episcopus seu promiscuè seu simul Episcopum se Falaritanum & Castellanum dixerit. Hanc sententiam Ughellus non parum confirmat, ubi recenset Episcopos Civitatis Castellanæ, vetustiorem enim non exhibet Crescentiano, qui temporibus Othonis Tertii Imperatoris florebat. Multò citiùs in Historiis celebrantur Episcopi Falaritani, Joannes & Hadrianus à Baronio memorantur, ille sub Zacharia Papa, hic sub Eugenio Secundo, ceteros ab ætate Caroli Magni remotiores ultrò tacemus. Tres igitur urbes olim Episcopales extiterunt, Faleria, Gallesium, & Horta. Faleriæ loco successit Civitas Castellana, cui lapsu temporis aliæ duæ prænominatæ sub unius Episcopatûs titulo fuerunt unitæ. Apud Baronium prædicatur sub Zacharia Papa Mauricius Hortanus Episcopus, & Pauli Papæ Primi Constituto subscribit Adam Episcopus Hortanus. Per illam ætatem nihil legimus de Episcopis Gallesii, quorum tamen Sedes ad Alexandri usque Quarti Pontificatum perstitit, ut observatum suprà ex Ughello.

* Galese.
* Citta Castellana.
* Orti.
[a] Tom. 1. in Episc. Civit. Castell.
* Falere.

XL. Polimartium * seu Polymartium apud Baronium Episcopos habet, Joannem sub Zacharia Papa, & Agathonem sub Eugenio Secundo. De Joannis autem successoribus, Caroli Magno synchronis, altum ubique silentium.

* Bomarzo.

XLI. Duplex à Geographis laudatur Tifernum, Metaurense videlicet sive ad Metaurum, & Tiberinum sive ad Tiberim. Tifernum ad Metaurum, hodie civitas Sancti Angeli in Vado, finibus Pippininæ Donationis includitur, ut hoc & superiore Tomo non semel ostendimus. Tifernum Tiberinum hodie vocatur Civitas * Castelli, & ab Ughello perperam confunditur cum Civitate Castelli Felicitatis, quæ Clusio vicinior erat, nec ad Ducatum Romanum pertinebat. Ab hoc Auctore Tiphernatibus Episcopis accensentur Bonifacius sub Paulo Primo Papa, & Stabilis sub Eugenio Secundo. De Bonifacio convenimus, nam Pauli Papæ Constituto subscripsit [b] *Bonifacius humilis Episcopus Ecclesiæ Tifernæ.* Stabilis verò restitui debet Civitati Castelli Felicitatis, cujus mentionem alibi fecimus ex literis Adriani Papæ [c].

* Citta di Castello.
[b] Baron. a. 761. n. 11.
[c] Cod. Carol. ep. 60.

XLII. Constituto Pauli Papæ subscripsit etiam *Sunalbus humilis Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Amerinæ*, & Benedictus Amerinus Episcopus Concilio Romano sub Eugenio Secundo interfuit. Utriusque meminit Baronius [d]. De intermediis autem Episcopis Ameriæ, sive ut hodie vocant, Ameliæ * qui regnante vel imperante Carolo sederunt, nihil invenitur. Inter civitates Romani Ducatûs ab Anastasio in Zacharia quatuor hæ numerantur, *Ameria, Hortas* sive Horta, *Polimartium & Blera.*

[d] Ad ann. 761. 826.
* Amelia.

XLIII. Gregorius Episcopus Ostiensis & Theophylactus Tudertinus Episcopus in Angliam missi sunt ab Adriano Papa, ibique Calchutense Concilium celebrarunt anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo [e]. De Gregorio Ostiæ Episcopo actum suprà. Theophylactus Ecclesiam Tudertinam regere potuit ad annum usque Christi septingentesimum nonagesimum-

[e] Tom. 6. Collect. Concil.

AN. CH. 796.

sextum, quo Tudertum * à Græcis ad Francos transiit; nec alius fortè fuit ab Episcopo Theophylacto Hadriani Papæ Legato, qui Concilio Francofordiensi ante biennium interfuit.

* Todi.

XLIV. Joannes Segnensis Episcopus apud Baronium [a] Concilio Romano interest sub Zacharia Papa, nec alius ab Episcopo Signino * nobis videtur, aut Ughello, qui proximos ejusdem Joannis successores haud reperit ad Hadrianum usque, cujus mentionem facit Baronius [b] sub Eugenio Secundo Papa.

a Ad an. 743. n. 25.
* de Segni.
b Ad an. 826. n. 1.

XLV. Apud eundem Baronium [c] Constituto Pauli Primi Papæ subscribit *Constantinus humilis Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Anagninæ*, & Romano Concilio sub Eugenio Secundo interest Romoaldus Episcopus *Anagniæ* *. Intermedios non habet Nomenclator.

c Ad ann. 761. 826.
* Anagni.

XLVI. Ferentinum *, cujus populi Ferentinates & Ferentini nuncupantur, in Latio situm est, distinguiturque à Ferentia seu Ferentio civitate Hetruriæ quondam nobili. Veteris Ferentiæ, cùm excidium passa esset, Episcopalis Cathedra Viterbium translata est. Ferentinum Episcopatu etiamnum insignitur; at quem Episcopum hæc civitas habuerit, cùm Rex Francorum Romano Ducatu potiri cœpit, nos latet.

* Ferentino.

XLVII. Ad eandem Caroli Magni ætatem non est uberior Alatrinorum * Episcoporum Catalogus.

* d'Alatri.

XLVIII. Alatro Ludovicus Pius in sua Donatione Patticum & Frusinonem subjungit. De Pattico nihil à nobis lectum meminimus. Frusinonem * Philippus Ferrarius civitatem in Latio quondam Episcopalem & Verulo propinquam ad Cosam fluvium agnoscit. Episcopatus Frusinonensis cum Verulano coaluit. Hodie Frusino primum locum obtinet inter oppida duodecim, quæ numerantur in Diœcesi Verulana, suóque ordine recensentur ab Ughello [d]. Perierunt Episcoporum nomina, qui per ætatem Caroli Magni cùm Frusinone tum Veruli * sederunt.

* Frusilone.
d Tom. 1.
* Veroli.

XLIX. Erant & in Ducatu Romano, Tarracina, Privernum * & Setia * tres olim urbes Episcopales, uni hodie Tarracinensi Episcopo subjectæ. Eleutherii Privernatis Episcopi meminit Baronius in Concilio Romano sub Eugenio Secundo Papa. In vetusta Sancti Liodani vita, qui temporibus Gelasii Secondi floruit, nonnulla Setinorum Episcoporum nomina repetiuntur. Tarracinensium * autem Catalogus toto octavo seculo mutilus est. Lege Ughellum [e].

* Piperno.
* Sezza.
* de Terracine.
e Tom. 1. in Episc. Tarracin.

L. Ocriculum * sive Otriculum, quod inter Civitatem Castellanam & Narniam situm est, inter antiquas urbes Episcopales à Philippo Ferrario reponitur, sed Episcoporum Indicem haud nacti sumus.

* Ocricoli.

LI. Toto tempore, quo Ducatus Romanus in potestate Francorum fuit, mancus est apud Ughellum Tiburtinorum * Episcoporum Catalogus.

* de Tivoli.

LII. MONASTERIA. Ab Episcopatuum enumeratione transeamus ad Indicem Monasteriorum, quæ sita erant in Ducatu Romano, cùm in Francorum potestatem devenit. Pleraque sub Leone Tertio Papa, partim intra, partim extra muros Urbis ab Anastasio recensentur. Alium Auctorem non consulemus, est enim optimæ notæ. Cœnobiorum autem, quorum mentionem sub Leone Tertio facit, nomenclaturam sic dabimus, ut nec quorumdam origines ac laudes, quas sub ejusdem Leonis antecessoribus attingit, silentio prætermittamus. Leone igitur Tertio Pontifice, seu Romæ seu prope Romam, hæc Monasteria florebant.

LIII. Monasterium *apud Africi*.

LIV. Monasterium *Sancti Agapiti quod ponitur ad Vincula*, seu *juxta Titulum Eudoxiæ*. Idem enim Titulus Vinculorum Sancti Petri seu Sancti Petri ad Vincula qui Eudoxiæ. Lege Baronium in Notis ad Martyrologium Romanum Kalendis Augusti, quo die dedicatio illius Tituli seu *dedicatio Sancti Petri ad Vincula* memoratur.

Monasterium *Beatæ Agathæ Martyris, quod ponitur super Suburram.* Suburra seu Sucurra vicus erat Romæ sic dictus, quòd stativum ibi præsidium haberetur, ut Exquiliis succurreret. Hujus Monasterii conditorem Gregorium Secundum Papam sic agnoscit Anastasius. *Gregorius*, post obitum matris suæ, *domum propriam in honorem Sanctæ Christi Martyris Agathæ, additis à fundamento cœnaculis, vel quæ Monasterio erant necessaria, à novo construxit. Prædia illic urbana vel rustica pro Monachorum obtulit necessitate.* Leo Tertius hoc ipsum Sanctæ Agathæ Monasterium instauravit. Audi eundem Anastasium. *Sarta tecta Basilicæ Beatæ Agathæ Martyris sita super Suburram, quæ pro nimia vetustate jam emarcuerant, noviter reparavit.* AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

Monasterium *Sanctæ Agnetis, quod ponitur foris portam Numentanam.* LV.

Monasterium *Beati Anastasii Martyris.* Hoc Cœnobium idem est ac Monasterium *Aquæ Salviæ* laudatum ab Anastasio in eodem Leone Tertio. *Extra Urbem ad Aquas Salvias seu ad Tres Fontes* collocatur ab Ughello [a] illius loci, sive, ut ipsemet se scribit, *Sanctorum Vincentii & Anastasii ad Aquas Salvias* Abbate. Atque inde Monasterium cùm Sancti Vincentii, tum Sancti Anastasii, promiscuè dictum quoque videtur. Monasterium *Sancti Vincentii* memoratur ab Anastasio in Stephano Tertio. LVI. LVII.

[a] Tom. 1. in Episc. Ostiens. n. 11.

Monasterium *Sancti Andreæ in Clivo Scauri.* Utrùm hoc Cœnobium ab altero distingui debeat, quod apud Anastasium in Stephano Quarto & in Leone Tertio Monasterium *Clivi Scauri* vocatur, exponemus infrà. LVIII.

Monasterium *Sancti Andreæ, quod ponitur juxta Basilicam Apostolorum.* LIX.

Monasterium *Sancti Andreæ Apostoli, quod Barbara nuncupatur.* Hoc Cœnobium *ad nimiam deductum desertionem, in quo nec unus habebatur Monachus, adscitis Monachis ordinavit* Gregorius Secundus, teste Anastasio in ejusdem Gregorii vita. LX.

Monasterium *Sanctorum Andreæ & Bartholomæi, quod appellatur Honorii.* Hoc Cœnobium nuper instaurarat ac ditarat Hadrianus Leonis Tertii decessor, de quo sic Anastasius. *Hic ter beatissimus & Apostolicus vir, dum diligentissimâ exquisitione suâ reperisset Monasterium Honorii Papæ in nimiam desolationem per quandam negligentiam venire, divinâ inspiratione motus noviter ædificavit atque ditavit, & Abbatem eum ceteris Monachis regulariter ibidem vitam degentes ordinavit, & constituit eos, ut in Basilica Salvatoris, quæ & Constantiniana dicta est juxta Lateranense Patriarchium posita, officia celebrarent, hoc est, Matutinam horam, Primam, Tertiam, Sextam, sed & Nonam etiam & Vespertinam, ab uno Choro quidem qui dudum singulariter in utroque psallebant Monachi ex Monasterio Sancti Pancratii ibidem posito, & ab altero Choro Monachi jam fati Monasterii Sancti Andreæ, & Bartholomæi, Honorii Papæ, quatenus piis laudibus pariter psallentes hymniferis Choris læti resonent cantus reddentes Domino gloriosos melos, persæpiùs memorantes venerandi Pontificis nomen, scilicet in secula memoriale ejus pangentes carminibus.* LXI.

Monasterium *Sancti Cæsarii, quod ponitur ad Beatum Paulum Apostolum.* Laudatur ab Anastasio Gregorius Secundus, *quòd Monasteria, quæ secus Basilicam Sancti Pauli erant, ad solitudinem deducta innovavit, atque ordinatis servis Dei Monachis Congregationem post longum tempus constituit, ut ibidem die noctùque Deo redderent laudes.* LXII.

Monasterium *Sancti Cassiani, quod ponitur juxta Beatum Laurentium Martyrem foris murum.* LXIII.

Monasterium *Sancti Chrysogoni.* Hoc de Cœnobio plura scribit idem Anastasius in Gregorio Tertio, sic. *Hic renovavit tectum Sancti Chrysogoni Martyris, & cameram sive parietum picturas, cyborium autem de argento, seu arcus quinque pensantes in unum libras 220. ubi obtulit coronas argenteas quatuor, pharacanthara duo, patenam argenteam unam, calicem argenteum unum, seu etiam & vestes altaris, necnon & vela serica alba ornata blatto, circumquaque pendentia. Construxitque Monasterium, erga eundem Titulum, Sanctorum* LXIV.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

Martyrum, Stephani, Laurentii, atque Chrysogoni, constituens ibidem Abbatem & Monachorum Congregationem ad persolvendas Deo laudes in eodem Titulo diurnis atque nocturnis temporibus ordinatam, secundum instar Officiorum Ecclesiæ Beati Petri Apostoli, segregatum videlicet à jure potestatis Presbyteri prædicti Tituli. In quo Monasterio pro sustentatione ibidem ipse Sanctissimus vir prædia & dona atque familiam largitus est. Et diversi alii fideles, & amatores Domini nostri Jesu Christi, in eodem Monasterio Sanctorum, Stephani, Laurentii, atque Chrysogoni, prædia & dona devotissimi contulerunt. Nec dubium videtur, quin hoc idem Monasterium sit *ipsius primi Martyris Stephani, quod*, apud eundem Anastasium in Leone Tertio, *ponitur ad Beatum Petrum Apostolum*, & in Hadriano Leonis decessore sic dicitur instauratum. *Hic Beatissimus Præsul divinâ inspiratione ignitus constituit in Monasterio Sancti Stephani Catabarra patricia sito ad Beatum Petrum Apostolum Congregationem Monachorum, ibi & Abbatem idoneam personam ordinans. Statuit ut sedulas laudes in Ecclesia Beati Petri persolvant, sicut & cetera tria Monasteria, ut duo Monachi pro latere ipsius Ecclesiæ Deo nostro canant laudes; quoniam ipsum Monasterium in magna desidia & neglectu incuriâque positum erat, & nullum divinum Officium cultu ibidem exhibebatur.* Gregorius Tertius, ut idem Anastasius in ejus vita testatur, *festa vigiliarum à Monachis trium Monasteriorum illic*, id est, in Ecclesia Beati Petri, *servientium quotidie per ordinem existentia, atque Natalitiorum Missas in eodem loco celebrari instituit.* Quænam autem fuerint illa Monasteria, docet etiam Anastasius, nam *juxta Beatum Petrum Apostolum* collocat Monasterium *Hierusalem*, Monasterium *Sanctorum Joannis & Pauli*, & Monasterium *Sancti Christi primi Martyris Stephani, quod appellatur Catagalla Patritia*, de quibus infrà.

LXV. Monasterium *Clivi Scauri.* Duplex Monasterium apud Anastasium ad Clivum Scauri distinguimus; unum *Sancti Andreæ* de quo suprà, alterum *Sancti Gregorii* de quo hic sermo. Megetius nono seculo *ex Abbate & Monacho Sancti Gregorii ad Clivum Scauri* factus est Ostiensis Episcopus, ut in Ostiensium Præsulum Nomenclatura Ferdinandus Ughellus testatur.

LXVI. Monasterium *de Corsas.*

LXVII. Monasterium *Sanctorum Cosmæ & Damiani, quod ponitur juxta Præsepe.*

LXVIII. Monasterium *Sancti Donati, quod ponitur juxta Titulum Sanctæ Priscæ.*

LXIX. Monasterium *Sancti Erasmi, quod ponitur in Cœlio monte.* Hoc de Cœnobio sic idem Anastasius in Adeodato. *Sed & in Monasterio Sancti Erasmi sito in Cœlio monte, in quo concrevisse visus est, prædictus Sanctissimus vir multa nova ædificia augmentavit, sed & casalia conquisivit, & in vita sua Abbatem vel Congregationem ibidem instituit.*

LXX. Monasterium *Sanctæ Eugeniæ, quod ponitur foris portam Latinam.*

LXXI. Monasterium *Sanctorum Euphemiæ & Archangeli, quod ponitur juxta Titulum Pudentis.*

LXXII. Monasterium, *quod appellatur duo furna.*

LXXIII. Monasterium *Sancti Hadriani, quod ponitur juxta Præsepe.*

LXXIV. Monasterium *Hierusalem, quod ponitur ad Beatum Petrum Apostolum.* Vide suprà Monasterium Sancti Chrysogoni.

LXXV. Monasterium *Sancti Joannis, quod ponitur in Aventino.*

LXXVI. Monasterium *Sanctorum Joannis & Pauli, quod ponitur juxta Beatum Petrum Apostolum.* Hoc de Cœnobio actum quoque suprà in Monasterio Sancti Chrysogoni.

LXXVII. Monasterium *Sancti Isidori.*

LXXVIII. Monasterium *Beati Laurentii, quod appellatur Pallacini.* Hoc de Cœnobio sic idem Anastasius in Hadriano Leonis Tertii decessore. *Hic idem almificus Præsul Monasterium Sancti Laurentii, quod in Palatinis in desertis reperit, noviter restauravit, atque in omnibus ditans, conjunxit cum alio Monasterio juxta ipsum posito, quod cognominatur Baganda, & ordinavit Monachos, & constituit*

ut, in Titulo beati Marci Pontificis atque Confessoris, Officio fungerentur, id est, Matutinâ horâ, Primâ, Tertiâ, & Sextâ, atque Nonâ, seu Vespertinâ, psallerent pro requie animæ suæ. AN. CH. 796.

Monastrium *de Lutara.* LXXIX.

Monasterium *Sanctæ Luciæ in Renatis.* LXXX.

Monasterium *Sanctæ Mariæ, quod appellatur Ambrosii.* LXXXI.

Monasterium *Sanctæ Mariæ, quod appellatur Juliæ.* LXXXII.

Monasterium *Sancti Martini.* LXXXIII.

Monasterium *Sancti Michaelis.* LXXXIV.

Monasterium *Sancti Pancratii, quod ponitur juxta Basilicam Salvatoris.* Hoc de Cœnobio, quod olim Monasterium etiam dicebatur Sanctorum Joannis Evangelistæ & Joannis Baptistæ, sic idem Anastasius in Gregorio Tertio. *Renovavit Monasterium Sanctorum, Joannis Evangelistæ, Joannis Baptistæ, & Sancti Pancratii, secus Ecclesiam Salvatoris antiquitus institutum, quod ab omni ordine Monastico extiterat nimiâ incuriâ destitutum. In quo prædia & dona contulit, & quæ invenerat de ipsô Monasterio alienata, reddito pretio in eundem locum restituit, ubi & Congregationem Monachorum & Abbatem constituit ad persolvenda quotidie sacra officia laudis divinæ in Basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ Constantiniana nuncupatur juxta Lateranis, diurnis nocturnísque temporibus ordinata, juxta instar Officiorum Ecclesiæ Beati Petri Apostoli.* In partem istius sollicitudinis ab Hadriano Papa vocati quoque postcà sunt alii Monachi è vicino Monasterio Sanctorum Andreæ & Bartholomæi, de quo suprà. LXXXV.

Monasterium *Sancti Sabæ.* Hoc Cœnobium idem cum Cella nova, *Petrum* enim *Religiosum Abbatem venerabilem Monasterii Sancti Sabæ, quæ appellatur Cella nova*, laudat Anastasius in Hadriano. LXXXVI.

Monasterium, *quod appellatur de Sardas.* LXXXVII.

Monasterium *Sancti Semitrii*, sive, ut Thuanus Codex habet, *Sanctissimi Nitrii.* LXXXVIII.

Monasterium *Sancti Sergii.* LXXXIX.

Monasterium *Sancti Silvestri*, cujus etiam meminit Anastasius in Stephano Quarto. XC.

Monasterium *Sancti Stephani, quod ponitur juxta Lateranis.* XCI.

Monasterium *Sanctorum Stephani & Silvestri.* Hujus Cœnobii primordia sic describit Anastasius in Paulo. *Hic Sanctissimus Præsul in sua propria domo Monasterium à fundamentis in honore Sancti Stephani scilicet Martyris atque Pontificis, necnon & Beati Silvestri item Pontificis & Confessoris Christi construxit. Ubi & Oraculum in superioribus ejusdem Monasterii mœniis ædificans, eorum corpora magna cum veneratione condidit. Infra claustra verò ipsius Monasterii Ecclesiam miræ pulchritudinis à fundamentis noviter construxit. Quam musivo & marmoribus decorans, & omnem illis ornatum in auro argentóque & diversis speciebus largiens, sed & ciborium ibidem ex argento lib...... fecit, illícque innumerabilium Sanctorum corpora, quæ de præfatis demolitis abstulit cœmeteriis, maximo venerationis condidit affectu. In eodem quippe Monasterio plurima contulit prædia, & possessiones, ac loca urbana vel rustica superflue, atque abundanter ditans auro & argento aliísque rerum speciebus & omnibus utilitatibus, ubi & Monachorum Congregationem construens, Græcæ modulationis Psalmodiæ Cœnobium esse decrevit, atque Deo nostro Omnipotenti, & omnibus ibidem requiescentibus Sanctis, magnis sub interdictionibus sedulè ac indesinenter laudes statuit persolvendas.* XCII.

Monasterium *Sancti Christi primi Martyris Stephani, quod appellatur Catagalla patricia*, & ab Anastasio in Leone Tertio prope Ecclesiam Sancti Petri collocatur. Hoc Cœnobium, *quod præ nimia vetustate jam emarcuerat, atque ex parte corruerat, idem præsagus Pontifex* Leo Tertius *certamen ponens à fundamentis simul cum Oratorio firmum jaciens fundamentum in meliorem erexit* XCIII.

AN. CH. *ſtatum*. Unum erat ex tribus Monaſteriis, quorum Monachi, ex inſtitu-
796. tione Gregorii Tertii Papæ, divina Officia in Eccleſia Beati Petri celebrabant, ut dictum ſuprà in Monaſterio Sancti Chryſogoni.

XCIV. Monaſterium *Tempuli*.

XCV. Monaſterium *Sancti Victorii, quod ponitur ad Sanctum Pancratium*. Idem Anaſtaſius Hadrianum Leonis Tertii deceſſorem laudat, quod *Baſilicam Beati Pancratii Martyris nimiâ vetuſtate dirutam atque ruinis præventam in integrum à novo nimio decore unà cum Monaſterio Sancti Victoris* ſeu Victorii *ibidem ſito reſtauravit*.

XCVI. Monaſterium *Sanctæ Viviana*.

XCVII. Huc uſque de Monaſteriis in Urbe vel prope Urbem ſitis, & ſingularem Leonis Tertii Papæ munificentiam expertis. Obſervat Baronius [a] quadraginta-quatuor apud Anaſtaſium recenſeri, nec plura nec pauciora numeravimus. At Anaſtaſius, cùm totus eſſet in explicanda Leonis liberalitate, ſola, quibus idem Pontifex dona contulit, Monaſteria memoravit, nec dubium quin alia quoque per illam ætatem floruerint. Nonnulla deprehenduntur in eodem Auctore.

[a] Ad an. 816. n. 79.

XCVIII. Monaſterium *intra Urbem ad Lunam*, quod cum tribus aliis conditum fuit ab Hilaro Papa.

XCIX. Monaſterium *Boetianum*, de quo ſic Anaſtaſius in Dono. *Hic reperit in urbe Roma, in Monaſterio, quod appellatur Boetianum, Neſtorianitas Monachos Syros*, *quos* ad pœnitentiam *per diverſa Monaſteria diviſit. In quo prædicto Monaſterio Monachos Romanos inſtituit*.

C. Monaſterium *Gerocomium*, de quo ſic idem Auctor in Gregorio Secundo. *Hic Gerocomium, quod poſt abſidam Sanctæ Dei Genitricis ad Præſepe ſitum eſt, Monaſterium inſtituit, atque Monaſterium Sancti Andreæ Apoſtoli, quod Barbara nuncupatur, ad nimiam deductum deſertionem, in quo nec unus habebatur Monachus, adſcitis Monachis ordinavit, ut utraque Monaſteria ad Sanctam Dei Genitricem ſingulis diebus atque noctibus Deo laudes canerent*.

CI. Monaſterium *Sancti Benedicti*, cujus mentionem facit Anaſtaſius in Stephano Tertio. Fortè idem cum Sublacenſi * Diœceſis tunc Tiburtinæ. Lege Ugbellum in Tiburtinorum Epiſcoporum Indice, ſæpè enim meminit Monaſterii Sublacenſis, illúdque teſtatur etiam nuncupari Cœnobium *Beati Benedicti & Scholaſticæ*.

* de Subiaco.

CII. Monaſterium *Beati Laurentii poſitum in Inſula portûs Romani*, de quo loquitur Anaſtaſius in Hadriano Leonis Tertii deceſſore.

CIII. Plura de Eccleſiis Romani Ducatûs hoc loco ſcribenda non habemus. Baronius ex Hunnorum theſauris oblationem à Carolo per Angilbertum ad Apoſtolorum limina miſſam dixit adeò largè, ut Leoni Papæ ſufficerit ad perficiendas res omnes, quas Anaſtaſius ante illatam perſecutionem recenſet. Integrum Anaſtaſii textum ſuis inſeruit Annalibus, & quid Pontifex unicuique contulerit Eccleſiæ, ſingulatim expoſuit. Nos verò, ne prolixitatem affectare videamur, ornamentorum quibus ſingulas Eccleſias decoravit omiſsâ deſcriptione, ſolum texemus Indicem ipſarum Eccleſiarum quibus munificum ſe præſtitit. Exornavit igitur Baſilicam *Beati Petri Principis Apoſtolorum*, Baſilicam *Beati Pauli Apoſtoli*, Baſilicam *Salvatoris qua appellatur Conſtantiniana*, Baſilicam *Sanctæ Dei Genitricis, qua appellatur ad Præſepe*, Eccleſiam *Sanctæ Dei Genitricis ſempérque Virginis Dominæ noſtræ ſitam in Fonticana*, Baſilicam *Sancti Laurentii foris muros*, Baſilicam *Sanctorum Felicis & Adaucti Martyrum juxta Sanctum Paulum Apoſtolum*, Baſilicam *Sancti Mennæ*, Baſilicam *Beati Andreæ ad Beatum Petrum Apoſtolum*, Baſilicam *Beati Clementis*, Baſilicam *Beatæ Priſcæ*, Titulum *Beati Vitalis Chriſti Martyris*, Titulum *Beatæ Anaſtaſiæ*, Titulum *Sanctæ Sabinæ*, Titulum *Eudoxiæ*, Cœmeterium *Beati Sixti atque Cornelii viâ Appiâ*, & Cœmeterium *Sancti Zotici viâ Lavicanâ*.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

CIV. TRICLINII LEONIANI VARIA NOMINA ET USUS.

Præterea *fecit in Patriarchio Lateranensi Triclinium majus super omnia Triclinia, nominis sui magnitudine decoratum, ponens in eo fundamenta firmissima, & in circuitu laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis stravit. Et diversis columnis tam porphyreticis, quámque albis & sculptis cum vasis, & liliis simul positis decoravit. Cameram cum apsida de musivo, & alias duas apsidas, diversas Historias pingens, marmorum incrustatione pariter in circuitu decoravit.* Anastasium sic edidit Alemannus capite tertio, deinde capitibus proximè sequentibus varia Leoniani Triclinii nomina variósque usus exposuit. Hoc ædificium modò Triclinium, modò Accubitum ab Anastasio vocatur, ab aliis Aula Leoniana, Domus Leoniana, Basilica Leoniana, Regia. Destinatum ad duos usus præcipuè videtur, ad convivia scilicet & ad judicia. Reges, si quos Romam proficisci contingebat, in eo cœnaculo conviviis olim excipiebantur à Romano Pontifice, quocum Clerus etiam sive Optimates Cleri convivabantur *Natali Christi Domini die*, necnon & *Paschatis primo alteróque die.* Leo frequentes in eo loco de sua & sicariorum controversia conventus habuit, nec infrà deerunt exempla, quæ causas ibi cognitas ostendant.

CV. APSIDIS MUSIVUM.

Idem Alemannus, quid dexteræ partis apsidis, quid sinistræ musivum repræsentet, capitibus nono & decimo studiosiùs investigat, duabus musivi tabulis ita delineatis. *Geminæ tabulæ sunt; altera dextrorsum, sinistrorsum altera collocata. Tres in utraque tabula personæ; aliæ nituntur genibus, duo pro tribunali sedent, Christus videlicet parte dexterâ, sinistrâ Petrus Apostolorum Princeps; sunt utrique Pontifex hinc, inde Imperator submittit genua; Christo Sylvester & Constantinus, Petro Leo & Carolus. Horum pro sua quisque conditione ab illis sumit insignia; Imperatores vexilla; Pontificum alter sinu Claves, alter Pallium accipit. Scilicet imaginum illarum autor sic intelligi voluit: ab utroque illo Imperatore Pontifices eos divino nutu in dignitatem assertos; Leonémque III ita à Carolo Magno in integrum esse restitutum, quemadmodum postliminio à Constantino Imperatore Sylvestrum. Contrà, Imperatores, iisdem Pontificibus, Imperium obtinuisse; Constantinum quidem, postquàm à Sylvestro salutari est fonte initiatus, in Imperio confirmatum, designatumque divinitus Ecclesiæ Christianæ defensorem; Carolum verò secundùm Deum à Petro Apostolorum maximo, hoc est, Ecclesia Romana, Cæsarem renunciatum, & vindicem cooptatum fuisse. Hac videlicet illarum continet tabularum Historia.* Sic ille. Sed in eo textu nonnulla sunt, de quibus nec eruditi conveniunt, nec quæstionem hic movere volumus, quia sunt extra nostrum institutum, nihil enim ad Ecclesiasticos Francorum Annales Sylvester & Constantinus conferunt, tabulam tamen, in qua repræsentantur, aliquatenus attingemus, ut necessitas postulabit, at in alterius expositione præcipuam operam collocabimus.

CVI.

Posteriorem hanc tabulam Jacobus Gretserus libro secundo [a] de Cruce sic describit. *Romæ in aula Leoniana extat ex opere vermiculato Imago Sancti Petri Pallium tribuens Leoni III Pontifici & Imperium Carolo Magno. Sedet Sanctus Petrus in solio, dextrâ dat Leoni Orarium, sinistrâ porrigit Vexillum Carolo genibus flexo, insigne Imperii. Ipse quoque Sanctus Petrus Orarium habet. Has Imagines bonâ fide ex archetypo expressas vidimus beneficio Marci Welseri II viri Augustani.* Nicolaus Alemannus post annos, ut ipsemet notavit [b], *fermè quadraginta*, ex quo Marcus Welserus Duumvir Augustanus * tabulam ipsam Romæ contemplatus fuerat, Gretserum suprà citatum allegavit, eandémque tabulam exhibuit cum quatuor inscriptionibus Gretsero incognitis, quæ majusculis literis titulos singularum personarum supplicationémque populi Romani complectuntur.

[a] Cap. 39.

[b] Cap. 10.

* d'Ausbourg.

CVII.

Sancti Petri nomen ad imaginis dexteram scriptum est sic.

SCS
PE
TR
VS.

AN. CH. 796.

CVIII. Capiti Leonis hic titulus superponitur. ✠ SCSSIMUS
D N
L E
O
P P.

CIX. Ille capiti Caroli: ✠ D N CARULO R
E
G
I.

CX. Denique Imagini Sancti Petri subjicitur hæc epigraphe.

BEATE PETRE DONA
VITĀ LEONI PP. ET BICTO
RIĀ CARULO REGI DONA.

CXI. *Vexillum datur Carolo ut Regi, non ut Imperatori.* Vexillum, quod Gretsero & Alemanno *Imperium* atque *insigne Imperii* videtur, nobis est Regnum sive insigne Regni, atque Imago Vexili à Leone Pontifice ad Carolum Regem hoc anno directi, cùm urbs Roma Ducatúsque Romanus eidem se Carolo subdiderunt excussâ Græcorum dominatione. Sententiam nostram confirmat Regis titulus Carolo bis collatus, cur enim Augustus in præcitatis inscriptionibus non appellatur, si reverà jam Augustus erat & Imperator? Hoc anno supremum Urbis dominium, quod anteà penes Constantinopolitanos Imperatores erat, ad Carolum Francorum Regem transiit. Istius mutationis symbolum fuit Vexillum Urbis Romanæ, quod Carolus Româ sibi transmissum accepit. Post quadriennium in die Natali Domini Carolus Imperator acclamatus est Romæ, nec ullum tunc oblatum ei Vexillum, quod delati vel translati Imperii signum aut monumentum esset.

CXII. Ex duabus inscriptionibus, quæ Leonis & Caroli simulachris adhærent, integra hæc Alemanno [a] teste suppetit. SCSSIMUS. D. N. LEO. PP. D. N. CARULO. REGI. Factáque est, cùm Leo & Carolus in vivis superstites erant, *cur* enim, inquit idem Auctor, *DOMINUM NOSTRUM cum appelles, qui tibi jam dudum non sit, ejúsque loco tibi sit alter?* Major in hoc versatur difficultas, quòd uterque, Leo videlicet & Carolus, DOMINUS NOSTER vocatur à Romanis. Alemannus rem omnem facili negotio sibi videtur expedivisse, si titulum hunc Leoni Papæ tanquam Urbis Domino, Carolo Augusto tanquam Ecclesiæ Defensori tribuat; Romanos enim Pontifices à Gregorii Secundi temporibus Româ cum supremo dominio potitos arbitratur, & inscriptionem, de qua nunc agimus, rejicit post annum Christi octingentesimum, quo Carolus Imperator dici cœpit. At utrumque jam inficiati sumus, inficiamúrque. Nam Gregorius Secundus ejúsque successores ad hunc usque annum, quo Leo Tertius Vexillum Urbis Romanæ Carolo Francorum Regi transmisit, Constantinopolitanos Imperatores Urbis Dominos agnoverunt, & hoc eodem anno ipsum Urbis dominium amisit Imperator Græcorum, adeptúsque est Carolus tunc Francorum ac Longobardorum Rex, nec nisi post quadriennium futurus Imperator. De tempore, quo Roma cum Ducatu Romano Pontificiis ditionibus accessit, infrà locus erit inquirendi, seriùs enim facta est hæc accessio. Româ igitur & circumjacente regione potestati Francorum summissis, Carolus Urbis ac Romanorum Dominus verè fuit veréque dictus est, & Leo Papa, cùm SANCTISSIMUS DOMINUS à Romanis appellatur, hoc afficitur titulo propter spiritualem jurisdictionem quâ semper potitus est, non autem propter temporalem seu civilem, quæ Carolo tota per Vexilli traditionem committitur.

CXIII. *Objectiones Alemanni.* Apud Alemannum assertioni nostræ multa refragantur, sed illa facili negotio dilui possunt.

[a] Cap. 7.

Primò,

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

Primò, Alemannus inscriptionem, de qua loquimur, à Leone priùs factam negat, quàm Sedi suæ restitutus est ope Caroli, quia, teste Anastasio, Româ pulsus est, *dum ritum Orthodoxæ fidei teneret, atque ex omni parte tam per diversas Ecclesias, quàmque in Patriarchio in amplis ædificiis construens compte ornaret.* A Leonis assumptione in Pontificem ad ejus usque discessum ex Urbe, tres anni totidémque menses effluxerunt, eâque temporis intercapedine Triclinium, cujus ædificationi Leo tam diligenter incumbebat, & extrui penitus & præcitatâ inscriptione adornari potuit.

Secundò, Alemannus, ut inscriptiones aliáque prædicti Triclinii ornamenta reverso jam in Urbem Leone confecta demonstret, Imaginem, in qua Christus Pacem undecim Apostolis in cœnaculo nunciat, à Leone in Triclinio à se constructo positam exhibet [a], impensèque laudat Leonem, quòd *ex Evangelii armamentario deprompta triumphi tesserâ, in tranquillissimæ pacis Imagine; quâ nullus offenderetur, & in exemplo Christi Domini, ita expressit exercita in se crudelitatis memoriam, ut magis ornatum quàm historiam impiè in se commissorum quæsisse videatur. Ergo*, inquit, *cùm in Triclinio à se nuper extructo id fieri deberet, Christum Dominum pacis auctorem post nuperam laniatam redivivum, pacem Discipulis in cœnaculo nunciantem proposuit. Quem sanè ad modum ipse post effossos oculos, post linguam præcisam, post diram denique parricidarum immanitatem, quasi ad vitam revocatus, qui in se sæviissent, ad pacem non adducit modò, verùm ad mensas vocat & convivia, quibus eò magis fœdera pacis inter se stabilirentur.* Leo Historiam ex Evangelistis Luca [b] & Joanne [c] mutuatus est, eámque in Imagine, priusquàm Româ pelleretur, non minori jure quàm post suum reditum depingere debuit. Certè, cùm Roma venit in Francorum potestatem, pax tutò Romanis parta, nec iis quidquam deinceps à Græcis aliisve gentibus pertimescendum fuit. CXIV. CXV.

[a] Cap. 8.
[b] Cap. 24.
[c] Cap. 20.

Tertiò, Alemannus, ne Inscriptiones, in quibus Carolus Rex appellatur, fateri cogatur Carolo nondum Imperatore factas esse, Regem & Imperatorem synonymas voces probare nititur [d]. Deinde in Caroli modestiam sic excurrit. *Sanè Caroli modestia Leonem, qui eos in Triclinio titulos inscripsit, minimè latebat: imò Pontifex ita inscripsit, ut Carolo placere atque ex ejus animi sententia omninò esse noverat.* At esto. Vetusti Scriptores Regem & Imperatorem promiscuè usurparint. Inde levis admodum conjectura sumitur, ut Carolum, cùm Imperator jam esset, Romæ in percelebri loco à Leone Papa cum Regis titulo pictum asseras. Neque etiam Caroli modestia prohibere debuit, ne debitus Imperatoris titulus ei tribueretur, si tum fuisset Imperator. CXVI.

[d] Cap. 33.

Quartò, Alemannus, ut Regis titulum Carolo etiam Imperatori rectè attributum probet, in exemplum adducit [e] alteram Imaginem, in qua Christus dextrâ Claves Pontifici, cujus nomen non indicatur, sinistrâ Vexillum porrigit Imperatori cujus nomen majusculis literis sic innuitur, CXVII.

[e] Cap. 9.

R
CONSTA
NTI
NV
S

Valdè suspecta hæc epigraphe, quia, in eadem Imagine, nulla Christo, nulla Pontifici tribuitur, nec prostat ratio, cur Imperatoris potiùs quàm Pontificis nomen apponatur. Adde quòd Alemannus partem illam musivi suppletam non diffitetur. *Quod parte*, inquit [f], *Apsidis dexterâ relucet musivum, recentioris quidem manûs est imitatio, quæ tamen opus exprimit illud antiquum, quod Leo III in conspectu olim posuerat.* Hujus periodi pars posterior eget idoneâ probatione, quam apud eundem Auctorem frustrà quæras. CXVIII.

[f] Cap. 9.

Hoc anno, cùm Carolus Aquisgrani morabatur, ad eum venit, & quæ promiserat executus est Theodo seu Tudun unus è Ducibus seu Dynastis CXIX.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28 PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

CAROLUS THEODONEM HUNNORUM DYNASTAM AD SE VENIENTEM UT VASSUM SUSCIPIT; BAPTIZATUM IN PATRIAM REMITTIT CUM MUNERIBUS, ET PRESBYTERIS POPULUM ERUDITURIS.

Hunnorum, cujus mentionem anno priori fecimus. Illo de negotio sic ad hunc annum Annalista Loiselianus. *In eodem anno Tudun, secundùm pollicitationem suam, cum magna parte Avarorum ad Regem venit, se cum populo suo & patria Regi dedit. Ipséque & populus baptizatus est, & honorificè muneribus donati redierunt.* Eadem referunt Annalistæ Bertinianus & Metensis cum Reginone, necnon incertus Auctor & Monachus Egolismensis in vitâ Caroli. Nec dissentit Annalista Fuldensis, breviore licèt stylo sic usus. *Tudun secundùm pollicitationem suam cum populo suo ad Regem veniens, baptizatus & honorificè remissus est.* Si fides est Annalistæ Laureshamensi, *Thudun ad Regem, Saxoniâ magna ex parte vastatâ, Aquisgrani hyberna habentem venit.* De loco non est difficultas. At omnium Auctorum, quos suprà nominavimus, unanimi consensu Tudun Regio se conspectui priùs hoc anno sistit, quàm Carolus in Saxoniam cum exercitu proficiscatur. Certè idem Annalista non diffitetur Oratores, quos Tudun anno superiore direxit, Carolo præsentatos fuisse, *dum castra super Albim haberet*, unde colligimus non defuisse tempus, quo redirent in Pannoniam, eorúmque Princeps Aquisgranum se priùs conferret, quàm Rex inde discederet bellum contra Saxones hoc anno redintegraturus. *Non est autem cogitandum*, inquit Melchior Inchofer in Annalibus Ecclesiasticis Hungariæ, *Theodonem, postquàm Christianis accessit, & à Carolo muneribus ornatus recessit, ita in patriam reversum fuisse, ut non comites secum duceret, & religiosos & doctos, qui recèns conversum populum radice fidei altiùs actâ firmarent, & ad omnem solidioris pietatis erudirent sanctitatem. Id enimverò præter morem & diligentiam adeò Catholici Principis evenisset, cui nihil erat antiquius, quàm Christi Regnum præferre, missis ad excolendum viris idoneis, qui ubique & religionem & sacerdotia fundarent. Plenæ sunt hujus argumenti in Germania & Francia editæ Historiæ, quæ, si in rebus Hungarorum desiderentur, injuriæ temporum adscribendum erit, aut etiam negligentiæ Scriptorum, qui præ victoriis & bellorum pompis, Ecclesiæ & Religionis successus insuper habuerunt.*

CXX. PIPPINUM FIL. MITTIT IN PANNONIAS.

Theodone in Pannoniam remisso, *Rex collectis exercitibus suis Saxoniam ingressus est, filium suum Pipinum Regem Italiæ in Pannonias cum exercitu misit.* Ita scribunt Annalistæ Loiselianus & Bertinianus cum Reginone, necnon incertus Auctor & Monachus Egolismensis in vita Caroli. De utroque bello singulatim nobis agendum.

CXXI. VASTAT SAXONIAM,

Saxonicum ab Annalista Petaviano, cujus opus in anno Christi octingentesimo desinit, ita describitur. DCCXCVI. *Iterum Domnus Rex Karolus commoto exercitu suo venit in Saxoniam. Tunc cum magna providentia & decertatione vastavit Saxonia, & prædâ magnâ absides acceptis in Thratia, feceruntque Franci pontem super amne Wisera, in loco cujus vocabulum est Alisni. Exinde perrexit Wigmodinga. Deinde vastavit regiones illas cum suis hominibus prosperis & incolumes reduxit ad propria.* Ex hoc textu valdè barbaro pauca innotescunt. Carolus è loco, ubi hyemaverat, id est, Aquisgrano profectus ad Visurgim & ad agrum usque Bremensem contendit, factóque ponte provincias Saxonum trans illum amnem sitas devastavit. Patrem comitati sunt duo filii, Carolus & Ludovicus. *In ipsa æstate*, inqnit Chronographus Moissiacensis, *Rex Karolus demoratus est in Saxonia cum duobus filiis suis, id est, Karolo & Ludovico, & circuivit terram Saxonorum, ubi rebelles fuerant, incendendo & vastando omnia.*

COMITANTIBUS FILIIS CAROLO ET LUDOVICO.

CXXII. Versabatur adhuc in Saxonia, cùm duas accepit Legationes à Pippino filio, Italiæ Rege, in Pannoniam adversùs Hunnos profecto. *Legationes ad eum in Saxonia venerunt, quarum una nunciavit ei occurrisse Cagan cum ceteris Optimatibus, quem sibi Avares post interfectionem priorum constituerant, altera dixit Pippinum cum exercitu suo in Rhinga sedere.* Hæc ab incerto scripta sunt Auctore in vita Caroli, referuntúrque iisdem penè verbis in Annalibus Loiselianis & Bertinianis. Res, quas Pippinus hoc anno gessit, in

varia

Chronico Moissiacensis Cœnobii sic exponuntur. *Anno* DCCXCVI. *æstatis tempore transmisit Karolus Rex Pipinum filium suum, cum suis quos in Italia habebat Francos, Longobardos, & Bagoarios, cum aliqua parte Alemannorum, in finibus Alemannorum. Et venit Pipinus cum exercitu suo, & cum omnibus illis, quos pater ejus miserat ei auxilium. Et transito Danubio pervenit ad locum ubi Reges Avarorum cum Principibus suis sedere consueverant, quem & nostrâ linguâ Kinno nominant. Et inde tulit thesauros multiplices, & transmisit patri suo, & ipse postea cum exercitu suo, & cum magnis thesauris Avarorum captis, pervenit in Franciam.* Ex eo quòd Pippinus, ut Rhingum perveniret, Danubium transiit, Lazium & alios obiter redargue, qui Rhingum vel ad Sabariæ fluvii ripam, qui *Gunss* hodie Germanis est, *Benges* Hungaris, vel ad ejusdem amnis confluentes in Arabonem * collocant, & locum, qui Danubio Borealior erat, Australiorem fingunt. Ibi publicus Hunnorum thesaurus, quem partim Henricus Dux Forojuliensis, partim Pippinus Rex abstulit. De Henrico locuti sumus. Ut de illo sic & de Pippino breviter Annalista Fuldensis in hunc modum. *Cagan & Jugurro Principibus Hunnorum civili bello & intestinâ clade à suis occisis, campus eorum, quem vocant Hringum, primò per Ehericum Ducem Forojuliensem, deinde per Pipinum filium Regis, additis & captus est, & omnes Hunnorum opes ac thesauri sublati, & Carlo in Aquisgrani Palatio allati sunt.* Hunni non uni ut olim Regi, sed pluribus Regulis seu Ducibus parebant. Inde ortum civile bellum, quo pars virium consumpta est. Inde quoque diversa gentis unius consilia, quæ multiplex etiam Religio sic fovit, ut postmodum secuta sit avulsio provinciarum. Testis Tudun, qui prostratis Idolis Christianam fidem amplexus est, relictâque Hunnorum societate Carolo Francorum Regi se suùmque populum summisit. Cùm autem in eo statu res Hunnorum essent, Pippinus facili negotio quascumque voluit pacis leges illis imperavit. Id innuunt Legationes ad Carolum directæ, quarum prior Avares sive Hunnos Francis occurrisse, posterior Pippinum *in Rhingo* jam residere paulò pòst nunciat. Annuit & Auctor Chronici San-Dionysiani sic. DCCXCVI. *Carlus Rex filium suum Pippinum transmisit in Chunia, & ipsi eum receperunt in pace, & thesauros multos accepit, & in Francia adduxit.* Annalista Laureshamensis & Poëta Saxonicus Hunos *trans Tizan fluvium* fugatos aiunt, id est trans Tibiscum amnem hodiernæ Hungariæ, qui vulgò *Tyssa* seu *Teissa* dicitur, ortúsque ex Carpatho monte in ipso Russiæ nigræ & Transsylvaniæ limite, plurimis rivis ac fluminibus augetur, donec in sinistram se Danubii ripam exoneret. Auctor editus à Canisio [a] res in Pannonia cùm ab Henrico sive Ærico Duce tum à Pippino Rege feliciter gestas commemorat, nec omittit zelum, quo Pippinus Christianam Religionem propagare studuit, curâ totius negotii Arnoni Juvavensi seu Salisburgiensi Episcopo commissâ. *Carolus Imperator anno Nativitatis Domini septingentesimo nonagesimo-sexto Æricum Comitem destinavit, & cum eo immensam multitudinem, Hunnos exterminare. Qui minimè resistentes reddiderunt se per præfatum Comitem Carolo Imperatori. Eodem igitur anno misit Carolus Pipinum filium suum in Hunnos cum exercitu multo, qui perveniens usque celebrem illorum locum, qui dicitur Rinch, ubi iterum omnes eorum Principes se dederunt Pipino. Qui inde revertens partem Pannoniæ, circa lacum Pelissa, inferioris, ultra fluvium, qui dicitur Rapa * & sic usque ad Dravum fluvium, & eò usque Dravus fluit in Danubium, prout potestatem habuit, prænominavit cum doctrina & Ecclesiastico officio procurare populum, qui remansit de Hunis & Sclavis de illis partibus, Arnoni Juvavensi Episcopo usque ad præsentiam genitoris sui Caroli Imperatoris.* Hic Auctor Æricum sive Henricum Comitem, Carolum Imperatorem vocat, utrumque minùs propriè; Dux enim erat Henricus, Rex Carolus. De Rapa & Dravo fluviis, quos idem Auctor nominat, non semel locuti sumus. Uterque Francorum & Hunnorum limes ab Ali-

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI Ludov. RR. 16. CAROLI R. 8.

PIPPINUS REGIAM HUNNORUM AC THESAUROS OCCUPAT.

* le Rab.

[a] Tom. 6. ant. Lect.

ERUDIENDÆ GENTIS CURAM COMMITTIT ARNONI EP. SALISBURG.

* le Rab.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

quot annis erat. Dravus Francos inter & Hunnos medius excurrebat ab anno Christi septingentesimo quinquagesimo-septimo, sive ex quo Carantani, quos Meridiem versus Longobardi, Septentrionem versus Hunni cingebant, sponte Pippino Regi se dediderunt. Rapa seu Raba vel Arabo Francorum versus Orientem limes esse cœperat anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo, quo Carolus Francorum Rex expulsis Hunnis ad illum usque amnem victor penetrarat. Hoc igitur anno, ut Franciçis ditionibus,,sic & Salisburgiensi Diœcesi feliciter adjectus est tertiarum tractus, qui protenditur usque ad Dravi confluentes in Danubium, & eosdem fluvios Dravum & Danubium atque Arabonem interjacet. Abhinc amplissimus fuit Salisburgiensis Episcopatus, cui præter antiquos fines attributa sub Pippino Rege tota Carantania, deinde sub Carolo ejusdem Pippini filio pars Hunniæ non exigua.

CXXIII. THEODULPHUS EP. AURELIAN. HUNNORUM CONVERSIONEM GRATULATUR.

Auditâ Hunnorum sive Avarum clade, Theodulphus Aurelianensis Episcopus Carolo Regi prolixum inscripsit Carmen, in quo victoriam adversùs Hunnos & eorumdem Hunnorum conversionem ad Christianam fidem gratulatus est, sermone ad Mauros, qui Cordubensi Caliphatui suberant, etiam converso, ut Hunnorum exemplo Christiani fierent, seque Carolo Regi manciparent.

Percipe multiplices lætanti pectore gazas,
Quas tibi Pannonico mittit ab Orbe Deus.
Inde pias celsò grates persolve Tonanti,
Cui, solet ut semper, sit tua larga manus.
Adveniunt gentes Christo servire paratæ,
Quas dextrâ ad Christum sollicitante vocas.
Ponè venit textis ad Christum crinibus Hunnus,
Estque humilis fidei, qui fuit antè ferox.
Huic societur Arabs; populus crinitus uterque est,
Hic textus crines, ille solutus eat.
*Cordoba, prolixo * collectas tempore gazas*
Mitte celer Regi, quem decet omne decens.
*Ut veniunt Avares *, Arabes Nomadésque venite,*
Regis & ante pedes flectite calla, genu.
Nec minùs hi, quàm vos, sævique trucésque fuere,
Sed hos qui domuit, vos domiturus erit.
Scilicet in cælo residens, per tartara regnans,
Qui mare, qui terras, qui regit astra, polum.

* prolixo

* Arabes.

OPTAT CONVERSIONEM ARABUM IN HISPANIA.

CXXIV. In eodem Carmine Regium comitatum descripsit. Incepit à Regia familia. Tunc uxor erat Carolo Luitgardis; liberi decem, quatuor filii sexque filiæ; Pippinus & Rotbais ex Himiltrude; Carolus, alter Pippinus, Ludovicus, Rodtrudis, Berta, Gisla, ex Hildegarde; Thedrada & Hildrudis ex Fastrada. Nullam utriusque Pippini mentionem fecit Theodulfus, quia neuter erat in patris comitatu, Senior in Prumiense Monasterium detrusus fuerat, Junior in Pannonia cum exercitu versabatur. Erat & Carolo soror Gisla seu Gislana, quæ, licèt Abbatissa Kalensis esset, Regium nonnumquam adibat comitatum, ideóque Theodulphus de illa quoque locutus est, licèt dubius an esset cum fratre.

REGIAM LAUDAT FAMILIAM.

Circumdet pulchrum proles carissima Regem,
Omnibus emineat, Sol ut in arce solet.
Stent Karolus Hludowícque simul, quorum unus ephebus,
Jam velut alterius os juvenile decus.
Corpore prævalida, quibus est nervosa juventa,
Cárque capax studii, consiliíque tenax.
Mente vigent, virtute cluunt, pietate redundant,
Gentis uterque decor, dulcis uterque patri.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

Et nunc ardentes acies Rex flectat ad illos,
Nunc ad virgineum flectat utrimque chorum.
Virgineum ad cœtum, quo non est pulchrior alter,
Veste, habitu, specie, corpore, corde, fide.
Scilicet ad Bertam, & Rodtrud, ubi sit quoque Gisla,
Pulchrarum una soror sit minor ordo trium.
Est sociata quibus Leutgardis pulchra virago
Quæ micat ingenio cum pietatis ope.
Prompta sit obsequio soboles gratissima Regis,
Utque magis placeat, certet amore pari.
Pallia dupla celer, manuum seu tegmina blanda
Suscipiat Carolus, & gladium Ludoich.
Quo residente, suum grata inter basia munus
Deni nata egregia, det quoque carus amor.
Berta rosas, Chrodtrudh violas, & lilia Gisla,
Nectaris ambrosii præmia quæque ferat.
Rothaid poma, Hiltrudh Cererem, Tetdrada Lyæum,
Quis varia species, sed decor unus inest.
Quod si fortè soror fuerit sanctissima Regis,
Oscula det fratri dulcia, frater ei.
Talia sic placido moderetur gaudia vultu,
Ut sponsi æterni gaudia mente gerat.
Et benè Scriptura pandi sibi compita poscat,
Rex illam doceat, quam docet ipse Deus.

Vates à Regia familia, in qua suum Rothaidi locum tribuit, & Gislam Regis sororem æterno sponso dicatam repræsentavit, transiit ad Proceres, quos partim suis, partim tralatitiis designavit nominibus, more inter Caroli familiares usitato, ut ex multis Alcuini locis jam ostendimus. Tot è Proceribus Hildeboldum Archiepiscopum Coloniensem, Alcuinum Abbatem, Riculfum & Angilbertum Comites, Ercambaldum Cancellarium, Fredegisum Diaconum, & Osulfum seligemus. De Hildeboldo Coloniensium Archiepiscopo & Archicapellano Palatii, ad quem inter cetera Regiæ mensæ benedictio spectabat, hæc Theodulfus. CXXV. ET ILLUSTRES AULICOS.

Adsit Præsul ovans animo vultúque benigno,
Ora beata ferens, & pia corda gerens.
Quem sincera fides, quem tantus culminis ordo,
Pectus & innocuum, Rex, tibi, Christe, dicat.
Stet benedicturus Regis potúmque cibúmque,
Sumere quin etiam Rex velit, ipse volet.

Hildeboldo proximè subjungitur Flaccus Albinus Alcuinus cum hoc insigni elogio. CXXVI.

Sit præsto & Flaccus nostrorum gloria Vatum,
Qui potis est Lyrico multa boare pede.
Quique Sophista potens est, quique Poëta melodus,
Quíque potens sensu, quique potens opere est.
Et pia de Sanctis Scripturis Dogmata promat,
Et solvat numeri vincla favente joco.
Et modò sit facilis, modo scrupea quæstio Flacci,
Nunc mundanam artem, nunc redibens superam.
Solvere de multis Rex ipse volentibus unus
Sit benè qui possit solvere Flaccidica.

Apud Eginhardum Caroli Testamento duo subscribunt Riculfi, unus inter Episcopos, alter inter Comites. Uter à Theodulfo commendatus sit, haud patet. Poëtam de Comite potiùs quàm de Moguntino Archiepiscopo capiendum jam censuit Sirmondus, cui lubentissimè suffragamur. Elogium tale est. CXXVII.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

Voce valens; ſenſúque vigil, ſermone politus,
Adſit Riculfus, nobilis arte, fide.
Qui etſi longinquâ fuerit regione moratus,
Non manibus vacuis jam tamen inde redit.

Inter aulicos non ultimus erat Angilbertus Comes de quo ſæpè jam locuti ſumus. Homerus ut ab Alcuino ſic & à Theodulfo vocatus reperitur. Itinere Romam ſuſcepto procul aberat à Regio comitatu, quapropter à Poëta penè prætermiſſus eſt.

Dulce melos canerem tibi, ni abſens, dulcis Homere,
CXXVIII. *Eſſes; ſed quoniam es, hinc mea Muſa tacet.*

CXXIX. In Ercambaldi laudibus officium Cancellarii depictum ſic habes.

Non Ercambaldi ſollers præſentia deſit,
Cujus fidam armat bina tabella manum.
Pendula quæ lateri manuum citò membra reviſat,
Verbáque ſuſcipiat, quæ ſine voce canat.

CXXX. Fredegiſus Diaconus, qui poſt Alcuinum Abbas Sam-Martiniaous ac Cotmetiacenſis fuit, & Oſulfus, ejuſdem Alcuini diſcipulis accenſentur, & ob eruditionem à Theodulpho ſic commendantur.

Stet Levita decens Fredegis ſociatus Oſulfo,
Gnarus uterque artis, doctus uterque benè.

CXXXI. Alcuinus, ubi curam erudiendorum Hunnorúm commiſſam Arnooi Saliſburgienſi Epiſcopo reſcivit, huic ſtatim prolixam de Paſtorali ſtudio ſcripſit Epiſtolam [a], è qua breve tantùm de Baptiſmo fragmeotum hic exſcribemus. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus diſcipulis ſuis mandavit dicens.* [*Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.*] *In iſtis pauciſſimis verbis, totius ſanctæ prædicationis ordinem expoſuit. Bis docere dixit, ſemel & baptizare. Primò omnium fidem Catholicam docere præcepit, & poſt fidem acceptam in nomine ſanctæ Trinitatis baptizare juſſit. Deinde fide imbutum, & ſacro Baptiſmate ablutum Evangelicis inſtruere præceptis mandavit. Hunc tu ordinem, ſanctiſſime Doctor, catechizandi in adultæ ætatis viris ubique firmiter obtineas. Fragiliori verò ætati pia mater Eccleſia conceſſit, ut qui alieno in paterna prævaricatione ligatus eſt peccato, alterius in Baptiſmi myſterio profeſſione ſolutus ſit. Et, ſi hoc non eſſet, quanti perirent infantes, ex quorum numero cæleſtis cotidie ædificatur Hieruſalem?* Inſcriptio literarum talis eſt. *Dulciſſimo fratri & Sanctiſſimo Præſuli Aquilæ, Albinus ſalutem.* Nec in dubium vocari poteſt, quin Albinus ſive Alcuinus Arnonem tralititio nomine per Aquilam ſignificet. Aliam enim Epiſtolam [b] eidem ſic inſcribit. *Cariſſimo germano meo Aquilæ Antiſtiti, Albinus ſalutem.* Et in ea clariſſimè teſtatur ſe Juvavenſi ſeu Saliſburgenſi Epiſcopo ſcribere. *Quia*, inquit, *necdum de nido Juvavenſi avis optata evolavit, miſi hanc invitatoriam obviam illi cartulam, ut noſtram agnoſceret proſperitatem, vel ſuam nobis præſentiam deſignaret.* Literas [c] quoque fratribus Juvavenſibus ſeu Monachis Saliſburgenſibus in Monaſterio Saocti Petri degentibus inſcribit, & in illarum contextu non obſcurè docet Aquilam ſive Arnonem Epiſcopum ſimul & Abbatem eſſe, ut ad annum Chriſti ſeptiogenteſimum octogeſimum-primum jam diximus adverſùs Bruſchium & Gewoldum, qui Bertrico volunt Arnonem in Epiſcopalem dignitatem, in Abbatiale munus Ammilooium ſucceſſiſſe. Literarum hoc eſt initium. *Sanctiſſimis in Chriſto fratribus Juvavenſis Eccleſiæ, humilis Levita Albinus in Chriſti caritate ſalutem. Audiens laudabilem in Chriſto unanimitatis veſtræ converſationem, multâ animus meus lætitiâ gaviſus eſt, multóque anhelabat deſiderio præſentialiter ordinem videre veſtrum, & meipſum humili devotione veſtris ſacroſanctis commendare orationibus. Sed quia hoc huc uſque prohibuit variarum eventus rerum, & prolixa terrarum longinquitas, meæ parvitatis literulas in hoc officium dirigere curavi, ut deſiderium cordis mei in apicibus cognoſcatis, quod &*

ALCUINI LITERÆ AD ARNONEM EP. SALISB.

[a] Ep. 104.
[b] Ep. 66.
[c] Ep. 75.

olim pio Patri Aquilæ Pontifici, germano meo, Pastori vestro injungere studui, cupiens spiritali præsentiâ unus esse ex vobis, & unum esse vobiscum, ut vestra me sanctitas à terrenis levaret cupiditatibus, & in cælesti vobiscum collocaret desiderio. O quàm felix est vita Monachorum, Deo placabilis, Angelis amabilis, hominibus honorabilis! Plura describere non opus est, ut has literas Monachis inscriptas fateatis, & eorumdem Monachorum Abbatem noscas Aquilam, cui tanquam Episcopo multa de Episcopali cura déque Baptismo post devictos à Francis Hunnos scribit Alcuinus suprà citatus. Atque ut hæc omnia, quæ partim ad Episcopatum, partim ad Monasterium pertinent, intelligas de Diœcesi Salisburgensi cui præest Arno, suadent *Juvavensis nidus* & *Juvavensis Ecclesia*, quia Juvavum idem ac Salisburgum, unde in Testamento Caroli, quod apud Eginhardum legitur, inter Metropolitanas civitates, quæ recensetur octavo loco, vocatur *Juvavum quæ & Saltzburg*. His accedit, quòd prædictis Monachis Alcuinus *æternam requiem & beatitudinem* in fine literarum precatur *intercedente Beati Hrotbercti sanctitate*, id est, per intercessionem Sancti Ruperti seu Rudberti, qui Salisburgensem Ecclesiam fundavit, rexitque cum Metropolitæ Titulo per Bojoariam, ut fusiùs explicatum Tomo secundo. Non desunt, qui Arnonem & Alcuinum germanos fratres fuisse suspicentur ex præcitatis epistolarum inscriptionibus, in quibus Alcuinus Aquilam sive Arnonem germanum suum ac fratrem dicit. At hos titulos Alcuinus amicitiæ non agnationis ergò videtur usurpasse. Nec aliter censebis, si Tomo nono Spicilegii Dacheriani legeris præfationem ad Arnonem Episcopum, quam idem Alcuinus expositioni Psalmorum Pœnitentialium, necnon Psalmi centesimi decimi-octavi, & psalmorum Gradualium præfixit, & à nobis ex parte descriptam inferiùs ad annum Redemptoris octingentesimum secundum reperies.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

CXXXII. FRANCI VASTANT HISPANIAM.

Hoc anno, ut Saxonum in Germania, sic & Saracenorum terras in Hispania vastarunt Franci. Chronographus Moissiacensis ad Saracenicum bellum à Saxonico sic transit. *Exercitum in eadem æstate* Carolus *transmisit in Spaniam in fines Sarracenorum cum Missis suis, qui & jussi fecerunt similiter*, id est, eo se gesserunt in Hispania modo, quo commilitones in Saxonia. *Vastaverunt terram illam, & redierunt cum pace ad Regem Karolum ad Aquis Palatium.* Rerum in Hispania præclarè gerendarum occasionem, quam mors Iseni sive Hisjami Saracenorum in Hispania Regis offerre videbatur, non prætermisit Carolus. De Hisjami Principatu seu Caliphatu Georgius Elmacinus ad annum Hegiræ centesimum septuagesimum-secundum, quo Rex Abderramen obiit, sic loquitur. *Chalifatui in illis tractibus*, id est, in Hispania, *præfectus est filius ejus Hisjamus, f. Abdurrhamanis.* Et ad annum ejusdem Hegiræ centesimum octogesimum, sic. *Anno 180 obiit Hisjamus fil. Abdurrahmanis Amawæus, Rex Hispaniæ, ut regnaverat annos septem & mensem unum, annos natus 31. Et creatus Rex Hispaniæ est filius ejus Hakemus fil. Hisjami.* Rodericus Toletanus [a] Iseno sive Hisjamo, præter annos Regni seu Caliphatûs septem, tribuit menses pariter septem, diésque totidem. *Isen*, inquit, *cùm regnasset annis septem, mensibus septem, diebus septem, vitam finivit.* Et hæc computatio probabilior videtur, ut Isen sive Hisjamus non *anno Arabum centesimo septuagesimo-nono* ut idem Rodericus censet, sed *anno 180* mortuus asseratur ex opinione Georgii Elmacini. Ceterùm annus Arabum centesimus octogesimus cœpit Idibus Martiis anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto. Isen igitur sive Hisjamus hoc eodem anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto post Idus Martias obiit. In Regnum seu Caliphatum Hispaniæ successit ejus filius, quem Rodericus Toletanus Alhacam, Georgius Elmacinus Hakemum vocat. Iseni morte per Franciam & Mauritaniam divulgatâ, Carolus Francorum Rex statim Duces in Hispaniam cum exercitu direxit, & ipsius Iseni fratres è Mauritania, ubi exulabant, in Hispaniam quoque redierunt, bellum contra nepotem moturi.

[a] In hist. Arab. c. 21. novæ edit. c. 22. vet. ed.

POST OBITUM ISENI CALIPHÆ.

CH. AN. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

De Caroli Francorúmque consilio actum suprà. De fratribus autem Iseni sic Rodericus Toletanus. *Cùm fratres Isen, Zulema & Abdalla, qui à facie fratris, ut diximus, fugerant ultra mare, audissent Isen mortuum, & Alhacam filium ejus in Regni regimine substitutum; conati sunt Regna perturbare, & fuga infamiam festino reditu palliare, & contra nepotem vela reducia erexerunt, & in Hispaniam cisfretantes Regnum nepotis invadere præsumpserunt.* Quid secutum sit, exponemus infrà. Bellum enim hoc Saracenorum intestinum, quod in Hispania per aliquot annos gestum est, Francis non fuit ingratum.

CXXXIII. Christiani nominis erant hostes acerrimi, Saxones, Hunni, Saraceni. Tres hi populi Francos hoc anno superiores in disjunctissimis provinciis agnoverunt, Carolum cum filiis Carolo & Ludovico Saxones in Germania, Pippinum in Pannoniis Hunni, Regalium copiarum præfectos Saraceni in Hispania. Tot trophæorum gloria Carolum in Aquisgranensi Palatio commorantem post reditum è Saxonia circumspicit; illuc enim è Pannonia venit Pippinus Rex Italiæ, qui superbiam Hunnorum nuperrimè contuderat; venerunt & ex Hispania Regii Duces, qui bellum strenuè feliciterque cum Saracenis gesserant. Audi Annalistam Loiselianum & Chronographum Moissiacensem, quibus alii complures suffragantur Auctores. Sic habet Annalista. *Domnus Rex peragratâ Saxoniâ, cum integro exercitu in Gallias se recepit, & in Aquis Palatia filium suum Pipinum è Pannonia redeuntem, & partem thesauri, quæ remanserat, adducentem, lætus aspexit.* Et Chronographus sic. *Exercitum in eadem æstate transmisit in Spaniam in fines Sarracenorum cum Missis suis, qui & ipsi fecerunt similiter. Vastaverunt terram illam, & redierunt cum pace ad Regem Carolum ad Aquis Palatium.* In literis Alcuini [a], *multam partem Hispaniæ* tulisse dicuntur *à Saracenis, quasi trecenta millia in longum per maritima.*

[a] Ap. Wilhelm. Malmesb. l. 1. c. 4.

CXXXIV. Aquisgranum quoque venit Angilbertus, postquàm populum Romanum ad fidem atque subjectionem Caroli Regis per sacramenta firmavit. Porrò, cùm adhuc erat in Italia, & bellum in Saxonia gerebatur, Alcuinus duas scripsit epistolas; unam [b] ad Aginum Bergomensem Episcopum, quâ Reliquias Sanctorum sibi per eundem Angilbertum ex Italia transferri postulabat; alteram ad Damœtam [c], quâ illum euntem in bellum egregiè monebat, absentiámque complurium amicorum ac discipulorum sic querebatur. *Valdè solicitus sum de itinere tuæ profectionis in hostem, quia plurima solent in talibus evenire pericula rebus. Tamen qui justitiam habet eundi, & pro Deo decertandi, fiduciam potest habere de auxilio illius, pro cujus amore tantum subire laborem non formidat. Tu verò iter tuum confessione confirmare, eleemosynis roborare, orationibus servorum Dei undique munire memento, ut Angelus Domini te inter omnia adversa tueatur & comitetur, quatenus cum securitate vadas, & cum pace revertaris. Ego penè quasi orbatus filiis remaneo domi. Damœta Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Britanniam recessit. Martinus in Vicos apud Sanctum Jodocum infirmus remansit, pro cujus sanitate, ut Dei depreceris clementiam, obnixè flagito. De Mopso, qui apud Sanctum Martinum, sicut audisti, infirmatus est, nihil aliud audivi certum, nec te abeunte Missos illius vidi.* Cave ne Damœtam hunc interpreteris Riculphum Moguntiacensem Archiepiscopum, quem Alcuinus Damœtam vocare solet, ut Carolum Davidem, Richbodum Macharium, Angilbertum Homerum, &c. Damœta, cui Alcuinus epistolam quadragesimam-primam inscribit, Riculphus est Moguntinus Archiepiscopus. At alius est Damœta, cùi diriguntur epistolæ duodeseptuagesima & nonagesima-tertia. De hac nulla difficultas, ut ex fragmento suprà recitato liquet. Alcuinus in titulo duodeseptuagesimæ Damœtam virum appellat clarissimum, deinde insinuat causis audiendis præpositum esse, sic enim illum in eadem epistola monet officii. *O fili carissime, inter occupationes seculi non obliviscare tui, sed dum corpus*

[b] Ep. 65.

[c] Ep. 93.

ALCUINUS DAMOETAM EUNTEM AD BELLUM EGREGIE MONET.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

corpus epulis paſcitur, anima eleemoſynis reficiatur. Et dum fatigata ex itinere membra quiete refocillantur, mens in Deo orationibus roboretur: & in diverſarum auditu cauſarum juſtitia ſemper reſonet in ore, & ex intimo cordis affectu miſerorum procedat conſolatio, & ſpes aquitatis non fallat advenientes, nec pietatis deſint ſuffragia confugientibus ad vos, quia pietas in pauperes geſta aternâ remuneratur beatitudine. In epiſtola nonageſima-tertia, quam examinamus, Vicos apud Sanctum Jodocum interpretare Cellam Sancti Jodoci, locum enim, in quo condita eſt, Vicum & Vicos ab antiquis Auctoribus appellati conſtat. Cellæ Sancti Jodoei in Epiſcopatu Ambianenſi præpoſitus fuit Alcuinus, at qno anno, incertum. Poſteà factus eſt & Abbas Sancti Martini Turonis, cùm ſeculares occupationes declinare vellet. Tempus autem colligitur ex literis [a], quas ad Carolum eis Alpes jam reverſum anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo primo direxit. *Cotìdie*, inquit, *avidâ cordis intentione ſuſpenſis in verba venientinm auribus, ſollicitus eram, quid mihi nunciarent de Domino meo dulciſſimo David, qnando domum rediret, quando patriam reverteretur. Tandem aliquando, quamvis ſerò, vox optata concurrentium deſiderii meì inſonuit auribus; jam júmque veniet, jam Alpes tranſivit, quem tanto animi tui fervore, ô Albine, adeſſe optaſti.* Et inferiùs. *Ferè ante hoc quinquennium ſeculares occupationes, Deum teſtor, non ficto corde declinare cogitavi. Sed veſtra piæ providentia conſilio, tranſlatus ſum in ſervitium Sancti Martini, fidei Catholica & Eccleſiaſtica ſanctioni, donante Deo, proficuum.* Alcuinus igitur hoc anno, cùm ſecularibus ſe negotiis expedire vellet, Monaſterio Sam-Martiniano datus eſt Abbas. Huc partim referri debent quæ leguntur in ejus vita. *Cùm ſenectute unáque infirmitate plùs ſolito ſe ſentiret affectum, diu ut ſecum tractaverat, velle ſe ſignificavit Regi Karolo ſeculum relinquere, poſtulans licentiam apud Sanctum Bonifacium Monaſticam vitam ſecundùm Regulam Sancti Benedicti ducere, Monaſteriáque ſibi commiſſa ſuos ut inter diſcipulos divideret, ſi fieri poſſet. Sed Rex terribilis & pius, unum cum omni poſtulationis affectu denegavit, alterum libenter audivit, flagitans, quietiſſimus Turonis aquè honorificentiſſimè ut reſideret, ſibíque & omni Sancta Eccleſia commiſſa non detrectaret. Onera verò ſeculi, qua ipſe habebat, diſcipulis, ut ipſe petierat, libentiſſimè diſpertiit. Fecit ergo & ipſe Albinus, ut Rex ſapientiſſimus rogaverat, non quarens quod ſibi foret utile, ſed quod multis, ac Turonis diem noviſſimum praſtolatus fuit.* In hoc textu res diverſis temporibus geſtæ conglobatim enarrantur, per annos autem digerendæ ſunt, ne fides Hiſtoriæ vacillet. Alcuinus, ut ſibi liceret nuncium ſecularibus occupationibus remittere, precibus ad annos Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-ſextum, octingenteſimum, & octingenteſimum primum frequenter iteratis poſtulavit à Carolo, nec iſta diſſimulavit in literis, qnas eidem Carolo in Galliam ex Italia reverſo ſcripſit anno reparatæ Salutis octingenteſimo primo. *Ferè*, inquit, *ante hoc quinquennium*, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-ſexto, *ſeculares occupationes, Deum teſtor, non ficto corde declinare volui.* Et paucis interjectis, *non receſſit de corde prioris voluntatis effectus, ſicut tranſacto anno*, ſive anno Redemptoris octingenteſimo *veſtra pietati jam pradixi.* Scribebat hæc anno Redemptoris octingenteſimo primo, túncque ſeculares occupationes, ut literarum textus edocet, declinare ſummoperè cupiebat, nec anno priore, cùm in aula Regia verſabatur, hoc conſilium ab aliquot annis mente conceptum Carolo reticuerat. At anno Redemptoris octingenteſimo quo Carolum allocutus eſt, annóque Redemptoris octingenteſimo primo quo prædicatam epiſtolam eidem Carolo miſit, de receſſu in Fuldenſe Monaſterium ubi Sanctus Bonifacius requieſcebat, déque Monaſtica vita Regulâque Sancti Benedicti ſuſcipienda minimè cogitavit. In iiſdem enim literis hæc ſtatim adjecit. *Inter fratres in Eccleſia Sancti Martini Deo fideliter ſervientes vivere vel requieſcere, Deo miſerante, ſine ul-*

[a] Ep. 85.

VULT MONACHUS FIERI.

AN CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

la dubitatione desidero. Anno igitur Christi septingentesimo nonagesimo-sexto *velle se significavit Regi Karolo seculum relinquere, postulans licentiam apud Sanctum Bonifacium Monasticam vitam secundùm Regulam Sancti Benedicti ducere, Monasteriáque sibi commissa suos ut inter discipulos divideret, si fieri posset.* Neutrum tunc obtinuit. Cœnobia sibi commissa, nempe Ferrariarum, Sancti Lupi & Sancti Judoci suos inter discipulos non divisit, imò duobus aliis auctus est Monasteriis, Sam-Martiniano videlicet & Cormaricensi, quæ simul unita sub uno florebant Abbate. *Seculares*, ait in præcitatis ad Carolum literis, *occupationes, Deum testor, non ficto corde declinare cogitavi. Sed vestra pia providentia consilio, translatus sum in servitium Sancti Martini.*

FIT ABB. S. MARTINI TURONIB.

Et post quinquennium, id est, anno Redemptoris octingentesimo primo, cùm illas literas scriberet, sibi potissimùm in votis adhuc esse testatus est, ut à secularibus occupationibus liber omnino fieret. Porrò, cùm repulsam à Carolo passus esset, Monasticæ amplectendæ consilium penitus abjecit, & Turonos se contulit ad servitium Sancti Martini, *fidei Catholica*, ut ipsemet loquitur, *& Ecclesiastica sanctioni, donante Deo, proficuum.* Ab anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto quo factus est Abbas Sam-Martinianus, ad annum usque Redemptoris octingentesimum quartum quo desiit in vivis esse, rarò Turonis egressus est. Anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono Wicos adiit seu Cellam Sancti Judoci, cui præerat quoque cum Abbatis titulo. Eodem anno profectus est & Aquisgranum propter causam Felicis Urgellensis Episcopi, mansitque in Regio comitatu ad æstatem usque subsequentis anni post Christum natum octingentesimi. Tunc apud Regem, ut sibi liceret seculares occupationes declinare, frustrà repetitis denuò precibus institit, nec remissiùs per literas egit feliciorémve successum nactus est anno postero, sive anno Redemptoris octingentesimo primo. Superstes vixit annos tres, *ac Turonis*, ut Auctor vitæ præcitatus scribit, *diem novissimum præstolatus fuit.* Utrùm sub exitum vitæ quidpiam è postulatis tandem impetrarit, ad annum Redemptoris octingentesimum quartum diligenter examinabimus.

CXXXV. Inter ejus opera *scriptum de vita Sancti Martini* reperitur, in quo mirificè virtutes illius breviter commentatus est. Extat etiam sermo de ejusdem Sancti Martini transitu. Legitur & ad pueros Sancti Martini directa epistola *de confessione peccatorum* cum hac inscriptione. *Dilectissimis in Christo filiis, bonaque spei adolescentulis, qui in Ecclesia Summi Pontificis Protectorisque Magni B. Martini Domino Jesu deservire videntur, atque ab Ecclesiasticis erudiuntur Magistris in Domino Deo, ego Albinus benè cupiens salutis vestra, aterna prosperitatis in Christo Domino salutem.* Tres hæ lucubrationes priùs ab Alcuino scriptæ sunt, quàm Abbas Sam-Martinianus esset. Nec aliter sentiendum de epistola, quæ tricesima-prima numeratur in libro epistolarum, & *sanctissimis in Christo fratribus & Beato Martino Confessori Christi servientibus* inscribitur. Tunc Itherius ejusdem Alcuini decessor non Monasterio tantùm Sam-Martiniano sed etiam Cormaricensi nuper à se condito præerat. Extant * Abbatum cùm Sam-Martinianorum tum Cormaricensium Catalogi. Tres antiquissimi Cormaricenses Abbates ita recensentur; Ithcrius sive Ætherius, Alcuinus cognomento Albinus, Fridugisus. In Nomenclatura Sam-Martinianorum Abbatum, Itherio sive Ætherio proximè subrogatur Gulfardus, tum Alcuinus sive Albinus, deinde Fridugisus. Inde multiplices moveri quæstiones possunt; an Itherius administrationem Monasterii Sam-Martiniani Gulfardo reliquerit, ut ipse Cormaricensi Cœnobio à se constructo præesset; an Alcuinus primùm Gulfardo in Abbatiam Sam-Martinianam, posteà Itherio in Cormaricensem quoque successerit. Rursum inter se non benè conveniunt iidem Catalogi; in priore, qui Cormaricenses Abbates exhibet, *Cormaricense Monasterium in oppido Cormariceno super Adriam *, in honore Beati Pauli Apostoli, Carolo Ma-*

EXAMINANTUR ABBATUM SAMMARTINIANORUM, CORMARICENSIUM ET MAJORETANORUM CATALOGI.

* Tom. 4. Gall. Christ.

* l'Indre.

AN. CH. 796.
CAROLI R. 28.
PIPPINI LUDOV. RR. 16.
CAROLI R. 8.

gno Francorum Rege, anno tertio & vigeſimo, id eſt, anno à Chriſto nato 780 condit *Itherius Cœnobii S. Martini Turònenſis Abbas;* & in poſteriore, qui Sam-Martinianos Abbates repræſentat, *Etherius fundator* prædicatur *Cœnobii Cormariceni circa an. 785.* Sed annus Caroli Regis vicefimus-tertius nec cum anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo, nec cum anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-quinto componitur, illigatur enim anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo, quia Carolus poſt Pippinum patrem anno Chriſti ſeptingenteſimo duodeſeptuageſimo regnare cœpit. Initiales literæ ſæpè confunduntur. Teſtes hæ voces, *Vaſco & Gaſco, Willelmus & Guillelmus.* Ideóque Gulfardus Abbas Sam-Martinianus nobis idem videtur ac Vulfardus Itherii deceſſor. Nec valdè nos premit, quòd ei ſic elogium tribuitur. *Gulfardus religioſus Abbas S. Martini memoratur in bulla Leonis 3. Pontificatûs 1. & an. Incarnat. 796. in tabulario B. Martini pro Canonicis & Abbate ipſorum, ab immunitate Epiſcopali, ſcripta per manum Bonifacii Archiſcriniaris Rom. Eccleſiæ, menſe Aprili.* Leo enim menſe Aprili, hoc anno, ſui Pontificatûs primo, in Apoſtolicis literis meminiſſe potuit Vulfardi Sam-Martiniani quondam Abbatis ante quatuordecim annos mortui. Itherio igitur Abbati, cujus obitus *4. Cal. Martii* conſignatur, in Præfecturam utriuſque Monaſterii, Sam-Martiniani videlicet ac Cormaricenſis, hoc anno ſucceſſit Alcuinus, & ex albo Sam-Martinianorum Abbatum expungi debet qui medius inter Itherium & Alcuinum perperam intruſus eſt Gulfardus. Ex Diplomate Pippini, qui filius Ludovici Pii Rèxque fuit Aquitanorum, Alcuinus Itherii ſucceſſor ac deceſſor Fridigiſi probatur. Illius Diplomatis hoc eſt argumentum. Quidam fideles, ad comparandas fratrum veſtes, Sam-Martiniano Monaſterio Marciagum villam in Arvernico pago ſitam tradiderunt. Hanc Itherius Abbas, ad petitionem Ludovici Pii tunc Aquitaniæ Regis, Erlaldo ejuſdem Ludovici Seneſchallo conceſſit eâ conditione, ut Erlaldus exinde cenſum annuatim perſolveret. Alcuinus ipſius Itherii ſucceſſor villam eandem prædicto Erlaldo ſimiliter ad petitionem Ludovici Regis ſub eodem quoque cenſu conceſſit eâ lege, ut abſque ulla interpellatione cum omnibus appendiciis ſuis in ditionem prælaudati Monaſterii poſt obitum Erlaldi rediret. Poſteà Ludovicus, cùm Imperator eſſet, atque à longo jam tempore Pippinum filium Aquitanici Regni conſortem feciſſet, à Fridigiſo Abbate Sam-Martiniano rogatus eſt, ut villam, quæ per tot annos ad Regiam petitionem in beneficio ſub cenſu habita fuerat, à Monaſterii poteſtate poſt Erlaldi deceſſum ſubtrahi nullomodo pateretur. Poſtulationi lubenter annuit, eâque de re Chartam à Pippino Rege fieri juſſit. Secuta poſtmodum mors Erlaldi. Tunc Pippinus prædictas res Sam-Martiniano Cœnobio reddi præcepit, & ad iteratas Fridigiſi preces inclinatus Præceptum emiſit, in quo tota ſeries iſtius negotii ſic enarratur. *Pippinus gratiâ Dei Rex Aquitanorum. Noverit omnium fidelium noſtrum præſentium ſcilicet ac futurorum ſolertia, quia Fridigiſus vir venerabilis Abba ac Rector Eccleſiæ Beatiſſimi Martini Patroni videlicet noſtri ſuggeſſit Serenitati genitoris noſtri Domni Hludovici Sereniſſimi Auguſti, pro quadam villa, nomine Marciagus, quæ in pago Arvernico ac Tolornienſi in vicaria Claramunt ſita eſt, quæ dudum à quibuſdam fidelibus per Chartulas ceſſionis memoratæ Eccleſiæ ſpecialiter ad veſtimenta fratrum collata fuerat. Quam etiam Iterius Abba quondam Erlaldo ejuſdem genitoris noſtri Seniſcalco, per ejus petitionem eâ conditione, ut annuatim exinde cenſum perſolveret, conceſſerat, & quam poſteà Domnus Alcuinus, ſucceſſor ipſius, ejuſdem Monaſterii Rector, ſimiliter ad petitionem genitoris noſtri, prædicto Erlaldo ſub eodem cenſu per ſcriptum habere permiſerat, eo modo, ut poſt deceſſum illius, abſque ulla interpellatione, memorata villa cum omnibus appendiciis & rebus ſibi pleniter aſpicientibus in ditionem præfatæ Eccleſiæ immeliorata reſtitueretur; obſecrans ut ejus conſueta pietas efficeret, quatenus propter hanc occaſionem, id eſt,*

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

quia tamdiu per petitionem ejus fuerat sub censu in beneficio habita, ne aliquando posset à potestate ipsius Monasterii subtrahi. Cujus suggestioni genitor noster libenter annuens præcepit nobis, ut jam dicta res post decessum memorati Erlaldi, per illius & nostram auctoritatem, secundùm præscriptam conditionem in potestatem Sancti Martini reducerentur. Sed, dum hæc agerentur, sæpedictus Erlaldus finem vivendi fecit, & nos prædictas res per Missos nostros ad partem Sancti Martini coram multis, sicut & factum est, reddere jussimus. Sed superiùs nominatus Fridigisus Abba petiit Celsitudini nostræ, ut pro firmitatis studio nostram Præceptionem super hoc ei facere juberemus, per quam omnes occasiones, quæ à malevolis hujus rei gratiâ objici poterant, in futurum penitus excluderentur; & ipsæ res, absque alicujus contradictione, subtractionéve, aut deminoratione, in deditionem Beati Martini nostris & futuris temporibus sub nostræ tuitionis defensione, & immunitatis auctoritate, sicut cetera res ejusdem Ecclesiæ irrefragabiliter possiderentur. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus &c. *Data 6 Idus Martis* *, *anno 15 Imperii Domni Hludovici Serenissimi Augusti, & 14 Regni nostri*, id est, anno Redemptoris octingentesimo duodetricesimo. Chartam hanc integram in Regibus Aquitaniæ publicavit Joannes *Besly*, Sammarthani post aliquot annos in Itherio Abbate Sam-Martiniano laudarunt. Abbatum Sam-Martinianorum & Cormaricensium in Diœcesi Turonica percelebrium Catalogis, in quibus locum habere debet Alcuinus, brevem nobis liceat Indicem subjicere Majoteranorum, qui tunc in eodem Episcopatu floruerunt, solísque duntaxat nominibus apud posteros hactenus noti sunt. Ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo, quo superiorem Tomum clausimus, cùm Gandegisilus Abbas Majori Monasterio præesset, ad annum usque proximum post obitum Ludovici Pii, sive ad annum usque Redemptoris octingentesimum quadragesimum-primum, quo Herbenus Abbas administrationem ejusdem Cœnobii gerebat, effluxerunt anni septuaginta, recensentúrque per illud tempus Abbates quatuordecim hoc ordine, Radulphus, Michael, Ismarus, Romanus, Godescalus, Bartholomæus, Leonius, Betarius, Leoderatus, Agilus, Jonas, Anfrisius, Siomirus, & Herbenus. Lege appendicem de gestis Episcoporum Turonensium & Abbatum Majoris Monasterii, quæ prodiit ex Bibliotheca Laurentii Bochelli, editáque est post Historiam Ecclesiasticam Gregorii Turonensis Episcopi. Quot annis Monasterium singuli rexerint Abbates, nemo prodit. Carolo Magno Radulphum, Michaelem, Ismarum, Romanum, Godescalum, Bartholomæum, Leoninm, Betarium, & Leoderarum; reliquos Ludovico Pio synchronos arbitramur.

* Martii.

CXXXVI. Alcuinus, cùm Turonos ex aula Regia proficisceretur, ut administrationem Monasterii Sam-Martiniani susciperet, in itinere Kalam adiit agri Parisiensis Cœnobium, ibíque cum Gisla Caroli Regis sorore, Monasterii puellaris Abbatissa, colloquium habuit. Ad illud cum Alcuino colloquium alludere videntur Gisla & Richtruda, cùm suas ad eum literas sic ordiuntur. *Postquàm, Venerande Magister, aliquid de melliflua Sanctæ Scripturæ cognitione, vestrâ sagacitate exponente, hausimus, ardebat nobis, ut fatemur, de die in diem desiderium hujus sanctissimæ lectionis.* Istud vocabulum, *aliquid*, non diuturnam innuit moram, sed qualem quis agere potest visitationis obtentu. Dies igitur aliquot apud Kalam hoc anno moratus est Alcuinus, cùm Turonos contenderet. Tunc *aliquid de melliflua Sancta Scripturæ cognitione* suâ *sagacitate* exposuit cùm Abbatissæ Kalensi tum Monialibus in eodem Cœnobio degentibus, unde factum est, ut illis arserit *de die in diem desiderium hujus sanctissima lectionis*, quod & testatæ sunt scriptis ad eum literis, petitâque expositione *Beati Joannis Evangelistæ*, quam libris septem statim confecit Carolo nondum Imperatore. Quinque dedicavit iisdem Gislæ & Richtrudæ, duos postremos eidem Gislæ & Columbæ. De utrisque agemus anno sequenti.

GISLA KALENSIS ABBATISSA.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8. CXXXVII. ERKANRADUS EP. PARISIENSIS.

Quis Episcopatum Parisiensem tunc gereret, hîc investigare non est extra nostrum institutum. Apud Demochares post Deodefridum hi recensentur Episcopi Parisienses, *Erkanradus tempore Caroli Magni, Ermanfredus, Inchadus, Herchinradus seu Erkanradus in Concilio Aquensi.* Chenutius, Severtius, & Auctor Antiquitatum Parisinarum loco Erkanradi reponunt Erkaoradum, duósque distinguunt Erkanrados, unum Deodefridi, alterum Inchadi successorem. Non desunt, qui Seniorem Erkanradum, Ermanfredum, & Inchadum expungant, & Deodefrido Juniorem Erkaoradum proximè subjiciant. At in parvo Pastorali Ecclesiæ Parisiensis, Charta, quæ numero est tricesima-quinta, Inchadum agnoscit Episcopum quarto Kalendas Novembris, anno septimo Ludovici Pii Augusti, apertéque ostendit Episcopum, nomine Erkaoradum sive Enchenradum, temporibus Caroli Magni priùs sedisse. *Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus* in illa Charta sic loquitur. *Vir Venerabilis Inchadus Parisiacæ urbis Ecclesiæ Episcopus detulit Serenitati nostræ quandam auctoritatem, quam Dominus & Genitor noster bonæ memoriæ Karolus Gloriosissimus Imperator ad petitionem prædecessoris sui Enchenradi ipsius civitatis Episcopi fieri jussit.* Subscriptio Chartæ talis est. *Data IIII Kal. Novembr. anno Christo propitio VII Domni Ludovici Imperatoris.* Servandus igitur Episcoporum Parisiensium vetus Index, in quo distinguuntur Erkanradi duo, mediique interseruntur Ermanfredus & Inchadus. Episcopus erat Deodefridus anno Christi septingentesimo quinquagesimo-septimo, ut ad illum annum ex Privilegio Gorziensi probavimus. Quot annis Episcopatum tenuerit, nemo prodit. Successit Erkauradus sive Erkanradus aut Enchenradus, isque Senior, quem Demochares rectè scribit sedisse *tempore Caroli Magni.* Perperam Chenutius de illo Erkanrado sic habet. *Erkanradus I sedebat anno 822. perduravitque usque ad annum 830.* Chenutium transcripsit Severtius. Eadem leguntur in Antiquitatibus Parisinis. Annus Redemptoris octingentesimus vicesimus-secundus cum anno Ludovici Pii Augusti nono componitur. Si per illum annum Ecclesiæ Parisiensi præfuit Erkanradus Episcopus, is hujus nominis Secundus fuit, cujus decessor Inchadus in Charta proximè citata Parisiensis Episcopus ad annum ejusdem Ludovici Augusti septimum commendatur. Sammarthani, licèt unum duntaxat Erkenradum admittant, allegant Præceptum Caroli nondum Imperatoris, cùm Parisienses Infulæ penes Erkenradum essent, id est, penes Erkenradum sive Erkaoradum Seniorem, quem Inchado præponit Charta Ludovici Pii Imperatoris, ut ex ejus fragmento suprà descripto constat. Præceptum Ludovici, quia genuinum est, integrum suo loco describemus. Caroli Præceptum, ut in Gallia Christiana publicatum est, in tanta non habemus existimatione, conflatum enim videtur ex duobus Diplomatibus, ex genuino videlicet Præcepto Caroli Regis, & ex Privilegio Parisiensis Episcopi quisquis ille fuerit. Ex genuino Caroli Præcepto desumptum arbitramur hoc initium. *Karolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum & Patritius Romanorum. Si petitionibus Sacerdotum hoc quod auribus nostris innotuerit, ad effectum pro Dei amore mittere studuerimus* &c. Item. *Erkenradus in ipsa plebe Episcopus petiit, qualiter* &c. Ipsius Diplomatis pars posterior ad aliquod Privilegium Parisiensis Episcopi pertinet, ut hæc docent verba, quæ non Regi sed Episcopo Parisiensi conveniunt. *Cognoscant omnium secutura Potestas Præsulumque nobis succedentium pia Paternitas, quæ petierunt à nostra exiguitate fratres nostri Sanctæ Matris Ecclesiæ, cui, miserante Deo, deservimus, eorum nos petitioni assensum præbentes,* &c. Adduntur nomina testium, cùm Archiepiscoporum, tum Episcoporum, quorum plerique seriùs ad Præsulatum, quàm Carolus ad Imperatorium Titulum, assumpti sunt. *In præsentia Venerabilium Episcoporum concedimus, Ebboni videlicet Archiepiscopi, Aldrici Episcopi, Ramoardi Episc. Rantgarii, Lantdranni, Lonæ, Jessæ,*

AN. CH. 796.
CAROLI R. 28.
PIPPINI LUDOV. RR. 16.
CAROLI R. 8.

Rothadi, Adelelmi, Hademanni, Godefredi, Fretulfi, Wiladi, Theodifeli, Amathei, Alitgarii, Franconis, Bernoini, Ariboldi, Elie. Item Lone, Hngberti, Fulcarii, Ermenberti Episcoporum. De illis Episcopis commodior inquirendi locus erit Tomo sequenti. Impræsentiarum quæ dicta sunt sufficiant, ut Deodefridi proximum in Episcopatu Parisiensi successorem censeas Erkenradum Seniorem, cui Carolus Magnus Præceptum concessit à Ludovico Pio pòst ita laudatum. *Vir Venerabilis Inchadus Parisiaca urbis Ecclesia Episcopus detulit Serenitati nostra quandam auctoritatem, quam Dominus & Genitor noster bona memoria Karolus Gloriosissimus Imperator ad petitionem prædecessoris sui Enchenradi ipsius civitatis Episcopi fieri jussit, in qua continebatur insertum, quòd, per incuriam & negligentiam custodum ipsius Ecclesia, instrumenta Chartarum exusta vel concremata sive perdita fuissent, per qua scilicet quod plures nobiles viri pro remedio anima sua res & mancipia ad ipsam & quòd idem Genitor noster per eandem confirmasset auctoritatem, ut res & mancipia qua in eisdem instrumentis inserta fuerant, & unde prædicta Ecclesia eo tempore legibus vestita erat jure Ecclesiastico securè & quietè Rectores ipsius Ecclesia futuris temporibus tenerent atque possiderent.* Quot annis Ecclesiam administrarit Erkanradus, haud scitur. Deodefridus ejus decessor, qui sedebat anno Christi septingentesimo quinquagesimo-septimo, pervenire potuit ad Caroli Principatum, cujus initium ab anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo petitur. Erkanradus Episcopus fuit Carolo Rege Francorum & Longobardorum ac Patricio Romanorum, deinde & Imperatore. Nono seculo jam inchoato successit Ermanfredus, de cujus successoribus agemus Tomo proximo.

CXXXVIII. Pervenit ad manus nostras Regium Diploma, quod *actum* legitur *Castro Lauduno.* Charactere Chronologico caret, datum tamen videtur hoc anno, quo Monasterii Sam-Martiniani regimen adiit Alcuinus, quia Chartarum, quas anteriores Francorum Reges ediderunt, confirmationem exhibet, atque admodum probabile est eam ab Alcuino impetratam sub initium suæ Præfecturæ. *Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum, omnibus Episcopis, Abbatibus, Virísque Illustribus, Ducibus, Comitibus, Domesticis, Grafionibus, Vicariis, Centenariis,* &c. *Venerabilis Vir Alchuinus Abba de Basilica peculiaris Patroni nostri Sancti Martini, ubi ipse pretiosus Dominus corpore requiescit, Immunitates Gloriosorum Regum Antecessorum nostrorum, manibus eorum roboratas, atque Domni genitoris nostri Pipini bona memoria quondam Regis nobis protulit relegendas, qualiter prædicti Reges, pro reverentia ipsius beatissimi Sancti Martini, in Regno, Deo propitio, nostro, Austria, Neustria, & Burgundia, Aquitania, & Provincia, de omnibus rebus & facultate ipsius beatissimi Sancti Martini, Praceptiones vel indulgentias seu Immunitates confirmaverunt.* Et inferiùs. *Suprascriptus Alchuinus Abba Serenitatem Regni nostri petiit, ut in id ipsum roborandum, bonitatis beneficium largiri deberemus. Cujus nos petitioni consentientes, & patrocinia Sancti Martini venerantes, sicut prædecessores Reges singulariter expleverunt, & nos hoc Indulgentia donum gratanter præstitisse cognoscite, id recipientes quippe, ut omnes res ipsius beatissimi Sancti Martini, quantumcunque in Regno, Deo propitio, nostro, tam in villas, & prædia majora vel modica, seu in omnes facultates beatissimi Sancti Martini, sub Emunitatis titulum consistere debeant, ut aliquis Judex publicus fisci nostri in jam dictas villas vel facultates ipsius Sancti, ad agendum, vel causas audiendum, seu freda vel inferendas exactandum, vel teloneum tollendum, seu mansiones faciendum, nec fidejussores tollendum, nullum ingressum nec introitum in ipsas villas Sancti Martini habere non præsumat, sed quicquid exinde ab antiquis temporibus fiscus noster tam præterito quàm ex præsente tempore accipere vel exoctare consueverat, omnia & ex omnibus ex fisco nostro reddimus, ut in luminaribus ipsius Sancti Martini, vel alimonia pauperum, seu stipendiis Monachorum proficiat in augmentum. Et nullam potestatem Judex pu-*

PRÆCEPTUM PRO MON. S. MARTINI.

blicus fisci nostri super prædictas villas vel facultates Sancti Martini per qualecunque ingenium idem habere cognoscat, sed ab omni fiscale potestate de prædictis rebus Sancti Martini semper extraneus atque remotus sit, & nec aliquas unquam occasiones inquirere, unde dispendium ad homines Sancti Martini facere debeat, sit ausus præsumere, sed inspecta Emmunitates anteriorum Regum vel Præceptio nostra in omnibus conserventur. &c.

Angilbertus ex Italia reversus fit Monachus Centulensis.

Angilbertus, qui de nuncio rebus secularibus remittendo sermones cum Alcuino jam inierat, ex Italia reversus à tam prudenti pióque consilio non recessit, Monachum enim statim induit in Centulensi Monasterio. Duos ex illicita Bertæ copula filios, unum anno priore, alterum hoc anno nuperrimè susceperat; Deum, quem pravis obsequendo voluptatibus graviter offenderat, laboriosâ diuturnâque pœnitentiâ placare statuit, egregio, quod imitarentur, relicto posteris exemplo. Hariulfus, quia Bertam Angilberto legitimè nuptam fingit, de Angilberti secessu in Cœnobium longè aliter scribit in ipsius Angilberti vita & in Chronico Centulensi. Textum utriusque operis examinabimus. In Angilberti vita hæc leguntur. *Regis gener effectus est, & ex toto sociatus copulæ nuptiali, duos filios Nitardum & Arnidum procreavit. Data est etiam illi maritima Franciæ magna pars in Ducatum, ut scilicet Regis gener honoris fastigio non careret.* Et inferiùs. *Vota Deus ex alto prospectans haud petitioni ipsius defuit. Nam cùm peractâ oratione à tumulo Sancti*, nempe Richarii, *recedens ad loca castrorum, velociter exercitum sequeretur, facta sunt cælitus fulgura, & voces, & tonitrua, & tanta vis imbrium, cum grandine terrifica, ut catervæ Danorum incredibili terrore concessæ solum vitæ refugium quærerent, & conscensis raptim ratibus à finibus Francorum effugere summo desiderio anhelarent. Itaque victoria cælestis effloruit, ut Francorum ne capillus quidem de capite perierit, Christo Domino auxilium ferente suo futuro militi Angilberto, auxilium etiam cæleste impetrante emerito probatóque Christi milite Richario. Danorum namque plurima multitudo mutuâ cæde & saltibus præcipitatis Deo vindice necata est. Tunc Angilbertus peractâ gratiarum actione ad sacrum corpus Beati Richarii, eventum cælestis victoriæ Regi denuntiavit Carolo. At ille coexultans & rerum novitate admodum stupefactus, nomen sanctum Domini frequenti voce benedixit. Hinc Angilbertus, memor votorum, Regiam Majestatem secretiùs alloquens, supplex exorat, ut ei facultatem largiatur, relictis seculi honoribus, Regi Christo militare, & emendatioris vitæ semitam arripere, quò per dignos pœnitentiæ fructus animæ damna valuisset reparare. His auditis Carolus, & ultrà quàm dici possit de tali voto pœnitentiæ lætior factus, sine mora potuit, & dilectissimum virum talia postulantem hortatur quantocyùs, ut quod ore voverat jam rebus perficeret. Sic nempe Angilbertus à Rege digrediens, Centulam revertitur, & contempto pompose dignitatis fastigio, primò omnium sponsam suam nobilissimam Bertam, sacro velamine consecratam, loco congruenti intra idem Cœnobium Centulense composuit, sacris vigiliis & devotis jejuniis divinísque canticis cum multo fervore assiduè insistentem. Quo peracto in cœtu Monachorum Angilbertus solo prosternitur, & perfusus lacrymis exorat humiliter, ut sacræ conversationis habitum accipere mereretur. Et quamvis multa illi reverentia à patribus hujus loci enixiùs impenderetur, tamen regulariter dilatus legitiméque probatus, veluti Regula exposcit, Monachi indumentum & verè humilitatem in Monasterio Centulo summa cum devotione suscepit.* &c. *Symphorianus Abbas eo tempore præfatum Cœnobium regulari tramite gubernabat, qui à suis antecessoribus traditam sibi cælestis vitæ arctam & angustam semitam virili incessu fortiter incedebat.* In Chronico Centulensi nulla de Danorum classe, nulla quoque de Bertæ secessu in Monasterium fit mentio, cetera verò sic enarrantur [a]. *Karolus moriente germano Monarchiam solus obtinuit. Cui Clarissimus Vir Angilbertus nobilitatis & sapientiæ merito extitit carissimus, adeò ut præ omnibus ei familiarissimus haberetur, quæ amicitia in tantùm convaluit, ut Regis filiam nomine Bertam in conjugium acciperet, de qua duos filios*

Scriptæ de illo fabulæ refelluntur.

[a] Lib. 2. c. 2.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

Harnidum & Nithardum genuit. Cui etiam, ad augmentum Palatini honoris, totius maritimæ terræ Ducatus commissus est. Erat eo tempore hoc Centulense Cœnobium à Sancto dudum Richario fundatum, à Monachis satis honestè Deo famulantibus hactenus inhabitatum, qui morum quidem divitiis plenam, sed rebus seculi non valdè locupletem vitam ducebant, non quòd eis prædiorum ac redituum seu villarum à Sancto Richario collata deesset copia, sed quòd omnes redhibitianum impensas in pauperum magis quàm in suas utilitates conferebant. Angilbertus itaque cùm accepto Ducatu Pontivum inviseret, à provincialibus audivit signa & prodigia virtutum, quæ Omnipotens Christus ad sepulchrum sui Sanctissimi Confessoris Richarii jugiter operabatur; quæ opera in corde ejus magnum huic loco amorem conciliaverunt; unde & exhibitio operis, quæ est probatio dilectionis, extemplò prosecuta est. Nam impetratâ ab Imperatore Karolo complendi voti licentiâ, simulque intimato cordis sui desideria, quo Sancti Richarii Ecclesiam reficere ambiebat, accepit ab eodem Rege cum omni favorabilitate benignam responsionem, solamen & adjutorium suum illi numquam defuturum spondentem. Aperiuntur illi jubente Rege thesauri ingentes, & quidquid vel quantùm vellet inde tollere rogatur, quò dilectissimi viri intentia diligentissimè compleretur. Ita post libata dulcis amicitiæ ascula, venerabilis Angilbertus Pontivum ac Centulam regreditur, & in Monasterio Sanctissimi Patris Richarii Monachi indumentum & verè humilitatem suscepit.

CXL. De Danorum appulsu in Franciam circa hunc annum nihil apud antiquos Annalistas legitur. Fictitia sunt igitur ea, quæ de gentis illius clade vel Hariulfus in Angilberti vita, vel ex Hariulfo Menardus, Malbrancus, aliíque recentiores commemorarunt. Menardus sic habet [a]. *Angilbertus provinciam sibi à Rege demandatam sapienter administrabat, sæpiúsque ad Cœnobium Centulense agri Pontivensis, qui suæ erat Præfecturæ, diversabatur, & ad sepulchrum Sancti Richarii prostratus assiduas preces effundebat. Intereà in gravem morbum incidit, & ad extrema deductus, nullâ spe salutis affulgente vovit Deo se Monasticam vitam amplexaturum, si ex morbo convalesceret; sicque, Deo opitulante, sanitatem recuperavit. Non tamen propositum statim exequi potuit Danorum bello prohibitus. Illi enim per ostia Sommonæ & Sequanæ se in fines Gallarum ingenti exercitu effuderant. Beatus Angilbertus provinciæ illius rector multis coactis copiis se barbarorum immanitati objecit. Antequàm manus cum hoste consereret, accessit ad tumulum Sancti Richarii, ibíque obvalutus, & in lacrymas solutus, Sancti Confessoris Christi opem efflagitavit, promittens se statim post victoriam vestem Monasticam induturum. Affuit suo famulo Sanctus Richarius. Nam in ipso conflictu magna vis imbrium, grandinis, & tonitruum, super hostes effusa, eos ad internecionem delevit. His ita feliciter peractis voti reus ad Cœnobium Centulense se contulit, & uxore Berthâ priùs velamine accepto in eodem Monasterio reclusâ, ipse in fratrum numerum adscriptus est.* Eadem fusiùs prosequitur Malbrancus libro quinto de Morinis, capite tricesimo-tertio, ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-primum, insigni prorsus mendo, quis enim Bertam, quæ duodecimum ætatis annum tunc agebat, duorum jam filiorum matrem credat? Sequitur alius apud eundem Auctorem anachronismus, ubi Rotlandus, quem anno Christi septingentesimo septuagesimo-octavo à Vasconibus apud Roscidam Vallem in prælio cæsum diximus, Angilberto sive Ingelberto Monasterium ingresso substituitur Archistrategus. Nec etiam capimus, cur ab eodem Malbranco is Archistrategi titulus, & rerum adversùs Hunnos aliósque complures hostes feliciter gestarum præcipua laus Angilberto deferatur, quem Palatinis hactenus officiis fungentem Regiæque voluntatis Secretarium novimus.

[a] Lib. 2. Observat. d. 18. Febr.

CXLI. Præcitati Scriptores, Hariulfus in Angilberti vita, Menardus in Observationibus ad eandem vitam, & Malbrancus libro quinto de Morinis, quia Bertam eidem Angilberto legitimè nuptam volunt, eam quoque

Monacham

Monacham in Monasterio Centulensi factam affirmant, rati pro illius seculi more duplex hoc fuisse Cœnobium, hinc virorum, inde fœminarum. Ab hac opinione non recedit Guillelmus Peyratus in Antiquitatibus Regiæ Capellæ [a]. Talia descripsimus Monasteria, prout occurrit occasio, sed Centulam hujusce generis extitisse nondum legimus. Eam ob causam Bollandus in Commentario [b], quem vitæ Sancti Angilberti præposuit [c], ad aliud genus Sanctimonialium sic recurrit. *Quædam olim sanctæ Virgines velo accepto non in aliarum convictu Sanctimonialium vitam agebant, neque seorsim in cellam inclusæ, sed in vicinia Monachilis cujuspiam Ecclesiæ Domicilio conducto, ad eam identidem ventitabant, sacris intererant, precibus assiduè lectionique ac sacris operibus vacabant. Ita ferè eodem, quo Bertha tempore, Sancta Hiltrudis Virgo juxta Monasterium Latiense, cui Guntardus frater praeras, habitasse, Ecclesiam assiduè adiisse, & fraternâ institutione ad omnem sanctitatem informata fuisse legitur.* In cælum migravit Hiltrudis anno Christi circiter septingentesimo octogesimo-qninto, nt ad illum annum [d] observavimus. Sermonem de Berta sic claudit Bollandus. *De hac autem Berta nil ultrà habemus compertum, quamdiu produxerit vitam, quem gradum perfectionis attigerit, ubi tumulata sit.* Berta, quicquid hi scribant Auctores, Angilberto nunqnam nupsit, eóque Monasterium ingresso, velum non accepit, sed in Regio comitatu cum sororibus ac noverca permansit. Eginhardum, cujus verba jam recitavimus, de Caroli filiabus loquentem, rursum audi. *Cùm pulcherrimæ essent, & ab eo plurimùm diligerentur, mirum quòd nullam earum cuiquam aut suorum aut exterorum nuptum dare voluit. Sed omnes secum usque ad obitum suum in domo sua retinuit, dicens se earum contubernio carere non posse. Ac propter hoc, licèt aliàs felix, adversæ fortunæ malignitatem expertus est. Quod tamen ita dissimulavit, ac si de eis nunquam alicujus probri suspicio orta vel dispersa fuisset.* Ex hoc Eginhardi textu duæ res patent. Berta sororésque, quandiu Carolus earum pater in vivis superstes fuit, in matrimonio non sunt collocatæ; déque eis orta dispersáque probri suspicio. Nunquam igitur Angilberto nupsit Berta, Regiæque proli maximo fuit probro, quòd eidem Angilberto duos filios ex illicita copula pepererit. Angilbertus, ut pœnitentiâ noxam dilneret, in Monasterium Centulense seu Sancti Richarii secessit. Reos adulationis eos arbitrare, qui Bertam eodem quoque tempore Monialibus accensent.

[a] Lib. 1. n 30.
[b] Num. 13.
[c] d. 15. Febr.
[d] Num. 105.

CXLII. Alcuino, qui tum vivebat, vetus Poëma, quod *de Karolo Magno & Leonis Papa ad eundem adventu* inscribitur, adjudicavit Henricus Canisius [e]. Leo Romanus Pontifex ad Carolnm anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono confugit. Erat Carolo tunc uxor Luidgardis; liberi decem qui suprà jam recensiti; Pippinus & Rothais ex Himiltrude; Carolus, alter Pippinus, Lndovicus, Roltrudis, Berta, Gisla, ex Hildegarde; Thedrada & Hildrudis ex Fastrada. Prædicti Poëmatis initio Carolus, famâ tumultûs contra Leonem Romæ concitati nondum cis Alpes transmissâ, fingitur indulgere venationi cum Luitgarde Regina, duobúsque filiis Carolo & altero Pippino, séxque filiabus proximè nominatis. Omittuntur duo duntaxat filii, Pippinus Senior, & Ludovicus, quorum ille Prumiensi latet inclusus Monasterio, hic procul à patris aula Regnum Aquitaniæ moderatur. Versus de sola proferemus Berta, qui certè Monialem non repræsentant. Sic igitur Alcuinus.

[e] Tom. 6. ant. Lect.

Virgineos intérque choros turbámque sequentem
Proxima Berta nitet multis sociata puellis,
Voce, virile animo, habitu, vultúque corusco,
Os, mores, oculos, imitantia pectora patris
Fert, caput aurato diademate cingitur almum,
Aurea se niveis commiscent fila capillis.
Lactea quippe ferunt preciosam colla murinam,

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUNOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

Ornatur vestis variis speciosa lapillis,
Ordine gemmarum numerosâ luce coruscat,
Bractea chrysolithis ornantur tegmina gemmis.

Angilbertus, ut pœnitentiæ commodiùs vacaret, Cœnobium expetiit Centulense, séque Symphoriani tunc Abbatis disciplinæ summisit. Illius reatum in eo quòd Presbyter uxorem sibi sociarit, Menardus his verbis ita constituit. *Quòd autem Sacerdos uxorem duxerit, in Monasterio hoc peccatum expiavit.* Angilbertum, priusquàm Monachus fieret, stupri reum vituperavimus, at negavimus Presbyterum per illud tempus extitisse.

CXLIII. Qualem autem in Monasterio posteà se gesserit, Auctor vitæ sic exponit.

CXLIV. *Jam verò nullus mortalium enarrare prævalet, quantâ austeritate suum deinceps corpusculum paverit; quas cruces, quave tormenta sibimet persequutor ingesserit. Jam non decorem vestium, non lectuli mollitiem, non cibi & potûs suavitatem aut satietatem sectatus est, nec somno largiùs indulsit, sed toto mentis animo sibimet quasi iratus præteritos errores magis lacrymarum fontibus diluebat, Orationibus & Psalmis noctis ac diei tempora præoccupans, lectionibus quoque crebris mentem reformans ad vigorem compunctionis, ut, juxta Prophetæ dictum, sacrificium Deo quotidie offerret, spiritum contribulatum. Hæc & his similia, quæ referre longissimum est, reverendus Heros perseveranter exequens, & seipsum Deo viventem, peccatis mortuum, cunctisque seculi vanitatibus mortificatum exhibens, meruit revocari in adoptionem filiorum, meruit vas effici idoneum in honorem, meruit audire auctione interiori, dimissum est peccatum tuum. Quia adhibito officio stercoris, id est, jugi memoriâ præcedente delicti, ficulnea hæc versa est in olivam fructiferam, quæ jam jámque plantaretur in domo Domini.*

MULTIS CLARET VIRTUTIBUS.

CXLV. A primo in Monasterium ingressu singularem in instauranda exornandâque Centula diligentiam operámque collocavit. In Chronico Centulensi [*], quod nuperrimè citavimus, Carolo Regi desiderium aperit, quo cupit *Sancti Richarii Ecclesiam reficere*, statimque *aperiuntur illi, jubente Rege, thesauri ingentes, & quidquid vel quantùm vellet inde tollere rogatur.* In eodem Chronico extat Charta *de perfectione & dedicatione Centulensis Ecclesiæ*, quam ipsemet Angilbertus scripsit, at multò seriùs, cùm Carolus Imperator & Augustus jam proclamatus esset. Angilberti Monachatus statui non potest ante hunc annum, quo Romam profectus est adhuc laicus. Eandémque sententiam confirmat ætas Bertæ, quæ nata est vel exeunte anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono vel ineunte septingentesimo octogesimo, duósque filios Angilberto nondum Monacho peperit.

INSTAURAT CENTULAM.

Cùm autem à suscepto Angilberti Monachatu ad Centulensis Ecclesiæ dedicationem vix aliquot menses præter biennium effluxerint, mirari certè subit tam brevi temporis spatio tantam ædificiorum molem constructam fuisse. Strenuè promoverunt hoc opus Rex Carolus & Angilbertus cùm Monachus tum Abbas. Utriusque curam ac sollicitudinem non parum commendat Hariulfus libro secundo Chronici Centulensis.

[*] Lib. 2. c. 2.

CXLVI. Capite secundo, Angilbertus adhuc laicus *impetratâ ab Imperatore Karolo complendi voti, sive expetendi Monasterii, licentiâ, simúlque intimato cordis sui desiderio, quo Sancti Richarii Ecclesiam reficere ambiebat, accepit ab eodem Rege cum omni favorabilitate benignam responsionem, solamen & adjutorium suum illi nunquam defuturum spondentem. Aperiuntur illi, jubente Rege, thesauri ingentes; & quidquid vel quantùm vellet, inde tollere rogatur, quò dilectissimi viri intentio diligentissimè compleretur.* Et capite sequenti, *Piissimus Rex Karolus ex suis, ut dictum est, thesauris tantam & tam immensam eidem* Angilberto *delegavit pecuniam, ut ad omne opus necessarium mercede abundante antè deficeret qui* [*] *operaretur, & quod operaretur, quàm unde operarius remuneraretur.* Rursum capite secundo, *artifices doctissimos ligni & lapidis, vitri & marmoris, Angilberto dirigit Regia potestas. Exinde quia tam pro amore Sancti Richarii, quàm pro dilecto suo Angilberto, Centulense Monasterium omni*

[*] quis

honorificentiâ attollere cupiebat, direxit vehicula fortia & multa in urbem Romam, ut marmor & columnæ ad ornatum jam dictæ Ecclesiæ deferrentur: nec hoc contentus dirigit legatos per Regna & civitates, jubens subditis, rogans à non subditis, ut sibi mittant Reliquias de Sanctis, quos diversa loca habebant. Hæc Auctor de Carolo, quem promiscuè Regem & Imperatorem vocat. AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PEPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

CXLVII. Capite tertio [a], *Angilbertus Dei fretus auxilio & Domni Karoli assensu & largitate omnimodâ, primò dejiciens illud antiquum à Sancto Richario locatum Templum, magnâ & insigni prudentiâ novi fundamenta confecit: ob hoc autem vetustum deposuit, quia Sancti Richarii venerabile corpus ibidem tumulo tenebatur, & voti ejus erat super sancta ejus membra componere elegantem Basilicam.* &c. *Multo igitur apparatu, summâque diligentiâ, ac eximia decore, inchoatum est construi Monasterium, atque in honore Salvatoris Sanctique Richarii fulgentissima Ecclesia, omnibúsque illius temporis Ecclesiis præstantissima, perfecta est. Hæc ab Oriente habet ingentem turrem post cancellum, & interposito vestibulo alia turris versus Occidentem habetur priori æqualis: illa autem, quæ ad Orientem vergit, prope locum sita est, quo Sanctus Richarius sepulturam habuit. Sepulturæ verò ipsa ita posita est, ut à parte pedum, ipsius Sancti altare sit in loco editiori; & à parte capitis, Sancti Petri Apostoli ara persistat. Turris ergo Orientalis cum cancello & butico Sancto Richario dicata est, & turris Occidentalis in honore Sancti Salvatoris specialiter dicata est.* &c. *Enimverò quia antiqua illa Sancti Richarii Ecclesia in honore Sanctæ Mariæ fuerat consecrata, ne videretur venerabilis vir Dei matrem exhonorasse, alteram ei construxit, quæ citra fluviolum Scarduonem hactenus consistit. Sancto quoque Benedicto Abbati unam exstruxit, quam super ripam jamdicti fluvioli collocavit. Si igitur situs loci discernatur, animadvertitur major Ecclesia, quæ Sancti Richarii est, Aquilonem tenere; secunda inferior, quæ in honore nostræ Dominæ Sanctæ Mariæ citra fluviolum Scarduonem sita est, Austrum; tertia, quæ minima est, Orientem. Claustrum verò Monachorum triangulum factum est, videlicet à Sancto Richario usque ad Sanctam Mariam rectus unus; à Sancta Maria usque ad Sanctum Benedictum rectus unus; itémque à Sancto Benedicto usque ad Sanctum Richarium rectus unus. Sícque fit, ut dum hinc inde parietes sibi invicem concurrunt, medium spatium sub dio triangulum habeatur. Monasterium igitur, secundùm decretum Regulæ Sanctissimi Benedicti, ita dispositum fuit, ut omnis ars omnéque opus necessarium intra loci ambitum exerceretur. Aqua autem torrentis Scarduonis ipsum Claustrum præterfluit, quæ & ibi farinarium fratrum in vertiginem mittit.* Scarduo * dexteram Somonæ ripam subit. Hæc de situ & ædificiis Monasterii. Sequitur apud Hariulfum Centulensis Ecclesiæ Dedicatio, de qua sermonem suo loco faciemus.

[a] In edit. malè VII.

* Cardon.

CXLVIII. Hoc anno Carolus, ut dictum suprà, Pippinum filium post debellatos Hunnos ad se venientem maxima cum lætitia suscepit. Paulò pòst incidit in morbum, de quo certior factus Alcuinus has ei statim literas [b] direxit. *Domine mi dilectissime, & dulcissime, & omnium desiderantissime, mi David, tristis est Flaccus vester propter infirmitatem vestram. Opto, & tota corde Deum deprecor, ut citò convaleatis, ut gaudium nostrum sit plenum in vobis, & sanitas vestra sit plena animâ & corpore. Domine mi, memor sit pietas vestra captivorum, dum est Pippinus tuus tecum, propter gratiarum actiones mirabilis beneficii, quod vobiscum de Hunis divina fecit clementia, & propter prosperitatem imminentium rerum, ut clementissima illius potentia omnes adversarios sui sancti nominis vestris velociter subjiciat pedibus, sed & de peccantibus in vos, si fieri possit, & vestræ videatur providentia, aliqua de aliquibus fiat indulgentia & remissio. Tamen propter incognitas illorum causas cautiùs de his loquor. Vos enim ipsi optimè scitis quod utile est Regno vobis à Deo dato, & paci Sanctæ Dei Ecclesiæ proficuum. Facientes faciatis in omnibus voluntatem Dei, quatenus illius sanctissima gratia vos proficientes ubique protegat, regat, & custodiat, Domine, & dulcissime, & desiderantissime.*

[b] Ep. 90.

ALCUINI LITERÆ AD CAROLUM ÆGROTANTEM.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

Ornatur vestis variis speciosa lapillis,
Ordine gemmarum numerosâ luce coruscat,
Bractea chrysolithis ornantur tegmina gemmis.

Angilbertus, ut pœnitentiæ commodiùs vacaret, Cœnobium expetiit Centulense, seque Symphoriani tunc Abbatis disciplinæ summisit. Illius reatum in eo quòd Presbyter uxorem sibi sociarit, Menardus his verbis ita constituit. *Quòd autem Sacerdos uxorem duxerit, in Monasterio hoc peccatum expiavit.* Angilbertum, priusquàm Monachus fieret, stupri reum vituperavimus, at negavimus Presbyterum per illud tempus extitisse.

CXLIII. Qalem autem in Monasterio posteà se gesserit, Auctor vitæ sic exponit.

CXLIV. *Jam verò nullus mortalium enarrare prævalet, quantâ austeritate suum deinceps corpusculum paverit; quas cruces, quæve tormenta sibimet persequutor ingesserit. Jam non decorem vestium, non lectuli mollitiem, non cibi & potûs suavitatem aut satietatem sectatus est, nec somno largiùs indulsit, sed toto mentis animo sibimet quasi iratus præteritos errores magis lacrymarum fontibus diluebat, Orationibus & Psalmis noctis ac diei tempora præoccupans, lectionibus quoque crebris mentem reformans ad vigorem compunctionis, ut, juxta Prophetæ dictum, sacrificium Deo quotidie offerret, spiritum contribulatum. Hæc & his similia, quæ referre longissimum est, reverendus Heros perseveranter exequens, & seipsum Deo viventem, peccatis mortuum, cunctísque seculi vanitatibus mortificatum exhibens, meruit revocari in adoptionem filiorum, meruit vas effici idoneum in honorem, meruit audire unctione interiori, dimissum est peccatum tuum. Quia adhibito officio stercoris, id est, jugi memoriâ præcedente delicti, ficulnea hæc versa est in olivam fructiferam, quæ jam jámque plantaretur in domo Domini.*

MULTIS CLARET VIRTUTIBUS.

CXLV. A primo in Monasterium ingressu singulatem in instauranda exornandâque Centula diligentiam operámque collocavit. In Chronico Centulensi [a], quod nuperrimè citavimus, Carolo Regi desiderium aperit, quo cupit *Sancti Richarii Ecclesiam reficere*, statímque *aperiuntur illi, jubente Rege, thesauri ingentes, & quidquid vel quantùm vellet inde tollere rogatur.* In eodem Chronico extat Charta *de perfectione & dedicatione Centulensis Ecclesiæ*, quam ipsemet Angilbertus scripsit, at multò seriùs, cùm Carolus Imperator & Augustus jam proclamatus esset. Angilberti Monachatus statui non potest ante hunc annum, quo Romam profectus est adhuc laicus. Eandémque sententiam confirmat ætas Bertæ, quæ nata est vel exeunte anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono vel ineunte septingentesimo octogesimo, duósque filios Angilberto nondum Monacho pepetit. Cùm autem à suscepto Angilberti Monachatu ad Centulensis Ecclesiæ dedicationem vix aliquot menses præter biennium effluxerint, mirari certè subit tam brevi temporis spatio tantam ædificiorum molem constructam fuisse. Strenuè promoverunt hoc opus Rex Carolus & Angilbertus cùm Monachus tum Abbas. Utriusque curam ac sollicitudinem non parum commendat Hariulfus libro secundo Chronici Centulensis.

[a] Lib 2. c. 2.

INSTAURAT CENTULAM.

CXLVI. Capite secundo, Angilbertus adhuc laicus *impetratâ ab Imperatore Karolo complendi voti*, sive expetendi Monasterii, *licentiâ, simúlque intimato cordis sui desiderio, quo Sancti Richarii Ecclesiam reficere ambiebat, accepit ab eodem Rege cum omni favorabilitate benignam responsionem, solamen & adjutorium suum illi nunquam defuturum spondentem. Aperiuntur illi, jubente Rege, thesauri ingentes; & quidquid vel quantùm vellet, inde tollere rogatur, quò dilectissimi viri intentio diligentissimè compleretur.* Et capite sequenti, *Piissimus Rex Karolus ex suis, ut dictum est, thesauris tantam & tam immensam eidem* Angilberto *delegavit pecuniam, ut ad omne opus necessarium mercede abundante. antè deficeret qui * operaretur, & quod operaretur, quàm unde operarius remuneraretur.* Rursum capite secundo, *artifices doctissimos ligni & lapidis, vitri & marmoris, Angilberto dirigit Regia potestas. Exinde quia tam pro amore Sancti Richarii, quàm pro dilecto suo Angilberto, Centulense Monasterium omni*

* quia

honorificentiâ attollere cupiebat, direxit vehicula fortia & multa in urbem Romam, ut marmor & columna ad ornatum jam dicta Ecclesia deferrentur: nec hoc contentus dirigit legatos per Regna & civitates, jubens subditis, rogans à non subditis, ut sibi mittant Reliquias de Sanctis, quos diversa loca habebant. Hæc Auctor de Carolo, quem promiscuè Regem & Imperatorem vocat.

CXLVII. Capite tertio [a], *Angilbertus Dei fretus auxilio & Domni Karoli assensu & largitate omnimodâ, primò dejiciens illud antiquum à Sancto Richario locatum Templum, magnâ & insigni prudentiâ novi fundamenta conjecit: ob hoc autem vetustum deposuit, quia Sancti Richarii venerabile corpus ibidem tumulo tenebatur, & voti ejus erat super sancta ejus membra componere elegantem Basilicam.* &c. *Multo igitur apparatu, summâque diligentiâ, ac eximio decore, inchoatum est construi Monasterium, atque in honore Salvatoris Sanctique Richarii fulgentissima Ecclesia, omnibúsque illius temporis Ecclesiis præstantissima, perfecta est. Hæc ab Oriente habet ingentem turrem post cancellum, & interposito vestibulo alia turris versus Occidentem habetur priori æqualis: illa autem, quæ ad Orientem vergit, prope locum sita est, quo Sanctus Richarius sepulturam habuit. Sepultura verò ipsa ita posita est, ut à parte pedum, ipsius Sancti altare sit in loco editiori; & à parte capitis, Sancti Petri Apostoli ara persistat. Turris ergo Orientalis cum cancello & butico Sancto Richario dicata est, & turris Occidentalis in honore Sancti Salvatoris specialiter dicata est.* &c. *Enimverò quia antiqua illa Sancti Richarii Ecclesia in honore Sanctæ Mariæ fuerat consecrata, ne videretur venerabilis vir Dei matrem exhonorasse, alteram ei construxit, quæ citra fluviolum Scarduonem hactenus consistit. Sancto quoque Benedicto Abbati unam exstruxit, quam super ripam jamdicti fluvioli collocavit. Si igitur situs loci discernatur, animadvertitur major Ecclesia, quæ Sancti Richarii est, Aquilonem tenere; secunda inferior, quæ in honore nostræ Dominæ Sanctæ Mariæ citra fluviolum Scarduonem sita est, Austrum; tertia, quæ minima est, Orientem. Claustrum verò Monachorum triangulum factum est, videlicet à Sancto Richario usque ad Sanctam Mariam rectus unus; à Sancta Maria usque ad Sanctum Benedictum rectus unus; itémque à Sancto Benedicto usque ad Sanctum Richarium rectus unus. Sícque fit, ut dum hinc inde parietes sibi invicem concurrunt, medium spatium sub dio triangulum habeatur. Monasterium igitur, secundùm decretum Regulæ Sanctissimi Benedicti, ita dispositum fuit, ut omnis ars omnéque opus necessarium intra loci ambitum exerceretur. Aqua autem torrentis Scarduonis ipsum Claustrum præterfluit, quæ & ibi farinarium fratrum in vertiginem mittit.* Scarduo * dexteram Somonæ ripam subit. Hæc de situ & ædificiis Monasterii. Sequitur apud Hariulfum Centulensis Ecclesiæ Dedicatio, de qua sermonem suo loco faciemus.

[a] Inedit. malè VII.

* Cardon.

CXLVIII. Hoc anno Carolus, ut dictum suprà, Pippinum filium post debellatos Hunnos ad se venientem maxima cum lætitia suscepit. Paulò pòst incidit in morbum, de quo certior factus Alcuinus has ei statim literas [b] direxit. *Domine mi dilectissime, & dulcissime, & omnium desiderantissime, mi David, tristis est Flaccus vester propter infirmitatem vestram. Opto, & toto corde Deum deprecor, ut citò convaleatis, ut gaudium nostrum sit plenum in vobis, & sanitas vestra sit plena animâ & corpore. Domine mi, memor sit pietas vestra captivorum, dum est Pippinus tuus tecum, propter gratiarum actiones mirabilis beneficii, quod vobiscum de Hunis divina fecit clementia, & propter prosperitatem imminentium rerum, ut clementissima illius potentia omnes adversarios sui sancti nominis vestris velociter subjiciat pedibus, sed & de peccantibus in vos, si fieri possit, & vestra videatur providentia, aliqua de aliquibus fiat indulgentia & remissio. Tamen propter incognitas illorum causas cautiùs de his loquor. Vos enim ipsi optimè scitis quod utile est Regno vobis à Deo dato, & paci Sanctæ Dei Ecclesiæ proficuum. Facientes faciatis in omnibus voluntatem Dei, quatenus illius sanctissima gratia vos proficientes ubique protegat, regat, & custodiat, Domine, & dulcissime, & desiderantissime.*

[b] Ep. 90.

ALCUINI LITERÆ AD CAROLUM ÆGROTANTEM.

AN. CH. 796.
CAROLI R. 28.
PIPPINI LUDOV. R R. 16.
CAROLI R. 8.

Gratissimæ Carolo fuerunt hæ literæ, nam postulatis annuit, & redemptioni captivorum consensit, ut aliarum ad Pippinum literarum [a] hoc testatur exordium. *Gratias agimus benivolentiæ tuæ, simul & pietati Domni Regis, qui piè consentit petitioni redemptionis captivorum. Scio vos in talibus pietatis operibus promereri benedictionem, & longævam Regni prosperitatem adipisci. Et tu, Excellentissime juvenis, nobilitatem generationis morum nobilitate adornare studeas.* Ingressus erat Pippinus annum ætatis vicesimum, uxorem jam duxerat, ut patet ex iisdem literis, in quibus illum quoque sic alloquitur Alcuinus. *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ, & non sint alienæ participes tui.*

CXLIX. Abundant hæ literæ præceptis, quæ & auctore Alcuino & lectore Pippino dignissima sunt. In administrando Regno Pippinus Adelhardi Corbeïensis Abbatis consilio potissimùm utebatur. Adelhardus, ut suo loco dictum est, anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio Monachum induit in Cœnobio Corbeiensi sub Abbatis Nordranni disciplina. Post multos annos eidem Nordranno propter senium sponte Monasterii regimen abdicanti successit. Deinde à Carolo missus est in Italiam, *ut Pippino juniori ad regendum magistraret, & ad stateram justitiæ Regnum Italicum informaret.* Idque adeò feliciter præstitit, ut apud Leonem Papam maxima deinceps in existimatione fuerit. Vitæ Scriptores apud Bollandum [b] consule.

[a] Ep. 91. AD PIPPINUM E PANNONIA REVERSUM.
ADELHARDUS ABBAS CORBEÏENS.
[b] D. 2. Jan.

CL. In Commentario, quem Henschenius [c] vitæ Sancti Ludgeri præfixit, mentio trium fit Donationum, quæ eidem Ludgero factæ sunt hoc anno, Caroli Regis duodetricesimo, una sexto Kalendas Martias, altera pridie Kalendas Apriles, tertia octavo Idus Junias.

[c] D 26. Mart.
LUDGERUS MULTIS DITATUR DONATIONIBUS.

CLI. Auctor primæ Heinricus, qui sic in ipsa Donationis Charta loquitur. *Tradidi ad Reliquias Sancti Salvatoris & Sanctæ Mariæ semper Virginis, & in manus Liudgeri Presbyteri, qui easdem Reliquias procuravit, particulam hæreditatis & proprii laboris, id est, totam comprehensionem in sylva, quæ dicitur Heissi in Aquilonari ripa fluvii Rura, quam ibi dudum comprehendi, inter montem & ipsum fluvium communionémque in eandem sylvam. Simili modo tradidi & piscationem in Rura cum pascuis, perviis, aquarúmque decursibus, quæ illuc attinent, & in ipso loco excoli possunt & perfici. Acta est autem publicè anno* XXVIII *Regni Domni nostri Religiosissimi Regis Carli*, VI *Kal. Martias in villa quæ dicitur Hlopanheldi.* Subscripserunt, Heinricus, Hriasthruda conjux, Heribaldus & Æericus filii.

CLII. Alterius auctor est Theganbaldus. *Ego Theganbaldus, filius quondam Hrebaldi, tradidi partem hæreditatis meæ Liudgero Abbati in villa, quæ dicitur Fisclacu, juxta ripam fluvii Rura, id est, illam hovam integram Alfgating-hova, cum pascuis & perviis & aquarum decursibus, & scara in sylva, juxta formam hovæ plena. Hæc omnia tradidi, sicut superius dixi, in eleemosynam meam & conjugis meæ Regintrunda, Liudgero Abbati* &c. *Acta est autem publicè, anno* XXVIII *Regni Domni nostri Religiosissimi Regis Carli*, II *Kal. April. in loco, qui dicitur Ad Crucem, in pago Nivanheim, in ripa fluvii Arnapa. Et confirmata est per manum Berngeri nepotis mei, cui ego ipse potestatem dedi ad hoc in villa superiùs denominata, id est, in Fisclacu, ubi eadem hova jacet.* Inter testium nomina primo loco est *signum Berngeri, qui hoc Testamentum acceptâ potestate à Theganbaldo & perfecit & propriâ manu firmavit.* Ludgerus in hac Charta, ut & in aliis quamplurimis, de quibus ad annos proximè sequentes acturi sumus, Abbas vocatur. Novus hic titulus Verthinam, anteà licèt emptam, hoc anno à Monachis, quibus Ludgerus Abbas præfuit, incoli cœptam docet.

CLIII. Cùm Titulus Abbatis ante hunc annum Ludgero nullibi tribuatur, Monasterii Wetshinensis originem altiùs repetere non licet. Ludgerus ab anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo, quo venerandum Sanctarum Reliquiarum thesaurum ex Italia retulit, inter alias occupationes cogitationem ædificandi Cœnobii semper fovit. Id ex Actis, quæ Browe-

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

rus è Codice Fuldensi publicavit, apertè sic ediscitur. *Monasterium, quod in honore Sanctarum Reliquiarum, quas ab Apostolico acceperat, olim construere decrevit, ubi posset construi, agnitâ maritimarum regionum futurâ desolatione, sollicitè requirebat. Duo autem loca construendis apta Monasteriis videbantur; unus in Withmundi, juxta fluvium Isla; alter qui ad Cruces dicitur, secus fluvium Arnapa. Sed divinæ præscientiæ voluntatem super his demonstrari sibi devotis jejuniis & orationibus deposcebat. Unde dum ad locum, quem juxta amnem Arnapa eum elegisse diximus, hyemis tempore veniret, Crucem ligneam jussit eo in loco erigi. Et ipse solus coram Sancta Cruce in nive maxima, duri frigoris & longa noctis patiens, prolixas usque lucem in oratione duxit vigilias. Proinde divinâ revelatione Monasterium ibi esse non posse cognovit, sed locum in saltu quodam juxta fluvium Rura, fundando Monasterio ex Deo fore præscitum. Quapropter dum suæ via comitibus, quæ divinitus cognoverat, referret, ad promissum à Deo locum properavit, & cum possessore ejus locutus, locum illum datâ terrâ aliâ comparavit. Post hæc autem, cùm ab occupationibus variis liberior factus, tempus huic vacationi aptum invenire potuit, assumptis secum, quos huic operi necessarios scivit, ad ipsum denuò locum profectus est.*

CONDIT WERTHINAM MON.

· Locorum adeò diversotum situm accipe. Villa, cui nomen inditum CLIV.
Withmundi, sita est in pago Hisloæ ad Islam sive Isalam * fluvium, & ab urbe Zutphaniensi * distat unâ duntaxat leucâ. Locus *ad Crucem* vel *ad Cruces* dictus prope Novesium * ad amnem Arnapam *, qui sinistram Rheni ripam subit. Werthina seu Werdina * Ruræ adsidet. Est autem duplex Rura; is de quo loquimur, ad Rutortam * in dexteram Rheni ripam, alter ad Ruræmundam * in dexteram Mosæ ripam egetitur. Ad illa diversa loca variæ spectant emptiones & Donationes, quas suprà commemoravimus. Ad primum spectat Donatio, quæ consignatur anno Christi septingentesimo nonagesimo-quarto; ad alterum spectat emptio, quæ facta est anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio, necnon Donatio quæ facta est anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto; ad tertium spectant Donationes, quæ concessæ sunt hoc anno, sexto Kalendas Martias & pridie Kalendas Apriles. Ex hac autem observatione colligimus Ludgerum, ut volnntatem Dei cognoscere mereretur, jejuniis & orationibus vacasse in hyeme quæ hunc annum aperuit, & agnitâ Dei voluntate statim erigendo Monasterio se accinxisse, nec sine miraculo, quod è Codice Fuldensi sic descriptum est à Browero. *Erat ibi sartulum * quoddam arborum opacum, & sylvarum densitate undique conclusum; ibi fixis tentoriis mane primo arbores diruere, & locum ponendis ædificiis expurgare, si qua facultas daretur, disponebant. Quod tamen illis fieri posse omnino impossibile videbatur. Unde & beatum virum à sua intentione penitus revocare studentes dixerunt, incredibile prorsus videri, illum unquam locum habitabilem fieri posse, quoniam arborum densitate & ramorum obductione cælum quoque ipsum absconderetur. At ille spem suam in Domino ponens, quæ sunt hominibus, inquit, impossibilia, Deo possibilia sunt. Ita nocte ingruente, cùm temperiùs* seu matutiùs *ad Vigilias nocturnales surrexissent, post peractum Officium se cubitum denuò receperunt. Cúmque jam omnes dormire putaret, silenter exsurrexit, & tentorium egressus paullulùm orationis gratiâ secessit. Sed quia quidam ex ejus contubernio Clericus, nomine Thiadbald, eâdem horâ vigilavit, ipsum confestim foras exeuntem secutus est. Quod mox vir Dei cognovit, & paullisper quasi pro hora inspectione substitit. Deinde tabernaculum ingressus, eum rursus obdormientem præstolari cæpit. Quod cùm fieri putaret, rursus exiit. Sed eundem iterum Clericus, quem diximus, pedetentim subsecutus est. Ita secundâ quoque vice, oratione ejus interceptâ, Clericum stratum suum repetere, nec ante lucem surgere præcepit. Ipse quoque, ut ejus curiositatem eluderet, sese cubitum recepit. Cúmque aliquamdiu expectaret, & jam neminem vigilare suspicaretur, tertiò exsurrexit, & egressus sub quadam se arbore in orationem projecit. Verùm cùm memoratus Clericus*

* l'Yssel. * Zutphen. * Nuys. * l'Erpe. * Werden. * Roerort. * Ruremonde. * sarculum

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

eum contra auctoritatis suæ Præceptum sequi non auderet, & omnino, quod agere vellet, explorare intenderet, papilione juxta lectum suum elevato, in oratione positum vidit. Erat enim nox, Lunâ & Stellis lucentibus admodum clara. Cumque diutissimè orasset, & se per spiritum auditum à Deo cognovisset, tentorium cunctu, ut putabat, ignorantibus repetivit. Mutata illicò cœli, quæ tunc erat, serenitas, obscurata Luna, obducta astra, & ventis hinc inde exsurgentibus tempestas nimia subsecuta est. Cadebant annosa circumquaque arbusta, & cum magno licèt omnium timore, ipsa elementa famulo Dei militabant. Nam cùm diluculo exsurrexissent, videbant sylvam hinc inde erutam fundando Monasterium locum satis amplum dedisse, & arbores passim jacentes sufficientem lignorum ad ædificationem copiam præbuisse. Rari quique frutices, & arbusculæ minores derelictæ sunt, quæ ab operariis facilè vel extirpari vel præcidi valerent. Unde Sanctus Ludgerus cùm die jam clarâ suos reliquo operi instare hortaretur, eos percunctari gratulabundus cœpit, ánne adhuc cælum se ex illo loco crederent conspecturos? Mane ex arboribus, quas intra spatium fundandi Monasterii corruisse diximus, una solùm non diruta remansit, sub qua eâdem nocte vir Dei oravit. Sub hac, sellulâ jam luce clarâ positâ, suos ad operandum hortabatur. Sub hujus textûs initium Browerus habet *sarculum*, cujus loco sartulum reposuimus, sic enim genuinâ notatione scribendum jam censuit Henschenius, quia Surius vertit *nemus*, & sartulum erit diminutivum à *sart* Teutonica voce, Germanis superioribus *hart* pronunciata, quo significatur non simpliciter sylva, sed sylva præ fructicum densitate penè impervia, qualis hic locus describitur.

CLV. Wernherus *Tesschenmaker* Werthinam collocat *in solitudine inter duos montes Wredenbergh & Aldenberg, in loco ob Rura præterlabentis aliorúmque limpidissimorum fontium amœnitatem amabili.* Et Vates Werthinensis in Poëmate rythmico sic habet.

Est in confinio amborúmve termino
Ab isthinc Francorum, abhinc Westphalorum,
Locus, quà veniens Rura & præteriens,
Viâ non jam multâ Rheno est assumpta.
Hunc locum, montium sylva, venæ fontium,
Frondibus jucundant, rivulis inundant.
Quem quasi medius irrigat fluviolus,
Werthina vocatus, desuper notatus.
Et in circuitu ejus quodam ambitu,
Spectant eum montes, intrant vivi fontes:
Quasi sublimitas agat, quòd profunditas
In subjecta valle constet pulchra valdè.
Cui fert & Oriens uno rivo inferens
Austro emergentes tres æternos fontes.
Et horum nomina fontium in Werthina
Non sunt nisi unum liquidum & purum.

CLVI. In votis id habebat præcipuè Ludgerus, ut Monasterium construeret *in honore Sanctarum Reliquiarum, quas ab Apostolico*, id est, ab Adriano Papa quondam *acceperat.* Illæ Reliquiæ in Codice Fuldensi sic enumerantur. *De sacro Dominici Corporis cruore in cruce. De virginali Dei Genitricis Mariæ lacte. De Sancto Joanne Baptista. De Sanctis Apostolis Petro & Paulo, aliorúmque plurium Apostolorum. Et de Sancto Stephano Proto-Martyre, Laurentio Martyre, Martino Confessore & Pontifice, déque Sancta Felicitate & filiis ejus Martyribus.* Omnes hasce Reliquias in Werthinensi Monasterio, quod hoc anno in Coloniensi Diœcesi construxit, à Ludgero collocatas ne putes, partem enim alibi repositam ex actis variarum Donationum ostendemus infrà. Werthinenses Monachi, quibus Liudgerus hoc eodem anno cum Abbatis titulo præesse cœpit, unam è tribus constituerunt plebibus, quas per totidem acervos

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

in somnio designatas, & sub Pastorali cura ejusdem Liudgeri futuras prædixerat Marchelmus Presbyter, ut ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-octavum notavimus. Aliarum plebium unam componunt incolæ Mimigardevordensis Episcopatûs, cujus administrationem Liudgerus anno Redemptoris octingentesimo secundo suscepit; alteram Lotusenses Canonici, quorum etiam regimini paulò pòst admotus est idem Liudgerus, ut ad illum annum probaturi sumus. Vtrùm interpretationem somnii Marchelmus ex toto, an ex parte tantùm completam viderit, haud produnt antiqua monumenta. Super illius ætate sic ratiocinari licet. Anno Christi septingentesimo vicesimo-tertio Gregorius, qui Diœcesim Ultrajectinam posteà gubernavit, annum ætatis suæ decimum-sextum agebat, eratque paulò senior Marchelmo. Longè major igitur octogenario vixit Marchelmus, si vel primam somnii partem completam, id est, unam è tribus plebibus, quas acervi totidem per somnium significarant, Liudgero tanquam Pastori suo summissam audivit. Quonam anno vitam terminarit, manet incompertum. Diutissimè laboravit in convertendis ad Christum gentibus, quæ trans Isalam sitæ sunt, obiit grandævus, sepultúsque fuit apud Oldesaliam*, deinde Daventriam translatus. Ejus memoria sub Marcellini nomine sic recolitur in Tabulis Ecclesiasticis pridie Idus Julii. *Daventriæ in Belgis, Sancti Marcellini Presbyteri & Confessoris.*

ÆTAS ET OBITUS MARCHELMI PRESBYTERI.

* *Oldenzeel.*

CLVII. DONATIO FACTA MON. WERTHIN.

Liudgerus, Hredgaeri sive Hredgeri filius, à quo Donationem ante triennium factam diximus, hoc quoque anno Donationem fecit, atque hunc in modum laudavit. *Tradidi ad Reliquias Sancti Salvatoris & Sanctæ Mariæ semper Virginis, & in manus Liudgeri Presbyteri, qui easdem Reliquias procurabat, portionem hæreditatis meæ, id est, omne quod jure hæreditario legibus obvenit in villa, quæ dicitur Bidningahem, & in alia quæ nuncupatur Thornspic, in terra aratoria, sive in pratis & in pascuis, & in omnem communionem mecum in sylvam, quæ dicitur in Suisturbant, exceptâ unâ particulâ, in illa prata, quæ dicitur Blidgeringmad, quam mihi reservavi pro necessitatibus meis. Cetera autem omnia tradidi ad Reliquias superiùs denominatas, & in manus jam dicti Presbyteri. Acta est autem publicè in loco, qui dicitur Ad os amnis, anno* XXVIII *Regni Domni nostri Religiosissimi Regis Carli sub die* VIII *Idus Junias.* In hac Charta Ludgerus bis vocatur Presbyter, Abbas nequaquam. Videtur tamen Abbas jam dictus incboato Werthinæ Monasterio, Abbas enim appellatur in Donatione hoc eodem anno facta pridie Kalendas Aprilis, ut observatum suprà.

CLVIII. EPISCOPI VENETENSES.

Blinlivetus Episcopus, cùm Venetensem Ecclesiam biennio rexisset, hoc anno vitam clausit. Ei successit Auriscandus, cui triennium in Episcopatu tribuit Albertus de Monte Relaxo in Armorica Sancta.

CLIX. ABBATES FLAVINIAC. REOMAENSES.

Zacho Flaviniacensis Abbas obiit etiam hoc anno, cùm Monasterium annis quatuor administrasset. Successit Alduinus. Lege Hugonem Flaviniacensem in Chronico Virodunensi. Tunc Reomaensi Cœnobio præerat Heirardus. Temporibus enim Caroli Magni, Reomaenses Abbates hoc ordine recensentur, Valdo, Heirardus, Cammundus, & Apollinaris. Qui Præfecturam Monasterii Reomaensis anno Christi septingentesimo quinquagesimo-primo suscepit Valdo, superstes in vivis erat anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio. Solum Heirardi superest nomen, ut & Cammundi, cujus successor Apollinaris non alius est ab Apollinare, qui post Alduinum Flaviniacensis etiam Abbas fuit, ut ad annum Redemptoris octingentesimum tertium probaturi sumus.

CLX. THEODEMAR ABB. CASIN. OBIT.

Obiit & hoc anno Nonis Junii Theodemar Abbas Casinensis, qui Potoni in Abbatiale munus anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo successerat. *Theodemar*, inquit Leo Chronographus Casinensis [a], *duodecimo loco à Beato Benedicto Abbatiam sortitus, sedit annis* XVIIII. Et inferiùs [b]. *Præfatus autem Abbas Theodemar defunctus Nonis Junii, sepultus est*

[a] Lib. 1. c. 10.
[b] Lib. 1. c. 16.

AN. CH. *juxta Ecclesiam Sancti Martini.* Vel, ut vetus habet editio [a], *Theodemar duo-*
796. *decimus à Beato Benedicto, Monasterii adeptus regimen, præfuit annis novemde-*
CAROLI *cim.* Et inferiùs [b]. *Defunctus est autem præfatus Abbas Theodemar Non. Junii,*
R. 28. *sepultúsque juxta Ecclesiam Sancti Martini.*
PIPPINI Adversùs hanc Chronologiam ex eodem objicies Cbronographo, postre-
LUDOV. mum Theodemaris Abbatis annum cum anno quarto Ludovici Pii Au-
RR. 16. gusti sive cum anno Redemptoris octingenresimo decimo-septimo com-
CAROLI parari, quia in vulgato contextu rerum, quæ gestæ sunt, cùm ille Monas-
R. 8. terio præesset, vetus editio sic habet [c]. *Ultimo hujus Abbatis anno, Ludovi-*
[a] Lib. 1. c. 13. *cus Imperator, qui cognominatus est Almus vel Sanctus, hujus Caroli filius, quarto*
[b] Lib 1. c. 18. *Imperii anno, Aquisgrani in Palatio, cum plurimis totius Franciæ Abbatibus re-*
CLXI. *ligiosísque Monachis Concilium faciens, utilissima nostri Ordinis observationi*
[c] Lib. 1. c. 18. LXII *generalia Capitula constituit.* Nec discrepat nova, præterquàm in nu-
mero Capitulorum, numerat enim LXXII, sic. *Ultimo hujus Abbatis anno,*
Ludowicus Imperator, qui cognominatus est Almus vel Sanctus, filius Hcaroli hu-
jus, quarto anno Imperis sui, in Aquisgrani Palatio, cum plurimis totius Franciæ
Abbatibus Monachísque religiosis Conventum faciens, valdè utilissima nostri Or-
dinis observationi septuaginta & duo generalia Capitula constituit.

CLXII. Angelus de Nuce, qui novam Leonis editionem publicavit, hanc ob-
jectionem solvit in notis ad caput decimum-sextum libri primi. Quædam
enim illius libri capita suis avulsa locis & à librariis interturbata demonstrat
ex ipsa Cbronologia quam Auctor disposuit, ubi Gisulfo proximo Tbeo-
[d] Lib. 1. c. 16. novæ edit. c. 19. vet. edit. demaris successori tribuit [d] annos muneris Abbatialis unum ac viginti,
deinde Apollinaris Abbatis, qui Monasterium post Gisulfum gubernavit,
annum tertium cum anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo & vicesi-
[e] Lib. 1 c. 21. novæ edit. c. 23. vet. edit. mo conjunxit [e]. Hæc profectò apertissimè Theodemaris obitum ostendunt
hoc anno, post Christum natum septingentesimo nonagesimo-sexto conti-
gisse. Prælaudatus igitur Commentator capita libri primi rectè sic ordi-
CHRONICI CASINENSIS INTERTURBATA CAPITA SUIS RESTITUUNTUR LOCIS. nanda censet. Post caput decimum-quintum, quod his verbis vulgò clau-
ditur, *honorabiliter est sepultus*, adjungendæ sunt hæ duæ postremæ periodi
capitis decimi-sexti. *Præfatus autem Abbas Theodemar defunctus Nonis Junii,*
sepultus est juxta Ecclesiam Sancti Martini. Gisulfus Abbas tertius decimus à
Beato Benedicto, ordinatus anno Domini septingentesimo nonagesimo-septimo, se-
dit annis XX *&* I. Deinde quod vulgatum est caput decimum-septimum
cum hoc titulo, *quomodo Gisulfus Abbas fecit Ecclesiam S. Germani*, caput
erit decimum sextum. Et quod vulgatum est caput decimum-octavum
cum hoc titulo, *qualiter idem renovavit Ecclesiam hujus loci, & Ecclesiam*
Sancti Angeli in Valle Luci construxit, necnon & Sancti Apollinaris in Albiano:
& de quorumdam oblationibus, caput erir decimum-septimum ad illa usque
verba, *factum est breviarium de Cellis de Marca.* Post hæc vulgatum caput
decimum-sextum, cui titulus est *de Capitulis, quæ fecit Imperator Ludovicus,*
& de pacto quod fecit Beato Petro, caput erit decimum-octavum ad hæc
usque verba, *Josue Abbate ejusdem loci*, quibus addetur hæc ultima vulgati
capitis decimi-octavi periodus, *Apollinaris Abbas quartodecimo loco in Abba-*
tiam prælatus sedit annis XI; *fuit autem temporibus Romanorum Pontificum Pas-*
chalis & Eugenii, & Siconis qui eodem anno Beneventi Princeps effectus est.
Caput decimum-nonum, cui ritulus est *de miraculo Abbatis Apollinaris,*
& de oblationibus quorundam in hoc loco, ceteráque deinceps rectè proce-
dent.

CLXIII. Secundùm hanc exactam emendationem corrigenda quoque vetus edi-
tio, sic. Post caput decimum-septimum, quod his verbis vulgò clauditur,
cum honore sepultus est, adjungendæ sunt duæ periodi, nempe postrema bæc
capitis decimi-octavi, *defunctus est autem præfatus Abbas Theodemar Non.*
Junii, sepultúsque juxta Ecclesiam Sancti Martini; & prima capitis decimi-
noni, *Gisulfus Abbas tertius-decimus à B. Benedicto, ordinatus anno Domini*
DCCCXVII,

DCCCXVII, *præfuit annis viginti & uno.* Deinde reliqua ejusdem capi- AN. CH.
tis decimi-noni constituent caput decimum-octavum cum hoc titulo, 796.
quomodo Gisulfus Abbas fecit Ecclesiam Sancti Germani. Et quod vulgatum est CAROLI
caput vicesimum cum hoc titulo, *quomodo idem renovavit hujus Monasterii* R. 28.
Ecclesiam, & alias quasdam, caput erit decimum-nonum. Post hæc vulga- PIPPINI
tum caput decimum-octavum, cui titulus est *de Capitulis Ludovici Impera-* LUDOV.
toris, & de pacto quod fecit Beato Petro, caput erit vicesimum ad hæc usque RR. 16.
verba, *Josue Abbate ejusdem loci*, quibus addetur hoc initium vulgati capi- CAROLI
tis vicesimi primi, *Apollinaris Abbas quarto-decimo loco ordinatus, præfuit* R. 8.
annis XI, *temporibus Romanorum Pontificum Paschalis & Eugenii, ac Siconis* * *Stronis.*
Beneventani Principis eodem anno constituti. Cetera quæ leguntur in vulgato
capite vicesimo-primo component idem caput vicesimum-primum, cui
convenientissimus erit titulus *de miraculo Abbatis Apollinaris & quorumdam oblationibus.*

Hæc autem ut tibi clariora fiant, novam editionem cùm corruptam tum CLXIV.
correctam, necnon veterem correctam, tribus distinctas columnis accipe.

NOVA EDITIO CORRUPTA	NOVA EDITIO CORRECTA	VETUS EDITIO CORRECTA.
CAPUT XV sic clauditur, *honorabiliter est sepultus.*	CAPUT XV sic clauditur, *honorabiliter est sepultus. Præfatus autem Theodemar defunctus Nonis Junii, sepultus est juxta Ecclesiam Sancti Martini. Gisulfus Abbas tertius-decimus à Beato Benedicto, ordinatus anno Domini septingentesimo nonagesimo-septimo, sedit annis* XX *&* I.	CAPUT XVII sic clauditur, *cum honore sepultus est. Defunctus est autem prædictus Abbas Theodemar Non. Junii sepultúsque juxta Ecclesiam Sancti Martini. Gisulfus Abbas tertius-decimus à B. Benedicto, ordinatus anno Domini* DCCXCVII*, *præfuit annis viginti & uno.* (* malè DCCCXVII.)
CAPUT XVI.	CAPUT XVI.	CAPUT XVIII.
De Capitulis, quæ fecit Imperator Ludovicus, & de pacto, quod fecit Beato Petro.	Quomodo Gisulfus Abbas fecit Ecclesiam S. Martini.	Quomodo Gisulfus Abbas fecit Ecclesiam S. Martini.
ULtimo hujus Abbatis anno, Ludowicus Imperator, qui cognominatus est Almus vel Sanctus, filius Hcaroli hujus, quarto anno Imperii sui in Aquisgrani Palatio, cum plurimis totius Franciæ Abbatibus Monachísque religiosis Conventum faciens, valdè utilissima nostri Ordinis observationi septuaginta & duo generalia Capitula consis-	*HIc ex nobili Beneventanorum Ducum prosapia ducens originem, mox ut Abbas effectus est, cœpit satagere, qualiter posset ad utilitatem fratrum, quorum tunc maxima deorsum pars morabatur, tam Ecclesiæ, quam reliquarum officinarum angustias spatiare. Incitabat etenim illum ad hoc, & loci amœnitas, & opum copia non parvarum,*	*HIc ex nobili Beneventanorum Ducum prosapio originem ducens, mox ut Abbas ordinatus est, satagere sollicitè cœpit, qualiter posset pro utilitate fratrum (quorum tunc pors maxima deorsum morabatur) tam Ecclesiæ, quàm officinarum ceterarum angustias dilatare. Incitabatur enim od hoc & amœnitate loci, & opum copiâ; simul & arcta*

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

constituit, quæ ita ferè omnia apud nos, ac si Beati Benedicti Regula, observantur. Hic Ludowicus pactum constitutionis & confirmationis fecit Beato Petro, ejúsque Vicario Domno Paschali ad instar parentum suorum, Pipini & Karoli, & propriæ manûs signaculo ac trium filiorum suorum illud corroborans, decem Episcopos, & VIII Abbates, & Comites XV, Bibliothecarium, Mansionarium, & Ostiarium unum in illo subscribere fecit, & per Legatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Theodorum Nomenculatorem Domno Paschali Papa transmisit. Hoc tempore pulchro satis opere constructa est Ecclesia Sancti Vincentii, quæ appellatur Major in loco supradicto juxta Vulturnum à Josue Abbate ejusdem loci. Præfatus autem Abbas Theodemar defunctus Nonis Junii, sepultus est juxta Ecclesiam Sancti Martini. Gisulfus Abbas tertius-decimus à Beato Benedicto, ordinatus anno Domini septingentesimo nonagesimo-septimo, sedit annis XX & I.

CAPUT

rum, simul etiam arta & ardua montis habitatio jam non erat sufficiens tam numerosæ multitudini fratrum. Itaque cuidam Carioald, qui ejusdem loci post eum curiæ fungebatur officio, mandat, ut super hoc negotio omni studio studeat, & ut eum locum, ubi priùs à Potone Abbate Ecclesia parva Sancti Benedicti constructa fuerat, ad ædificandas Monasterii officinas aptare protinus debeat. Quod ille imperium promptus arripuit; quoniam instar paludis totus ille locus carectis aquísque stagnabat, multis terræ ruderibus, saxorúmque aggeribus universa replevit. Atque amplam Basilicam in loco prioris parvulæ in honorem Domini Salvatoris opere satis pulchro construxit. Quæ videlicet Basilica marmoreis basibus & columnis XXIV hinc inde suffulta, & amplis portibus circumsepta, habet in longitudine cubitos LXXXII, in latitudine XL & III, in altitudine XXVIII. Desuper autem satis mirificè trabibus tabulísque cypressinis est laqueata, ac tegulis cooperta, parietibus in circuitu figuris pulcherrimis insignitis. Jam verò pavimenti opus, quàm speciosum, quàm solidum, quàm variorum lapidum sit diversitate conspicuum, & circuitus Chori quàm sit pulchris ac magnis marmorum * tabulis septus, in promptu videntibus est. In absida porrò ejus Basilicæ mediana, ad quam per gradus VII ascenditur constituit Altarium, in honore, ut diximus, Domini

* marmorerum

arcta atque ardua montis inhabitatio, quæ tam numerosæ fratrum multitudini jam nullatenus sufficiebat. Mandat itaque cuidem Garioaldo, qui post eum Monasterii habebat curam, ut omni curet studio, locum illum, ubi priùs à Potone Abbate constructa fuerat in honorem S. Benedicti parva Basilica, ad ædificandas officinas Monasterii parare. Quod ille imperium libenter amplexus (quoniam instar paludis locus ille totus carectis aquísque stagnabat) ruderibus multis saxorúmque aggeribus universa replevit, atque amplam Basilicam, loco prioris parvulæ, in honorem Domini Salvatoris honesto construxit opere. Quæ videlicet marmoreis columnis & basibus vigintiquatuor hinc inde suffulta, & amplis circumsepta porticibus, habet in longitudine cubitos LXXXII, in latitudine XLIII, in altitudine XXVIII. Desuper autem mirificè trabibus tabulísque cypressinis laqueata, tegulísque aperta est, parietibus per girum figuris pulcherrimis insignitis. Jam verò pavimenti opus quàm speciosum, quàm solidum, quàm sit variorum lapidum diversitate conspicuum, & Chori ambitus quàm sit pulchris & vastis marmorum tabulis septus, cernere in promptu est. Porrò in ejus Basilicæ absida media, ad quam per VIII gradus ascenditur, Altare constituit in honorem Domini Salvatoris. Ad dexteram verò altare Sancti Benedicti, atque ad lævam Altare aliud in honorem

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

mini Salvatoris. In dextera autem Altarium Sancti Benedicti. In sinistra verò Altarium fecit ad honorem Sancti Martini. Ante eandem verò Basilicam fecit Atrium longitudine cubitorum XL, *latitudine simili, & in marmoreis illud columnis numero* XVI *undique versùs erexit, atque in circuitu ipsius lapideos canales juxta pavimentum, unde semper aqua decurreret, posuit. Porrò à parte Orientali ejusdem Atrii in conspectu Ecclesiæ absidam fecit, & Altarium ibi Sancti Michaelis constituit. In medio verò ipsius campanarium valdè pulcherrimum super octo magnas columnas erexit. Ex utraque autem parte ejusdem Ecclesiæ, diversorum officiorum multas & maximas atque pulchras, tam ad suas quàm ad Fratrum utilitates, officinas constituens, totum etiam Monasterii spatium, propter aquarum exundantiam, magnis saxorum tabulis stravit.*

norem Sancti Confessoris Christi Martini. Ante verò eandem Basilicam fecit Atrium longitudine cubitorum XL *& pari latitudine, illúdque in* XVI *marmoreis columnis undique versùs erexit, atque in circuitu ipsius lapideos canales juxta pavimentum, unde semper aqua decurreret, posuit. A parte autem Orientali ejusdem Atrii in fronte Ecclesiæ absidam fecit, ibíque Altarium in honore Sancti Michaelis erexit. In ipsius quoque medio campanarium omnino pulcherrimum statuit magnis columnis octo subnixum. Porrò ex utraque parte ipsius Ecclesiæ, diversorum officiorum multas & maximas atque pulcherrimas, ad suas fratrúmque utilitates, officinas construens, totum insuper Monasterii spatium, propter aquarum inundantiam, magnis saxorum tabulis stravit.*

CAPUT XVII.

Quomodo Gisulfus Abbas fecit Ecclesiam S. Germani

HIc ex nobili Beneventanorum Ducum prosapia ducens originem, mox ut Abbas effectus est, cœpit satagere, qualiter posset ad utilitatem Fratrum, quorum tunc maxima deorsum pars morabatur, tam Ecclesiæ, quàm reliquarum officinarum an-

gustias

CAPUT XVII.

Qualiter idem renovavit Ecclesiam hujus loci, & Ecclesiam S. Angeli in Valle Luci construxit, necnon & Sancti Apollinaris in Albiano; & de quorundam oblationibus.

SUrsum etiam præfatus Abbas non segniùs se exercens aliquot ibi habitacula decenter construxit, Ecclesiam quoque, ubi Beati Benedicti corpus erat reconditum, quoniam parva erat, ex toto ampliorem efficiens, tectúmque ipsius universum

cypres-

CAPUT XIX.

Quomodo idem renovavit hujus Monasterii Ecclesiam: & alias quasdam.

SUperiùs verò Abbas ipse non segniùs se exercens, aliquot ibi habitacula decenter extruxit. Ecclesiam quoque, ubi Beati Benedicti corpus conditum est, ex toto ampliorem fecit, tectúmque ipsius omne cypressinis consignatum tabulis, plumbo

coope-

AN. CH. 796.
CAROLI R. 28.
PIPPINI Ludov. RR. 16.
CAROLI R. 8.

*angustias spatiare. Incitabat enim illum ad hoc, & loci amœnitas, & opum copia non parvarum, simul etiam arta & ardua montis habitatio jam non erat sufficiens tam numerosæ multitudini Fratrum. Itaque cuidam Carioald, qui ejusdem loci postea curiæ fungebatur officio, mandat, ut super hoc negotio omni studio studeat, & ut eum locum, ubi priùs à Potone Abbate Ecclesia parva Sancti Benedicti constructa fuerat, ad ædificandas Monasterii officinas aptare protinus debeat. Quod ille imperium promptus arripiens, quoniam instar paludis totus ille locus carectis aquísque stagnabat, multis terra ruderibus saxorúmque aggeribus universa replevit. Atque amplam Basilicam in loco prioris parvulæ in honorem Domini Salvatoris opere satis pulchro construxit. Quæ videlicet Basilica mormoreis basibus & columnis XXIV hinc inde suffulta, & amplis porticibus circumsepta, habet in longitudine cubitos LXXXII, in latitudine XL & III, in altitudine XXVIII. Desuper autem satis mirificè trabibus tabulísque cypressinis est laqueata, ac tabulis cooperta, parietibus in circuitu figuris pulcherrimis insignitis. Jam verò pavimenti opus, quàm speciosum, quàm solidum, quàm variorum lapidum sit diversitate conspicuum, & circuitus Chori quàm sit pulchris ac magnis marmorum * tabulis septus, in promptu videntibus est. In absida porrò ejus Basilicæ mediana, ad quam per cypressinis consignatam lignis, plumbo cooperiens, diversis illam ornamentis, tam aureis, quàm argenteis decoravit. Super Altare siquidem Sancti Benedicti argenteum ciburrium statuit, illúdque auro simul & smaltis partim exornans, cetera ejusdem Ecclesiæ Altaria tabulis argenteis induit. In loco etiam, qui Vallis Luci dicitur, Ecclesiam in honore Sancti Angeli construxit. Necnon & Ecclesiam Sancto Christi Martyri Apollinari, in loco, qui tunc temporis Albianus vocabatur, nunc verò ex ejusdem Martyris nomine Sanctus Apollinaris dicitur, statuit. Fuit autem temporibus Beneventanorum Principum, præfati Grimoaldi filii Arichis, & alterius Grimoaldi cognomine Thesaurarii; Romanorum autem Pontificum, Adriani, & Leonis, Tertii videlicet, cui oculis & linguâ à Romanis privato Omnipotens Deus mirabiliter & visum restituit & loquelam; Imperatorum verò supradictorum Constantini & Hirenæ. Qui depositus IX Kl. Januarii sepultus est juxta Ecclesiam Beati Benedicti ante Capitulum introeuntibus in Ecclesia ad lævam. Huic prædictus Princeps Grimoaldus Præcepto suo firmavit omnes fœminas liberas, quæ servis hujus Monasterii fuerunt copulatæ à tempore primi Gisulfi usque ad eam diem cum filiis & filiabus & universis eorum. Alio quoque Præcepto concessit in hoc loco Monasterium Sanctæ Mariæ in Banze, quod situm*

cooperiens, ornamentis illam variis aureis argenteísque decoravit. Super altare autem Sancti Benedicti argenteum cyborium statuit, illúdque auro & smaltis simul exornans, cetera Ecclesiæ ipsius Altaria tabulis argenteis induit. In eo item loco, qui Vallis Lucis dicitur, Ecclesiam in honorem Sancti Angeli ædificavit. Aliam item Ecclesiam Sancto Christi Martyri Apollinari, in loco, qui tunc Albianus dicebatur, nunc verò ex ejusdem Martyris nomine Sanctus Apollinaris dicitur, statuit. Fuit autem temporibus Beneventanorum Principum Grimoaldi memorati & alterius Grimoaldi cognomento Thesaurarii; Romanorum verò Pontificum, Hadriani, & Leonis Tertii, cui videlicet à Romanis oculis & linguâ privato Omnipotens Deus mirabiliter visum restituit & loquelam; Imperatorum autem Constantini & Hirenæ. Obiit IX Calend. Jan. sepultúsque est juxta Ecclesiam Sancti Benedicti ante Capitulum introeuntibus in Ecclesiam ad lævam. Huic prædictus Princeps Grimoaldus Præcepto suo firmavit omnes fœminas liberas, quæ servis hujus Monasterii fuerant copulatæ à tempore primi Gisulfi usque ad eam diem cum filiis & filiabus suis universísque substantiis. Alio quoque Præcepto concessit huic loco Monasterium Sanctæ Mariæ in Banza, quod situm est in finibus Acerentiæ, cum servis & ancillis atque colonis, & cum omnibus ex integro posses-

* marmoreorum

AN CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

per gradus VII ascenditur, constituit Altarium in honore, ut diximus, Domini Salvatoris. In dextera autem Altarium Sancti Benedicti. In sinistra vero Altarium fecit ad honorem Sancti Martini. Ante eandem verò Basilicam fecit Atrium longitudine cubitorum XL, latitudine simili, & in marmoreis illud columnis numero XVI undique versùs erexit, atque in circuitu ipsius lapideos canales juxta pavimentum, unde semper aqua decurreret, posuit. Porrò à parte Orientali ejusdem Atrii in conspectu Ecclesiæ absidam fecit, & Altarium ibi Sancti Michahelis constituit. In medio verò ipsius campanarium valdè pulcherrimum super octo magnas columnas erexit. Ex utraque autem parte ejusdem Ecclesia, diversorum officiorum multas & maximas atque pulchras, tam ad suas quàm ad Fratrum utilitates, officinas efficiens, totum etiam Monasterii Spatium, propter aquarum exundantiam, magnis saxorum tabulis stravit.

situm est in finibus Acerentia cum servis & ancillis atque colonis, & cum omnibus ex integro possessionibus, ac pertinentiis ejusdem Monasterii. Eodem tempore supradictus Guacco Beneventanus obtulit in Ecclesia Sancti Benedicti, quam ipsemet in jure proprio intra civitatem Beneventanam ad portam Rufini construxerat, omnia sua, id est, casam propriam eidem Ecclesiæ conjunctam cum omnibus pertinentiis suis, Casale in Septimo, Casale in Sancto Angelo ad Pecte, hæreditatem in Salerno, Casale in Candis, Casale in Forcle, Casale ad Sanctum Januarium cum servis & ancillis, Olivetum in Ariano, molendina sua in fluvio Sabbato, quinque pueros Clericos cum servis quamplurimis, præter multos alios quos liberos dimisit, eo tamen tenore, ut semper sub ditione prædicti Monasterii manerent; iterum aliam casam intra Beneventum, ubi ipse manebat, cum curte sua & coquina; & etiam casam novam juxta plateam, ubi est Sancta Archellais, cum curte & pertinentia sua, Casale sub Apice & Toroniano erga fluvium Arbi, Casale in Antiano & Ceppaluni, campum Nepetarum, Casale in Crosta cum Oliveto. Obtulit etiam idem Guacco in Ecclesia Sancti Benedicti, quæ sita est in Liburia, loco Casa Gentiana, campum de Porcari; pratum quoque quod dicitur Porcile, & duodecim familias servorum cum omnibus ex integro illorum pertinentiis commanentes

possessionibus ac pertinentiis ejusdem Monasterii. Eodem tempore prædictus Guacco Beneventanus obtulit Ecclesiæ Sancti Benedicti (quam ipse in jure proprio intra Beneventanam urbem ad portam Rufini construxerat) omnia sua, id est, domum suam eidem Ecclesiæ conjunctam cum omnibus pertinentiis suis, fundos IX, & domos alias, & molendina, & curtes, & oliveta, cum servis plurimis. Obtulit item Ecclesiæ Sancti Benedicti in Liburia possessiones servósque & ancillas plurimas habitantes juxta eandem Ecclesiam cum omnibus ipsorum rebus. Hæc autem omnia ex integro cum prædictis Ecclesiis obtulit huic Sancti Benedicti Casinensi Cœnobio, eorum medietate usu fructuario uxori suæ Thasiæ in vita dumtaxat ipsius reservatâ. Sub idem tempus vir quidam, Colo nomine, de territorio Calazano obtulit Ecclesiæ Sancti Martini Cella hujus Cœnobii, quæ supra Vulturnum sita est, integram curtem suam, in loco qui Adicianum dicitur, cum omnibus ad se pertinentibus rebus, tam in monte, quàm in planitie. Similiter & Maximus quidam ex eodem territorio obtulit Beato Benedicto omnem ex integro substantiam suam in memorata Sancti Martini Ecclesia. Hic Abbas libellum fecit hominibus quibusdam de Termule, de rebus omnibus Sancti Benedicti, quas ibi possidebamus, pro censu solidorum XIIII & medietate totius pastionis *.

* pascuis

AN. CH. 796.
CAROLI R. 28.
PIPPINI LUDOV. RR. 16.
CAROLI R. 8.

in vico qui vocatur Balusanu, alios etiam servos & ancillas suas in prædicta Casa Gentiana habitantes cum universis omnino rebus illorum. Hæc autem omnia ex integro simul cum prædictis Ecclesiis obtulit in hoc Beati Benedicti Cœnobio, dimissâ medietate eorum omnium usu fructuario uxori suæ Tasiæ in vita dumtaxat ipsius. Sub his quoque diebus vir quidam, Colo nomine, de territorio Calazzano obtulit in Ecclesia Sancti Martini Cella hujus Cœnobii, quæ supra Vulturnum sita est, integram curtem suam in loco, qui dicitur Aditianu, cum omnibus ad se pertinentibus rebus, tam in monte, quàm in plano. Similiter etiam Maximus quidam de prædicto territorio obtulit Benedicto omnem ex integro substantiam suam in supradicto loco Sancti Martini. Hic Abbas fecit libellum quibusdam hominibus de Termule, de omnibus rebus Sancti Benedicti, quas ibi possidebamus, pro censu XIV solidorum & medietate totius pastionis. Hujus temporibus factum est Breviarium de Cellis de Marca.

Hujus temporibus factum est Breviarium de Cellis de Marca.

CAPUT XVIII.

Qualiter idem renovavit Ecclesiam hujus loci, & Ecclesiam Sancti Angeli in Valle Luci construxit, necnon & Sancti Apollinaris in Albiano: & de quorundam oblationibus.

SUrsum etiam præfatus Abbas non segnius se

CAPUT XVIII.

De Capitulis, quæ fecit Imperator Ludovicus, & de pacto, quod fecit Beato Petro.

ULtimo hujus Abbatis anno, Ludewicus Imperator,

CAPUT XX.

De Capitulis Ludovici Imperatoris, & de pacto quod fecit Beato Petro.

ULtimo hujus Abbatis anno, Ludewicus Imperator,

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

se exercens aliquot ibi habitacula decenter construxit. Ecclesiam quoque, ubi Beati Benedicti corpus erat reconditum, quoniam parva erat, ex toto ampliorem efficiens, tectúmque ipsius universum cypressinis consignatum lignis, plumbo cooperiens, diversis illam ornamentis, tam aureis, quàm argenteis decoravit. Super Altare siquidem Sancti Benedicti argenteum ciborrium statuit, illúdque auro simul & smaltis partim exornans, cetera ejusdem Ecclesiæ Altaria tabulis argenteis induit. In loco etiam, qui Vallis Luci dicitur, Ecclesiam in honore Sancti Angeli construxit. Necnon & Ecclesiam Sancto Christi Martyri Apollinari, in loco, qui tunc temporis Albianus vocabatur, nunc verò ex ejusdem Martyris nomine Sanctus Apollinaris dicitur, statuit. Fuit autem temporibus Beneventanorum Principum, præfati Grimoaldi filii Arichis, & alterius Grimoaldi cognomine Thesaurarii; Romanorum autem Pontificum, Adriani & Leonis, Tertii videlicet, cui oculis & linguâ à Romanis privato Omnipotens Deus mirabiliter & visum restituit & loquelam; Imperatorum verò supradictorum Constantini & Hirenæ. Qui depositus IX Kl. Januarii sepultus est juxta Ecclesiam Beati Benedicti ante Capitulum introeuntibus in Ecclesia ad lævam. Huic prædictus Princeps Grimoaldus Præcepto suo firmavit omnes fœminas liberas, quæ servis hujus Monasterii fuerunt copulata

Imperator, qui cognominatus est Almus vel Sanctus, filius Hcaroli hujus, quarto anno Imperii sui in Aquisgrani Palatio, cum plurimis totius Franciæ Abbatibus Monachísque religiosis Conventum faciens, valdè utilissima nostri Ordinis observationi septuaginta & duo generalia Capitula constituit; quæ ita ferè omnia apud nos, ac si Beati Benedicti Regula, observantur. Hic Ludovicus pactum constitutionis & confirmationis fecit Beato Petro, ejúsque Vicario Domno Paschali ad instar parentum suorum, Pipini & Karoli, & propria manûs signaculo ac trium filiorum suorum illud corroborans, decem Episcopos, & VIII Abbates, & Comites XV, Bibliothecarium, Mansionarium, & Ostiarium unum in illo subscribere fecit, & per Legatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Theodorum Nomenculatorem Domno Paschali Papa transmisit. Hoc tempore pulchro satis opere constructa est Ecclesia Sancti Vincentii, quæ appellatur Major, in loco supradicto juxta Vulturnum à Josue Abbate ejusdem loci. Apollinaris Abbas quarto-decimo loco in Abbatiam prælatus sedit annis XI. Fuit autem temporibus Romanorum Pontificum Paschalis & Eugenii, & Siconis, qui eodem anno Beneventi Princeps effectus est.

*perator, qui cognominatus est Almus vel Sanctus, hujus Caroli filius, quarto Imperii anno, Aquisgrani in Palatio, cum plurimis totius Franciæ Abbatibus religiosísque Monachis Concilium faciens, utilissima nostri Ordinis observationi LXII generalia Capitula constituit; quæ omnia apud nos perinde ferè ac Regula Sancti Benedicti, observantur. Hic pactum constitutionis & confirmationis fecit Beato Petro Apostolo, ejúsque Vicario Domino Paschali, parentes suos Pipinum & Carolum imitatus, manûsque sua ac filiorum subscriptione corroborans, X Episcopos, & VIII Abbates, & Comites XV, Bibliothecarium, Mansionarium, & Ustiarium * unum subscribere fecit, & per Legatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Theodorum Nomenclatorem Domino Paschali Papa transmisit. Hoc tempore pulchro satis opere constructa est Ecclesia Sancti Vincentii, quæ appellatur Major, in loco superiùs dicto juxta Vulturnum à Josue Abbate ejusdem loci. Apollinaris Abbas quarto-decimo loco ordinatus, præfuit annis XI temporibus Romanorum Pontificum Paschalis & Eugenii, ac Siconis * Beneventani Principis eodem anno constituti.*

* *Hostiarium*

* *Sironis*

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. R R. 16. CAROLI R. 8.

ta à tempore primi Gisulfi usque ad eam diem cum filiis & filiabus & universis eorum. Alio quoque Præcepto concessit in hoc loco Monasterium Sanctæ Mariæ in Banze, quod situm est in finibus Acerentiæ, cum servis & ancillis atque colonis, & cum omnibus ex integro possessionibus ac pertinentiis ejusdem Monasterii. Eodem tempore supradictus Guaeco Beneventanus obtulit in Ecclesia Sancti Benedicti, quam ipsemet in jure proprio intra civitatem Beneventanam ad portam Rufini construxerat, omnia sua, id est, casam propriam eidem Ecclesiæ conjunctam cum omnibus pertinentiis suis, Casale in Septimo, Casale in Sancto Angelo ad Pecte, hæreditatem in Salerno, Casale in Caudis, Casale in Forcle, Casale ad Sanctum Januarium cum servis & ancillis, Olivetum in Ariano, molendina sua in fluvio Sabbato, quinque pueros Clericos cum servis quamplurimis, præter multos alios quos liberos dimisit, eo tamen tenore, ut semper sub ditione prædicti Monasterii manerent; iterum aliam casam intra Beneventum, ubi ipse manebat, cum curte sua & coquina; & etiam casam novam juxta plateam, ubi est Sancta Archellais, cum curte & pertinentia sua, Casale sub Apice & Toroniano erga fluvium Arbi, Casale in Autiano & Ceppaluni, campum Nepetarum, Casale in Crosta cum Oliveto. Obtulit etiam idem Guacco in Ecclesia Sancti

Sancti Benedicti, quæ sita est in Liburia, loco Casa Gentiana, campum de Porcari; pratum quoque quod dicitur Porcile, & duodecim familias servorum cum omnibus ex integro illorum pertinentiis commanentes in vico qui vocatur Balnsann, alios etiam servos & ancillas suas in prædicta Casa Gentiana habitantes cum universis omnino rebus illorum. Hæc autem omnia ex integro simul cum prædictis Ecclesiis obtulit in hoc Beati Benedicti Cœnobio, dimissâ medietate eorum omnium usu fructuario uxori suæ Tasiæ in vita dumtaxat ipsius. Sub his quoque diebus vir quidam, Colo nomine, de territorio Calazzano obtulit in Ecclesia Sancti Martini Cella hujus Cœnobii, quæ supra Vulturnum sita est, integram curtem suam in loco, qui dicitur Aditianu, cum omnibus ad se pertinentibus rebus, tam in monte, quàm in plano. Similiter etiam Maximus quidam de prædicto territorio obtulit Beato Benedicto omnem ex integro substantiam suam in supradicto loco Sancti Martini. Hic Abbas fecit libellum quibusdam hominibus de Termule, de omnibus rebus Sancti Benedicti, quas ibi possidebamus, pro censu XIV solidorum, & medietate totius pastionis. Hujus temporibus factum est Breviarium de Cellis de Marca. Apollinaris Abbas quarto-decimo loco in Abbatiam prælatus sedit annis XI. Fuit autem temporibus Romanorum Pontificum Pascha-

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

lis & Engenti, & Siconis qui eodem anna Beneventi Princeps effectus est.

CAPUT XIX.	CAPUT XIX.	CAPUT XXI.
De miraeulo Abbatis Apollinaris, & de oblationibns quorundam in eodem loco.	De mitaculo Abbatis Apollinaris, & de oblationibus quorundam in eodem loco.	De miraeulo Abbat.s Apollinaris, & quorundam oblationibus.
DE hoc ſanctiſſimo viro celebris fama eſt, &c.	*DE hoc ſanctiſſima vira celebris fama eſt*, &c.	*DE hoc ſanctiſſimo viro celebris fama eſt*, &c.

CLXV. Leonis Cbronieo ſie emendato, & per eapita ſua, quæ priùs intertur-babantur, legitimè diſtributo, Theodemarem Monaſterii Caſinenſis Abbatem hoc anno Nonis Junii mortuum & juxta Eeeleſiam Sancti .Martini ſepultum nemo non dicet.

CLXVI. Snceeſſit Giſulfus. Utrùm antem hoc anno, an ſequenti, ponirur in controverſia, quia nova Leonis editio diſtinctè notat [a] annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum - ſeptimum, ſic. *Giſulfus Abbas tertius-decimus à Beata Benedicta, ordinatns anna Domini ſeptingenteſimo nonageſimo-ſeptimo, ſedit annis* XX *&* I. Nec diſerepat vetus editio, licèt annum exhibeat [b] DCCCXVII, nam manifeſtus eſt error in Characterum tranſpoſitione, qui ſic ordinari debent, DCCXCVII. Utraque tamen editio Giſulfum agnoſcit Abbatem pet annos unum ae viginti, deinde ſucceſſoris, cul nomen Apollinaris, annum tertium cum anno Dominieæ Incarnationis octingenteſimo viceſimo conjungit. Vetus capite viceſimo - tertio hbri primi. *Hujus Abbatis*, id eſt, Apollinaris, *tertio anna, Saraceni de Babylonia & Africa venientes Siciliam ingreſſi, Panormum ceperunt, anno Dominica Incarnationis* DCCC *& vigeſimo.* Nova capite vieeſimo - primo ejuſdem libri: *Hujus Abbatis tertia anno, Saraceni à Babylonia & Africa venientes, Siciliam ingreſſi ſunt, & Panormum ceperunt, anna Incarnatianis Dominicæ octingenteſimo & viceſimo.* Pottò, ſi tertius annus Apollinaris Abbatis cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo comparatur, Giſulfus Abbas, cujus mors nono Kalendas Januarii contigit, obiit exennte anno Redemptoris octingenteſimo decimo - ſeptimo, &, qnia Monaſterium annis uno ac viginti texit, Abbatiale munus anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-ſexto ſuſcepiſſe cenſendus eſt. Placet nobis hæc Chronologia ratis ita reſtituendum Leonis textum, in quo Theodemaris Abbatis obitus & ſubrogatio Giſulfi commemorantur. *Abbas Theodemar defunctus Nanii Junii ſepultus eſt juxta Eccleſiam Sancti Martini. Giſulfus Abbas tertius-decimus à Beato Benedicta, ordinatus anna Domini ſeptingenteſimo nanageſimo-ſexto, ſedit annis* XX *&* I. id eſt, ad annum uſqne Redemptoris octingenteſimum deeimum-ſeptimum, ut apertè deelarat idem Leo, eùm ultimùm hujus Abbatis annum enm quarto Ludoviei Auguſti eomponit.

[a] Lib. 1. c. 16.

[b] Lib. 1. c. 19.

GISULFUS FIT ABB. CASIN.

CLXVII. Hie Auctor pleraque Giſulfi Abbatis Geſta duobus complexus eſt capitibus, qnorum hi ſunt tituli, *quomada Giſulfus Abbas fecit Eccleſiam Sancti Germani*, & *qualiter idem renovavit Eccleſiam hujus loci* nempe Caſinenſis, *& Eccleſiam Sancti Angeli in Valle Luci conſtruxit, necnon & Sancti Apollinaris in Albiano : & de quorundam oblatianibus.* Utrumque caput edirionis cùm veteris tum novæ ſuprà deſeriptum habes; textum non tepetemus, at nonnullis illum notis illnſtrabimus.

CLXVIII. Giſulfus Abbas, in titulo prioris capitis, *Eccleſiam Sancti Germani* feciſſe dicitur, & in toto capitis contextu ſola *Damini Salvatoris* Baſilica nomina-

AN. CH. 796.

CAROLI R. 28.
PIPPINI LUDOV. RR. 16.
CAROLI R. 8.

tur. Inde quæstioni locus, an narratio ipsi titulo respondeat. *Poto Abbas undecimus ædificavit* [a] *deorsum*, vel, ut Breulius [b] legit, *inferiùs*, id est, ad radices montis, *Ecclesiam parvam in honore Sancti Benedicti in eo loco, ubi nunc est Ecclesia Sancti Germani.* Potoni, qui Monasterium regebat cùm Carolus Longobardiam subegit, successit Theodemar, tum Gisulfus. Hic initio sui Præsulatûs *amplam Basilicam in loco, ubi priùs à Potone Abbate Ecclesia parva Sancti Benedicti constructa fuerat, in honorem Domini Salvatoris construxit.* Hoc opus citato capite describitur. Abhinc Monasterium Sancti Salvatoris auditum. *Bertharius nonus-decimus Abbas totum undique Monasterium, quod sursum erat, muris ac turribus firmissimis in modum Castelli munivit. Civitatem quoque ad radicem hujus montis circa Monasterium Domini Salvatoris construere inchoavit.* Vocata tunc hæc civitas *Eulogimenopolis*, id est, Benedicti civitas. Lege librum primum [c] Chronici Casinensis. Bertharii consilium successores haud secuti. Dicta civitas Sancti Germani. Nomen hoc inditum volunt, postquàm in Ecclesiam seu Monasterium Domini Salvatoris delatæ sunt Reliquiæ Sancti Germani Capuani quondam Episcopi, cujus *animam vidit* Sanctus Benedictus *in sphæra ignea ab Angelis in cælum deferri* [d]. Facta creditur illa Reliquiarum Translatio, Ludovico tunc Augusto, Caroli Magni pronepote, de quo sic Ostiensis eodem libro [e]. *Imperator cùm per annum ferè Capua remoratus fuisset, sublato corpore Beati Germani ejusdem civitatis Episcopi, demùm Franciam reversus est.* Illum enim textum Angelus de Nuce breviter hac illustrat notatiuncula. *Cujus*, nempe Sancti Germani, *capite* Ludovicus Imperator *ditavit novam Sancti Germani civitatem, inde sic appellatam, ut fert traditio.* Idem Commentator, ubi Gesta Gisulfi Abbatis expendit [f], civitatem Sancti Germani laudat. Et alibi [g] non dissimulat haud certò sciri cur & quando cœpta primùm vocari civitas Sancti Germani. *Res*, inquit, *quæcunque de causa, eò devenit, ut nunc civitas ad hujus montis radices, circa Monasterium olim Domini Salvatoris, ad ejúsque fortè tuitionem excitata, non Divi Benedicti sed Sancti Germani nomine ex antiqua traditione & consuetudine nuncupetur.* Et paulò pòst de Basilica ejusdem Monasterii sic scribit. *Duplici nomine Basilica in ipsis suis initiis appellata fuit, ex priori nimirum* Sancti Benedicti, *& ex recenti nuncupatione* Domini Salvatoris, *accessítque tandem tertia nuncupatio à nomine Divi Germani, quæ sola adhuc manet.* In hujus assertionis confirmationem allegat textum à nobis jam productum de Potone Abbate. *Ædificavit deorsum Ecclesiam in honore Sancti Benedicti in eo loco, ubi nunc est Ecclesia Sancti Germani.* Atque eodem modo in titulo capitis, quod totum est de Basilica Sancti Salvatoris à Gisulfo Abbate constructa, *Ecclesiam S. Germani* interpretare Ecclesiam Domini Salvatoris, quæ posteà Beati Germani nomen accepit atque etiamnum servat.

CONSTRUIT ECCLESIAM S. SALVATORIS.

CLXIX. In posteriori capite Leo de Monasterio superiori seu de Basilica in vertice montis erecta loquitur ex eorum opinione, qui corpus Sancti Benedicti vel in Gallias delatum negant, vel è Galliis in Italiam revectum volunt. Est & error in hoc Auctore, cùm ait Gisulfum Abbatem fuisse *temporibus Romanorum Pontificum Adriani & Leonis Tertii.* Gisulfus regimen Monasterii suscepit Adriano Papâ jam mortuo, Leoníque Tertio superstes vixit, hoc enim anno post Christum natum septingentesimo nonagesimo-sexto Theodemari successit Leone tum Pontifice, annóque Redemptoris octingentesimo decimo-septimo vitam clausit mense Decembri Paschale ad Pontificatum jam assumpto. Sequuntur Donationes Grimoaldi Ducis Beneventani, necnon divitum virorum, Guaeconis seu Waceonis, Colonis, & Maximi. De Grimoaldi Donationibus agemus anno sequenti. Donationes, quas Colo & Maximus fecerunt, nullâ egent observatione. Guaeconis Donatio convenire non benè videtur cum altera, cujus meminimus [h] sub Abbate Theodemare. Guacco, cùm Theodemari filium suum

MULTIS DITATUR DONATIONIBUS

[a] Chron. Casin. lib. 1. c. 10.
[b] Lib. 1. c. 12.
[c] Cap. 35. vet. edit. c. 33. novæ edit.
[d] Greg. l. 2. Dialog. c. 35.
[e] Cap. 40. vet. edit c. 38. novæ edit.
[f] Ad cap. 17.
[g] Ad cap. 33.
[h] Ad an 789. n. 180.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

offert, Monasterio nonnulla concedit, quæ denuò repetit in Donatione sub Gisulfo; deinde in priori Donatione *casam suam intra civitatem* Beneventanam tradit *Tasia uxori suæ in vita dumtaxat ipsius*, & in posteriori Donatione medietatem tantùm ejusdem casæ *intra Beneventum* dimittit *usufructuario uxori suæ Tasia in vita dumtaxat ipsius*. Utramque Donationem simul confer. Factâ collatione deprehendes posteriorem Donationem priori adeò auctiorem fuisse, ut opes cùm Monasterii tum Tasiæ multùm creverint, quamvis ab utraque parte nonnihil priori Donationi per posteriorem derogatum sit. Quod attinet ad Sabbatum amnem, hic prope Beneventum fluit, & Vulturno miscetur.

CLXX. ABBATES CAMPIDNO. Andegarius sive Andelgarius aut Amelgarius Abbas Campidonensis, cujus mentionem ad annum Christi septingentesimum octogesimum-tertium jam fecimus, obiit hoc anno postridie Kalendas Novembris, ut Bruschius in Chronologia Monasteriorum Germaniæ testatur. Quia consanguineus fuit eùm Hildegardis Reginæ, tum filiorum quos illa Carolo peperit, in dubium non vocamus, quin ab eodem Rege multa privilegia multásque possessiones acceperit, negamus tamen concessum illi jus cudendæ monetæ & alia, quæ Bruschius commemorat eâ tantùm, ut opinamur, ductus ratione, quòd illis hodie gaudent in Germania Principes Imperii, quorum Collegio adscriptus Abbas Campidonensis *. Andegario in administrationem Monasterii successit Agapitus, cujus meminerunt Bruschius & Bucelinus in suis Catalogis.

* *de Kempten.*

CLXXI. WELTENBURG Apud Gewoldum in Additionibus ad tertium Tomum Hundii, Ernestus Weltenburgensis Abbas hoc anno memoratur.

CLXXII. Offa Merciorum Rex, quocum Carolus singularem amicitiam colebat, has ab eodem Francorum Rege literas post auditam Adriani Papæ mortem accepit. *Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum & Patricius Romanorum, viro venerando & fratri charissimo Offa Regi Merciorum salutem. Primò gratias Omnipotenti Deo agimus de Catholica fidei sinceritate, quam in vestris laudabiliter paginis reperimus exaratam. De peregrinis verò, qui pro amore Dei & salute animarum suarum, beatorum Apostolorum limina desiderant adire, cum pace sine omni perturbatione vadant; sed si aliqui non Religioni servientes, sed lucrum sectantes inter eos inveniantur, locis opportunis statuta solvant telonia, negotiatores quoque volumus, ut ex mandato nostro patrocinium habeant in Regno nostro legitimè. Et, si in aliquo loco injustâ affligantur oppressione, reclament se ad nos vel nostros Judices, & plenam videbimus justitiam fieri. Cognoscat quoque Dilectio vestra, quòd aliquam benignitatem de Dalmaticis nostris vel palliis ad singulas Sedes Episcopales Regni vestri vel Ethelredi* Regis Northumbriæ *direximus in eleemosynam Domini Apostolici Adriani, deprecantes ut pro eo intercedi jubeatis, nullam habentes dubitationem beatam illius animam in requie esse, sed ut fidem & dilectionem ostendamus in amicum nostrum charissimum. Sed & de thesauro humanarum rerum, quem Dominus Jesus nobis gratuitâ pietate concessit, aliquid per Metropolitanas civitates direximus, vestræ quoque Dilectioni unum baltheum, & unum gladium Huniscum, & duo pallia serica.* Has literas, vel potiùs hæc Carolinarum literarum fragmenta libro primo [a] de Gestis Regum Anglorum inseruit Willelmus Malmesburiensis, qui saltuatim à se verba prolixioris epistolæ decerpta non diffitetur. *Hæc*, inquit, *saltuatim verba epistolæ decerpens, idcircò apposui, ut posteris elucescat amicitia Offæ & Caroli.* Hæc eadem verò transcribimus, ut præter mutuam utriusque Regis benevolentiam innotescat Caroli pietas, qui non satis duxit mortem Adriani Papæ deflevisse, sed lachrymis religiosa etiam officia suffragiáque cum eleemosynis conjunxit, exteris quoque Regibus, ut idem præstarent, per literas sollicitatis. Munerum autem ad Offam à Carolo missorum vetus meminit Poëta, quem Michael Alfordus ad annum præcedentem [b] sic descripsit.

CAROLUS OFFAM R. MERCIORUM SOLLICITAT AD PIA OFFICIA ET SUFFRAGIA PRO ANIMA ADRIANI PP.

VARIIS AFFICIT MUNERIBUS.

[a] Cap. 4.

[b] Num. 9.

A Carolo dona data sunt Offa, mucro, zona, AN. CH.
Cingat ut imbelles clemens, feriátque rebelles. 796.
Pallia donantur, velut his secreta tegantur. CAROLI
Tyro mucrone sedet utens munere zona, R. 28.
Indomitos punit, pronos sibi nectit & unit. PIPPINI
Palliat arcana, ne fignent pallia vana. LUDOV.

Præter argumentum, quod ex obitu cùm Adriani Papæ tum Offæ Regis sumitur, ut præcitatas Caroli literas ad Offam directas hoc anno censeas, aliud è prædictorum quoque muuerum qualitate colligitur. Fit enim Hunisci balthei mentio, quæ thesauros ex Hunorum sive Avarorum regione jam delatos in Franciam supponit. Id autem alii hoc anno, alii superiore factum scribuut. Tota discrepautiæ ratio ex eo proficiscitur, quòd illi priucipium anni à die Natali Domiui, hi verò petunt à Pascbate quod tertio Kalendas Aprilis hoc anno celebratum fuit. Atque inde liquet hujuscemodi thesauros sub initium hujus anni susceptos à Carolo, cùm Aquisgrani moraretur, ubi Pascha transegit. RR. 16. CAROLI R. 8. CLXXIII.

Sub idem tempus, allatum est nuucium de Regis Ethelredi nece, quam Carolus ægerrimo prorsus animo tulit, ut apud Malmesburiensem [a] hæ docent Alcuini ad Offam Merciorum Regem literæ. *Sciat veneranda Dilectio vestra, quòd Domnus Rex Karolus amabiliter & fideliter sæpè locutus est mecum de vobis, & in eo habetis fidelissimum amicum. Ideo & vestra Dilectioni digna dirigit munera, & per Episcopales Sedes Regni vestri. Similiter Ethelredo Regi & ad suas Episcoporum Sedes dona direxit. Sed heu! proh dolor! donis datis & epistolis in manus Missorum, supervenit tristis Legatio per Missos, qui de Scotia per vosreversi sunt, de infidelitate gentis & nece Regis. Ita Karolus, retractâ donorum largitate, in tantum iratus est contra gentem illam, ut ait, perfidam & perversam, & homicidam dominorum suorum, pejorem eam paganis æstimans, & nisi ego intercessor essem pro ea, quicquid eis boni abstrahere potuisset, & mali machinari, jam fecisset.* Ethelredus iu Nordanhumbria regnabat, à suis interemptus est, nec ulla super anno difficultas occurrit præcitatas Alcuini literas atteutè perlegenti, licèt Anglorum plerique secus sentiant, cædémque illam quidam citiùs, quidam seriùs collocandam putent. CLXXIV. [a] Lib. 1. c. 3. NORTANHUMBRIS IRASCITUR AUDITA ETHELREDI R. NECE.

Post Ethelredi mortem, nonnihil simultatis inter Carolum & Offam Reges exortum est. Id etiam apud Malmesburiensem [b] probant Alcuini literæ hoc quoque anno post Huuuorum cladem proximo sic exaratæ. *Antiqui Saxones & omnes Fresonum populi, instante Rege Karolo, alios præmiis, & alios minis sollicitante, ad fidem Christi conversi sunt. Sed & anno transacto idem Rex cum exercitu suo irruit super Sclavos, eósque subegit sua ditioni. Avares quos nos Hunos dicimus, exarserunt in Italiam, & à Ducibus præfati Regis Christianissimi superati, domum cum opprobrio reversi sunt. Similiter & super Bangariam irruerunt, qui & ipsi ab exercitu Christiano superati & dispersi sunt. Etiam ejusdem Christianissimi Regis Duces & Tribuni multam partem Hispaniæ tulerunt à Saracenis, quasi trecenta millia in longum per maritima. Sed heu! proh dolor! quòd iidem Saraceni, qui & Agareni, totâ dominantur Africâ & Asiâ majori maxima ex parte. Nescio quid de nobis venturum sit. Aliquid enim dissensionis, diabolico fomento inflammante, nuper inter Regem Karolum & Regem Offam exortum, itaut utrinque navigatio interdicta negotiantibus esset. Sunt qui dicant nos pro pace esse in illas partes mittendos.* Interitus Offæ statim hoc eodem anno secutus est, eóque Rege mortuo redintegrata Francos inter ac Mercios amicitia. CLXXV. [b] Lib. 1. c. 4. NAVIGATIONEM IN ANGLIAM INTERDICIT. PAX REDINTEGRATUR, OFFA R MERCIORUM MORTUO.

Simeon Dunelmensis Ecclesiæ Præcentor iu Gestis Regum Anglorum ad hunc annum de cæde Ethelredi Regis Nordanhumbrorum, de morte Offæ Merciorum Regis, déque proximis eorum successoribus ita scribit. *Anno DCCXCVI, Ethelredus Rex occisus est apud Cobre XIIII Cal. Maii; Osbald verò Patricius à quibusdam ipsius gentis Principibus in Regnum est consti-* CLXXVI. CHRONOLOGIA CONFIRMATUR.

AN. CH. 796. CAROLI R. 28. PIPPINI LUDOV. RR. 16. CAROLI R. 8.

tutus, & post XXVII dies omni Regia familia ac Principum est societate destitutus, fugatusque & de Regno expulsus, atque ad Insulam Lindisfarnensem cum paucis secessit, & inde ad Regem Pictorum cum quibusdam è fratribus navigio pervenit. Eardulf enim, filius Eardulfi, de exilio vocatus, Regni Insulis est sublimatus, & in Eboraca in Ecclesia Sancti Petri ad altare beati Apostoli Pauli (ubi illa gens primùm perceperat gratiam Baptismi) consecratus est VII Cal. Junii. Et non multò post, id est, VII Cal. Augusti, Offa potentissimus Rex Merciorum, postquàm XXXIX annos regnavit, defunctus est, cui successit in Regno filius ejus Ecgfertf, qui eodem anno morte superveniente debitum neci invitus concessit. Eadem à Rogeto *de Hoveden* transcripta sunt ad hunc eundem annum, & mirè cum nostra Chronologia conveniunt, quacum convenit & Henricus Huntindoniensis libro Historiarum quarto. Ethelredum enim Nordhumbrorum Regem anno Brictrici Saxonum Occidentalium Regis undecimo necatum sic ait. *Brictrici Regis anno* 11. *Nordhumbri Regem suum Edelred occiderunt.* Deinde Leonem Papam à Romanis expulsum anno ejusdem Brictrici Regis decimo-quarto sic addit. *Brictrici Regis anno* 10 *& quarto Romani amputaverunt linguam Leonis Papæ, & oculos sibi eruerunt, cumque à sua Sede fugaverunt.* Mota est Romæ seditio adversùs Leonem anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono. Ergo decessit Ethelredus Rex anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto, eodémque anno regnare cœpit apud Nordhumbros Eardulfus. Huic quoque Chronologiæ consentit Abbreviario eidem libro quarto Historiarum Henrici Huntindoniensis adjecta, quæ sic habet. *Ardulf regnavit* 12 *annis, & à suis fugatus est à suo Regno.* Nordhumbrorum enim Rex Ardulf sive Eardulf aut Eardulfus è Regno pulsus in Franciam ad Carolum Imperatorem anno Redemptoris octingentesimo octavo confugit, ut ex variis Francorum & Anglorum Annalibus ad illum annum probabimus. Atque hæc est ratio, cur in stabilienda rerum Britannicarum Chronologia paulisper nobis hic immorandum duxerimus.

AN. CH. 797. CAROLI R. 29. PIPPINI LUDOV. RR. 17. CAROLI R. 9.

ANNUS

CHRISTI		797.
CAROLI SEN.	R.	29. 26. 24.
PIPPINI II.	R.	17.
LUDOVICI	R.	17.
CAROLI JUN.	R.	9.

I. ANNO Christi septingentesimo nonagesimo-septimo Carolus Aquis ubi hyemem egerat, Pascha quoque celebravit. Id præter alios testatur Annalista Laureshamensis, qui rerum hoc anno gestarum narrationem posteà sic orditur. *Barcinona civitas in limite Hispanico sita, quæ alternante rerum eventu, nunc Francorum, nunc Saracenorum ditioni subjiciebatur, tandem per Zatum Saracenum, qui tunc eam invaserat, Regi reddita est. Nam is æstatis initio Aquasgrani ad Regem venit, séque cum memorata civitate spontaneâ deditione illius potestati submisit. Quâ receptâ Rex filium suum Ludovicum ad obsidionem Oscæ cum exercitu in Hispaniam misit, & ipse more solito ad contundendam perfidæ gentis contumaciam, Saxoniam vastaturus intravit.* Utrùm Osca Francis deditionem fecerit, haud in comperto est, certè si cessit Ludovico, paulò pòst iterum sub jugo Saracenico gemuit.

BARCINO REDIT AD FRANCOS.

LUDOVICUS R. OSCAM OBSIDET.

AN. CH. 797. CAROLI R. 29. PIPPINI LUDOV. RR. 17. CAROLI R. 9.

Carolus verò *non priùs destitit* à vastanda Saxonia, *quàm omnes terminos ejus peragrasset. Nam usque ad ultimos fines ejus, quà inter Albim & Wisiram Oceano alluitur, accessit.* Hæc Caroli Regis in Saxoniam profectio distinctius in ejus vita sic exponitur ab Egolismensi Monacho. *Gloriosus Rex factâ expeditione in Saxoniam trans omnes paludes & invia loca usque ad Haduloba (hoc enim loco nomen, ubi Oceanus Saxoniam alluit) transiit. Et totâ Saxonum gente in deditionem per obsides acceptâ, reversus est Aquis Palatio.* Et ab Auctore incerto, sic. *Expeditio facta est in Saxoniam; & usque ad Oceanum, trans omnes paludes & loca invia, transitum est. Et Rex de Haduloba regressus (hoc enim nomen loco, ubi Oceanus Saxoniam alluit) totâ Saxonum gente in deditionem per obsides acceptâ, trans Rhenum in Gallias reversus est.* Nec omittendus

II. CAROLUS IT IN SAXONIAM.

videtur Moissiacensis Chronici textus, qui sic habet. *Anno* DCCXCVII *introivit Rex Karolus cum exercitu magno in Saxonia, & pervenit ad pagum qui dicitur Wintmodi, ubi firmitas eorum facta erat. Et ipsâ firmitate interruptâ introivit Rex cum exercitu suo in pagum illum, vastavit & incendebat pagum illum. Et huic denuò venerunt Saxoni de universis finibus & angulis ubi habitabant. Et tulit inde obsides quantùm ille voluit. Et de Frisionibus similiter.* De Frisionibus nihil aliu. Sed Frisii, cùm finitimi Saxonibus essent, ab his in societatem rebellionis facilè trahi potuerunt. Ceterùm locus in Oceani littore situs, ad quem usque Carolus cum exercitu penetravit, variis nominibus effertur, Oloha nuncupatur in Annalibus Fuldensibus, in Bertinianis Haduloa; Adulohoc in Metensibus, Hadulobar in Loiselianis, Haduloba & Haduloha in vita Caroli.

III. REVERSUS CONVENTUM CELEBRAT AQUISGRANI.

Rex è Saxonia reversus, per aliquot hebdomadas Aquis degit, donec in Saxoniam iter mense Novembri rursum suscepit. Posteriorem hanc Caroli contra Saxones profectionem mox aggrediemur. Interim audi quid Auctor Chronici San-Dionysiani scribat de Conventu Episcoporum, Abbatum & Monachorum, apud Aquisgranum habito. DCCXCVII. *Carlus Rex ad Aquis Palatium Concilium habuit cum Episcopis, Abbatibus, Monachis, de Cœnobium Sancti Pauli qualiter constituere deberet. Et in ipso anno perrexit in Saxonia, & ibidem hyemavit.* De construendo Romæ ad Sanctum Paulum Monasterio ab Adriani Papæ temporibus consilium inierat. Id patet ex literis, quas anno priori direxit ad Angilbertum Romam denuò profecturum. Integras suo loco descripsimus. Fragmentum placet hic repetere. *Qualis mihi esset conlatio cum beato Adriano Papa prædecessore illius*, nempe Leonis Tertii, *de construendo Monasterio ad Sanctum Paulum, nullatenus dimittas suggerere illi, ut volente Deo revertens certum mihi responsum habeas referre.*

IV.

Carolum in Aquisgranensi Palatio morantem convenerunt Abdalla Saracenus & Theoctistus Legatus Nicætæ Siciliam tunc regentis. Quo quisque consilio, palàm ostendendum.

V.

Abdalla sive Abdella vel Adabdella sive Abdella patrem Abderramenum, fratrem Isenum habuit, Reges Cordubenses seu Caliphas Hispaniarum, de quorum gestis & ætate nobis sæpè disserendum fuit. Anno superiore, cùm Isenum sive Hisjamum fratrem mortuum rescivisset, in Hispaniam statim redierat cum Zulema fratre, quocum in Mauritania priùs exulabat. Inde ortum in Hispania bellum civile, Saracenis non paucis ab Alhaca sive Hakemo Rege deficientibus, ut patruos ejus Zulemam & Abdallam sequerentur. Hoc autem anno fratribus placuit, ut horum alter ad Carolum Francorum Regem proficisceretur, & auxiliares ab eo copias adversùs Alhacam postularet. Id in se recepit Abdalla, quem Carolus Aquisgrani benignè suscepit, & in suo comitatu, donec Ludovicus Aquitaniæ Rex ex Hispania reversus esset, prudenter detinuit, nec antè dimisit, quàm colloquium cum Ludovico filio de rebus Hispanicis habuit, &, quonam in statu versarentur, ex ejus ore didicit. Hæc narrationis series. Jam verò, quid ad hunc annum veteres Annalistæ Francorum scripserint, necesse est

AUDIT ABDALLAM SARACENUM,

AN. CH. 797. CAROLI R. 29. PIPPINI LUDOV. RR. 17. CAROLI R. 9.

investigemus, egent enim interpretatione, ne nostræ videantur sententiæ refragari. Annalistæ, Loiselianus, Fuldensis, Tilianus, Bertinianus, & Metensis sic habent. *Rex in Aquis Palatio Abdellam Sarracenum filium Ibimanga Regis, qui à fratre Regno pulsus in Mauritania exulabat, ipso semetipsum commendante, suscepit.* Apud Annalistam Laureshamensem Rex, *cùm Aquasgrani venisset, ibi Abdellam Saracenum filium Ibinmanga Regis de Mauritania ad se venientem* suscepisse dicitur. Eadem scribunt incertus Auctor & Monachus Egolismensis in vita Caroli, necnon & Regino in suo Chronico. Ceterùm Abdalla, quem Francici Scriptores *Ibimanga* sive *Ibinmanga* vel *Ibimaura*, aut *Ibinmaga* filium vocant, patrem habuit Abderahmanum Abenhumeiam, fratrem Isenum sive Hisjamum, à quo pulsus ex Hispania secessit in Mauritaniam, sive in Africam cujus pars Mauritania, mortnóque eodem Iseno fratre, cujus obitum anno superiore consignavimus, è Mauritania non Aquisgranum ad Carolum Francorum Regem, sed in Hispaniam cum Zulema fratre profectus est, ut domesticos in Hispania motus adversùs Alhacam Iseni successorem concitarent; deinde hoc anno, cùm Zulemam ad eosdem tumultus fovendos in Hispania reliquisset, ipse Aquisgranum perrexit, fœdus suo Zulemæque fratris nomine percussurus cum Carolo, qui tres Legatos, Lanfridum, Sigimundum & Isaacum in Orientem ad Aaronem hoc eodem anno direxit, ut infrà patebit ex iis quæ post quadriennium in reditu Isaaci dicemus.

VI. ET LEGATUM IMP.

Aquisgranum quoque venit Theoctistus, de quo sic Annalista Loiselianus. *Illuc*, id est, Aquisgranum, *& Legatus Nicetæ, qui tunc Siciliam regebat, nomine Theoctistus, venit, Imperatoris epistolam portans. Quem magnificè suscipiens, post paucos dies absolvit.* Suffragantur verbis vel iisdem omnino, vel paululum immutatis, Annalistæ, Tilianus, Fuldensis, Bertinianus, ac Metensis; item Regino in suo Chronico, necnon incertus Auctor & Monachus Egolismensis in vita Caroli. Regino & Annalista Metensis Legatum Nicetæ non Theoctistum sed Theophilum appellant. Et Monachus Egolismensis illum Nicetæ non Legatum sed filium dicit. Vana fuit ea Legatio, quia mense Julio Constantinus Imperator Irenæ matris insidiis orbatus est oculis, ac paulò pòst decessit. Lege Theophanem, apud quem, ut sciatur tempus, quo Constantinus excæcatus fuit, tres hi Characteres occurrunt observandi, Indictio quinta, Sabbatum, & dies Julii decimusquintus, nec hæ notæ alium Christi designant annum, quàm septingentesimum nonagesimum-septimum, quocum convenit litera Dominicalis A, necnon & Indictio quinta per mensem Julium.

VII. EDIT CAPITULARE.

Carolus priusquàm in Saxoniam secundò proficisceretur, Aquisgrani non tantùm res egit suprà memoratas, sed & Conventum habuit Episcoporum, Abbatum, Comitum, atque etiam Saxonum, tam Ostphalorum, quàm Angariorum, & Westphalorum, edidítque Capitulare quinto Kalendas Novembris, quod à Luca Holstenio publicatum in Collectione* Romana veterum aliquot Historiæ Ecclesiasticæ monumentorum, & ab ultimis Conciliorum Collectoribus insertum Tomo septimo reperies.

* Part. 2.

VIII. In Præfatione præter diem jam notatum tres Chronologici Characteres, annus Incarnationis Dominicæ, annus Caroli Regis in Francia, & annus ejusdem Caroli Regis in Italia seu Longobardia, sic exprimuntur. *Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi* DCCXCVII. *&* XXX *ac* XXII, *regnante Domno Carolo Præcellentissimo Rege, convenientibus in unum Aquis Palatio in ejus obsequio Venerabilibus Episcopis & Abbatibus, seu Illustribus viris Comitibus*, V *Kal. Novemb. simúlque congregatis Saxonibus* &c. Dubium non est, quin Carolus quinto Kalendas Novembris, anno Christi septingentesimo nonagesimo-septimo, tricesimum Regni annum à Pippini patris obitu numerarit. Suspectus tamen nobis est Character ab Incarnatione Dominica, quia talis annorum computus in usu non erat apud

Francos

AN. CH. 797. CAROLI R. 29. PIPPINI LUDOV. RR. 17. CAROLI R. 9.

Francos ætate Caroli. Prætereà manifestus est error in anno Regni Carolini per Italiam, cum anno enim tricesimo Caroli Regis in Francia non consentit annus ejusdem Regis in Italia vicesimus-secundus sed vicesimus-quartus per mensem Octobrem. Expuncto igitur *anno* XXII, reponendus est annus XXIV, ipsáque Præfatio sic est edenda. *Anno* XXX *ac* XXIV, *regnante Domno Carolo Præcellentissimo Rege, convenientibus in unum Aquis Palatio in ejus obsequio Venerabilibus Episcopis & Abbatibus, seu Illustribus viris Comitibus,* V *Kal. Novemb. simúlque congregatis Saxonibus de diversis pagis, tam de Vestfalahis & Angrariis, quàm & de Oostfalahis, omnes unanimiter consenserunt & aptificaverunt, ut de illis Capitulis, pro quibus Franci, si Regis bannum transgressi sunt, solidos* LX *componunt, similiter Saxones solvant, si alicubi contra ipsos bannos fecerint.*

Sequuntur undecim Capitula, sed eorum ordo videtur immutatus, quia secundum supponit octo jam præcessisse, sic enim inchoatur. *Si quis supradicta* VIII *Capitula transgressus fuerit.* Suspicamur ordinem ita restituendum, ut quod in editionibus secundum ponitur, habeatur nonum propter verba proximè descripta, & ab octo Capitulis, quæ sequuntur, initium sortiatur Capitulare, Capitulo quoque, quod primum locum occupat, in postremum rejecto. Singulis Capitulis differentiam numerorum apponemus. IX.

Primum Capitulum, vulgò tertium. *Placuit omnibus Saxonibus, ut ubicunque Franci secundùm Legem sol.* XII *solvere debent, ibi nobiliores Saxones sol.* XII, *ingenui* V, *liti* IV *componant.* De litis actum Tomo tertio [a]. X.

[a] Ad an. 618. n. 76

Secundum Capitulum, vulgò quartum. *Hoc etiam statuerunt, ut qualiscumque causa infra patriam cum propriis vicinantibus pacificata fuerit, ibi solito more ipsi pagenses sol.* XII *pro districtione recipiant, & pro Wargilda, qua juxta consuetudinem eorum solebant facere, hoc concessum habeant. Si autem in præsentia Missorum Regalium causa definita fuerint, pro jam dicta Wargilda suprascriptos sol.* XII *ipsi* * *pagenses habeant concessos; & pro hoc quia Missus Regalis ex hac re fatigatus fuerit, alios* XII *sol. inde recipiat ad partem Regis. Si autem ipsa causa ad Palatium in præsentia Regis ad definiendum fuerit perducta, tunc utrique solidi* XII, *id est, pro Wargilda, & quod vicinis debuit componere, eò quod infra patriam definita ratio non fuerit, ad partem Regis faciant componere, quod sunt solidi* XXIV. *Nam si fuerit aliquis, qui in patria, juxta quod sui convicini judicaverint, séque pacificare noluerit, & ad Palatium pro hujus rei causa venerit, & ibi ei fuerit judicatum, quòd justum judicium judicassent, in prima vice, ut suprà dictum est, sol.* XXIV *ad partem Regis componat. Et, si tunc inde rediens se pacificare & justitiam facere renuerit, & iterum pro ista causa ad Palatium fuerit convocatus & dejudicatus, bis* XXIV *solidos componat. Si verò necdum correptus tertià vice pro eadem re ad Palatium remeaverit, triplam compositionem exinde faciat ad partem Regis.* De Wargilda seu Wergilda vel Wergildo actum quoque Tomo secundo [b]. XI.

* ipsis

[b] An. 582. n. 6 & 595 n. 8.

Tertium Capitulum, vulgò quintum. *Si quis de nobilioribus ad placitum mannitus*, id est, ad judicium vocatus, *venire contempserit, sol.* IV *componat; ingenui* II. *liti* I. XII.

Quartum Capitulum, vulgò sextum. *De Presbyteris statuerunt, quòd si aliquid eis aut eorum hominibus quis contrarium facere aut tollere præsumpserit contra justitiam, omnia in duplum restituat ei, & componat.* Melior esset hæc lectio, & fortè reponenda, *omnia in duplum restituat eis*, id est, Presbyteris aut eorum hominibus ut suprà, *& componat.* XIII.

Quintum Capitulum, vulgò septimum. *De Missis Regis statuerunt, ut, si ab eis aliquis interfectus evenerit, in triplum eum componere debeat, qui hoc facere præsumpserit. Similiter quidquid ab* * *eorum hominibus factum fuerit, omnia tripliciter faciant restaurare, & secundum eorum ewa*, seu Leges, *componere.* In Glossariis Lindenbrogii & Spelmanni ewa Lex est, & in plurali numero XIV.

* aut eorum omnibus

AN. CH. 797. CAROLI R. 29. PIPPINI LUDOV. RR. 17. CAROLI R. 9.

ewæ Leges. Ex hoc autem Capitulo & ex sequenti nota ewum quoque in neutro genere pro Lege, & pluraliter ewa pro Legibus usurpari.

XV. Sextum Capitulum, vulgò octavum. *De incendio convenit, quod nulla infra patriam præsumat facere propter iram aut inimicitiam, aut qualibet malevolà cupiditate; excepto, si talis fuerit, qui justitiam facere noluerit, & aliter districtus esse non poterit, & ad nos, ut in præsentia nostra justitiam reddat, venire despexerit, condicto commune placito simul ipsi pagenses veniant, &, si unanimiter consenserint, pro districtione illius casa incendatur: tunc de ipso placito commune consilio facto secundum eorum ewa fiat peractum, & non pro qualibet iracundia aut malevola intentione, nisi pro districtione nostra. Si aliter facere ausus fuerit, sicut superius dictum est, solidos* LX *componat.*

XVI. Septimum Capitulum, vulgò nonum. *Item placuit, ut quandoquidem voluerit Domnus Rex propter pacem, & propter faidam, & propter majores causas bannum fortiorem statuere, unà cum consensu Francorum & fidelium Saxonum, secundùm quod ei placuerit, juxta quod causa exigit, & opportunitas fuerit, solid.* LX *multiplicare in duplum, & sol.* C. *sive usque ad mille componere faciat, qui ejus mandatum transgressus fuerit.*

XVII. Octavum Capitulum, vulgò decimum. *De malefactoribus, qui vita periculum secundùm ewa Saxonum incurrere debent, placuit omnibus, ut qualiscunque ex ipsis ad Regiam potestatem confugium fecerit, aut in illius sit potestate, utrùm interficiendum illis reddat, aut unà cum consensu eorum habeat licentiam ipsum malefactorem cum uxore & familia & omnia sua foris patriam intra sua Regna, aut in marca, ubi sua fuerit voluntas, collocare, & habeat ipsum quasi mortuum.*

XVIII. Nonum Capitulum, vulgò secundum. *Si quis supradicta* VIII *Capitula transgressus fuerit, omnes statuerunt & aptificarunt, ut Saxones similiter sicut & Franci* LX *sol. componant.* Huic Capitulo non secundum locum, ut vulgatæ habent editiones, sed nonum tribuendum manifestissimè declarant hæc verba. *Si quis supradicta* VIII *Capitula transgressus fuerit.*

XIX. Decimum Capitulum, vulgò undecimum. *Illud notandum est, quales debent solidi esse Saxonum, id est, bovem annoticum utriusque sexûs autumnali tempore sicut in stabulum mittitur pro uno solido: similiter & vernum tempus quando de stabulo exiit, & deinceps quantùm ætatem auxerit, tantum in pretio crescat. De annona verò bortrinis pro sol. I. scapilos* XL *donant, & de sigale* XX. *septintrionales autem pro solido scapilos* XXX *dente, & sigale* XV. *Mel verò pro solido bortrensi sigla I & medio donant: septentrionales autem duos siclos de melle pro I solido donent. Item hordeum mundum sicut & sigale pro I solido donent. In argento* XII *denarios solidum faciant; & in aliis speciebus ad istud pretium omnes æstimationes compositionis sunt.*

XX. Undecimum Capitulum, vulgò primum. *Ut Ecclesia, viduæ, orfani, & minùs potentes justam & quietam pacem habeant; & ut raptum, & fortiam, nec incendium intra patriam quis facere audeat præsumptivè, & de exercitu nullus super bannum Domini Regis remanere præsumat.* Hoc Capitulum suo præcipuè movemus è loco, quia vulgatum decimum, in quo malefactores vitæ periculum secundùm *ewa Saxonum* incurrunt, inter octo recenseri debuit, quibus vulgatum secundum proximè subjiceretur, ut nonum locum obtineret sibi profectò debitum propter hæc verba. *Si quis supradicta* VIII *Capitula transgressus fuerit.* Si valet hæc observatio, quærendum solummodo superest, utrùm hoc idem Capitulum habendum sit decimum an undecimum. Vulgato secundo, quod nono loco ponendum fuit, adjecimus immediatè vulgatum undecimum, quia totum est de solidis Saxonum, sitque mentio solidorum in omnibus fermè præcedentibus; in vulgato videlicet secundo quod à nobis nonum numeratur, & in vulgatis tertio, quarto, quinto, octavo, & nono, quæ nobis sunt, primum, secundum, tertium, sextum, & septimum.

AN. CH. 797.

Actum hoc Capitulare Aquiſgrani quinto Kalendas Novembris. Carolus Aquiſgrano iter in Saxoniam medio menſe Novembri ſuſcepit. Qua de re ſic Annaliſta Loiſelianus. *Rex Novembrio menſe mediante ad hibernandum cum exercitu Saxoniam intravit, poſuiſque caſtris apud Wiſeram fluvium, locum caſtrorum Heriſtelli vocari juſſit.* Annaliſtâ Petaviano teſte *fecit ædificia magna ſuper fluvium Wiſera in loco, qui vocatur Hariſtello.* Locum hunc Regino & Annaliſta Metenſis *Heriſtellum* nominant, *Heriſtch* Annaliſta Tilianus, *Heriſtelli* Monaehus Egoliſmenſis & Annaliſta Loiſelianus, *Hariſtelli* Annaliſta Bertinianus, *Hariſtallium* Annaliſta Fuldenſis, *Heriſtal* incertus Auctor, *Heriſtalli* & *Hariſtallium* Chronographus Moiſſiacenſis, qui nominis rationem ſic etiam reddit, *Heriſtalli appellant eò quòd ex exercitu ſuo fuerant conſtructa ipſa manſiones ubi habitabant.* XXI.

It iterum in Saxoniam. Novum condit Hariſtallium.

Si fides eſt Annaliſtæ Laureshamenſi, Carolum in Saxoniam denuò profectum adierunt, Pippinus Rex ex Italia, Ludovicus Rex ex Hiſpania Tarraconenſi, Legati Hunnorum ex Pannonia, Legatus Alfonſi Regis ex Gallæcia. *Rex exercitum, quem ſecum adduxit, per totam Saxoniam in hyberna diviſit. Illuc Pippinum de Italica & Ludovicum de Hiſpanica expeditione regreſſum ad ſe venire juſſit. Ibi Legatos Hunnorum cum magnis muneribus ad ſe miſſos audivit & abſolvit. Ibi Legatum Adelfonſi Regis Aſturicæ atque Galetiæ ſibi dona deferentem ſuſcepit. Inde iterum Pipinum ad Italiam, Ludovicum ad Aquitaniam miſit, cum quo & Abdellam Saracenum ire juſſit. Qui poſteà, ut ipſe voluit, in Hiſpaniam ductus, & illorum fidei, quibus ſe credere non dubitavit, commiſſus eſt. Rex autem in Saxonia reſidens, ibi & Natalem Domini & Paſcha celebravit.* Hic textus, ut cuncta meliùs intelligantur, varias in partes dividi conferrique cum aliis Auctoribus debet. Singulis de rebus quid ſentiamus, per ordinem exponemus. XXII.

De Pippino id unum ad hunc annum audemus affirmare, quòd eum Carolus in Italiam remiſit, quia nec Annaliſta Laureshamenſis, nec quis alius, eundem Pippinum, qui ſub exitum anni prioris Aquiſgranum è Pannonia venerat, hoc anno memorat digreſſum è patris comitatu, quem exeunte hoc eodem anno rurſus adierit. Annaliſtæ, Loiſelianus, Tilianus, & Bertinianus, necnon incertus Auctor & Monachus Egoliſmenſis in vita Caroli ſic ſcribunt. *Inde*, id eſt, è Saxonia, Carolus *filium ſuum Pipinum ad Italiam miſit.* Regino & Annaliſta Metenſis, ſic. *Filium ſuum Pippinum in Italiam remiſit.* Filium igitur in Italiam hoc anno ſeu miſiſſe ſeu remiſiſſe dicitur Carolus, Auctorum hæc una mens eſt, ut Pippinum, qui patrem exeunte anno ſuperiore convenerat, in Italiam hoc anno pariter exeunte miſſum à patre ſignificent. Nec audiendus eſt Annaliſta Laureshamenſis, qui Pippinum, de cujus diſceſſu è patris aula poſt adventum anno priore conſignatum ſilent Auctores, in Saxoniam exeunte hoc anno ad patrem rurſum veniſſe ac paulò pòſt in Italiam ab eodem patre remiſſum ſcribit. XXIII.

Pippinum remittit in Italiam.

Secus eſt de Ludovico. Hic enim, cùm patrem bellum in Saxonia gerentem anno priori comitatus eſſet, hoc anno ſub æſtatis initium miſſus eſt in Hiſpaniam, ut dictum ſuprà; deinde revocatus patrem alterâ vice Saxoniam hoc anno jam ingreſſum convenit, à quo rurſum in Hiſpaniam citiſſimè directus eſt. Utriuſque profectionis in Hiſpaniam hoc anno ſuſceptæ patet cauſa. Barcinone Dominationi Francicæ per Zatum Saracenum redditâ, Ludovicus in Hiſpaniam à patre miſſus eſt initio æſtatis; at revocatus eſt ad patris comitatum, cùm Aquiſgranum, ubi Carolus priore contra Saxones expeditione jam confectâ tunc degebat, Abdalla Saracenus ex Hiſpania ſe contuliſſet; patri tamen ſe non ſtitit ante menſem Decembrem, cùm Carolus in Saxoniam denuò profectus ad Viſurgim caſtra poſuiſſet; paucis tantùm diebus cum patre commoratus eſt, itérque ſtatim in Hiſpaniam cum prædicto Abdalla repetiit. Qua de XXIV.

Ludovicum ex Hiſpania revocatum remittit illuc denuo cum Abdalla Saraceno.

AN. CH. 797. CAROLI R. 29. PIPPINI LUDOV. RR. 17. CAROLI R. 9.

te fic Annalifta Loifelianus. *Inde*, id eft, à ripa Wifetæ feu Vifurgis, ubi novum Heriftellium muniebat, Rex *Abdellam Sarracenum cum filio fuo Hludovico in Hifpanias reverti fecit.* Alii fuffragantur Annalıftæ, Tilianus, Metenfis, & Bertinianus; fuffragatur & Regino cum incerto Auctore & Monacho Egolifmenfi. Carolus Abdallam cùm Aquifgrani tum in Saxonia fecum detinuit, nec eum priùs voluit dimittere, quàm audiiffet à Ludovico filio, quonam in ftatu res Saracenorum in Hifpania verfarentur. Ufus fanè prudenti confilio. Quæ verò fecuta funt, exponemus anno fequenti, quo Abdalla in Hifpaniam pervenit Alhacæ Regi, nepoti fuo ex fratre, bellum illaturus.

XXV. AUDIT LEGATOS HUNNORUM.

Cùm Carolus ad Vifetam in Caftris refideret, *illuc Legati gentis Avarorum* five Hunnorum *cum muneribus magnis venerunt.* Id teftatur Annalifta Loifelianus, cui hac quoque in parte adftipulantur, Tilianus, Metenfis, & Bertinianus, cum Reginone, incerto Auctore, & Monacho Egolifmenfi. *Theodonis*, cujus fuprà meminimus, *an alterius Principis ex Pannonia ii Legati fuerint, incertum* fcribit Melchior Inchofer in Annalibus Ecclefiafticis Hungariæ. Theodo, feu *Thudun*, ut Annalifta Laureshamenfis [a] tradit, *in promiffa fide diu manere noluit, nec multò pòft perfidiæ fuæ pœnas dedit.* Directam ab eo Legationem, de qua loquimur, haud putamus; in caufa potiùs fuit, cur Pippinus in Italiam à Carolo remiffus fit.

[a] Ad an. 796.

XXVI. Quod attinet ad Alfonfi Legatum, hic in confpectum Caroli non venit ante annum fequentem, quo mentionem illius veteres Annaliftæ faciunt, ut ad eundem annum probaturi fumus.

XXVII. ODOHELMUS MUNIFICUS ERGA ORATORIUM A LIUDGERO CONSTRUCTUM AD ISALAM FL.

Hoc autem anno, tertio Kalendas Julii, cùm annus Caroli Regis undetricefimus numerabatur, Abbati Liudgero Donationem fecit Oodhelmus. *Tradidi*, inquit ille [b], *tertiam partem hæreditatis meæ ad Reliquias Sancti Salvatoris ceterorúmque Sanctorum, quæ à Liudgero Abbate in Withmundi conftitutæ funt. In ea verò ratione tamen, ut, quamdiu vixero in præfenti mortalitate, ad me pertineat pars illa jufto fervitio, ad augendum non ad minuendum: poft obitum verò meum de hac vita cum omni integritate in jus tranfeat fupradictarum Reliquiarum & fervorum Dei qui eas legitimè cuftodire reperientur. Hæc autem pars tertia hæreditatis meæ tribus in locis confiftit; in pago Hifloi, in villa quæ nuncupatur Oceanni, hova una; in pago verò Nortwianti, in villa quæ dicitur Huleri, hova altera; & in eodem pago hova tertia, in villa quæ dicitur Manheri; & fexta pars hovæ quartæ, in villa quæ appellatur Hronheri, quæ etiam fexta particula hovæ illius me vivente in ufus vergit jam dictarum Reliquiarum, cum illis comprehenfionibus* feu poffeffionibus, *quæ noftræ funt juxta Hiflam. Hæc omnia trado atque transfundo ad memoratas Reliquias, & ad ufus fervorum Dei, qui eafdem Reliquias Sanctas procurare jufte videntur. Acta eft autem publicè, in loco qui nuncupatur Withmundi, anno* XXIX *Regni Domni Religiofi Regis Carli*, III *Kal. Julii.* Inter teftium figna & nomina hoc habetur penultimo loco. *Ego Hildigrimus indignus Diaconus fubfcripfi.* De Withmundi fitu actum anno priore, & ex hac Charta liquet à Ludgero non omnes Reliquias, quas ab Adriano Papa quondam acceperat, in Werthinenfi Monafterio ad Rutam fluvium collocatas fuiffe, fed partem earum in villa, cui nomen Witmundi ubi quoddam Oratorium conftruxerit, ad Ifalam amnem nec procul ab urbe Zutphanienfi reconditam effe. Fuit Hildigrimus Ludgeri frater, de quo fæpè differemus.

[b] Ap. Henfchen. d. 26. Mart. in Comment. de S. Ludgero, §. 4. n. 25.

XXVIII. FELIX EP. URGELLIT. HÆRESIM SUAM PROPUGNAT SCRIPTO AD ALCUINUM LIBELLO.

Hoc eodem anno Felix Urgellitanus Epifcopus libellum, quo fuam propugnabat hærefim, Alcuino Monafterii Turonenfis Abbati direxit. Illo de libello fic Alcuinus libro primo adversùs Elipantum. *Felix infeliciter ad veftras refugiens partes fopitos infidelitatis cineres vobis exhortantibus refufcitare intendit. Cui ego in has adveniens partes charitatis calamo epiftolam exhortatoriam, ut fe Catholicæ jungeret unitati, dirigere curavi. Cui ille non epiftolari brevitate, fed libelli prolixitate refpondere vifus eft, atque in eo omnes perfidiæ*

vestra foveas maximè aperuit, asserens Christum & veterem hominem esse & nuncupativum Deum, & adoptivum Filium, & secundâ indiguisse regeneratione, & alia plurima Ecclesiastica doctrina inconvenientia. Et in epistolis quarta & octava Carolo Regi inscriptis. *Nuper*, inquit epistolâ octavâ, *venit mihi libellus à Felice infelice directus, cujus, propter curiositatem, cùm paucas paginolas legendo percucurri, inveni pejores hareses, vel magis blasphemias, quàm antè in ejus scriptis legerem. Adserens Christum Jesum nec filium Dei esse verum, nec etiam verum Deum esse, sed nuncupativum. Non intendens, quid Prædicator egregius de divinitate Christi ait.* [*Quorum Patres, ex quibus Christus, qui est super omnia Deus benedictus in secula.*] *Et spero plura ibi invenire posse, qua fidei Catholica adversari videantur. Si nihil aliud inveniatur contra fidem Catholicam, hoc solum sufficit sibi ad perditionem sui. Va mundo ab scandalis! Ecce, qui adoratur ab Angelis in calis, negatur in terris ab hominibus verus esse Deus. Hujus verò libri, vel magis erroris responsio, multâ diligentiâ & plurimis adjutoribus est consideranda. Ego solus non sufficio ad responsionem. Prævideat verò tua sancta Pietas huic operi tam arduo & necessario adjutores idoneos, quatenus hac impia haresis omnimodis extinguatur, antequàm latiùs spargatur per Orbem Christiani Imperii, quod divina Pietas tibi tuisque filiis commisit regendum atque gubernandum.* Et epistolâ quartâ poscit adjutores, Paulinum Patriarcham Forojuliensem, Richboldum Archiepiscopum Trevirensem, & Theodulphum Episcopum Aurelianensem, sic. *De libello infelicis non magistri sed subversoris, placet mihi valdè, quòd vestra sanctissima voluntas & devotio habet curam respondendi ad defensionem fidei Catholica. Sed obsecro, si vestra placeat Pietati, ut exemplarium illius libelli Domno dirigatur Apostolico, aliud quoque Paulino Patriarcha, similiter Richbono & Theudulfo Episcopis, Doctoribus & Magistris, ut singulis pro se respondeant. Flaccus verò tuus tecum laborat in reddenda ratione Catholica fidei. Tantùm detur ei spatium, ut quietè & diligenter liceat illi & pueris suis considerare Patrum sensus, quid unusquisque diceret de sententiis, quas posuit prafatus subversor in suo libello. Et, tempore prafinito à vobis, ferantur vestra auctoritati singulorum responsa. Et quicquid in illo libello, vel sententiarum, vel sensuum, contra Catholicam fidem inveniatur, omnia Catholicis exemplis destruantur. Et, si aqualiter & concorditer cunctorum in professione vel defensione Catholica fidei resonant scripta, intelligi potest quòd per omnium ora & corda unus loquitur spiritus. Sin autem diversum aliquid inveniatur in dictis vel scriptis cujuslibet, videatur quis majore auctoritate Sanctarum Scripturarum vel Catholicorum Patrum innitatur, & huic laudis palma tribuatur, qui divinis magis inhareat testimoniis.* Hunc libellum Felix epistolam vocat in confessione fidei ad Urgelliranos missa. Synodus *nuper in Roma hac intentione pracipiente Gloriosissimo ac Piissimo Domino nostro Carolo adversùs epistolam meam, quam dudum venerabili viro Albino Abbati Toronensis Ecclesia scripseram, congregata est.* Inde liquet exemplar libelli Feliciani, ut Alcuinus per literas petierat, Romam à Carolo directum oblatúmque Leoni Pontifici. Nec vocamus in dubinm, quin & exemplaria Forum quoque Julii, Treviros & Aureliam transmissa sint ad Præsules, quos idem Alcuinus adjutotes ad refellendum Felicis libellum postularat. Paulinns Patriarcha Forojuliensis contra Felicem rres statim libros scripsit, de quibus agemus anno sequenti. Richboldo, qui priùs Mediolacensis Abbas fuit, quàm ad Archiepiscopatum Trevirensem promoveretur, locum inter Viros Illustres Ordinis Benedictini tribuit Joannes Trithemius, at nihil ab eo scriptum memorat. Theodulphi Aurelianensis Episcopi opuscula omnia, quæcumque magno studio colligere potuit, simul edidit ac notis illustravit Jacobus Sirmondus, at in illis nihil adversùs Felicem. Alcuinus, quamvis ad responsionem Feliciano libello faciendam se solum negaret sufficere, manum tamen admovit calamo tam feliciter, ut Felicem egregiè septem refutarit libris, de quibus ad annum quoque proximum fusior erit sermo.

AN. CH. 797. CAROLI R. 29. PIPPINI LUDOV. R R. 17. CAROLI R. 9.

Leo Romanus Pontifex lectis cùm Paulinitum Alcuini scriptis, Synodum Romæ congregavit adversùs libellum, quem Felix Alcuino dudum scripserat. Quis exitus Synodi fuerit, idem Felix in confessione fidei declarat his verbis. *In qua Synodo præsente Leone Apostolico, & cum eo ceteri Episcopi numero* LVII *residentes, & plerique Presbyteri ac Diaconi cum eis, in domo Beatissimi Petri Apostoli, per quorum omnium authoritatem istas jam dictas sententias nostras, non qualibet, ut dictum est, violentiâ, sed ratione veritatis, ut oportuit excluserunt.* Secuta pôst ejusdem Felicis conversio, quam ipsemet Felix in prælaudata fidei confessione sic proximè subjungit. *Quorum authoritate veritatis & totius Ecclesiæ universalis consensu convicti, meliori intellectui eorum quàm nostro, quem priùs sequebamur, conjuncti, ad universalem Ecclesiam, Deo favente, ex toto corde nostro reversi sumus.* Et Alcuinus libro primo adversus Elipantum, eandem Felicis conversionem anno Caroli Regis tricesimo-secundo sic consignat. *Idem Felix anno præfati Gloriosi Principis Caroli tricesimo-secundo advocatus voluntariè veniens ad Aquis Palatium, ibique in præsentia Domini Regis & Optimatum illius sive Sacerdotum Dei rationabiliter auditus, & veraciter convictus, atque Deo dans gloriam, verámque confessus fidem, in pacem Catholicæ unanimitatis reversus est cum suis discipulis, qui ibi tunc temporis erant præsentes.* Anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono Carolus annum Regni sui tricesimum-primum absolvit, ac tricesimum-secundum inchoavit octavo Kalendas Octobris. Atque inde liquet Felicem ad Catholicam fidem rediisse exeunte anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono, cùm Carolus Padibornâ reversus apud Aquisgranum hyemaret. Porrò, vox *nuper*, quâ Felix utitur, ubi de Romana Synodo adversùs epistolam suam seu libellum congregata disserit, apertissimè demonstrat illud Concilium ineunte eodem anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono convocatum fuisse à Leone Papa, priusquàm Româ discedere cogeretur. Felix autem *dudum*, antequàm Synodus illa cogeretur, epistolam, quæ tunc damnata est, à se scriptam testatur in textu jam allegato. Hæc nos ratio movet, ut eandem epistolam, cui nomen libelli propter prolixitatem tectè convenit, Alcuino à Felice directam hoc anno post natum Christum septingentesimo nonagesimo-septimo credamus.

XXIX. Florebat tunc in Septimania Benedictus Abbas, cujus eleemosynam ac pietatem erga pauperes ante quadriennium in fame publica commendavimus, eo videlicet anno quo relictâ Britanniâ Carolum Francorum Regem adiit Alcuinus. Inter utrumque singularis intercedebat amicitia, quam ejusdem Alcuini vita & scripta palàm prædicant. Uterque contra Felicem Urgellensem Episcopum strenuè dimicavit. De Alcuino probatum suprà. De Benedicto sic Auctor vitæ. *Cùm penè provinciam illam* nempe Septimaniam, *eodem tempore perversum Felicianum* * *dogma invaserit, hic ab omni pestifero perfidia errore illæsus, ope divinâ intus evasit, multósque non solùm inferiorum, verùm etiam Præsules Ecclesiæ suo eripuit studio, & adversùs nefandum dogma veris disputationum jaculis armatus sæpè congressus est.* Ab anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio quo valida fames Septimaniam vexavit, ad hunc usque annum quo Benedictus Abbas Monasterium Sancti Salvatoris erigere cœpit, nihil prorsus in ejus vita legitur, excepto textu proximè citato cum quibusdam Miraculis, quorum narrationi supersedemus brevitatis causâ. Toto illo quadriennio contra Felicem acerrimè disputatum, ut suis ostendimus locis. Atque inde arctiùs Alcuinum inter ac Benedictum conglutinata benevolentia, cùm eundem uterque hostem insectaretur.

* *Feliciani.*

BENEDICTUS ABB. IN SEPTIMANIA INSECTATUR DOGMA FELICIS EP. URGELL.

XXX. Ardo in Abbatis Benedicti vita, postquàm res suprà memoratas descripsit, sic transit ad ædificationem alterius Monasterii, quod hodie perstat & nomen Sancti Salvatoris gerit. *Hactenus de vita tanti Patris, qualiter divinâ illustrante Clementiâ seculum reliquerit, qualitérque in Gottis partibus transmi-*

AN. CH. 797. CAROLI R. 29. PIPPINI LUDOV. RR. 17. CAROLI R. 9.

graverit, ac de novo opere Monasterium construxerit, sufficiant, ut ad annos Christi septingentesimum septuagesimum-quartum & septingentesimum octogesimum fusè diximus. *Nunc, opitulante Christo, ex præcepto Caroli, quibus modis aliud in eodem loco Cœnobium ædificaverit, evidenti ratione pandamus. Anno igitur* DCCLXXII, *Caroli verò Magni Regis* XIV, *adjuvantibus eum Ducibus & Comitibus, aliam rursus in honorem Domini & Salvatoris nostri Ecclesiam prægrandem construere cœpit, sed & claustra novo opero alia, cum columnis marmoreis quamplurimis, quæ sita sunt in porticibus, non jam stramine domos sed tegulis cooperuit.* Est manifestus error in numeris Chronologicis, nam Caroli Regis annus XIV non anno Christi DCCLXXII sed DCCLXXXII illigatur; & Monasterii, de quo nunc inquirimus, primordia non possunt anno Christi DCCLXXII consignari, quia Benedictus nuntium rebus secularibus remisit Carolo Monarchiam Francorum jam adepto. Recurrit Bollandus [a] ad hunc annum à Christo nato DCCXCVII, quacum annus Caroli Regis XXIX componitur. Huic Chronologiæ nihil refragari videtur.

CONDIT MON. S. SALVATORIS,

[a] d. 12. Feb. in not. ad c. 5. vit. S. Benedict.

Novum Sancti Salvatoris Monasterium ab eodem Ardone sic describitur. XXXI. *Venerabilis Pater Benedictus piâ consideratione præventus, non in alicujus Sanctorum prætitulatione, sed in Deifica Trinitatis, uti jam diximus, nomine præfatam Ecclesiam consecrare disposuit. Quod dico, ut luce clariùs agnoscatur, in altari, quod potissimùm præ ceteris videtur, tres aras censuit subponi, ut in tribus aris individua Trinitas, & in uno altari essentialiter firma demonstretur Deitas. Altare verò illud forinsecus est solidum, ab intus autem cavum; illud videlicet præfigurans, quod Moyses condidit in eremo, retrorsum habens ostiolum, quo privatis diebus inclusæ tenentur capsæ cum diversis Reliquiis Patrum. Hæc de altari dicta sufficiant. Ad instrumentum domûs, quo ordine vel numerositate compositum, succinctè pergimus. Cuncta siquidem utensilia, quæ in eadem domo habentur, in septenario numero consecratâ noscuntur: septem scilicet candelabra fabrili arte mirabiliter producta, de quorum stipite procedunt hastilia sphærulæque ac lilia, calami ac scyphi, in nucis modum, ad instar videlicet illius facta, quod Beselel miro composuit studio. Ante altare etiam septem dependent lampades, miræ atque pulcherrimæ, inæstimabili fusæ labore, quæ à peritis, qui eas visere exoptant, Salomoniacè dicuntur conflatæ. Aliæ tantumdem in choro dependent lampades argenteæ, in modum coronæ, quæ in se insertis circulis cyathos recipiunt per gyrum, morísque est præcipuis in festivitatibus oleo repletos accendi, quibus accensis, veluti in die, ita in nocte tota refulget Ecclesia. Tria denique altaria in eadem sunt dicata Ecclesia vel Basilica, unum videlicet in honorem Sancti Michaelis Archangeli, aliud in venerationem beatorum Apostolorum Petri & Pauli, tertium in honorem almi protomartyris Stephani. In Ecclesia verò beatæ Dei Genitricis Mariæ, quæ primitus est fundata, Sancti Martini, necnon & beati Benedicti haberi videntur altaria. Illa verò, quæ in cœmeterio fundata consistit, in honorem Sancti Joannis Baptistæ consecrata dignoscitur, quo inter natos mulierum majorem neminem surrexisse divina attestantur oracula. Considerare libet, quantâ humilitate ac reverentiâ isdem metuendus sit locus, qui tot Principibus videtur esse munitus. Siquidem Dominus Christus, Princeps est omnium Principum, Rex Regum, & Dominus dominantium; Beata verò ejusdem Dei genitrix Maria cunctarum Virginum creditur esse Regina; Michael cunctis præfertur Angelorum; Petrus & Paulus capita sunt Apostolorum; Stephanus protomartyr Principatum tenet in choro testium; Martinus gemma refulget Præsulum; Benedictus cunctorum est Pater Monachorum. In septem item altaris, in septem candelabris, & in septem lampadibus septiformis gratia Spiritûs Sancti intelligitur.*

De Regula, quam Benedictus Abbas in Cœnobio Sancti Salvatoris ad XXXII. Anianum rivum cum suis Monachis profitebatur, sic idem Auctor. *Dedit cor suum ad investigandam Beati Benedicti Regulam, eámque ut intelligere posset satagens, circumivit Monasteria, peritos quosque interrogans quæ ignorabat,*

SUB REGULA S. BENEDICTI.

AN. CH. 797. CAROLI R. 29. PIPPINI LUDOV. RR. 17. CAROLI R. 9.

& omnium Sanctorum, quascumque invenire potuit, Regulas congregavit, normámque utilem, & Monasteriorum salubres consuetudines didicit, suísque eas tradidit Monachis observandas. De Concordia Regularum, quam seriùs scripsit, agemus infrà. In eodem autem Monasterio *instituit Cantores; docuit Lectores; habuit Grammaticos; & scientiâ Scripturarum peritos, de quibus etiam quidam post fuerunt Episcopi, aggregavit; librorum multitudinem congregavit; pretiosa vestimenta Ecclesiastica, calices argenteos pragrandes, offertoria argentea, & quicquid operi Dei necessarium esse conspexit, summo cum studio acquisivit.*

XXXIII. PRÆCEPTA GRIMOALDI DUCIS BENEVENT. PRO MON. CASINENS.

Hoc eodem tempore, quo Monasterium Sancti Salvatoris ad Anianum rivum erigebatur, & Benedictus, Abbas illius loci, Regulam Sancti Benedicti Casinensis investigabat, ipsum quoque Cœnobium Casinense locupletabatur. In Chronico enim Casinensi, quod libri primi vulgatum est caput aut vicesimum apud Breulium aut duodevicesimum apud Angelum de Nuce, duo complectitur Præcepra, quibus erga Casinense Monasterium Grimoaldus Dux Beneventanus munificum se præbuit Gisulfo tunc Abbate.

XXXIV. *Huic*, inquit Chronographus, *prædictus Princeps Grimoaldus Præcepto suo firmavit omnes fœminas liberas, quæ servis hujus Monasterii fuerant copulatæ à tempore primi Gisulfi usque ad eam diem cum filiis & filiabus & universis eorum.* Datum est hoc Præceptum *Beneventi*, munitúmque Characteribus, ut Angelus de Nuce testatur, hunc annum designantibus, *nono* videlicet *anno Principatûs* Grimoaldi, *mense secundo, quintâ Indictione.* Ceterùm hæ voces *a sempore primi Gisulfi* nonnihil difficultatis involvunt. In Catalogis enim Ducum Beneventanorum ante Grimoaldum Arichisi filium, cujus Præceptum hîc laudamus, duo recensentur Gisulfi, prior, qui Ducatum gessit antequam Casinense Monasterium instauraretur, junior qui eâdem vixit ætate quâ Petronax prædicti Cœnobii reparator. Angelus de Nuce textum Leonis interpretatur de Gisulfo juniore, quia primus Beneventanorum Ducum largifluâ donatione Monasterium Casinense locupletavit. *Ergo*, inquit, *à tempore Gisulfi primi, hoc est, à tempore primi Donatoris.* Illam Gisulfi junioris Donationem non omisit Leo capite quinto libri primi, quod ab Angelo de Nuce genuinum exhibetur, in epitomen verò redigitur à Breulio. Titulus est *de adventu Gisulfi Ducis in hunc locum*, id est, in Casinense Monasterium, *& de concessione totius in circuitu terra.* Circuitum per partes exponit editio Angeli de Nuce, Breuliana minimè.

XXXV. *Alio quoque Præcepto* Grimoaldus *concessit in hoc loco*, sive *huic loco* ut Breulius reponit, id est, Cœnobio Casinensi, *Monasterium Sanctæ Mariæ in Banzæ, quod situm est in finibus Acerentiæ, cum servis, & ancillis, atque colonis, & cum omnibus ex integro possessionibus ac pertinentiis ejusdem Monasterii.*

XXXVI. EPISCOPI WIRCEBURG.

Humbertus Wirceburgensem Cathedram, ut Egilwardus observat, *annis decem, mensibus tribus, diebus octo* tenuit, &, ut Bruschius notat, obiit *mense Martio*, hoc utique anno, si Tomo priore [a] Chronologiam Wirceburgensium Episcoporum benè stabilivimus. Successit Wolfgerus, quem Auctor Traditionum [b] Fuldensium ad Ludovici Pii Augusti tempora pervenisse testatur, nec aliter sentit Egilwardus, affirmat enim illum *annis sedisse viginti-duobus, mensibus sex.* Non adeò facile est annos distinguere, quibus Abbatissæ Kitzingenses in eadem Diœcesi Wirceburgensi vel Præfecturam Monasterii susceperunt vel vitam clauserunt regnante Carolo. Apud Bruschium in Chronologia Monasteriorum Germaniæ, & apud Bucelinum in Monasteriologia Imperii Germanici, post Heilgam, cujus regimini Cœnobium anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto commissum est, hæ recensentur Abbatissæ solis duntaxat nominibus notæ, Bertha, Sophia & Alberadis.

[a] Ad an. 751. nn. 59. & seqq.
[b] Lib. 2.

ABBATISSÆ KETZINGENSES.

XXXVII. Alcuinus expositionem *Beati Joannis Evangelistæ*, quam Gisla Kalensis Abbatissa ejusdémque loci Sanctimoniales anno priore postularant, septem

libris

AN. CH. 797. CAROLI R. 29. PIPPINI LUDOV. RR. 17. CAROLI R. 9.

VARIA SCRIPTA ALCUINI.

libris hoc anno confecit. Quioque dedicavit Gislæ ac Richtrudæ, sic; *Nobilissimis in Christianæ Religionis sanctitate, & in sapientiæ studiis devotissimis, Deoque dicatis virginibus, Gisla sorori & Richtrudæ filiæ, humilis frater & pater Albinus, perpetuæ beatitudinis salutem;* duos postremos eidem Gislæ & Columbæ, sic, *Charissimæ in Christo sorori Gislæ & filiæ Deo votæ Columbæ, humilis Levita Alcuinus salutem.* In posteriore epistola dedicatoria Carolum non Imperatorem sed Regem dixit. *Totius*, inquit, *forsitan Evangelii expositionem direxi vobis, si me non occupasset Domini Regis præceptum in emendatione veteris novique Testamenti.* Atque ex hoc textu liquet totam divinam Scripturam ab Alcuino recognitam fuisse hortante Carolo Rege. Baronius [a] ipsius Alcuini epigrammata de recognitione ac emendatione totius divinæ Scripturæ publicavit, & Carolum, quòd eumdem Alcuinum ad illud opus suscipiendum impulisset, egregiè sic commendaodum duxit. *Eidem Carolo Magno debemus ingens opus illud ab eodem Alcuino sive Albino elaboratum, quo totius divinæ Scripturæ tam veteris quàm novi Testamenti vulgata editio emendata est. Acciderat enim, ut ipsa, multiplicium librariorum exscribentium vitio, mendis obsita jam vilesceret, quod periniquo animo ferens Carolus, ut quàm emendatissima ederetur, in pristinámque vendicaretur integritatem atque splendorem, studio propensiori curavit. Et ut, quod omnes refugerent ob nimiam difficultatem, omnino perficeretur, opus delegavit Albino ut absolveret. Qui in idipsum viribus totis invigilans universam divinam Scripturam è vetustioribus ac verioribus fontibus descriptam recognitam & emendatam eidem Carolo Magno obtulit.* Exemplar istius recognitionis, quod Romæ io Vallicellana Bibliotheca servatur, ita quoque laudavit idem Auctor. *Extat ejusmodi vetus Bibliorum Codex, Alcuini labor, in Vallicellana nostra Bibliotheca, ubi velut ingens thesaurus asservatur, utpote quòd viri eruditi, qui in emendatione Vulgatæ iterum nostro tempore laborarunt, eo ut antiquiori sunt usi, cui & plurimum detulerunt.*

[a] Tom. 9. a. 775. nu. 22. 23.

XXXVIII. ET PAULI DIACONI.

Extant Regiæ literæ, in quibus præter utriusque Testamenti tecognitionem, commendatur etiam Homiliarium, quod ejusdem Caroli Regis jussu Paulus Diacoous Monachus tum Casinensis collegit, ut *per totius anni circulum congruentes cuique festivitati distinctè & absque vitiis* essent *lectiones.* Istius epistolæ duas editiones, Spirensem unam, alteram Coloniensem, consuluimus, antequàm Joannes Mabillonus Spireosem inter analecta vetera tecudendam Parisiis curaret. Priorem hìc dabimus, quæ Spiræ primùm ex officina Petri *Drach* Junioris anno Christi millesimo quadringentesimo octogesimo secundo prodiit, & à Ludovico *Billaine* nuperrimè Parisiis hoc ipso anno post Christum natum millesimo-sexcentesimo septuagesimo-quinto tecusa est. Quicquid autem occurret discrepantiæ cum posteriore, quam Maternus Cholious anno Christi millesimo quingentesimo quioquagesimo-septimo Colooiæ publicavit, id totum in oram rejiciemus, ut utramque faciliùs conferre possis. *Karlus Dei fretus auxilio Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum, religiosis Lectoribus nostra ditioni subjectis. Cùm nos divina semper domi forísque Clementia, sive in bellorum eventibus, sive in* [1] *pacis tranquillitate custodiat, etsi quidquam* [2] *rependere ejus beneficiis tenuitas humana non prævalet, tamen quia est inæstimabilis misericordia* [3] *Deus noster, devotas suæ servituti benignè approbat voluntates. Igitur quia cura nobis est, ut Ecclesiarum nostrarum ad meliora semper proficiat status, obliteratam penè majorum nostrorum desidiâ reparare vigilanti studio litterarum satagimus officinam, & ad pernoscenda* [4] *sacrorum librorum studia, nostro etiam, quos possumus, invitamus exemplo. Inter quæ jam pridem universos veteris ac novi Testamenti libros, librariorum imperitiâ depravatos, Deo nos in omnibus adjuvante, examussim correximus. Accensi prætereà venerandæ* [5] *memoriæ Pippini genitoris nostri exemplis, qui totas Galliarum Ecclesias* [6] *suo studio Romana traditionis cantibus decoravit, nos nihilo minùs solerti easdem curamus intuitu, præ-*

[1] deest in
[2] rependere quioquam
[3] misericordiâ
[4] pernoscenda studia liberalium artium
[5] memoria venerandæ
[6] Ecclesias Romana traditionis, suo studio, cantibus

AN. CH. 797. *cipuarum insignire serie Lectionum. Denique quia* [7] *ad nocturnale Officium compilatas quorumdam casso labore, licèt recto intuitu, minùs tamen idoneè reperimus Lectiones, quippe quæ & sine Auctorum suorum vocabulis essent positæ, & infinitis vitiorum anfractibus scaterent, non sumus passi nostris diebus in divinis Lectionibus sacrorum* [8] *Officiorum inconsonantes perstrepere solæcismos; atque earumdem Lectionum in melius reformare tramitem, mentem intendimus, ídque opus Paulo Diacono familiari* [9] *nostro elimandum injunximus, scilicet ut studiosè Catholicorum Patrum dicta percurrens, veluti florentissimis* [10] *eorum pratis certos quosque flosculos legeret, & in unum, quæque essent utilia, quasi sertum aptaret. Qui nostræ Celsitudini devotè parere desiderans, tractatus atque sermones &* [11] *homelias diversorum Catholicorum Patrum perlegens, & optima quæque decerpens, in duobus voluminibus per totius anni circulum congruentes cuique festivitati distinctè & absque vitiis nobis obtulit Lectiones. Quarum omnium textum nostrâ sagacitate perpendentes, nostrâ* [12] *etiam auctoritate eadem constabilivimus, vestraque Religioni in Christi Ecclesiis tradimus ad legendum.*

[7] qui

[8] inter sacra Officia

[9] familiari clientulo nostro

[10] è latissimis

[11] deest, & homelias

[12] nostrâ eadem volumina auctoritate constabilimus

XXXIX. Ad firmandam nostram Chronologiam non parum hæ conducunt literæ, quia Carolus Regem se Francorum ac Longobardorum & Patricium Romanorum dicit, librósque veteris ac novi Testamenti priùs examussim correctos testatur, quàm Homiliarii colligendi provincia Paulo Diacono fuerit demandata. Quæ verò de Alcuini adventu in Galliam, déque rebus ab eo gestis præmissa sunt hactenus, apertissimè demonstrant utriusque Testamenti recognitionem nec ante hunc annum absolutam fuisse. Quâ perfectâ, Carolus statim complures Catholicorum Patrum Tractatus eo colligi consilio præcepit, ut in Officio nocturnali per totius anni circuitum congruentes cuilibet festivitati Lectiones aptarentur. Alterum hoc opus, ut ex literis suprà recitatis patet, completum quoque fuit, antequàm Carolus Imperator & Augustus acclamaretur. Atque inde liquet diuturnum tempus inter unius operis exitum & initium alterius haud intercessisse.

XL. Non desunt, qui posterius hoc opus, ut & prius, attribuant Alcuino Diacono. Versatur in hac opinione Sixtus Senensis, sic enim de Alcuino scribit libro quarto Bibliothecæ Sanctæ. *Collegit etiam, & in ordinem redegit, jussu Caroli Magni, præstantissimorum Ecclesiæ Doctorum Homilias in Evangelia, quæ per anni ambitum publicè in Templis leguntur.* Eidem opinioni favet editio Coloniensis, in qua Titulus hic Homiliario præfigitur. *Homiliæ sive Conciones præstantissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum, primùm ab Alcuino Levita, jussu Imp. Caroli Magni, in hunc ordinem redactæ, & nunc demùm præter omnes omnium hactenus accessiones, locupletatæ Homeliis doctissimis cumprimísque necessariis D. Eusebii Emisseni, suis quibusque locis collocatis.* Deinde *Doctorum, ex quibus hæ Conciones deprompta, Catalogus* ita sobjungitur in duplici columna.

Gregorius,	*Leo,*
Hieronymus,	*Fulgentius,*
Augustinus,	*Isidorus,*
Ambrosius,	*Alcuinus,*
Origenes,	*Audbertus,*
Hilarius,	*Beda,*
Chrysostomus,	*Haymo,*
Severianus,	*Ericus,*
Maximus,	*Eusebius Emissenus, &c.*

XLI. Ex his Auctoribus duo sunt Paulo & Alcuino Diaconis recentiores, Haymo videlicet Episcopus Halberstadiensis & Ericus Monachus Autissiodorensis, quos iisdem Levitis pridem mortuis floruisse constat. Longè

recentioris Auctoris sunt quæ nomine Eusebii Emisseni circumferuntur Homiliæ in Evangelia per totius anni circuitum, has enim Sanctus Bruno Astensis *, quem Gregorius Papa Septimus ad Episcopatum Signinum promovit, jure sibi vindicat ex Casinensibus ac Vaticanis Indicibus & ex fide Petri Diaconi Bibliothecarii Casinensis. Historicam de Scriptoribus Ecclesiasticis Dissertationem Philippi Labbei consule in Sancto Brunone Carthusiani Ordinis Institutore, in Eucherio Lugdunensi Episcopo, & in Eusebio Emiseno. Consule & Italiam Sacram Ferdinandi Ughelli [a] in Episcopis Signinis *.

* d'Ast.

[a] Tom 1.

* de Segni.

XLII. In editione Spirensi pauciores enumerantur Auctores, quorum Homiliæ sive à Paulo sive ab Alcuino collectæ sint. Operis enim Titulus ita concipitur. *Opus præclarum omnium Homeliarum & Postillarum venerabilium ac egregiorum Doctorum, Gregorii, Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Bedæ, Herici, Leonis, Maximi, Johannis Episcopi, atque Origenis, integraliter de tempore & de Sanctis per totius anni circulum cum quibusdam eorum sparsim interpositis sermonibus, hinc inde suis locis collectis & coaptatis temporibus, in partem hyemalem ac æstivalem divisum.* In hoc antiquiore Catalogo nomen Haymonis non habetur, habetur autem nomen Herici sive Erici. Docet igitur uterque Index Homiliarium, de quo loquimur, à posteris auctum fuisse, neuter verò prodit quis primarius ejus collector ac concinnator exstiterit.

XLIII. Ut illud opus Paulo Diacono adjudicemus, multæ res nos impellunt. Regiæ Caroli literæ nomen Pauli constantissimè retinent in omnibus editionibus, nec ullam Alcuini mentionem faciunt. Alcuinum alius exercuit labor adversùs Felicem Urgellitanum Episcopum, cujus epistolam nuper acceptam libris septem confutavit. Ansigisus Abbas, qui Fontanellense Monasterium ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-tertium gubernavit, eidem Cœnobio præter alios libros contulit *collectaneos duos super anni circulo, Pauli Diaconi volumina duo*, id est, Homiliarium in duo volumina distributum, ut Joannes Mabillonus in adnotatione ad epistolam Caroli suprà descriptam interpretatur. Sigebertus in libro [b] de Scriptoribus Ecclesiasticis encomium Pauli Diaconi sic absolvit. *Carolus Imperator, per manum hujus Pauli Diaconi sui, decerpens quæque optima de scripturis Catholicorum Patrum, lectiones unicuique festivitati convenientes per circulum anni in Ecclesia legendas compilari fecit in duobus voluminibus.* Et libro secundo [c] de Viris Illustribus Ordinis Benedictini sic idem Paulus à Joanne Trithemio commendatur. *Jussu Caroli ordinavit Historias & Legendas Sanctorum ad unamquanque festivitatem per annum pertinentes.* Aliis parcimus Auctoribus, qui de prælaudata Pauli lucubratione non aliter sentiunt.

[b] Cap. 81.

[c] Cap. 30.

XLIV. Hæc autem sic dicta volumus, ut ex antiquis quoque Patribus ab Alcuino Homiliarum volumina duo collecta fateamur. Auctor enim vitæ, qui sub Ludovico Pio floruit, id expressis verbis ità testatur. *Collegit multis de Patrum operibus Homiliarum duo volumina.* Alcuinus Paulo superstes vixit, opus Pauli post ejus mortem fortè recognovit auxitque: Paulinæ Collectioni variis temporibus accesserunt additiones, ut patet ex Patrum Catalogo quorum Homiliæ collectæ sunt; necnon ex ipso Coloniensis editionis titulo quæ præter accessiones jam receptas aliam adjecit Paulo & Alcuino longè recentiorem sub nomine Eusebii Emisseni. Ceterum Alcuinus, sive amplificavit Collectionem Pauli, sive in eadem materia post ipsum Paulum versatus est, duo quoque Homiliarum volumina collegisse non immeritò dicitur, & ut fides habetur literis, per quas Carolus Magnus sibi nondum Imperatori à Paulo *in duobus voluminibus per totius anni circuitum congruentes cuique festivitati distinctè & absque vitiis Lectiones* oblatas testatur, sic & haberi debet Auctori coætaneo de Alcuino in ejus

AN. CH. vita scribenti, quòd *collegit multis de Patrum operibus Homiliarum duo volumina.*

797. XLV. Alcuinus, cujus obitus in annum Redemptoris octingentesimum quartum rejicitur, Paulo Diacono supervixit. Id in dubium minimè vocamus. Asseverari tamen non possumus Angelo de Noce, qui mortem Pauli consignat [a] *anno Christi 787.* Certè serius obiit Paulus, illo enim anno Christi 787 Monachos Casinensis esse cœpit, *& factus Monachus*, ut Leo scribit in editione [b] Angeli de Nuce, *non parco ibi tempore vixit*, sive, ut habet editio Breuliana [c], *factus Monachus plures postea vixit annos.* Fortè anni 787 loco restituendus est 797. Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino Paulum laudat decimo-sexto Kalendas Junii. Sed in Necrologio Casinensi, quod allegatur ab Angelo de Nuce, commendatur *Idibus Aprilis veneranda memoria Domnus Paulus Diaconus & Monachus.* Ejusdem Pauli sepulturam Leo sic attingit apud Breulium. *Jam verò atate gravis, impleto vitæ cursu, migravit ad Christum, & in Monasterii claustro juxta Capitulum cum honore sepultus est.* Et apud Angelum de Nuce, sic. *Jam verò atate maturus, vitæ hujus cursu explevit, & in claustro Monasterii juxta Capitulum honorabiliter est sepultus.*

EJUSDEM PAULI OBITUS.

SEPULTURA.

[a] In not. ad c. 15. l. 1. Chron. Casin.
[b] Lib. 1. c. 15.
[c] Lib. 1. c. 17.

XLVI. Quamvis in manuscriptis Codicibus, quos Joannes Baptista Marus consuluit, scriptum reperiatur, *Paulum fuisse Diaconum S. R. E. Cardinalem*, hunc Diaconum non Romanum sed Aquileiensem arbitrare.

DIACONATUS.

AN. CH. 798.	ANNUS		
CAROLI R. 30.	CHRISTI		798.
PIPPINI LUDOV. RR. 18.	CAROLI SEN.	R.	30. 27. 25.
CAROLI R. 10.	PIPPINI II.	R.	18.
	LUDOVICI	R.	18.
	CAROLI JUN.	R.	10.

I. INEUNTE anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo, Legatus Alfonsi Regis ex Hispania missus Carolo in Haristallio Saxonico hyemanti papilionem seu tentorium Mauricum admirandi operis atque amplitudinis detulit. Inde res hoc anno gestas sic orditur Annalista Fuldensis. DCCXCVIII. *Carlus cum exercitu hyemavit in Haristallio Saxonico. Hadefuns Rex Galliciæ & Hasturiæ per Floram Legatum suum papilionem mira pulchritudinis Regi transmisit.* Alium annum haud notant Annalistæ, Loiselianus, Bertinianus, & Metensis. Dissidium, quod inter hos Annalistas & Laureshamensem videtur esse, facili negotio compones, si dixeris apud Annalistam Laureshamensem anni principium à Paschate, apud alios à Domini Nativitate peti. Nos verò, quia initium anni ducimus à Kalendis Januariis, Annalistam Laureshamensem ceteris hoc loco postponere debemus. Porrò, qui *Hadofuns* est Annalistæ Fuldensi, aliis Auctoribus est *Haddefonsus*, *Hadefonsus*, *Hadefunsus*, *Adefonsus*, *Adelfonsus*, recentioribus *Alfonsus*, cognomento Castus, Asturiæ & Gallæciæ Rex, amicitiâ Carolo Francorum Regi conjunctissimus. Ut autem ipse Rex, sic ejus Legatus variè nominatur, *Flora*, *Frola*, *Froia*.

CAROLUS AB ALFONSO R. GALLÆCIÆ ACCIPIT MUNERA.

II. In vetere Chronico San-Dionysiano, quo sæpè utimur, hæc occurrunt. DCCXCVIII. *Carlus in Saxonia hyemavit, & totâ æstate ibidem fuit.* Et ista in Chronico Moissiacensi. *Anno Domini* DCCXCVIII. *Ipso anno fuit Karo-*

AN. CH. 798.

CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

LEGATOS SUOS A SAXONIBUS OCCISOS ULCISCITUR.

lus in Saxonia, & apud Haristallo sede nova ipsam hyemem ibi resedit, & ibi celebravit Pascha. Ex his textibus liquet Carolum ante Pascha non esse digressum è novo Haristallo. Cur autem ulteriùs in Saxoniam paulò pòst penetrarit, & in ea regione per totam æstatem manserit, Annalista Laureshamensis sic exponit. *Cùm jam ver accederet, nondum tamen propter pabuli inopiam exercitus de hybernis produci potùisset, Saxones Transalbiani occasionem nacti, Legatos Regis, qui ad eos ob justitias faciendas missi erant, comprehensos interficiunt, paucis eorum quasi ad nunciandum reservatis, trucidantes cum ceteris & Godeschalcum Regis Legatum, quem ille ante paucos dies ad Sigifridum Regem Danorum miserat. Is, cùm Legatione functus reverteretur, ab hujus seditionis auctoribus interceptus atque occisus est. Quibus acceptis, Rex graviter commotus congregato exercitu in loco, cui Minda nomen, super Wisiram castra posuit, atque in fœdifragos ac desertores arma corripuit, & ultor necis Legatorum suorum, quicquid Saxoniæ inter Albiam ac Wisiram interjacet, totum ferro & igne vastavit. Transalbiani autem, qui Nordmanni vocantur, superbiâ elati, eò quòd Legatos Regis impunè occidere potuerunt, arreptis armis contra Abotritos proficiscuntur. Quorum Dux Trasico, cognito Transalbianorum motu, eis cum omnibus copiis suis in loco, qui Suentana vocatur, occurrit, commissóque prælio, ingenti eos cæde prostravit. Nam in prima congressione quatuor millia eorum cecidisse narravit Legatus Regis Eberwinus nomine, qui in eodem prælio fuit, & in Abotritorum acie dextrum cornu tenuit. Fusi igitur fugatique, & multis suorum amissis, cum magna calamitate ad loca sua reversi sunt. At Rex in Franciam regressus.*

III. Quam hic Auctor seditionem, *cùm ver accederet*, exortam scribit, Monachus Egolismensis excitatam tradit *in ipso Paschæ tempore*, quod illo anno celebratum est sexto Idus Aprilis. Egolismensi Monacho consentiunt Annalistæ, Loiselianus, Tilianus, Bertinianus, ac Metensis cum Reginone, sed incertus Auctor pacem loco Paschæ substituit, & seditionem *in ipso pacis tempore* commotam affirmat. Hæc editio tolerari potest, quia pax tum fracta, magis tamen arridet altera, quæ non statum rerum sed ipsum tempus designat. Ab Annalista Laureshamensi dissident in nonnullis alii Scriptores quos proximè citavimus. Quapropter Egolismensis Monachi textum accipe. *In ipso quoque Paschæ tempore, Nortliudi* (Annalistæ Laureshamensi Nordmanni) *trans Albiam sedentes, seditione commotâ, Legatos ejus, qui ad justitias faciendas apud eos* (perperam *apud Regem* in Annalibus Loiselianis & Bertinianis) *conversabantur, quosdam occiderunt, quosdam ad redimendum reservaverunt; ex quibus aliqui fugerunt, ceteri redempti sunt. Rex Carolus collecto exercitu de Heristelli, ad locum qui dicitur Minda perrexit, & contra desertores inter Albim & Wisoram peragravit totam Saxoniam. Norliudi cùm Trasicone Duce Abodritorum & Eburiso Legato Domni Regis commisso prælio victi sunt, & cæsi ex eis quatuor millia. Ceteri, qui evaserunt, de pacis conditione tractaverunt. Et Rex acceptis obsidibus reversus est in Aquisgrani Palatium.*

IV. De Godeschalci morte, quam Laureshamensis Annalista commemorat, alii silent Auctores; in narratione tamen nihil non videtur fide dignum. Tunc regnabat Sigifridus Rex promiscuè Danorum dictus & Nortmannorum, cujus mentionem ad annos Christi septingentesimum septuagesimum-septimum & septingentesimum octogesimum-secundum jam fecimus.

V. Locus, cui Munda nomen in vita Caroli per incertum Auctorem scripta, *Munthum* vocatur in Charta inferiùs citanda, *Minda* verò nuncupatur in Annalibus Loiselianis, Tilianis, Bertinianis, Metensibus, ac Laureshamensibus ex Codice Armaniaco, & in Chronico Reginonis. Adsidet sinistræ Wisurgis ripæ; sedes erat Widikindi Ducis. In Commentario, quem Henschenius [a] vitæ Sancti Ludgeri præfixit, laudatur Charta, quâ *Hirpingus* hoc anno, mense Julio, *accepto pretio à Luidgero Abbate, vendidit ei vi-*

[a] d. 26. Martij

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

neam unam in villa, quæ nuncupatur Bachcim, quæ etiam villa in ripa consistit fluvioli qui dicitur Melanbach. &c. *Acta est autem publicè in Saxonia, ubi tunc temporis*, inquiunt, *fuimus in hoste*, id est, in exercitu, *in loco, qui cognominatur Munthum, anno* XXX *Regni Domni Religiosissimi Regis Carli*, XIIII *Kal. Augusti.* Sinistram quoque Visurgis ripam paulò infra Dimolæ confluentes occupat Heristallum *, quod novum seu Saxonicum vocari solet, ut à vetere seu Gallicano ad Mosam prope Leodium distinguatur.

* Heristel.

Rex trans Visurgim progressus est. *In ipsa æstate*, ait Chronographus Moissiacensis, *perrexit cum exercitu ad Bardumvic*, id est, ad Bardongavenses usque Saxonum populos Wisurgim inter & Albim sitos, de quibus ad
VI. annum Christi septingentesimum octogesimum locuti sumus, *& ibi omnes se tradiderunt in manus ejus, & tulit inde eos captivos quos voluit, & obsides quantùm voluntas fuit.* Id gestum in Saxonia Cisalbiana, quam omnes affirmant vastatam à Carolo Legatorum suorum cædem ulciscente.

VII. Dimicatum in Saxonia Transalbiana, victi Saxones ab Abotritis, quos Chronographus Moissiacensis Carolo Francorum Regi non tantùm fœderatos ut olim, sed subditos sic ostendit. *Sclavi nostri, qui dicuntur Abotridi, cum Missis Domni Regis, ad illos Saxones congregaverunt se in unum, & commiserunt prælia, & habuerunt victoriam. Et cecidere Saxones in ipsa pugna duo millia, octingenti & unus.* Alii Scriptores cæsa dicunt quatuor millia. Qui Ducatum seu Præfecturam Abotritorum tunc gerebat, Thrasico, Trasico, Trasugo, Trasuco, Sucho, Thasco, Trasucco, Sigco, & Transacho dictus reperitur. Similiter & Caroli Missus, qui prælio contra Saxones interfuit, Eborisus, Ebutisus, Heburisus, Eberwinus, & Ebroinus appellatur.

VIII. Annalista Petavianus ad hunc annum, quem rectè cum anno Caroli Regis tricesimo comparat, bellum duntaxat Saxonicum barbaro sic stylo perstringit. DCCXCVIII. *Sedenti Domno Karolo in solio Regni sui anno* XXX *Regni ejus, cum magno exercitu venit iterum in Saxoniam, universa terra illa succendis & devastavit, acceptis obsides multitudine victor iterum remeavit in Franciam*, sive ut Auctor Chronici San-Dionysiani testatur, Saxones *mille* DC *adduxit, & per Franciam divisit.*

IX. Res hoc anno gestas Annalista Loiselianus ita persequitur. *Rex acceptis obsidibus, etiam & his, quos perfidissimos primores Saxonum consignabant, in Franciam reversus est, & Aquisgrani Palatium pergens, Legationem Græcorum à Constantinopoli missam suscepit. Erant enim Legati, Michael Patricius quondam Phrygiæ, & Theophilus * Presbyter, epistolam Herenæ Imperatricis ferentes. Nam filius ejus Constantinus Imperator anno superiori à suis comprehensus & excæcatus est. Hæc tamen Legatio tantùm de pace fuit. Quos cùm absolvisset, absolvit etiam cum eis & Sisinnium fratrem Tarasii Constantinopolitani Episcopi jamdudum in Italia prælio captum.* Eadem prorsus alii scribunt Annalistæ, Laureshamensis, Tilianus, Fuldensis, Bertinianus, & Metensis, item Regino, Poëta Saxonicus, necnon incertus Auctor & Monachus Egolismensis. Pace cum Græcis instauratâ, mansit in Caroli potestate Ducatus Romanus, qui spontaneam deditionem ante biennium fecerat. Laudandus magnoperè Carolus, quòd, ut Christiani nominis hostibus, Saracenis in Hispania, Saxonibus in Germania, Hunnis in Pannonia, bellum liberiùs inferret, amicitiam cum Græcis Italiæ partem adhuc tenentibus lubentissimè redintegravit, etsi non ignoraret eos domesticis inter se discordiis laborare, quæ Francis opportunam propagandæ dominationis occasionem præstare videbantur.

* Theophirus. Annal. Bertin. Theophorus

PACEM CUM GRÆCIS REDINTEGRAT, SERVATQUE DUCATUM ROMANUM.

X. Ado in suo Chronico bellum commemorat, quod hoc anno gestum est in Saxonia, statimque quis tunc esset status Ecclesiarum Viennensis ac Lugdunensis, de quibus sermo nobis hîc habendus, breviter exponit. *Nortlindi trans Albiam sedentes, Legatos Regios, qui tunc ad justitias faciendas cum eis*

AN. CH. 798.
CAROLI R. 30.
PIPPINI LUDOV. RR. 18.
CAROLI R. 10.

verſabantur, comprehendunt; quoſdam ex eis occidunt, quoſdam ad redimendum retinent. Deinde contra Traſſuconem Ducem Abodritorum, & Heburiſum Legatum Francorum, aciem dirigunt. In eo loco cæſa ſunt ex Nortluidis quatuor milia: ceteri pacem petentes, ſeipſos dediderunt. Viennenſem tunc temporis Eccleſiam Urſus, Ado Lugdunenſem Eccleſiam regebat. Poſt Adonem nepos ejus Ilduinus paululum Lugdunenſem Eccleſiam non Epiſcopus tenuit, & abſcedens Lirinis Inſulæ Monaſterio Monachalem converſationem ſuſcepit. Poſt Urſum nimiæ ſimplicitatis Epiſcopum, Wlferi, quem Witreiam patrio nomine appellarunt, Bajovarius Viennenſem Epiſcopatum ſuſcepit; porrò Lugdunenſem Leidradus vir ſeculari dignitati intentiſſimus, & honori reipublicæ utilis. Ado igitur Lugdunenſis Archiepiſcopus ad hunc uſque annum pervenit, nec vitam ſeriùs produxit, Leidradus enim jam Lugdunenſis Archiepiſcopus Urgellam ad Felicem illius civitatis Epiſcopum hæreticum anno ſequenti proficiſcetur. Poſt Adonis obitum Sedes Lugdunenſis aliquandiu vacavit. Ilduinus enim, qui ſucceſſor deſtinabatur, ordinari ſe non paſſus eſt Epiſcopum, amplectendæque Monaſtices deſiderio permotus in Lerinenſem Inſulam ſeceſſit. Inde autem data eſt occaſio, ut Archiepiſcopus eligeretur Leidradus, cujus tamen ordinatio commodè in proximum annum rejici poteſt.

ARCHIEP. LUGDUNENS.

XI.

THEODULFUS EP. AURELIAN. ET LEIDRADUS MISSI DOMINICI PER GALLIAM NARBONENSEM.

Fuit Leidradus patriâ Noricus, & hoc anno cum Theodulfo Miſſum Dominicum per Galliam Narbonenſem egit. Hanc deſcribit Legationem Theodulfus in libro primo Carminum ſive in Paræneſi ad Judices, atque è re nata docet de Judicum officio, quid potiſſimùm cavere, quid præſtare debeant. Opus ipſum conſule, ſelegemus nonnullos tantùm Verſus, ut Leidradi patria, tempus quo Legationem obiit cum Theodulfo, & provincia quam ambo hi Miſſi Dominici peragrarunt, tibi meliùs innoteſcant.

XII.

Leidradi patriam & tempus Legationis hi docent Verſus.

Haſerat hac nobis Leidradus ſorte ſodalis,
Cederet ut magnus hoc relevante labor.
Noricus hunc genuit, hunc tu, Lugdune, futurum
Pontificem ſperas Relligionis ope.

XIII.

Iſti verò cauſam ſuſceptæ Legationis aperiunt, luſtratæque provinciæ limites optimè per fluvios, per montes, per mare delineant.

Præfectura mihi fuerat peragenda tributa,
Réſque actu grandes, officiúmque potens.
Nulli vi, ſtudiiſque piis, armíſque ſecundus
Rex dedit hanc Carolus, primus ad omne bonum.
Quò Synodus Clerum, populum Lex ſtringeret alma,
Dúxque foret cunctis Regula calle ſuo.
Eccleſiæ ſanctus matris quò creſceret ordo,
Urbibus & validis móſque decórque pius.
Quas Arar & Wardo, Rhodanus quas alluit acer,
Elauris, ſive his annumerandus Atax.
Quáſque Alpes Latio, Libyâ diſterminat æquor,
Quáſque Pirenæus orbe ab, Ibere, tuo.
Seu quas Lugdunum Arcturo aut Aquilone revellit,
Réſque Aquitana tuis, pulchra Toloſa, locis.

XIV.

Provinciam Narbonenſem ſeu veterem provinciam Romanorum meliùs adhuc per urbes deſcriptam oſtendit hoc, quod in eodem Carmine ſequitur itinerarium.

Jam Lugdune, tuis celſis poſt terga relictis
Mœnibus, adgredimur cauſa quod optat iter.
Saxoſa petimus conſtructam in valle Viennam,
Quam ſcopuli inde artant, hinc premit amnis hians.
Inde Valentinis terris, urbíque jacenti,
Rupe nos dedimus hinc Morenate tibi.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

Post & Arausinas terras, & Avennica rura
Tangimus, & fines quos tenuere Getæ.
Inde Nemausiacas sensim properamus ad arces,
Quò spatiosa urbs est, résque operosa satis.
Hinc Madalona habuit lævam, Sextantio dextram,
Hic scabris podiis cingitur, illa mari.
Quis benè transitis, Agathem mox parte sinistrâ
Liquimus, & nosmet tecta Beterris habent.
Mox sedes, Narbona, tuas urbémque decoram
Tangimus, occurrit quò mihi læta cohors.
Reliquiæ Getici populi, simul Hespera turba
Me consanguineo fit duce læta sibi.
Inde revisentes te, Carcassona, Redásque,
Mœnibus inferimus nos citò, Narbo, tuis.
Undique conveniunt populi Clerique caterva,
Et Synodus Clerum, Lex regit alma forum.
Quis benè compositis, nos tandem opulenta recepit
Urbs Arelas, cives quam statuere sui.
Urbs Arelas, aliis quæ pluribus urbibus extat
Prima, gradu tamen est, Narbo, secunda tibi.
Quò, Synodo, Cleri; Legum moderamine, plebis
Pectora, contudimus juris & artis ope.
Massilia Argolicâ nos cepit condita gente,
Arvum & Aquina urbis, sive, Cavelle, tuum.
Ast alias lustrare vetat per singula casus,
Quarum nos populus, quò sumus, omnis adit.
Æquoris insani fera quas vicinia lædit,
Aere corrupto & tabidus efflat odor.
Quásque levant colles, aut vallis strangulat ima,
Quas fera pulsat hyems, grando, pruina, nive.
Illic & dumis, & acuta stramite cautis,
Abruptísque cavis continuatur iter.
Ima tenent valles, tendunt ad nubila montes,
Præcipites amnes montis ab arce ruunt.
Magna catervatim nos concio sæpè frequentat,
Ætas, quod dicat, sexus & omnis habet.
Parvulus, annosus, juvenis, puer, innuba, cælebs,
Major, ephœbus, avus, másque, marita, minor.

XV. In hoc itinerario tredecim nominantur seu Metropoles seu Civitates Pontificiis Sedibus illustres, Vienna, Valentia, Arausio, Avenio, Nemausus, Magalona, Agatha, Biterræ, Narbo, Carcassona, Arelatum, Massilia, & Aquæ Sextiæ. Viennensis Archiepiscopus erat Ursus sive Ursio, cujus mentionem jam fecimus. In Archiepiscopatum Narbonensem Danieli nuper successerat Nefridius. Arelatensem Metropolim regebat Lupus, Elefanti non semel laudati, proximus successor, de quo Petrus Saxius in Arelatensi Pontificio consulendus. Aquæ Sextiæ laborabant interpontificio. Sedebant, in Massiliensi Cathedra Mauontus, Humbertus in Avenionensi, de utroque jam locuti sumus. Ceteras Diœceses iidem administrabant Episcopi, qui Synodo Narbonensi ante annos septem celebratæ subscripserant; Ecclesiæ Valentinæ præerat Bonitus, Arausicanæ Salicus, Nemausensi Witeringus, Magalonensi Joannes, Justus Agathensi, Biterrensi Wlfegarius, Hiscipio Carcassonensi.

XVI. ALCUINUS HORTATUR CAROLUM R. Inter Epistolas Alcuini, quæ numero septima est, *Domino Excellentissimo, & in omni Christi honore devotissimo, Carolo Regi Germaniæ, Galliæ, atque Italiæ, & sanctis verbi prædicatoribus* inscribitur. In hac Alcuinus duo potissimùm

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

mùm præſtat. Hortatur Carolum, ut erga Hunnos, qui ſe dediderunt ejus ditioni, Chriſtianámque fidem amplexi ſunt, mitem ſe clementémque præbeat, nec illam gentem ut ceteras ſolutioni decimarum adſtringi patiatur. Deinde præcones Evangelii monet, ut Baptiſmum non antè conferant quàm populum erudierint, docétque ex Sancto Auguſtino, quis ab eis ordo ſervari debeat, cùm viros ætate perfectos inſtruunt.

XVII.

Imprimis Carolum ſic alloquitur. Chriſtus *gentes populóſque Hunorum antiquâ feritate & fortitudine formidabiles, tuis ſuo honore militantibus ſubdidit ſceptris, prævenientéſque gratiâ colla diu ſuperbiſſima ſacræ fidei jugo devinxit, & cæcis ab antiquo tempore mentibus lumen veritatis infudit. Sed nunc prævideat ſapientiſſima & Deo placibilis devotio veſtra pios populo novello Prædicatores, moribus honeſtos, ſcientiâ ſacra fidei edoctos, & Evangelicis præceptis imbutos, Sanctorum quoque Apoſtolorum in* * *prædicatione verbi Dei exemplis intentos, qui lac, id eſt, ſuavia præcepta ſuis auditoribus in initio fidei miniſtrare ſolebant.* Et paulò pòſt. *Veſtra ſanctiſſima pietas ſapienti conſilio prævideat, ſi melius ſit rudibus populis in principio fidei jugum imponere decimarum, ut plena fiat per ſingulas domus exactio illarum, an Apoſtoli quoque ab ipſo Deo Chriſto edocti, & ad prædicandum mundo miſſi, exactiones decimarum exegiſſent, vel alicubi demandaſſent dari, conſiderandum eſt. Scimus, quia decimatio ſubſtantiæ noſtræ valdè bona eſt. Sed melius illam amittere, quàm fidem perdere. Nos verò in fide Catholica nati, nutriti, & edocti, vix conſentimus ſubſtantiam noſtram pleniter decimare. Quantò magis tenera fides, & infantilis animus, & avara mens illarum largitati non conſentit? Roboratâ verò fide, & confirmatâ conſuetudine Chriſtianitatis, tunc quaſi viris perfectis fortiora danda ſunt præcepta, quæ ſolida mens Religione Chriſtianâ non abhorreat.* Ex illo textu colligimus Epiſtolam, unde ſumitur, hoc anno conſignandam eſſe, in aliis enim ad eundem Carolum literis [a], quas anno ſequenti ſcriptas eſſe conſtat, ubi ſermonem de exactione decimarum facit, teſtatur ea de materia ſe jam ſcripſiſſe ac ſenſiſſe, *quia fortè melius eſt, vel aliquanto ſpatio ut remittatur publica neceſſitas, donec fides cordibus radicitus inoleſcat.*

* &

UT HUNNOS AD FIDEM CHRISTIANAM CONVERSOS SOLUTIONI DECIMARUM ADSTRINGI NON PATIATUR.

[a] Ep. 11.

XVIII.

MONET PRÆDICATORES UT BAPTISMUM ANTE NON CONFERANT QUAM POPULUM ERUDIERINT.

Quod ad Prædicatores attinet, Alcuinus ex his Domini verbis, *ite, docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. ſervandum hunc ab eis ordinem ſcribit, ut doceant gentes, deinde doctas intinguant aquâ. Et ex Sancti Auguſtini libro de catechizandis rudibus, quomodo vir ætate perfectus erudiri debeat, ita ſubjungit. *Priùs inſtituendus eſt homo de animæ immortalitate, & de vita futura, & de retributione bonorum malorúmque, & de æternitate utriuſque ſortis. Poſteà, pro quibus peccatis & ſceleribus pœnas cum diabolo patiatur æternas, & pro quibus bonis vel benefactis gloriâ cum Chriſto fruatur ſempiternâ. Deinde fides ſanctæ Trinitatis diligentiſſimè docenda eſt, & adventus pro ſalute humani generis Filii Dei Domini noſtri Jeſu Chriſti in hunc mundum exponendus. Et de Myſterio Paſſionis illius, & veritate Reſurrectionis, & gloria Aſcenſionis in cælos, & futuro ejus adventu ad judicandas omnes gentes, & de reſurrectione corporum noſtrorum, & de æternitate pœnarum in malos, & præmiorum in bonos, mox, ut prædiximus, mens novella firmanda eſt. Et hac fide roboratus homo & præparatus, baptizandus eſt.*

XIX. XX.

Hoc eodem anno, cùm Leidradus Lugdunenſis Archiepiſcopus electus eſſet, tres alias ſcripſit Epiſtolas, unam ipſimet Leidrado, duas fratribus ſeu Monachis Lugdunenſibus.

[b] Ep. 86.

SCRIBIT LEIDRADO ELECTO ARCHIEP. LUGDUN. CUPIENS EUM APPARI.

Literis [b] ad Leidradum præfigitur hic titulus. *Pontifici fratri, amico Liobrado electo, Albinus ſalutem.* Epiſtolæ hoc eſt argumentum. Albinus ſive Alcuinus Deo gratias agit, quòd Liobradum ſeu Leidradum amicum ſibi donare dignatus eſt, deinde deſcribit in quo vera conſiſtit amicitia, poſtremò teſtatur ſe flagrantiſſimo mutuæ collocutionis deſiderio flagrare, ſed nec quando nec ubi hæc haberi poſſit, ſe ſcire. *Quòd verò me,* inquit, *interrogare voluiſti de certitudine voluntatis vel loci, nihil tibi certum adhuc re-*

AN. CH. *mandare habeo, nisi Deo miserante & vitâ comite adhuc visurus eris faciem meam,*
798. *licèt nesciam propter occupationes meas vel vestras, ubi aut quando.*

CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

XXI. Voti tamen compos videtur factus, priores enim literas [a] ad Lugdunenses fratres sic inchoavit. *Religiosæ in Christo conversationis vestræ, per Laidradum electum Pontificem, laudabilem audiens sollicitudinem, magno esse me gaudio delibutum fateor.* Ex iisdem literis Lugdunenses fratres, quibus scribebat, Monachos fuisse colligimus, sic enim eos paulò pòst compellavit. *Quæ est Monachorum vita, nisi caritas, humilitas, & obedientia?* Denique quo consilio scripserit, hæc docet periodus. *Novas verò, fratres carissimi, Hispanici erroris sectas totâ vobis cavete intentione.* Triplicis erroris redarguebat Hispanos, quòd Christum Filium Dei adoptivum dicerent, salem assererent in sacrificium Corporis Christi mittendum esse, contra universalem Ecclesiæ consuetudinem in Baptismo sub invocatione Sanctæ Trinitatis unam mersionem agendam affirmarent. De singulis quæstionibus distinctè nobis hîc agendum.

a Ep. 69.

SCRIBIT FRATRIBUS LUGDUN. DE ERRORIBUS HISPANORUM.

XXII. Primò, Alcuinus errorem eorum, qui Christum Filium Dei non proprium sed adoptivum vocabant, sic insectatur. *De adoptione verò, quam quidam injuriosè Christo Deo ingerere contendunt, ex auctoritate Synodali habetis responsum. Unitas verò personæ in duabus Christi naturis naturalem Deo Patri Filium esse confirmat. Quia nequaquam in proprio & in adoptivo potest esse persona. Igitur Christus proprius est Deo Patri filius, & nos per illum adoptivi, non ille nobiscum adoptivus. Sicut ille solus sine peccato, sic ille solus sine adoptione, Patre in Baptismo attestante,* [*hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui:*] *& Apostolo,* [*qui proprio filio suo non pepercit.*] Per Synodalem auctoritatem intellige auctoritatem Synodi Francofordiensis, cui præsens Alcuinus ante quadriennium interfuit. Conditus est enim primus Canon adversùs impiam ac nefandam hæresim *Elipandi Toletanæ Sedis Episcopi & Felicis Orgellitanæ,* & adversùs eorum sequaces, *qui malè sentientes in Dei Filio asserebant adoptionem. Quam omnes Sanctissimi Patres & respuentes unâ voce contradixerunt, atque hanc hæresim funditus à Sancta Ecclesia eradicandam statuerunt.*

XXIII. Secundò, Alcuinus reprehendit errorem quorumdam Hispanorum, qui salem in sacrificio Corporis & Sanguinis Domini dicebant offerendum. *Audivimus,* inquit, *aliquos in illis partibus adfirmare, salem esse in sacrificium Corporis Christi mittendum. Quam consuetudinem nec universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas. Tres sunt, juxta Apostolum Joannem, qui testimonium dant, spiritus, aqua, & sanguis. Tria sunt, quæ in sacrificio hujus testimonii offerenda sunt, panis, & aqua, & vinum. Sicut enim spiritus vivificat corpus, ita panis confirmat cor hominis. Sicut enim sanguine liberavit nos Christus, ita & vino lætificat. Item de aqua.* [*Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.*] *Sic & panis, qui in corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis, debet esse mundissimus, & aqua absque omni sorde purissima, & vinum absque omni commixtione alterius liquoris, nisi aqua, purgatissimum. Igitur aqua utrique conveniat. Ex aqua & farina panis fit, qui consecratur in corpus Christi. Aqua & vinum in sanguinem consecratur Christi. Si enim aqua & sal, sicut hujus sectæ dicunt auctores, unius sunt naturæ, infunde carnem recentem aquâ & aliam sale consperge, videbis citò, si unam aqua & sal habuerint effectivam potentiam. Numquid caro Christi computruit in sepulchro, ut nunc sale indigeat corpus ejus in sacrificio?* Et inferiùs citat *Canones Carthaginenses, Cap.* XXIIII. *De sacrificio Corporis & Sanguinis Domini nihil ampliùs offeratur quàm quod ipse Dominus tradidit: hoc est, panem & vinum aquâ mixtum.* Alludit ad Concilium Carthaginiense tertium, cujus Canon vicesimus-quartus hic est. *Ut in sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aquâ mixtum.*

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

Tertiò, Alcuinus quæstionem de trina in Baptismo mersione sic aggreditur. *Nobis de Hispania, quæ olim tyrannorum nutrix fuit, nunc verò schismaticorum, contra universalem Sanctæ Dei Ecclesiæ consuetudinem de Baptismo quæstio delata est. Adfirmantes quidam sub invocatione Sanctæ Trinitatis unam esse mersionem agendam. Videtur enim Apostolus huic observationi esse contrarius, in eo loco, ubi ait. [Consepulti enim estis in Christo per Baptismum.] Scimus enim Christum, licèt hoc synecdochicè sit intelligendum, tres dies & tres noctes in sepulchro fuisse; ipso dicente ad Judæos, [sicut fuit Jonas in ventre ceti, tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit & filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus.] Possunt tres noctes, tres mersiones, tres elevationes designare. Sicut Christus tertiâ die resurrexit, ita & nos tertiò* de fonte vitalis lavacri elevati, in novitate vitæ cum illo ambulemus.* XXIV. In ejusdem rei probationem citat Leonem Magnum,* prolixúmque textum allegat ex illius Epistola universis Episcopis per Siciliam constitutis inscripta. Postremam hanc periodum descripsisse sufficiet. *In Baptismatis regula, & mors intervenit * interfectione peccati, & sepulturam triduanam * imitatur trina demersio, & ab aquis elevatio resurgentis ad * instar est de sepulchro.* Citat & secundum Beati Hieronymi librum in Epistolam Sancti Pauli ad Ephesios, allegátque prolixum etiam textum, ex quo satis erit hæc recitasse. *In Patrem, & in Filium, & in Spiritum Sanctum baptizamur, & ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat sacramentum.* Inter opera Sancti Hieronymi duplex occurrit in supradictam Epistolam ad Ephesios Commentarius; unus, quem Alcuinus allegat, in tres dividitur libros, éstque genuinus beati Hieronymi fœtus, alter verò partem efficit Commentariorum in Epistolas Sancti Pauli, sed hæc Commentaria in Epistolas Sancti Pauli non sunt Beati Hieronymi, ut eruditi viri jam notarunt, idque obiter te monitum volumus, ne hîc Alcuinum supposititio textu deceptum, Beatique Hieronymi nomine perperam abusum suspiceris. Idem Alcuinus Epistolam suam sic claudit. *Sunt etiam Versus Beati Ambrosii Episcopi de ternarii excellentia nobilissimi, quos ad confirmationem trinæ mersionis huic Epistolæ inserere placuit.*

Omnia trina vigent sub majestate Tonantis.
Tres, Pater, & Verbum, Sanctus quoque Spiritus, unum.
Trina salutaris species Crucis, una redemptrix.
Tertia lux Dominum remeantem à morte recepit.
Trina dies Jonam tenuit sub viscera ceti.
*Tres pueri cernere * Deum flagrante camino:*
Ter sabaoth sanctum referens benedictio psallit.
Ter mergendus aquâ est, cui gratia plena lavacri.
Testibus & stabilis constat tribus actio cuncta.
Terno mense suis redeunt sua tempora membris.
Tres sunt ætates, flos, & robor, ægra senectus.
Tres moduli in causis, judex, defensor, & actor:
Tres in sæcla gradus, ortus, transcursio, finis.
Tres spem quæ palpant, requies, lux, gloria vitæ.

Sequitur apud eundem Alcuinum Epistola septuagesima, quæ superioris videtur esse membrum. XXV. In ea quoque sermonem de trina mersione sic facit. *Nobis verò juxta parvitatem ingenioli nostri videtur, ut sicut interior homo in fide sanctæ Trinitatis ad imaginem sui conditoris reformandus est, ita & exterior trinâ mersione abluendus esse, ut quod invisibiliter Spiritus operatur in anima, hoc visibiliter Sacerdos imitetur in aqua. Nam originale peccatum tribus modis actum est, delectatione, consensu, & opere. Itaque & omne peccatum aut cogitatione, aut locutione, aut operatione efficitur. Ideo triplici generi peccatorum trina videtur ablutio convenire, vel propter originale peccatum, quod in infantibus valet ad perditionem, vel propter illa, quæ in provectioris ætatis hominibus, voluntate, verbo, vel facto adduntur.* Et inferiùs adversarios ab Ecclesiæ

* tertio die fo...
* Ep. 4. c. 3
* Alcuin. interitu
* Alcuin triduanam
* Alcuin. resurgentis instar de
* cernunt Dominum

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

Romanæ auctoritate sic premit. *Nemo Catholicus contra Ecclesiæ auctoritatem, nemo sobrius contra rationalem consuetudinem, nemo fidelis contra pietatis intelligentiam certare audeat, &, ne schismaticus inveniatur & non Catholicus, sequatur probatissimam sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, ut unde Catholicæ fidei initia accipimus, inde exemplaria salutis nostræ semper habeamus. Ne membra à capite separentur suo, ne Claviger Regni cælestis abjiciat, quos à suis deviasse intelligit doctrinis.*

XXVI. In eadem Epistola non diffitetur objectioni locum esse ex quibusdam Gregorii Magni litteris, quas, ut omnem difficultatem amputet, negat inter ejus Epistolas inveniri. Textui enim proximè citato hunc immediatè subjungit. *Epistolam verò, quam à Beato Gregorio de simpla mersione dicunt esse conscriptam, in Epistolari suo libro, qui de Roma nobis allatus est, non invenimus. Alias verò omnes perspeximus in libro, quem ad Occidentalium partium Ecclesias, Pontifices, vel Reges, scripserat. Ideo dubii sumus an illius sit, an ab aliquo hujus sectæ auctore sub ejus nomine scripta sit.*

EPISTOLAM DE UNA MERSIONE IN BAPTISMATE S. GREGORIO PERPERAM ABJUDICAT.

XXVII. Hugo Menardus in Observationibus ad librum Sacramentorum Sancti Gregorii Papæ in Sabbato Sancto, & Joannes Mabillonus seculo primo Ordinis Benedictini in Elogio Historico Sancti Leandri Hispalensis Metropolitæ, validis argumentis Alcuinum jam refutarunt. Menardus enim de Epistola Gregoriana, cujus auctoritatem Alcuinus elevare nisus est, ita scripsit *Hujus Epistolæ stilus idem est cum aliis S. Gregorii Epistolis. Et quamvis exemplar Epistolarum S. Gregorii Româ ipsi Alcuino allatum hanc Epistolam non habuerit, id efficere non potest, ut de ea dubitemus. Nam Joannes Diaconus auctor vitæ S. Gregorii, qui Romæ hanc vitam scripsit tempore Caroli Calvi, ac proinde non adeò remotus ab Alcuini ætate, cap. 53.* (ex editionibus Sutiana [a], Benedictina [b], & Henscheniana [c], repone lib. 1. c. 52.) *vitæ ejusdem hanc eandem Epistolam agnoscit, tanquam verum & germanum S. Gregorii fœtum; qui sanè cùm Romæ scriberet hanc vitam, non habebat exemplar ab Hispania avectum. Sed & Concilium Toletanum 4. Can. 5.* (ex Garsia Loaisa & aliis Conciliorum Collectoribus restitue Can. 6.) *cui præfuit S. Isidorus Hispalensis Episcopus, frater S. Leandri, cui missa fuit hæc Epistola, idem testatur.* Et Mabillonus, sic. *Indictione* IX, *Leandro de trina Baptismi mersione consulenti Gregorius Magnus lib. 4.* (lege lib. 1.) *Epistolam 41 rescripserat his aliisque verbis.* [*De trina mersione Baptismatis nihil responderi veriùs potest, quàm* &c.] *Nec est quòd de istius Epistolæ auctore addubites. Licet enim Alcuinus simplici Hispanorum mersioni infensus in Epistola* X (seu LXX editionis Duchesnianæ) *revocet eam in dubium, quòd in Epistolari suo libro, quem Româ acceperat, non inveniretur, ad tollendam Alcuini suspicionem sufficit Isidori Hispalensis Episc. auctoritas, qui in lib. de Script. Eccles. cap. 27. prædictæ Epistolæ disertè meminit.*

[a] 12. Mart.
[b] Sec. 1. Ord. Bened.
[c] d. 12. Mart.

XXVIII. Potentissima sunt adversùs Alcuinum tria hæc argumenta, quorum unum petitur à Sancto Isidoro Hispalensi Metropolitano, alterum à Concilio Toletano Quarto, tertium à Joanne Diacono. De singulis paulò distinctiùs agendum, ne quid gratis dictum videatur.

XXIX. Sanctus Isidorus Hispalensis Metropolitanus, Sancti Leandri Hispalensis quoque Metropolitani frater ac successor, librum scripsit de Scriptoribus Ecclesiasticis. Capite vicesimo-septimo egit de Scriptis Gregorii Magni; & inter ejus Epistolas ad prædictum Leandrum, illam, de qua nunc inquirimus, ita commemoravit. *Altera eloquitur de mersione Baptismatis, in qua inter cetera ita scriptum est. Reprehensibile, inquit, esse nullatenus potest infantem in Baptismate mergere vel semel vel ter, quando in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari.* Textus enim Gregorii Papæ talis est Epistolâ quadragesimâ-primâ libri primi. *De trina verò mersione Baptismatis, nil responderi veriùs potest, quàm quod ipsi sensistis, quia in fide nihil officit Sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem,*

quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd si quis fartè etiam pro summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri, neque ad hoc aliquid absistit, baptizando semel in aquis mergere, quia dum in tribus personis una substantia est, reprehensibilo esse nullatenus potest, infantem in Baptismate in aquam vel ter vel semel immergero, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari.

Sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus Metropolitanus, Epistolæ Leandro fratri suo Hispalensi quondam Metropolitano scriptæ non tantùm meminit in libro suo de Scriptoribus Ecclesiasticis, sed & Concilio Toletano Quarto, in quo eadem Gregorii Papæ citatur Epistola, primus ita subscripsit. *Ego Isidorus in Christi nomine Ecclesiæ Spalensis Episcopus Metropolitanus hac statuta subscripsi.* In illa Synodo conditi sunt Canones septuagintaquinque. Sextus *de trina & simpla in Baptismo mersione* inscribitur, & quicquid Gregorius hac de materia Leandro rescripsit, allegat in hunc modum. *De Baptismi autem sacramento, propter quod in Hispaniis quidam Sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur, & unitas fidei scindi videtur. Nam dum Patres diversa & quasi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos esse contendunt. Proinde quid à nobis in hac sacramenti diversitate finiendum sit, Apostolicæ Sedis informemur præceptis, non nostram sed paternam institutianem sequentes. Beatæ igitur memoriæ Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex, qui non solùm partes Italiæ illustravit, sed & longè existentes Ecclesias suâ doctrinâ perdocuit, efflagitante Sanctissimo Leandro Episcopo, de hac Hispaniæ diversitate, quid potiùs esset sequendum, inter cetera rescribens ei, sic ait. [De trina verò mersione Baptismatis nihil * responderi veriùs potest, quàm * ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem, quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut dum tertiò ab aquis * infans educitur, resurrectio tridnani temporis exprimatur. Quod si quis fortè etiam pro summa Trinitatis veneratiane existimet * fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum * semel in aquis mergere *, quia dum in tribus subsistentiis * una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismate * vel ter vel semel mergere *, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. Sed si nunc usque ab hæreticis infans in Baptismate tertiò mergebatur; fiendum apud nos esse non censeo, ne, dum mersiones numerant, Divinitatem dividant; dúmque quod faciebant faciunt, morem vestrum se vicisse glorientur.] Quapropter quia de utroque sacramento, quod fit in sancto Baptismo, à tanto viro tradita est ratia, quòd utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in Sancta Dei Ecclesia habeatur; propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum; simplam teneamus Baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertiò mergunt, hæreticorum probare assertionem, dum sequuntur & morem. Et ne fortè cuiquam sit dubium hujus simpli mysterium sacramenti, videat in eo mortem & resurrectionem Christi significari; nam in aquis mersio, quasi in infernum descensio est, & rursus ab aquis emersio, resurrectio est. Item videat in eo unitatem Divinitatis & Trinitatem personarum ostendi; unitatem, dum semel immergimus, Trinitatem, dum in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti baptizamus. Panditur hujus singularis Baptismatis mysterium, etiam sacrarum Scripturarum exemplis, Paulo Apostolo attestante. [Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt, in nube & in mari.] Mare quippe rubrum significat Baptismum Christi sanguine consecratum, per quem populus Dei semel transiit. Ubi tamen tota erat Trinitas, præcedente populum columnâ ignis & nubis. In igne quippe significatur Pater; in columna Filius, in nube Spiritus Sanctus. Jordanis quoque fluenta cum arca populus Dei semel transiit, per quod significatur simpla mersio baptismatis, cujus sacramento Ecclesia*

* Gregor. nil
* Gregor. quàm quod
* Gregor. infans ab aquis educitur
* Gregor. æstimat
* Gregor. baptizando
* Gregor. immergere
* Gregor. personis
* Gregor. in aquam
* Gregor. immergere

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. R-R. 18. CAROLI R. 10.

abluitur, & de seculi hujus laboribus per Baptismum, quasi per Jordanem, ad terram cælestis repromissionis ingreditur. Qui citatur in hoc Canone textus Gregorianus, ab his vocibus, *de trina verè mersione*, ad illas usque, *potest Divinitatis singularitas designari*, suprà descriptus est, & collatione simul factâ variæ lectiones in margine Canonis Toletani positæ sunt. Altera pars ita sequitur apud Gregorium. *Sed * quia nunc huc usque ab hæreticis infans in Baptismate tertiò mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne, dum mersiones numerant, Divinitatem dividant, dúmque quod faciebant faciunt, se morem * nostrum vicisse glorientur.*

* Can Tolet. Sed si nunc usque ab

* Can Tolet. morem vestrum se vicisse

XXXI. Joannes Diaconus in vita Gregorii Magni, libro primo, capite quinquagesimo-secundo sic scribit. *Item Gregorius Leandro Hispalensi Episcopo: [Respondere Epistolis vestris totâ intentione voluissem, nisi Pastoralis curæ ita me labor attereret, ut mihi magis flere libeat, quàm aliquid dicere. Quod vestra quoque reverentia in ipso literarum mearum textu vigilanter intelligit, quando ei negligenter loquor, quem vehementer diligo. Tantis quippe in hoc loco hujus mundi fluctibus quatior, ut vetustam ac putrescentem navim, quam regendam occultâ Dei dispensatione suscepi, ad portum dirigere nullatenus possim. Nunc ex adverso fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt, nunc à tergo tempestas insequitur. Inter * quæ omnia turbatus cogor modò in ipsam clavum adversitatem dirigere, modò curvato * navis latere minas * fluctuum ex obliquo declinare. Ingemisco, quia sentio, quòd, negligente me, crescit sentina vitiorum, & tempestate fortiter obviante jam jámque putrida naufragium tabula sonant. Flens reminiscor, quòd perdidi mea placidum littus quietis, & suspirando terram conspicio, quam tamen, rerum ventis adversantibus, tenere non possum. Si ergo me, frater reverendissime *, diligis, tua mihi orationis in his fluctibus manum intende, ut quo laborantem me adjuvas, ex ipsa vice mercedis in tuis quoque laboribus valentior existas.* Hoc est initium Epistolæ jam citatæ, quæ numeratur in Regesto Gregoriano quadragesima-prima libri primi; variantes lectiones, in quibus exemplaria Gregorii Papæ & Joannis Diaconi differunt, ad marginem textûs proximè descripti notasse sufficiat.

* Gregor. Interque has omnia

* Gregor. incurvato

* Gregor. minas & impetum

* Gregor. charissime

XXXII. Perperam igitur Alcuinus abjudicare Gregorio Magno conatus est Epistolam, quâ simplicem in Baptismo mersionem tuebantur Hispani, nec his verti potuit crimini, quòd constanter adhærerent, & responso tanti Pontificis, & Toletanæ Synodo, quæ Canonem ex iisdem Gregorii literis concinnatum promulgarat. Quæstionem illam de triplici vel simplici mersione jam attigimus Tomo primo, cùm de Clodovei Magni Baptismo sermonem ad annum Christi quadringentesimum nonagesimum-sextum [a] faceremus. In dubium vocari nequit, quin ab Apostolorum traditione fluxerit, ut, qui ad fidei sacramentum accederent, ter in aquam mergerentur. *Si quis Episcopus aut Presbyter*, ait Canon Apostolicus, *non trinam mersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in Baptismate, quod dari videtur in morte, deponatur. Non enim dixit nobis Dominus. In morte mea baptizate, sed [euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.]* Tertullianus [b], qui secundo seculo vixit, & Sanctos Ambrosium, Hieronymum, ac Leonem, quos Alcuinus allegavit, ætate longè antecessit, inter varias Baptismi cæremonias, quarum auctricem traditionem, consuetudinem confirmatricem, & fidem observatricem dicit, hanc habet. *Ter mergitamur.* At cùm Ariani in Hispania, quò tres naturas divinas in tribus personis esse demonstrarent, trinâ mersione uterentur, visum est Gregorio Magno [c] in prælaudatis literis ad Leandrum Hispalensem Episcopum Metropolitanum, ut una mersio ab Hispanis fieret, ne sequentes ritum Arianorum, sequi & doctrinam viderentur.

[a] Num. 52.

[b] De Cor. Milit. c. 3.

[c] Lib. 1. ep. 41.

XXXIII. Hoc quoque anno Alcuinus Epistolam [d] Paulino Patriarchæ Forojuliensi scripsit, in qua non tantùm questus est, ut suprà, de illis qui in Bap-

[d] Ep. 81.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

SCRIBIT PAULINO PATRIARCHÆ FOROJUL. DE ERRORIBUS HISPANORUM. XXXIV.

tismo unicâ duntaxat utebantur mersione, sed etiam de aliis, qui tres quidem mersiones adhibebant, at tres personas sanctæ Trinitatis ad singulas mersiones nominabant. *Nunc iterum*, inquit, *antiquus serpens de dumis Hispanici ruris, & de speluncis venenatæ perfidiæ, contritum non Herculeâ sed Evangelicâ clavâ caput relevare conatur, & prioribus nequitiæ poculis nova maledictionis toxica immiscere. Sed & frigidissimus Aquilo ventus alio de latere, solidum Ecclesiæ impellens parietem, sacri Baptismatis, Catholicæ consuetudinis, Regulam immutare nitens, & sub invocatione sanctæ Trinitatis unam asserentes mersionem fieri debere, triduanámque nostri Salvatoris sepulturam in Baptismo negligentes, cùm Apostolus diceret, [consepulti enim estis cum Christo in Baptismo.] Alii verò trinam volentes facere mersionem, & in unaquaque mersione invocationem sanctæ Trinitatis, ac per hoc totas tres personas ter nominare studentes, dum ipsa Veritas praciperet. [Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.]* Actum suprà de prima quæstione, restat ut agamus de altera.

[a] Contr. Prax. c. 26.

Tertullianus [a] ritum Baptismi cum trina mersione & una Sanctæ Trinitatis invocatione sic exponit: *Post Resurrectionem spondens missurum se discipulis promissionem Patris, & novissimè mandans ut tinguerent in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, non in unum. Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in singulas personas tinguimur.* In Codice Ratoldi Abbatis, *baptizat Sacerdos sub trina mersione, tantùm Sanctam Trinitatem semel invocans, & dicens, & ego baptizo te in nomine Patris (& mergat semel) & Filii (& mergat iterum) & Spiritûs Sancti (mergat tertiò.)* Ritum eundem vetus Ordo Romanus in Sabbato sancto sic describit. *Acceptis infantibus à parentibus vel patrinis eorum, baptizant eos sub trina mersione, tantùm Sanctam Trinitatem semel invocantes, ita dicendo. Et ego baptizo te in nomine Patris, & mergit semel, & Filii, & mergit iterum, & Spiritûs Sancti, & mergit tertiò.* Et liber de Divinis Officiis in capite quoque de Sabbato Sancto *Baptizat eum Sacerdos sub trina mersione, tantùm sanctam Trinitatem semel invocando, ita dicens. Et ego te baptizo in nomine Patris, & mergat semel, & Filii, & mergat iterum, & Spiritûs Sancti, & mergat tertiò.* Nec dissentit Euchologium Græcorum. Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς ἀμήν, καὶ τοῦ Υἱοῦ ἀμήν, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἀμήν, νῦν καὶ ἀεί, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων ἀμήν, ἑκάστῃ προσρήσει κατάγων αὐτόν, καὶ ἀνάγων. *Baptizatur servus Dei Ill. in nomine Patris, amen, & Filii, amen, & Spiritûs Sancti, amen, nunc & semper & in secula seculorum, amen, ad singulas appellationes*, personarum videlicet, *demergens eum, & attollens.* Hugo Menardus loco jam citato scribit usitatum aliquando apud Græcos, ut in Baptismo tres adhiberentur mersiones, & ad singulas mersiones tres personæ Trinitatis nominarentur. Assertionis suæ testem appellat Cedrenum, apud quem in Historiarum Compendio sub Marco Antonino Imperatore hæc leguntur de Theodori Baptismo. Εἷς ἐξ αὐτῶν πληρώσας τὰς χεῖρας ψάμμου, ἐκ τρίτου ἐπέχεεν ἐπὶ τὴν κεφαλήν, τρίτον λέγων. Βαπτίζεται Θεόδωρος εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Ipsorum quidam manibus arenam haustam tertiùm ejus capiti infudit, tertiùm dicens. Baptizatur Theodorus in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Cedrenus opus suum ad annum usque Christi millesimum quinquagesimum-septimum perduxit, eodémque seculo undecimo floruisse creditur. Cedreno longè antiquior Joannes Moschus, qui vixit septimo seculo, sicque de Theodori Baptismo scripsit in Prato Spirituali, capite centesimo septuagesimo-sexto. ὁ δὲ φιλόπονος πληρώσας ψάμμου τὰς χεῖρας αὐτοῦ, ἐπὶ τρὶς κατέχεεν αὐτοῦ, τῇ κεφαλῇ, λέγων. βαπτίζεται Θεόδωρος εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Industrius autem ille, implens ambas*

AN GRÆCI TRES PERSONAS TRINITATIS TER NOMINAVERINT IN BAPTISMATE?

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

manus suas arenâ, tertiò effudit super caput ejus, dicens ita. Baptizatur Theodorus in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Tres mersiones colliguntur ex hoc textu, sed ad singulas mersiones tres personæ Trinitatis non ostenduntur repetitæ. Multùm igitur suis in narrationibus hi differunt Auctores, nec etiam de tempore conveniunt, ut Menardus optimè jam notavit; rem enim sub Marco Antonino Imperatore gestam Joannes Moschus edisceere non potuit à viro, cui testis oculatus retulisset. Eandem quam Cedrenus Historiam describit Nicephorus [a] multò recentior. ἄμμῳ χρησάμενοι ἀντὶ ὕδατος ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος τοῦτον βαπτίζουσι, τρίτον τῆς ἄμμου καταχεάμενοι. *Arenâ pro aqua usi, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti illum baptizant, arenâ tertiùm conjectâ.* In hoc quoqne Nicephori textu ter tingitur qui baptizatur, sed tres Trinitatis personæ ter haud nominantur. Quòd autem Cedrenus & Nicephorus eandem Historiam texant, id ex utriusque scriptis evidentissimè patet. Uterque enim rem illam contigisse temporibus Marci Antonini Imperatoris, & ad Dionysum Alexandriæ tunc Episcopum mox relatum esse testatur. Cedrenus, sic. Μάρκος Ἀντωνῖνος ἐβασίλευσεν. *Marcus Antoninus imperavit.* Tunc Ἑβραῖος τὶς συνοδοιπορῶν Χριστιανοῖς κατὰ τὴν ἔρημον. *Quidam Hebræus per solitudinem iter cum Christianis faciens* &c. Is est Theodorus, cujus capiti infusa est arena. Postquàm autem Alexandriam pervenerunt, res ea Dionysio Episcopo ad dijudicandum exposita est. Ἐλθόντων δὲ αὐτῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ καὶ συζητήσεως παρὰ τοῦ πάπα Διονυσίου γενομένης. Nicephorus sic. Ἔτι δὲ Μάρκου Αὐρηλίου Ἀντωνίνου τὴν αὐτοκράτορα Ῥωμαίοις διοικοῦντος ἀρχὴν, Ἑβραῖος &c. *Adhuc autem Marco Aurelio Antonino Imperium Romanorum administrante, Hebræus* &c. *Postquàm autem domum sunt reversi, rem eam ad Dionysium Alexandriæ Episcopum retulerunt.* ὡς δὲ οἴκαδε ἐπανῆλθον, Διονυσίῳ τῷ ἐπισκόπῳ τῆς Ἀλεξανδρέων ἀνέθεντο τὸ πρᾶγμα. In hoc quoque de Dionysio, quòd Theodorum aquâ rursum baptizari jusserit, prædicti conveniunt Auctores. Cedrenus; πάλιν ἐβαπτίσθη δι' ὕδατος. Nicephorus; τῷ ὕδατι ἐπικλύσαι ἐς ὕστερον τὴν τῆς ἐκκλησίας παράδοσιν. Eundem Dionysium duodecimo Gallieni Imperatoris anno mortuum scribunt Eusebius in Historia Ecclesiastica [b] & Sanctus Hieronymus in Scriptoribus Ecclesiasticis [c]. In Apparatu, quem his Annalibus præfiximus, annus duodecimus Gallieni Augusti cum anno Christi ducentesimo sexagesimo-septimo componitur. A morte Marci Antonini, quæ decimo-sexto Kalendas Aprilis anno Christi centesimo octogesimo-secundo contigit, ad annum usque Gallieni Augusti duodecimum, quo Dionysius Alexandrinus Episcopus obiit, effluxerunt anni quinque & octoginta. Videant jam Cedrenus & Nicephorus, utrum idem Dionysius ætate Marci Antonini sederit. Baronius Historiam suprà recitatam Tomo secundo Annalium Ecclesiasticorum ex Nicephoro refert ad annum Christi centesimum octogesimum-primum, totámque difficultatem credit amputatam, si Dionysius Corinthius apud Nicephorum Alexandrini loco reponatur. At non tantùm Nicephorus, sed etiam Cedrenus, eo multùm antiquior, Dionysium habet Alexandrinum. Solvit autem quæstionem Joannes Moschus, cui potior fides habenda quàm Nicephoro & Cedreno, quia utroque longè vetustior. Hic Theodorum non temporibus Marci Antonini, sed sexto seculo baptizatum innuit, totum enim negotium à viro, cui retulerat unus è Christianis, qui præsentes adfuerant, sibi narratum affirmat, nec Dionysii meminit, vel Alexandrini, quem Cedrenus & Nicephorus nominant, vel Corinthii quem Baronius restituendum arbitratur, sed Ascalonensis,

[a] Lib. 3. c. 37.

[b] Lib. 7.

[c] Cap. 69.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. R R. 18. CAROLI R. 10.

lonensis, cui quid in via Theodoro contigisset, expositum sic scribit. Ἐλθόντες δὲ ἐν Ἀσκάλωνι, ἀπηγγέλη τὰ περὶ τούτου τῷ μακαρίῳ καὶ ἐν ἁγίοις Διονυσίῳ τῷ ταύτης ἐπισκόπῳ, ὃ ὅπως συνέβη τῷ ἀδελφῷ κατὰ τὴν ὁδόν. Deinde addit *visum beato Dionysio Episcopo, mittere fratrem illum* Theodotum *ad Sanctum Jordanem, illícque baptizari.* Ἔδοξε τῷ μακαρίῳ Διονυσίῳ τῷ ἐπισκόπῳ ἀποστεῖλαι τὸν ἀδελφὸν εἰς τὸν ἅγιον Ἰορδάνην, κἀκεῖσε βαπτίζεσθαι. Baronius, postquàm Nicephori narrationem descripsit, rectè observat *non ex Ecclesiasticæ legis præcepto sed rudi quadam simplicitate & rerum Ecclesiasticarum ignoratione* dictum à Christianis viæ comitibus, quòd Judæus ille non posset, *etiam necessitatis tempore, ab aliis quàm à Sacerdotibus baptizari.* Ἱερέως γὰρ ἔδει, inquit Nicephorus. Et Cedrenus. Ὕδατος δὲ μὴ ὄντος, μήτε ἱερέως Χριστιανοῦ, *cùm neque aqua ad manum esset, neque Sacerdos Christianis.* Apud Joannem Moschum Christiani Judæum sic alloquuntur. Ἀδελφὲ, οὐκ ἔξεστιν ἡμῖν τι τοιοῦτον ποιῆσαι, κοσμικοὶ γάρ ἐσμεν. τοῦτο γὰρ ἔργον ἐπισκόπων ἐστὶ, καὶ πρεσβυτέρων. *Frater, non licet nobis hoc facere, seculares enim sumus, hoc autem Episcoporum & Presbyterorum opus est.* Res igitur multæ sunt, quæ tres hos Auctores in eadem materia versatos, & Joannem Moschum duobus aliis præferendum suadent. Tres autem personæ Trinitatis, nec apud Joannem Moschum, nec apud Nicephorum, sed tantùm apud Cedrenum ter repetuntur; factâque textuum suprà descriptorum collatione Cedrenus erroris arguitur, atque ex eo quòd apud illum legitur vox τρίτον, quam Joannes Moschus & Nicephorus expungendam docent, validum non eruitur argumentum, ut apud Græcos aliquando tres personas Trinitatis in Baptismo ter nominatas existimes. Ergo Alcuinus meritò reprehendit *trinam volentes facere mersionem, & in unaquaque mersione invocationem Sanctæ Trinitatis, ac per hoc totas tres personas ter nominare studentes.*

XXXV. In iisdem literis Alcuinus queritur, quòd *est quoque in quibusdam clancula disputatio, an animæ Sanctorum Apostolorum, & Martyrum, aliorúmque perfectorum, ante diem judicii, in cæleste recipiantur Regnum.*

XXXVI. ADVERSUS FELICEM EP. URGELLIT. TRES A PAULINO PATRIARCHA FOROJUL. SCRIBUNTUR LIBRI;

Has ad Paulinum Patriarcham literas direxit Alcuinus, postquàm tres ab eo libros contra Felicem Urgellitanum Episcopum prosâ scriptos, & fidei regulam versibus exaratam accepit. Sub initium enim Epistolæ sic habet. *Cùm sacratissimæ fidei vestræ libellum recensui, Catholicæ pacis puritate ornatum, eloquentiæ venustate jocundissimum, sensuum veritate firmissimum; totius animi mei habenas in lætitiam laxavi. Ubi de uno lucidissimo & saluberrimo paradisi fonte, quatuor virtutum flumina, non solùm Ausoniæ fertilitatis prata, sed totius Ecclesiasticæ Latinitatis rura irrigare conspexi. Ubi & aurivomos spiritalium sensuum gurgites gemmis scholasticæ urbanitatis abundare intellexi. Quamplurimis verò profuturum & pernecessarium fecistis opus, in Catholicæ fidei taxatione, quod diu optavi, & sæpiùs Domino Regi suasi, ut Symbolum Catholicæ fidei planissimis sensibus & sermonibus luculentissimis in unam congregaretur chartulam, & per singulas Episcopalium regiminum parochias omnibus daretur Presbyteris legenda memoriæque commendanda, quatenus licèt lingua diversa loqueretur, una tamen fides ubique resonaret. Ecce, quod mea optavit humilitas, vestra implevit sublimitas. Habet apud salutis nostræ auctorem perpetuam scilicet & hujus bonæ voluntatis mercedem, & hujus perfecti operis apud homines laudem.* Si de Paulino tam præclarè sentiebat Alcuinus, hunc Paulinus in minori non habebat existimatione, quos enim contra Felicem libros Carolo Regi dedicavit, hos *ad manus reverentissimi viri & in divinis rebus peritissimi & præclari Albini, summæ Religionis perspicui Oratoris sui* deferri postulavit, ut ex fragmento literarum, quas eidem Carolo scripsit, refert Andreas Duchesnius in Præfatione ad Alcuinum: Rex Paulino Id-

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPIN. LUDOV RR. 18. CAROLI R. 10.

benter annuit, & quos ab eo contra Felicem libros accepit, eos Alcuino statim direxit, idque constat ex ejusdem Alcuini literis proximè citatis. Tres illos Paulini libros ex Bibliotheca Puteanorum fratrum prælaudatus Andreas Duchesnius post Alcuini opera publicavit.

XXXVII. SEPTEM AB ALCUINO. Ut à Paulino tres, sic ab Alcuino septem adversùs Felicem prodierunt libri. Scriptionis causam initio sui operis sic aperuit Alcuinus. *Scripsi Epistolam pridem Felici Episcopo, charitatis calamo, non contentionis stimulo, fraternæ salutis desiderio, non mordacis reprehensionis stylo, cupiens eum corrigere in Christi dilectione, quem in cujusdam nominis novitate de Christo à* * *Catholicæ pacis unitate recedere notum habetur. Sed, ut agnosco, non eo charitatis officio vel humilitatis obsequio mea litterulas diligentia recepit, quo me scribere, qui meam pietatis intuitu legerit Epistolam, agnoscere poterit. Nam idem præfatus Felix mox libellum non epistolari brevitate succinctum, sed sermonum serie prolixum nobis dirigere studuit.* Ex libro primo adversùs Elipantum causam eandem susceptæ contra Felicem scriptionis ita repetiit. *Felix infeliciter ad vestras refugiens partes sopitos infidelitatis cineres vobis exhortantibus resuscitare intendit. Cui ego in has adveniens partes charitatis calamo Epistolam exhortatoriam, ut se Catholicæ jungeret unitati, dirigere curavi. Cui ille non epistolari brevitate, sed libelli prolixitate respondere nisus est, atque in eo omnes perfidiæ vestræ foveas maximè aperuit, asserens Christum & veterem hominem esse, & nuncupativum Deum, & adoptivum Filium; & secundâ indiguisse regeneratione, & alia plurima Ecclesiasticæ doctrinæ inconvenientia.* Deinde sua de responsione hæc proximè subjunxit. *Cui libello ejus septem nostræ devotionis libellis respondimus, omnes vestræ pravitatis evacuans doctrinas. Qui etiam nostræ devotionis sermones lecti sunt in præsentia Domni Regis & Sacerdotum Christi.* Ex hoc textu liquidò constat Alcuinum auctorem esse septem librorum contra Felicem, quos editiones quædam in Bibliothecis veterum Patrum Paulino Forojuliensi Patriarchæ perperam adjudicarunt.

XXXVIII. CAROLUS MUNERA RURSUM ACCIPIT AB ALFONSO R. GALLÆCIÆ. Carolus hyemem egit Aquisgrani, illic enim & Natale Domini, & proximum Pascha celebravit. *Hadefonsus Rex Gallicia & Asturiæ prædatâ Olysiponâ* * *ultimâ Hispania civitate, insignia victoriæ suæ, loricas, mulos, captivósque Mauros, Domno Regi Carolo per Legatos suos Froiam & Basiliscum hyemis tempore misit.* Hæc Annalista Loiselianus, cui Tilianus, Fuldensis, Bertinianus, & Metensis, necnon Regino, incertus Auctor, & Monachus Egolismensis consentiunt. At Annalista Laureshamensis *Mauros octo cum totidem mulis atque loricis* in Franciam à Rege Gallæciæ missos distinctè notat. Alter Legatorum, qui munera detulerunt, à plerisque Froia nominatur, ab Annalista Fuldensi Froius, à Reginone & ab Annalista Metensi Froila, nec alius ab eo videtur, qui sub initium hujus anni Carolum ad Wisurgim amnem convenerat.

* Lisbonne

XXXIX. LUDOVICUS CONVENTUM CELEBRAT TOLOSÆ. Ludovicus Aquitaniæ Rex, quem vertente anno superiore Carolus pater è Saxonia remiserat, ut rebus Aquitanicis & Hispanicis provideret, *Tolosam venit, & Conventum generalem ibidem habuit,* ut in ejus vita vetus testatur Astronomus. E Germania redierat cum Abdalla Saraceno, Alhacæ Regis, qui Mahumetanis in Hispania dominabatur, patruo. Hic statim in Hispaniam profectus est, ut adversùs Alhacam Zulemæ fratri se conjungeret. Secutum per aliquot annos bellum, quod ut Saracenis injucundum, sic Christianis, Francis videlicet & Gallæcis, gratum fuit, & à Roderico Toletano [a] paucis ita narratur. *Abdalla, agnomine Valentinus, cum barbaris Valentiâ rebellavit, & Zuleman fratrem suum Tangiâ accersivit, & ambo à Valentia nepotem suum, Alhacam nomine, bellis indesinentibus, impetebant.* Intestina Maurorum bella Regi Gallæcorum, ut Olisiponem nobilissimam Lusitaniæ civitatem aggrederetur, oblatâ rei benè gerendæ opportunitate non parum impulerunt. Alfonsus è sua prudentia duxit amicitiam sibi comparare non Caroli tantùm Regis, qui supremum in uni-

[a] In hist. Arab. c. 21. novæ edit. c. 22. vet. edit.

vetſam Francorum gentem imperium obtinebat, ſed etiam Ludovici filii, quem pater in conſortium adſciverat Aquitanici Regni, cui pars etiam Hiſpaniarum, quam Franci Saracenis eripuerant, adjecta. Quapropter Oratores hoc anno eum muneribus direxit ad eundem Ludovicum, qui ſic ab Aſtronomo jam citato commendatur. *Adefonſi Galletiarum Principis Miſſos, quos pro amicitia firmanda miſerat cum donis, ſuſcepit, & pacificè remiſit.* Ludovicus eodem tempore, quo Legatos Alfonſi Regis Chriſtiani ſuſcepit, ſuſcepit & Oratores Ducis Saraceni, qui jugo Cordubenſium Regum excuſſo Pyrenæos montes Aquitaniæ proximos occuparat. Qua de re ſic idem Auctor. *Necnon & Bahaluc Saracenorum Ducis, qui locis montuoſis Aquitaniæ proximis principabatur, Miſſos pacem petentes & dona ferentes ſuſcepit; & remiſit.* Adeò celebris erat in Hiſpania Francorum fama, ut & eorum arma Saraceni reformidarent, & eorum ope indigere ſe Chriſtiani faterentur.

AN. CH. 798.

Munerificitur ab eodem Alfonso R. et a Bahaluco Saracenorum Duce.

XL.

Explebat tunc Ludovicus annum ætatis viceſimum, aptus uxori ducendæ Hermengardam conjugio ſibi ſociavit, & conſilio ac conſenſu patris Reginam conſtituit. Illo de matrimonio mentionem honorificè faciunt prædictus Aſtronomus & Theganus. Aſtronomus, poſtquàm Ludovicum laudavit, quòd apud Toloſam generalem Conventum habuerit, & Oratores cùm ab Alfonſo Gallæciæ Rege tum à Bahaluco Saracenorum Duce directos audierit remiſeritque, hæc proximè de eodem Rege ſubjungit. *Quo tempore verens, ne corporis nativo ſuperatus calore, in multimodos luxuriæ raperetur anfractus, cum conſilio ſuorum, Hermengardam futuram Reginam, claris ortam natalibus, utpote filiam Ingramni Comitis, ſibi ſociavit.* Theganus Ludovici ſocerum vocat Ingorrammum, eúmque Nobiliſſimum Ducem dicit, & Ruthgandi Epiſcopi nepotem ſic conſtituit [a]. *Ludewicus, poſtquàm ad ætatem pervenit, deſponſavit ſibi filiam Nobiliſſimi Ducis Ingorrammi, qui erat filius fratris Ruthgandi ſancti Pontificis.* Hic Rutgandus non alius eſt à Chrodegango Metenſium Epiſcopo, de quo fuſè Tomo ſuperiore diſſeruimus. Uxor igitur Ludovici, quam Aſtronomus Hermengardam, Theganus Irmingartam appellat, patrem habuit ſeu Comitem ſeu Ducem Ingramnum ſive Ingorrammum, avum fratrem Sancti Chrodegangi Metenſis Epiſcopi, proavum Sigrammum, proaviam Landradam, *Francorum ex genere primæ nobilitatis*, ut teſtatur elogium beati Chrodegangi publicatum à Paulo Diacono in libro de Metenſibus Epiſcopis. Hermengardæ genus adeò clarum ſtudioſiùs obſervarunt prænitati Scriptores, obſervandúmque præcipuè putamus, quia Reginæ titulo donatur à Ludovico. Apud Aſtronomum jam allegatum Ludovicus Hermengardam *futuram Reginam* ſibi ſociat, & apud Theganum [b] eandem *conſilio & conſenſu patris Reginam conſtituit.* Uxore ductâ non remiſit animum à negotiis Regni. *Ordinavit illo tempore in finibus Aquitanorum circumquaque firmiſſimam tutelam. Nam civitatem Auſonam, caſtrum Cardonam, Caſtamſerram *, & reliqua oppida olim deſerta munivit, habitari fecit, & Burrello Comiti cum congruis auxiliis tuenda commiſit.* Hæc Aſtronomus in ejus vita. In Concilio Narbonenſi, quod anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo celebratum eſt, definitum diximus, ut Auſonenſis pagus, donec peculiarem Epiſcopum habere poſſet, ad Narbonenſem Diœceſim pertineret. Utrùm autem Auſonenſis Parochia, ſtatim ac Ludovicus Auſonam munivit, avulſa ſit à Diœceſi Narbonenſi, peculiarémque recuperarit Epiſcopum, non liquet, ſeriùs enim audiri denuò cœperunt Auſonenſium ſeu Vicenſium Epiſcoporum nomina. De ſitu veteris Auſonæ Vicique longè recentioris ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-tertium locuti ſumus.

Ducit uxorem.

[a] Cap. 4.

[b] Cap. 4.

* Caſtaberr.

Ordinat Aquitaniam.

XLI.

Duo Leonis Papæ pſeudo-diplomata circumferuntur hoc anno data, unum pro Monaſterio San-Dionyſiano in agro Pariſienſi, alterum pro Eccleſia Juvavienſi ſeu Saliſburgienſi in Bojoaria. Primum in Antiquitatibus San-Dionyſianis, ſecundum in Metropoli Saliſburgienſi legitur. Utrum-

Rejiciuntur pseudo-diplom. Leonis PP.

AN.CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

que commentitium ostendemus. Ordiemur à San-Dionysiano, quod à Dubleto [a] sic publicatum est. *Leo Episcopus, servus servorum Dei, Fulrado, dilecto Deo Presbytero, & Abbati venerabilis Monasterii Sancti Christi Martyris Dionysii, & cunctis posteris in perpetuum. Quoniam expetisti à Sede Apostolica Privilegium renovari, quod hactenus antecessor noster bonæ & sanctæ memoriæ Stephanus Papa ex Monasteriis à te constructis confirmavit, tibi, & omnibus successoribus tuis Abbatibus iterum roborare [1] & confirmare per nostram auctoritatem in anteà deberemus [2], & sub ditione Sanctæ Sedis Ecclesiæ Romanæ semper perpetuâ conservatione subsistere & permanere omnimodis debeant, eo videlicet ordine, ut quicquid ex donatione Excellentissimi filii Regis nostri Karoli, vel aliorum Regum, ac bonorum hominum, & parentum suorum, & ex tua proprietate & commutationibus habere [3] & dominari modò videris, vel in anteà adquirere tu & successores tui potueris, tam in Monasteriis ædificandis, quàm & villis sive mancipiis, in quibuscumque pagis, locis & agris, constitutis, ita stabilita [4] & rata in perpetuum permaneant, & in prædictis Monasteriis nullus Episcoporum vel Sacerdos, absque voluntate Præcellentissimi filii nostri Karoli Regis, vel tua, licentiam habeat Missas celebrare, nisi per vestram convocationem, sed proprium habentes [5] Episcopum, Tabulas & Chrisma consecrandum, vel ceteros sacros Ordines, sicut in Privilegio Domni Stephani Papæ pleniùs continetur, auctoritatem & licentiam in omnibus attribuimus, & hoc Beati Petri Apostolorum Principis auctoritate fulcientes protestamur, ut omnes causas vel necessitates tuas, ac Monasterii tui sanctissimi Dionysii Martyris, & ceterorum Monasteriorum illi subditorum, ad Sedem Apostolicam licentiam habeas, & omnes successores tui Abbates, reclamandi, & res ac prædia, sive Monasteria à te constructa & ordinata, sicut in Testamento tuo habes, ad Monasterium Sancti Christi Martyris Dionysii & Monachorum suarum tradita & confirmata in futurum perseverent, statuentes per hanc seriem scripturarum, atque interdicentes, ut quisquis vel cujuscumque dignitatis persona à magno gradu usque ad minimum fuerit, qui hoc Privilegium irrumpere temptaverit, vel fecerit, sub anathematis vinculo, Beati Petri Apostolorum Principis ac nostrâ auctoritate, esse alligatum universalis Ecclesiæ sciat, nisi dignâ satisfactione coram Deo & Sanctis [6] suis pœnitentiam egerit. Bene valete. Data 6. Kal. Junii, anno in sacratissima Beati Petri Sede III. seu Domno Karolo Excellentissimo Rege Francorum & Longobardorum atque Patricio Romanorum, à quo capta fuit Italia, anno vicesimo-quinto, Indictione sextâ.*

XLII. In hunc annum conveniunt conspirántque tres illi Chronologici Characteres, annus tertius Leonis Papæ, vicesimus-quintus Caroli Regis in Italia, & Indictio sexta. Sed Leo Pontificiis Diplomatibus annos sui Pontificatûs numquam adscripsit, hujuscemodi ratio computandorum annorum seriùs à Romanis Pontificibus, Urbis tum Dominis, usurpari cœpit. Hoc igitur Diploma supposititium ipsa prodit subscriptio. Nec plùs auctoritatis inscriptioni tribuendum, Fulradus enim Presbyter Abbas San-Dionysianus, cui Diploma dirigitur, obiit decimo-septimo Kalendas Augustas, anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto, cùm Hadrianus Leonis decessor annum Pontificatûs decimum-tertium & Carolus undecimum Regni per Italiam numerabant. Mirari certè subit, quomodo Dubletus Diploma dicat ab Hadriano missum *Magenario Religioso Abbati venerabilis Monasterii Sancti Christi Martyris Dionysii*, deinde aliud Fulrado à Leone ipsius Hadriani successore, cùm Magenarius Fulradi non discipulus modò sed etiam in Abbatiali munere successor extiterit. Pluribus non opus est argumentis, ut Diploma proximè recitatum commentis accenseas. Dubletus Monasterio San-Dionysiano, ut proprium ei liceret Episcopum habere, Privilegium ab Apostolica Sede concessum affirmavit, atque in illius rei probationem tres Pontificias epistolas publicavit [a], unam Stephani Tertii Papæ, alteram Hadriani, tertiam Leonis quoque Tertii. Primam ostendimus [b] interpolatam, secundam ut sup-

[a] Lib. 2. c. 5. PRO MON. S. DIONYSII.
[1] rovorare
[2] deveremus
[3] havere
[4] stavilita
[5] haventes
[6] Sanctorum suorum

[a] Lib. 2. cc. 3. 4. 5.
[b] Tom. 5. a. 757. nn. 1. & seqq.

posititiam explosimus [a], de tertia non aliter quàm de secunda censemus propter rationes allatas suprà. Ceterùm, quia suo Diplomate Leo Privilegium ab antecessore Stephano datum confirmasse fertur, operæpretium nobis videtur ob oculos tibi ponere tria, quæ simul conferre possis, fragmenta, unum ex genuino Stephani Privilegio, alterum ex eodem Privilegio interpolato, tertium ex pseudodiplomate Leonino.

FRAGMENTUM EX GENUINO STEPHANI III PP. PRIVILEGIO APUD SIRMONDUM.

Quia postulasti à nobis, dilectissime noster fili, quatenus in provincia Franciæ, ubi & ubi tibi placitum fuerit in diversis locis, sive in his, quæ proprietatis tuæ juri pertinent, sive etiam iis, quæ per emptionis paginam tibi advenerunt, quámque etiam in rebus parentum tuorum, vel unde unde tibi contingat, Monasteria construendi licentiam tribueremus, ipsáque Monasteria à te fundata Privilegiis Sedis Apostolicæ munirentur, ut sub jurisdictione Sanctæ, cui, Deo auctore, deservimus, Ecclesiæ constituta nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittantur. Pro qua re piis desideriis faventes, hac nostrâ auctoritate, id quod exposcitur, effectui mancipamus, & ideo per hanc Apostolicam auctoritatem tibi, cui suprà, dilecto filio nostro Fulrado, vel ceteris tuis successoribus Abbatibus licentiam & potestatem largientes concedimus ædificandi Monasteria, ubicumque in Franciæ provincia volueritis, sive in locis proprietatis vestræ, sive etiam in his, quæ per comparationis seriem tibi prædicto filio nostro

FRAGMENTUM EX INTERPOLATO STEPHANI III PP. PRIVILEGIO APUD DUBLETUM.

Quia postulasti à nobis, dilectissime noster fili, quatinus in Regno Franciæ, ubi & ubi tibi placitum fuerit in ruris atque mæniis diversorum locorum, sive in his, quæ tuæ proprietatis sunt, in his etiam quæ per emptionis paginam tibi advenerunt, sive in rebus parentum tuorum, vel undecunque tibi advenerint, Monasteria construendi licentiam tribueremus, ipsáque Monasteria, sicut à te sine refragatione de aliquo Judice vel reclamatore constructa sunt, ita libera sub jure Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui, Deo auctore, deservimus, à nobis firmata Privilegiorum in futuro permaneant. His igitur quàm piis desideriis faventes, ac nostrâ benedictione id, quod petis, effectui mancipantes, per hanc Apostolicam auctoritatem tibi, ceterísque successoribus tuis Abbatibus Cœnobii Sanctorum Martyrum, Dionysii, Rustici, & Eleutherii, licentiam & potestatem concedimus ædificandi Monasteria ubicumque in Franciæ Regno volueritis, sive in locis proprietatis vestræ, sive in his, quæ per comparationis seriem, vel concess-

FRAGMENTUM EX SUPPOSITITIO LEONIS III PP. DIPLOMATE APUD DUBLETUM.

Quoniam expetisti à Sede Apostolica Privilegium renovari, quod hactenus antecessor noster bonæ & sanctæ memoriæ Stephanus Papa ex Monasteriis à te constructis confirmavit, tibi & omnibus successoribus tuis Abbatibus, iterum roborare & confirmare per nostram auctoritatem ita antea deberemus, & sub ditione Sanctæ Sedis Ecclesiæ Romanæ semper perpetuâ conservatione subsistere & permanere omnimodis debeant, eo videlicet ordine, ut quicquid ex donatione Excellentissimi filii Regis nostri Karoli, vel aliorum Regum, ac bonorum hominum, & parentum tuorum, & ex tua proprietate & commutationibus habere & dominari modò videris, vel in anteà aquirere tu & successores tui potueris, tam in Monasteriis ædificandis, quàm & villis sive mancipiis, in quibuscunque pagis, locis, & agris, constitutis, ita stabilita & rata in perpetuum permaneant, & in prædictis Monasteriis nullus Episcoporum vel Sacerdos, absque voluntate Præcellentissimi filii nostri Karoli Regis, vel tua, licentiam habeas Missas celebrare, nisi

[a] An. 786. nu. 1. & seqq.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

nostro obvenerunt, aut obvenerint, vel unde unde ad te pervenerunt vel pervenerint. Et omnem cujuslibet Ecclesiæ Episcopum, aut alium quempiam Sacerdotem, in præfatis Monasteriis ditionem quamlibet habere, præter Sedem Apostolicam, hac auctoritate prohibemus. Ita ut nullus Episcopus aut alius Sacerdos, vel etiam quispiam à laicis, in quoquam contrarietatem eisdem Monasteriis inferre præsumant, nisi tu, Deo amabilis vir, vel successores tui Abbates, quempiam forsitan Sacerdotum permiseris ad quodlibet spiritale opus peragendum, quando ipsa venerabilia loca ædificaveris. Sed & hoc omnino interdicimus, ut nullus Episcoporum præsumat Presbyterum, aut Diaconem, vel reliquos Ordines Ecclesiasticos in prædictis Monasteriis ordinare, vel Missas ibidem celebrare, nisi ille, qui ab Abbate in tempore existente fuerit invitatus. Episcopum illum, qui hujusmodi consecrationem sacri Ordinis in ipsis Cœnobiis constituerit, nullomodo alius cujuslibet Ecclesiæ Episcopus pro eadem causa condemnare audeat. Sed & Tabulas & Chrismа similiter consecrandi vobis licentiam tribuimus. Et hoc Beati Petri Principis Apostolorum auctoritate promulgantes sancimus, ut nullo modo Concilium Episcoporum & laicorum absque voluntate Excellentissimi filii nostri Pippini Regis, vel tua dilectionis, Deo amabilis vir, te audeat quoquomodo Episcopum consecrare. Et omnes causas concessionem Regum, vel parentum vestrorum dono, vel undecunque, vel ubicunque vobis quolibet justo modo obvenerint. Et quoniam ad preces Chludovii, filii Dagoberti Regis, Domnus Landericus Parisiaca urbis Episcopus à sua & omnium successorum suorum potestate deinceps cum consilio suorum Canonicorum & fratrum suorum Coepiscoporum regionis illius, Cœnobium vestrum, & omnes ad eum servientes Clericos quorumcumque Ordinum in procinctu vestri Monasterii absolvit, nos etiam idem, & habere vobis Episcopum, per singulare Privilegium concedimus, qui de vobis ab Abbate vel à fratribus in Monasterio vestro electus, & à fratribus nostris Episcopis de illa regione consecratus, illa vestra Monasteria à vobis ædificata provideat, & vice nostri nominis ubi & ubi fuerint regat, & prædicationi jam in ipso vestro Monasterio, quam in sibi subjacentibus deserviat. Ut autem alicujus Ecclesiæ Episcopus vel Sacerdos illa Monasteria à vobis ædificata aliquo cupiditatis vinculo deceptus invadat, & illi Episcopo, quem tu vel successores tui elegerint & ordinare fecerint, per invidiam aut per quamlibet occasionem aliquam contradictionem inferat, prohibemus, sed sint reliqua vestra Monasteria sub Apostolica ditione, sicut & ipse sanctus locus constitutus est, ad quem ipsa omnia prædicta Monasteria pertinere videntur. Hoc autem Christi Dei nisi per vestram convocationem, sed proprium habentes Episcopum, Tabulas & Chrisma consecrandum, vel ceteros sacros Ordines, sicut in Privilegio Domni Stephani Papa plenius continetur, auctoritatem & licentiam in omnibus attribuimus, & hoc Beati Petri Apostolorum Principis auctoritate fulcientes protestamur, ut omnes causas vel necessitates tuas, ac Monasterii tui Sanctissimi Dionysii Martyris, & ceterorum Monasteriorum illi subditorum, ad Sedem Apostolicam licentiam habeas, & omnes successores tui Abbates, reclamandi.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

causas tuas vel Cœnobii tui per Sedem sacratissimam Apostolicam reclamare licentiam habeas.

Dei & Domini nostri, & Beati Petri Apostolorum Principis, & nostrâ auctoritate promulgantes sancimus, ut ista, quæ dictavimus, ita roborata permaneant, & nemo Episcoporum de quacumque Ecclesia, Presbyterum vel Diaconum ordinare, vel aliquod Ecclesiasticum ministerium celebrare, vel Concilium convocare in prædictis Monasteriis audeat, nisi ille, quem Abbas illo in tempore existens, ad hæc officia peragenda invitaverit. Tuas autem, & tuorum Monasteriorum causas, tu, atque tui successores per tempora, quæ ventura sunt, ad nostram & Apostolicam audientiam reportare & reclamare per nostram præceptionem licentiam habeas.

Alterum pseudo-Diploma Pontificium, quòd pro dignitate Juvaviensis seu Salisburgiensis Ecclesiæ fertur emissum, sic apud Hundium in Salisburgiensi Metropoli [a] legitur. *Dilectissimis nobis Alim Ecclesiæ Sabionensis qui nunc Brixinensis, seu Attoni Ecclesiæ Frisingiæ ac simul Ecclesiæ Reginensis; necnon Walrico Ecclesiæ Pataviensis, & Symberto Ecclesiæ Niwemburgensis, provinciæ Bajoariorum Episcopis, Leò servus servorum Dei. Dilectionis vestra, quas nobis petitorias emisistis syllabas libenti suscepimus animo, in quibus ferebatur, ut in provincia vestra Bajoariorum Archiepiscopum ordinaremus, quo provincia ipsa mirificè à filio nostro Domino Carolo Excellentissimo Rege Francorum & Longobardorum & Patricio Romanorum penitus ex omni parte, sicut decuit, ordinata est. Idcircò convenit nos ipsos nempe Ecclesiastico moderamine in sacro ordine fideliter atque spiritualiter, secundùm censuram Canonicam, ipsam ordinare provinciam. Et quia, Deo auspice, reperientes virum almificum, & in Scripturis Divinis peritissimum, & in omnibus misericordissimum, spiritualibus moribus comprobatum; unà cum consensu & voluntate prædicti filii nostri, Domini Caroli Præcellentissimi Regis, vobis ordinavimus, secundùm sanctiones Patrum, Archiepiscopum, videlicet Arnonem, Ecclesiæ Juvaviensium, quæ & Petena nuncupatur, quæ in honore beati Petri Principis Apostolorum venerabiliter est consecrata, ibique requiescit corpus Sacri Pontificis Rudperti, unà cum venerabilibus suis Sodalibus, scilicet Chunaldo & Gisilario, quorum corpora ibidem à fidelibus honorantur. Qui dudum noster fuit Coepiscopus, nunc autem frater & Coepiscopus noster, vester autem Archiepiscopus, & venerabilem Sedem ejus Metropolitanam habentes, ad quam Sancto Arnoni, Archiepiscopo vestra, usum Pallii tribuentes dedimus in mandatis, ut, secundùm Canonicas institutiones, omnibus Ecclesiis superiùs nominatis, in Diœcesibus illi subjectis, canonicè valeat adminiculum impartiri, ut in futuro examine ante tribunal Christi liberaliter valeat audire. [Euge serve bone & fidelis; quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam,*

XLIII. PRO ECCLESIA SALISBURG.

[a] Tom. 1. in Archiep. Salisburg. n. 10.

AN. CH. 798. CAROLI R 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

intra in gaudium Domini tui.] *Benè valete. Anno tertio; atque Domini Caroli, Excellentissimi Domini Regis Francorum & Longobardorum, & Patricii Romanorum, a quo cepit Italiam, anno 25. Indictione sextâ.* Hujus Diplomatis subscriptio ut eadem est ac præcedentis, sic & utrumque commentitium prodit, nec posterioris hujus Diplomatis inscriptioni, quam per partes examinaturi sumus, magis fidendum.

XLIV. Inter Episcopos Bojoariæ, quibus hoc inscribitur Diploma, qui primum locum obtinet, is vocatur *Alim Episcopus Ecclesiæ Sabionensis, qui nunc Brixinensis.* At eo modo numquam locutus est Leo, Sedes enim Episcopalis Sabionâ Brixinum multò seriùs translata est, nec id ipsemet diffitetur Hundius in Sabionensium ac Brixinensium Episcoporum Catalogo. Vocari quoque potest in dubium, an Alim ad hunc usque annum pervenerit; annum enim, quo datus est ei successor Emricus sive Heinricus, nemo prodit. Certè admodùm probabile videtur Episcopales Infulas ante hunc annum Emrico delatas esse, in Actis [a] enim Synodi Salisburgiensis anno Redemptoris octingentesimo septimo celebratæ, post Arnonem Bojoariæ Archiepiscopum, quatuor ejusdem provinciæ Episcopi recensentur hoc ordine, *Atto, Adalwinus, Emricus, Hatto.* Primus locus conceditur Attoni, qui factus est Episcopus Frisingensis anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio; secundus Adalwino, qui Reginoburgensem Episcopatum anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo gubernare cœpit; tertius Emrico qui post Alimum in Sabionensi Cathedra sedit; quartus Hattoni qui promotus est ad Pataviensem Episcopatum hoc ipso anno post Christum natum septingentesimo nonagesimo-octavo, quo Metropolitanam dignitatem Salisburgiensis Ecclesia recuperavit. Ergo Emricus ante hunc annum assumptus est ad Episcopales Infulas, & Episcopatum Sabionensem eo gerebat tempore, quo Leo Pontifex Alimo ejus decessori Diploma inscripsisse fertur.

[a] Brunner. l. 6. n. 4.

XLV. Inter Episcopos Bojoariæ Leo secundum locum tribuit *Attoni Ecclesiæ Frisingiæ ac simul Ecclesiæ Reginensis* Episcopo. Non inficiamur Attonem Episcopum fuisse Frisingensem, sed negamus eum Reginensem quoque seu Reginoburgensem Episcopum fuisse. Difficultatem agnovit Hundius, & additâ in margine notatiunculâ Diploma Leonis *Attoni Ecclesiæ Frisingensis, Adalwino Ecclesiæ Reginensis,* ceterisque Bojoariæ Episcopis inscriptum dixit. Atto Frisingensem Episcopatum ab anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio gubernabat, Reginensem Adalwinus ab anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo.

XLVI. Inter Episcopos Bojoariæ tertio loco Waltricum Episcopum *Ecclesiæ Pataviensis* nominat Leo. Fuit Waltricus seu Waldericus Episcopus Laureacensis & Pataviensis, ac Metropolitanus Bojoariæ, instar decessorum, Wiserici, Antbelmi, Sidonii, Vivilonis, Theodori & Brunonis. Hic anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo factus est Episcopus Pataviensis Honorio Papâ in vivis adhuc superstite; deinde post Philonis Episcopi Laureacensis obitum anno Christi sexcentesimo sexagesimo factus est etiam Episcopus Laureacensis, Episcopatibus Laureacensi & Pataviensi abhinc simul unitis; denique post Ansulogi Metropolitæ Salisburgiensis mortem anno Christi sexcentesimo sexagesimo-sexto factus est quoque Metropolita Bojoariæ, Metropolitanâ dignitate Salisburgo Laureacum seu Patavium translatâ. Lege quæ superioribus Tomis de Metropolitis Bojoariæ dicta sunt. Ipsius Brunonis successores, Theodorus, Vivilo, Sidonius, Antbelmus, Wisericus, & Waltricus seu Waldericus Episcopi fuerunt Laureacenses & Patavienses ac Metropolitæ Bojoariæ. Quapropter supposititium ostenditur Leonis Diploma, in quo Waltricus Ecclesiæ Pataviensis Episcopus dicitur absque Metropolitæ titulo, & Arno Juvaviensis seu Salisburgiensis Episcopus ex Episcopo constituitur Archiepiscopus. Haud inficiamur Attonem

nonem ex Episcopo factum Archiepiscopum Leone Romano Pontifice, sed negamus id mutationis in Bojoaria contigisse Waltrico in vivis superstite, qui Metropolitanâ per Bojoariam auctoritate potiebatur ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto, quo Præsulatum gerere cœperat. Certè Bruno Pataviensis ac Laureacensis Episcopus ad Metropolitanam dignitatem non est evectus, antequàm Ansologus Metropolita Salisburgiensis obiisset. Similiter Arno, qui Salisburgiensem Episcopatum adeptus est anno Christi septingentesimo octogesimo-quinto, sive anno undecimo ex quo Waltricus Antistes Pataviensis jus Metropoliticum per omnem Bojoariam exercebat, Metropolitanam jurisdictionem, quam antecessores olim obtinuerant, non videtur recuperasse, quandiu Waltricus in vivis fuit. In eam sententiam, præter Aventinum, cujus textum in Annalibus [a] Boiorum consulere poteris, iverunt jam Brunnerus & Adlzreitterus, Auctores quoque Bavari. Brunnerus, ubi de Archiepiscopii dignitate in Salisburgiensem Ecclesiam translata loquitur, *primus*, inquit [b], *eâ insignitus est Arno, Boicæ Episcopis non modò volentibus, sed ultrò postulantibus; nisi quòd mortuóne Valderico Batavensi, an superstite, id factum fuerit, liquidò sciri non potest. Diem suum jam obiisse ex eo videtur intelligi, quòd Agapitus Pontifex, qui diu post hac tempora vixit, id factum vacante ab Apostolico Vicario Regno Bajoariorum disertè scribit, neque simile vero est, Valdericum, si superfuisset, non ultima tentaturum fuisse, ne tantum decus ab Ecclesia sua avelleretur.* Habet consentanea Joannes Adlzreitterus [c], sic. *Eâdem tempestate Valdericus Bataviensium Archiepiscopus fato concedens Sedem vacuam reliquerat, uti videre est ex epistola Agapiti Pontificis Maximi ad Gebhardum (Geroldum vocat Aventinus) Episcopum Laureacensem. Arno, cujus virtute atque industriâ Juvavium ad magnam claritudinem emerserat, ratus adesse tempus, primæ Sacrorum jurisdictionis in suam Ecclesiam transferendæ, à Carolo impetravit, ut* &c. Studiosiùs igitur inquirendum de anno, quo Waldericus obiit. Apud Hundium, qui varias refert [d] opiniones, diversi ponuntur anni, septingentesimus sexagesimus-septimus, septingentesimus septuagesimus-sextus, septingentesimus nonagesimus-octavus, octingentesimus quartus, & octingentesimus septimus. Apud Bucelinum [e] duo tantùm notantur anni, septingentesimus septuagesimus-sextus & octingentesimus septimus. E tot annis septingentesimum nonagesimum-octavum jam elegerunt, Aventinus, Brunnerus, & Adlzreitterus. Waldericum enim eodem anno mortuum asserunt, quo Salisburgum Archiepiscopatu denuò nobilitatum est, idque anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo factum constanter asserunt. Aventinus, sic. *Archiepiscopus de Batavia Laureacóque Juvavinm anno restitutæ salutis septingentesimo nonagesimo-octavo translatus est, ubi adhuc existit.* Brunnerus, sic. *Nonagesimus-octavus annus* octavi videlicet seculi *Salisburgensi Ecclesiæ faustus imprimis & felix fuit, Archiepiscopii in eam dignitate translatâ.* Ab Aventino & Brunnero non dissentit Adlzreitterus, ut constat ex iis, quæ hoc eodem anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo gesta commemorat parte primâ, libro octavo, sectione vicesimâ primâ. Subscribimus his Auctoribus, & Arnonem ex Episcopo factum censemus Archiepiscopum hoc anno post Christum natum septingentesimo nonagesimo-octavo, cùm Sedes Pataviensis post Walderici seu Waltrici mortem vacaret. Commentitiæ sunt igitur literæ, quas Leo Papa de Metropolitana dignitate Salisburgiensi Ecclesiæ attributa scripsisse dicitur Episcopis Bojoariæ, & inter hos Waltrico *Ecclesiæ Pataviensis* Episcopo. Adversùs Adlzreitterum, qui Waltricum à Walderico perperam distinguit, infrà disputabimus. Hattonem Waltrico seu Walderico in Sedem Pataviensem subrogamus absque Metropolitæ titulo. Chronologiam nostram confirmamus auctoritate Anastasii, qui Leonem anno proximo pulsum Româ mense Aprili, reversúmque in Urbem testatur mense Novembri, comitantibus

[a] Lib. 4.

[b] Lib. 6. n. 3.

[c] Part. 1. l. 8. n. 21.

[d] Tom. 1. in Episc. Pataviens. n. 18.

[e] Part. 1. Germ. Sacr.

AN.CH. Missis Regiis, *videlicet Hildiwaldo & Arno Reverendissimis Archiepiscopis; & Cuniberto, Bernbardo, Hattone, & Tesse, Reverendissimis & Sanctissimis Episcopis.*

798\. E duobus Archiepiscopis, qui Anastasio est Arnus, is non differt ab Arnone Juvaviensi seu Salisburgiensi jam Archiepiscopo; & Hatto, qui nominatur inter Episcopos, Episcopus est Pataviensis Waltrici seu Walderici proximus successor. De tribus Episcopis Pataviensibus, qui post Waldericum sederunt, nec quantùm ad ordinem, nec quantùm ad tempus conveniunt Auctores. *De sequentibus tribus Episcopis*, inquit Hundius [a], id est, de Hattone, Reginatio, & Urolpho, *discrepant Annalium Scriptores tam in ordine successorum, quàm etiam in tempore.* Walderico Hattonem successisse suadet Anastasius, cujus textum alio loco commodiùs explicabimus.

CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

[a] In Episc. Pataviens. n. 18.

XLVII. Inter Episcopos Bojoariæ quarto loco Symbertum *Ecclesiæ Niwemburgensis* Episcopum recenset Leo. Tomo superiore egimus de Mannone Niwemburgensi seù Neoburgensi Episcopo, qui factus est Episcopus regnante Pippino, Concilinm Dingolvingense cum aliis Episcopis & Abbatibus Bojoariæ celebravit anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo, vitámque clausit Carolo Pippini filio Monarchiam Francorum obtinente. Ad tertium hunc annum Leonis Papæ Tertii non videtur pervenisse. *Post Mannonem nulla ullius Neoburgensis Episcopi mentio extat.* Ita scribit Gretserus in Appendice de Aureato [b]. Nec aliter sentiunt Brunnerus & Adlzreitterus. Mannonem Brunnerus [c] *unum unicúmque* Neoburgensem *Episcopum* dicit. Et apud Adlzreitterum [d] idem Manno Neoburgensis ad Danubium Episcopus *vel unicus* est *vel certè postremus*. Unanimi tot Auctorum consensu rejicitur Leonis Diploma tanquam suppositititium, quia Symbertum, cui dirigitur, Episcopum Neoburgensem ac Mannonis successorem supponit. Octavo seculo celebrantur Sympertus Episcopus Reginoburgensis & Symbertus Episcopus Augustanus. Episcopatum Reginoburgensem suscepit Sympertus anno Christi septingentesimo sexagesimo-primo, vitámque terminavit anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo, nec ad tempora Leonis Tertii Papæ pervenit. Seriùs obiit Symbertus, Episcopatum enim Augustanum iniit anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono, tenuítque annis viginti-quinque. Dubium non est, quin Mannoni Episcopo Neoburgensi superfuerit, extinctóque Neoburgensi Episcopatu trans-Danubianâ illius parte potitus sit ex divisione cum Episcopo Eystettensi juxta Gretserum sic facta. *Ipsum Neoburgum, & quæ nobis trans Danubium sunt, ad Augustanum Episcopatum spectant, reliqua ad Eychstadianum, nisi quod juxta Ingolstadium pagus, trans Danubium, cui à Salvatore nomen est, cum aliquot adjunctis, sub Diœcesi Eystettensi censetur.* Si quis autem Symbertum, quem Augustannm Episcopum ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono ad annum usque Christi octingentesimum quartum agnoscimus, *Ecclesiæ Niwemburgensis* Episcopum in Leonis Papæ literis appellatum contendit, quoniam auctus est alterâ parte Neoburgensis Episcopatûs, quem Manno ad obitum usque tenuerat; adversùs hanc objectionem, cui plùs subtilitatis quàm soliditatis inest, asseremus Episcopos Eystettensem & Augustanum ab anno Christi septingentesimo quadragesimo-sexto, quo Bonifacii regionarii priùs Archiepiscopi Sedes Moguntiæ tandem fixa est, semper Metropolitæ Moguntino, nunquam Laureacensi seu Pataviensi vel Juvaviensi seu Salisburgiensi subjectos fuisse, licèt post Mannonis obitum inter se diviserint Episcopatum Neoburgensem, qui, quandiu stetit, Laureacensis seu Pataviensis Archiepiscopii suffraganeus fuit. Ergo Leo Tertius Papa, quas de Metropolitana dignitate Laureaco Pataviâque Juvavium seu Salisburgum translata literas ad Episcopos Bojoariæ direxit, eas Symberto *Ecclesiæ Niwemburgensis* Episcopo non inscripsit.

[b] Cap. 5.
[c] Lib. 5. n. 13.
[d] Part. 1. l. 7. n. 43.

XLIII. Etsi Leonis Papæ Diploma, quod apud Hundium hoc anno legitur, tanquam commentitium repudiemus, haud inficiamur Waldericum Lau-

reacensem seu Pataviensem Archiepiscopum hoc eodem anno decessisse, eóque mortuo Sedem Metropolitanam Laureaco Pataviâque Juvavium seu Salisburgum, ubi Arno Episcopus ab annis septemdecim erat, translatam esse, itaut deinceps Juvavienses seu Salisburgenses Antistites Archiepiscopi fuerint Bojoariæ, Patavix verò sederint Episcopi eorumdem Salisburgiensium Archiepiscoporum suffraganei. Adlzreitterus multa, quæ nullam prorsus fidem merentur, atque inter se non parum pugnant, in Arnonis gratiam sic scribit. *Valdericus Bataviensium Archiepiscopus fato concedens Sedem vacuam reliquerat, uti videre est ex epistola Agapiti Pontificis Maximi ad Gebhardum (Geroldum vocat Aventinus) Episcopum Laureacensem. Arno, cujus virtute atque industriâ Juvavium ad magnam claritudinem emerserat, ratus adesse tempus, prima Sacrorum jurisdictionis in suam Ecclesiam transferenda, à Carolo impetravit, ut cum bona ipsius venia, & precaria apud Sedem Apostolicam suffragatione, sibi liceret à Leone III rogare usum Pallii Archiepiscopalis, idque dignationis, qua eatenus Batavii hæserat, Juvaviensi Ecclesiæ cum bono Deo impetrare. Annuit Carolus. Commodùm accidit, ut Arno unus ex Caroli Legatis rei publicæ causâ Romam mitteretur, atque per istam occasionem nancisceretur molles ad Leonem aditus, qui longè sunt, quàm internuntii, impetrabiliores. Simul accesserat instructus epistolâ quatuor Boicæ Episcoporum, petentium à Leone Archiepiscopum, à quo inferiores Episcopi Sacrorum jura peterent. Egit Arno suam causam eâ dexteritate, ut Pontifex lubens volens ejus voto satisfaceret, ipsique & successoribus pallii Archiepiscopalis insigne ad Sacrorum usum permitteret, eâque super re daret literas ad Alim Sabionensem, hodie Brixinensem, Attonem Frisingensem, Waltricum Passaviensem, & Sympertum Niwenburgensem. Quæ res semina jecit magnarum contentionum, Juvavensibus quæsitam recèns dignitatem tuentibus, Bataviensibus reposcentibus ablatam.* Rem aliter habitam arbitramur. Obiit Waldericus Pataviensis Archiepiscopus; eo mortuo Carolus Juvavium, ut olim fuerat, Bojoariæ Metropolim esse voluit, & Arno Juvaviensis hactenus Episcopus, qui Romæ tunc versabatur, Archiepiscopalem dignitatem cum Pallio suscepit; ordinatus est autem Hatto, qui Pataviensem Ecclesiam cum Episcopi titulo regeret, & Juvaviensis seu Salisburgiensis Archiepiscopi suffraganeus esset; hanc mutationem approbavit Romanus Pontifex, & usum Pallii, quod in libro [a] de divinis Officiis *nihil est aliud, nisi discretio inter Archiepiscopum & ejus suffraganeos*, lubens Arnoni concessit. Hic Regiâ quidem per illud tempus Legatione functus est apud Leonem Papam, sed quatuor Episcoporum Bojoariæ, qui postularent Archiepiscopum, literas Romam non detulit. Adlzreitterus quatuor Episcoporum Bojoariæ, quorum epistolam laudat, nec nomina nec Sedes exhibet, eos tamen indicare videtur, ad quos literas paulò pòst à Papa super Archiepiscopatu Juvaviensi directas ait, *Alim videlicet Sabionensem, hodie Brixinensem, Attonem Frisingensem, Waltricum Passaviensem, & Sympertum Niwenburgensem.* Sed hi sunt iidem Episcopi, quibus inscribitur Leonis Diploma, quod ex ipsa inscriptione commentitium reprobamus. Quærimus insuper, cur in literis Leonis omissus est Adalwinus Episcopus, qui Reginoburgensem Episcopatum in Bojoaria cum laude tunc gerebat? cur Adlzreitterus contra Catalogorum omnium auctoritatem, contràque mentem ipsiusmet Hundii, qui Diploma Leonis in lucem emisit, Waltricum Episcopum Passaviensem seu Pataviensem à Walderico distinguit, & ipsum Waltricum, quem Walderico Bojoariæ Archiepiscopo in Sedem Pataviensem successisse contendit, annumerat Episcopis ejusdem Bojoariæ, qui petierunt Archiepiscopum sibi præponi? denique quærimus, cur Adlzreitterus sibi non constat, & Sympertum Niwenburgensem Episcopum ad hunc annum agnoscit, postquàm de Mannone illius urbis Episcopo ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-secundum hæc scripsit, *Manno Nuenburgensis, qui vel unicus, vel certè postremus isti Ecclesiæ præ-*

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. R R. 18. CAROLI R. 10.

WALDERICUS ARCHIEP. PATAVIENSIS OBIT.

ARNO EP. SALISBURG. FIT ARCHIEP.

HATTO FIT EP. PATAVIENSIS.

a Cap. 39.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

fuit? Hæc de Metropolitana Bojoariorum Sede, quæ Laureaco Pataviâque Juvavium seu Salisburgum hoc anno translata est, dicta sufficiant.

ARNO ARCHIEP. SALISBURG. ERUDIT CARANTANOS.

THEODORICUM CARANTANIS EPISCOPUM PRÆFICIT.

XLIX. Arno, ut novæ dignitatis quamcelebertima faceret initia, profectus est in Carantaniam, & illius regionis incolas erudivit. Qua de re sic Anonymus apud Canisium [a]. *Interim contigit anno videlicet Nativitatis Domini DCCXCVIII, Arnonem jam Archiepiscopum, à Leone Papa, accepto Pallio, remeando de Roma venisse ultra Padum, eíque obviasse Missum Caroli cum epistola sua, mandans illi ipso itinere in partes Sclavorum ire, & exquirere voluntatem populi illius, & prædicare ibi verbum Dei. Sed quia hoc facere nequivit antequam responsum redderet suæ Legationis, festinè perrexit ad Imperatorem, & retulit ei, quicquid per eum Dominus Leo Papa mandavit. Post expletam Legationem ipse Imperator præcepit Arnoni Archiepiscopo pergere in partes Sclavorum, & providere omnem illam regionem, & Ecclesiasticum Officium more Episcopali colere, populósque in fide & Christianitate prædicando confortare, sicuti ille fecit, illuc veniendo consecravit Ecclesias, ordinavit Presbyteros, populúmque prædicando docuit, & inde rediens nunciavit Imperatori, quod magna ibi potuissent effici, si quis inde habuisset certamen. Tunc interrogavit illum Imperator, si aliquem haberet Ecclesiasticum virum, qui ibi lucrum potuisset agere Deo. Et ille dixit se habere talem ut Deo placuisset, & illi populo pastor fieri potuisset. Tunc jussu Imperatoris ordinatus est Theodoricus Episcopus ab Arnone Archiepiscopo Juvavensium, quem ipse Arno & Geroldus Comes perducentes in Sclaviniam, dederunt in manus Principum, commendantésque illi Episcopo regionem Karinthianorum & confines eorum occidentali parte Dravi fluminis, usque dum Dravus fluit in amne Danubii, ut potestativè populum regeret suâ prædicatione, & Evangelicâ doctrinâ doceret servire Deo, & ut Ecclesias constructas dedicasset, Presbyteros ordinando constituisset, totúmque Ecclesiasticum Officium in illis partibus, prout Canonicus Ordo exposcit, perficeret. Dominationem & subjectionem habens Juvavensium Rectorum, sicuti ille fecit, quamdiu vixit.* Hic Auctor, ut ante biennium jam monuimus, Carolum, priusquàm Imperator fiat, Imperatorem per anteceßum dicit. Inter Principes, in quorum manus Arno Archiepiscopus & Geroldus Comes Theodoricum Episcopum dederunt, nominatur à Bollando Domitianus Dux Karantanorum, qui Nonis Februarii cum Maria uxore sua colitur.

L. In Fabianensium ac Viennensium Episcoporum Catalogo, quem Gabriel Bucelinus parte primâ Germaniæ Sacræ texuit, duodecim hoc ordine recensentur Fabianenses Episcopi, Sanctus Severinus, Mamertinus, Marcianus, Lucillus, Gisalaricus, Cunaldus, Sodomus, Haymo, Theodoricus, Ottho, Oswaldus, & Radfridus. Hujuscemodi autem Indici præponitur hic Prologus. *Incerta quidem successionis neque continuæ Episcopos Vienna habuit, eósque plerumque adventitios, & qui nullo ambitu, nisi solo convertendarum gentium studio, generosissimo periculorum omnium contemptu, illuc se contulere.* De singulis pauca hìc annotabimus. Severinus, ut Tomo primo ad annum Christi quadringentesimum nonagesimum-sextum [b] observavimus, in cælum priùs migravit, quàm Bojoaria dominationi Francorum subderetur; colitur in Tabulis Ecclesiasticis sexto Idus Januarii cum Abbatis titulo, neque enim Episcopus unquam ordinatus fuit. Egimus quoque Tomo secundo de Sancto Gisalarico seu Gisolario, déque Sancto Cunaldo seu Chunaldo, Sancti Ruperti sociis, qui permanserunt in ordine Presbyteratûs, ut diximus ad annum Christi quingentesimum octogesimum-tertium [c]. In Martyrologio Romano, ut Severinus *Noricorum Apostolus* sexto Idus Januarii prædicatur, sic & Sanctus Rupertus, cujus comites Sancti Gisalaricus & Cunaldus extiterunt, sexto Kalendas Aprilis commendatur, quoniam *apud Bavaros & Noricos Evangelium mirificè propagavit.* Tenebris obvoluta manent Gesta Mamertini, Marciani, & Lutilli, quos Bucelinus medios Severinum inter ac Gisalaricum collocat. Bojoaria, li-

[a] Tom. 6. in vita S. Rupert.

[b] Num. 6.

[c] Num. 56.

AN. CH. 798.
CAROLI R. 30.
PIPPINI LUDOV. RR. 18.
CAROLI R. 10.

cèt Clodoveo Magno successoribúsque Regibus Francorum Christianis ab anno Christi quadringentesimo nonagesimo-sexto paruerit, Primatibus tamen penes quos imperium gentis erat, obstinatiùs idololatriam secutis, ethnicas superstitiones non respuit, donec Sanctus Rupertus Theodonem illius provinciæ Ducem seu Præfectum, qui Ragiotrudem ejusdem Clodovei proneptem Christianam duxerat, salutaribus monitis ad fidem Christi convertit, & Metropolitanam Sedem fixit Salisburgi, duobus Episcopis in eadem regione, Gerardo Laureaci, Erchenfrido Pataviæ, constitutis. Sancti Ruperti sociis accensentur Gerardus & Erchenfridus cum Gisalarico & Cunaldo. Hi si fuerunt Episcopi, cur tales non æquè ac isti dicuntur ab antiquis Auctoribus, qui Sanctum Rupertum ejúsque comites posteritati commendarunt. Gisalarico & Cunaldo, quos negamus Episcopalibus Infulis unquam redimitos fuisse, Bucelinus Sodomum, Haymonem & Theodoricum subrogat; eósque ad id muneris è Monasterio Sancti Petri Salisburgiensis evocatos ait ab Episcopis Salisburgiensibus, Sodomum videlicet à Joanne, Haymonem à Virgilio, Theodoricum ab Arnone. Joannes Episcopatum Salisburgiensem tenuit annis viginti, rexítque ab anno Christi septingentesimo undequadragesimo ad annum Christi septingentesimum undesexagesimum, sed de Sodomo per illa tempora nihil legitur. Sanctus Virgilius ordinatus est Salisburgiensis Episcopus anno Christi septingentesimo sexagesimo-sexto, Diœcesímque per annos quatuordecim feliciter administravit. In ejus vita [a] laudatur Hermo sive Heimo, qui non alius haberi debet ab Haymone Bucelini; bis in Carantaniam ab eodem Virgilio mittitur; at titulo Presbyteri tantùm, Episcopi verò nequaquam decoratur. *Dux eorum*, nempe Carantanorum, *misit iterum ad Virgilium Episcopum, & intentè postulavit, ut ad confortandam in fide prædictam terram aliquos destinaret Presbyteros, petitioni igitur memorati Ducis, & incremento Sanctæ Ecclesiæ consulens, misit Hermonem & Reginbaldum Presbyteros, atque Majoranum Diaconum cum aliis Clericis viris utique * religiosis & honestæ conversationis. Et non multò pòst misit ibidem iterum eundem Heimonem & Dupliterum ac Majoranum Presbyteros, aliósque Clericos cum eis.* In eadem vita commendatur Modestus Episcopus, qui directus à Virgilio in Carantaniam ad erudiendos illius regionis incolas, *ibi permansit usque ad finem vitæ suæ.* Certè si Virgilius Heimonem sive Haymonem ordinasset Episcopum, ut illius operâ vel Fabariæ vel alibi ad propagandam fidem uteretur, illum Episcopum æquè ac Modestum dixisset is, qui vitam ipsius Virgilii suscepit in literas referendam. Quod attinet ad Theodoricum, hunc Arno Salisburgiensis Antistes, postquàm ex Episcopo factus fuit Archiepiscopus, Episcopum ordinavit, atque in Carantaniam direxit. Ut igitur Modestus Episcopus vice Virgilii Salisburgiensis Episcopi, sic & Theodoricus Episcopus Arnonis Salisburgiensis Archiepiscopi vice Carantanis Evangelium prædicavit. Atque hæc sufficiant ad examen Catalogi, quem Bucelinus de Fabianensibus Episcopis iniit ad hunc usque annum, quo Salisburgiensis Episcopos, quam aliàs obtinuerat, Metropolitanam Bojoariæ dignitatem recuperavit factus Archiepiscopus.

[a] Ap. Sur. d. 27. Nov.

* ubique

LI.

EXAMINATUR CATALOGI WORMATIENSIUM EPISCOPORUM.

Ad hunc usque annum pervenit Ehrenbrechtus sive Ehrenbrandus vel Ereobertus vel Erenbrandus sive Ebrembechius Wormatiensis Episcopus, de quo Bruschius hæc scribit. *Ehrenbrechtus, aliis Ehrenbrandus, legitur Vangionibus præfuisse anno Christi 798, quo Donatio Dagoberti Galliarum Regis, S. Amando Episcopo facta, à Carolo Magno confirmata est. Hunc Antistitem aliqui Catalogi Wernhario anteponentes, primum eum Episcopum Wormatiensem fuisse affirmant*, ex quo videlicet Wormaciæ post longum interpontificium redditus est Episcopus, anno nempe Christi septingentesimo quadragesimo-tertio ex Decreto Synodi [b] Germanicæ tunc habitæ. Sed præstat eos Indices sequi, qui primum Werohario locum tribuunt, eíque Folcuvicum, deinde

[b] Can. 1.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

Ehrenbrechtum subrogant. De Wernhario & Folcuvico actum Tomo superiore. Sedit Wernharius annos tres ac viginti, quos ab anno Christi septingentesimo quadragesimo-tertio ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-sextum numeravimus. Quot annis Episcopatum gesserint Folcuvicus & Ehrenbrechtus, nemo prodit. Bruschius Folcuvicum *apud Sanctum Andream prope antecessorem suum* sepulturâ donatum tradit; ubi verò tumulatus sit Ehrenbrechtus, haud indicat. Ehrenbrechto successit in Episcopatum Bernhartus seu Bernharius, cujus mentionem anno proximo faciemus ex Anastasio [a]. Interim ipsum Ehrenbrechtum, postquàm à Carolo Magno confirmationem Dagobertinæ Donationis obtinuit, hoc eodem anno mortuum asserimus.

[a] In vit. Leonis 3. PP.

LII. Bruschius & Bucelinus Bernharium in suis Catalogis omittunt. Bucelinus Bruschium hoc loco sequitur, suæque famæ satis consultum putat, si quæ pugnant inter se, rescindat ex Bruschio. Bruschius verò Bernharium cum Wernhario confundit, multa enim refert sub Wernhario, quæ Bernhario conveniunt; in his est Legatio ad Leonem Tertium Papam, quæ procul abest à temporibus Wernharii, peractáque est à Bernhario, de quo sic Annalista Laureshamensis ad annum Christi nonum supra octingentesimum. *Bernharius Episcopus Wormaciensis & Adelhardus Abbas Monasterii Corbeiæ Romam ad Leonem Papam missi sunt.* Wernharium, Folcuvicum, & Ehrenbrechtum, eodem prorsus ordine, quo Bruschius, recensent etiam Demochares & Robertus, nec ullam Bernharii mentionem faciunt, Ehrenbrechto enim Samuelem Demochares, Fulcronem Robertus sufficit. Omnium autem optimè scribunt Sammarthani, cùm eidem Ehrenbrechto subrogant Bernharium, cúmque Romam missum ad Leonem Tertium Papam ex antiquis Annalibus memorant, altum tamen eorum de Wernhario silentium minimè probamus, quia Wernharium à Bernhario distinguimus, intermediis Folcuvico & Ehrenbrechto.

LIII. Bruschius, ut in Episcopis Wormaciæ, sic & in Abbatibus Albi Castri seu Weissenburgi, Bernharium cum Wernhario confundit, rectè tamen pronuntiat *mendosum & perturbatum esse* Catalogum Abbatum qui Monasterio Weissenburgensi post Ehrenbrechtum præfuerunt. In vulgato Indice, cujus emendationem Lectori relinquit, decem proximos Ehrenbrechto successores hoc subrogat ordine, Dragebodonem, Charialdum, Bernbardum, Davidem, Wielandum, Odgerum, Grinaldum, Volcoldum, & Volcuvicum, è quorum numero duos, Bernhardum videlicet & Volcuvicum ad Wormacienses Infulas assumptos non diffitetur. Sic enim de Bernhardo scribit. *Bernhardus, alibi Wernharius ex Abbate tandem Wormatiensis Ecclesiæ Antistes.* Et de Volcuvico. *Wolcwicus, alibi Volcuvicus, designatur Episcopus tandem Ecclesiæ Vangionum.* Sed è locis suprà notatis ambo movendi, quia Ehrenbrechtus in Catalogis cùm Wormaciensium Episcoporum tum Abbatum Weissenburgensium medius inter Volcuvicum & Bernbardum seu Bernharium collocari debet. Abbatum igitur Weissenburgensium Indicem ac Chronologiam sic corrige. Charialdus Weissenburgensis Abbas obiit regnante Pippino, successit in administrationem Monasterii Volcuvicus seu Folcuvicus. Anno Christi septingentesimo sexagesimo-sexto Wernharius Wormaciensis Episcopus vitam clausit, tunc Folcuvicus ex Abbate Weissenburgensi factus est Episcopus Wormaciensis, & Ehrenbrechtus administrationem Monasterii Weissenburgensis suscepit. Carolo Monarchiam Francorum adepto Folcuvicus Wormaciensis Episcopus desiit vivere, promotus est ad Wormaciensem Episcopatum Ehrenbrechtus Abbas anteà Weissenburgensis, & Bernharius eidem Ehrenbrechto subrogatus est in munus Abbatiale. Wormaciensem Episcopatum ad hunc usque annum, Christi septingentesimum nonagesimum-octavum, tenuit Ehrenbrechtus, eóque mortuo Bernharius ex Abbate Weissenburgensi

ET ABBATUM WEISSENBURG.

Wormaciensis Episcopus cœpit esse, quis autem post Bernharinum Weissenburgensis Abbas exstiterit, superest investigandum. Ut apud Bruschium vulgatus Index Abbatum Weissenburgensium quosdam Ehrenbrechto postponit, putà Dragebodonem seu Tragebodum, Charialdum, Davidem, & Folcuvicum, qui certè præponi debent, ita longè vetustiorem Ehrenbrechto facit Justulphum, quem nonnulli Catalogi teste Bruschio Moguntiacensibus Archiepiscopis accensent, eundémque cum Haistulpho constituunt. Hanc opinionem probare non potest Bruschius, quia vult Haistulphum multò seriùs in Moguntiacensi Cathedra sedisse. Sed in nostra sententia nihil occurrit, unde Haistulphum hoc eodem anno, quo Bernharius Episcopatum iniit, ad Abbatialem dignitatem à Weissenburgensibus Monachis evocatum inficieris, Moguntiacensem enim Archiepiscopatum post annos sexdecim adipiscetur, annóque pòst duodecimo vitam cum morte commutabit.

AN.CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

LIV. SYMPHORIANUS ABB. CENTUL. OBIT.

Ad hunc etiam annum videtur pervenisse Symphorianus Abbas Centulensis, cui successit Angilbertus. In Chronico Centulensi sub finem libri primi post Witmarum seu Guitmarum Centulensibus Abbatibus accensentur Aldricus & Symphorianus, secundus verò liber totus est de Angilberto Symphoriani successore. Witmarus anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto, ut Tomo superiore dictum est, Attiniacensi Placito subscripsit, quonam anno obierit, incertum. Successit Aldricus, solo notus nomine; tum Symphorianus, *vir bonus, castus, Deum timens, segregans se à peccatoribus, & excelsior cælo mentis puritate effectus.* Nec exiguæ laudi Symphoriano vertitur, quòd Angilbertum in Monasterio suscepit susceptúmque Monasterialibus disciplinis informavit. De Angilberti promotione ad munus Abbatiale sic Hariulfus in ejus vita. *Cùm ille spiritualis exercitus Monachorum* Centulensium *diu stare non posset in prælio sine Duce ac Tribuno gratiarum, electione concordi denominatus ac electus est egregius vir Angilbertus, quem ad tale officium faciebat idoneum & generis dignitas, & scientiæ ubertas, & virtutum fertilitas. Et quoniam moris erat in locis Regalibus, ut nemo præficeretur absque Regio nutu, diriguntur è Claustro fratres boni testimonii, qui auribus Regiis utrumque renuntient & Abbatem mortuum & Abbatem jam electum. Carolus hæc audiens, scilicet fratrum unanimitatem consensisse in Domnum Angilbertum, multo favore annuit tantæ electioni, jussítque ut maturiùs perficeretur, quò, Deo auctore, loci utilitas augmentaretur. Tunc pii filii magistrum ac sequacem pietatis sibi in patrem ordinari faciunt, jámque ordinatum cum digno comitatu obtutibus Regiis repræsentarunt. Excepit illum Rex alacriter & jocundè, multáque affabilitate ac liberalitate usus circa illum, magnificè hortatus est, ut in assumpto sanctitatis proposito constanti stabilitate persisteret; Regni opes suúmque consilium numquam illi defuturum: tantùm Deo devotus militaret, & commissum sibi gregem pabulo veritatis instanter satiaret. At memorabilis Angilbertus ardorem suæ mentis Regiæ pietati facundè intimavit, quoniam scilicet Monasterium Sancti Richarii in Pontivo restaurare & in ampliorem statum ædificiis, ornamentis, rebus quoque, & moribus, fratrúmque copiâ interiùs & exteriùs reducere ambiebat. Ad hæc, inquit, facienda Regalem pietatem profusturam flagito, ut si qua Deo digna ex vestro auxilio perficere potero, vobis reputentur ad salutem animæ in æterno præmio. His peractis, Clementissimus Rex piè annuit, benignè favit, & omnia se facturum, quæ vir amantissimus postulabat, amicabiliter promulgavit.*

ANGILBERTUS SUCCEDIT.

LV.

Cave ne te fallat hic textus, & Angilbertum, postquàm factus est Abbas, primâ vice cum Carolo de instauranda Sancti Richarii Basilica collocutum credas. Regi suum anteà desiderium aperuerat, cùm ab eo licentiam expetendi Monasterii postularet, anno videlicet Christi septingentesimo nonagesimo-sexto, quo Monachum induit, Româ & Ducatu Romano in Caroli potestatem priùs assertis, Leone Tertio jam Pontifice. Susceptum opus tanto promovit studio cùm Monachus tum Abbas, ut Ec-

AMPLIFICAT MON.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPIN. LUDOV RR. 18. CAROLI R. 10.

clesiarum, quas etexit, unam hoc anno, duas alias proximis Kalendis Januariis, dedicandas curatit, anno sui regiminis primo nondum revoluto, id est, ipsis Kalendis, quæ annum Christi septingentesimum nonagesimum-nonum aperuerunt. Id patet ex ipsiusmet scripto mox citando, præsens enim interfuit trium illarum Ecclesiarum Dedicationi Georgius Ambianensis Episcopus, cujus successor Jesse Leonem Papam, cùm Romam rediret, eodem anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono cum aliis Episcopis, Anastasio teste [a], comitatus est.

[a] In Leone 3.

LVI. Scriptura, quam Angilbertus multò seriùs edidit, cùm Carolus Imperator jam esset, in Centulensi Chronico [b] sic habet. *Ego præscriptus Angilbertus considerans, ac diligentissimâ investigatione & mentis affectu pertractans, qualiter unà cum consensu fratrum meorum & omnium fidelium Sanctæ Ecclesiæ, cæterorúmque bonorum hominum, hunc sanctum locum mihi licèt indigno ab Omnipotente Deo & Excellentissimo Domino meo Karolo Serenissimo Augusto ad gubernandum commissum, auxiliante Domino, meliùs reædificare voluissem, ut Monachi & cæteri famuli ibidem consistentes, vel etiam successores nostri, qui per diversa temporum spatia successuri erunt, Deo militare; pro me, & pro prædicto Domino meo, ejusdem Dei clementiam attentiùs valeant implorare, quatenus illis facta nostra ad perpetuam consolationem, nobísque, qui pro Dei amore laboravimus, illis orantibus ad mercedem proficiant sempiternam, secundùm quod ratio permisit, & possibilitas nostra administravit, non tamen quantùm voluimus, sed quantùm occurrimus, sicut in sequentibus declaratur, laborare curavimus. Quia igitur omnis plebs fidelium sanctissimam atque inseparabilem Trinitatem consiteri, venerari, & mente colere, firmitérque credere debet, secundùm hujus fidei rationem in Omnipotentis Dei Nomine tres Ecclesias principales cum membris ad se pertinentibus, in hoc sancto loco, Domino cooperante, & prædicto Domino Augusto juvante, fundare studuimus: quarum major & prima est in honore Sancti Salvatoris & Sancti Richarii; alia in honore Sanctæ Dei Genitricis sempérque Virginis Mariæ & Sanctorum Apostolorum; tertia verò in Claustro fratrum in honore Sancti Benedicti Abbatis & reliquorum sanctorum regularium Abbatum. Quæ etiam mirifico ordine dedicatæ sunt à venerabilibus duodecim sanctis Episcopis, quorum nomina, ob venerationem & memoriam illorum, huic opusculo annectenda esse judicavimus. Hi sunt Megimhardus Rodomensis Ecclesiæ Sedis venerabilis Archiepiscopus, Georgius, Absalon, Gersridus, Pleon, Hildiguardus, Theodoinus, Ydelmarus, Benedictus, & Kellanus, præclarissimi Episcopi: Joannes verò & Passivus Sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ Legati, Præsules nobilissimi.*

[b] Lib. 2. c. 4. in edit. c. 8.

LVII. Domino quoque consecrata sunt ab Episcopis Altaria singularum Ecclesiarum. Malbrancus [c] duodecim duntaxat enumerat Altaria, *Sancti Servatoris, Sancti Richarii, Sancti Joannis Baptistæ, Sancti Petri, Sancti Stephani, Sanctæ Crucis, Sancti Dionysii, Sancti Mauritii, Sancti Laurentii, Sancti Martini, Sancti Gregorii, Sancti Quintini*, eáque sacrata dicit à duodecim pariter Episcopis, qui Megimhardum Rotomagensem Archiepiscopum comitabantur. In horum numero ponit Jessæum Ambianensem Episcopum, ut duodenarium numerum assequatur, Auctor enim Chronici Centulensis undecim tantùm nominat, omisso Jessæo, qui post Georgii mortem Ambiani sedere cœpit. Georgius autem cùm hoc anno, tum proximis Kalendis Januariis Ecclesiarum Centulensium Dedicationi præsens interfuit. In illis Ecclesiis erant Altaria longè plura, quàm Malbrancus sibi persuasit. Erant undecim in Ecclesia Sancti Salvatoris, tredecim in Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis, tria in Ecclesia Sancti Benedicti; de quibus, ut & de tribus aliis in totidem Ecclesiis Sanctorum Angelorum, Gabrielis, Michaelis, & Raphaelis, audi quid ipsemet scribat Angilbertus apud Chronographum Centulensem [d]. *In Ecclesia Sancti Salvatoris Sanctíque Richarii, Altaria fabricata undecim; Ciboria duo; Lectoria auro, argento, & marmore, parata duo. In Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis Mariæ & Sanctorum Apostolorum, Altaria*

[c] Lib. 5. c. 40.

[d] Lib. 2. c. 6. in edit. c. 10.

taria fabricata XIII, *Ciborium unum, & Lectorium optimè paratum unum. In Ecclesia Sancti Benedicti, Altaria parata tria. In Ecclesiis verò Sanctorum Angelorum, Gabrielis, Michaelis, Raphaelis, Altaria tria. Quæ simul sunt Altaria* XXX, *& Ciboria* III, *& Lectoria* III.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. R R. 18. CAROLI R. 10.

Tot Ecclesiarum tótque Altarium nec eodem die, nec eodem anno facta Dedicatio. De Ecclesiis Sancti Salvatoris & Sancti Benedicti, déque earum Altaribus, agemus anno proximo; seriùs etiam de prædictis Ecclesiis & Altaribus Sanctorum Angelorum. Restat igitur, ut sermonem hîc instituamus de Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis déque tredecim Altaribus ejusdem Ecclesiæ, quæ sexto Idus Septembris in sacratissima Nativitate Beatissimæ Virginis hoc anno dedicata sic idem testatur Angilbertus [a]. LVIII.
In Ecclesia Beata Maria Virginis, Altare ipsius, in quo recondita sunt Reliquia ejus, & SS. * *Felicitatis, Perpetua, Agatha, Agnetis, Lucia, Cacilia, Anastasia, Geretrudis, & Petronilla; Altare Sancti Pauli, in quo Reliquia ejus, Barnaba, & Timothei; Altare Sancti Thoma, in quo Reliquia ejus, Ambrosii, & Sulpicii; Altare Sancti Philippi, in quo Reliquia ejus, Silvestri, & Leonis; Altare Sancti Andrea, in quo Reliquia ejus, Georgii, & Alexandri; Altare Sancti Jacobi, in quo Reliquia ejus, Xisti, & Apollinaris; Altare Beati Joannis Evangelista, in quo Reliquia ejus, Lini, & Cleti; Altare Sancti Bartholomai, in quo Reliquia ejus, Ignatii, & Polycarpi; Altare Sancti Simonis, in quo Reliquia ejus, Cosma & Damiani; Altare Sancti Matthai, in quo Reliquia ejus, Marci, & Luca; Altare Sancti Thaddai, in quo Reliquia ejus, Nazarii, & Vitalis; Altare Sancti Jacobi fratris Domini, in quo Reliquia ejus, Gervasii, & Protasii; Altare Sancti Matthia, in quo Reliquia ejus, Hilarii, & Augustini;* VI *Idus Septembris in ejus sacratissima Nativitate, à venerabilibus Episcopis, Georgio videlicet, Absalone, Pleone, & Gerfrido, honore dignissimo sunt dedicata.* Ut illam Dedicationem hoc anno consignemus, suadet nomen Georgii Episcopi, qui non alius videtur ab Ambianensi, antecessítque Jessæum, quem Anastasius [b] scribit in comitatu fuisse Leonis Papæ, cùm Romam anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono reverteretur. Congruè autem electus huic Dedicationi dies, qui Beatissimæ Virginis Nativitati sacer. Similiter in Kalendas Januarii, quo die Redemptor noster nomen Jesu seu Salvatoris accepit, rejecta Dedicatio Ecclesiæ in honorem Sancti Salvatoris erectæ.

[a] Chron. Centul. l. 2. c. 4. in edit. c. 8.

* Sanctissima

ECCLESIAM B. MARIÆ DEDICANDAM CURAT

[b] In Leone 3.

IN DIE NATIVITATI B. VIRGINIS SACRO.

Quis in Gallia per illam ætatem cultus Nativitati Beatæ Virginis exhiberetur sexto Idus Septembris, manet investigandum, ut Angilberto suprà citato sua stet auctoritas, ubi Beatæ Mariæ Virginis Ecclesiam in ejus Nativitate sexto Idus Septembris dedicatam testatur. LIX.

In Gallia, temporibus Caroli Magni, Nativitas Beatæ Virginis non eo celebrabatur modo, quo dies Dominicus aliæque Festivitates, in quibus omnes ab opere servili quiescebant. Id apertissimè liquet ex libris Capitularium & ex Synodo Moguntina. L X.

Synodus, ut subscriptio docet, *facta est in civitate Moguntia, in claustro Basilica Sancti Albani Martyris, anno Domini* DCCCXIII. *& Imperii Domini Caroli Imperatoris anno* XIII. *Indictione* VI. V *Idus Junii*, sive aliquot ante Caroli mortem mensibus. Synodum illam quædam antecesserunt, quædam subsecuta sunt Francorum Regum Capitularia. Prostant Capitularium libri septem; quatuor priores editi sunt ab Ansegiso Abbate anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo, Ludovico & Lothario Augustis; tres posteriores à Benedicto Levita, regnantibus prædicti Ludovici filiis, Lothario, Ludovico, & Carolo. Quid singuli contineant, iidem declarant Auctores in suis Præfationibus. Ansegisus, sic. *Hoc notum sit Lectori, quia Capitula, qua per intervalla temporum à prafatis sunt Principibus*, id est, à Carolo, Ludovico, & Lothario, *edita, in quatuor distinxi libellis. Illa scilicet, qua* præcipuè *Domnus Karolus Imperator fecit ad ordinem pertinentia Ecclesiasticum, in primo adunavi libello. Ea verò Ecclesiastica, qua Domnus ac Piissimus Ludovicus* LXI.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

Imperator & Lotharius Cæsar filius ipsius ediderunt, in secundo descripsi. Illa autem, quæ Dominus Karolus in diversis fecit temporibus ad mundanam pertinentia legem, in tertio adunavi. Ipsa vero quæ Dominus Ludovicus præclarus Imperator & Lotharius Cæsar filius illius fecerunt ad augmentum mundanæ pertinentia legis, in quarto congessi. Benedictus, sic. *In fronte primi libelli posita Zachariæ Papæ epistola omnibus Episcopis, ac reliquis Ecclesiastici ordinis gradibus, & cunctis Ducibus, atque Comitibus, omnibusque Deum timentibus, per Gallias & Francorum provincias constitutis directa, sicut in ea continetur. Quam sequuntur duo Synodales Conventus, quos Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ Legatus Bonifacius memoratæ Magontiacensis Ecclesiæ Archiepiscopus vice supradicti Zachariæ Papæ unà cum Carlomanno Francorum Principe canonicè tenuit, ut agnoscant omnes hæc prædictorum Principum,* nempe Caroli, Ludovici, & Lotharii, Augustorum, *Capitula maximè Apostolicâ auctoritate fore firmata. Post ista quoque, quæ sequuntur, eâdem auctoritate, maxima, ut diximus, ex parte, & omnium Francorum utriusque ordinis virorum assensu sunt roborata. Secundo verò in libello post Capitulorum numerum primâ fronte posita sunt quædam ex lege Divina excerpta Capitula, sicut ea sparsim in eorum mixta Capitularis reperimus, ut omnes hæc Capitula legibus Divinis Regulisque Canonicis concordare non ignorent. Tertio siquidem in libello, post ejusdem libelli Capitulorum numerum, quædam ex Canonibus à Paulino Episcopo & Albino Magistro reliquisque jussione Karoli Invictissimi Principis Magistris sparsim collecta sunt inserta Capitula, & quibusdam interpositis sequuntur alia Regulæ Monasticæ congruentia, & demùm ea, quæ sequuntur, ad Sanctæ Dei Ecclesiæ servorùmque ejus atque totius Christiani populi utilitatem sunt conscripta Capitula, sicut in eodem continentur libello.*

LXII. Ansegisus libro primo, qui Caroli Magni Capitulis ad Ecclesiasticum ordinem pertinentibus præcipuè constat, Capitulum centesimum sexagesimum-quartum *de festivitatibus in anno* inscriptum sic exhibet. *Hæ sunt festivitates in anno, quæ per omnia venerari debent, Natalis Domini, Sancti Stephani, Sancti Joannis Evangelistæ, Innocentum, Octava Domini, Epiphania, Octava Epiphaniæ, Purificatio Sanctæ Mariæ, Pascha dies octo, Letania major, Ascensio Domini, Pentecoste, Sancti Joannis Baptistæ, Sancti Petri & Pauli, Sancti Martini, Sancti Andreæ; de Assumptione Sanctæ Mariæ interrogandum relinquimus.* Nullum ibi verbum de Nativitate Beatissimæ Virginis.

LXIII. Moguntina Synodus hoc Capitulo recentior ex eo probatur, quòd Canon tricesimus-sextus, qui *de festivitatibus anni* inscribitur, *Assumptionem Sanctæ Mariæ* commemorat. Canon ille Moguntinus posteà transiit in secundum Capitularium librum, qui totus est de Ludovici & Lotharii Augustorum Capitulis ad ordinem pertinentibus Ecclesiasticum. Nec eidem Canoni Moguntino multùm absimile est, quod sexto Capitularium libro legitur Capitulum centesimum octogesimum-sextum. Ut autem in Canone Moguntino, sic & in prædictis duobus Capitulis, Assumptio Sanctæ Mariæ celebratur, Nativitas verò minimè. Singulorum textus accipe, simùlque confer si lubet, hac tamen observatione priùs animadversâ, quòd in libro sexto Capitularium nulla Pentecostes mentio fit Capitulo centesimo octogesimo-sexto, quia totum est de Pentecoste quod proximè sequitur in eodem libro Capitulum centesimum octogesimum-septimum, ut ostendemus infrà.

CANON XXXVI SYNODI ANNO DCCCXIII APUD MOGUNTIAM CELEBRATÆ.	CAPITULUM XXXV LIBRI SECUNDI CAPITULARIUM	CAPITULUM CLXXXVI LIBRI SEXTI CAPITULARIUM.
LXIV. *Festos dies in anno celebrare sancimus. Hoc*	*Festos dies in anno celebrare sanximus. Hoc est,*	*Diem Dominicum secundùm reverentiam*

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

Hoc est, diem Dominicum Pascha cum omni honore & sobrietate venerari, simili modo totam hebdomadam illam observari decrevimus. Diem Ascensionis Domini pleniter celebrare. Item Pentecosten similiter ut in Pascha. In Natali Apostolorum Petri & Pauli diem unum, Nativitatem Sancti Joannis Baptistæ, Assumptionem Sanctæ Mariæ, Dedicationem Sancti Michaelis, Natalem Sancti Remigii, Sancti Martini, Sancti Andreæ. In Natali Domini dies quatuor, Octavas Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem Sanctæ Mariæ. Et illas festivitates Martyrum vel Confessorum observare decrevimus, quorum in unaquaque Parrochia sancta corpora requiescunt. Similiter & Dedicationem Templi.

est, diem Dominicum Pascha cum omni honore & sobrietate venerari, simili modo totam hebdomadam illam observare decrevimus. Diem Ascensionis Domini pleniter celebrare. In Pentecoste similiter ut in Pascha. In Natali Apostolorum Petri & Pauli diem unum, Nativitatem Sancti Joannis Baptistæ, Assumptionem Sanctæ Mariæ, Dedicationem Sancti Michaelis, Natalem Sancti Remigii, Sancti Martini, Sancti Andreæ. In Natali Domini dies IIII. Octavas Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem Sanctæ Mariæ. Et illas festivitates Martyrum vel Confessorum observare decrevimus, quorum in unaquaque Parochia sancta corpora requiescunt.

tiam colite; opus servile, id est, agrum, pratum, vineam, vel si qua graviora sunt, in eo non faciatis, nec causas nec calumnias inter vos dicatis, sed tantùm divinis cultibus serviatis, & à vespera usque ad vesperam dies Dominicus servetur. Has siquidem præcipuas festivitates adnuncient Presbyteri, ut diebus Dominicis, sabbatizare. Id est, in Natali Domini dies IIII. VIII Kalend. Januariarum. In Circumcisione Domini Kalend. Januar. diem unum. In Epiphania VIII Id. Januar. diem unum. In Purificatione Sanctæ Mariæ IIII Non. Febr. diem unum. In Pascha Domini usque in Octavas Pascha post Dominicam dies III. In Ascensione Domini diem unum. In Natali Sancti Joannis Baptistæ VIII Kal. Jul. diem unum. In Passione Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli III Kal. Jul. diem unum. In Assumptione Sanctæ Mariæ XVIII Kal. Septemb. diem unum. In transitu Sancti Martini III Id. Novembris, diem unum. In Passione Sancti Andreæ Apostoli II Kal. Decemb. diem unum.

Opponet fortassè quis Sanctum Bonifacium Metropolitam Moguntinum, cujus Martyrium anno Christi septingentesimo quinquagesimo quinto Nonis Junii consignavimus. Hujus Archiepiscopi nomine circumferuntur Statuta sex & triginta, quorum postremum dies enumerat quibus per annum est *sabbatizandum*. In illo Statuto duæ res potissimùm observandæ. Nullum fit ibi de Pentecoste verbum, & Nativitas Beatissimæ Virginis sexto Idus Septembris notatur. LXV.

Lucas Dacherius, qui prædicta Statuta Tomo nono Spicilegii primus è Corbeiensi Codice publicavit, hanc notatiunculam in ora postremi Statuti posuit. *Ideò hîc haud dubiè dies Pentecostes obmittuntur, quia suprà c. 34. statutum est.* [*Et ipsum diem Pentecostes celeberrimum habeant ut Sanctum Pascha.*] Collector autem hujusmodi Statutorum, quia festivitates duobus recenset Capitulis, quorum unum solam Pentecosten, alterum cetera per annum LXVI.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

festa complectitur, recentior videtur Benedicto Levita, qui sexto Capitularium libro circa eandem materiam duo quoque Capitula, nempe centesimum octogesimum-sextum de diebus Dominicis anníque festivitatibus, & centesimum octogesimum-septimum specialiter de Pentecoste, publicavit. Utrumque placet hic Capitulum cum Statutis superiùs allegatis subjicere, quò faciliùs conferri simul possint, hac tamen observatione præmissâ, quòd in Statuto tricesimo-quarto quæ sunt his notis [ ] inclusa, in margine à Dacherio suppleta sunt ex prælaudato Capitulo centesimo octogesimo-septimo.

CAPITULUM CLXXXVI LIBRI SEXTI CAPITULARIUM.

LXVII. *Diem Dominicum secundùm reverentiam colite; opus servile, id est, agrum, pratum, vineam, vel si qua graviora sunt, in eo non faciatis, nec causas nec calumnias inter vos dicatis, sed tantùm divinis cultibus serviatis, & à vespera usque ad vesperam dies Dominicus servetur.*

Has siquidem præcipuas festivitates adnuntient Presbyteri, ut diebus Dominicis, sabbatizare.

Id est, in Natali Domini dies IIII. VIII *Kalend. Januariarum.*

In Circumcisione Domini Kalend. Januar. diem unum.

In Epiphania VIII *Id. Januar. diem unum.*

In Purificatione Sanctæ Mariæ IIII *Non. Feb. diem unum.*

In Pascha Domini usque in Octavas Paschæ post Dominicam dies III.

In Ascensione Domini diem unum.

In Natali Sancti Joannis Baptistæ VIII *Kal. Jul. diem unum.*

In Passione Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli III *Kal. Jul. diem unum.*

In Assumptione Sanctæ Mariæ XVIII *Kal. Septemb. diem unum.*

In transitu Sancti Martini III *Id. Novembris, diem unum.*

In Passione Sancti Andreæ Apostoli II *Kal. Decemb. diem unum.*

STATUTUM XXXVI S. BONIFACIO ARCHIEP. MOGUNTINO ATTRIBUTUM.

Adnuntient Presbyteri diebus Dominicis per annum sabbatizandum.

In Natale Domini VIII *Kalendas Januarias dies* IV.

In Circumcisione Domini Kalendis Januariis diem unum.

In Epiphania VIII *Id. Jan. diem unum.*

In Purificatione Sanctæ Mariæ IV *Non. Feb. diem unum.*

In Pascha Domini post Dominicam dies tres.

In Ascensione Domini diem unum.

In Natale Sancti Johannis Baptistæ VIII *Kal. Jul. diem unum.*

In Passione Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli III *Kal. Julias diem unum.*

In Adsumptione Sanctæ Mariæ XVIII *Kal. Septemb. diem unum.*

In Nativitate Sanctæ Mariæ VI *Idus Septembris diem unum.*

In Passione Sancti Andreæ Apostoli pridie Kal. Decembris diem unum.]

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

CAPITULUM CLXXXVII LIBRI SEXTI CAPITULARIUM.

Ut annuncient Presbyteri eodem modo, sicut vesperascente Sabbato Sanctum Pascha celebratur, & ipsum diem Pentecostes similiter celeberrimum habeant ut Sanctum Pascha, & jejunium, & Missam, & Baptismum.

STATUTUM XXXIV S. BONIFACIO ARCHIEP. MOGUNTINO ATTRIBUTUM.

Et hoc notum faciant Presbyteri omni populo, ut Sabbato Pentecostes, sicut Sabbato Sancto Pascha, omnes jejunent, & ad Ecclesiam horâ nonâ conveniant quando [Missa agitur: & Baptismum legitimè eodem modo] sicut vesperascente Sabbato Sancto Pascha celebratur: & ipsum diem Pentecostes similiter celeberrimum habeant ut Sanctum Pascha.

Præcitata Benedicti Levitæ Capitula Statutis, quæ Sancto Bonifacio Moguntiacensi Metropolitæ tribuuntur, adeò conformia sunt, ut Lector in dubium vocare non possit, quin Statutorum Collectot Benedictum vel Benedictus ipsum Collectorem transcripserit, unius tantùm festi factâ mutatione, nam Benedictus omissâ Beatissimæ Virginis Nativitate transitum Sancti Martini memoravit, & vice versâ Collectot Nativitatem Beatissimæ Virginis celebravit transitu Sancti Martini ne quidem nominato. Benedictus, ut ipsemet in operis sui Præfatione testatur, *schedulas in Sancta Magontiacensis Metropolis Ecclesia scrinio à Riculfo ejusdem Sancta Sedis Metropolitano & ab Autcario secundo ejus successore atque consanguineo reconditas* consuluit. Sanctæ tamen Mariæ Nativitatem in numero festorum dierum non collocavit, quia nec Statuta quæ Bonifacii Moguntiacensis Archiepiscopi perhibentur esse, nec aliud quidpiam reperit, unde cugeretur in lucem edere Capitulum, quud vel Synodo paucis ante Caroli Magni mortem mensibus apud Moguntiam habitæ, vel Capitularibus ad Ludovici & Lotharii Augustorum tempora pertinentibus refragaretur. Anno Christi septingentesimu quinquagesimo-quinto Sanctus Bonifacius ad Deum feliciter migravit. Ut autem Statutorum, de quibus hic agimus, Collectotem longè seriùs vixisse fatearis, adverte undecimum Statutum nun editum fuisse ante nonum seculum, Imperatoris enim titulum in Occidente renovatum supponit, cùm decernit, ut Abbates & Abbatissæ, si castè non vivant, ab Episcopo corrigantur, si verò noluerint Episcopum audire, certior ea de re per Episcopum fiat Imperator. Textus Statuti talis est. *Ut Abbates vel Abbatissæ sic castè vivant, ut subjectos subjectásque illorum vel illarum exemplum ostendant sancta conversationis. Quòd si non fecerint, ab Episcopo corrigantur. Si autem Episcopum minimè audierint, Episcopus Imperatori indicare faciat.* LXVIII.

Ut hoc Statutum constantissimè rejicias post annum Redemptoris octingentesimum, sub cujus exitum Carolus acclamatus fuit Imperator, duos in eadem materia Canones accipe, quos authur prædicti Statuti præ manibus habuit. Unum Synodus Vernensis [a], quam anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto, mense Julio, id est, mense post Bonifacii Moguntiacensis Archiepiscopi mortem proximo consignavimus, ita suppeditat. *Ut Monasteria tam virorum, quam puellarum, secundùm ordinem regulariter vivant: &, si hoc facere contempserint, Episcopus, in cujus Parochia esse videntur, hoc emendare debet. Quòd si non poterit hoc emendare, illi, quem Metropolitanum constituimus, hoc innotescat, & ipse hoc emendari faciat. Quòd si hoc nec ipse emendare poterit, ad Synodum publicam exinde veniant, & ibi-* LXIX.

[a] Can. 5.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

dem Canonicam sententiam accipiant. Et, si publicam Synodum contempserint, aut honorem suum perdant, aut excommunicentur ab omnibus Episcopis: & tales in eorum loco in ipsa Synodo constituantur per verbum & voluntatem Domni Regis, vel consensu servorum Dei, qui secundùm ordinem sanctum ipsum gregem regant. Alterum Synodus Francofordiensis [a], quæ anno Christi septingentesimo nonagesimo-quarto celebrata est, breviùs ita subministrat. *De Abbatissis, quæ Canonicè aut Regulariter non vivunt, Episcopi requirant, & Regi adnuntient, ut ab honore priventur.* In utroque Canone mentio fit Regis, Imperatoris nequaquam. In Canone Vernensi Pippinus Rex intelligitur, cujus nomen, in ipsa Concilii Præfatione, cum insigni laude sic memoratur. *Gloriosissimus atque Deo religiosus, Illuster Vir Pippinus Rex Francorum universos penè Galliarum Episcopos aggregari fecit ad Concilium Verno Palatio publico, recuperare aliquantisper cupiens Instituta Canonica.* Et annus Regni quartus in ejusdem Præfationis fine sic apponitur. *Datum* v *Idus Julii, anno* IV *suprascripti Gloriosissimi Pippini Regis.* In Canone Francofordiensi Carolus Rex intelligitur, cujus nomen & annus Regni vicesimus-sextus initio primi Canonis ita leguntur. *Conjungentibus, Deo favente, Apostolicâ auctoritate, atque Piissimi Domni nostri Caroli Regis jussione, anno* XXVI *Principatûs sui, cunctis Regni Francorum, seu Italiæ, Aquitaniæ, Provinciæ, Episcopis ac Sacerdotibus Synodali Concilio*, &c. Reges Francorum fuerunt, Pippinus ab anno Christi septingentesimo quinquagesimo-secundo ad annum Christi septingentesimum duodeseptuagesimum, Carolus ab anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo ad annum Christi octingentesimum decimumquartum. Pippinus Augustum & Imperatorem numquam se dixit, dixit verò Carolus ab anno Redemptoris octingentesimo, illo enim anno in die Natali Domini, cùm Romæ esset, acclamatus est Imperator, ac deinceps ut Francorum Regem se & Imperatorem Romanorum se nuncupavit. Ex his observationibus apertè colligitur, non tantùm cur ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quintum in Synodo Vernensi & ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-quartum in Synodo Francofurtana non Imperatoris at Regis mentio fiat, sed etiam cur Statutum, in quo mentio fit Imperatoris, post annum Redemptoris octingentesimum debeat rejici.

[a] Can. 47.

LXX. Porrò Statuta, quæ non edita sunt ante nonum seculum, Collectorem nancisci non potuerunt Sanctum Bonifacium Moguntiacensem Archiepiscopum, qui Martyrium anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto consummavit. Nec illa Capitularibus ab Ansegiso & Benedicto collectis præferenda sunt Statuta, si quid discriminis inter utraque super festis diebus invenitur, quia tempus ignoratur quo Statuta sunt collecta, nec Collector antiquior Ansegiso vel Benedicto probari potest.

LXXI. Opponet fortasse quis & *Statuta Synodalia Ecclesiæ Remensis per Dominum Sonnatium*, qui Remensi Diœcesi præfuit ab anno Christi quingentesimo nonagesimo-quarto ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-primum, & Remensem Synodum cum aliis Præsulibus anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto celebravit, ut ad illum annum Tomo secundo probavimus. Statuta illa, quæ numero sunt unum & viginti, reperta primùm fuerunt à Claudio *Desperto* Atrebate juris utriusque Licentiato, communicatáque Georgio Colveenerio Duacensis Academiæ Cancellario, cujus operâ & studio posteà in Appendice ad Flodoardum publicata sunt. Vicesimum festis diebus Nativitatem Beatæ Mariæ sic accenset. *Festa absque omni opere forensi excolenda, & cum debita veneratione celebranda hæc sunt. Nativitas Domini; Circumcisio; Epiphania; Annunciatio Beatæ Mariæ; Resurrectio Domini cum die sequenti; Ascensio Domini; dies Pentecostes; Nativitas Beati Joannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli; Assumptio Beatæ Mariæ, ejusdem Nativitas, Andreæ Apostoli; & dies omnes Dominicales.*

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

Hoc Statutum Joannes Baptista *Thiers* Carnotensis in libro [a] de festorum dierum imminutione citat è Concilio Remensi, quod *anno* DCXXX *celebratum*, & *è Majoris Monasterii Codice MS. erutum* dicit. In priori quidem observatione, quâ tempus Concilii notatur, subindicat se loqui de Synodo, quam, teste Flodoardo [b], Sonnatius Metropolitanus Remorum Episcopus *celebrasse reperitur cum aliis quadraginta vel eo ampliùs Galliarum Episcopis*, anno Christi, sive ut asseruimus sexcentesimo vicesimo-quinto, sive ut alii volunt vel determinatè vel circiter sexcentesimo tricesimo; sed in posteriori observatione, qua Majoretanus Codex commendatur, ostendit à se consulta tantùm Statuta Synodalia, quæ Colvenerius in Appendice ad Flodoardum publicavit cum hoc titulo, *Statuta Synodalia Ecclesiæ Remensis per* LXXII. *Dominum Sonnatium*, & hac annotatione, *hæc Statuta accepta ex Majori* * *Monasterio à Sancto Martino ædificato in suburbiis civitatis Turonensis, cùm seriùs ad manus nostras pervenissent, visum est Appendicis loco adjicere.* Statuta illa non ejusdem sunt auctoritatis ac Synodus Remensis, quæ legitur apud Flodoardum in Historia Remensi. Testem appellamus ipsummet Colvenerium. *Sunt*, inquit, *in his* Statutis *quædam, quæ non videntur redolere antiquitatem; ut quòd titulum Pastoris tribuat Parochis, qui ætate Sonnacii & multò pòst Presbyteri tantùm aut Sacerdotes solent appellari; quòd item festum Nativitatis Beatæ Mariæ inter festa celebranda reponat, quod in his partibus non videtur tam antiquum fuisse, quandoquidem Fulbertus Carnotensis, qui vixit anno 1017, id primùm in Gallia celebrasse dicatur, si Demochari credimus. Verùm facilè potuit fieri, ut loco Presbyteri à recentiori aliquo positum sit nomen Pastoris, & festum illud ab aliquo fortè adjectum. Scribit tamen Sanctus Hildephonsus, qui eâdem ætate vixit cum Sonnacio, in libro de virginitate & parturitione Beatæ Mariæ, Nativitatem ejus ex auctoritate totius Ecclesiæ celebrari & venerari.* Inter varia Sancti Ildefonsi opera, quæ Franciscus Feuardentius in lucem emisit, extat liber adversùs eos, qui disputant de perpetua virginitate Sanctæ Mariæ, & de ejus parturitione; extant & sermones tres in Nativitate Beatæ Mariæ. Sed has lucubrationes Ildefonso abjudicat Joannes Poza in Elucidario [c] Beatæ Virginis. Colvenerius non temerè suspicatur Statuto, quod examinamus, insertum à quopiam festum Nativitatis beatæ Virginis, textus enim adeò malè consutus est, ut emendationem postulare videatur. Exemplaria sic habent. *Assumptio Beatæ Mariæ, ejusdem Nativitas, Andreæ Apostoli.* Vox, *ejusdem*, apparet insititia, eâque sublatâ politior fit stylus sensúsque clarior sic redditur. *Assumptio Beatæ Mariæ, Nativitas Andreæ Apostoli.* Colvenerius adnotationem suam sic persequitur. *Sunt his Statutis similia, quæ scribit Jesse Ambianensis Episcopus in epistola ad Sacerdotes suæ Diœcesis, & Constitutio Riculsi Suessionum Episcopi; quæ cum Hincmari opusculis edidit Joannes Cordesius.* De Jessæo & Riculso suis agemus locis. Jesse seu Jessæus anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono factus est Episcopus Ambianensis, Riculfus multò seriùs Episcopatum Suessionensem suscepit, suam enim Constitutionem anno Redemptoris octingentesimo undenonagesimo promulgavit. E Statutis igitur, quæ sub Sonnacii nomine publicata sunt, abrade nomen illius Metropolitæ, præter Canonem enim Moguntinum Capitularia Caroli, Ludovici, & Lotharii, Augustorum, superiùs allegata vetant, ne Beatæ Virginis Nativitatem, cùm idem Sonnacius Ecclesiæ Remensi præerat, in numero festorum dierum jam positam credas.

Etsi Nativitatem Beatissimæ Virginis, cùm ejus Ecclesia in Centulensi LXXIII. Monasterio dedicata est, anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo inter festos dies habitam negemus, eam tamen non inficiamur in vetustioribus Kalendariis priùs annotatam esse sexto Idus Septembris, illóque die peculiarem Sanctæ Mariæ Virgini cultum exhibitum, necnon recitatas à Patribus Homilias de quibus Cæsar Baronius ad eundem diem consuli potest. Apud Anastasium Sergius Papa, qui Pontificatum ab anno

[a] Cap 9.
[b] Lib. 2. c. 5.
* Marmoutier.
[c] Lib. 4. tract. 4. c. 6.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LODOV. R R. 18. CAROLI R. 10.

Christi sexcentesimo octogesimo-septimn ad annum Christi septingentesimum primum tenet, *constituit, ut diebus Annunciationis Domini, Nativitatis, & Dormitionis Sanctæ Dei Genitricis sempérque Virginis Mariæ, ac Sancti Simeonis, quod hypapantem Græci appellant, Litania exeat à Sancto Adriano, & ad Sanctam Mariam populus occurrat.* Sergio Papâ paulò recentior Beda Presbyter, qui feliciter ad Deum migravit anno Christi septingentesimo tricesimo-primo, ut Annalista Nazarianus testatur. In genuino ejusdem Bedæ Martytologio, quod Godefridus Henschenius ex Divionensi Codice publicavit[a], ponitur sexto Idos Septembris *Natale Sanctæ Dei Genitricis Mariæ.* Et in Otdioe Romaoo de Officiis divinis per mensem Septembrem hæc habentur. *In Nativitate Sanctæ Mariæ leguntur Homiliæ Sanctorum Patrum ad ipsum diem pertinentes. In ipsa die cum Litaniis exeunt à Sancto Adriano, & ad Sanctam Mariam populus occurrit.* Denique Homilia *in Nativitate Beatæ Mariæ Virginis* attribuitur Alcuioo, qui familiaritate conjuoctissimus Angilberto fuit, & Sancti Judoci Mnnasterium, non procul à Ceotula cui præerat Angilbertus, in eadem Ambianensi Diœcesi gubernavit.

[a] Tom. 2. SS. mens. Mart.

LXXIV. Utrùm hæc Homila fœtus Alcuini censeri debeat, ioquiremus infrà. Quæ prolata sunt ex Beda, ex Ordine Romano, & ex Anastasio, facilè persuadebuot Nativitatem Beatissimæ Vitgiois, ætate Caroli Magni, sexto Idus Septembtis, io multis locis specialiter coli solitam, licèt non haberetur intet festos dies, in quibns, ut in Dominicis, omnis populus ab opere quiescere tenebatur. Atque hæc sufficiant, ut intelligas à Synodo Moguntina & à Capitularibus Imperatorum, Caroli, Ludovici, ac Lotharii, non discrepare sctiptum Aogilberti de Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis, déque tredecim Altaribus dedicatis VI *Idus Septembris in ejus sacratissima Nativitate, à venerabilibus Episcopis, Georgio videlicet, Absalone, Pleone, & Gerfrido.*

LXXV. Geotgius, quem præcitarus textus exhibet, Ambianensis est Episcopus, qni plerisque Gregorius. Ita jam senserunt, Morlierius in Antiquitatibns Ambianensibus [b], Sammarthani Tomo secudo [c] Galliæ Christiaoæ, & Bollandus in notis ad vitam Sancti Angilberti [d]. In Codice Thuaneo, quem Robertus & Motlierius allegant, Georgius vocatur, qui solet in Ambianensium Episcoporum Catalogis Gtegorius appellari. Georgius & Gregorius, quoniam iisdem totidémque penè litetis constant, sæpè confunduntur. Exempla non pauca superioribus Tomis protulimus. Idcircò Robertus Gregorinm Ambianensem Episcopum, qni Georgius in Codice Thuaneo dicitur, suspicatur eum esse Georgium, qni Dedicationi Centulæ præsens interfuit. Sita est in Ambiaoensi Episcopatu Centula, Dedicationi copiosus adsuit Episcoporum oumerus, quis absuisse Diœcesaoom putet? In Ambiaoensi Cathedra federunt, Raimbertus cui Zacharias Papa literas anno Christi septingentesimo duodequioqnagesimo direxit, Vitulphus seu Vilulphns aut Aytulphus de quo nihil præter nomeo auditur, Georgins seu Gregorins qui Centulam cum aliis Episcopis dedicavit, Jesse seu Jessæus qui Leonem Papam in Italiam tedeuntem anno Chtisti septingentesimo nonagesimo-nono comitatus est. Hæc Ambianensium Episcoporum tuta Chrooologia.

[b] Lib. 2.
[c] In Episc. Ambian. 10.
[d] D. 18. Febr.

EPISCOPI AMBIAN.

LXXVI. Gerfridus Episcopus est Laudunensis, aliis Garftidus, Gutfridus, Gaufridus, Garifidus, & Gatifidus.

PLEON EP. NOVIOMENS.

LXXVII. Pleon Novinmensis est ac Tornacensis Episcopus, agitque annum in Episcopatu decimum-sextum, anno enim Christi septingeotesimo octogesimo-secundo sedere cœpit, ut ad illum annum scripsimus.

LXXVIII. Absalonis Episcopi Sedes ignoratur. Eam fuisse suspicamur in provincia Lugdunensi secunda. Qua de re fusiùs ad annnm sequentem, quo rursum occurret sermo de eodem Absalone.

LXXIX. Apud Ughellum [e] Dinnysius Januensis Episcopus hoc anno commendatur.

DIONYSIUS EP. JANUENS.

[e] Tom. 4. Ital. Sacr.

Apud

AN. CH. 798.

LXXX. Apud Hundium [a] Sigismundus Sancti Emmerammi Abbas hoc eodem obit anno, eique succedit in administrationem Monasterii Richpaldus, qui Carolo Magno superstes vixit, ut probaturi sumus Tomo sequenti.

[a] Tom. 2. Abbates S. Emmerammi.

LXXXI. Duplex extat vita Sancti Bernardi seu Barnardi Metropolitæ Viennensis; una prodiit ex Officiis propriis Ordinis Antoniani excusis Romæ anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo-secundo; altera ex manuscriptis Codicibus Ecclesiarum, Viennensis, Romanensis, & Ambroniacensis. Utrobique nævi sunt haud pauci, in quos inferiùs, ut occasio postulabit, haud segniter inquiremus. In posteriore vita, quam manuscripti Codices suppeditarunt, ætas Barnardi, priusquàm Viennensis Archiepiscopus fieret, ita distribuitur. *Decem & octo annorum à scholis abstrahitur, septem annis conjugium sustinuit, quatuor annis sub Abbate Monasticam vitam duxit, tribus verò annis Abbas præfuit.* Volferio successit in Archiepiscopatum Barnardus anno Redemptoris octingentesimo duodecimo. Natus est igitur anno Christi septingentesimo octogesimo; duxit uxorem anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo; factus est Monachus anno Redemptoris octingentesimo quinto, Abbas anno Redemptoris octingentesimo nono. Reliquam Chronologiam, quæ spectat ad Viennensem Archiepiscopatum quem gessit, examinabimus Tomo sequenti. *Beatus Barnardus, Patronus Romanensium, qui filius boni odoris interpretatur, in Lugdunensi Diœcesi ex illustri valdè prosapia oriundus fuit. Hic in ætate primæva liberalibus studiis eruditus, innocentis vitæ primitias in Ecclesia contubernium delibavit. Mortuis verò fratribus ejus, parentes ejus, ut ipsum hæredem haberent, à scholis extractum, militia exercitiis in Castris Caroli deputarunt.* Cùm natus annos esset octodecim, uxorem hoc anno duxit, ut ex prædictis liquet. Septem duntaxat annos mansit eum conjuge. Interim Ambroniacum Monasterium erexit, cujus originem ad annum circiter DCCC Guichenonus aliique referunt, nos aliquot annis seriùs consignandam putamus. Illa de re fusiùs ad annum DCCCII disseremus. Interim observa utramque Barnardi vitam apud Joannem Bollandum [b] legi.

Barnardi patria et primordia.

[b] D. 23 Jan.

LXXXII. Ejusdem Bollandi Continuatores Godefridus Henschenius & Daniel Papebrochius Acta Sanctorum, qui mense Aprili coluntur, nuperrimè publicarunt in tres Tomos digesta. Tomo tertio præponitur Exegesis præliminaris, quâ Godefridus Henschenius innovat stabilitque Diatribam à se ante annos viginti editam *de tribus Dagobertis Francorum Regibus & eorum Genealogico Stemmate.* Tres Dagobertos in Francia regnasse nunquam inficiati sumus. At litem sæpè de eorumdem Dagobertorum Chronotaxi Genealogiâque movimus. Quale verò nostrum hodie supersit dissidium, postquàm Henschenius suam in multis opinionem emendavit, operæpretium videtur hìc exponere.

Henschenii posterior Exegesis de Merovea-dis RR. examinatur.

LXXXIII. Anno Christi MDCLXVIII, quo tertius Annalium nostrorum Tomus in lucem prodiit, prodierunt & *Acta Sanctorum Martii* tribus Tomis comprehensa, quorum ultimo Godefridus Henschenius præfixit Exegesin præliminarem *de Genealogico Stemmate Regum Francorum primæ Stirpis per tres Dagobertos deducendo*, exhibuitque *Stemma Genealogicum posteriorum Regum Stirpis Merovingicæ*, initio ducto à Dagoberto Primo, quem tunc asseruit mortuum XIX *Januarii, anno Christi* DCXLIV. Nos autem opinionem hanc in prædicto tertio Annalium Tomo sex annis integris antevertimus, Dagoberti Primi morte mense Januario anni DCXXXVIII consignatâ. Sexennis controversiæ causam aperuimus allegato Fredegario, qui Dagobertum anno Regni XVI vivis ereptum scribit [c]. Alii enim initium sexdecim annorum, quos in Principatu transegit, ducunt à die quo Rex Austriæ renunciatus est à patre, alii à die quo patri in Regna Neustriæ Burgundiæque successit. Priorem opinionem, licèt perpaucis anteà placuisset, lubenter amplexi sumus; posteriorem secutus est Henschenius. Ut ita sentiret adductus est om-

[c] In Chron. cap. 79.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

nium fermè Auctorum unanimi consensu, necnon hac apud Audoenum periodo in vita Sancti Eligii. *Convenientes igitur simul in urbem Rotomagensem quarto-decimo die mensis tertii, tertio anno Clodovei juvenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias inter catervas populi, inter agmina Clericorum, inter choros psallentium consecrati sumus gratis ab Episcopis pariter Episcopi, ego Rodomo, ille Noviomo.* Annum tertium Clodovei juvenculi Regis post obitum Dagoberti patris interpretatus est annum Christi DCXLVI, quia illo anno Pascha celebratum est v Idus Aprilis, & dies Dominicus ante Litanias cum die XIV mensis tertii seu Maii coincidit. Totam difficultatem optimè novimus, nec nos latuit diem Dominicum ante Litanias anno DCXL cum die Maii non XIV sed XXI convenisse. Quapropter cùm multæ nos aliunde rationes urgerent, ut Dagobertum anno DCXXXVIII mortuum, Audoenum & Eligium anno DCXL Episcopos ordinatos assereremus, in explicandis Audoeni scriptis operam præcipuè collocandam duximus. Periodi suprà descriptæ duas deprehendimus esse partes; unam, quæ diem & annum designat quo Rotomagum Audoenus & Eligius pervenerunt; alteram, quæ diem notat quo consecrati sunt Episcopi. Rotomagum ingressi sunt *quarto-decimo die mensis tertii, tertio anno Clodovei juvenculi adhuc Regis*; consecrati sunt autem Episcopi *die Dominico ante Litanias.* Certè Jonas Auctor synchronus non sinit, ut ordinationem prædictorum Episcoporum in annum DCXLVI rejiciamus. Eligium enim jam Episcopum in vita Sancti Eustasii sic commendavit. *Vir illustris, Eligius nomine, qui modò Veromandensis Ecclesiæ Pontifex, juxta Lemovicensem urbem Monasterium nobile Solenniacum nomine construxit.* Vitam autem Eustasii publicavit ante annum DCXLIV, illam enim scripsit intra triennium ab obitu Sancti Bertulphi Bobiensis Abbatis, cujus mors in annum Christi DCXL incidit. Utrumque Tomo tertio demonstravimus [a].

[a] Ad an. 640. nn. 13. & seqq.

LXXXIV. Anno MDCLXX prodiit in lucem quartus Annalium nostrorum Tomus, in quo contra Godefridum Henschenium ad annos DCXCIII & DCCXV disputavimus. Quod enim ob obitu Clotarii Secundi Regis ad mortem usque Childeberti Tertii fuit inter nos in stabilienda Chronotaxi dissidium, explicuimus anno DCXCIII [b]; & ad annum DCCXV [c], quo Dagobertus Tertius obiit, Theodoricum Quartum, qui post Chilpericum Tertium regnare cœpit, multis argumentis ostendimus filium ejusdem extitisse Dagoberti Tertii, non autem Dagoberti Secundi ut Henschenius contendit.

[b] Nu. 19. & seqq.

[c] Nu. 10. & seqq.

LXXXV. Anno MDCLXXIII prodiit in lucem quintus Annalium nostrorum Tomus, in quo multa de Childerici Tertii Regis ætate ac cælibatu contra eundem Henschenium protulimus.

LXXXVI. Denique hoc anno MDCLXXV Henschenius Tomo tertio mensis Aprilis alteram præfixit Exegesin ad innovandam stabiliendámque *Diatribam olim editam de tribus Dagobertis Francorum Regibus & eorum Genealogico Stemmate.* In posteriore hac Exegesi, quam quatuor digessit capitibus, multa correxit. Imprimis Fredegarium eo quo nos explicuit modo, ideóque iisdem quibus nos annis obitum Dagoberti Primi Regis & ordinationem Sanctorum Episcoporum Audoeni atque Eligii publicavit. Ut autem emendationes, quas adhibuit, uno faciliùs intuitu conspicerentur, in fine capitis primi Genealogiam Regum Francorum à Dagoberto Primo ad Childericum usque Tertium edidit dennò cum hoc titulo; *Stemma Genealogicum posteriorum Regum Stirpis Merovingicæ, novissimè recognitum & emendatum.* Nihil igitur nobis hoc loco convenientius videtur, quàm ut utrumque describamus Stemma, quod Henschenius ad menses Martium & Aprilem evulgavit, deinde tertium addamus quo nostra patefiat opinio. Factâ enim collatione non solùm advertes quid Henschenius in altero Stemmate mutaverit, sed etiam quantum nobis cum priore fuerit, atque etiamnum quale nobis cum posteriore supersit dissidium.

STEMMA GENEALOGICUM POSTERIORUM RR. MEROVEADARUM EDITUM A GODEFRIDO HENSCHENIO

Tomo III mensis Martii.

DAGOBERTUS I. mortuus XIX Januarii, anno Christi DCXLVI.

CHLODOVEUS II. à morte patris Rex in Neustria & Burgundia obiit anno 662.

S. SIGEBERTUS III. ab anno 638 Rex in Austrasia constitutus non obiit ante 663.

CLOTHARIUS III. à 662 ad 676. CLODOVEUS creditus Clotharii filius assumitur ab Austrasiis anno 679.

CHILDERICUS II. Rex in Austrasia circa 664. in Neustria & Burgundia ab an. 676. occisus an. 679.

THEODORICUS III. anno 676. Monasterio inclusus, receptus an. 679. monarcha ab an. 687. mortuus an. 693.

DAGOBERTUS JUNIOR II. à morte patris per Grimoaldum Majorem-domus in Hiberniam ablegatus, intruso in ejus locum Childeberto filio Grimoaldi. His dejectis & Childerico Rege constituto, revertitur ex Hibernia circa annum 670. regnat in provinciis Adrhenanis, dein an. 680 in reliqua Austrasia, mortuus 687.

CHILPERICUS II. ex Clerico Rex anno 715. mortuus an. 720 ἄπαις.

CHLODOVEUS III. parvulus ab anno 693 usque ad an. 698 ἄπαις.

CHILDEBERTUS III. succedit mortuo fratri usque ad an. 711.

SIGEBERT. IV. moritur cum patre vel paulò pòst.

CLOTHAR. IV. anno 718 Rex ad breve tempus.

THEODORIC. IV. extinctis Clodovei posteris à 720 ad 737.

DAGOBERTUS III. puer & juvenculus ab an. 711. ad an. 715. ἄπαις.

S. Dagobertus Martyr. Colitur Satanaci 10. Sept. an filius Theodorici?

CHILDERICUS ultimus Regum Merovingi. assum. 743. abdic. 751. obit 754. filius Theodoricus in monasterio Fontanellæ attonsus anno 751.

AN. CH. 798.
CAROLI R. 30.
PIPPINI LUDOV. RR. 18.
CAROLI R. 10.

STEMMA GENEALOGICUM POSTERIORUM RR. MEROVEADARUM

EDITUM A GODEFRIDO HENSCHENIO

Tomo III mensis Aprilis.

LXXXVIII. *DAGOBERTUS I. Rex in Austrasia constitutus an.* DCXXII, *in Neustria an.* DCXXVIII, *Francici Imperii Monarcha an.* DCXXX, *mortuus an.* DCXXXVIII.

CHLODOVEUS II. à morte patris Rex in Neustria & Burgundia: obiit anno 656.

S. SIGEBERTUS III. ab anno 632 Rex in Austrasia constitutus: obiit an. 658.

CLOTHARIUS III. à 656 ad 670. CLODOVEUS creditus Clotharii filius assumitur ab Austrasiis anno 675.

CHILDERICUS II. Rex in Austrasia circo 659, in Neustria & Burgundia ab an. 671, occisus an. 675.

THEODORICUS III. anno 671 monasterio inclusus, receptus on. 675, monarcha ab an. 680. mortuus an. 693.

DAGOBERTUS JUNIOR II. à morte patris per Grimoaldum Majorem-domûs in Hiberniam ablegatus, intruso in ejus locum Childeberto filio ipsius Grimoaldi. His dejectis & Childerico Rege constituto, revertitur ex Hibernia, ope S. Wilfridi an. 661, regnátque in Provinciis Adrhenanis; dein an. 675, occiso Childerico in reliqua Austrasia, & occiditur ipse an. 680. Idem verosimiliter qui ut Martyr colitur Sathanaci.

Dagobert. cum patre occisus & sepultus Rotomagi à S. Audoeno.

*CHILPERIC. II. ex Clerico Rex an. 716.*ad 720 ἄπαις.*

CHLODOV. III. parvulus ab an. 693. ad 698. ἄπαις.

CHILDEBERTUS III succedit mortuo fratri usque ad ann. 711.

SIGEBERT. IV. moritur cum patre vel paulò pòst.

CLOTHAR. IV anno 718 Rex ad breve tempus

THEODORIC. IV. extinctis Clodovei posteris à 720 ad 737.

DAGOBERT. III. Rex juvenculus à 711 ad 715 ἄπαις.

CHILDERICUS ultimus Regum Meroving. assum. 743. abdic. 751. obiit 754. filius Theodoricus in monasterio Fontanellæ attonsus anno 751.

* Legendum videtur 715.

STEMMA GENEALOGICUM POSTERIORUM RR. MEROVEADARUM A NOBIS PROBATUM

Tomis Annalium, II. III. IV. V.

DAGOBERTUS I. Rex in Austrasia constituitur an. 622. fit Monarcha an. 628. partem Aquitaniæ Chariberto fratri dat an. 629. fit iterum Monarcha an. 630. obit an. 638.

SIGIBERTUS III. Rex Austrasiæ constituitur an. 633. obit an. 654.

- DAGOBERTUS II. in Hiberniam ablegatur an. 654. Regnum Austrasiæ recuperat an. 673. obit cum Sigiberto filio an. 680. sepeliturque Rotomagi.
  - SIGIBERTUS IV. obit cum patre an. 680.

CLODOVEUS II. post patrem in Neustria & Burgundia regnat an. 638. Monarchiam Francorum obtinet an. 654. obit an. 655.

- CLOTARIUS III. Monarcha 655. Childerico fratri cedit Austrasiam an. 660. obit an. 669.
- CHILDERICUS II. fit Rex Austrasiæ anno 660. Monarchiam Francorum obtinet an. 669. obit an. 673.
  - Dagobertus cum utroque patente cæsus ac sepultus prope Parisios in Æde S. Vincentii seu S. Germani, an. 673.
  - CHILPERICUS III post Dagobertum III patruelis sui Childeberti III filium regnat an. 715. obit an. 721.
- THEODORICUS III. Monasterio includitur an. 670. regnat an. 673. Monarchiam Francorum obtinet an. 680. obit an. 692.
  - CLODOVEUS III. Theodorico III patri succedit an. 692. obit an. 694.
  - CHILDEBERTUS III Clodoveo III fratri succedit an. 694. obit an. 711.
    - DAGOBERTUS III Childeberto III patri succedit an. 711. obit an. 715.
      - THEODORICUS IV post Chilpericum III patruelem avi sui Childeb. III regnat an. 721. obit an. 737.
        - CHILDERICUS III post anarchiam VII. ann. incompletorum regnare incipit a. 743. Rex esse desinit a. 752. cælebs tum adolescentulus natus annos circiter 18.
  - CLOTARIUS IV. in Austrasia contra Chilperic. III patruelem regnat a. 718. obit an. 719.

AN.CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

XC. Quod à nobis sperari quarto nostrorum Annalium Tomo [a] dicebamus, hodie gaudemus feliciter completum esse. Nonnullos, ut Dagobertum Primum ineunte anno Christi sexcentesimo tricesimo-octavo mortuum, Audoenum & Eligium anno Christi sexcentesimo quadragesimo Episcopos ordinaros assererent, tertius jam impulerat Tomus, posteà nostris ultrò se partibus plures adjunxerunt, atque in horum numero suspicitur qui plurimorum instar esse debet Godefridus Henschenius. Nobiscum tamen haud consentit de die, quo consecrati sunt Audoenus & Eligius Episcopi, quia diem Maii decimum-quartum, quo Rotomagum pervenerunt, à die consecrationis separandum negat. Rejectâ igitur, quam attulimus, Audoenani textûs explicatione, duas proponit [b] hîc examinandas.

XCI. Primam sumit à distinctione quam constituit inter Dominicam Rogationum seu Litaniarum & Dominicam ante Rogationes seu Litanias. Dominicam Rogationum agnoscit eandem esse cum Dominica quinta post Pascha, Dominicam autem ante Rogationes interpretatur Dominicam quartam post Pascha; & quia dies decima-quarta Maii anno Christi sexcentesimo quadragesimo cum Dominica quarta post Pascha comparabatur, ordinationem prædictorum Episcoporum contendit peractam esse *quartodecimo die mensis tertii, tertio anno Cledovei, juvenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias.* Utque distinctionem superiùs allatam validius confirmet, duas similitudines, unam à Dedicationibus Ecclesiarum, alteram à nundinis sic affert. *Videtur in more fuisse, ut jam dicta Rogationum Solennitas inchoanda Dominicâ quintâ post Pascha annuntiaretur populo Dominicâ præcedenti, id est, quartâ, quæ propterea fuerit Dominica ante Rogationes seu Litanias nuncupata, & à qua indictione, quia animi populorum ad eas ritè celebrandas præparabantur, censebantur Rogationes seu Litaniæ inchoari, eo planè modo, quo etiamnum Dedicationes Ecclesiarum, quæ potissimùm in Dominicis celebrantur, à Dominica præcedenti solent indicari, quando etiam vexilla cum assutis tintinnabulis è summitate turrium exponuntur, & ab omnibus circumquaque dicitur ibidem Dedicatio Ecclesiæ celebrari, licèt Solennitas ipsa post octiduum inchoetur. Simili etiam modo pro nundinis annuis, integro ante earum initium octiduo, publicatur libertas fori, cum immunitate debitoribus concessa.*

XCII. Nullo fundamento nititur distinctio, quam Henschenius collocat inter Dominicam Litaniarum & Dominicam ante Litanias. Celebrabantur Litaniæ triduo, seu feriis, secundâ, tertiâ, & quartâ, quæ Festum Ascensionis Dominicæ præcedebant. Audi Canonem tricesimum-secundum Synodi Aurelianensis primæ. *Rogationes, id est, Litanias, ante Ascensionem Domini, ab omnibus Ecclesiis placuit celebrari, ita ut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ Ascensionis festivitate solvatur. Per quod triduum servi & ancillæ ab omni opere relaxentur, quò magis plebs universa conveniat. Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utantur.* Ergo Dominicam quintam post Pascha, quæ triduum illud seu Litanias antecedebat, Dominicam ante Litanias ab Audoeno vocatam arbitrare, nec hanc Dominicam ante Litanias à Dominica Litaniarum distingue, par enim est ratio, ut propter dies Rogationum, quæ ante Ascensionem Domini fiunt, Dominicam quintam post Pascha Dominicam Rogationum appelles aut Dominicam ante Rogationes. Observat Henschenius Dominicam quintam post Pascha, in qua Evangelium cum reliqua Missa Rogationem satis indicat, Dominicam quoque Rogationum nuncupari, ipsâque Dominicâ in Diœcesi Rotomagensi solennitatem Rogationum inchoari scribit ex Rigordo, ex Roberto Antissiodorensi, & ex Martyrologis, dum *Sanctus Guillelmus apud Pontisaram * die* x *Maii* dicitur *subitò defunctus, cum populo Litanias ante Ascensionem Domini peragens, anno* MCXCII, quo Pascha fuit celebratum die quinto Aprilis, & Festum Ascensionis decimo-quarto Maii, & Dominica præcedens dicto decimo Maii, ad quem hæc latiùs ex-

[a] Ad an. 735. n. 22.
[b] Cap. 2.
* Pontoyse.

positurum se per antecessum pollicetur. At id unum colligitur ex hac observatione, quòd Dominica quinta post Pascha, quæ Dominica diceba- tur ante Rogationes, dicta quoque fuit Dominica Rogationum, aliâque opus est probatione, ut quis persuadeat Dominicam quartam post Pascha Dominicam ante Rogationes vocatam fuisse. AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10. XCIII.

Alteram Audoenani textûs explicationem deducit Henschenius ex dubietate Paschæ, quæ nonnumquam orta est, ut Tomo secundo non semel ex scriptis Gregorii Turonensis ostendimus. *Methodus*, inquit, *omnia conciliandi foret, si dicto anno* DCXL *apud Turonenses, Rotomagenses, & vicinos Nenstriæ populos diceretur Solennitas Paschalis celebrata fuisse octiduo citiùs, quàm Romani & alii Galli circa Lugdunum potissimùm eam observarint, eo scilicet modo, quo factum fuisse constat anno* DLXXVII, *quando Romani cum aliis Orientalibus Pascha celebrarunt die* XXV *Aprilis; in Galliis verò Turonenses cum multis civitatibus sanctum Pascha celebrasse* XIV *Kalendas Maias, id est,* XVIII *Aprilis, & octiduo citiùs, testatur Gregorius tunc Episcopus Turonensis, lib. 5. Historiæ Francorum, cap. 17. Eodem modo, quia anno* DCXL *Romani cum variis populis, etiam Lugdunensibus in Gallia, celebrarunt sanctum Pascha* XVI *Aprilis, si Turonenses cum Rotomagensibus dicantur celebrasse octiduo citiùs, die* IX *Aprilis, tunc Acta SS. Eligii & Audoeni cum antiquis Martyrologiorum tabulis manerent inconvulsa, & forent dicti Episcopi consecrati anno tertio Regni Chlodovei, die* XIV *Maii, & Dominicâ Rogationum.*

Nec huic explicationi quidquam favet, repugnat enim & perperam allegatur Gregorius Turonensis. Duplex ab hoc Auctore memoratur dubietas Paschæ; una ad annum Childeberti Regis secundum, Christi quingentesimum septuagesimum-septimum; altera ad annum ejusdem Childeberti Regis decimum-quintum, Christi quingentesimum nonagesimum; prior discordiam unius mensis seu quatuor hebdomadarum, posterior unius duntaxat hebdomadæ discrepantiam induxit. Utriusque discriminis exemplum Tomo primo [a] ex Chronico Prosperi protulimus, locum illum adi. Nihil ad Henschenii causam facit qui citatur Gregorii textus ex capite decimo-septimo libri quinti, quia non unius hebdomadæ sed mensis seu quatuor hebdomadarum dissidium exhibet, sic enim legitur. *Eo anno dubietas Pascha fuit. In Galliis verò nos cum multis civitatibus,* XIV *Calendas Maias sanctum Pascha celebravimus. Alii verò cum Hispanis,* XII *Calendas Aprilis solemnitatem hanc tenuerunt.* Id est, Turonenses cum multis civitatibus Pascha celebrarunt decimo-octavo Aprilis, alii vicesimo-primo Martii. Procul à mente Gregorii recessit Henschenius, cùm Pascha Turonis quidem decimo-octavo Aprilis, alibi verò Dominicâ sequenti seu die vicesimo-quinto Aprilis celebratum dixit. Apud Gregorium Turonensem, libro decimo, capite vicesimo-tertio, proponitur alia dubietas Paschæ, quæ discrimen unius tantùm hebdomadæ sic involuit. *Dubietas Paschæ fuit ob hoc, quòd in cyclo Victor Lunâ* XV *Pascha scripsit fieri. Sed, ne Christiani ut Judæi sub hac Luna celebrarent, addidit, Latini autem Lunâ* XXII. *Ob hoc multi in Galliis* XV *Luna celebrarunt. Nos autem* XXII. Lege Tomo secundo quæ dicta sunt ad annum Christi quingentesimum nonagesimum [b], quo dubietas illa exorta est. Deinde observa Henschenio Gregorium in textibus suprà citatis nullomodo favere, nam sive mensis sive Hebdomadæ discordiam pariat dubietas Paschæ, Turonenses cum suis asseclis Pascha seriùs quàm ceteri, numquam citiùs celebrant. Anno Christi quingentesimo septuagesimo-septimo Turonenses Pascha celebrant XIV *Calendas Maias, alii* XII *Calendas Aprilis.* Anno Christi quingentesimo nonagesimo Turonenses Pascha celebrant *Lunâ* XXII, alii XV *Lunâ.* Quærit autem Henschenius exemplum planè contrarium, ut more majorum à Turonensibus vicinisque Rotomagensibus Pascha citiùs quàm à ceteris anno Christi sexcentesimo quadragesimo celebratum insinuet. Dubietas Paschæ, quæ XCIV.

[a] Ad an. 579. n. 15.

[b] Num. 12.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

circa discrepantiam unius hebdomadæ versatur, duabus nasci potuit ex causis, quarum neutra Henschenianam opinionem ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum fovet. Diu agitata fuit hæc quæstio, utrùm in plenilunio, id est, Lunâ decimâ-quintâ Paschalis Solemnitas à Christianis ritè celebrari posset. Nec etiam defuerunt, qui patrum nostrorum memoria Kalendarium Gregorianum improbarent, eò quòd Lunâ decimâ-quintâ, si ea in diem Dominicum inciderit, Pascha celebrandum doceat. Adversùs hujuscemodi homines egregiè disputat Christophorus Clavius in apologia Kalendarii Romani, capitibus primo & tertio libri primi, necnon & sexto libri secundi. Talis anno Christi quingentesimo nonagesimo fuit dubietas Paschæ; Dominicam Resurrectionem illo anno Turonenses postridie Kalendas Aprilis celebrarunt Lunâ vicesimâ-secundâ, multi septimo easdem Kalendas Lunâ decimâ-quintâ. Sed hujuscemodi discrepantia non incidit in annum Christi sexcentesimum quadragesimum, quo consecrati sunt Episcopi Audoenus & Eligius, illo enim anno Pascha celebratum est die decimo-sexto Aprilis Lunâ decimâ-septimâ. Certè Clavius, in explicatione [a] Romani Calendarii à Gregorio Papa decimo-tertio restituti, tabulam exhibet annorum centum septuaginta-quinque, quibus Pascha post primam Synodum Nicænam ad annum usque Christi millesimum quingentesimum octogesimum Lunâ decimâ-quintâ celebratum est; at nullam facit mentionem anni post Christum natum sexcentesimi quadragesimi, transítque ab anno Christi sexcentesimo tricesimo-octavo ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-octavum, quia Pascha nullo intermediorum annorum celebratum est Lunâ decimâ-quintâ. Notat Henschenius *ab Ægidio Bucherio sub finem capitis* x *in suis Commentariis ad Victorii Canonem paschalem observari, quòd aliqua Galliæ pars non ante tempora Pippini Regis aut Caroli Magni in Alexandrinorum placita concesserit.* Hæc adnotatio in memoriam revocat alteram causam, quæ dubietatem Paschæ diffidiúmque unius hebdomadæ nonnumquam attulit. Latini, ut Tomo primo ad annum Christi quingentesimum undequadragesimum [b] diximus, ab Alexandrinis biduo in constituendo novilunio discrepabant. Hinc orta est contentio anno Christi quadringentesimo quinquagesimo-quinto. Latini Pascha celebrandum aiebant die decimâ septimâ Aprilis Lunâ suâ decimâ-sextâ, Alexandrini die vicesimâ-quartâ Aprilis Lunâ suâ vicesimâ-primâ. Tota ratio dissensionis hæc erat. Die Aprilis decimâ-septimâ, Latinis Luna erat decima-sexta, quâ Pascha celebrari nihil vetabat, eâdem autem die ob prædictum bidui discrimen Alexandrinis Luna erat decima-quarta, cúmque prohibitum esset Pascha celebrare Lunâ decimâ-quartâ, cogebantur Alexandrini rejicere Paschalem Solemnitatem in proximam diem Dominicam, sive in diem vicesimam-quartam Aprilis, atque in Lunam suam vicesimam-primam. Nullus autem ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum prætextus occurrit talis discordiæ, quia illo anno Pascha celebratum est die decimo-sexto Aprilis Lunâ decimâ-septimâ, nec illud Lunâ suâ decimâ-quintâ celebrare recusabant Alexandrini. Sed ponamus in Gallia repertos tunc esse, qui morem Alexandrinorum in constituendo quidem novilunio sequerentur, at Paschalem Solemnitatem Lunâ suâ decimâ-quintâ celebrare nollent, illi in tali casu, cujus nullum in Gallicis monumentis vestigium superest, Pascha rejecissent in Lunam suam vicesimam-secundam sive in diem vicesimam-tertiam Aprilis, nec illud celebrassent die nono Aprilis Lunâ suâ octavâ, ut oportet ab eis esse factum, si quod Henschenius actum vellet, Dominicam Rogationum seu Dominicam quintam post Pascha celebrarunt die decimo-quarto Maii.

[a] Cap. 1.

[b] Num. 15.

XCV. Henschenius eruditorum virorum *ulteriori discussioni* relinquit, utram prædictarum rationum, quas allegavit, probent ad retinendum in Audoenano textu

textu diem decimum-quartum Maii. Nos similiter eorum judicio, quicquid præmisimus, offerimus examinandum cum ceteris quæ sequuntur. AN. CH. 798.

Dagoberto Primo Regi duo fuerunt filii, Sigibertus Tertius & Clodoveus Secundus. Apud Henschenium Sigibertus anno Christi sexcentesimo tricesimo-secundo Rex in Austrasia constituitur, obitque anno Christi sexcentesimo duodesexagesimo; Clodoveus verò patri succedit in Neustriam & Burgundiam anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo, vitámque claudit anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-sexto, id est, biennio ante Sigiberti mortem. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

XCVI. Tertium Annalium nostrorum Tomum auspicati sumus à Sigiberto Rege, sive ab anno Christi sexcentesimo tricesimo-tertio, quo Dagobertus, cùm annum in Austrasiano Regno duodecimum ageret, Sigibertum filium in Austrasia Regem constituit. Cur initium Regni Sigibertini rejiciamus in annum Christi sexcentesimum tricesimum-tertium, exposuimus sub finem Tomi secundi [a], sublato, quod in Fredegarii textum irrepsit, mendo. Clodoveus Sigiberto fratri superstes vixit, ejectóque Childeberto, qui post Sigiberti mortem Austrasiam occuparat, in eadem regnavit Austrasia. Lege Tomo tertio, quæ dicta sunt ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-quartum, quo Sigiberti mortem consignavimus, & ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-quintum, quo Clodoveum asseruimus ex hac vita sublatum, cùm annos septemdecim completos aut octodecim incompletos regnasset, eâque ratione duas opiniones, quæ pugnare videbantur, amicè conciliatum iri putavimus. Abhinc Henschenius annuo dissidio in Neustrasianis rebus à nobis dissidet. XCVII.

[a] Ad an. 632. n. 1.

XCVIII. Clodoveo Secundo tres fuerunt filii, Clotarius Tertius, Childericus Secundus, & Theodoricus Tertius. Apud Henschenium Clotarius post Clodoveum patrem annos regnat quatuordecim ab anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-sexto ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum. Nos annos quatuordecim Clotariani Regni numeramus ab anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-nonum, sicque annuum dissidium, quod in obitu Clodovei Secundi cœpit, post mortem quoque Clotarii Tertii perseverat.

XCIX. Childericus Secundus apud Henschenium Rex in Austrasia constituitur anno Christi circiter sexcentesimo quinquagesimo-nono, in Neustria & Burgundia regnat ab anno Christi sexcentesimo septuagesimo-primo, vitámque amittit anno Christi sexcentesimo septuagesimo-quinto. Nos Childericum Austrasiæ præficimus anno post Sigiberti Regis obitum septimo jam inchoato, id est, anno Christi sexcentesimo sexagesimo, eundémque Childericum vivis ereptum asserimus anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio, cùm annos quatuordecim regnasset incompletos. Chronologiam nostram suis confirmavimus locis. Abhinc autem, quod annuum erat anteà dissidium, cœpit esse bienne.

C. Theodoricus Tertius apud Henschenium Monasterio includitur anno Christi sexcentesimo septuagesimo-primo, post fratrem Childericum regnat anno Christi sexcentesimo septuagesimo-quinto, fit Monarcha post mortem Dagoberti Secundi fratris sui patruelis anno Christi sexcentesimo octogesimo, desinítque esse in vivis anno Christi sexcentesimo nonagesimo-tertio, sive, ut ipsius Henschenii [b] verbis utamur, obit *sub finem anni* DCXCII *aut initium sequentis.* De annis Theodorici Tertii paulò aliter sentimus. Post Clotarium Tertium, cujus mortem anno uno antevertimus, Theodoricum anno Christi sexcentesimo sexagesimo-nono Regem præficimus, eundémque Monasterio post aliquot menses includimus currente tunc anno Christi sexcentesimo septuagesimo, deinde Childerico Secundo, cujus luctuosam necem anno Christi sexcentesimo septuagesimo-

[b] Cap. 4.

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

tertio consignamus, proximè sufficimus cum Dagoberto Secundo fratre patrueli, mortuóque eodem Dagoberto Monarcham statuimus ab anno Christi sexcentesimo octogesimo, ad annum usque sexcentesimum nonagesimum-secundum quo vitam claudit.

Dagobertus Secundus apud Henschenium post Sigiberti patris obitum in Hiberniam ablegatur anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-octavo, redit in Austrasiam anno Christi sexcentesimo sexagesimo-primo, regnátque in provinciis adrhenanis, deinde anno Christi sexcentesimo septuagesimo-quinto post Childerici Secundi mortem universâ potitur Austrasiâ

CI. ad annum usque Christi sexcentesimum octogesimum, quo vitâ simul ac Regno privatur, atque *verosimiliter* is est *qui ut Martyr colitur Sathanaci.* Nos ut Sigibertum Regem mortuum sic & Dagobertum ejus filium in Hiberniam deportatum arbitramur anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto, eundèmque Dagobertum nec in Austrasiam reversum ante mortem Childerici Secundi Regis, id est, ante annum Christi sexcentesimum septuagesimum-tertium, nec alio putamus interemptum anno quàm sexcentesimo octogesimo, utrùm Satbanaci colatur, dicemus infrà.

CII. De filiis Childerici Secundi, Theoderici Tertii, & Dagoberti Secundi, cum Henschenio non convenimus. Hic Auctor Childerico secundo duos tribuit filios, Dagobertum Rotomagi sepultum ab Audoeno Metropolita Rotomagensi, & Chilpericum Tertium Regem; duos quoque Theodorico Tertio, nempe Clodoveum Tertium & Childebertum Tertium; tres autem Dagoberto Secundo, Sigebertum Quartum cum patre vel paulò pòst mortuum, Clotarium Quartum, & Theodoricum Quartum. De singulis hic distinctiùs agendum.

CIII. In Actis Sancti Audoeni dicitur sepultus Rotomagi *Dagobertus filius Sigeberti Regis, quem totondit Grimoaldus.* Si credimus Henschenio [a], *Sigeberti Regis* loco reponendum est nomen *Childerici Regis*, ut Dagobertus qui tumulatus Rotomagi jacet, filius Childerici Secundi Regis habeatur. At Dagobertus, *quem totondit Grimoaldus*, non Childerici Secundi sed Sigiberti Tertii filius fuit, & in civitate Rotomagensi sepulturam accepit anno Christi sexcentesimo octogesimo, Metropolitanam Rotomagi Sedem Audoeno tunc obtinente.

[a] Cap. 3.

CIV. Vetus Anonymus, qui Sancti Leodegatii Augustodunensis Episcopi vitam Ermenario ipsius Leodegatii proximo successori inscripsit, mortem Childerici Secundi sic perstrinxit. *Ejus dissoluta conversatio omnibus meruerat Optimatibus Palatinis. Tunc unus ex eis hoc molestiùs ferens præ ceteris, dum venationem in sylva securus exerceret, eam vulnere mortis percussit.* Fusiùs tem eandem sic prosecutus [b] est is, qui gesta Regum Francorum in literas retulit. *Ipse Childericus levis nimis omnia incautè peragebat, donec inter eos odium maximum & scandalum crevit, Francos valdè opprimens. E quibus unum Francum, nomine Bodolenum ad stipitem tensum cædi valdè sine lege præcepit. Hæc videntes Franci, in ira magna commoti, Ingobertus videlicet & Amalbertus, & reliqui Majores natu Francorum seditionem contra ipsum Childericum concitantes, Bodolenus super eum cum reliquis surrexit insidiatoribus, Regem interfecit, unà cum Regina ejus prægnante, quod dici dolor est.* Et Fredegarii Continuator [c]. *Erat ipse Childericus Rex levis atque citatus nimis, gentem Francorum in seditionem mittens, & in scandalum ac derisum, donec odium non modicum inter ipsos crevit absque ad scandalum & ruinam. Quo ingravescente, unum Francum nobilem, nomine Bodilonem, ad stipem tentum cædere contra legem præcepit. Videntes hoc Franci, irâ magnâ commoti, Ingobertus videlicet & Amalbertus, vel reliqui Majores natu Francorum, seditionem contra ipsum Childericum concitaverunt. Memoratus Bodilo super eum cum reliquis quamplurimis surrexit insidiatoris, & Regem in Lauchonia sylva unà cum Regina prægnante, nomine Bilibilde (quod dici dolor est) interfecit.* Lauchonia sylva Calæ villæ Regiæ proxima

[b] Cap. 45.

[c] Cap. 95.

fuit. Ex illo loco Regia corpora in Basilicam Sancti Vincentii prope Lutetiam delata sunt ut sepulturæ mandarentur, atque in eadem Ecclesia, quæ beati Germani nomen hodie gerit, post annos nongentos septuagintatres ætate nostrâ reperta sunt. Rem illam Hadrianus Valesius [a] anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo-septimo literis ita commendavit. *Childerici Bilihildisque tumuli ante annos* XI *reperti sunt, cùm Basilica Sancti Germani repararetur. Jacebant in sepulchris corpora Regis ac Reginæ vestibus etiam tum incorruptis tecta. Infantulus clausus erat arculâ Reginæ matris suæ sepulchro impositâ.* Hunc infantulum anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo-octavo, cùm tertium nostrorum Annalium Tomum ederemus, qui Gesta Childerici complectebatur, interpretati sumus prolem, quam Bilihildis in utero prægnans gerebat. Anno Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo-secundo prodiit in lucem cum tertio Seculo Benedictino, vita Sancti Lantberti Monachi primùm atque Abbatis Fontanellensis deinde Lugdunensis Episcopi Metropolitani, sed extremâ parte mutila nec ultra Childerici Secundi Regis mortem perducta. Nuperrimè ad diem Aprilis decimam-quartam recusa fuit ab Henschenio, sed eodem prorsus modo nec uno apice auctior, addita enim tantùm Analecta ex Actis Sanctorum, Ansberti, Hermelandi, Eremberti, & Condedi. Fragmenti, quod superest, in Childerici necem postrema sic excurrit periodus. *Antefatus Rex Hildericus insidiis satellitum suorum, Amalberti videlicet & Ingolberti, simúlque Bodilonis, necnon & Lupi, aliorúmque, unà cum conjuge sua vocabulo Bilhilde, filióque nomine Dagoberto, vitâ & Regno privatus est.* Hic nos textus adigit, ut opinionem mutemus, & infantulum, qui eodem cum Bilibilde Regina tumulo sepultus jacet, Dagobertum Childerici filium interpretemur anteà penitus ignotum. Duos igitur Childerico filios pepetit Bilihildis Regina; Dagobertum qui cæsus est cum utroque parente, & Chilpericum qui post Dagobertum Tertium regnavit. Auctor proximè citatus, Mabillono videtur Chronographus Fontanellensis qui sub Ludovico Pio floruit, Henschenio Aigradus Monachus Fontanellensis qui longè vetustior ipso Chronographo fuit, vitam enim Sancti Ansberti Rotomagensis Metropolitæ dicavit Hilterto Abbati Fontanellensi, cujus obitus cum anno Christi septingentesimo coincidit. Quisquis ille sit, nostram Chronologiam multùm corroborat, meminit enim Regiæ largitionis editæ *undecimo anno præfati* Childerici *Regis in Austria, qui fuerat primus in Neustria*, id est, anno Christi sexcentesimo septuagesimo, quem Childerici Regis undecimum in Austria, primum in Neustria consignavimus, nec à nostro computo recedit idem Auctor, cùm annum illum nominat quintum, *ex quo* Lantbertus Abbas *regiminis locum sortiebatur post decessum felicissimum magni Patris Christique clarissimi Sacerdotis Wandregisili*, priùs enim ejusdem Wandregisili decessum *anno Incarnationis Dominicæ* DCLXV collocavit. Eundem Wandregisili decessum in annum Christi sexcentesimum sexagesimum-septimum rejecimus, ab interpolatoribus enim, cùm annos Incarnationis Dominicæ connotare vellent, quamplures scriptis Aigradi Chronicóque Fontanellensi nævos intrusos esse semper arbitrati sumus. Totum errorem non malè suspicatur Henschenius ex eo potissimùm fluxisse, quòd annum tertium Clodovei Secundi Regis illigaverint anno Christi sexcentesimo tricesimo-quinto, illóque anno Sanctos Audoenum & Eligium consecratos putarint Episcopos, quia Pascha cecidit in diem nonam Aprilis, & dies decima quarta Maii Dominica fuit ante Litanias.

AN. CH. 798.
CAROLI R. 30.
PIPPINI LUDOV. RR. 18.
CAROLI R. 10.

[a] Lib. 21.

C V. Filius, qui Childerico patri superstes vixit, Chilperici nomen gessit, Regnúmque Francorum post Dagobertum Tertium tenuit annis quinque & ampliùs, ab anno Christi septingentesimo decimo-quinto quo Dagobertus Tertius obiit, ad annum usque Christi septingentesimum vicesimum, si principium anni sumis à Paschate, vel ad annum usque Christi septingentesi-

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

mum vicesimum - primum, si principium anni ducis à Kalendis Januariis aut à Natalitiis Domini.

CVI. Theodorico Tertio duos Henschenius filios tribuit, Clodoveum Tertium & Childebertum Tertium, quibus adjungimus Clotarium Quartum.

CVII. Interierunt anno Christi septingentesimo undecimo Childebertus Tertius & anno Christi septingentesimo decimo - quinto Dagobertus Tertius ejusdem Childeberti filius. Neutrum Henschenius in dubium vocat. De annis verò, quibus Clodoveus Tertius & Childebertus Tertius regnarunt, nobiscum non convenit. Imprimis, quia in Stemmate Genealogico Theodoricum Tertium, prædictorum Clodovei & Childeberti patrem, ex hac vita sublatum ponit *an. 693*, licèt dubius hæreat in ipsius operis contextu, utrùm obierit *sub finem anni* DCXCII, an *sub initium sequentis*. Deinde, quia Scriptores antiqui duas in classes dividuntur, & Clodoveum Tertium alii, quibus adhæremus, asserunt biennio regnasse, quadriennio alii, quos mavult sequi, addito quoque ex Codice Tiliano, quòd *obiit in* anno *quinto*, ideóque capite quarto mortuum affirmat *anno Christi* DCXCVII, imò 698 in Stemmate Genealogico, ut Childeberti Tertii mortem anno pòst decimo-tertio consignet. Nos Clodovei Tertii Regnum biennio circumscriptum terminamus ad annum Christi sexcentesimum nonagesimum-quartum, atque inde Childebertum Tertium per annos septemdecim regnantem ad annum usque Christi septingentesimum undecimum laudamus freti scriptis complurium Auctorum, quorum Indicem in ejusdem Childeberti Regis obitu Tomo quarto [a] reperies.

[a] Ad an. 711. n. 3.

CVIII. Quod attinet ad Clotarium Quartum, qui Rex constitutus est *anno 718* & *ad breve tempus* regnavit, seu vitam eodem clausit anno juxta Chronologiam Henschenianam, seu vixit ad annum usque proximum, ut arbitramur; hunc Henschenius Dagoberti Secundi, nos Theodorici Tertii filium agnoscimus. Certè nullam Henschenius auctoritatem affert, quâ suam probet opinionem, útque assertionem nostram in contemptum ac ludibrium vocet, nos *nescio qua posteriorum ignota scripta* secutos ait, nec ad evertendam quamlibet sententiam alio putat opus esse pronunciato. Duos citavimus Codices, Thuanum & Bruxellensem, qui Clotarium Quartum Theodorici filium statuunt; allegavimus & Albericum, qui hunc Clotarium Dagoberti patruum appellat in Chronico; vadem quoque dedimus Petrum *Delalande* in Supplementis antiquorum Conciliorum Galliæ, virum inter eruditos haud mediocris famæ. Quærit Henschenius cur Dagoberto Tertio, seu filium reliquit, seu non reliquit, haud successit Clotarius si patruus ejus fuit, cùrque eidem Clotario prælatus est Chilpericus qui remotior erat à Regia successione? Illis temporibus nonnulla contra morem majorum peracta sunt. Post Childerici Secundi mortem Chilperico ejus filio atque hærede postposito regnavit Theodoricus Tertius, frater ipsius Childerici; Theodorico Tertio successit Clodoveus Tertius, filius ejus natu maximus; Clodoveo Tertio sine prole mortuo successit ejus frater Childebertus Tertius; huic filius Dagobertus Tertius. Anno Christi septingentesimo decimoquinto idem Dagobertus Tertius obiit relicto in cunis filio Theodorico. Proceres, spretâ Theodorici ætate adhuc infantili, Chilpericum, qui privatam vitam à morte Childerici Secundi patris sui duxerat, in solio collocarunt. Post triennium orta est Austrasios inter ac Neustrasios simultas haud levis, Austrasii statim Regem acclamarunt Clotarium Quartum, qui præter prædictum Theodoricum adhuc puerulum solus supererat è stirpe Theodorici Tertii. Mortuis autem intra brevissimum tempus iisdem Regibus Clotario Quarto & Chilperico Tertio, Theodoricus tum puerulus Dagoberti Tertii filius, Childeberti Tertii nepos, Theodorici Tertii pronepos, cùm solus è Regia familia restaret, Austrasiis Neustrasiisque simul conspirantibus acclamatus est Francorum Monarcha, vixitque ad annum

usque Christi septingentesimum tricesimum-septimum, quo quartum nostrorum Annalium Tomum clausimus.

CIX. Longè aliter Henschenius de parentibus Clotarii Quarti & Theodorici Quarti scribit, nam Dagobertum Secundum, cujus mors cum anno Christi sexcentesimo octogesimo coincidit, vult patrem extitisse trium horumce Regum, Sigiberti Quarti, Clotarii Quarti, & Theodorici Quarti. Super Sigiberto nulla difficultas, hic cæsus occubuit cum patre Dagoberto Secundo. De Clotario disputatum suprà. Theodorico Quarto pater fuit Dagobertus, isque non Secundus qui peremptus est anno Christi sexcentesimo octogesimo, sed Tertius cujus obitus anno Christi septingentesimo decimo-quinto consignatur. Ad postremum hunc annum Tomo Quarto diluimus argumenta, quibus usus est Henschenius in Exegesi de Genealogia Regum Dagobertinorum, quam Tomo tertio mensis Martii præfixit, ut ostenderet nullam Dagoberto Tertio prolem fuisse. Deinde ad annum Redemptoris septingentesimum vicesimum-primum allato Diplomate Bertiniano genus Theodorici Quarti non à Sigiberto Tertio sed à Clodoveo Secundo deducendum ostendimus per Theodoricum Tertium & Childebertum Tertium. Denique in fine ejusdem Tomi quarti, diximus Theodoricum Quartum anno Christi septingentesimo tricesimo-septimo decessisse, relicto in tenerrima ætate Childerico filio, de quo polliciti sumus nos acturos Tomo quinto. Promissis non defuimus, & ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quartum [a], quo Childericus in Sitivensi Monasterio vitam clausit, refutavimus Interpolatorem Chronici Fontanellensis, quem Henschenius in Exegesi ad mensem Martium allegarat, ut eundem Childericum Theodorici cujusdam Monachi Fontanellensis patrem probaret, negarétque Childericum in ætate tenerrima fuisse cùm patrem Theodoricum Quartum amisit, ipsúmque Theodoricum Quartum, cujus nepos Theodoricus cum Childerico Rege confusus esset, inficiaretur patre natum Dagoberto Tertio. Queritur Henschenius in Exegesi ad mensem Aprilem [b], quòd quintum nostrorum Annalium Tomum, licèt emptum, propter suborta bella nondum obtinere potuerit. Tantæ dilationis causam miramur intercessisse, bienninm enim jam effluxit, ex quo quintus ille Tomus in lucem prodiit, mensis autem Aprilis ejusdem Henschenii, statim ac venundari cœpit, Antuerpiâ Parisios ad nos perlatus est, nec difficilius aut longius occurrit iter ut Parisiis Antuerpiam nostri perferantur Annales. Quæ Tomo quinto de Childerici Tertii Regis ætate protulimus adversùs Exegesin, quam Henschenius mensi Martio præmiserat, neutiquam hic repetemus. Illa semel evulgasse sufficiat. In posteriore Exegesi, quam Henschenius Aprili præfixit, haud validiores proponuntur objectiones, nam qui citatur Mabillonus, solo Chronici Fontanellensis Interpolatore nititur in vita Venerabilis Austrulfi Fontanellensis Abbatis, & in observationibus præviis vitæ Sancti Lamberti Trajectensis Episcopi, nec gravis accedit auctoritas Iperio, qui multis seculis remotus ab ætate Childerici vixit, & Sitivensis Abbas non est factus ante annum Christi millesimum trecentesimum sexagesimum-quintum.

[a] Nu. 39. & seqq.

[b] Cap. 4.

CX. Quæ proferuntur ab Henschenio de Serenissimo Cæsare Leopoldo déque Catholico Hispaniarum Rege Carolo Secundo, quorum uterque patri suo successit, multis fratribus, qui natu majores erant, priùs extinctis, quódque pariter adnotatur de Christianissimo Ludovico Decimo-quarto Francorum ac Navarræ Rege, qui natus est ex conjugio per annos viginti & ampliùs anteà sterili, videntur extra rem observari, quia tales eventus nobis in animum non inducunt, ut anno post initum matrimonium proximo natum negemus Theodorico Tertio filium, qui posteà suo patri successerit. Exempla Henschenianis valdè contraria, nostræque sententiæ consentanea non longè petemus. Anno Christi millesimo sexcentesimo

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

Henricus Quartus Francorum Navarræque Rex Christianissimus uxorem duxit Celsissimam Mariam Mediceam Francisci Magni quondam Hetruriæ Ducis filiam, & anno sequenti natus est ex eorum conjugio qui post patrem felicissimè regnavit suásque ditiones plurimùm dilatavit Ludovicus Decimus-tertius Francorum ac Navarræ Rex cognomento Justus. Anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo Ludovicus Decimus-quartus Francorum & Navarræ Rex Christianissimus uxorem sibi Serenissimam adscivit Theresiam, Philippi Quarti Regis Catholici prolem unicam ex priore conjugio superstitem, natúsque est illis anno proximo Proto-Nobilissimus Delphinus, qui pueritiam nondum egressus anno prætèrito cùm in exercitu patris apud Sequanos esset, expectationem non minorem de se concitavit, quàm olim Carolus Magnus cùm per eandem ætatem Pippinum patrem in castris sequeretur.

CXI. Seculo tertio Benedictino publicata est Sancti Wilfridi Eboracensis Episcopi duplex vita; una metricè Auctore Fridegodo, qui scripsit ante medium seculum decimum; altera Auctore Eadmero, qui calamo manum admovit anno Christi MCXXI; utrobique, quod priùs ignorabatur, expressum habetur genus mortis, quo Dagobertus Secundus extinctus est.

CXII. Fridegodus Wilfridum, cùm Romà in Britanniam per Austrasiam rediret, in maximo positum discrimine, & ab iis, qui Dagobertum Regem super interemerant, conviciis appetitum sic refert.

Nam properans patuli dum verreret æquora campi,
Conglomerata suis fuerunt collegia signis
Noxia, Regali, ceu fertur, sanguine fuso.
Civiles etenim Dagobertus Marchio dextras
Senserat, & rigidum capulo tenus inguine ferrum.
Prælia vibratis intentant comminus hastis.
Arduus excusso quorum convicia telo
Unus Pontifici fœdo sic ingerit ore.
Delator patriæ petulans, moribunde viator,
Gallica tu pridem violasti sceptra, relato,
Qui periit casus, quem jure sequere, tyranno.

CXIII. Eadmerus, ut factâ collatione Lector facilè judicabit, à Fridegodo suam mutuatus est narrationem. *Ecce*, inquit, *extrà quàm putabatur, latronum manus ad interficiendum parata, viro Domini haud gratâ processione occurrit. Erant etenim qui Regi Dagoberto insidias tetenderant, eúmque gladio in inguine merso necaverant. Hi ergo viro Dei occurrentes, animíque furorem vultûs sui ferocitate pandentes, prælia vibratis intentant comminus hastis, quorum unus, qui quasi loco principis inter eos habebatur, excusso quod manu tenuerat telo, militi Christi fœdo ore conviciabatur. Delator, inquiens, patriæ petulans, & moribunde viator, tu quidem jampridem Gallica sceptra violasti, tu Gallica rura pessumdedisti, tu Gallicam libertatem in servitutem redegisti, cùm tyrannum à nobis jam exsiliatum tuâ instantiâ in Regnum constituisti. At ipsius quidem crudelitas justissimâ morte punita, te quoque utpote maximum suæ mortis auctorem, te, inquam, eâdem morte puniendum esse declamat. Procumbe igitur pestifer, procumbe, & dignâ ultione multatus, eidem quam contra nos fovisti morti succumbe.*

CXIV. Nobis apud Fridegodum non placent hæ voces, *ceu fertur*, nonnullam enim dubitationem adhuc ingerunt, quam utinam brevi tollat editio Heddii, qui Sancto Wilfrido synchronos vixit, cjúsque vitam literis commendavit. Dagobertus autem sive ab Austrasiis in domestico tumultu, sive à Neustrasiis in prælio contra Theodoricum Tertium cæsus interiit, Rotomagi sepultus fuit à Sancto Audoeno, longéque diversus est à Sancto Dagoberto Martyre Satanacensi Patrono, quem Regiâ dignitate, dum viveret, decoratum meritò negabis, ut prævalidis argumentis ad annum Christi DCCXV Tomo IV probavimus.

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

ANNUS

CHRISTI		799.
CAROLI SEN.	R.	31. 28. 26.
PIPPINI II.	R.	19.
LUDOVICI	R.	19.
CAROLI JUN.	R.	11.

I. APUD CENTULAM DEDICANTUR ECCLESIÆ PRINCIPALES,

KALENDAS Januarii, quæ principium anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono fecerunt, Centulensis Monasterii Dedicatione celeberrimas arbitramur. Paulus Petavius in Syntagmate de Nithardo, quod ipsius Nithardi libris præfixum legitur, scribit hanc Dedicationem factam esse *paulo ante adeptum à Carolo Magno Imperium*, additque ex vetere libro Solemnitatem ejusdem Dedicationis *apud Centulam Kal. Januariis* fieri. Notantur eædem Kalendæ in Chronico Centulensi, cujus textum mox recitaturi sumus. In Centulensi Monasterio tres erant Ecclesiæ, una Sancti Salvatoris, altera Beatissimæ Virginis, tertia Sancti Benedicti. Ut Ecclesiæ Beatissimæ Virginis dedicandæ dies electus anno priori fuerat sextus ante Idus Septembres, qui sacer erat ejusdem Virginis Nativitati, sic & Kalendæ Januarii, quæ nostri Redemptoris Circumcisioni & Augustissimo Nomini Jesu seu Salvatoris sacræ sunt, Ecclesiæ Sancti Salvatoris Dedicationi fuerunt hoc anno destinatæ. Serius autem hæc Dedicatio differri nequit, quia præsens interfuit Georgius Ambianensis Episcopus, cujus successor Jessæus Leonem Papam in Italiam hoc eodem anno redeuntem comitatus est. Ne verò citiùs consignetur, prohibet ætas Bertæ collata cum Angilberti Monachatu & Præfectura Centulensi; nam Berta duos est enixa filios, cùm Angilbertus inter laicos adhuc viveret, idémque Angilbertus post susceptos è Berta duos filios, induit Monachum in Cœnobio Centulensi, priùsque promotus est ad munus Abbatiale quàm Dedicatio Centulensium Ecclesiarum fieret.

S. SALVATORIS,

II. Anno priore, cùm dedicata est Ecclesia Beatæ Virginis, quatuor tantùm vocati sunt Episcopi, Georgius, Absalon, Gerfridus & Pleon. Hoc autem anno, ut Sancti Salvatoris Ecclesiam dedicarent, multò plures accesserunt. Duodecim, è quorum numero sunt & quatuor proximè nominati, sic ab Angilberto recensentur. *Megimhardus Rodomensis Ecclesiæ Sedis venerabilis Archiepiscopus, Georgius, Absalon, Gerfridus, Pleon, Hildiguardus, Theodoinus, Tdelmarus, Benedictus, & Kellanus, præcellentissimi Episcopi; Joannes verò & Passivus Sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ Legati, Præsules nobilissimi.* Iidem Ecclesiam quoque Sancti Benedicti dedicarunt eodem die. De utraque sic idem Angilbertus. In Ecclesia Sancti Salvatoris, *Altare Sancti Salvatoris, in quo posita sunt Reliquiæ ejus, & Sanctorum Innocentium qui pro eo passi sunt; & Altare Sancti Richarii, in quo sunt Reliquiæ Sanctæ Genitricis Mariæ, & ejusdem Sancti Richarii; Altare Sancti Petri, in quo Reliquiæ ejus, & Sancti Pauli, Sanctíque Clementis; Altare Sancti Joannis Baptistæ, in quo Reliquiæ ejus, & Zachariæ patris ejus; Altare Sancti Stephani, in quo Reliquiæ ejus, & Simeonis qui Dominum in ulnas suscepit; Altare Sancti Quintini, in quo Reliquiæ ejus, & Sanctorum Crispini & Crispiniani; Altare Sanctæ Crucis, in quo Reliquiæ ligni ipsius; Altare Sancti Dionysii, in quo Reliquiæ ejus, Rustici & Eleutherii; Altare Sancti Mauricii, in quo Reliquiæ ejus, Exsuperii & Candidi; Altare Sancti*

ET S. BENEDICTI

AN. CH. 798. CAROLI R. 30. PIPPINI LUDOV. RR. 18. CAROLI R. 10.

Henricus Quartus Francorum Navarræque Rex Christianissimus uxorem duxit Celsissimam Mariam Medicæam Francisci Magni quondam Hetruriæ Ducis filiam, & anno sequenti natus est ex eorum conjugio qui post patrem felicissimè regnavit suásque ditiones plurimùm dilatavit Ludovicus Decimus-tertius Francorum ac Navarræ Rex cognomento Justus. Anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo Ludovicus Decimus-quartus Francorum & Navarræ Rex Christianissimus uxorem sibi Serenissimam adscivit Theresiam, Philippi Quarti Regis Catholici prolem unicam ex priore conjugio superstitem, natúsque est illis anno proximo Proto-Nobilissimus Delphinus, qui pueritiam nondum egressus anno præterito cùm in exercitu patris apud Sequanos esset, expectationem non minorem de se concitavit, quàm olim Carolus Magnus cùm per eandem ætatem Pippinum patrem in castris sequeretur.

CXI. Seculo tertio Benedictino publicata est Sancti Wilfridi Eboracensis Episcopi duplex vita; una metricè Auctore Fridegodo, qui scripsit ante medium seculum decimum; altera Auctore Eadmero, qui calamo manum admovit anno Christi MCXXI; utrobique, quod priùs ignorabatur, expressum habetur genus mortis, quo Dagobertus Secundus extinctus est.

CXII. Fridegodus Wilfridum, cùm Româ in Britanniam per Austrasiam rediret, in maximo positum discrimine, & ab iis, qui Dagobertum Regem nuper intoremerant, conviciis appetitum sic refert.

Nam properans patuli dum verreret aquora campi,
Conglomerata suis furunt collegia signis
Noxia, Regali, ceu fertur, sanguine fuso.
Civiles etenim Dagobertus Marchio dextras
Senserat, & rigidum capulo tenus inguine ferrum.
Pralia vibratis intentant comminus hastis.
Arduus excusso quorum convicia telo
Unus Pontifici fædo sic ingerit ore.
Delator patriæ petulans, moribunde viator,
Gallica tu pridem violasti sceptra, relato,
Qui periit casu, quem jure sequere, tyranno.

CXIII. Eadmerus, ut factâ collatione Lector facilè judicabit, à Fridegodo suam mutuatus est narrationem. *Ecce*, inquit, *extrà quàm putabatur, latronum manus ad interficiendum parata, viro Domini haud gratâ processione occurrit. Erant etenim qui Regi Dagoberto insidias tetenderant, eúmque gladio in inguine merso necaverant. Hi ergo viro Dei occurrentes, animíque furorem vultûs sui ferocitate pandentes, prælia vibratis intentant comminus hastis, quorum unus, qui quasi loco principis inter eos habebatur, excusso quod manu tenuerat telo, militi Christi fædo ore conviciabatur. Delator, inquiens, patriæ petulans, & moribunde viator, tu quidem jampridem Gallico sceptra violasti, tu Gallica rura pessumdedisti, tu Gallicam libertatem in servitutem redegisti, cùm tyrannum à nobis jam exsiliatum tuâ instantiâ in Regnum constituisti. At ipsius quidem crudelitas justissimâ morte punita, te quoque utpote maximum suæ mortis auctorem, te, inquam, eâdem morte puniendum esse declamat. Procumbe igitur pestifer, procumbe, & dignâ ultione multatus, eidem quam contra nos fovisti morti succumbe.*

CXIV. Nobis apud Fridegodum non placent hæ voces, *ceu fertur*, nonnullam enim dubitationem adhuc ingerunt, quam utinam brevi tollat editio Heddii, qui Sancto Wilfrido synchronus vixit, ejúsque vitam literis commendavit. Dagobertus autem sive ab Austrasiis in domestico tumultu, sive à Neustrasiis in prælio contra Theodoricum Tertium cæsus interiit, Rotomagi sepultus fuit à Sancto Audoeno, longéque diversus est à Sancto Dagoberto Martyre Satanacensi Patrono, quem Regiâ dignitate, dum viveret, decoratum meritò negabis, ut prævalidis argumentis ad annum Christi DCCXV Tomo IV probavimus.

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

ANNUS		
CHRISTI		799.
CAROLI SEN.	R.	31. 28. 26.
PIPPINI II.	R.	19.
LUDOVICI	R.	19.
CAROLI JUN.	R.	11.

I. KALENDAS Januarii, quæ principium anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono fecerunt, Centulensis Monasterii Dedicatione celeberrimas arbitramur. Paulus Petavius in Syntagmate de Nithardo, quod ipsius Nithardi libris præfixum legitur, scribit hanc Dedicationem factam esse *paulo ante adeptum à Carolo Magno Imperium*, additque ex vetere libro Solemnitatem ejusdem Dedicationis *apud Centulam Kal. Januariis* fieri. Notantur eædem Kalendæ in Chronico Centulensi, cujus textum mox recitaturi sumus. In Centulensi Monasterio tres erant Ecclesiæ, una Sancti Salvatoris, altera Beatissimæ Virginis, tertia Sancti Benedicti. Ut Ecclesiæ Beatissimæ Virginis dedicandæ dies electus anno priori fuerat sextus ante Idus Septembres, qui sacer erat ejusdem Virginis Nativitati, sic & Kalendæ Januarii, quæ nostri Redemptoris Circumcisioni & Augustissimo Nomini Jesu seu Salvatoris sacræ sunt, Ecclesiæ Sancti Salvatoris Dedicationi fuerunt hoc anno destinatæ. Seriùs autem hæc Dedicatio differri nequit, quia præsens interfuit Georgius Ambianensis Episcopus, cujus successor Jesseus Leonem Papam in Italiam hoc eodem anno redeuntem comitatus est. Ne verò citiùs consignetur, prohibet ætas Bertæ collata cum Angilberti Monachatu & Præfectura Centulensi; nam Berta duos est enixa filios, cùm Angilbertus inter laicos adhuc viveret, idémque Angilbertus post susceptos è Berta duos filios, induit Monachum in Cœnobio Centulensi, priúsque promotus est ad munus Abbatiale quàm Dedicatio Centulensium Ecclesiarum fieret.

APUD CENTULAM DEDICANTUR ECCLESIÆ PRINCIPALES,

S. SALVATORIS,

II. Anno priore, cùm dedicata est Ecclesia Beatæ Virginis, quatuor tantùm vocati sunt Episcopi, Georgius, Absalon, Gerfridus & Pleon. Hoc autem anno, ut Sancti Salvatoris Ecclesiam dedicarent, multò plures accesserunt. Duodecim, è quorum numero sunt & quatuor proximè nominati, sic ab Angilberto recensentur. *Megimhardus Rodomensis Ecclesiæ Sedis venerabilis Archiepiscopus, Georgius, Absalon, Gerfridus, Pleon, Hildiguardus, Theodoinus, Ydelmarus, Benedictus, & Kellanus, præcellentissimi Episcopi; Joannes verò & Passivus Sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ Legati, Præsules nobilissimi.* Iidem Ecclesiam quoque Sancti Benedicti dedicarunt eodem die. De utraque sic idem Angilbertus. In Ecclesia Sancti Salvatoris, *Altare Sancti Salvatoris, in quo posita sunt Reliquiæ ejus, & Sanctorum Innocentium qui pro eo passi sunt; & Altare Sancti Richarii, in quo sunt Reliquiæ Sanctæ Genitricis Mariæ, & ejusdem Sancti Richarii; Altare Sancti Petri, in quo Reliquiæ ejus, & Sancti Pauli, Sanctíque Clementis; Altare Sancti Joannis Baptistæ, in quo Reliquiæ ejus, & Zachariæ patris ejus; Altare Sancti Stephani, in quo Reliquiæ ejus, & Simeonis qui Dominum in ulnas suscepit; Altare Sancti Quintini, in quo Reliquiæ ejus, & Sanctorum Crispini & Crispiniani; Altare Sanctæ Crucis, in quo Reliquiæ ligni ipsius; Altare Sancti Dionysii, in quo Reliquiæ ejus, Rustici & Eleutherii; Altare Sancti Mauricii, in quo Reliquiæ ejus, Exsuperii & Candidi; Altare Sancti*

ET S. BENEDICTI

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

Laurentii, in quo Reliquiæ ejus, Sebastiani & Valeriani; & Altare Sancti Martini, in quo Reliquiæ ejus, & Remedii, Vedasti, Medardi, Gualarici, Lupi, Servatii, Germani, atque Eligii. In Ecclesia verò Sancti Benedicti, Altare ipsius, in quo sunt Reliquiæ ejus, & Antonii, & Columbani; Altare Sancti Hieronymi in quo Reliquiæ ejus, Ephrem, & Equitii & Altare Sancti Gregorii, in quo Reliquiæ ejus, Eusebii, & Isidori, ab eisdem jam dictis electissimis viris condignè ac diligentissimè, cum ingenti gaudio sub die Kalend. Januarii fuerunt Domino consecrata.

III. Tres supradictas Ecclesias Angilbertus principales vocat, commendátque longè præ tribus aliis Angelorum Ecclesiis, de quibus infrà. *Quia*, inquit, *omnis plebs fidelium sanctissimam atque inseparabilem Trinitatem confiteri, venerari, & mente colere, firmitérque credere debet, secundùm hujus fidei rationem in Omnipotentis Dei Nomine tres Ecclesias principales cum membris ad se pertinentibus, in hoc sancto loco, Domino cooperante, & prædicto Domino Augusto juvante, fundare studuimus; quarum major & prima est in honore Sancti Salvatoris & Sancti Richarii, alia in honore Sanctæ Dei Genitricis sempérque Virginis Mariæ & Sanctorum Apostolorum, tertia verò in Claustro fratrum in honore Sancti Benedicti Abbatis & reliquorum Sanctorum Regularium Abbatum.* Ad portas Monasterii, Meridianam, Occidentalem ac Septentrionalem, minores erant Ecclesiæ Sanctorum Angelorum, Gabrielis, Michaelis, & Raphaelis; singulæ suum habebant Altare; seriùs nec tanta cum munificentia dedicatæ sunt, ab Hildegualdo Episcopo duæ diversis diebus, à Jessæo Episcopo tertia. Hildegualdus Dedicationi duarum principalium Ecclesiarum, nempe Sancti Salvatoris & Sancti Benedicti, priùs interfuit. Jessæus verò sedere cœpit Dedicatione trium principalium Ecclesiarum, cui decessor Georgius adfuit, jam peractâ.

IV. AB EPISCOPIS XII. In textu suprà citato *Megimhardus* seu Magenardus vel Maginardus aut Mainardus *Rodomensis* seu Rotomagensis *Ecclesiæ Sedis* in provincia Lugdunensi secunda dicitur *Venerabilis Archiepiscopus*. Quarum Sedinm Episcopi fuerint cæteri, qui Centulenses Ecclesias dedicarunt, manet hîc investigandum.

V. Georgius Ambianensis est Episcopus. In Dedicatione trium principalium Ecclesiarum nominatur; Beatæ Mariæ, sexto Idus Septembris, anno priore; Sancti Salvatoris & Sancti Benedicti, Kalendis Januariis, hoc anno. Paulò pòst ubit, eique succedit Jesse seu Jessæus, qui, teste Anastasio, Leonem Papam in Italiam hoc eodem anno redeuntem comitatur, ut dicemus infrà.

VI. Absalonis Episcopi Sedes ignoratur. Eum suspicamur in Secunda provincia Lugdunensi sedisse, quia ceteri fermè omnes Pontificatum vel in hac provincia vel in Belgica Secunda gesserunt. Episcoporum autem Belgicorum integri sunt Indices; mutili verò Catalogi Bajocensiom, Abrincensium, Lexoviensium, & Ebroicensium, in provincia Rotomagensi seu Lugdunensi Secunda.

VII. Gerfridus Episcopus est Laudunensis, cujus successores solis nominibus notos aliâ jam occasione vulgatis è Catalogis recensuimus [a] usque ad Ostroldum, qui Noviomensem Synodum anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto cum aliis Episcopis teste Flodoardo [b] celebravit. Indices autem Laudunensium Episcoporum hac deinceps augere atque illustrare poteris observatione, quòd Gerfridus, quem perperam à nonnullis cum Agilfrido Leodiensium Episcopo confundi monuimus, interfuerit Dedicationi principalium Ecclesiarum Centulæ, sederitque annis Christi, septingentesimo nonagesimo-octavo & septingentesimo nonagesimo-nono. Quin & eâdem permotus observatione Gerfridum è loco movebis, quem ei vulgares Catalogi tribuunt. Attiniacensis Placiti Decretum suâ subscriptione communivit anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto *Genbandus*

[a] Ad an. 774. n. 14.
[b] Lib. 2. c. 18.

baudus Episcopus civit. Laudune. Post hunc Genbaudum seu Genebandum in vulgatis Indicibus hoc ordine sequuntur Laudnnenses Episcopi, Bernico seu Bernito, Gerfridus, Wanilo primus, Wanilo Secundus, Eybo sive Erlo seu Cilo vel Cylo, Banifridus seu Ranifridus aut Raimfridus, Sigebaudus seu Sigebodus, Ostroldus cujus meminit Flodoardus ad annum Redemptotis octingentesimum decimum-quartum. Porrò proximus Berniconi successor eam duntaxat ob causam datus videtur Gerfridus, quia confunditur cum Agilfrido Leodiensium Episcopo, cujus Episcopatus in annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum incidit. At cùm nihil aliud nos cogat asserere de Gerfrido, quod anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto Pontificatum gesserit, aliunde verò certissimum sit eum sedisse Episcopum annis Christi septingentesimo nonagesimo-octavo & septingentesimo nonagesimo-nono, non existimamus quidquam temerè nos acturos, si eidem Wanilones cum Eybone & Raimfrido præponamus. Index igitur Laudunensium Episcoporum, qui perperam hactenus editus est, ita corrigendus. AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

Genebaudus vivebat adhuc an. 765.

Bernico seu Bernito.

Wanilo I.

Wanilo II.

Eybo, Erlo Roberto, Sammarthanis ac Belloto Cilo & Cylo.

Banifridus, Roberto Ranifridus, Sammarthanis & Belloto Raimfridus.

Gerfridus, Demochari Garisidus, Chenutio Garisidus & Gurfridus, Roberto Gatfridus, Sammarthanis & Belloto Gaufridus, sedebat ann. 798 & 799. Ab Alcuino commendatur Poëmate 50.

Sigebaudus, Demochari Sigebodus.

Ostroldus à Flodoardo laudatus ad an. 814.

VIII. Pleon Noviomensis est ac Tornacensis Episcopus, de quo sermonem anno superiori fecimus.

IX. Hildiguardus sive Hildegualdus aut Hildoardus Atrebatensis est ac Cameracensis Episcopus, de quo jam locuti sumus ad annum Christi septingentesimum nonagesimum, quo Pontificatum suscepit. Lege Bollandum in notis ad vitam Sancti Angilberti.

X. Theodoinus seu Theodowinus Taruannensis est Episcopus. Ab anno Christi septingentesimo duodequinqnagesimo, quo Zacharias Papa literas Ætherio Taruannensium Episcopo direxit, nullus Character Chronologicus in Taruannensium Episcoporum Catalogo notatur. Ætherio subjiciuntur Radwaldus seu Rodwaldus, Athalfus, Wigbertus, Theodowinus, qui Centulenses Ecclesias Sancti Salvatoris & Sancti Benedicti cum aliis Episcopis dedicavit.

XI. Ydelmarus Malbranco [a] Bellovacensis est Episcopus. Inter Deodatum cui Zacharias Papa literas anno Christi septingentesimo duodequinquagesimo transmisit, & Ragimbertum qui Synodum Noviomi cum aliis Præsulibus anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto celebravit, in Noviomensium Episcoporum Catalogo medii ponuntur absque ullo Charactere Chronologico tres hi Pontifices, Andreas, Audingus, & Adalmanns, qui nobis idem videtur ac Ydelmarus.

[a] Lib. 5, c. 40.

XII. Benedictus Episcopus est Andegavensis. In Andegavensium Episcoporum Catalogo, post Mauriolum qui Regium anno Christi septingentesimo septuagesimo pro sua Ecclesia Præceptum obtinuit, recensetur Gentianus, tum Benedictus qui vitam clausit Ludovico Pio Imperium adepto.

XIII. Kellaus Sedes ignoratur. Hujus eadem sors ac Absalonis. Uterque in provincia Lugdunensi Secunda collocandus videtur, quia si Benedictum excipias, cujus Episcopatus ad Tertiam provinciam Lugdunensem perti-

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

net, omnes Episcopi hactenus laudati suas habent Sedes in Belgica Secunda ubi Centula, vel in Lugdunensi Secunda cujus Metropolitanus Episcopus Megimhardus.

Quod attinet ad Joannem & Passivum Episcopos, qui *Sancta Dei Romana Ecclesia Legati* memorantur, Episcopis Italiæ non paucis commune fuit Joannis nomen, de Passivo nihil legimus.

Tres minores Ecclesiæ Monasterii Centulensis, id est, Ecclesiæ Sanctorum Angelorum, Gabrielis, Michaelis, Raphaelis, serius dedicatæ sunt, ut annis proximè sequentibus ostendemus.

XIV. Ineunte hoc anno, Leo Papa Concilium in Basilica Sancti Petri Romæ
XV. cum Episcopis septem & quinquaginta celebravit adversùs libellum, quem
XVI. Felix Urgellitanus Episcopus Albino sive Alcuino Sam-Martiniano apud Turonos Abbati dudum direxerat. Libellus ille, in quem Felix hæreseos pristinæ sæpiúsque damnatæ capita omnia conjecerat, à Synodo confutatus est, & ipsi Felici, nisi resipisceret, anathema dictum. Hujus Concilii meminit ipsemet Felix in confessione fidei, quam emisit sub exitum hujus anni, cùm ad Ecclesiæ Catholicæ gremium jam rediisset. *Per authoritatem*, inquit, *Synodi, qua nuper in Roma hac intentione præcipiente Gloriosissimo ac Piissimo Domino nostro Carolo adversus Epistolam meam, quam dudum venerabili viro Albino Abbati Toronensis Ecclesia scripseram, congregata est. In qua Synodo, præsente Leone Apostolico, & cum eo ceteri Episcopi numero* LVII *residentes, & plerique Presbyteri ac Diaconi cum eis in domo Beatissimi Petri Apostoli, per quorum omnium authoritatem istas jam dictas sententias nostras, non qualibet, ut dictum est, violentiâ, sed ratione veritatis, ut oportuit, excluserant.* Synceram hanc Felicis conversionem Alcuinus libro primo adversùs Elipantum Archiepiscopum Toletanum sic perstringit. *Idem Felix anno præfati Gloriosi Principis Caroli tricesimo-secundo advocatus voluntariè veniens ad Aquis Palatium, ibique in præsentia Domni Regis & Optimatum illius sive Sacerdotum Dei rationabiliter auditus, & veraciter convictus, atque Deo dans gloriam verámque confessus fidem, in pacem Catholicæ unanimitatis reversus est cum suis discipulis, qui ibi tunc temporis erant præsentes.* Hoc anno Carolus annum Regni sui tricesimum-primum absolvit, initque tricesimum-secundum octavo Kalendas Octobris; atque inde colligimus Felicem in Aquisgranensi Concilio ab hæresi resipuisse sub finem hujus anni, cùm Carolus Aquisgranum ad hyemandum ex trans-rhenanis partibus jam reversus esset. Id si verum est, Leo Romanam Synodum priùs habuit, quàm Româ discedere cogeretur, tumultus autem à Romanis in eum concitatus est septimo Kalendas Maias, ut dicemus infrà. Quapropter Tomo septimo Conciliorum, ubi Romanum hoc Concilium *anno Christi* DCCXCIX. *Leonis Papæ* IV. *Caroli Regis* XXXII consignatur, Caroli Regis annum XXXI repone.

LEO PP. SYNODUM ROMÆ CELEBRAT CONTRA LIBELLUM FELICIS EP. URGELL.

XVII. E schedis quibusdam Pithœanis nonnulla prodierunt hujus Synodi fragmenta, quæ pertinent ad nostrum institutum, & præcitato Conciliorum Tomo inserta reperiuntur.

XVIII. Actione prima Felix accusatur *asserens Christum Jesum Dominum nostrum, nec Filium Dei verum, nec etiam verum Deum, sed nuncupativum.* Et Leo Papa *de peste illa, qua per miserum Felicem ex Episcopo de nomine adoptionis in Christo Dei Filio orta est*, queritur, quòd *olim quidem à prædecessore bonæ memoriæ Domno Hadriano Papa, & ex auctoritate Sedis Apostolicæ, ejusdem Regis Magni jussione, Synodali tramite sub anathematis vinculo putabatur esse extincta, nunc magis ac magis crescendo pullulat.*

XIX. Actione secundâ, Leo quæcumque gesta sunt hactenus contra Felicem, Reginoburgi, Romæ, Francofurti, ipsiúsque Felicis ad vomitum reversi detestabilem inconstantiam sic exponit. *Quis non videat miserrimum illum & infelicem hæreticum, quia non solùm hæresiarcha dudum de adoptione in Filio Dei latrans factus est, sed etiam & semel, & bis, & tertiò perjuratus effectus*

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

est? Imprimis namque in Ratisbonense Concilio, quod per jussionem præfulgidi & Orthodoxi filii nostri Domni Caroli Magni Regis actum est, confessus est se ex ipsa hæresi malè dixisse; & in ipso conscripsit Concilio, anathematizans qui ausus fuerit dicere Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum adoptivum secundùm carnem esse. Et iterum, sub sanctæ recordationis prædecessore nostro Domno Hadriano Papa, directus à Domno Carolo præfulgido Magno Rege, ipse miserrimus hæreticus infelix Episcopus, doctus ab eodem almo Præsule, fecit illum Orthodoxum in vinculis libellum, anathematizans & confirmans inter cetera nequaquam Filium Dei adoptivum esse, sicut dixerat, sed proprium & verum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei confiteor. Unde & ipsum Orthodoxum suum libellum super sacrosancta Dei Mysteria in nostro Patriarchio ponens, juravit sic tenere & confiteri. Et iterum in Confessione super corpus Beati Petri Apostoli ipsum ponens Orthodoxum suum libellum, similiter & illic juravit nequaquam se dicere audere adoptivum, sed proprium & dilectum Filium Dei teneo & confiteor. Et postmodum transgressus Legem Dei excelsi, fugiens apud paganos consentaneos perjuratus effectus est. Sed nec illud metuit almum & Orthodoxum Concilium, quod in conspectu Domni Caroli præfulgidi & Orthodoxi Magni Regis pro hujusmodi re gestum est, & anathematis vinculis jaculantes eundem Felicem, si in errore persisteret, cum sequacibus suis condemnaverunt. Et, ut audivit vestrum Concilium, in suum vomitum, ut canis, reversus est in volutabro luti, ut audistis per suum blasphemum libellum, quem ad venerabilem virum Albinum Abbatem Monasterii Sancti Martini emisit, in pejorem latrationem devenit quàm anteà. Et flebilis est miser ille, quia, si non ex sua iniqua hærese reversus fuerit in veram & Catholicam sacrosanctam olitanam fidem, semetipsum anathematizavit.

Actione tertiâ Felici dictum est anathema, sic. *Felici Orgellitanæ Ecclesiæ Episcopo, si noluerit declinare ab hæretico dogmate suo, in quo ausus est Filium Dei adoptivum asserere, anathema sit, atque ante tribunal Dei Omnipotentis condemnatus, seu à sancta & Apostolica Dei Ecclesia extorris, nostroque consortio alienus. Hi verò, qui conversi fuerint, & nostræ societati se unierint in fide & concordia sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ, perpetuæ vitæ atque beatitudinis gaudia mereantur, & vocem audiant divinam.* [*Venite benedicti Patris mei &c.*] XX.

Modico temporis spatio post illud Concilium interjecto, nempe septimo Kalendas Maii, quo die Martyrium Sancti Georgii recolebatur, immane facinus commissum atque sacrilegium ingens Romæ perpetratum est, quod ab Anastasio [a] fusè sic describitur. *Cùm venerabilis & Sanctissimus Præsul* Leo *die quadam more solito in Letaniis, quæ ab omnibus majores appellantur, procederet, ut sibi populus obviam sacrâ religione occurrere deberet, & secundùm annuam consuetudinem Letanias & Missarum solemnia cum Sacerdotibus celebraret, & Omnipotenti Domino pro salute Christiani populi preces funderet, & secundùm olitanam traditionem à Notario Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Ecclesia Beati Georgii Christi Martyris in ejus Natali ipsa Letania prædicata fuisset, omnes tam viri, quàmque fœminæ, devotâ mente catervatim in Ecclesia Beati Christi Martyris Laurentii, quæ Lucina nuncupatur, ubi & Collecta prædicta inerat, occurrerunt. Ubi dum prædictus venerabilis Pontifex à Patriarchio egressus fuisset, obviam illi sine planeta iniquus nec dicendus Paschalis Primicerius occurrit, & in hypocrisi veniam ab illo petebat, dicens, quia infirmus sum, & ideo sine planeta* seu casula *veni. Tunc Sanctissimus Præsul veniam illi dedit. Similiter & Campulus Sacellarius, in ipsorum dolositate pariter in Pontificali obsequio pergentes, & dulcia verba, quæ non habebant in pectore, cum eo loquentes: maligni etiam & iniqui ac perversi falsique Christiani, prorsus pagani, filii diaboli, in unum se sathanicè colligentes, pleni iniquâ cogitatione, in ipso itinere ante Monasterium Sanctorum Stephani & Silvestri, quod Domnus Paulus Papa fundaverat, clàm armati adstitere, atque repentè de loco insidiarum exilientes, ad ipsum (quod dictu nefas est) impiè trucidandum absque ulla reverentia confluxerunt, Paschale ad* XXI.

[a] In Leone III.

ORTO TUMULTU SEMIVIVUS IN PLATEA RELINQUITUR.

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

caput stante, & Campulo ad pedes, secundùm iniquum eorum Consilium. Quo facto, omnis, qui circa eum erat populus, videlicet inermis, & in Dei officio præparatus, timore armorum perterritus in fugam conversus est. Ipsi verò insidiatores atque operatores malorum Judaico more sine ullo divino vel humano honoris intuitu, ferino more comprehendentes, in terram eum projecerunt, & absque ulla misericordia scindendo expoliantes eum, crudeliter oculos ei evellere, & ipsum penitus cæcare conati sunt. Nam lingua ejus præcisa est, &, ut ipsi omnino tunc arbitrati sunt, cæcum eum & mutum in media platea dimiserunt. Verùm ipsi maligni, Paschalis & Campulus, sicut veri pagani & impii, ad ipsius Monasterii Ecclesiam ante Confessionem eum trahentes, ante ipsum venerabile altare iterum oculos & linguam ampliùs crudeliter eruerunt, & plagis eum diversis & fustibus cædentes laniaverunt, & semivivum in sanguine revolutum ante ipsum altare dimiserunt. Postmodum verò sub custodia in ipso Monasterio dimiserunt. Hæc Anastasii verba, si diligenter attenduntur, non indicant Leonem oculis & linguâ penitus orbatum fuisse, sed tantùm pro cæco & muto in media primùm platea relictum, deinde in proxima Ecclesia crudeliùs adhuc habitum à Paschale & Campulo rursum conatis oculos ei eruere & linguam amputare. Linguam abscissam scribit Annalista Laureshamensis, at de oculorum avulsione non ita convenit, sic enim habet. *Roma Leo Papa cùm Litaniâ processurus de Lateranis ad Ecclesiam beati Laurentii, quæ ad Craticulam vocatur, equo sedens pergeret, in insidias à Romanis dispositas juxta eandem Basilicam incidit. Ubi equo dejectus, & erutis oculis, ut aliquibus visum est, linguâ quoque amputatâ, nudus ac semivivus in platea relictus est.* Nicolaus Alemannus in parietinis Lateranensibus has Annalistæ voces, *ut aliquibus visum est*, adscititias atque è margine in textum translatas ait, inani certè subterfugio. Sunt enim & alii Scriptores, qui linguam quidem amputatam Leoni fatentur, oculos autem avulsos inficiantur. Chronographus Moissiacensis illa de re sic scribit. *Instigante diabolo, Romani comprehenderunt Leonem Apostolicum in ipsas Letanias, quod est VII Kal. Maii, & absciderunt linguam ejus, & voluerunt eruere oculos ejus & eum morti tradere. Sed, juxta Dei dispensationem, malum, quod inchoaverunt, non perfecerunt.* Clariùs Theophanes mentem suam sic explicat. Τῷ δ' αὐτῷ ἔτει καὶ οἱ τῆς Ῥώμης συγγενεῖς τοῦ μακαρίου Πάπα Ἀδριανοῦ συγκινήσαντες τὸν λαὸν, ἐπανέστησαν κατὰ Λέοντος τοῦ Πάπα, καὶ κρατήσαντες ἐτύφλωσαν αὐτόν. οὐ μέντοι ἠδυνήθησαν τελέως σβέσαι τὸ φῶς αὐτοῦ, τῶν τυφλωσάντων αὐτὸν φιλανθρώπων ὄντων, καὶ φεισαμένων αὐτοῦ. ὁ δὲ προσφυγὼν τῷ ῥηγὶ τῶν Φράγγων Καρούλλῳ. Hunc Theophanis textum Jacobus Goar ita vertit. *Eodem etiam anno, Beati Adriani Papæ Romani affines tumultu in Leonem Papam excitato, oculis eum mulctaverunt. Verùm cùm homines ad eum excæcandum deputati, misericordiâ ducti, ei pepercissent aliquatenus, haud ei penitus oculorum lumen extinctum est. Leo subinde ad Carolum Francorum Regem confugit.* Non ignoramus in Codice Peyreziano hæc desiderari verba, quæ lumen oculorum penitus extinctum negant, οὐ μέντοι ἠδυνήθησαν τελέως σβέσαι τὸ φῶς αὐτοῦ, & alia, quæ satellites misericordiâ commotos Leoni pepercisse significant, ad ipsum Leonem, qui misericordiâ ductus ipsis satellitibus veniam indulserit, ita detorqueri, ἐτύφλωσαν αὐτὸν φιλάνθρωπον ὄντα καὶ φεισάμενον * αὐτοῖς. ὁ δὲ προσφυγὼν τῷ ῥηγὶ τῶν Φράγγων Καρούλλῳ. Sed Anastasius hanc phrasim, οὐ μέντοι ἠδυνήθησαν τελέως σβέσαι τὸ φῶς αὐτοῦ, à se lectam ostendit, ubi Theophanem hac Latinitate donat. *Eodem etiam anno & Romæ cognati beatæ memoriæ Hadriani Papæ commoventes populum tumultuati sunt contra Leonem Papam, & tenentes cæcaverunt eum, non tamen penitus lumen ejus extinguere potuerunt. At ille confugit ad Carolum Francorum Regem.* Nicolaus Alemannus [a] ad hunc Anastasii locum, *non tamen penitus lumen ejus extinguere*

* φεισαμένου

a Cap. 8.

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

potuerunt, ita respondet, *dicere voluit, non tamen in posterum tempus sive in perpetuum*, sed hæc responsio non satisfacit. Itaque prodigii loco haberi debet, quòd Pontifex tot plagis contusus, nec amiserit vitam, nec ægrotus diu jacuerit, imò nec oculis fuerit orbatus, etsi præcipuus hostium conatus in eruendis oculis esset. Qui tot vulneribus acceptis tanquam morti proximus visu jam & voce destituebatur, singulari Dei beneficio extra periculum positus & oculorum & linguæ usum cum prospera valetudine paulò pòst recuperavit. Sic enim in ejus vita pergit Anastasius. *Timore autem perterriti* Paschalis & Campulus, *ne à Christianis hominibus furatus inde,* id est, ex Monasterio Sanctorum Stephani & Silvestri, *fuisset, tunc malignum consilium adepti, sicut ipse Hegumenus Monasterii Sancti Erasmi professus est, fecerunt eum ad se venire clàm per noctem, tam Paschalis malignus, qui tunc erat Primicerius, quàm Campulus Sacellarius, & Maurus Nepesinus, & miserunt eum in prædictum Monasterium Sancti Silvestri cum pluribus iniquis consentaneis eorum malefactoribus. Et sic per noctem eum exinde abstollentes deduxerunt in Monasterium Sancti Erasmi, & in arcta & angusta custodia eum recluserunt. Sed Deus Omnipotens, qui eorum malitiam præsciendo diu patienter sustinuit, ipse eorum iniquos conatus mirabiliter destruxit. Contigit enim cooperante Deo, & Beato Petro Apostolo suffragante, quòd antedictus Papa, cùm ab ipsis carnificibus in Monasterium Sancti Erasmi in custodiam mitteretur, Domino annuente, atque Beato clavigero Petro Regni calorum suffragante, ut visum receperit, & lingua ad loquendum illi restituta sit. Et ut ostenderet Omnipotens Deus super suum famulum solitam misericordiam & magnum Miraculum, divino nutu ejus à fidelibus Christianis viris, videlicet per Albinum Cubicularium cum aliis fidelibus Deum metuentibus, ex ipso eum claustro occultè abstollentes in Basilicam Beati Petri Apostolorum Principis, ubi & ejus sacratissimum corpus quiescit, deduxerunt. Qui omnes audientes & videntes mirabilia Dei, qui innocentem & justum Pontificem de manibus inimicorum eruit, glorificaverunt Dominum Deum, dicentes [Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus, & non deseruit sperantes in se.] Sed in eo adimplevit misericordiam, ut manifestaretur gloria Dei, & mirabilia in illo, quemadmodum promisit sperantibus in se Psalmistâ dicente, [Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ mea, à quo trepidabo?] Et iterum. [Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen semitis meis.] Et verè à tenebris eum Dominus eripiens, lumen reddidit, & linguam ad loquendum restituit, & totis eum solidavit membris, & in omnibus operibus mirabiliter deducens confortavit.* Poëta Saxonicus cùm nollet Miraculum planè negare, neque etiam, ut sequentes Versus edocebunt, asseruit locum planè fuisse conficiendo Miraculo.

——— Transacto tempore pauco
Amissum recipit visum, pariterque loquelam;
Seu quia festinans tortor trepidansque nefandis,
Dum concurrentes metuit non talia turbas
Passuras, sed velle suum defendere Papam,
Non, quantùm voluit, crudelia facta peregit;
Seu, quod credendum magis est, antiqua Redemptor
Per meritum Magni renovans Miracula Petri,
Sanari successorem donaverat ejus.

Pergit Anastasius in vita Leonis. *Quantum gaudium habuerunt Christiani homines & fideles, tantùm mærore & tristitiâ angustiati illi*, qui Pontificem tam crudeliter vexaverant, *nesciebant quid agerent, & in periculo se esse existimantes quærebant semetipsos interficere, & dum non invenirent, quid aliud agerent, domum Albini fidelis Beati Petri Apostoli & ejusdem Pontificis deprædantes destruxerunt. Et in ipsam Beati Petri Apostoli aulam conjungente præfato Pontifice, confestim Winighis gloriosus Dux Spoletanus cum suo exercitu obviavit ei, & cùm summum Pontificem videntem & loquentem conspexisset, venerabi-* XXII.

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

Spoletum abducitur a Winigiso Duce

liter eum recipiens Spoletum deduxit glorificans & laudans Deum, qui per talia mirabilia eum clarificavit. Quo audito per diversas civitates Romanorum fideles ad eum occurrerunt, & pariter cum aliquibus ex ipsis civitatibus Episcopis, Presbyteris, seu Clericis Romanis, & Primatibus civitatum, ad Excellentissimum Dominum Carolum Regem Francorum & Longobardorum, atque Patricium Romanorum profectus est. Rem eandem breviùs exponit Annalista Laureshamensis in hunc modum. *Romæ Leo Papa nudus ac semivivus in platea relictus est. Deinde jussu eorum, qui hujus facti auctores fuere, in Monasterium Sancti Erasmi Martyris velut ad curandum missus, Albini cujusdam Cubicularii sui curâ noctu per murum demissus, à Winigiso Duce Spoletano, qui audito hujusmodi facinore Romam festinus advenerat, susceptus, ac Spoletum deductus est.* Et Loiselianus, sic. *In custodia missus noctu per murum evasit, & ad Legatos Domni Regis, qui tunc apud Basilicam Sancti Petri erant, Wirundum scilicet Abbatem & Winichisum Spolitanum Ducem, veniens, Spoletum est deductus.* Huic Annalistæ suffragantur Bertinianus & Metensis, necnon Regino & Ado in suis Chronicis, & incertus Auctor in vita Caroli, nec ullum habent verbum de Angelo, à quo Leonem è custodia solutum scribit Monachus Egolismensis. Ducatus Spoletanus Romano conterminus erat. Accepto flagitii Romæ commissi nuncio, Winigisus, qui Spoletanorum Ducatum seu Præfecturam ante annos octo post Hildebrandi mortem susceperat, statim eum militibus in Urbem advolavit, ipsúmque Pontificem Spoletum deduxit expectaturus, quid ultionis in Romanos sumendum Rex præscriberet. Inde non obscurè patet Romam sub Caroli potestate tunc fuisse, sed id multò clariùs adhuc ostendetur, cùm post restitutum Sedi Leonem jus in eadem Urbe dicet.

XXIII.

Carolus in procinctu belli Saxonici Leonem PP. ad se præcipit adduci.

[a] Ep. 11.

Alcuinum de Romanorum flagitio certiorem facit.

Quid autem consilii ceperit, ubi totius negotii gestionem rescivit, audi ex Annalista Lauresbamensi. *Leo Papa Spoletum deductus est, cujus rei nuncium cùm Rex accepisset, ipsum quidem ut Vicarium Sancti Petri & Romanum Pontificem cum summo honore ad se præcepit adduci. Iter tamen suum, quod in Saxoniam facere constituerat, non omisit,* ut mox probaturi sumus. Alcuinum de Romanorum flagitio certiorem fecit, responsorias enim ad eum literas [a] idem sic exorsus est Alcuinus. *Gratias agimus clementissimæ Bonitati tuæ, dulcissime David, quòd nostræ parvitatis memoriam habere digneris, nobísque innotescere quæ famulus vester fidelis nostris insonuit auribus.* Et paulò pòst de Romana Sede, déque Leone Pontifice specialiùs hæc adjecit. *Apostolica sublimitas Beati Petri Principis Apostolorum Sedem vicario munere regere solet. Quid verò in eo actum sit, qui Rector præfatæ Sedis fuerat, mihi veneranda Bonitas vestra innotescere curavit.* Nec ea, quæ Romæ gesta fuerant, Carolus Alcuino tantùm nunciari voluit, sed etiam ab eo magna cum fiducia postulavit, quid in temporibus adeò difficilibus agendum putaret. Mentem enim suam Alcuinus super ea re sic in iisdem literis aperit. *Ecce in te solo tota salus Ecclesiarum Christi inclinata recumbit. Tu vindex scelerum, tu rector errantium, tu consolator mœrentium, tu exaltatio bonorum. Nonne Romanæ in Sede, ubi Religio maxima pietatis quondam claruerat, ibi extrema impietatis exempla merserunt? Ipsi cordibus suis excæcati excæcaverunt caput proprium. Nec ibi timor Dei, nec sapientia, nec caritas esse videtur. Quid boni ibi esse poterit, ubi nihil horum trium invenitur? Si timor Dei esset in eis, non auderent; si sapientia, numquam voluissent; si caritas, nequaquam fecissent. Tempora sunt periculosa, olim ab ipsa Veritate prædicta, quia refrigescit caritas multorum. Nullatenus capitis cura omittenda est. Levius est pedes dolere quàm caput. Componatur pax cum populo nefando, si fieri potest. Relinquantur aliquantulùm minæ, ne obdurati fugiant: sed in spe retineantur, donec salubri consilio ad pacem revocentur. Tenendum est quod habetur, ne, propter acquisitionem minoris, quod majus est amittatur. Servetur ovile proprium, ne lupus rapax devastet illud. Ita in alienis sudetur, ut in propriis damnum non patiatur.* In iisdem literis, ut Caro-

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

lum Hunnis benevolum reddat, ex industria nonnulla, quæ superiore anno scripserat, occasionem scribendi nactus denuò sic repetit [a]. *Olim vestræ sapientissimæ pietati de exactione decimarum dixi, quia fortè melius est, vel aliquanto spatio ut remittatur publica necessitas, donec fides cordibus radicitus inolescat.*

XXIV. LUDOVICUM FIL. EX HISPANIA VOCAT. PADERBORNAM PROFICISCITUR. CAROLUM FIL. TRANS WISURGIM MITTIT.

Ad hunc annum referri debent, quæ de Ludovico refert Astronomus in ejus vita. *Hyeme transactâ misit ad illum pater Rex, ut ad se contra Saxones euntem, cum populo, quo posset, veniret. Qui ire non differens, ad eum Aquasgrani venit; & cum ipso ad Fremersheim, ubi Placitum generale habuit, super ripam Rheni perrexit.* Annalista Lauteshamensis locum, ubi Carolus generalem Francorum Conventum celebravit, Lippenheimium appellat. *Habito*, inquit, *generali Conventu super Rhenum in loco, qui Lippenheim vocatur, ibique eodem amne transmisso cum toto exercitu suo ad Padrabunnam* * *accessit, ibique in castris considens, Pontificis ad se properantis præstolabatur adventum. Misit intereà filium suum Karolum ad Albim cum parte exercitûs, propter quadam negotia cum Wilsis & Abotritis disponenda, & quosdam Saxones de Nordluidis* seu Transalbianis *recipiendos*. Carolus Rhenum *ad Lippeam* transit apud Annalistas Loiselianum & Bertinianum, *ad Lipeham* apud incertum Auctorem, & *ad Lippiam* apud Monachum Egolismensem. Hæ variæ lectiones in hoc conveniunt, ut Rhenum prope Lippiæ confluentes à Carolo Rege trajectum fuadeant. Carolus Junior trans Wisurgim profectus ad primarium usque Bardongavensium oppidum pertexit, quod Egolismensi Monacho *Bardengavium* est, aliis *Bardengavi*, *Bardengawvi*, *Bardengani*, *Bardingaudi*, *Bardinganni*, & *Burdegavi*. Cis eundem amnem nondum redierat, cùm Leo Paderbornam venit, imò cùm Paderbornâ discessit Romam reversurus. De Pontificis adventu testis est Annalista Laureshamensis, ubi de Seniore Carolo sic ad hunc annum scribit. *Misit filium suum Karolum ad Albim* .... *Cujus reversionem cùm expectat, venit Pontifex, & valdè honorificè ab illo susceptus est.* De reditu testis Annalista Loiselianus, sic. *Ipse*, nempe Carolus Senior, *alterâ* exercitûs *medietate secum retentâ, eodem in loco*, id est, Paderbornæ, *Leonem Pontificem summo cum honore suscepit. Ibique reditum filii sui Carli expectans, Leonem Pontificem simili quo susceptus est honore dimisit, qui statim Romam profectus est.* Adstipulantur Annalistæ, Tilianus, Bertinianus, & Metensis, necnon Regino in suo Chronico, & incertus Auctor in vita Caroli. Solus ab iis dissidet Monachus Egolismensis, apud quem Carolus *reverso prosperè filio suo, Leonem Papam cum honore* dimittit *Romam*.

XXV. Ludovicus ad patrem non venit, antequàm hìc res Romæ contra Leonem nefariè gestas rescivisset. Idcircò Alcuinus in Poëmate *de Karolo Magno & Leonis Papa ad eundem adventu* nullam ejusdem Ludovici mentionem facit, ubi describit venationem, cui Carolum cùm de Romanorum tumultu nondum quidquam audiisset, hilari prorsus animo cum Regina Liudgarda suisque liberis fingit indulsisse. Multa scribit de Carolo Rege; de Liudgarda seu Luitgarde Regina; de Caroli filiis Carolo & Pippino juniore; déque filiabus, Rotrude, Berta, Gisla, Rothaide, Theodrada, & Hildrude. Pauca de singulis excerpemus, ne probatio deesse videatur.

Rex Carolus cunctos humeris supereminet altis. &c.
Hinc thalamo cunctata diu Regina superbo
Procedit multâ circum comitante catervâ,
Luitgardis Caroli pulcherrima nomine conjux. &c.
More Patri & vultu similis procedere tandem
Tentat item Carolus Genitoris nomine pollens. &c.
Hinc Pippinus Avi sequitur de nomine dictus. &c.
Inde puellarum sequitur mox ordo coruscus,
Rhotrud ante alias, &c.
Proxima Berta nitet multis sociata puellis. &c.

[a] Ep. 11

* Paderborn.

AN.CH. *Gisala post istas sequitur*, &c.
Rhodhaid inde micat &c.
799. *Intereà ingreditur vultu Theodrada corusco.* &c.
CAROLI *Agminis extremam partem sibi vindicat Hildrud.* &c.
R. 31. Carolo tribus ex uxoribus nati sunt octo hi liberi Rothais ex Himiltrude; Carolus, Pippinus, Rotrudis, Berta, Gisla, ex Hildegarde; Theodrada & Hildrudis ex Fastrada. Præter hos octo liberos eidem Carolo tunc erant alii duo filii, Pippinus Senior ab aliquot annis in Prumiense Monasterium detrusus, & Ludovicus Aquitaniæ Rex, ille natus ex Himiltrude, hic ex Hildegarde. Quæ de Berta & Rothaide scribuntur ab Alcuino, præ ceteris occurrunt observanda. Encomium Bertæ jam descripsimus, ne Monialibus illam eodem accenseres tempore, quo Monachum apud Centulam induit Angilbertus. Nunc autem elogium Rothaidis accipe, ne te fallat eorum opinio, qui de hujus ortu ac nuptiis Himiltrudis minùs honorificè loquuntur quàm veritas Historiæ postulat, & à nobis non semel fuerunt confutati.

PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

XXVI.

Rothaid inde micat multis ornata metallis,
Agmen ovans rapido præcedit fœmina gressu.
Pectora, colla, comæ, lucent variata lapillis,
Serica & ex humeris dependent pallia pulchris.
Inseritur capiti nitido gemmata corona.
Stringit acus chlamydem gemmatis aurea bullis.
Pulchra vehetur equo Rothaidis virgo superbo,
Quò latitare solent hirsuto tergore cervi.

XXVII. Carolus in Aquisgranensi Palatio Pascha pridie Kalendas Aprilis celebravit; trajecto pòst Rheno, ut dictum suprà, Padibornam usque processit, ibíque Leonem Papam ex Italia venientem præstolatus est. Tunc alteram Alcuino direxit epistolam, eúmque ad iter Romam suscipiendum invitavit. Id patet ex ipsius Alcuini literis mox citandis, nec alia Carolo mens videtur fuisse, quàm ut Alcuinus Romanum Pontificem in Urbem redditurum comitaretur, huic enim obsequio complures Episcopos & Abbates jam destinavit. Sic autem rescripsit Alcuinus [a]. *Domino in Domino Dominorum dilectissimo David Regi, Flaccus fidelis Orator sempiterna beatitudinis in Christo salutem. Revertenti me de Wicus propter causas necessarias, quas ibidem habuimus disponere, occurrerunt mihi, visitanti Religiosissimam sororem vestram Excellentia vestra dulcissimi apices, in vestra prosperitate amabiles, & in divina misericordia laudabiles, qui numquam in se sperantes deserit, sicut de Domno Apostolico nuper actum, per vestras suavissimas literas audivimus. Qui etiam vestra beatissima præsentia gaudet advenire, ut innotuit nobis cartula Benignitatis vestra. De qua multas Bonitati vestra gratias agimus, quòd solitâ pietate nostri nominis memoriam habere dignati estis. Non solùm de hac præsenti memoria vestra egregia Pietati gratias agimus continuas, sed etiam de omni bonitate vestra, quam in nostram peregrinationem verbis vel factis semper ostendistis, fidelis in promissis, verus in perficiendo promissa. Quapropter fides vestra, & caritas non ficta, & intercessio continua in arcano cordis mei thesauro vestram jugiter amplectitur Beatitudinem. O dulcissime decus populi Christiani! ô defensor Ecclesiarum Christi! ô consolatio vita præsentis! Quibus tuam Beatitudinem omnibus necessarium est votis exaltare, intercessionibus adjuvare, quatenus per vestram prosperitatem Christianum tueatur Imperium, fides Catholica defendatur, justitia regula omnibus innotescat? Ecce quid actum est de Apostolica Sede in civitate præcipua, in dignitate excellentissima? Quæ omnia vestro tantummodo servantur judicio, ut prudentissimo consuso sapientia vobis à Deo data temperatâ consideratione corrigantur quæ corrigenda sunt, & conserventur quæ conservanda sunt; & quæ clementer divina gessit pietas, extollantur in laudem nominis illius, qui salvum fecit servum suum, & liberavit à persecutione exsecranda infidelitatis.*

ALCUINUM AD ITER ROMAM SUSCIPIENDUM INVITAT.

[a] Ep. 12.

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

*totis. Vestra verò sapientissima animi prudentia dum omnia intelligat, quid cui conveniat persona, in benefaciendo, sive in vindicando, fiat quod Deo placeat, & omnibus bona in vobis voluntas ostendatur, laudetur & ametur. Hic certissimè pietas vestra agnoscat, quòd nullius hominum auri vel argenti munuscula tantùm lætificant Flacci vestri animum, quantùm Beatitudinis vestræ apices omni gaudio reficiunt. Ideo supplici voto deprecor, ut sæpiùs jubeatis fieri, quod me semper amare cognoscitis. De illo itinere verò longo & laborioso Romam eundi, nullatenus infirmum & cotidianis fractum doloribus corpusculum meæ fragilitatis perficere posse arbitror. Desiderium jam habuissem, si potestas esset peragendi. Ideo obsecro clementissimam paternitatis vestræ benivolentiam, ut dimittatis me fideliter & instanter orationibus, cum Deo servientibus apud Sanctum Martinum, vestrum iter adjuvare. Et utinam! ut quandoque divina gratia vobis concedat libertatem à populo nefando Saxonum iter agere, Regna gubernare, justitias facere, Ecclesias renovare, populum corrigere, singulis personis ac dignitatibus justa decernere *,* [* discernere] *oppressos defendere, leges statuere, peregrinos consolari, & omnibus ubique ætatis & cælestis vitæ viam ostendere, ut sit consolatio omnibus in adventu vestræ pietatis, clarissimísque vestræ Nobilitatis filiis benedictio copiosa per vestra benefacta adcrescat, sicut per solius omonymi tui David Deo dilectissimi Regis sanctitatem, ut legitur, omnibus nepotibus suis Regalis throni potestas conservata * fuit.* [* conservatam fuisse] *In his enim & hujusmodi Religionis exercitationibus filiorum exaltatio, & Regni felicitas, & populi * sanitas,* [* populo] *& frugum ubertas, & totius boni jocunditas, tibique cælestis Regni beatitudo, Christo Deo perficiente, crescit & augetur, dulcissime David, diebus æternis.* Subjiciuntur Versus, quos lubenter omittimus, nihil enim habent, quod ad illustrandam Historiam conducat.

XXVIII. Initio suarum literarum Alcuinus testatur Regis Epistolam sibi redditam fuisse, cùm rediret è Wico, & ipsius Caroli sororem Abbatissam Kalensem visitaret. Wicum seu Wicos interpretare Cellam Sancti Judoci, cui præerat eum Abbatis titulo, ut ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-sextum jam observavimus.

XXIX. DAVID DICITUR PER SIMILITUDINEM. Ex iisdem Alcuini literis orta est inter eruditos viros quæstio, utrùm Davidis nomen, quod Carolo tribuitur, eidem Carolo proprium an adscititium fuerit. Certè non adscititium insinuat hæc periodus. *Clarissimis vestra Nobilitatis filiis benedictio copiosa per vestra benefacta adcrescat, sicut per solius omonymi tui David, Deo dilectissimi Regis, sanctitatem, ut legitur, omnibus nepotibus suis Regalis throni potestas conservata fuit.* Neque enim Davidem omonymum Caroli vocaret, si ab illius similitudine tantùm & imitatione mens fuisset eum hoc nomine donare. Quod etiam confirmari videtur epistolâ nonagesimâ-septimâ, quæ sic habet. *David olim præcedentis populi Rex à Deo electus, & egregius Psalmista, Israheli victrici gladio undique gentes subjiciens, legísque Dei eximius prædicator in populo extitit. Cujus eximiâ filiorum nobilitate in salute mundi, de virga flos campi & convallium floruit Christus. Qui istis modò temporibus, ac ejusdem nominis, virtutis, & fidei David Regem populo suo concessit rectorem & doctorem.* Et fortè, addit Paulus Petavius [a], immutatum Carolo nomen, cùm vel baptizatus, vel in Regem unctus est. Hoce enim idem de ejus filio Pippino Italiæ Rege factitatum, ut ad annum Christi septingentesimum octogesimum-primum asseruimus. Proprium tamen Carolo nomen Davidis fuisse meritò negat Andreas Duchesnius in Præfatione ad Alcuini opera. Illius quippe seculi subsequentísque mos fuit, ut Francorum Reges nomine Davidis communiter à Scriptoribus afficerentur. Exempla suis locis de Ludovico Pio déque Carolo Calvo proferemus.

[a] In Syntagm. de Nithardo,

XXX. Carolus, cùm apud Padibornam non tantùm erga res bellicas & politicum ministerium, sed etiam erga res Ecclesiasticas & Orthodoxam fidem nihil è Regia sollicitudine remitteret, eodem circiter tempore, quo per literas, ut iter Romam susciperet, Alcuinum invitabat, Leidradum Lug-

AN CH. 799.
Caroli R. 31.
Pippini Ludov. RR. 19.
Caroli R. 11.

Leidradum Archiepisc Lugdun. et alios Præsules mittit Urgellam ad Felicem Ep.

duni nuper ordinatum Archiepiſcopum Urgellam ſive Orgellum miſit, ut Felicem illius civitatis Epiſcopum ab hæreſi revocare conaretur. Tunc Felix res accepit geſtas in Romana Synodo contra libellum, quem Alcuino Abbati dudum ſcripſerat, liberúmque obtinuit commeatum ad Carolum, ut coram eodem Rege in Epiſcoporum Conventu ſuam exponeret opinionem. Utrumque declarat ipſemet Felix in Confeſſione Fidei ad Urgellitanos pòſt emiſſa. Primum, ſic. Synodus *nuper in Roma hac intentione præcipiente Glorioſiſſimo ac Piiſſimo Domino noſtro Carolo adversùs epiſtolam meam, quam dudum venerabili viro Albino Abbati Toronenſis Eccleſiæ ſcripſeram, congregata eſt. In qua Synodo, præſente Leone Apoſtolico, & cum eo ceteri Epiſcopi numero* LVII *reſidentes, & plerique Presbyteri ac Diaconi cum eis in domo beatiſſimi Petri Apoſtoli; per quorum auctoritatem iſtas jam dictas ſententias noſtras, non qualibet, ut dictum eſt, violentiâ, ſed ratione veritatis, ut oportuit, excluſerunt.* Alterum, ſic. *Poſtquam ad præſentiam Domini noſtri ac Piiſſimi Glorioſique Caroli Regis perductus ſum, & ejus conſpectui præſentatus, licentiam ab eo ſecundùm quod & venerabilis Dominus Laidracus* ſeu Leidradus *Epiſcopus nobis in Orgello pollicitus eſt, accepimus; qualiter in ejus præſentiam in conſpectu Epiſcoporum, quos ad ſe ordinatio Glorioſi Principis noſtri convenire fecerat, ſententias noſtras, quas ex libris Sanctorum habere nos de adoptione carnis in Filio Dei, ſeu nuncupatione in humanitate ejus credebamus, præſentaremus; qualiter non in violentia, ſed ratione veritatis, noſtra adſertio rata judicaretur, ſi ab illis per auctoritatem Sanctorum Patrum minimè repudiarentur. Quod ita factum eſt.* Felix ſolum nominat Laidracum ſeu Laidradum aut Leidradum, profecti tamen ſunt Orgellum cum eodem Leidrado, Nefridius Narbonenſis Archiepiſcopus, Benedictus Anianenſis Abbas, aliique multi cùm Epiſcopi tum Abbates. Idque conſtat ex Alcuino, qui quatuor adversùs Elipantum libros iiſdem Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus inſcripſit, cùm in Hiſpaniam ſecundâ vice pergerent, Felice ad meliorem frugem apud Aquiſgranum converſo, & Carolo nondum Imperatore, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo, quia Felix veram confeſſus eſt fidem apud Aquiſgranum anno Caroli Regis triceſimo-ſecundo jam cœpto, ſive exeunte hoc anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-nono, & Carolus acclamatus eſt Imperator anno Redemptoris octingenteſimo etiam exeunte. Alcuinus ſuper his ſingulatim audiendus. Libris adversùs Elipantum hanc præfigit inſcriptionem. *Dominis in Chriſti charitate venerabilibus atque dilectiſſimis Laidrado Epiſcopo Lugdunenſi, & Nefridio Epiſcopo Narbonenſi, & Benedicto Abbati, ſimúlque Sanctiſſimis nobíſque valdè honorabilibus Gothiæ provinciæ partibus Epiſcopis, Abbatibus, & fratribus, humillimus Sanctæ Eccleſiæ filius Albinus ſalutem.* Libro primo ſic loquitur de Synodo Aquiſgranenſi, & Felice hæreſim ejurante in præſentia Regis. *Felix anno præfati Glorioſi Principis* Caroli *triceſimo-ſecundo advocatus voluntariè veniens ad Aquis Palatium, ibíque in præſentia Domni Regis, & Optimatum illius, ſive Sacerdotum Dei rationabiliter auditus, & veraciter convictus, atque Deo dans gloriam, verámque confeſſus fidem, in pacem Catholicæ unanimitatis reverſus eſt cum ſuis diſcipulis, qui ibi tunc temporis erant præſentes.* Et in ipſa Præfatione, prælaudatos Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates, quibus opus ſuum inſcribit, ſic alloquitur. *Per divinæ ſuffragia pietatis hanc nebuloſam impietatis ſectam clarâ veritatis luce pridem diſcutere ſtuduiſtis, etiam & Deo Chriſto donante cæptum prædicationis opus multa ex parte perfeciſtis. Ad cujus piiſſimæ prædicationis venerabile opus, mandante Glorioſo Principe & Devotiſſimo in omni bonitate Carolo Rege, vos iterum ituros eſſe audivimus. Quapropter paucorum arripui laborem dierum in ſolatium ſanctiſſimi itineris veſtri, quatenus haberetis in manibus cujuſdam Epiſtolæ meo nomini directæ ab Elipanto Toletano Epiſcopo pias & pernéceſſarias reſponſiones, ne fortè aliquorum ex ejuſdem Epiſtolæ lectione mentes maculentur, quia eaſdem audivimus literas in aliorum priùs pervenire manus, quàm nobis,*

cui missa sunt, reddita essent. Hoc igitur anno, Leidradus & Nefridius Archiepiscopi, Benedictus Abbas, aliique complures cùm Episcopi tum Abbates, Orgellum se contulerunt, ut Felicem illius civitatis Episcopum ad Catholicam fidem revocarent. Celebratam ab iis Urgellæ Synodum observat Baluzius in notis ad Agobardum [a], Felicem enim in tribus Synodis hoc anno damnatum sic asserit; *in Synodo Romana, an.* DCCXCIX. *in Urgellensi & Aquisgranensi, anno eodem.* Actum suprà [b] de Synodo Romana, agetúrque infrà de Aquisgranensi [c]. Porrò, cùm in Tomis Conciliorum nullum exstet Urgellitanæ Synodi vestigium, monet etiam hic Auctor illam deberi doctissimo viro Petro *de Marca*, cujus verba ex libro tertio Marcæ Hispanicæ nondum editæ sic describit. *Synodum quoque Orgelli ea de re haberi à Leidrado Episcopo Lugdunensi, Nefridio Narbonensi, Benedicto Abbate, & Episcopis atque Abbatibus provinciæ Gothiæ, Carolus jussit, ut contumaciam Felicis blandis collocutionibus mollirent. Quam Synodum actam fuisse Orgelli ut comprobem, necesse est ut duo Alcuini testimonia adinvicem componantur. Is libros à se adversùs Elipantum elucubratos Episcopis, quos dixi, transmittit, ut eos in itinere perlegant, & iis utantur ad Fidei prædicationem, quâ defungi eos oportebat ex mandato Gloriosi Principis Caroli, ut ille testatur. Porrò Synodum illam Orgelli coactam res ipsa docet: quoniam, juxta Canones Africanos, Concilia provinciarum iis in locis haberi debent, ubi morbus remedium exposcit; & prædicatio Fidei, juxta Synodi Francofurtiensis definitionem, peragenda erat ubi ab hæresi premebatur. Sed præter argumenta, habemus quoque disertum testimonium, unde Concilii cœtum à Laidrado Lugdunensi & Nefridio Narbonensi Orgelli habitum constare possit. Quippe Felix in formula sua Confessionis ait impletum quod sibi Laidradus Orgelli promiserat. Res autem sic se habet. Felix conventus ab Orgelitana Synodo spopondit se ad Regis aulam venturum, & fidem Catholicam amplexurum, si amicâ collocutione, omni vi remotâ, veterum Patrum testimoniis ostenderetur assertiones ejus esse à veritate alienas. Quod futurum, ut poscebat, Laidradus pollicitus est. Quare Felix anno Caroli Gloriosi Principis trigesimo-secundo, (ut verba Alcuini usurpem lib. 1. contra Elipantum, quod tempus incidit in annum* DCCXCIX) *advocatus voluntariè veniens ad Aquis Palatium, &c.* Sed adversùs hanc ratiocinationem observanda Leidradi, Nefridii, Benedicti, aliorúmque Episcoporum & Abbatum duplex pro causa Felicis in Hispaniam profectio, una quæ præcessit Aquisgranense Concilium, altera quæ seriùs suscepta est Felice jam in eadem Synodo Aquisgranensi, atque in præsentia Regis, Orthodoxam Fidem amplexo. Utramque, in Præfatione librorum adversùs Elipantum, distinxit Alcuinus; priorem sic attigit, *Deo Christo donante cœptum prædicationis opus multa ex parte perfecistis*; posteriorem sic, *ad cujus piissimæ prædicationis venerabile opus, mandante Glorioso Principe & Devotissimo in omni bonitate Carolo Rege vos iterum ituros esse audivimus.* Deinde proximâ periodo palàm significavit libros illos à se scriptos adversùs Elipantum, cùm prædicti Præsules in procinctu essent itineris in Hispaniam secundâ vice suscipiendi. *Ad cujus piissimæ prædicationis venerabile opus, mandante Glorioso Principe & Devotissimo in omni bonitate Carolo Rege vos iterum ituros esse audivimus. Quapropter paucorum arripui laborem dierum in solatium sanctissimi itineris vestri, quatenus haberetis in manibus cujusdam Epistolæ meo nomini directæ ab Elipanto Toletano Episcopo pias & pernecessarias responsiones.* Atque ideo recedimus à præcitatis Auctoribus, qui volunt libros adversùs Elipantum ab Alcuino transmissos esse Leidrado cæterisque Præsulibus, ut eos perlegerent in itinere, cùm Felix adhuc Orgelli moraretur, & hæresim in Aquisgranensi Conventu coram Carolo Rege nondum ejurasset. Series rerum gestarum sic ordinanda. Hoc anno, post Christum natum septingentesimo nonagesimo-nono, Caroli Regis post patris obitum tricesimo-primo, Leidradus aliique Præsules Orgellum directi sunt, convocatâ Synodo Felicem illius urbis Episcopum damna-

AN. CH. 799.
CAROLI R. 31.
PIPPINI LUDOV. RR. 19.
CAROLI R. 11.

a Advers. Felicem c. 18.
b Nu. 16. & seqq.
c Nu. 59. 60.

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

runt, eidémque liberum mox commeatum dederunt, ut in Episcoporum cœtu, præsente Rege, causam suam ageret. Hoc eodem anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono adhuc currente, Caroli verò Regis anno tricesimo-secundo jam inchoato, Felix Aquisgranum perductus est, publicam in Synodo coram Rege disputationem iniit, non violentiâ sed veritate coactus rediit ad Ecclesiam Catholicam, propter frequentes tamen lapsus ab Episcopatu depositus est & ablegatus Lugdunum. Anno postero Alcuinus quatuor adversùs Elipantum libros conscripsit, eósque Leidrado aliísque Pontificibus transmisit perlegendos in itinere, quod in Hispaniam erant *iterum* suscepturi. Actum hactenus de Felice ad Urgellensem usque Synodum ac primam Leidradi profectionem in Hispaniam. Cetera inferiùs hoc eodem anno proximóque narrabuntur.

XXXI. Interim hoc anno Padibornam ad Carolum Regem venit Leo Pontifex. Habebat in suo comitatu complures Antistites, atque inter hos Petrum Mediolanensem Archiepiscopum, cui per idem tempus videtur Alcuinus Epistolam scripsisse, quæ numero est undesexagesima in editione Duchesniana.

LEONEM PP. AD SE VENIENTEM SUSCIPIT.

Leonis autem iter ab Anastasio sic describitur. *Cum aliquibus ex ipsis civitatibus Episcopis, Presbyteris seu Clericis Romanis, & Primatibus civitatum, ad Excellentissimum Dominum Carolum Regem Francorum & Longobardorum, atque Patricium Romanorum profectus est. Ipse verò Christianissimus & Orthodoxus atque Præcipuus Clementissimúsque Rex illicò ut audivit, misit in obviam ejus Hildivaldum Archiepiscopum & Capellanum, & Ascharium Comitem. Et postmodum proprium filium suum Pipinum Excellentissimum Regem cum aliis Comitibus obviam ejus iterum, & usque ubi ipse Magnus Rex obviavit, & sicut Vicarium Beati Petri Apostoli venerabiliter & honorificè cum Hymnis & Canticis spiritalibus eum suscepit, & pariter se complectentes cum lacrymis se osculati sunt. Et prædicto Pontifice* [*Gloria in excelsis Deo*] *inchoante, & cuncto Clero suscipiente, oratio super cuncto populo data est. Tunc Benignissimus Dominus Carolus Magnus Rex antedictum Pontificem conspiciens gratias Deo retulit, qui tam magna mirabilia super famulum suum per suffragia Principum Apostolorum Petri ac Pauli operatus est, & ad nihilum prædictos iniquos viros deduxit. Qui dum in magno honore apud se per aliquantùm temporis eum ipse Serenissimus Rex habuisset, hæc præfati iniqui & filii diaboli audientes, post dira & iniqua incendia, quæ in possessionibus seu rebus Beati Petri Apostoli gesserunt, moliti sunt, Deo illis contrario, falsa adversùs Sanctissimum Pontificem imponere crimina, & post eum ad prædictum mittere Regem, quod probare nequaquam potuissent, quia per insidias & iniquitates eorum, talia nec dicenda Sanctam Ecclesiam humiliare volentes proferebant. Sed dum ad prædictum Clementissimum Magnum Regem præfatus Pontifex in magno & condecenti honore degeret, ex omni parte tam Archiepiscopis quámque Episcopis, & ceteris Sacerdotibus venientibus, unà cum consilio ejusdem Piissimi Magni Regis, omnibúsque eximiis Francis, Deo prævio, Romam illum remeare in suam Apostolicam Sedem honorificè cum nimio, ut decuit, emiserunt honore. Qui per unamquamque civitatem tanquam ipsum suscipientes Apostolum usque Romam deduxerunt. Tunc Romani præ nimio gaudio suum recipientes Pastorem, omnes generaliter in Vigilia Beati Andreæ Apostoli, tam Proceres Clericorum cum omnibus Clericis, quámque Optimates & Senatus, cunctáque militia & universus populus Romanus cum Sanctimonialibus & Diaconissis, ac nobilissimis matronis seu universis fœminis, simul etiam & cuncta schola peregrinorum, videlicet Francorum, Frisonum, Saxonum, atque Longobardorum, simul omnes connexi ad pontem Milvium cum signis & bandis & Canticis spiritalibus susceperunt, & in Ecclesiam Beati Petri Apostoli eum deduxerunt, ubi & Missarum solemnia celebravit, & omnes communiter Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi fideliter participati sunt. Et aliâ die secundùm olitanam consuetudinem Natale Beati Andreæ Apostoli celebrantes Romam intrans cum multo gaudio & lætitia in Patriarchium Lateranense introivit.* Inter Episcopos, qui Leonem è Regio co-

mitatu redeuntem honorificentissimè susceperunt, commendatur Fortunatus Tarvisinus [a].

Multæ res sunt in Anastasii textu, quas opetæpretium videtur nonnullis observationibus illustrare.

Primò, Hildualdus Archiepiscopus & Capellanus, quem Carolus obviam Papæ eum Ascherio Comite direxit, non alius fuit ab Hildebaldo sive Hildeboldo Archiepiscopo Coloniensi, Archicapellano Sacri Palatii, & Apostolicæ Sedis Apocrisiario, de quo non semel jam locuti sumus.

Secundò, Carolus in Saxoniam hoc anno cum tribus filiis, Carolo, Pippino & Ludovico perrexit, Carolum enim natu maximum, quem in suo comitatu retinere consueverat, ultra Wisurgim cum parte copiarum misit. Pippinum autem ex Italia, Ludovicum ex Aquitania nuper revocarat. De Ludovico testis est Astronomus, quem suprà citavimus; Anastasius de Pippino, quem ait ex præcepto patris obvium Leoni processisse; ut & Alcuinus in Poëmate de ejusdem Leonis adventu, sic. XXXII. XXXIII. XXXIV.

Hinc jubet extemplò Pippinum occurrere magno
Pastori, pacem & placidam portare salutem.
Obvius ire parat genitoris jussa facessens.
Pippinus centum latus cum millibus ibat.
Ipse sedet solio Carolus Rex justus in alto
Dans leges patriis, & Regni fœdera firmat.
Utque videt patulo adversùm se tendere campo
Pastor Apostolicus centum cum millibus altum
Pippinum, geminas extollit ad æthera palmas,
Pro populóque preces effundens pectore largas.
Ante Sacerdotem ter Summum exercitus omnis
Sternitur, & supplex vulgus ter fusus adorat.
Mox Leo Papa solo Pippinum more benigno
Excipit, & sacris circumdans colla lacertis
Hæret in amplexu.

Tertiò, cùm Leo & Carolus invicem sibi occurrerunt, Pontifex Hymnum Angelicum cœpit canere, *Gloria in excelsis Deo*. Nicolaus Alemannus [a], ubi Triclinium ab eodem Leone ad excipiendos Imperatores ac Reges extructum describit, observat in absidis hemicyclo hanc epigraphen legi, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Atque inde concludit hunc Sacræ Scripturæ textum Leoni familiarem fuisse, quo frequenter uti soleret ex antiquorum Patrum more, quem ad hanc usque diem à Romanis Pontificibus servatum sic commendat. *Moris fuit antiquorum Patrum ex divinis literis excerptas voces familiares habere, ac omni in negotio usurpare, quibus vel ad Deum excitaretur animus, vel officii moneretur sui, vel Dei numquam oblivisci assuesceret, quod omnes ad hanc diem servant Romani Pontifices.* XXXV.

Quartò, Leo Papa variis plagis affectus est Romæ, septimo Kalendas Maias, in festo Sancti Georgii Martyris, Româ deductus est Spoletum, deinde Paderbornam ad Carolum Regem, & in Italiam reversus solemnia Missarum in Vigilia Beati Andreæ Apostoli, seu tertio Kalendas Decembres, in Vaticana Basilica Sancti Petri celebravit. Hæc constant ex Anastasio, sed quantùm moræ Pontifex in comitatu Regis apud Paderbornam fecerit, haud indicant. Annalista Laureshamensis illam mansionem ultra dies aliquot non extendit. *Venit Pontifex, & valdè honorificè ab illo*, nempe Carolo, *susceptus est: mansitque apud eum dies aliquot. Et cùm ei cuncta, propter quæ venerat, intimasset, iterum Romam cum magno honore per Legatos Regis, qui cum eo missi sunt, reductus, atque in locum suum restitutus est.* XXXVI.

Quintò, Pontifex, quem consilio Caroli Regis in Italiam rediisse diximus, in quibusdam Anastasii Codicibus non *consilio* sed *cum filio* Caroli, XXXVII.

[a] Tom. 5. Ital. Sacr.

[a] Cap. 5.

AN. CH. 799.

CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11. XXXVIII. LEONIS PP. RES GESTÆ IN SAXONIA.

nempe cum Pippino, Romam reversus perhibetur. At refragantur Auctores, qui Leonem *Romam cum magno honore per Legatos Regis*, id est, Caroli, reductum affirmant, ut observatum suprà.

De rebus à Leone in Saxonia gestis Hermannus Stangefolus in Annalibus Circuli Westphalici sic ad hunc annum scribit. *Cùm Leo venisset, dignissimè* Carolus *eum suscepit cum immenso gaudio omnium Christi fidelium, duxit proinde eum per provinciam in longum & latum, ut loca & populum benediceret, & in sancta fide confirmaret, Pontifex autem congratulans ei gratissimè, circuibat, & plures Ecclesias consecravit. Primò consecravit Ecclesiam Paderbornensem in honorem Beatæ Virginis; secundò Ecclesiam in Hamelen in honorem Sancti Bonifacii Martyris; tertiò prope Mindam, in villa montis Widekinberg, Ecclesiam dictam Berchkerchen consecravit in honorem Sancti Nicolai, in hujus Ecclesiæ medio fons est limpidissimus, & campanula quadam, quam Papa ibidem reliquisse fertur; insuper & in Syburg juxta Tramoniam ad milliare consecravit Ecclesiam, & de Reliquiis, Indulgentiis, ac Privilegiis, aliisque beneficiis eodem loco collocatis, multiplex est relatio per totam provinciam.* In libro, qui vitæ Sancti Liborii Cenomannensis Episcopi subjicitur [a], & ejus Reliquias Cenomanno Paderbornam translatas testatur, Leo Paderbornæ consecrat Altare, ibique Reliquias Sancti Stephani Româ delatas recondit. *Cum ingenti, ut par erat, honore susceptus, religiosum ejus*, nempe Caroli Regis, *ac salutare Christianitatis dilatandæ studium nobiliter inchoatum Apostolicô authoritate firmavit, atque in Ecclesia tunc ibidem*, Paderbornæ, *noviter constructo quoddam altare consecrans, adorandas in eo Reliquias protomartyris Stephani, quas secum Româ detulerat, collocavit, fiducialiter id Principi promittens, quòd Oratorium illud, tanti Martyris patrocinio munitum, non ulteriùs passurum foret injuriam, quam, ipso referente, priùs ei contigisse cognovit, ut videlicet ob incolarum loci perfidiam & odium in Religionem Christianam, aliquoties igni traderetur. Et ob hanc maximè causam easdem Reliquias ibidem rogatu Imperatoris*, id est, Caroli Regis, futuri pòst Imperatoris, *recondidit, non sine effectu congruo fiduciæ sponsionisque suæ, cùm nihil tale postmodum illic perpetratum esse certissimum sit.*

[a] Ap Sur. d. 23 Jul.

XXXIX. Scribit Baronius à Leone dedicatam quoque Capellam in *Eresburg*, ubi *Irminsul* quondam steterat celeberrimum apud Saxoniæ populos idolum, de quo fusè ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-secundum [b] disseruimus. In Annalibus Circuli Westphalici, Capella illa, quoniam parva, & ad radicem montis in humili loco sita, paganis in contemptum ac ludibrium venit, eâque re commotus Carolus insignem ad latus montis ædificat Ecclesiam cum Collegio Sebydra nuncupato, quod Henricus Auceps Walslebium & Otto Magnus Magdeburgum posteà transferunt.

[b] Cap. 5.

XL. Leo eundem locum apud Baronium, qui Regestum Innocentii Quarti Papæ citat, hoc munit Privilegio. *Leo servus servorum Dei, Carolo Magno * Romanorum Imperatori. Piæ tuæ petitioni per omnia congaudentes, quod jubes, annuere non tardamus. Igitur hunc montem Eresburg, quem expugnatum cum tota Saxonia Deo obtulisti, & per nos Beato Petro consecrasti, liberum ab omni humana potestate esse, & fratrum inibi ad Christi servitium adunatorum ditioni tantummodo parere censemus. Qui ne aliquid in hoc impedimenti patiantur, neve Regni vestri invasoribus aliqua rebellandi fiducia præparetur, sub anathemate, Sancti Petri auctoritate interdicimus, ne quis unquam bellica in ipso monte præsidia collocare, aut per te collata prædia, aut decimas circa montem per duas Saxonicas rastas, quas illuc delegasti, audeat deripere *. Hac conservantibus sit pax à Deo patre, infringentibus excommunicatio, & à beatorum Collegio sit separatio in æternum. Dat. Eresburg per manus Joannis Bibliothecarii & Cancellarii Ecclesiæ Romanæ, VIII Kal. Januar. anno Domini .... Leonis III quarto, Indictione septimâ *, die Dedicationis Capellæ in Eresburg.* Idem quoque Privilegium ex Baronio recitant Binius [c] & nuperi Collectores [d] Conciliorum.

* Regi Francorum

* Stangefol. deripere

* octavâ

[c] Tom. 3.

[d] Tom. 7.

Recitat & Stangefolus [a], at expurgatum mendis, quorum emendationes ad oram à Baronio positas reperit. Illud enim non *Romanorum Imperatori* sed *Regi Francorum* inscriptum exhibet, cum duplici Indictione, septima scilicet & octava, quarum unam Baronius ex Codice à se consolto repræsentat, alteram verò reponendam censet. Sunt autem alia plurima, quæ suppositicium ostenduot hoc Diploma.

[a] Lib. 2.

XLI. Primò, complures extant Leonis ad Carolum literæ, in quibus Leo nomen Caroli suo semper præpooit. Nec id mirum euiquam videri debet, cùm apud Willhelmum Malmesburiensem [b] Kenolfo Regi Merciorum non aliter scribat. *Domino Excellentissimo filio Regi Merciorum provinciæ Saxoniæ, Leo Papa.* Eaodem ioscriptionis formulam io suis ad Carolum Martellum ejúsque filium Pippinum ac nepotes Carolum & Carolomannum epistolis observarunt Leonis antecessores, Gregorius Tertius, Zacharias, Stephanus Tertius, Paulus, Stephanus Quartus, & Adrianus, ut patet ex Codice Carolino, quem sæpissimè citavimus. Ergo fictitiæ sunt literæ, io quarum inscriptione Leo nomen Caroli suo postpooit; seu Carolum Romaoorum Imperatorem vocat, *Leo servus servorum Dei, Carolo Magno Romanorum Imperatori*; seu Regem Francorum dicit, *Leo servus servorum Dei, Carolo Magno Regi Francorum.*

[b] Lib. 1 de Gest. RR. Angl. c. 4.

XLII. Secundò, Baroovius, licèt annum Domini seu Dominicæ Incarnationis reticeat, illum tamen io Codice, quo usus est, notatum sic subindicat. *Anno Domini* ...... Stangefolus anoum Christi septingentesimum oonagesimum-nonum sic adscribit. *Anno Domini 799.* Alius annus non coovenit, hoc enim anno io Saxoniam, ubi situm Eresburgum, profectus est Leo. Sed hic Pontifex oec hunc nec alium Dominicæ Incarnationis aooom suis unquam literis apposuit. Atqoe ex hac observatione constat suppositiciam esse quam examinamus epistolam.

XLIII. Tertiò, duplex est nota falsitatis in his verbis, *anno Leonis III quarto*, quia Leo nec sui Pontificatûs annum suis adscripsit epistolis, nec inter Romanos Pontifices sui nominis quotus esset, onquam significavit.

XLIV. Quartò, manifestissimus est error in die, VIII *Kal. Januar.* Leo enim hoc anno, quo Saxoniam adiit, Romà, teste Anastasio, nondum discesserat nono Kalendas Maii, quo die memoria Sancti Georgii peragitur, atque hoc ipso aono post suum è Saxonia reditom *Natale Beati Andreæ Apostoli* pridie Kalendas Decembris Romæ celebravit. Capellam igitur apud Erisburgum in Saxonia non dedicavit octavo Kalendas Januarii.

XLV. Leo Romam reversus est, delegatis à Carolo Rege, qui venirent *in Pontificale obsequium*, ut Anastasius scribit, *fidelibus Missis, videlicet Hildivaldo & Arno Reverendissimis Archiepiscopis; & Caniberto, Bernharto, Hattone, & Thesse, Sanctissimis Episcopis; necnon & Flacco electo Episcopo; verùm etiam Helmgoth, Rothegario, & Germano, Gloriosis Comitibus.* Hildivaldus sive Hildebaldus Archiepiscopus erat Coloniensis ab anno Christi septiogeotesimo nonagesimo-tertio; Arnus sive Arno ex Episcopo Salisburgiensi factus fuerat Archiepiscopus anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo, eodémque anno Bernharæus seu Bernardus ad Wormatiensem Episeopatum, Hatto ad Pataviensem assumpti fuerant; & Jesse, corruptè Tesse, hoc ipso anno post Christum natum septingentesimo nonagesimo-nono in Ambianensem Episcopatum Georgio seu Gregorio nupertimè successerat. Hæc sois locis probata. De Cunibetto autem & de Flacco nihil legimus.

REDITUS IN ITALIAM.

XLVI. Gobelinus Persona in vita [c] Sancti Meinulphi Diaconi Paderbornensis, annum, quo Leo Papa Paderbornam venit, cum anno quarto Hatumari Paderbornensis Episcopi componit, eodémque aono Baptismum Meinulphi sic consignat. *Carolus Magnus Canonicum Ecclesiæ Herbipolensis Hatumarum, natione Westphalum, primum illic Episcopum instituit, cujus Episcopatûs anno quarto Leo Pontifex Romanus, ejus nominis Tertius, ab æmulis Romà pul-*

[c] Ap. Sur. d. 5 Octobr.

MEINULPHUS BAPTIZATUR.

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

sui, ad Regem Carolum Paderbornam venit, & ab eo honorificè imprimis acceptus, Sedem illam authoritate Apostolicâ confirmavit. Per id tempus vir quidam opulentus & nobilis non longè ab eo loco habitans, Christianâ Religione jam initiatus, viam universæ carnis ingressus est, relictâ uxore Catholicâ Wigtrude, & parvo filio, qui, etsi per ætatem ambulare jam posset, necdum tamen Baptismatis fonte renatus erat. Eâ ergo Wigtrudis captatâ opportunitate ad Carolum Regem cum filiolo suo fidenter accessit, atque ejus gratiam & benevolentiam studuit promereri. At Rex fœminam humaniter & piè accipiens, filium ejus coram se curavit baptizari, & eum de sacro fonte suscipiens, Meinulphi nomen ei imposuit. Plura inferiùs de Meinulpho suis locis.

XLVII. Reverso in Urbem Romano Pontifice, Theodulfus Aurelianensis Episcopus Carmen [a] edidit, in quo reliquit incertum, an oculis penitus orbatus Leo, quem tamen & Petro Apostolo & Carolo Regi obligatum cecinit, illi ob receptam sanitatem, huic ob recuperatam Sedem.

[a] Lib. 3 carm. 6.

Arma es Pontificum, spes & defensio Cleri,
Per te Pontifices jura sacrata tenent.
Mentior, expertus si non Leo Præsul id ipse est,
Quod recinet modulo fistula nostra brevi.
Quem malè dejecit sua gens, Urbs, atque Cathedra,
Quem letho potiùs, quàm tibi, vita, dedit.
Quem benè suscepit tua, Rex, miseratio clemens,
Solatur, mulcet, persovet, ornat, alit.
Quem furibunda manus spoliavit lumine, linguâ,
Vestibus & sacris, ordinibúsque piis.
Reddidit hæc Petrus, quæ Judas abstulit ater,
Hic qui Confessor, proditor ille Dei est.
Seditiosa cohors Judam est hac parte secuta,
Ille necem Domini, Præsulis ista volens.
Reddita namque negat, negat hæc ablata fuisse,
Hæc auferre tamen se voluisse canit.
Reddita sunt, mirum est; mirum est auferre nequisse,
Est tamen in dubio hinc mirer an inde magis.
Nam salvare Petrus cùm posset in urbe Quirina,
Hostibus ex atris insidiisque feris.
Hoc tibi salvandum, Rex Clementissime, misit,
Téque suâ voluit fungier ille vice.
Per se reddit ei membrorum damna pavenda,
Et per te Sedis Officiique decus.
Cœli habet hic Claves, proprias te jussit habere,
Tu regis Ecclesiam, nam regit ille poli.
Tu regis ejus opes, Clerum populúmque gubernas,
Hic te cœlicolas ducet ad usque choros.
Ergo sede tua sanate in Sede Sacerdos,
Et Regi à Domino posce libenter opem.
Ut det ei Christus vitam, tribuátque salutem,
Illius & Regnum semper ad alta levet.

XLVIII. Carolus Paderbornæ, post Leonis Papæ decessionem, paucos dies moratus est, cùm Caroli filii reditum ex interiore Saxonia præstolaretur. Tunc edidisse creditur Capitulum, quod est centesimum quartum in libro septimo Capitularium, adversùs eos à quibus contumeliam patiebatur, quasi Episcopos & Sacerdotes ad pugnam ire idcircò vetuisset, ut honor eis minueretur. Asserit usum se Leonis Papæ consilio, quocum certè versatus est hoc anno, ut dictum suprà. Capitulum autem tale est. *Quia instigante antiquo hoste audivimus quosdam nos suspectos habere, propterea quòd concessimus Episcopis & Sacerdotibus ac reliquis Dei servis, ut in hostes, nisi duo aut tres*

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

EPISCOPIS ET SACERDOTIBUS CUR PROHIBITUM, NE PROPERENT AD BELLUM.

*Episcopi à ceteris electi, & Sacerdotes similiter perpauci ab eis electi, non irent, sicut in prioribus nostris continetur Capitularibus, nec ad pugnam properarent, nec arma ferrent, nec homines tam Christianos quàm paganos necarent, nec agitatores sanguinum fierent, vel quidquam contra Canones facerent, quòd honores Sacerdotum & res Ecclesiarum auferre vel minorare eis voluissemus: quod nullatenus facere velle, vel facere volentibus consentire, omnes scire cupimus. Sed quantò quis eorum ampliùs suam normam servaverit, & Deo servierit, tanto eum plùs honorare & cariorem habere volumus. Et ut hac certiùs credantur, & per futura tempora conserventur, præcipimus ut nullus res Ecclesiæ nisi precario possideat, & postquàm ipsa precaria finita fuerint, faciant potestativè speculatores Ecclesiarum utrum elegerint, aut ut ipsas res recipiant, aut posteris eorum sub precario & censu habere permittant. Ita tamen ut ipsi proprias & utiles res eisdem Ecclesiis, de quarum jure esse videntur, legaliter tradant, & sic à Rectoribus earumdem Ecclesiarum precariæ, si renovandæ sunt, canonicè renoventur. Novimus ergo multa Regna & Reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliaverunt, résque earum vastaverunt, abstulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt: sed terga multi vulnerati & plures interfecti verterunt, Regnáque & regiones, &, quod pejus est, Regna cælestia perdiderunt, atque propriis hæreditatibus caruerunt & hactenus carent. Quæ omnia vitantes, nec talia facere, nec consentire, nec infantibus aut successoribus nostris exemplum dare volumus, sed, quantùm valemus & possumus, adjuncto Leonis Papæ & omnium Episcoporum, quorum consilio usi hoc egimus, spiritu nostro spiritui, per Deum & omnium Sanctorum merita prohibemus contestamúrque, ne talia faciant, vel facere volentibus consentiant, sed adjutores & defensores atque sublimatores Ecclesiarum & cunctorum servorum Dei pro viribus existant, ne in foveam, in quam prædicti Reges & Regna ceciderunt, cadant, aut in profundum, quod absit, inferni demergantur. Et ut hae devotiùs per futura tempora conserventur, præcipientes jubemus, ut nullus tam nostris quàm futuris temporibus, à nobis vel successoribus nostris, ullo unquam tempore, absque consensu & voluntate Episcoporum, in quorum Parrochiis esse noscuntur, res Ecclesiarum petere, aut invadere, vel vastare, aut quocunque ingenio alienare præsumat. Quòd si quis fecerit, tam nostris quàm & successorum nostrorum temporibus, pœnis sacrilegii subjaceat, & à nobis atque successoribus nostris nostrísque Judicibus vel Comitibus, sicut sacrilegus & homicida, vel fur sacrilegus, legaliter puniatur, & ab Episcopis nostris anathematizetur, itaut mortuus etiam sepulturâ & cunctis Dei Ecclesiæ precibus & oblationibus careat, nec eleemosynam suam quisquam recipiat. Quod autem maximum sacrilegium sit res Ecclesiæ auferre, invadere, alienare, vastare, vel subripi, maximè omnes Scripturæ divinæ testantur, & Beatus Symmachus Papa Synodali sententiâ cunctos feriendo dicit. Iniquum est, inquit, & sacrilegii instar, eâ * quæ vel pro salute, vel pro requie animarum suarum, unusquisque venerabili Ecclesiæ pauperum causâ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, à quibus maximè servari convenerat, auferri aut in aliud transferri. Et multa Sanctorum Canonum Decreta, & Sanctorum Patrum Edicta, hæc eadem testantur, quæ scrutari & scire cupientibus perfacilè patent.*

* *ut*

XLIX.

DANIEL A SICILIÆ PRÆFECTO LEGATUS AD CAROLUM MITTITUR.

Carolus, cùm adhuc Paderbornæ morabatur, Legationem à Siciliæ Præfecto suscepit, & Duces Gerholtum atque Henricum interfectos, illum in Pannonia, hunc in Liburnia, luctuoso prorsus nuncio rescivit. Illis de rebus Annalista Laureshamensis ita scribit. *Pontifex Romam cum magno honore per Legatos Regis, qui cum eo missi sunt, reductus, atque in locum suum restitutus est. Quo dimisso, Rex paucos dies ibidem*, id est, Padrabunnæ seu Paderbornæ, *moratus, Legatum Michaelis Patritii de Sicilia, nomine Danielem, ad se missum absolvit. Accepit etiam triste nuncium de Geroldi & Erici interitu; quorum alter, Geroldus videlicet Bajoariæ Præfectus, commisso cum Hunis prælio, ecidit; alter vero, id est, Ericus, post multa prælia & insignes victorias apud Tarsaticam Li-*

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

burniæ civitatem insidiis oppidanorum interceptus atque interfectus est. Joannes Lucius libro primo [a] de Regno Dalmatiæ & Croatiæ hunc textum allegat, & vocabulum *ibidem*, quod apud Annalistam legitur, non refert ad Paderbornam, ubi Rex Caroli filii reditum expectavit, sed ad Aquisgranum, quò relictâ Paderbornâ, post ejusdem filii reversionem se contulit. Opinionem suam tueri potest auctoritate Reginonis, cujus hæc sunt verba. *Rex, recepto cum prosperitate filio, Aquas repedavit, ubi Legatus Michaelis Siciliæ Præfecti, nomine Daniel, ad Deum venit, atque inde cum magno honore dimissus est. Eodem anno gens Avarorum à fide, quam promiserat, defecit, & Henricus Dux Forojulianorum post tot victorias prosperè gestas juxta Tharsicam Liburniæ civitatem insidiis civium oppressus est. Per id tempus Geroldus, cùm esset Bajoariæ Præfectus, commisso cum Avaribus prælio, interficitur.* Cum Reginone conveniunt Annalista Metensis, & Monachus Egulismensis. At potior videtur auctoritas Annalistæ Laureshamensis, quocum Loiselianus ac Bertinianus & incertus Auctor in vita Caroli consentiunt, ubi Danielem aiunt ad Regem venisse, cùm esset in expeditione Saxonica. *In eadem*, inquiunt, *expeditione Legatus Michaelis Siciliæ Præfecti, nomine Danihel, ad Dominum Regem venit*, &c. Auctores, quos conferre cum Annalista Laureshamensi consuevimus, ea tantùm, quæ memoravimus, de Daniele referunt. Obiræ Legationis duplex scopus esse potuit, ut & Francos inter ac Græcos pax arctiùs firmaretur, & Siculis, si quod eis periculum à Saracenis Baleares Insulas anno priore populatis immineret, opem ferrent Franci. Quæcumque Siculorum postulationes fuerint, eas Carolo multùm placuisse credimus, quia Danielem & intra paucos dies & magno cum honore dimissum Auctores præcitati testantur. Ut Christianæ fidei cultoribus, quales erant Siculi sub imperio tunc Græcorum, Carolus amicum se præstitit, sic & ofosibus, quales erant Saraceni, semper hostem se præbuit.

[a] Cap. 15.

L. GEROLDUS BOJOARIÆ PRÆFECTUS IN PRÆLIO CONTRA HUNNOS DESIDERATUR.

Hoc *eodem anno*, ut Annalista Loiselianus affirmat, *gens Avarorum à fide, quam promiserat, defecit, & Geraldus Comes Bajoariæ Præfectus commisso contra Avares prælio cecidit.* Hujus seu Comitis seu Ducis, qui regimini Bojoariæ præpositus à Carolo fuerat, nomen variis modis effertur; in vulgatis enim Annalibus Laureshamensibus *Gerholtus* scribitur, Geraldus in Loiselianis, *Giraldus* in Metensibus, *Gaeraldus* in Tilianis, *Geroldus* in Fuldensibus & Bertinianis, quibus etiam consentiunt Codex Armaniacus, Regino, & incertus Auctor, ut Loiselianus Monachus Egolismensis. De Geroldi cæde ac sepultura sic Melchior Inchofer in Annalibus Ecclesiasticis Hungariæ. *Hic acie instructâ, maxime jam conserturus inter ordines obequitans, dum aptâ oratione militum animos erigit, certam adversùs hostem victoriam spondens, incertum cujus virtute an scelere, improvisò cecidit; nam equites eum comitati duo, simul interfecti sunt: facti author latuit, corpus in Augia Monasterio conditum. Incidit hujus interitus in primum Septembris diem, feriâ tertiâ connexum.* At hic Auctor perperam primum Septembris diem *feriæ tertiæ* connectit, hoc enim anno, quo veteres quique Scriptores necem Geroldi consignant, Kalendæ Septembres cum die Dominica coincidunt currente literâ Dominicali F. Joannes Adlzreitterus in Annalibus Boicæ gentis hunc Inchoferi lapsum agnovit cavitque, nam Kalendas tantùm Septembres omissâ fetiâ sic notavit. *Ipsius mors incidit in Cal. Septemb.* Regino & Annalista Metensis *in Augia* sepultum tradunt, visionisque Wetino cuidam ublatæ mentionem sic faciunt. *In Augia sepelitur, de quo in visione Wetini legitur, quòd inter Martyres sit adnumeratus.* Velserum de Wetino scribentem sic allegat Inchofer. *Vetinus Monachus triduo, prinsquàm è vita excederet, viso divinitus objecto* Geroldum *Martyribus annumerandum monuit, uti ab Heitone Basiliensi Episcopo, qui Vetino familiariter usus est, proditum. De Geroldo, inquit, etiam quondam Comite, dixit idem Angelus, quòd in requie esset, gloriæ Martyrum adæquatus; zelo, inquiens, Dei, in defensione Sanctæ Ecclesiæ infidelium,*

AN.CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

turbis congressus, temporalis vitæ dispendia passus, ideo æternæ vitæ particeps effectus. Adlzreitterus eadem repetit, & Wetinum Augiensibus Monachis accensere non dubitat. *Demortui* Geroldi *cadaver illatum conditorio Monasterii Augiensis, quod ipse, dum esset in vivis, largè locupletaverat. Wetinus ejusce Cœnobii sodalis, vir raræ sanctimoniæ & particeps visorum cælestium, triduo antequàm vitâ excederet, objectâ divinitus revelatione, eum Sanctis Martyribus coæquavit, quòd vitam fidei tutelæ impendisset, &, quemadmodum ejus Epitaphium loquitur, pro vera pace Ecclesiæ peremptus oppetiisset, animámque dedisset sideribus. Ipsius mors incidit in Cal. Septemb. Wetini oraculum refert Hetto Episcopus Basileensis, qui ejus consuetudine familiariter usus est.* Wetinus Augiensium Ascetarum sodalitio non temerè videtur adscribi, quia non Episcopatum modò Basileensem, sed & Augiense Monasterium, ut infrà dicturi sumus, rexit Episcopus simul & Abbas Heito. Epitaphium Geroldi sic apud Canisium [a] legitur.

SEPELITUR IN MON. AUGIENSI.

[a] Tom 6. antiq. lect.

Mole sub hac Magni servantur membra Geroldi,
Hujus jura loci cunctis qui viribus auxit.
Pannoniis vera Ecclesiæ pro pace peremptus
Oppetiit, sævo, Septembribus, ense, Kalendis,
Sideribúsque animam dedit: artus Saxo fidelis
Abstulit, huc retulit, dignóque hic clausit honore.

LI. Andreas Brunnerus in Annalibus Boicis [b] scribit *tantùm* abfuisse, *ut* Geroldi *mors Francis Boiisque animos dempserit, ut auxerit etiam, curámque injecerit illustre documentum barbaris dandi, ad illos profligandos sibi ducem nunquam defore, veterem virtutem suam sequentibus.* Et sanè hoc anno finis impositus Avarico bello, quod anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo inchoatum diximus, & annos octo perdurasse testis est Eginhardus [c], à quo mutuati sumus, quæ sequuntur de illius belli magnitudine & diuturnitate. *Maximum omnium quæ* à Carolo *gesta sunt bellorum, præter Saxonicum, bello* contra Wilsos *successit illud, quod contra Avares sive Hunos susceptum est, quod ille & animosius quàm cetera, & longè majori apparatu administravit. Unam tamen per se in Pannoniam (nam hanc provinciam ea gens tum incolebat) expeditionem fecit, ceteras filio suo Pippino ac præfectis provinciarum, Comitibus etiam atque Legatis perficiendas commisit. Quod cùm ab his strenuissimè fuisset administratum, octavo tandem anno completum est. Quot prælia in eo gesta, quantùm sanguinis effusum sit, testatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus in quo Regia Cagani erat, ita desertus, ut ne vestigium quidem in eo humanæ habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia & congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt. Neque ullum bellum contra Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati & opibus aucti sint. Quippe cùm usque in id temporis penè pauperes viderentur, tantùm auri & argenti in Regia repertum, tot spolia preciosa in præliis sublata, ut meritò credi posset, hoc Francos Hunis justè eripuisse, quod Huni priùs aliis gentibus injustè eripuerunt. Duo tantùm ex Proceribus Francorum eo bello perierunt; Ericus Dux Forojulii in Liburnia juxta Tarsaticam maritimam civitatem insidiis oppidanorum interceptus; & Gerholdus Bajoariæ Præfectus, dum in Pannonia contra Hunos præliaturus aciem strueret, incertum à quo, cum duobus tantùm, qui eum obequitantem ac singulos hortantem comitabantur, interfectus est. Ceterùm incruentum penè Francis hoc bellum fuit, & prosperrimum exitum habuit, tametsi diutiùs sui magnitudine traheretur.*

[b] Lib. 6. n. 5.

FINIS BELLO HUNNICO FELICITER IMPONITUR.

[c] In vit. Car. M.

LII. Eginhardi textu nituntur recentiores, qui non Geroldum modò Præfectum Bojoariæ, sed etiam Henricum Ducem Forojuliensem in Hunico bello periisse contendunt. Hoc autem loco Eginhardum inter & Annalistam quem vocamus Laureshamensem nonnihil occurrit discrepantiæ, quod & illum Annalistam ostendit ab Eginhardo differre, & auctoritatem elevat ejusdem Eginhardi quem errore lapsum sæpè demonstravimus. Annalista de Carolo

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

Padibornæ tunc commorante sic ad hunc annum scribit. *Accepit etiam triste nuncium de Geroldi & Erici interitu; quorum alter, Geroldus videlicet Bajoariæ Præfectus, commisso cum Hunis prælio cecidit; alter verò, id est, Ericus, post multa prælia & insignes victorias apud Tarsaticam Liburniæ civitatem insidiis oppidanorum interceptus atque interfectus est.* Ex hoc certè textu nemo colliget Ericum sive Henricum Ducem Forojuliensem in bello adversùs Hunnos periisse, imò Joannes Lucius [a] *Liburniam ab Erico, Forojulii Ducis titulo, simul cum Istria ceterisque circumjacentibus Slavicis regionibus rectam* scribit, *quum illa Tarsaticensium Liburnorum insidia in Ericum Ducem, jam ejus præfectum perpetrata dici debeant.* Agemus anno proximo de profectione Caroli Regis in Liburniam déque supplicio, quod de Tarsaticensibus ad ulciscendam Henrici necem sumpsit; hic observa tantùm ex eodem Lucio, *quòd Carolum tunc, uti Dominum & Judicem, non uti inimicum injuriam ultum dicendum est.* Ergo Henricus non occubuit in bello Hunnico, sed à rebellibus occisus est intra fines Ducatûs seu Præfecturæ, cui præpositus à Carolo fuerat.

HENRICUS DUX FOROJUL. OCCIDITUR A TARSATICENSIB.

[a] Lib. 1. c. 15.

LIII. REGIUM DIPLOMA PRO MON. S. MAXIMINI TREVIR.

Annalista Laureshamensis, postquàm de Legatione Danielis, déque interitu Gerholti & Erici disseruit, Carolum è Saxonia, ubi Padiborna, reversum esse eis Rhenum atque Aquisgrani hyemasse testatur. Extat Caroli Regis Diploma, datum Padibornæ, mense Augusto, de cujus anno, qui legi non potuit in exemplari, per antecessum ad annum ejusdem Regis quartum, Christi septingentesimum septuagesimum-secundum [b] jam disputavimus. Præceptum illud hoc anno, cùm Carolus Padibornæ versabatur, emissum videtur. Est autem hujuscemodi [c]. *In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Notum sit omnibus in Christum fideliter credentibus Regibus, Episcopis, Ducibus, quòd ego Karolus gratiâ Dei Rex Francorum, Longobardorum, ac Patricius Romanorum, pro remedio animæ meæ atque stabilitate Regni nostri, Sanctorum Monasteria, sub meo regimine constituta, taliter volo per successiones temporum manere illæsa, qualiter per antecessoris mihi Privilegia inveni esse firmata. Proinde quia Abbatiam Sancti Maximini in Privilegio mei genitoris Pippini, sub ipsius mundiburdio constitutam reperi, ego quoque delibero testamentum facere, per quod ipse locus, ad quem Monachi ibi conversantes sub nostra defensione cum quiete valeant vivere & orationi vacare. Quapropter Werinolfo Abbati de eodem Monasterio supradicti Confessoris Christi, quod est constructum Treveris, atque dedicatum in honore Sancti Joannis Apostoli & Evangelistæ, Monachisque in eodem loco Christo famulantibus Regali auctoritate seu potestate concedimus, ut habeant in secula post nos futura liberam potestatem eligendi Abbatem inter ipsos Monachos. Si autem ibi non potest inveniri, eligant sibi ubi voluerint. Insuper nostrâ Præceptione constituimus, atque inconvulsè firmamus, ut nullus Regum nobis succedentium, vel alia persona aliqua, contra eumdem locum vel Monachos in tota Abbatia ullam potestatem exercere præsumat; nec teloneum usquam à navibus eorum exigat, seu placitum teneat, sine jussione & petitione Abbatis, sed securè & cum pace maneat locus ille sub nostro & successorum nostrorum mundiburdio. Et ut istius Chartæ auctoritas firmiter per tempora habeatur, nostra manûs signaculis eam affirmare decrevimus, & annulo nostro firmari jussimus. Data mense Augusto, anno x..... Regni nostri. Acta Padreburna, fisco nostro super..... Signum Karoli Gloriosissimi Regis.* E literis numeralibus, per quas annus Caroli Regis designabatur, prima tantùm superest, ceteræ desiderantur, atque ita suppleri possunt debéntque, *anno* XXXI *Regni nostri.* Pippini Præceptum, cujus mentionem facit Carolus, descriptum habes Tomo superiore [d].

[b] Num. 32.
[c] Ap Miræum in Diplom. Belg. c. 8.
[d] Ad an. 766. n. 1.

LIV. LUDOVICUS AN AQUITANIAM REDIT ADDITA ZATI BARCINONENSIS PRÆFECTI DEFECTIONE.

De reditu Caroli Regis è Saxonia sic Annalista Laureshamensis. *Rebus Saxonum pro rerum opportunitate dispositis Rex in Franciam*, id est, eis Rhenum, *revertitur.* Addit hic Auctor Carolum *Aquisgrani* hyemasse, ubi *Natalem Domini celebravit.* Priùs autem in Aquitaniam remisit Ludovicum filium, de quo sic Astronomus. *In Saxonia cum Patre usque ad Missam Sancti*

AN. CH. 799.

Martini perduravit. Inde à Saxonia cum patre exiit, & in Aquitaniam magnâ hyemis exactâ parte concessit. Reditûs duplex assignari potest causa; Zati Barcinonensis Præfecti defectio, & Legatio ab Oscæ Præfecto ad Carolum directa. Veteres Annalistæ [a] Barcinonam post biennem obsidionem anno Christi octingentesimo primo captam sic asserunt. *Ipsa æstate capta est Barcinona civitas in Hispania, jam biennio obsessa; Zatus Præfectus ejus & alii complures Saraceni comprehensi.* Et Annalista Laureshamensis, cui Loiselianus, Fuldensis, Bertinianus, & Metensis consentiunt, de Oscensi Præfecto sic ad hunc annum scribit. *Azan Saracenus Præfectus Oscæ claves urbis cum aliis donis Regi* Carolo *misit, promittens eam se dediturum si opportunitas eveniret.*

Variæ Legationes ad Carolum: ex Hispania,

LV. Carolus, cùm Aquisgrani esset, præter Oscensis Præfecti Nuncium tres alios suscepit; unum ex Britannia Cismarina, alterum ex Balearicis Insulis, tertium ex civitate Hierosolymitana, quid de singulis iidem scripserint Annalistæ, per ordinem accipe.

LVI. ex Britannia Cismarina,

Rebus Saxonum pro rerum opportunitate dispositis, Rex in Franciam revertitur. Et cùm Aquisgrani hyemaret, Wido Comes ac Præfectus Britanici limitis, qui eodem anno cum sociis Comitibus totam Britonum provinciam perlustraverat, arma Ducum, qui se dediderunt, inscriptis singulorum nominibus, detulit. Videbatur enim ea provincia tum ex toto subacta, fuissétque, nisi perfidæ gentis instabilitas citò id aliorsum more solito commutasset. Ita Laureshamensis Annalista, quocum Loiselianum & ejus asseclas conferendos subjicimus. *Wido Comes, qui in marca Brittanniæ præsidebat, unà cum sociis Comitibus Brittanniam ingressus, totámque perlustrans in deditionem accepit, & Regi de Saxonia reverso arma Ducum, qui se dediderant, inscriptis singulorum nominibus, præsentavit. Nam his se & terram & populum unusquisque * illorum tradidit, & tota Brittanniorum provincia, quod nunquam anteà *, à Francis subjugata est.* Cismarinam Britanniam Regno Francorum adjecit Clodoveus Magnus. Id egregiè docet Gregorius Turonensis [b] textu non semel à nobis jam citato. *Semper Britanni sub Francorum potestate post obitum Regis Clodovechi fuerunt, & Comites non Reges appellati sunt.* Iidem tamen Britanni posteà tumultuati sunt, Francorum dominationem sæpè tentarunt excutere, Regium quoque Titulum plerumque affectarunt. At toties à Regibus Francorum repressi sunt, ut suis locis ostendimus. Auctores igitur, qui Britanniam, *vel nunquam* ante hunc annum à Francis subjugatam, vel hoc anno *ex toto* subactam scribunt, benignè sic interpretare, ut deditionem Francis à Britannis nunquam adeò demissè factam fuisse, vel fieri potuisse censeas, quod Caroli latissimè dominantis potestati dandum. Annalista Laureshamensis rectè exprobat *perfidæ gentis* instabilitatem, quæ rebellionem rursum molietur, & ad officium non aliter quàm victricibus armis Francorum revocabitur.

LVII. ex Balearibus Insulis,

Insulæ Baleares, quæ anno priore deprædatæ sunt à Mauris & Sarracenis, postulato & accepto à Domno Rege auxilio, tradiderunt se illi, & defensæ sunt à prædonibus. Nam prælio facto Franci Mauros & Sarracenos prostraverunt, & signa sublata Domno Regi repræsentaverunt. Hæc Monachus Egolismensis in vita Caroli, nec aliter scribunt Annalistæ, Loiselianus, Fuldensis, Bertinianus, & Metensis, cum incerto Auctore & Reginone. De Balearibus ad annum præcedentem sic Annalista Laureshamensis. *Insulæ Baleares, quæ nunc ab incolis earum Majorica & Minorica vocitantur, à Mauris piraticam exercentibus deprædatæ sunt.* Deinde ad hunc annum, *allata sunt*, inquit, *& signa, quæ occisis in Majorica Mauris prædonibus erepta sunt.* Ne videatur hic Auctor à ceteris dissidere, rerum in Balearibus gestarum seriem sic contexe. Saraceni Baleares Insulas anno priore populati sunt, incolæ spem omnem collocarunt in Carolo Francorum Rege, cujus potestati se libenter subdiderunt hoc anno, cùm priùs auxilium ab eo postulassent accepissentque; subsecutum inde Balearicum bellum Francos inter ac Sara-

[a] Lauresh. Loisel. Bertin. Met.

* uniuscujusque

* anteà à Francis fuerat.

[b] Lib. 4 c. 4.

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

cenos, victique in Majorica Insula Saraceni, quorum signa in monumentum victoriæ Carolo tunc apud Aquisgranum commoranti delata sunt. In illis autem Insulis duæ Sedes erant Episcopales; una in primaria Majoricæ urbe, cui nomen Palma, hodie Majorica; altera in primaria Minoricæ urbe, cui nomen Jamna, hodie Ciradella. Celebrantur apud antiquos Auctores Episcopi de Majorica seu Majoricensis Insulæ & de Minorica seu Minoricensis Insulæ. De Metropolitano, cui suberant, recentiores disputant Geographi. Carolus à Sancto Paulo in Geographia Sacra [a] Calaritano Metropolitæ non Sardiniæ modò sed etiam Balearium Insularum Episcopos subjicit. At Lucas Holstenius in annotationibus ad eandem Geographiam asserit Baleares Insulas ad Ecclesiasticum Hispaniæ regimen pertinuisse, nec id levi probat argumento ex undecimo libro Registri Gregoriani, nam Gregorius Magnus multas epistolas cùm Vitali Defensori Caralitano seu Calaritano tum Joanni Defensori in Hispaniam misso inscripsit, atque inter has illam, quæ numero est quinquagesima-quarta prædicti libri, non Vitali sed Joanni direxit præcipiens ut accederet ad Monasterium situm *in Capricana* * *Insula, quæ juxta Majoricam Insulam est posita*, & Monachorum illic conversantium vitam morésque perversos corrigeret, *sicut Canonicus ordo desiderat*. Philippus Ferrarius Baleares Insulas sub Archiepiscopo quoque Tarraconensi collocat [b]. Hæc simul collata facilè nos adducunt, ut earumdem Insularum Episcopos ab antiquo paruisse Tarraconensi Metropolitæ censeamus. Ideóque Narbonensi provinciæ deinceps illos accensebimus. Pippinus enim & Carolus quas in Hispania Tarraconensi Diœceses civitatésque Saracenis eripuerunt, eas attribuerunt provinciæ Narbonensi, quia Tarraco civitas primaria provinciæ Tarraconensis sub jugo Saracenorum adhuc gemebat.

[a] Lib. 2.

* Cabrera

[b] In voc. Palma

LVIII. EX ORIENTE.

Monachus quidam de Hierosolymis veniens, benedictionem [illegible] *Reliquias de loco Resurrectionis Dominicæ* (sive *de sepulchro Domini*, vel *benedictionem de Reliquiis sepulchri Domini*) *quas Patriarcha Regi miserat, detulit.* Hæc veteres Annalistæ, quorum phrases in eundem sensum recidentes, si lubet, simul confer.

LIX. FELIX EP. URGELL. IN AQUISGRANENSI CONVENTU HÆRESIM EJURAT.

Exeunte hoc anno, cùm Carolus apud Aquisgranum erat, annúmque Regni sui tricesimum-secundum jam numerabat, Felix Urgellitanus Episcopus illuc venit, & præsente Rege in Episcoporum ac Procerum Conventu suam rursum damnavit hæresim. Quo de negotio sic Alcuinus libro primo adversùs Elipantum Archiepiscopum Toletanum. *Idem Felix anno præfati Gloriosi Principis* Caroli *tricesimo-secundo advocatus voluntariè veniens ad Aquis Palatium, ibique in præsentia Domni Regis, & Optimatum illius, sive Sacerdotum Dei, rationabiliter auditus, & veraciter convictus, atque Deo dans gloriam, verámque confessus fidem, in pacem Catholicæ unanimitatis reversus est cum suis discipulis, qui ibi tunc temporis erant præsentes.* Et ipsemet Felix rem totam, ut gesta est, statim exposuit in Confessione Fidei ad Presbyteros, Diaconos, Clericos, ceterósque fideles in Urgellitana Diœcesi commorantes. Istius Confessionis hoc est initium. *In Dei Nomine Felix olim indignus Episcopus, Domnis in Christo fratribus*, &c. Ex illis autem vocibus, *Felix olim indignus Episcopus*, Stephanus Baluzius in notis ad Agobardi librum [c] adversùs eundem Felicem, rectè observat ipsummet Felicem, priusquàm hanc Fidei Confessionem scriberet, in Aquisgranensi Concilio depositum ab Episcopatu fuisse. Depositionem Felicis ne revoces in controversiam, vetat Agobardus, qui prædictum librum adversùs ejus dogma sic orditur. *Post obitum Felicis illius, qui fuerat quondam Episcopus in Sede Orgelletana, inventa est à nobis quædam scedula ab eo edita sub specie interrogationis & responsionis: quam cùm legentes consideraremus, inspeximus hominem diligenter & fraudulenter instaurasse, quantùm in se fuit, omnem pravitatem dogmatis sui, in qua dudum fuerat detectus & convictus, & propter quam ab honore*

[c] Cap. 1.

DEPONITUR AB EPISCOPATUS HONORE.

Episcopatûs depositus: qui licèt aliqua verba, quæ priùs imprudenter efferebat, posteà suppresserit, aliqua tamen nunc addidit, quæ tunc reticuit. Hic textus, ut Felicem ab Episcopatu depositum, sic & Lugduni mortuum ostendit, cùm scedulam illius ab Agobardo repertam affirmat. Huc quoque spectant, quæ capite quinto sic idem scribit Agobardus. *Antequàm de eis, quæ prædictus Felix scripta reliquit, disputemus, præmittendum video, quomodo propriis verbis quibusdam, adhuc vivens, aliqua improbanda persuadere conatus est. Cœpit aliquando, ut dixi, quosdam docere, ut crederent* &c. *Quod cùm confirmare tentaret, objurgavi eum, & detestatus sum pravos sermones ejus, ostendique, ut potui, cæteris, quâ custodiâ ista repudiarent, & quo sensu loca illa Scripturarum intelligere deberent; ipsique Felici sumptas Sanctorum Patrum sententias, quæ blasphemiis ejus contrairent, legendas direxi. Quibus lectis, promisit se omnis emendationis diligentiam sibimet adhibiturum. Propter quam rem silenter eum dimittens, non putavi necessarium esse easdem blasphemias ejus in exteros publicandas, quia nec ad me pertinebat.* Erat enim Diœcesis Urgellitana sub Narbonensi Metropoli, procúlque aberat à Lugdunensi cui præsidebat Agobardus. *Felix*, loquit Ado, *perpetuo exilio apud Lugdunum relegatus est, quem ferunt in ipso suo errore mortuum.* Falluntur, qui perpetuum hoc exilium post Synodum Francofordiensem irrogatum putant, Felici enim tunc errorem ejuranti data venia, libétque reditus ad Episcopatum concessus. Et ne gratis id à nobis dictum putes, in memoriam revoca quæ de Leidrado narrata sunt sub initium hujus anni, quo Synodus Aquisgrani celebrata est. Leidradus seu Laidracus Lugduni nuper ordinatus Archiepiscopus Urgellam sive Orgellum à Rege missus est, ut Felicem illius civitatis Episcopum ab hæresi revocare conaretur; & Felix, in Confessione Fidei jam laudata, sponte testatus est eâ se licentiâ in Aquisgranensi Concilio gavisum esse, quam Leidradus Regio nomine pollicitus fuerat *in Orgello.* Felix igitur errorem, quem sæpè damnaverat, hoc adhuc anno damnavit Aquisgrani, propter frequentes tamen lapsus ab Episcopatûs honore depositus est, & apud Lugdunum in perpetuum relegatus exilium: quo in loco mox egregiam Fidei Confessionem ad Clerum populúmque Urgellitanum scripsit. Syncerè visus est egisse, laudarique meruit ab Alcuino in libris adversùs epistolam Elipanti pòst editis. Sub exitum vitæ rediit ad vomitum, mortuo jam Alcuino, cujus obitus in annum reparatæ Salutis octingentesimum quartum incidit, imò Carolo Imperatore, cujus mors anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto consignatur, è vivis sublato, suum enim adversùs ejus dogma librum Agobardus Ludovico Pio Augusto dicavit, ut Tomo sequenti fusiùs exponemus.

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 91. CAROLI R. II.

RELEGATUR LUGDUNUM.

LX. CONVERSIONEM SUAM EXPONIT SCRIPTIS AD URGELLITANOS LITERIS.

Felix post Aquisgranense Concilium quas ad Clerum ac populum Urgellitanum literas misit, sic exorsus est. *In Dei Nomine Felix olim indignus Episcopus, Dominis in Christo fratribus, Emani Presbytero, Ildefindo Presbytero, atque Exuperio, Gundefredo, Sidonio, necnon & Ermegildo, seu cæteris Presbyteris; similiter Wittildo Diacono, & Witirico, seu cæteris Clericis in Parochia Orgellitanæ Ecclesiæ degentibus; seu cæteris fidelibus Ecclesiæ in superdicto commisso commanentibus, in Domino Deo Patre & Jesu Christo vero filio ejus Domino ac Redemptore nostro, & in Spiritu Sancto, æternam salutem. De cætero ad agnitionem vestram reducimus, quia postquàm ad præsentiam Domini nostri ac Piissimi Gloriosíque Caroli Regis perductus sum, & ejus conspectui præsentatus, licentiam ab eo, secundùm quod & venerabilis Domnus Laidracus Episcopus nobis in Orgello pollicitus est, accepimus, qualiter in ejus præsentiam in conspectu Episcoporum, quos ad se ordinatio Gloriosi Principis nostri convenire fecerat, sententias nostras, quas ex libris Sanctorum habere nos de adoptione carnis in Filio Dei, seu nuncupatione in humanitate ejus credebamus, præsentaremus, qualiter non in violentia, sed ratione veritatis nostra adsertio rata judicaretur, si ab illis per authoritatem Sanctorum Patrum minimè repudiarentur. Quod ita factum est. Nam*

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

*prolatas à nobis sententias de superdicta contentione, hoc est, de adoptione carnis atque nuncupatione, ita illi ex authoritate de libris Sanctorum Patrum, id est, Cyrilli Episcopi, & Beati Gregorii Papæ Urbis Romæ, seu Beati Leonis, sive & aliorum Sanctorum Patrum, qui nobis priùs incogniti erant, seu per authoritatem Synodi, quæ nuper in Roma hac intentione, præcipiente Gloriosissimo ac Piissimo Domino nostro Carolo, adversùs epistolam meam, quam dudum venerabili viro Albino Abbati Toronensis Ecclesiæ scripseram, congregata est. In qua Synodo præsente Leone Apostolico, & cum eo ceteri Episcopi numero LVII residentes, & plerique Presbyteri ac Diaconi cum eis in domo beatissimi Petri Apostoli, per quorum omnium authoritatem istas jam dictas sententias nostras, non qualibet, ut dictum est, violentiâ, sed ratione veritatis, ut oportuit, excluserunt. Quorum authoritate veritatis, & totius Ecclesiæ universalis consensu convicti ad universalem Ecclesiam, Deo favente, ex toto corde nostro reversi sumus, non qualibet simulatione, seu velamine falsitatis, sicut dudum, quod Deus scit, sed, ut dixi, verâ cordis credulitate, & oris professione. Quod etiam in conspectu multorum Sacerdotum & Monachorum professi sumus, pœnitudinem gerentes de pristino errore & sacramento, quam pro hac intentione olim prævaricatus sum, profitentes nos deinceps adoptionem carnis in Filio Dei sive nuncupationem in humanitate nullo modo credere vel prædicare, sed secundùm quod dogmatibus Sanctorum Patrum informamur, eundem Dominum nostrum Jesum Christum in utraque natura, deitatis videlicet & humanitatis, proprium ac verum Filium profitentes, unigenitum videlicet Patris, unicum Filium ejus: salvas tamen utriusque naturæ proprietates. Ita duntaxat, ut nec divinitas Verbi Dei in natura credatur humana conversa, vel humana à Verbo adsumpta in * divina mutata, sed utraque, id est, divina atque humana, ab ipso conceptu in utero Virginis, ita in singularitate personæ sibimet connexæ atque conjunctæ sunt, ut unicus Filius Patri, & verus Deus ex ipso utero gloriosæ Virginis absque ulla corruptione editus prodiretur. Non ita homo adsumptus à Verbo de substantia Patris, sicut ipsúmque Verbum, à fidelibus genitus credatur, cùm sit ex substantia matris; sed quia, ut dictum est, in ipsa vulva sanctæ Virginis ab ipso conceptu ab eo qui secundùm divinitatem verus & proprius Dei Filius existit, in singularitate personæ suæ susceptus est atque consertus, verus & proprius Dei Filius ex eadem sancta Virgine natus est. Non alius Dei Filius, & alius hominis Filius; sed Deus & homo unicus Dei Patris verus ac proprius Filius, non adoptione, non appellatione, nuncupatione, sed in utraque natura, ut dictum est, unus Dei Patris secundùm Apostolum verus ac proprius Filius Dei credatur.* Expositione suæ conversionis suæque fidei confessione sic præmissis, Felix eos, quos in errorem secum traxerat, insigni prorsus exhortatione sollicitavit, ut ad communionem Ecclesiæ Catholicæ secum quoque reverterentur. *Hæc est confessio fidei nostræ, quam, Deo juvante, à sanctis Patribus per eorum scripta cognovimus, & ab universali Ecclesia post pristinum errorem nostrum accepimus & tenemus. Quod & vos omnes credere & confiteri per eundem Dominum nostrum exhortamur, nil diminuentes aut addentes ex sensu vestro, sed hoc, quod vobis innotescimus, cum universali Ecclesia indubitanter retinentes, & ut pro me misero, per quem usque nunc in Ecclesia Dei contentio versa est, ex totis præcordiis vestris * Domini misericordiam implorare non dedignetis: qualiter propter vestram emendationem & orationem Catholicorum Sacerdotum, qui in simili prævaricatione, ut ego, nequaquam obnoxii sunt, Domini misericordiam, priusquam de hoc mortali corpore egrediar, consequi valeam. Quod per hoc me magis consequi à Domino confido, si scandalum, seu error in fide, qui per me in usque nunc inter utrasque partes duravit, per me iterum omnia correcta atque sedata fuerint, atque omnis Ecclesiæ membra in unitate fidei & concordia charitatis velut in unum corpus compaginata; itaut nemo ex nobis in Ecclesia Dei ultrà scandalum vel quodlibet schisma intromittere audeat, sed omnes nos cum universali Ecclesia, quæ in toto mundo dilatata noscitur, similiter sentientes, & ea, quæ dudum orta intentio est, id est, adoptionem carnis seu*

Marginal notes: * invidia — ASSECLAS SUOS AD CONVERSIONEM SOLLICITAT. — * vestri

seu nuncupationem in humanitatem Filii Dei anathematizantes, pacem, ut dixi, & unitatem fidei cum omnibus fidelibus Ecclesiæ, absque ulla simulatione, inconvulsâ fide retineamus. Ne cum Nestorii impietate concordantes, qui purum hominem Christum Dominum credidit, alicubi deinceps labamur, &c. Prolixior est hæc hortatio, quàm ut nostris Annalibus tota debeat inseri, publicata primùm est cum operibus Alcuini ab Andrea Duchesnio ex Codice manuscripto Jacobi Sirmondi, deinde à Petro *Delalande* in Supplementis antiquorum Conciliorum Galliæ, & à nuperrimis Conciliorum Collectoribus in Appendice ad Tomum septimum.

LXI. Elipantus Archiepiscopus Toletanus sub idem tempus, cùm ea, quæ gesta fuerant Aquisgrani, nondum sciret, Epistolam Felici direxit, quam stylo valdè barbaro scriptam Andreas Duchesnius cum operibus Alcuini publicavit ex Codice Remensi, cujus copiam fecit Jacobus Sirmondus. Rerum in hac Epistola contentarum epitomen tibi damus. Elipantus à Felice literas accipit *exeunte Julio*, eásque statim Cordubam mittit ad suos ac Felicis asseclas, quos *fratres* vocat, & *de Deo recta* sentire perperam asserit. Exeunte Augusto scribit Felici, post quadraginta dies Alcuino, cui scriptum quoque Cordubensium transmittit. Novissimè Epistolam, de qua nobis hic sermo, Felici deferendam curat cum alio scripto, quod priùs à Cotolo Rege, quàm ab Alcuino legi cupit. In postremis hisce literis, quæ prædictarum rerum mentionem faciunt, senem se fatetur ætatis jam decrepitæ, utpotè qui annum jam octogesimum-secundum ingressus sit à *die octavo Kalend. Aug.* Alcuinum multis afficit conviciis, *hæreticum piceum*, imò *hæresiarcham* & *pseudoprophetam fœtidissimum* dicit, *filium gehennæ ignis* & *filium mortis* appellat. Hanc Epistolam cum illo scripto, quod Elipantus in manus Caroli Regis venire tantoperè desiderabat, ab Alcuino quoque visam multæ res inferiùs ostendent, ipsúmque scriptum, quod Elipantus adversùs exhortatorias ejus literas hoc anno publicavit, idem Alcuinus quatuor libris anno proximo refutabit.

ELIPANTUS ARCHIEP. TOLETANUS SCRIBIT FELICI ET ALCUINO.

LXII. Leo Acheruntinus Episcopus hoc anno, cùm Hierosolymam pergeret, è vita discessit. Atellâ priùs Acheruntiam transtulerat Reliquias Sancti Canionis, qui deinceps habitus est atque etiamnum habetur Acheruntiæ Patronus. Hæc membranaceus Ecclesiæ Acheruntinæ liber, Longobardicis Characteribus conscriptus, atque ab Ughello [a] laudatus ita complectitur. *Anno Incarnationis Dominicæ septingentesimo nonagesimo-nono, vir insignis, Acheruntinæ Sedis Leo Pontifex, Sancto suggerente Spiritu, Hierosolymam, venerabile semper Passionis Domini nostri Jesu Christi oraculum, & Sanctæ Resurrectionis ejus sepulchrum, & gloriosissimæ Ascensionis salutiferum indicium, devotus petere cupiens, perennem plebi prævidet salutis Patronum & ubique in omnibus Protectorem. Nam urbem præfatam Atellam quoque petiit, & sublato sancto corpore* Beati videlicet Canionis, *thesauro Evangelico, negotiatori similis ad Pontificatûs sui eximiam Sedem transvexit & constructum præcipui operis industriâ Templum, & huic plurima administrans ornamenta in honorem Beatissimi Martyris & Confessoris peractam dedicavit Ecclesiam. Ipse verò Antistes post dicta devotionis iter arreptum, Dei providentiâ factum est, ut qui ejus fidei indicia in terrena Hierusalem videre cupivit, in illa æterna Hierusalem, quæ est visio pacis & mater nostra, juxta Apostoli illud, ubi dicitur,* [*illa autem, quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra,*] *eum, qui est pax vera, in sua meruit Majestate, & cum Sanctis ejus gloriam possidere sempiternam. Defunctus verò & sepultus in civitate Africæ regionis Julianæ, ubi beneficia divinæ salutis in virtutum miraculis insignibus credentibus per ejus merita Christi largiendo præbet præsentia.* In eodem membranaceo Codice leguntur Acta Sancti Canionis, quorum epitomen si subnectamus, nihil arbitramur à nobis extra nostrum institutum fieri. Diocletiano & Maximiano Augustis, Canio gerebat Episcopatum Julianæ civitatis in Præfectura Carthaginiensi, ple-

[a] Tom. 7. in 17. Ep. Acherunt.

LEO EP. ACHERUNTINUS RELIQUIAS S. CANIONIS TRANSFERT ACHERUNTIAM.

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

bémque Christianam ad Martyrii palmam & ad cælestem gloriam vehementissimè suis hortationibus animabat. Vocatus Carthaginem, jussúque Pygrasii Præfecti variè tortus nihil constantiæ remisit. Ductus est tandem ad supplicii locum, motáque subitò tempestate, cùm tonitrua, pluviæ, grandines, coruscationes, & terræ motus fierent, militésque præ timore vel diffugerent, vel semianimes in terram laberentur, illæsus evasit Angelo præeunte, sanúsque *in Atellam Campaniæ civitatem* trajecto mari pervenit. Ut in Africa, sic in Italia contra Christianæ Religionis hostes acerrimè dimicavit, denique post varia tormenta, quibus egregium se Christi Confessorem ac Martyrem præbuit, in eo loco, ubi patebat introitus ad duas Basilicas, Sanctorum videlicet Felicis ac Vincentii Confessorum, *obdormivit in Domino.* Jacuit *per multos dies* insepultus, donec à Christianis tumulatus est *in cœmeterio Sanctorum Felicis & Vincentii, octavo Kalendas Junii.* Tantæ posteà venerationi fuit Leoni Acheruntino Episcopo, ut non tantùm Reliquias ejus Acheruntiam transtulerit, sed etiam voluerit Episcopalem adire civitatem, quam ille quondam erudierat in Africa, priusquàm cis mare in Italiam appelleret. De proximis Leonis successoribus nihil auditur.

OBIIT IN AFRICA.

LXIII. LUDIGARUS COMES MUNIFICUS ERGA ECCLES. ASCULAN.

Ex Archivo Asculanæ Ecclesiæ publicata est [a] Chartula Donationis, quam Ludigarus Comes eidem Ecclesiæ fecit. Ughellus diu se dubium hæsisse scribit, an evulgaret istud Diploma, quod nimiâ scatet barbarie, multis in locis corrosum est à tineis, & Caroli ac Pippini Regum subscriptionibus auctum videtur. Initium tale est. *In Nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Regnante Domino Carolo, & Pipino filio ejus, Excellentissimis Regibus Francorum & Longobardorum, & Patriciis Romanorum, Regnorum in Christi Nomine in Italia, Deo propitio, vigesimo-sexto & octavo-decimo, iisdémque* * *temporibus, Viro Gloriosissimo Vinigisi summo Duce, anno felicissimo Ducatûs ejus octavo, seu Ludigari Comit. Civitat. Asculan. mense Junii die 2.* Hi Characteres simul rectè conveniunt. Anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono, die secundâ Junii, Carolus annum sui per Italiam Regni vicesimum-sextum jam numerabat, duodevicesimum adhuc agebat Pippinus ejus filius, etátque Dux Spoleti Vinigisus, cujus mentionem jam fecimus, nihílque prohibet, quominùs asseratur annum Præfecturæ seu Ducatûs octavum jam attigisse. Tot Characterum unanimis consensus nos adigit, ut Ludigarum Asculanum Comitem erga Ecclesiam Asculanam hoc eodem anno munificum dicamus. Si cupis scire, quibus in rebus ista Donatio constiterit, ipsum Diploma consule. Tunc Asculanus Episcopus erat, qui vocatur Instolfus in eadem Chartula, Tuptolphus in Asculanorum Episcoporum Catalogo.

[a] Tom 1. Ital. Sacr.

* eodémque.

LXIV. EPISCOPI PATAVINI, DERTHONENS. VENETENS.

Obierunt hoc anno, Bodo, Desiderius, & Aurifcandus, Episcopi. Rexerunt Diœceses, Patavinam Bodo tredecim annis, Derthonensem Desiderius sexennio, triennio Venetensem Aurifcandus. Successerunt Bodoni Luitardus, Desiderio Robertus, Aurifcando Ago. De Patavinis Episcopis consule Robertum ad calcem Galliæ Christianæ, Ughellum de Derthonensibus Tomo quarto Italiæ Sacræ, de Venetensibus Albertum à Monte Relaxo in Armorica Sancta.

LXV. ABBATES FABARIENS

Apud Bucelinum in Chronologia Rhætiæ, Bruninus seu Breuningus Abbas Fabariensis hoc anno discedit è vita decimo-quarto Kalendas Maii. Successor ei sufficitur Eberhardus vir magnæ sanctitatis.

LXVI. S. CARAUNI.

Apud Sammarthanos obit hoc anno Mathæus Abbas Sancti Carauni, ejúsque successor Dionysius ad annum usque Redemptoris octingentesimum quadragesimum-secundum Monasterio per annos tres ac quadraginta præest. Haud ita facilè partiri licet annos Abbatum, Albaldi, Arnulphi, & Hilboldi, qui regnante Carolo Monasterium Glannense gubernarunt. Carolus Ecclesiam marmoreis adornavit columnis, multis locupletavit prædiis, vase Dominicæ Cœnæ aliísque Reliquiis donavit, & tem-

GLANNENSES.

pore Arnulphi Abbatis in honorem Sancti Salvatoris & Sancti Florentii confecrati jussit. Lege eosdem Auctores.

Hoc anno, Caroli Regis tricesimo-primo, data reperiuntur [a] quatuor Diplomata, quæ spectant ad Werethinum Monasterium, & ad Liudgerum Presbyterum Abbatem illius loci, nec adhuc Episcopum Mimigardefordensem. 799. LXVII.

[a] Ap. Hensch. d. 26. Mart in prolegom. ad vit. S Liud. nn. 24 25.

In primo Hludwinus Thiatheri filius ista profitetur. *Tradidi omnem partem hæreditatis meæ in loco nuncupante Werethinum, ad Reliquias Sancti Salvatoris, & venerabili viro Liudgero Abbati; qui ipsas Reliquias semper secum gestare solet, id est, inter duos rivulos, qui surgunt in monte, & in flumen Ruram vadunt (unus vocatur Diapanbeci, alter verò in Orientali parte absque nominis appellatione) de terra aratoria usque ad flumen Ruram: traditúmque in perpetuum esse volo, & nullis temporibus immutatum. Sed ipse venerabilis Abbas Liudgerus hanc traditionem, quæ dudum comprehensio mea esse dignoscitur, simul cum illa terra, quæ ibidem jam culta esse videtur, totum & ad integrum perennis temporibus teneat, possideat ad usus Ecclesiæ Dei, liberámque & firmissimam potestatem habeat à me, & ab omnibus hæredibus meis, quidquid exinde facere voluerit, & in cujuscumque manus mittere decreverit; dum ille adhuc advixerit, qui post obitum suum illud excolat, & ad utilitatem Ecclesiæ Dei redigat.* &c. *Acta est autem publicè*, XXXI *anno Regni Religiosissimi Regis Carli*, XV *Kal. Februarii, coram manumissoribus, in loco nuncupante Diapanbeci sive Werithina.* LXVIII. DIPLOMATA PRO MON. WERETHINO.

In secundo, Folcbratus sic ait. *Ego Folcbrat aliquantulam terram hæreditatis datâ terrâ juris mei, in villa quæ dicitur Bilici, à Theganbaldo ingenuo & nobili homine comparavi, in villa quæ nuncupatur Fisclacu, id est, rothum illum,* seu novale, *quod dicitur Widuberg. Hoc rothum à supradicto nobili Franco Theganbaldo ego Folcbrat comparavi, & aliquantos annos possedi, & in eo laboravi quod potui. Nunc autem eumdem rothum in terra aratoria, quidquid in eo unquam aratum fuit, dedi Liudgero Presbytero cum omni integritate, contra terram aratoriam illius hova, quæ dicitur Alfoding-hova. In ea ratione accepi hovam illam à Liudgero Presbytero, vicino meo, in cambia contra terram aratoriam rothi supradicti.* &c. *Acta est autem publicè, anno* XXXI *Gloriosi atque Religiosi* * *Regis Carli*, XVI *Kal. Martii, in loco qui dicitur Diapanbeci in ripa Rura. Signum Liudgeri Presbyteri: is eam Chartam fieri rogavit, & propriâ manu firmavit.* In vulgata editione Carolus Secundus hujus nominis sic dicitur, *anno* XXXI *Gloriosi atque Religiosi Secundi Regis Carli.* Henschenius hunc Carolum respectu avi sui Caroli Martelli Secundum putat appellatum. Nos hanc vocem, *Secundi*, sustulimus, quia nec Carolus Martellus Regium unquam Titulum assumpsit, nec in publicis instrumentis mos erat indicare, quotus sui nominis Rex esset is, qui Regno tum potiebatur. LXIX.

* Secundi

In tertio Diplomate sic Liudgerus. *Ego Liudgerus Presbyter aliquantulam particulam hæreditatis, dato pretio, à Theganbaldo ingenuo & nobili homine comparavi in villa, quæ nuncupatur Fisclacu, id est, hovam illam, quæ dicitur Alfgodinchove, cum omni integritate, sive in sylva, seu in pascuis & perviis, & aquarum usu & decursibus. Hæc omnia à supradicto nobili Franco Theganbaldo ego Liudgerus Presbyter comparavi, & aliquantos annos possedi, & in ea elaboravi quod potui. Nunc autem eandem hovam in terra aratoria, quidquid in ea unquam aratum fuit, dedi Folcberto, contra illum rothum, qui dicitur Widuberg, inter duos rivulos, id est, inter Diapanbeci & alium ab Occidente usque in flumen Ruram, excepto quòd ego Liudgerus dominationem, quæ ad illam hovam respexit, mihi retinui sive in sylva, sive in aquis, & pastu, vel in comprehensione, cum omni integritate juri meo reservavi. Et in ea ratione accepi rothum illum à Folcberto vicino meo in cambia contra terram aratoriam hova supradicta, ut eum jure hæreditario in perpetuum possidere debeam, & ad æternos usus Ecclesiæ Dei & servientium ejus redigere, aut quidquid exinde utile esse decrevero.* &c. *Acta est autem publicè, anno* XXXI *Gloriosi atque Religiosi* * *Regis Carli*, XVI *Kal. Martii,* LXX.

* Secundi

AN. CH. 799. *in loco qui dicitur Diapanbeci in ripa Rura. Sign. Folcberti, qui hanc Chartam fieri rogavit, & propriâ manu firmavit.*

LXXI. In quarto Diplomate, Oodhelmus, qui se munificum ante biennium erga Liudgerum jam præbuit, tradit partem hæreditatis suæ, tres videlicet hovas, ad Reliquias Sancti Salvatoris, quæ in Withmundis constitutæ sunt, & in manus Liudgeri Presbyteri. *Tantùm*, inquit, *ut diebus vitæ nostræ, ego & conjux mea dilecta Theoalinda res istas in beneficio ejusdem Ecclesiæ sub usu fructifero habere valeamus, id est, ut per singulos annos solidum unum ad luminaria Ecclesiæ in Natale Domini donare debeamus. Post nostrum verò discessum de hac vita in dominationem supradictæ Ecclesiæ res ipsæ meliorata perveniant cum omni integritate.* &c. *Acta est autem publicè in loco ipso qui dicitur Withmundi, anno* XXXI *Regni Religiosissimi Regis Carli, sub die* V. *Idus Junii. Sig. Oodhelmi, qui hanc Traditionis Chartam fieri rogavit, & propriâ manu firmavit.*

LXXII. Hisce temporibus, cùm Raguibertus seu Rambertus Senonensis erat Archiepiscopus, erecta duo Monasteria puellarum, unum in urbe Senonensi, alterum juxta muros ejusdem civitatis. Utriusque meminit Codex[a] Thuaneus in Gestis Archipræsulum Senonensis Ecclesiæ. Conditum in urbe Monasterium Sancti Maximini, extra urbem Cœnobium Sancti Hilarii. Utrumque in Ecclesiam Paroehialem mutatum. De priore sic Tavellus. *Aspasia nobilis matrona Senonica, ea in urbe Cœnobium sacrarum virginum aggregavit in Ecclesia, quam sub nomine Sancti Maximini Treverensis Episcopi ædificavit: in qua Ecclesia per longa tempora sanctitas & religio viguit. Cœnobium autem dirutum injuriâ temporum in Ecclesiam Parochialem commutatum est.* De posteriore consulendus Codex prælaudatus in quo scriptum sic habes. *Fundata duo Monasteria Monialium: unum juxta muros civitatis in honorem Beati Hilarii Pictaviensis Episcopi, nunc est Ecclesia Parochialis Beati Hilarii de patronatu & mensa Capituli ac Dominorum Canonicorum Senonensium.* Abbatissæ utriusque loci desiderantur.

[a] Cod. 105.

SENONIS ERIGUNTUR DUO MONASTERIA PUELLARUM.

LXXIII. Joannes Episcopatum Lucensem ad hunc usque annum tenuit. Jacet in Ecclesia Sancti Frigidiani. Titulo Beati decoratur ab Ughello, Tomo primo Italiæ Sacræ. Præsulatum inierat anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, ut suo loco diximus. Successerat Peredeo Pertualdi filio, quem idem Ughellus in Appendice ad Tomum primum, quam Tomo quinto subjecit, Episcopum Lucensem agnoscit ad annum Christi septingentesimum octogesimum. Fortè Peredeus Episcopus jam erat, cùm Franci Longobardiam subegerunt. Tres igitur in Lucensi Cathedra temporibus Caroli Magni sederunt hi Pontifices, Peredeus & Joannes de quibus suprà, necnon Jacobus ejusdem Joannis frater de cujus promotione ad Episcopatum sermonem anno proximo faciemus.

EPISCOPI LUCENSES.

LXXIV. Apud Gewoldum in additionibus ad Hundium Tomo tertio duæ res occurrunt, quæ pertinent ad hunc annum, spectántque ad Wessobrunnam & Schlechdorfum, insignia in Diœcesi Frisingensi Monasteria.

LXXV. Ilsungus primus Abbas Wessobrunnensis hoc anno, regiminis sui quadragesimo-primo, vitam cum morte commutat, eíque succedit in Abbatiale munus Adelmarus.

ABBATES WESSOBRUN.

LXXVI. Schlechdorfum multis augetur opibus à Gaione viro prædivite, cujus hæc extat Donatio, scripta quinto Kalendas Novembris, anno Caroli Regis post exauctoratum Thassilonem duodecimo jam inchoato. *Cum fragilitas humani generis pertimescit ultimum vitæ tempus die subitaneâ transpositione venturá, ut non inveniat unumquémque imparatum, ne sine aliquo boni operis respectu migret de seculo, nisi, dum suo jure & potestate consistat, præparet sibi viam salutis, dum pretium in manibus habet, per quam ad æternam valeat beatitudinem pervenire. Ideóque ego Gaio in Dei Nomine cogitans pro remedio animæ meæ & remissione peccatorum meorum, ut veniam in futuro consequi merear, trado omnem hæreditatem, quæ * mihi ob vitam parentum*

GAIO MUNIFICUS ERGA MON. SCHLECHDORF.

* quam mihi ob vita

AN. CH. 799. CAROLI R. 31. PIPPINI LUDOV. RR. 19. CAROLI R. 11.

meorum obvenit, villas nuncupatas in pago qui nuncupatur Procipintal, id est, Obreinhove, & in Cyreolo seu foras montes in loco qui nuncupatur Pettenpach; vel ubicunque visus sum habere, cum terris, domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, Alpis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, adjunctis adjacentiis, appendiciis, peculium utriusque sexûs mobilibus & immobilibus, trado ad Monasterium, quod nuncupatur Slechdorf, ubi corpus Sancti Tertuliani quiescit, & Atto Episcopus ibi praeße videtur unà cum Monachis ibi degentibus; & recepimus à vobis in beneficium illam terram quam habetis in Pettenpach de parte Otilonis, & boves IV, & ea ratione, ut censum solvere debeam dimidium solidum denariorum in argento aut in grano, & ipsa loca, quæ superiùs prænotavimus, nec vendere nec alienare nec ullum naufragium imponere, sed emelioratas ad ipsum Monasterium revocare. Si quis verò, quod futurum esse non credo, huic voluntati nostræ de quibuslibet adinventionibus aliquis de heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hujus traditionis firmitatem frangendi repertus fuerit, à conventu omnium Christianorum, vel à limitibus sanctarum Ecclesiarum extraneus habeatur, & Juda traditoris Domini nostri Jesu Christi fruatur consortium. Insuper etiam inferat partibus ipsius Monasterii vel fratrum ibi consistentium auri libras duas, ne sit quoque quod petit vindicare non valeat, & nihilominùs præsens traditio, quæ propitiatione Dei & amore Christi conscripta est, firma & inviolata omni tempore valeat permanere. Hi sunt testes, Reginhart Comes, alius Reginhart, Alprich, Rubo Diaconus, Zotto Diaconus, Engelprecht, Helmprecht, Nothart, Etti, Corrat, Engilprecht. Factum est hoc regnante Domino nostro Rege in Bajowaria anno 12. V Calen. Novembr. Ex hac Charta liquet Attonem simul & Episcopum Frisingensem & Abbatem Schlechdorfensem fuisse.

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

ANNUS		
CHRISTI		800.
CAROLI SEN.	R.	32. 29. 27.
PIPPINI II.	R.	20.
LUDOVICI	R.	20.
CAROLI JUN.	R.	12.

I. ANNALISTA Petavianus anno Redemptoris octingentesimo nudum præfixit titulum, eóque titulo suam clausit lucubrationem, quâ frequenter usi sumus ab anno Christi septingentesimo octavo quo cœpta est. At alii non desunt Auctores, qui res hoc anno post Christum natum octingentesimo gestas enarrent.

II. Imprimis Anastasius [a], postquam Leonem Papam in die Natali Beati Andreæ Apostoli cum magno gaudio & lætitia in Lateranense Patriarchium introiisse testatus est, hæc proximè subjungit. *Et post aliquantos dies, fidelibus Missis, qui cum eo venerunt in Pontificale obsequium, videlicet Hildivaldo & Arno Reverendissimis Archiepiscopis; & Cuniberto, Bernhardo, Hattone, & Tesse, Reverendissimis & Sanctissimis Episcopis; necnon & Flacco electo Episcopo; verùm etiam Helmgoth, Rothegario, & Germano, gloriosis Comitibus, residentibus in Triclinio ipsius Domni Leonis Papæ, & per unam hebdomadam inquirentibus ipsos nefandissimos malefactores, quam malitiam ab ipso ipsorum Pontifice habuissent, tam Paschalis, quamque & Campulus, cum sequacibus eorum, nihil habuerunt adversùs eum, quod dicerent. Tunc illos comprehen-*

[a] In Leone 3.

AUCTORES SEDITIONIS IN LEONEM PP. CONCITATÆ ABDUCUNTUR IN GALLIAM.

VVuu iij

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

dentes prædicti Missi Magni Regis, emiserunt eos in Franciam. Qui post modicum tempus ipse magnus Rex dum in Basilica Beati Petri Apostoli conjunxisset, & cum magno honore susceptus fuisset, fecit in eandem Ecclesiam congregari Archiepiscopos, seu Episcopos, Abbates, & omnem Nobilitatem Francorum atque Romanorum, &c. In illo textu plurimùm attendendæ sunt hæ loquendi formulæ, *post aliquantos dies*, & *post modicum tempus*, quia de multò longioribus intelligendæ sunt interstitiis, quàm ipsa verba significare videantur. Anno enim superiore Pontifex pridie Kalendas Decembres, in festo Sancti Andreæ, Patriarchium ingressus est Lateranense, *post aliquantos dies* in accusatores inquisitum *per unam hebdomadam*, & Carolus *post modicum tempus* in Ecclesiam Principis Apostolorum introivit. Regius tamen in Vaticanam Basilicam ingressus, ut intrà probabimus, octavo Kalendas Decembris hoc anno contigit, itaut ab ingressu Pontificis in Lateranense Patriarchium ad ingressum usque Regis in Ecclesiam Sancti Petri, menses effluxerint undecim diésque quatuor ac viginti, totúmque illud tempus, si unam duntaxat excipias hebdomadam, Auctor his complexus sit connexionibus, *post aliquantos dies* & *post modicum tempus*. Ex hac observatione Lector facilè judicabit, Paschalem & Campulum, qui Romanum Pontificem anno priore tam crudeliter exceperant, hoc anno jam inchoato ductos esse in Franciam, ut ex Anastasio diximus suprà. Quid autem Carolus egerit, priusquàm iter in Italiam susciperet, specialiter exponunt Annalistæ, quos infrà describemus.

III. In Mon. Centulensi dedicantur duæ minores Ecclesiæ.

In textu proximè citato Ambianensis Episcopus, cui nomen Jesse, corruptè vocatur *Teffe*. Per ejus absentiam Hildegualdus sive Hildiguatdus aut Hildoardus Atrebatensium & Cameracensium Episcopus duas è minoribus Ecclesiis, unam Sancti Gabrielis octavo Kalendas Aprilis, alteram Sancti Michaelis tertio Kalendas Octobris, in Centulensi Monasterio dedicavit. Præter tres Ecclesias, Sancti Salvatoris, Beatissimæ Virginis, & Sancti Benedicti, quas Angilbertus *principales* appellat, erant in illo Cœnobio tres aliæ minores Sanctorum Angelorum, Gabrielis, Michaelis, & Raphaelis. Hæ suum singulæ habebant tantùm Altare. Id apud Chronographum Centulensem docet Angilbertus, ubi Altaria triginta in prædicto Monasterio, undecim in Ecclesia Sancti Salvatoris, tredecim in Ecclesia Beatæ Virginis, tria in Ecclesia Sancti Banedicti, tria quoque in Ecclesiis Sanctorum Angelorum sic enumerat. *In Ecclesia Sancti Salvatoris Sanctique Richarii Altaria fabricata undecim. In Ecclesia Sancta Dei Genitricis Mariæ & Sanctorum Apostolorum Altaria fabricata* XIII. *In Ecclesia Sancti Benedicti Altaria parata tria. In Ecclesiis verò Sanctorum Angelorum, Gabrielis, Michaelis, Raphaelis, Altaria tria. Quæ simul fiunt Altaria* XXX. De situ & Dedicatione posteriorum harum Ecclesiarum sic idem Angilbertus. *Altare Beati Archangeli Gabrielis, quod est situm in porta Meridiana*, VIII *Kal. Aprilis, in Annunciatione S. Mariæ; Michaelis verò, quod est in porta Occidentali*, III *Kal. Octobris, ab Hildegualdo Venerabili Episcopo; Raphaelis autem, quod est in porta Septentrionali*, II *Non. Septembris, à Jesse Religioso Episcopo, optimè sunt consecrata.*

IV. S. Gabrielis,

Dies octavus ante Kalendas Apriles, qui Beatissimæ Virginis Annuntiationi sacer, ad dedicandam Sancti Gabrielis Ecclesiam electus est, quia Deus Unigeniti sui Incarnationem Sacratissimæ Virgini Mariæ per eundem Beatum Gabrielem nuntiavit, juxta illud Evangelii [a]. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen Virginis Maria.* Hoc autem anno dedicata est illa Sancti Gabrielis Ecclesia, cùm Jessæus Ambianensis Episcopus abesset. Gregorius Jessæi decessor Dedicationi principalium Ecclesiarum interfuit; Beatissimæ Virginis, in ejus Nativitate, septimo Idus Septembris, anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo; Sancti Salvatoris, & Sancti Benedicti, Kalendis Januariis,

[a] Luc. c. 1.

anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono. Post illas Kalendas diu superstes haud vixit, eodem enim anno successor ejus Jessæus iter Italiam versùs in comitatu Leonis Papæ suscepit. Fortè suspicaberis Ecclesiam Sancti Gabrielis illo anno dedicatam fuisse octavo Kalendas Aprilis in Annuntiatione Beatissimæ Virginis, cùm vel Georgius Episcopus ægrotaret, vel eo jam mortuo vacaret Ambianensis Episcopatus. At illo anno Pascha celebratum est pridie Kalendas Aprilis, & Annuntiatio Beatæ Virginis in feriam secundam post Dominicam Palmarum incidit. Idcircò convenientius videtur, ut Ecclesiæ prædictæ Dedicatio rejiciatur in annum sequentem, id est, in hunc annum Redemptoris octingentesimum, quo feria quarta post Dominicam tertiam Quadragesimæ sacra est Annuntiationi Beatæ Virginis, quia Pascha decimo-tertio Kalendas Maii celebratur. AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

V. ET S. MICHAELIS.

Sancti Michaelis Ecclesia, cùm Jesse Diœcesanus Episcopus adhuc abesset, ab Hildegualdo Cameracensium & Atrebatensium Episcopo dedicata est tertio Kalendas Octobris. Ad illam Solemnitatem electus hic dies, quia Sancti Michaelis cultui jam sacer, ut & est hodie. In genuino enim Bedæ Martyrologio ponitur III *Kal. Oct. Dedicatio Ecclesiæ Sancti Angeli Michaelis*. Deinde Canon tricesimus-sextus Synodi Moguntinæ & Capitulum tricesimum-quintum libri secundi Capitularium eandem *Dedicationem Sancti Michaelis* commemorant.

VI. CAROLUS MONACHUM HIEROSOLYMITANUM IN ORIENTEM REMITTIT CUM DONIS ET ZACHARIA PRESBYTERO.

Neutrius Ecclesiæ Dedicationi Rex interfuit, hoc enim anno per illos dies, quibus utraque Dedicatio facta est, abfuit à Centula. Veteres id docent Annalistæ, dum varia describunt itinera, quæ suscepit perfecitque. Loiselianus sic habet. *Rex absolutum Hierosolymitanum Monachum reverti fecit, mittens cum eo Zachariam Presbyterum de Palatio suo, qui donaria ejus per illa sancta loca deferret. Ipse medio Martio mense Aquisgrani Palatio digrediens, littus Oceani Gallici perlustravit, in ipso mari, quod tunc piratis infestum erat, classem instituit, præsidia disposuit, Pascha, in Centulo apud Sanctum Richarium celebravit. Indéque iterum per littus Oceani Ratumagum civitatem profectus est. Ibique Sequanâ amne transmisso, Turonis ad Sanctum Martinum orationis causâ pervenit, moratus ibi dies aliquot propter adversam Domnæ Liutgardæ conjugis valitudinem, quæ ibidem & defuncta & humata est*, in Basilica Sancti Martini. *Obiit autem die pridie Non. Jun. Inde per Aurelianos ac Parisios regressus, Aquasgrani reversus est. Et mense Augusto inchoante Moguntiacum veniens, iter in Italiam condixit, atque inde profectus, cum exercitu Ravennam venit. Ibíque ordinatâ in Beneventanos expeditione, post* VII *dierum inducias, Romam iter convertit*, & *in Basilica Sancti Petri Apostoli* à Leone Papa susceptus est *sub die* VIII *Kal. Decembris*.

VII. Hæc conglobatim à nobis transcribuntur, ut scias Carolum nec octavo Kalendas Aprilis, nec tertio Kalendas Octobris, in Centulensi seu Sancti Richarii Monasterio fuisse. Primum ex eo patet, quòd Carolus *medio Martio mense*, cùm dies circiter decem ad festum usque Annuntiationis superessent, Aquisgrano digressus Gallicanum littus perlustravit, & in ipso mari, *ubi tunc*, teste Annalistâ Lauteshamensi, *piraticam Nordmanni exercebant*, classem instituit, præsidiáque priùs disposuit, quàm veniret in Centulense Monasterium, in quo Pascha celebravit decimo-tertio Kalendas Maii, seu post Annuntiationis festum elapsis jam diebus viginti-quinque. Patet & alterum ex eo, quòd Carolus sub initium mensis Augusti Moguntiacum venit, atque inde itinere in Italiam suscepto, cùm res multas in Forojuliensi Ducatu & alibi sapienter ac feliciter ordinasset, mense tandem Novembri Romam ingressus est.

VIII. E Sancti Richarii Monasterio post Pascha Rotomagum, inde Turonos se contulit. *Circa Quadragesima tempus*, si fides est Moissiacensi Chronographo, *circuit corpora Sanctorum, quæ sunt in Francia, usquedum post Pascha venit Turonis, ubi corpus Sancti Martini Confessoris requiescit*. Secundâ heb-

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

domadâ Quadragesimæ, seu *medio Martio mense*, ut dictum suprà, cùm Normanni piraticam exercerent, Aquisgrano discessit, ut Gallicanum littus supra infráque ostium Somonæ perlustraret. Hæc itineris suscepti causa. Porrò, cùm Sanctorum Memorias, ad quas Deus Miracula frequenter operabatur, magnâ prosequeretur veneratione, Centulense Monasterium, ubi Pascha celebraret, ob Sancti Richarii cultum lubenter elegit; deinde trajecto apud Rotomagum Sequanâ, cùm inter hunc amnem ac Ligerim constitutus non procul abesset Turonis, nominatissimam Sancti Martini Basilicam adiit.

AQUISGRANO DIGREDITUR,

IX. PASCHA CELEBRAT APUD CENTULAM.

Angilbertus Centulensis Abbas Regem, cui percharus erat, maximo cum gaudio suscepit. Alcuinus Abbas Sam-Martinianus, quem Carolus in deliciis etiam habebat, Paschalem quoque Solemnitatem apud Centulam celebravit. Sancti Judoci Cella, cui præerat, à Centula non procul aberat in eadem Ambianensi Diœcesi. Singularis inter Angilbertum & Alcuinum Abbates intercedebat amicitia. Rex utrumque magnoperè diligebat. En multiplex ratio, cur Alcuinus Centulam se contulit. In præsentia Regis ab Augilberto rogatus est, ut in literas vitam Sancti Richarii referret, nec abnuit, opus tamen serius perfecit, obtulítque Carolo jam Augusto. Causam morarum exponit in ipsa Præfatione, quæ sic habet. *Domino semper venerabili, sempérque desiderabili, piissimo Sanctæ Ecclesiæ tutori, gratiâ Dei semper Augusto Carolo, vestræ salutis perpes amicus Albinus. Rememorante vestra Excellentia pietate, in loco sancto & meritò venerabili Centula, cùm & ego vestræ Gloriæ servus, vestræ Pietatis vestigia ibidem prosecutus, aliquantisper commorarer, oraverat meam parvitatem vir magnus in Christo Dominus & venerabilis Abbas Angilbertus, quò in laudem Conditoris, qui mirabilis semper apparet in electis suis, quendam libellum stilo simpliciori digestum, de vita sanctissimi ac verò magnifici Confessoris Richarii cultiùs annotarem. Dúmque exauditis continuò precibus ejus, quæ ipsi divinæ Majestati exaudibiles & charæ noscuntur, eundem mihi exhiberi libellum petiissem, non parum miratus sum, cur tanti nominis Confessor, quem tantarum virtutum operatorem esse constabat, quémque prisca fama Miraculorum patratione post ipsos Apostolos nulli ferebat secundum, tam modico Gestorum volumine potiretur. Idque mihi stupescenti innotuit jamdictus memorabilis vir Angilbertus, ac spirituales fratres ejusdem sancti loci, haberi apud se, quin etiam apud diversas Ecclesias, Codicem alium grandioris quantitatis, in quo scilicet illa Miracula legebantur, quibus non immeritò sanctum Christi Confessorem omnis Gallia attollebat. Cujus simplex & minus polita locutio quia fratribus ad recitandum in populo aptior videbatur, sufficere sibi eandem descriptionem consenserunt. Dúmque in iis, quæ rogabant, prænotandis jamjámque animos applicarem, repentè vestræ Pietatis nuncio sum conventus, uti ea, quæ tractabam, sic annotarem, sicut reverà sapientia vestræ auribus inferenda. Hinc ego, vocato Notario, & fixo præ oculis jam dicto libello, ea, quæ referre videbatur de conversione, de moribus, de continentia & sanctitate verè incomparabili, necnon de glorioso transitu ejus ad Christum, seu de relatione preciosi corporis in locum priorem, dictatu admodum compendioso, titulo vitæ Beatissimi Richarii almi Patris aptavimus, &, nisi propriâ decipior imperitiâ, veluti preciosum aurum vestræ prudentissimæ sapientiæ, ad ornandum diadema Christianæ Philosophiæ, fide humili devotissimè commendamus. Et quia in vestri pectoris cubili gloriam Christi, & Sanctorum ejus honorem regnare cognoscimus, hanc nostri tam beati Opusculi Præfationem vestræ in Domino beatæ honorificentiæ dedicamus.* De Sancto Richario fusè egimus Tomis secundo ac tertio.

X. ADIT ROTOMAGUM,

Carolus egressus Centulâ Rotomagum venit. Rotomagensis Archiepiscopus tunc erat Meginhardus, de quo sermo post biennium recurret. Rex Rotomago Turonos profectus est. In itinere Cenomannum adiit, Ecclesiam Cenomannensem multis auxit Privilegiis, novóque Præcepto jus

Franconis

AN. CH. 800.
CAROLI R. 32.
PIPPINI LUDOV. RR. 20.
CAROLI R. 12.

Franconis Episcopi confirmavit adversùs Abbates Aurionis, Anisolæ, Sancti Vincentii, Culturæ Dei, aliósque, qui census ac redditus antecessoribus Episcopis pendi solitos, ei solvere recusabant Lege Corvaisierum in Gestis Franconis Senioris. Hic Auctor Ebroinum Anisolensem Abbatem, cujus nomen hactenus in Catalogis Abbatum illius loci desideratur, observat obiisse paulò antequàm Rex iter per Cenomanniam haberet.

CENOMANNUM, XI. TURONOS, CUM FILIIS SUIS.

Ut autem apud Centulam ab Angilberto Abbate, sic & apud Turonos ab Alcuino Abbate Sam-Martiniano necnon ab Archiepiscopo Josepho maxima cum lætitia susceptus est Carolus. Turonis *fuere cum eo filii sui, Karolus, & Pipinus, & Ludovicus. Et habuit ibi magnum Concilium & Conventum populi, & disposuit Regnum filiis suis.* Ita scribit Chronographus Moissiacensis. De illo Turonensi Conventu, déque Regni divisione tunc à Carolo facta inter filios, quos ex Hildegarde Regina susceperat, nihil antiqui produnt Annalistæ, nec cur Turonis Rex moratus sit, ullam rationem præter adversam Liutgardæ valetudinem afferunt. In patris comitatu fuisse tres filios facilè credimus. De Carolo & Pippino nulla difficultas, quia Carolus à patris aula vix unquam discedebat, & Pippinus in Italiam nondum redierat. Ludovicum in Aquitaniam, *magnâ hyemis exactâ parte*, reversum testatur Astronomus, nihil autem prohibet, quominùs mense Maio Turonos advolarit, audito post Pascha quòd Carolus pater illuc adventaret. Petrus *Delalande* Supplementis Conciliorum antiquorum Galliæ textum Chronici Moissiacensis suprà descriptum inseruit cum hac notatiuncula. *Quanam fuerint partes uniuscujusque*, filiorum videlicet Caroli, *non constat, nisi forsan eadem Regni fuerint ac Imperii, de quibus ultimis ad annum 806 erit sermo.* Postremi Conciliorum Collectores eundem quoque textum & eandem notatiunculam ediderunt in Appendice ad Tomum septimum. Postulare nobis liceat ab utrisque, quid illo loco per Imperium intelligant. Certè Carolus inter filios Imperium nec hoc anno divisit, nec anno Redemptoris octingentesimo sexto, quia, cùm proclamatus est Imperator, præter Augusti titulum nihil sibi comparavit, suásque ditiones ne vico quidem auxit; Regnum igitur suum, quod amplissimum erat, inter filios partitus est, Imperium verò, quod in solo nomine versabatur, nec divisit nec dividere potuit. Hac de re fusiùs disseremus infrà. Vetus Anonymus, qui vitam Alcuini sub Ludovico Pio Imperatore conscripsit, tres Caroli filios in patris comitatu Turonis ad limina Sancti Martini constituit. Idque nobis à vero non videtur alienum. Sed in Carolo nec Imperatoris Titulum, nec interrogationem probamus de futuro successore sive Imperii sive Regni. Carolus enim hoc anno, cùm Turonos venit, nondum acclamatus fuerat Imperator, frustráque dicitur inquisiisse de suarum ditionum hærede, quarum maximam partem inter prædictos filios diviserat, Italiâ Pippino, Aquitaniâ Ludovico, Neustriâ & Burgundiâ Carolo jam attributis. Textus Anonymi talis est. *Rex Magnus Imperatórque jam Karolus potens orationis gratiâ, unáque desiderata conlocutionis mutua cum Albino, sepulchrum Sancti Martini suis cum filiis, Karolo, Pipino, ac Ludovico, visitare studuit: quo in loco tenens manum Albini, ait secretè. Domine Magister, quem de his filiis meis videtur tibi in isto honore, quem indigno quanquam dedit mihi Deus, habere me successorem? At ille vultum in Ludovicum dirigens, novissimum illorum, sed humilitate clarissimum, ob quam à multis despicabilis notabatur, ait. Habebis Ludovicum humilem successorem eximium. Hoc tunc solus audivit Karolus. Sed cùm eosdem Reges erectâ cervice, & Ludovicum humili pòst orationis gratiâ in Ecclesiam Sancti Stephani incedere cerneret, sedens in loco quo sepeliri volebat, inquit sibi adsistentibus. Cernitis Ludovicum fratribus suis humiliorem? Certè videbitis hunc patris celsissimum successorem. Necnon cùm pòst communionem Corporis Christi & Sanguinis manu propriâ eis misceret, isdem Ludovicus humilitate clarissimus prae omnibus Patri Sancto se inclinans, ejus osculatus est manum. Tunc vir Do-*

AN. CH. 800

CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

mini adsistenti sibi ait Sigulfo. Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Certè istum post patrem Francia gaudebit habere Imperatorem. Hoc nos jam factum & videmus & gaudemus. Depositi sunt, qui videbantur Cedri, & exaltata est Oliva fructificans in domo Domini. Textum autem illum, ut Alcuinianæ prædictioni sua stet fides, Historicæque veritati nihil adversetur, parte narrationis amputatâ sic corrige. *Rex Magnus Karolus orationis gratiâ, unâque desiderata conlocutionis mutuæ cum Albino, sepulchrum Sancti Martini suis cum filiis, Karolo, Pipino, ac Ludovico, visitare studuit. Sed Albinus, cùm eosdem Reges erectâ cervice, & Ludovicum humili post orationis gratiâ in Ecclesiam Sancti Stephani incedere cerneret, sedens in loco quo sepeliri volebat, infit sibi adsistentibus. Cernitis Ludovicum fratribus suis humiliorem? Certè videbitis hunc patris celsissimum successorem. Necnon cùm post communionem Corporis Christi & Sanguinis manu propriâ eis misceret, isdem Ludovicus humilitate clarissimus præ omnibus Patri Sancto se inclinans, ejus osculatus est manum. Tunc vir Domini adsistenti sibi ait Sigulfo. Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Certè istum post patrem Francia gaudebit habere Imperatorem*, id est, Monarcham, cui tota, ut anteà Carolo patri, paritura sit.

XII. PRÆCEPTUM EMITTIT PRO MON. CORMARICENO.

Turonis morabatur Carolus tertio Nonas Junii, cùm rogatus ab Alcuino Abbate Sam-Martiniano & Cormariceno Præceptum pro Cormaricensi Monasterio sic emisit. *In Nomine Domini Dei nostri Jesu Christi. Carolus Dei gratiâ Francorum Rex, Patritius Romanorum, omnibus fidelibus Sancti Martini, qui præsenti tempore Deo serviunt in loco sancto, ubi pretiosus Confessor Christi corpore requiescit, vel etiam futuri sunt temporibus posteris, Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, & omnibus Ecclesiasticæ Dignitatis gradibus, senioribus seu junioribus, æternam in Christo salutem & prosperitatem. Notum sit Fraternitati vestræ, quòd dilectus Magister noster Albinus purâ devotione postulavit nos, ut licitum haberet Monachos constituere in Cella Sancti Pauli, quæ rustico nomine Cormaricus dicitur, qui regulariter secundùm Sancti Benedicti statuta in ea viverent. Quem locum Itherius Abbas antecessor illius ex comparatu acquisivit, & construxit, & tradidit Sancto Martino. Nos verò tam piæ petitionis illius ratum duximus, eámque literis vel sigillo nominis nostri confirmari fecimus, ne ulla, post dies illius, unquam disruptio fieri potuisset à quoquam successorum illius, nam si divina parentibus nostris nobísque pietas potestatem contulit totius Monasterii Sancti Martini rerúmque illius facultatem dandi, cui voluissemus, quantò magis potestas tribuendi ad Dei servitium perpetualiter prædictum locum? Nec fas est cuiquam Regalis Benignitatis spernere donationem vel confirmationem, maximè in tam pio & salubri Præcepto. Idcircò jubemus, ut hæc donatio nostra & jussio rata & inviolata temporibus perpetuis permaneat. Nec locum illum auferri volumus de potestate Sancti Martini, sed ut ibi * pleniter sub Regula Sancti Benedicti vivant degentes in eo, & habeant protectionem & subsidium Abbatis Monasterii Sancti Martini. Si hoc nostrum (quod absit) quisquam Abbatum spreverit Præceptum temporibus posteris, sciat se rationem reddere præsumptionis suæ Domino nostro Jesu Christo in die magno adventûs sui. Et similiter qui aliquid minuet de rebus, quas beatæ memoriæ Itherius Abbas acquisivit, comparavit, aut de rebus Sancti Martini, quas Ecclesiæ Sancti Pauli tradidit, vel si quid idem & Abbas Albinus, ad cujus petitionem hanc confirmationem scribi fecimus, addiderit, vel si quislibet in anteà addere voluerit, in eleemosynam animæ suæ, rato ordine perpetualiter serviat fratribus illius loci. Quicumque legerit hanc Chartulam sub timore Dei, illius rationabilem scripturam diligenter conservare studeat, ut habeat gratiam Domini nostri Jesu Christi in æternum. Et ut firmius esset hoc nostrum Præceptum manu propriâ subter roborare decrevimus, & de annulo nostro sigillari jussimus. Signum Caroli Gloriosissimi Regis. Datum tertio Nonas Junii anno trigesimo-secundo * Regni nostri. Actum Turonibus Civitate in Monasterio Sancti Martini, ubi ipse corpore requiescit feliciter.* Inter Char-

* ubi

* Vigesimo-secundo

tas, quas Historiæ Turonensis Ecclesiæ Joannes *Maan* instar Appendicis subjecit, duæ pro Cormaricensi Monasterio reperiuntur. Unam eum hac ejusdem Auctoris ad marginem notatiuncula, *Caroli III Regis 23. Indictione 14. anno Christi. 777*, quæ vitiosissimos Characteres exhibet, examinavimus ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-primum, quocum annus Caroli vicesimus-tertius per mensem Februarium componi debet, initio Regni sumpto à Pippini Patris obitu. Alteram, quam proximè descripsimus, hic examinaturi sumus cum illa non minùs erronea prædicti Scriptoris ad oram adnotatione, *Caroli III Regis Imp. 23. anno Christi 776*. Carolus, qui cognomento Magnus fuit, malè Carolus III appellatur, perperam quoque dicitur Imperator ad annum Christi 776, nec annus Regni 23 cum anno Christi 776 comparari potest. In ipso Diplomatis contextu legitur annus Caroli Regis vicesimus-secundus. A Stephano Papa Tertio Carolus in Monasterio San-Dionysiano Rex unctus est quinto Kalendas Augustas anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto, dubium non est quin annus pòst vicesimus-secundus per mensem Junium anno Christi 776 illigetur. At, ut sæpè monuimus, à die, quo Stephanus Papa Carolum Regem inunxit, initium Regni Carolini nullus Auctor, nulla scriptio repetit. Sanè hæc computatio Diplomati, de quo loquimur, aptari nequit, anno enim Christi 776, quocum annus post unctionem Caroli à Stephano Pontifice factam vicesimus-secundus convenit, Alcuinus nondum erat Abbas Sam-Martinianus, imò nondum in Franciam venerat, neque enim Carolum Regem adiit ante annum Christi septingentesimum nonagesimum-tertium, ut suo loco probavimus. Ad oram Diplomatis in notatiuncula ponitur annus Caroli Regis 23, qui secundùm Auctoris mentem cum anno Christi non 776 sed 777 quadrat. Nos, expuncto Caroli Regis anno 23, restituendum censemus annum 32, qui fuit Redemptoris octingentesimus, Carolus enim post Pippinum partem anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo regnare cœpit. Nostram sententiam hi confirmant Chronologici Characteres. Alcuinus in Franciam appulit anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio, post Itherii mortem factus est Abbas Sam-Martinianus ac Cormaricensis anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto, rexit utrumque Monasterium annis octo, vitamque clausit anno Redemptoris octingentesimo-quarto, Regni Carolini tricesimo-sexto, Imperii quarto, Regium enim titulum Carolus anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo mense Septembri, Imperatorium anno Redemptoris octingentesimo mense Decembri suscepit. Toto illo tempore, quo regimen Sam-Martiniani Monasterii penes Alcuinum fuit, Carolus semel Turonos ad limina Sancti Martini venit, & moratus est *ibi dies aliquot propter adversam Domnæ Liutgardæ conjugis valitudinem, quæ ibidem & defuncta & humata est, obiit autem pridie Non. Jun.* ut Annalista Loiselianus aliique scribunt ad annum Redemptoris octingentesimum, priusquàm Carolus iter Romam susciperet, ubi exeunte eodem illo anno Imperator Romanorum in die Natali Domini proclamatus est. Alium igitur annum frustrà quæras, quo Præceptum Caroli superiùs descriptum consignare possis. Illud Turonis in Monasterio Sancti Martini pridie quàm Liutgarda Regina moreretur emisit Carolus Rex Francorum ac Patricius Romanorum anno Regni sui tricesimo-secundo rogatus ab Alcuino Abbate, cui locus ille cum Cormarico post Abbatis Itherii mortem ante quadriennium commissus fuerat. In illo Præcepto Itherius *Abbas beatæ memoriæ* & *antecessor Alcuini* dicitur, atque inde obiter nota idem Præceptum in Appendice suprà citata malè præponi Chartæ Donationis, quam Itherius Abbas Cormaricensi Monasterio in die Dedicationis fecit. Summa Præcepti tribus in rebus præcipuè vertitur; Monachis Cormaricensibus præscribitur Regula Benedictina; Monasterio Cor-

AN. CH. 800.
CAROLI R. 32.
PIPPINI LUDOV. RR. 20.
CAROLI R. 12.

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

maricensi bona confirmantur, quæ ab Irherio fundatore & ab Albino ejusdem fundatoris successore concessa sunt; & quæcumque imposterùm à quibuscumque conferentur, usibus Monachorum ibi degentium servitura declarantur. Abhinc solos Mnnachos eósque Benedictinos in Cœnobio Cormaricensi, solósque Canonicos in Monasterio mansisse Sam-Martiniann, utrisque autem eundem Abbatem præfuisse credimus. Posteà Monachis Cormaricenis suus fuit Abbas. Novam hanc Cnrmaricensis Abbatis erectionem sun referemns locn. Cormaricensium Monachorum fama statim celebris evasit. Ad eos accessisse credimus Benignum dimissn, quem priùs administrabat, Episcopatu. Radulphus Monsnyerus in libro [a], qun jura Basilicæ Sam-Martinianæ prnpugnanda suscepit, huic Benignn locum inter Episcopos illius Ecclesiæ sic attribuit. *Benignus Episcopus Ecclesiæ Sancti Martini circa annum 800. in Actis quibusdam inclyti Cœnobii Sancti Pauli de Cormeriaco.* Cur Acta illa non recitantur, si gennina sunt, & nullam præseferunt suspicinnem falsitatis? Donec in lucem producantur, & accurato subjici possint examini, Benignum Sam-Martinianum Episcopum fuisse negabimos iisdem freti rationibus quibus suprà, quotiescumque nobis inquirendum fuit in Romannrum Pontificum, Adeodati videlicet & Hadriani, Diplomata, disputandúmque adversùs eos, qui complures Episcopos eósque prædicti Benigni decessores per octavum seculum in Ecclesia Sam-Martiniana sedisse contendnnt. Monsnyerus, nt ad annum Christi septingentesimum nctogesimum-sextum [b] jam notavimus, Martinopolim seo Sancti Martini Castrum vel Burgum, ubi Monasterium Sam-Martinianum, distinguit à civitate Turonensi, ne si Martinianus Episcopus admittatur, in eadem civitate duo contra Nicænæ Synodi decretum constituantur Episcopi. Sed hanc duarum civitatum separationem Episcopaliúmque Sedium distinctionem validissimè confutat Diploma, quod hoc anno Redemptoris octingentesimn à Caroln Rege, cùm Turonis esset, pro Cormaricensi Monasterin emissum est, atque, ut suprà jam notavimus, *actum Turonibus Civitate in Monasterio Sancti Martini, ubi ipse corpore requiescit, feliciter.* Simili modo Diplnma, quod Irherins Abbas pro fundatinne Cormariceni Cœnobii dedit, & ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-primum [c], Caroli Regis vicesimnm-tertium descripsimus, *actum* dicitur *Turonis in Monasterio Sancti Martini, in Dei Nomine feliciter.*

[a] Cap. 2.
[b] Num. 39.
[c] Num. 49.

XIII. AMITTIT LIUTGARDEM UXOREM. REDIT AQUISGRANUM.

Postridie quàm Carolus prn Monasterio Cnrmaricensi Præceptum emisit, id est, pridie Nonas Junii Turonis ex hac vita discessit Liutgardis Regina. Diem veteres observarunt Annalistæ, Loiselianus, Laureshamensis, Bertinianus, ac Metensis. Carolus è Liutgarde nullam prolem suscepit. *Defunctâ Fastradâ*, inquit Eginhardus, *Liutgardim Alamannam duxit, de qua nihil liberorum tulit.* Lintgarde mnrtuâ & sepultâ Rex Turonis Aureliam, tum Parisios, atque inde Aquisgranum cum filiis Carolo & Pippino profectus est, relicto in Aquitania Ludovico. Id mense Julio factum Monachus Egolismensis ita scribit. *Inde*, id est, Turonis, *per Aurelianos & Parisios mense Julio regressus, Aquasgrani reversus est.* Tunc voti compos factus est Theodulfus Aurelianensis Episcopns, qni paulò antè in Carmine ad eundem Carolum Regem [d] sic cecinerat.

[d] Lib. 3. Carm. 6.

XIV. CONVENTUM HABET MOGUNTIÆ, STATUITQUE ROMAM PROFICISCI.

Te plebs, te Clerus sitiunt in partibus istis
Cernere, sim voti compos & ipse mei.
Atque utinam Dominus te istas deducat ad arces,
Et videat Dominum urbs Aureliana suum.

Carolus *in æstivo tempore congregavit Optimates & fideles suos ad Moguntiam civitatem. Et cùm cognovisset per omnes fines suos pacem, rememoravit de injuria, quam Romani Apostolico Leoni fecerant. Et direxit faciem suam, ut iret in partibus Romæ, & ita fecit.* Hæc Chrnnographus Moissiacensis. Alii Ca-

AN. CH. 800.

soli Regis adventum in Moguntinam civitatem distinctiùs consignant *mense Augusto inchoante*.

Tunc inito consilio de suscipiendo in Italiam itinere, Ludovico filio, quem in Aquitania reliquerat, præcepit, ut illuc secum pergeret, sed XV.
hanc statim sententiam mutavit. *Succedente æstate*, inquit Astronomus, *Rex Carolus ad eum*, nempe Ludovicum, *misit mandans, ut secum in Italiam proficisceretur, sed mutato consilio jussus est domi manere.*

[Ludovicum Fil. relinquit in Aquitania.]

Alcuinum quoque Carolus ad conficiendum illud iter per literas sollicitavit. Alcuinus remanserat Turonis, & refutandis incumbebat literis, XVI.
quas ab Elipanto Archiepiscopo Toletano directas acceperat. Opus suum quatuor in libros divisit. Libro primo meminit Felicis veram confessi fidem apud Aquisgranum in præsentia Caroli Regis, annum Regni tricesimum-secundum tunc numerantis, id est, exeunte, ut ad illum annum diximus, anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono, cujus prior pars, quæ diem octavum ante Kalendas Octobres præcessit, ad annum Caroli Regis tricesimum-primum pertinuit, posterior ad tricesimum-secundum. Atque inde collige prædictos libros adversùs Elipantum ante annum Redemptoris octingentesimum haud scriptos ab Alcuino fuisse. Sanè fatendum est nec eos seriùs post annum Redemptoris octingentesimum exaratos esse, Carolus enim, qui sub ejusdem anni exitum acclamatus est Imperator, in illis libris imò & in Præfatione ab Alcuino præfixa sæpè nominatur, Rex autem semper, numquam Augustus aut Imperator dicitur. Hæc ad Chronologiam.

[Alcuinus quatuor libros scribit adversus Elipantum Archiep. Toletan.]

Operis inscriptio talis est. *Dominis in Christi charitate venerabilibus atque dilectissimis, Leidrado Episcopo Lugdunensi, & Nefridio Episcopo Narbonensi, & Benedicto Abbati, simulque Sanctissimis nobisque valdè honorabilibus Gothiæ provinciæ partibus Episcopis, Abbatibus, & fratribus, humillimus Sanctæ Ecclesiæ filius Albinus salutem.* XVII.

[Eos mittit Episcopis in Hispaniam denuo directis.]

Laidradus seu Leidradus Archiepiscopus erat Lugdunensis. Anno priore sub initium sui Pontificatûs à Carolo missus Urgellam fuerat, ut Felicem illius civitatis Episcopum ab hæresi revocare conaretur. Res feliciter cesserat. Felix enim, cùm liberum ad Regem commeatum obtinuisset, apud XVIII.
Aquisgranum in Episcoporum Conventu coram eodem Rege suam exposuerat opinionem, nec adactus violentiâ sed veritate compulsus ad pacem unanimitatis Catholicæ redierat, ut ipsemet in confessione fidei ad Urgellitanos pòst emissa jàmque non semel à nobis allegata declaravit. Leidradus, quia Felici suaserat, ut se coram Rege sisteret, ob secutam ejus conversionem maximum sibi comparavit nomen, idcóque à Carolo, qui nihil studii remittebat, ut hæresim penitus extirparet, iterum missus est in Hispaniam, ut sanam illic doctrinam populo prædicaret. Additi cooperatores Nefridius Narbonensis Archiepiscopus & Benedictus Anianensis Abbas, quia præter Septimaniam illa pars Hispaniarum, quam Franci subegerant, Narbonensi Metropolitæ subjacebat, & Benedictus Abbas in illis regionibus ob pietatem & eruditionem insignis habebatur.

Alcuinus, cùm de altero, quod in Hispaniam susceperant essent, itinere XIX.
fama jam spargebatur, calamo manum admovit, ut in utilitatem causæ publicæ nonnihil subsidii conferret. Mentem suam explicat in ipsa Præfatione, quâ prælaudatos veritatis præcones sic alloquitur. *Per divina suffragia pietatis hanc nebulosam impietatis sectam clarâ veritatis luce pridem discutere studuistis, etiam & Deo Christo donante captum prædicationis opus multa ex parte perfecistis. Ad cujus piissimæ prædicationis venerabile opus, mandante Gloriosô Principe & Devotissimo in omni bonitate Carolo Rege, vos iterum ituros esse audivimus. Quapropter paucorum arripui laborem dierum in solatium sanctissimi itineris vestri, quatenus haberetis in manibus cujusdam Epistolæ meo nomini directæ ab Elipanto Toletano Episcopo pias & pernecessarias responsiones, ne fortè*

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

aliquorum ex ejusdem Epistolæ lectione mentes maculentur, quia easdem audivimus literas in aliorum priùs pervenire manus, quàm nobis, cui missæ sunt, redditæ essent. Et hæc causa fuit, cur mihi præfatus Pater suæ incredulitatis Cartulam dirigere voluisset. Nam ego aliquibus nobis narrantibus nostræ Societatis fratribus eundem Elipantum sicut dignitate, ita etiam perfidia malo primum esse partibus in illis agnovi. Quapropter siquidem pacificâ charitate direxi ei exhortatorias literas, desiderans consulere senectuti illius, & in viam Catholicæ veritatis fraternâ dilectione & humili admonitione revocare virum longævâ gravem ætate, & religiosæ vitæ multo tempore famosum. Sed ille, dum accepisset meæ devotionis literulas, mox iracundiæ flammis incanduit, totámque animi sui intentionem colligens in iram, nec eo pietatis intuitu apices aspexit meos, quo me, Christum testor, illi dirigere scio, sed mox in maledictionis verba prosiluit, totúmque se armavit in suæ sectæ defensionem, nobísque literis demandare curavit, quid sentiret, quid suos discipulos credere doceret, me falsarium clamans, atque per vices hæreticum, per vices subversorem, necnon & persecutorem Christianorum reputans, nullúmque propemodum maledictionis genus vel perfidiæ dimisit, quod nostro non inureret nomini. Ostendens seipsum quid esset, & quàm impatienter toleraret si aliquis impietatis suæ errori contraire tentaret, multa colligens testimonia ex Sanctarum serie Scripturarum, multásque Catholicorum sententias Doctorum deduxit in medium, quæ penè omnia pravissimâ interpretatione maculare non timuit. Quibus illius vesaniæ literulis brevi sermone duobus libellis respondere curavi, evacuans veracissimis Sanctorum Patrum sensibus omnes illius adsertiones atque interpretationes pravissimas. Illis quoque duobus libellis alios duos adjunxi plano sermone Catholicæ fidei de Christo Deo veritatem testantes, atque Sanctorum Patrum testimoniis abundantissimè confirmantes. Quorum lectione pietatem vestram congaudere arbitror, quia totum illud opus vestro gaudebam dicare nomini, vobísque primò omnium direxi probandum atque corrigendum, judicio vestræ authoritatis atque sanctitatis tantummodò contentus, nec in publicas aures easdem meæ devotionis literulas procedere velim, nisi priùs vestræ authoritatis censurâ examinentur, & fraternæ congregationis lectione confirmentur, satis mihi æstimans illorum judicio examinari, quorum dilectione singulariter me laborare elegi.

XX. Erat Elipantus ætatis jam provectioris, agebat annum octogesimum-secundum, cùm literas scripsit, quas Alcuinus quatuor libris hoc anno refutavit. Illum, ut ad Catholicam fidem rediret exemplo Felicis, cujus synceram conversionem anno priore laudavimus, libro primo sic hortatus est Alcuinus. *Felix anno præfati Gloriosi Principis* Caroli *tricesimo-secundo advocatus voluntariè veniens ad Aquis Palatium, ibique in præsentia Domni Regis & Optimatum illius sive Sacerdotum Dei rationabiliter auditus, & veraciter convictus, atque Deo dans gloriam, verámque confessus fidem, in pacem Catholicæ unanimitatis reversus est cum suis discipulis, qui ibi tunc temporis erant præsentes. Cujus te cum tuis discipulis, venerande Pater, humilitatem sectari suadeo.* Ex hoc Alcuini textu, necnon ex aliis, quos citavimus ubi necesse fuit, arguuntur qui Felicem volunt apud Lugdunum statim exulasse post Synodum Francofordiensem anno Christi septingentesimo nonagesimo-quarto celebratam, nec unquam deinceps resipuisse. Felix post Concilium Francofordiense rediit ad Episcopatum suum, Urgellæ manebat ineunte anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono, & quia pravum dogma denuò seminabat, à Leidrado Lugdunensi Archiepiscopo & aliis Præsulibus tunc conventus est, acceptóque libero commeatu profectus est Aquisgranum, ubi vertente eodem anno, cùm Carolus annum Regni sui tricesimum-secundum jam numerabat, hæresim adhuc ejuravit in Synodo, depositus tamen est ab Episcopatu propter frequentes iteratósque lapsus, atque apud Lugdunum in perpetuum relegatus exilium. En certa deportationis epocha. Mansit apud Lugdunum Felix ad obitum usque, de quo plura Tomo sequenti. Postquàm autem Urgellæ rescitum est eum ab Episcopatu dejec-

AN. CH. 800. Caroli R. 32. Pippini Ludov. RR. 20. Caroli R. 12.

tum esse, subrogatus est hoc anno Sisebutus, cui proximus in Urgellensium Episcoporum Catalogo locus post eundem Feliecm tribuitur.

XXI. Elipantus resipiscit,

Extra fines Francicæ dominationis situm est Toletum, ubi Sedes Atchiepiscopalis Elipanti. Nos tamen haud atbitramur extra nostrum institutum divagaturos, si studiosiùs inquiramus, quid responsoriis ad Elipantum libris profeceent Alcuinus. Joannes Mariana, postquàm Adonis opinionem de Felicis exitu tetulit, hæc de Elipanto proximè subjungit. *Quid Elipanto contigerit clam est; ac credam potiùs sententiæ Patrum obtemperasse, pravâque opinione depositâ mutasse, neque ex Hispania extulisse pedem, neque Reginum, Romam, aut Franconofurtum adiisse, persuasum habeo.* Fatemur Elipantum in Hispania semper mansisse, nec in errore suo mortuum esse, sed negamus eum, ut Auctor proximè citatus insinuat, post Synodum Franeofurtanam statim ad Ecclesiam Catbolicam rediisse. Mariana creditur consuluisse manuscriptum Legendarium Asturieense, unde posteà Tamayus & Bollandus vitam Sancti Beati Presbyteri publicarunt [a], in qua prolixus est sermo de Elipando. Sed in isto Legendario reperiri, quæ non benè cohæteant, jam notavit Bollandus [b] in Commentatio prævio vitæ Sancti Valentini Interamnensis in Umbria Episcopi ac Martyris. Qui vitam Sancti * Beati retulit in literas, ejus mortem *anno Domini septingentesimo nonagesimo-octavo* consignavit, & ex eo quòd Erâ non usus est Hispanicâ, significavit ætate se multò reeentiorem. Error autem, quem hie Auctor prædicto Legendatio inseruit, profectus videtur ex pseudochronieo Luitprandi, quod ad Eram octingentesimam vicesimam, sive ad annum Christi septingentesimum octogesimum-secundum, sic habet. DCCCXX. DCCLXXXII. *Elipandus, Archidiaconus Cixilanis Pontificis Toletani, succedit in Sede Patriarchali Toletana pro Domino Cixilane magistro suo, ad annum* DCCCX *praest. Malâ persuasione Felicis Urgelitani Pontificis magistri sui labitur in fœdum de Adoptione Christi errorem, sed Epistolis Adriani Papæ & Caroli Magni Pipini Francorum Regis filii ad mentem & verum sensum Ecclesiæ redit.* Et ad Eram octingentesimam tricesimam-tertiam, sive ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-quintum, sic. DCCCXXXIII. DCCXCV. *Elipandus Archiepiscopus Toletanus hoc anno Toleti Synodum contrahit petitione Sancti Regis Caroli Magni, & hortatu Gumesindi Archidiaconi Toletani discipuli sui, & Lupi viri Muzarabis Toletani primarii,* XIII *die mensis Aprilis, die Dominico, in die festo S. Hermenegildi Regis & Martyris, apud Sanctæ Justæ Secretarium, ad quam convenerunt multi Episcopi & Abbates, & coram illis dixit Elipandus se stare determinationi Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, circa determinationem negotii de Adoptione Christi (in quo deceptus fuit) idque cum lacrymis tam ejus quàm aliorum. Peracto Concilio, egit gratias Elipandus Carolo Magno, scribítque Sancto Pontifici Adriano, qui vehementer gavisus illi gratulatur, mittítque Elipandus multos libros Gotthicè scriptos ad Carolum.* At anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto Pascha celebratum est die duodecimo Aprilis, & dies decimus-tertius ejusdem mensis incidit in feriam secundam post Pascba currente tum literâ Dominicali D. Quidam recurrunt ad Eram octingentesimam triecesimam-quartam, sive ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-sextum, sed nec illo anno bisextili, qui literas Dominicales C & B habuit, dies Aprilis decimus-tertius, cui præfigitur in Kalendario litera E, Dominicus fuit, imò cum feria quarta post Dominicam in Albis coincidit, die enim tertio Aprilis celebratum est Pascha. Potioris non est auctoritatis Chronographus, quem Tamayus sic allegat. *In principio hujus anni* (nempe 796) *Helipandus congregavit Concilium Toleti, petitione Caroli Magni, & Archarici Bracarensis Episcopi doctissimi sanctissimique, & hortatu Gumesindi Archidiaconi sui, apud Secretarium S. Justæ. Convenerunt Episcopi, Matanus Complutensis, Petrus Oretanus, Morcellus Valentinus, Ætherius Oxomiensis, & alii; & coram illis & Abbatibus, dixit Helipandus Toletanus Archiepiscopus, vir*

[a] d. 19. Febr.

[b] d. 14. Febr.

* S. Bieco.

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

ætate venerabilis, se stare determinationi S. E. R. circa negotium de Adoptione Christi. Nec eidem Chronographo fidem conciliant subjectæ à Tamayo literæ, per quas Elipando ad fidem Catholicam reverso Archaricus Bracarensis Antistes proximo mense Augusto sic gratulatos fertur. *Eminentissimo veréque amabili Deo Elipando Archiepiscopo Toletano, Archaricus Episcopus bracarensis, S. Mirificè me delectaverunt literæ Paternitatis vestræ, quibus mihi significatis, vos, coram Patribus ad Concilium Toletanum congregatis, stetisse sententia S. M. E. R. & jussibus S. D. Apostolici Hadriani benevolas & faciles aures adhibuisse. Fecistis in hoc, Reverendiss. Pontifex, quod ætatis vestræ gravitatem, quod & fidem & religionem in multis à juventutis vestræ annis probatam & exploratam decebat. Lætificastis cœlum, exhilarastis animas vestrorum amicorum, & totam Hispaniam odore sanctissima & laudatissima vestra fama longè latéque replestis. Confudistis miserum Felicem, & ejus asseclas opprobrio vulnerastis sempiterno, & demùm confirmastis opinionem antiquam, quam omnes Hispani Pontifices de maturitate judicii vestri, de humilitate sanctissima vestra persona conceperant. Faxit Deus, fortunet istam vestram sanctitatem, & diu servet Hispanis gentibus incolumem. Multa alia seorsim Gumesindus Archidiaconus tuus vobis intimabit. Braccara* * VIII *die mensis Augusti, Æra* DCCCXXXIV.

* Bragae

Fabulis accensenda sunt, quæcumque circumferuntur scripta de Elipanto ad veram fidem vel ante Felicem vel ante Eram octingentesimam duodequadragesimam sive ante annum Redemptoris octingentesimum converso. Felix hæresim ejurat anno Caroli Regis tricesimo-secundo jam cœpto, id est, exeunte anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono. Seriùs Elipantus ad veræ fidei confessionem redit. Alcuinus enim, qui quatuor libris Epistolam Elipanti refellit, ipsius Felicis resipiscentiam laudat libro primo, & Elipantum, ut idem præster, hortatur textu suprà citato. Disputationi felicissimus datur exitus. Alcuino cedit Elipantus, & *tandem resipiscens*, ut idem Tamayus in Toletanorum Archiepiscoporum Catalogo * testatur, *piè moritur ad annum* DCCCVIII. Pseudo-Luitprandus ejus obitum in Eram octingentesimam duodequinquagesimam sive in annum Redemptoris octingentesimum decimum sic rejicit. DCCCXLVIII. DCCCX. *Hoc anno, Elipando Archiepiscopo Toletano, viro prudenti, humili, ac in zelo fidei Catholicæ ferventi, sanctè mortuo, sufficitur Archidiaconus ejus Gumesindus.* De Elipanti ætate id certum, quòd octavo Kalendas Augustas anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono ingressus est annum ætatis octogesimum-secundum, ut suo loco diximus, cùm mentionem fecimus literarum, quas Alcuino paulò pòst scripsit.

* d. 25 Octob. PIE MORITUR.

XXII. Mansit Alcuinus Turonis, nec Carolum in Italiam euntem secutus est, sic enim eidem Regi rescripsit [b]. *Mihi improperare voluistis, me fumo sordentia Turonorum tecta auratis Romanorum arcibus præponere. Scio vestram legisse prudentiam Salomonicum illud elogium, melius, inquit, sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa in domo communi. Et, ut cum pace dicam, magis ferrum nocet oculis, quàm fumus. Turonis enim fumosis tectis contenta, Deo donante, per vestra bonitatis providentiam in pace permanet. Roma verò, quæ fraternâ discordiâ initiata est, insitum dissensionis venenum huc usque tenere non cessat, vestraque veneranda dignitatis potentiam, ad hujus pestis compescendam perniciem, è dulcibus Germaniæ sedibus festinare compellit. Nos verò lacrymis absentiam, & precibus iter vestrum continuis prosequimur, divinam humiliter obsecrantes clementiam, quatenus vos, vestrósque simul, cum omni prosperitate sanos ducat & reducat gaudentes. Vestra verò pietatis literæ, nullatenus consentio, ut obliviscantur mei, sed sæpius veniant in spiritu consolationis, ut osculentur iterum, iterúmque relegantur, & in cordis thesauro perpetuâ dulcedine conserventur.* Hæc postrema periodus singularem prædicat amicitiam, quâ Carolus Alcuinum prosequebatur, hic enim minas à Rege per jocum propositas duxit, &, ut ex prædictis literis aliisque liquet, Turonis remansit.

[b] Ep. 15. ALCUINUS MANET TURONIS.

Epistolâ

AN. CH. 800.
CAROLI R. 32.
PIPPINI LUDOV. RR. 20.
CAROLI R. 12.

Epistolâ vicesimâ-tertiâ, quam scripsit anno Redemptoris octingentesimo primo, cùm Carolus Augustus Româ cis Alpes jam reversus esset, eidem Imperatori significavit, quòd *inter fratres in Ecclesia Sancti Martini Deo fideliter servientes vivere vel requiescere, Deo miserante, sine ulla dubitatione* desideraret, *sicut transacto anno*, id est, hoc anno, jam testatus fuerat, epistolâ videlicet decimâ-septimâ ipsi quoque inscriptâ Carolo, in qua negavit se *in aliquo loco plùs* ei *prodesse posse, quàm assiduis apud Sanctum Martinum orationibus.*

XXIII. MAURINUS EP. AUTISSIOD. OBIT.

Eodem mense Augusto, quo Carolus Moguntiam pervenit, initóque cum Optimatibus consilio statuit in Italiam proficisci, Maurinus Autissiodorensis Episcopus obiit. Illius mors ac sepultura sic in Autissiodorensium Episcoporum Historia [a] commemorantur. *Decessit* VIII *Idus Augusti, atque in Ecclesia Sancti Gervasii tumulatus est, quam & ipse quoque renovaverat.* Aaron in Episcopatum successit. *De hoc constat* ex eadem Historia [b], *quòd, proficiscente Romam Carolo Magno sub Leone Papa, cum ipso pariter profectus est.* Hæc Aaronis in Italiam profectio nos potissimùm movet, ut & obitum Maurini & Aaronis subrogationem hoc anno consignemus. Maurinus enim, ut Auctor ejusdem Historiæ testatur, *sedit annos* XXVIII, & Episcopatum suscepit *circa exordium Regni Caroli Magni* in Burgundia, ut ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-secundum [c] jam diximus. Ab anno autem Christi septingentesimo septuagesimo-secundo ad annum Redemptoris octingentesimum numerantur anni duodetriginta, nec iter Caroli potest in aliud tempus rejici, semel enim in Italiam Leone Pontifice profectus est, hoc utique anno post Christum natum octingentesimo, ut mox ostensuri sumus.

[a] Cap. 11.
[b] Cap. 34.
[c] Num. 41.

XXIV. BONIS ECCLESIÆ RECUPERATIS ET AUCTIS.

In Historia [d] prælaudata narrantur multa, quæ spectant ad Episcopatum Maurini, nec suis aptari locis potuerunt, quia Chronologicis Characteribus destituuntur. Illa conglobatim accipe. *De hoc* Maurino *certissimè constat, quòd ingenio & prudentiâ singulari res, ut dudum prædiximus, Ecclesiæ suæ substractas, annuente Magno Carolo, tunc Rege, posteà Imperatore, recuperaverit. Acceptum namque aurum, ut fertur, in eadem civitate in turre Brunechildis inventum, atque, ut dicitur, libratim distributum, orarii, quo utebatur, nodis hinc inde coercuit, atque collo suspensum ante prænominati Regis præsentiam novo ordine detulit, pariterque commissæ sibi Ecclesiæ paupertatem ac suæ tenorem petitionis Regiis auribus intimavit, id se præcogitasse asserens, ut singulos Palatii Principes singulis auri libris in sui adjutorium conciliaret, sed posteà mutasse sententiam, atque, ut ipse solus cuncta acciperet, rectiùs judicasse. Annuit benignitas Principis, & ut decedentibus singulis, qui tunc res Ecclesiasticas obtinebant, paulatim cuncta reciperet, Præcepto Regio edixit. Sicque, annuente Deo, res prosperè cessit, ut ferè intra biennium nullus penè eorum restiterit, quibus prædia Ecclesiastica contra licitum deserviebant. Eâ tempestate, Abbatia Sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, necnon & Sancti Martini, Sancti quoque Eusebii in usus Sancti Stephani redierunt, maxima quoque villarum pars, quæ fuerant catenus abdicatæ. Hoc Præsule, primus Comes pagi Autissiodorensis, Ermenoldus nomine, in suo ipsius prædio Monasterium in Salvatoris honore construxit, quod idem Episcopus solemniter dedicavit, atque ex rebus Sancti Stephani villam, cui Cocciacus nomen est, in augmentum dedit, nihilominùs præfatus Comes obtentu Episcopi idem Monasterium Sancto Stephano posteà delegavit. Super Altare quoque matris Ecclesiæ hic ipse Pontifex Pallium preciosissimum auro & margaritis obtulit decentissimè exornatum. Crucem etiam ex auro purissimo & gemmis preciosis composuit nomine inscribens suo. Sed & imitator existens bonæ memoriæ prædecessoris sui contulit res proprietatis suæ Sancto Stephano, ut pauperum indigentiis subministrarent. Sunt autem eadem reposita in pago Tornodorensi, in villa, quæ dicitur Fontanetus, nihilominùs & stipendiis Canonicorum agellum proprietatis suæ contulit, cujus vocabulum est Villare, non longè à Varciaco, quod ipse à quadam matrona obtinuerat, nomine Rocla.*

[d] Cap. 11.

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUNOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

In eadem Historia [a] sequitur encomium Aaronis cum hoc exordio. *Aaron Episcopus sedit annos* XIII. *De hoc constat, quòd proficiscente Romam Carolo Magno sub Leone Papa, ad decus Imperii roborandum, cum ipso pariter profectus est, atque in ipsa expeditione Abbatiam Sancti Mariani à præfato Imperatore obtinuit.* Carolus Romam octavo Kalendas Decembris hoc anno pervenit, Imperator in Vaticana Basilica coronatus est octavo Kalendas Januarii, rediitque eis Alpes anno proximo, postquàm apud Eporediam Natalitia Sancti Joannis Baptistæ celebrasset octavo Kalendas Julii. Cùm egressus est Moguntiâ, nullam Imperii sollicitudinem gerebat, tribus autem gravissimis Italiæ curis agitabatur, defectione Grimoaldi Ducis Beneventani, cæde Henrici Ducis Forojuliensis, & violatione Leonis Papæ, quorum unumquodque acerrimè pro Regia dignitate vindicandum existimabat.

XXV. [a] Cap. 14

AARON SUCCEDIT, ET IN ITALIAM CUM CAROLO R. PROFICISCITUR.

Ex Historia igitur proximè citata expungendæ sunt, quæ veritati refragantur hæ voces, *ad decus Imperii roborandum*, textúsque de Aarone Episcopo sic est restituendus. *De hoc constat, quòd proficiscente Romam Carolo Magno sub Leone Papa, cum ipso pariter profectus est*, &c.

XXVI. CAROLUS CONSTITUIT DUCEM FOROJUL. [b] Cap. 15 SUPPLICIUM SUMIT DE TARSATIC.

Carolus relicto in Austrasia Carolo filio, *procedente*, ut Sigonius observat, *jam autumno Alpes unà cum Pipino Rege trajecit, atque in Italiam digressus recto itinere in Liburniam properavit. Ibi nex Henrici, merito sumpto de Tarsaticentibus supplicio, vindicata. Cadolachus Dux Foro-Juliensibus datus.* Joannes Lucius libro primo [b] de Regno Dalmatiæ & Croatiæ hunc Sigonii textum allegat, illustrátque hoc insigni commentariolo. *Carolum tunc, uti Dominum & Judicem, de sontibus Tarsaticensibus supplicium sumpsisse, non uti inimicum injuriam ultum, dicendum est.* Plura de rebus in Ducatu Foro-Juliensi gestis non inveniuntur monumenta. Carolus *inde profectus*, ut Annalista Laureshamensis scribit, *cum exercitu Ravennam venit, ibique septem non ampliùs dies moratus, Pipinum filium suum cum eodem exercitu in terram Beneventanorum ire jussit, movénsque de Ravenna simul cum filio suo Anconam usque pervenit: quo ibi dimisso, Romam proficiscitur.* De bello Beneventano sic Annalista Loiselianus. Rex *exercitum cum Pipino filio in Beneventanorum terras prædatum ire jussit.* Assentiuntur incertus Auctor & Monachus Egolismensis cum Annalistis Bertiniano & Fuldensi. Romam per Ducatum Spoletanum perrexit Carolus, *cui pridie quàm illò veniret*, ut Annalista Laureshamensis prosequitur, *Leo Papa apud Numentum occurrit, & cum magna veneratione ibidem susceptus est. Post cœnam, quâ simul refecti sunt, illo ibi manente, Pontifex ad Urbem processit, posteróque die in gradibus Basilicæ Beati Petri Apostoli cum Episcopis & universo Clero consistens, advenientem Regem, equóque descendentem, Deo laudes dicendo & gratias agendo suscepit, & cunctis psallentibus in Ecclesiam ejusdem Beatissimi Apostoli Deum glorificans atque magnificans introduxit. Facta sunt hæc* VIII *Cal. Decemb.* Hæc paulò fusiùs ab Annalista Loiseliano sic enarrantur. *Occurrit ei pridie Leo Papa & Romani* (seu *Senatus Romanorum*, ut apud Annalistam Metensem legitur) *cum eo apud Nomentum, duodecimo ab Urbe lapide, & summa cum humilitate summóque honore suscepit. Prandénsque cum eo in loco prædicto, statim eum ad Urbem præcessit, & in crastinum in gradibus Basilicæ Beati Petri Apostoli stans, missis obviam Romanæ urbis vexillis, ordinatis etiam atque dispositis per congrua loca tam peregrinorum quàm civium turmis, qui venienti laudes dicerent, ipse cum Clero & Episcopis equo descendentem gradúsque ascendentem suscepit. Datâque oratione* (seu *benedictione* ut habet Annalista Metensis) *in Basilica Beati Petri Apostoli psallentibus cunctis introduxit. Facta sunt autem sub die* VIII *Kal. Decembris*, feriâ tertiâ, currente tum literâ Dominicali D. *Post septem verò dies Rex concione vocatâ, cur Romam venisset omnibus patefecit, & exinde quotidie iis, propter quæ venerat facienda, operam impendit. In quibus ut maximum ita difficillimum erat, quod primò inchoatum est, de investigandis videlicet quæ Pontifici objiciebantur criminibus. Qui tamen postquàm nullus eorundem criminum pro-*

INGREDITUR ROMAM.

AN. CH. 800.

CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

bator esse voluit, coram omni populo in Basilica Beati Petri Apostoli, Evangelium ferens, ambonem conscendit, invocatóque Sancta Trinitatis nomine, de objectis se criminibus jurejurando purgavit. Hæc Annalista Laureshamensis, quocum ceteri conveniunt. At audire præstat Anastasium, qui totum negotium in vita Leonis ita describit. *Ipse Magnus Rex dum in Basilica Beati Petri Apostoli conjunxisset, & cum magno honore susceptus fuisset, fecit in eandem Ecclesiam congregari Archiepiscopos, seu Episcopos, & Abbates, & omnem Nobilitatem Francorum atque Romanorum, & sedentes pariter tam Magnus Rex quàm Beatissimus Pontifex fecerunt residere & Sanctissimos Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, stantibus reliquis Sacerdotibus & Optimatibus Francorum & Romanorum, ut crimina, quæ adversùs almum Pontificem dicta fuerant, examinarent. Qui universi Archiepiscopi, & Episcopi, & Abbates, unanimiter audientes dixerunt. Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus; nam ab ipsa nos omnes & Vicario suo judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum & antiquitus mos fuit; sed sicut ipse summus Pontifex censuerit canonicè obediemus. Venerabilis verò Præsul inquit, prædecessorum meorum Pontificum vestigia sequor, & de talibus falsis criminationibus, quæ super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum. Aliâ verò die in eadem Ecclesia Beati Petri, cùm omnes adessent generaliter Archiepiscopi, seu Episcopi, & Abbates, & omnes Franci, qui in servitio ejusdem Magni Regis fuerunt, & cuncti Romani, in eadem Ecclesia Beati Petri Apostoli, in eorum præsentia amplectens præfatus venerabilis Pontifex sancta Christi quatuor Evangelia, coram omnibus ascendit in ambonem, & sub jurejurando clarâ voce dixit. Quia de istis falsis criminibus, quæ super me imposuerunt Romani, qui iniquè me persecuti sunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco. Et hoc peracto, omnes Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates, & cuncti Clerici Lataniâ factâ, laudes dederunt Deo, atque Dei Genitrici sempérque Virgini Mariæ Dominæ nostræ, & Beato Petro Apostolorum Principi, omnibúsque Sanctis Dei.*

CONVENTUM HABENDUM CURAT IN CAUSA LEONIS PP.

XXVII.

Eâdem die, quâ se Leo Pontifex innocentem sacramento probavit, *Zacharias Presbyter, quem Rex Hierosolymam miserat, cum duobus Monachis, quos Patriarcha cum eo ad Regem misit, Romam venit.* Ita scribit Annalista Laureshamensis. Si fides est Orderico [a], *Hierosolymitanus Patriarcha per Zachariam magni testimonii Sacerdotem* transmisit *Phylacterium quoddam Sanctæ Crucis lignum continens, dum Carolus Rex primo anno Imperii Romæ moraretur.* Ac illo de Phylacterio vetusti silent Auctores, nec Zachariæ Sacerdotis ex Oriente reditus in annum Imperii Carolini primum, sive in annum Redemptoris octingentesimum primum, rejici debet, Zacharias enim anno Redemptoris octingentesimo Romam priùs venit, quàm Carolus acclamaretur Imperator. De muneribus quæ Patriarcha Hierosolymitanus hoc anno direxit ad Carolum, sic Annalista Laureshamensis jam laudatus. *Ii*, nempe Monachi, quos Patriarcha cum Zacharia Presbytero misit, *benedictionis gratiâ Claves Sepulchri Dominici ac loci Calvariæ cum Vexillo detulerunt.* Loiselianus rem paulò distinctiùs sic explicat. *Eâdem die Zacharias cum duobus Monachis, uno de monte Oliveti, altero de monte Saba, de Oriente reversus Romam venit, quos Patriarcha Hierosolymitanus*, is erat nomine Joannes, *cum Zacharia ad Regem misit. Qui benedictionis causâ Claves Sepulchri Dominici ac loci Calvariæ, Claves etiam civitatis & montis cum Vexillo detulerunt.* Posterior hæc periodus, *qui benedictionis causâ* &c. iisdem prorsus verbis, ut apud Annalistam Loiselianum, sic & apud Tilianum, Bertinianum ac Metensem, necnon apud incertum Auctorem, apud Monachum Egolismensem, & apud Reginonem legitur. Apud Adonem verò, sic. *Simul & cum ipso*, nempe Zacharia, *Patriarchæ Legati, cum Clavibus Sepulchri Domini, civitatis quoque ac montis Oliveti, deferentes etiam Vexillum urbis.* Cæsar Baronius ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-sextum [b], quo Leo Papa *per Legatos suos Claves Confessionis Sancti Petri, ac Vexillum Romanæ*

ACCEPTO EX ORIENTE VEXILLO FIT DOMINUS SEPULCHRI DOMINICI ET LOCI CALVARIÆ.

[a] Lib. 6. sub init.

[b] Num. 16.

CH. AN. 800. CAROLI R. 32. PEPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

urbis cum aliis muneribus Regi Carolo *misit*, irridet eos, *qui per Claves ex Legam præscripto tradunt Carolum in potestatem immissum Romanæ Ecclesiæ, & per Vexillum, Romanæ urbis.* Illustrissimo Ecclesiasticorum Annalium conditori, quantùm ad Claves, assensi sumus; quia Claves ex Confessione seu Sepulchro Sancti Petri acceptæ Christianis olim Principibus mitti consueverant à Summis Pontificibus, ut testes sunt quamplurimæ Gregorii Magni aliorúmque Romanorum Pontificum Epistolæ. Refragati verò sumus quantùm ad Vexillum, Carolum enim per urbis Romanæ Vexillum in urbis Romanæ potestatem immissum asseruimus. Eruditissimus autem Cardinalis, ut opinionem suam confirmaret, exemplum attulit non longè petitum à Vexillo, quod ad eundem Carolum hoc anno Joannes Hierosolymitanus Patriarcha direxit. *Ne de Vexillo*, inquit, *misso habeas quod objicias, invenies inferiùs, anno octingentesimo in fine, à Patriarcha Hierosolymitano ad eundem Carolum Magnum missas pariter loco benedictionis Claves locorum Sanctorum unà cum Vexillo, ut intelligas ejusmodi munera mitti consuevisse Regibus ab Episcopis.* Deinde, cur Leo Vexilli dono Carolum honorarit, peculiarem hanc rationem, *quòd* Carolus *potentissimus esset Ecclesiæ Romanæ Defensor*, ita dedit. *Honorasse verò Leonem Pontificem ipsum Carolum Magnum dono Vexilli, eo quod potentissimus esset Ecclesiæ Romanæ defensor, dicere quoque possumus.* Valere posset hæc ratio pro Vexillo, quod ad Carolum hoc anno Joannes Patriarcha Hierosolymitanus misit; sed non ideo videtur admittenda pro Vexillo, quod ante quadriennium Leo Romanus Pontifex ad eundem Carolum direxerat. Quamvis enim per Vexillum Joannes Patriarcha Carolum potentissimum Christianorum Defensorem significasse censeretur, eundem Carolum Urbis Romanæ Dominum Leo Papa per Vexillum significavit. Interpretationem adeò diversam suppeditant Auctores præcitati. Quotquot enim loquuntur de Legatione, quam hoc anno Carolus ab Hierosolymitano Patriarcha missam accepit, non addunt rogatum eundem Carolum, ut in Orientem dirigeret unum è suis Optimatibus, & per eum possessionem locorum sibi concessorum adiret. Annalista Laureshamensis, quem primo loco citavimus, sic habet. *Zacharias Presbyter, quem Rex Hierosolymam miserat, cum duobus Monachis, quos Patriarcha cum eo ad Regem misit, Romam venit. Ii benedictionis gratiâ Claves Sepulchri Dominici ac loci Calvariæ cum Vexillo detulerunt.* At ubi sermonem facit [a] de Legatione, quam Leo sub initium sui Pontificatûs ante quadriennium ad Carolum direxit, illam sic exponit. *Leo Pontificatum suscepit, & mox per Legatos suos Claves Confessionis Sancti Petri, ac Vexillum Romanæ Urbis cum aliis muneribus Regi misit, rogavítque ut aliquem de suis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per sacramenta firmaret. Missus est ad hoc Engilbertus.* Utroque autem textu accuratiùs examinato, par utrobique deprehenditur Vexilli significatio. Carolus, ut Urbis Romanæ Ducatûsque Romani, sic & Sepulchri Dominici locíque Calvariæ Dominus per Vexillum declaratur, possessionem per unum è suis Optimatibus adire seu rogatus seu non rogatus. Talem enim rogationem, ut hujuscemodi mutationes ad effectum perducantur, quis necessariam censeat? Tota res in oblatione & acceptione Vexilli consistit, nihil ampliùs requiritur. Privata quoque non deest ratio, cur Carolus Optimatem in Italiam mittere rogetur, in Orientem minimè. Carolus Vexillum Urbis Romanæ sibi delatum accipit, rogatúsque mittit Engilbertum, qui populum, imò Ducatum Romanum *ad suam fidem atque subjectionem* per sacramenta firmet. Roma civitas est famâ celebris, potens opibus, populo frequens; Ducatus Romanus, qualis in Francorum Regnum ab Imperio Græcorum transit, Diœceses amplectitur triginta-sex, in quibus civitates, urbes, oppida, pagíque magno sunt numero; regionis tam vastæ poscit amplitudo, ut incolæ clientelarem Carolo fidem subjectionémque cum juramento profiteantur.

[a] Ad an. 796.

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

In altera Donatione nihil invenitur simile; Aaronis Caliphæ spontaneâ cessione, Sepulchrum Dominicum & Calvariæ locus prope Hierosolymam potestati Caroli subjiciuntur; loca hæc angusta sunt & deserta, solisque frequentantur peregrinationibus Christianorum qui Passionis ac Resurrectionis Dominicæ memoriam piè colunt. Annalista Loiselianus, aliique complures Auctores, quos nominavimus, addunt civitatem, & ut Urbis Romanæ Vexillum ante quadriennium, sic & hoc anno Vexillum Urbis Hierosolymitanæ Carolo delatum innuunt. At Annalistam Laureshamensem, qui Carolo *Claves* tantùm *Sepulchri Dominici ac loci Calvariæ cum Vexillo* missas affirmat, illis Scriptoribus hoc loco præferendum docet Eginhardus in ejusdem Caroli vita, civitatis enim non meminit, & loca, quæ memorantur in Annalibus Laureshamensibus, ut Caroli potestati adscriberentur, ab Aarone concessa sic testatur. *Cum Aaron Rege Persarum, qui exceptâ Indiâ totum penè tenebat Orientem, talem habuit in amicitia concordiam, ut is gratiam ejus, omnium, qui in toto Orbe terrarum erant, Regum ac Principum amicitiæ præponeret, solumque illum honore ac manificentiâ sibi colendum judicaret. Ac proinde, cum Legati ejus, quos cum donariis ad sacratissimum Domini ac Salvatoris mundi Sepulchrum locumque Resurrectionis miserat, ad eum venissent, & ei Domini sui voluntatem indicassent, non solùm quæ petebantur fieri permisit, sed etiam sacrum illum & salutarem locum, ut illius potestati adscriberetur, concessit.* Id egregiæ admodum laudi Carolo vertitur, quòd primus inter Occidentales Dynastas venerabilem illum locum sub sua tenuit potestate. Frequentiores deinceps fuerunt è remotissimis provinciis in Palæstinam peregrinationes. Addit Eginhardus Legatos ab Aarone directos cum muneribus ad Carolum, qui priùs etiam, quem tunc solum habebat, elephantem miserat. *Revertentibus*, inquit, *Legatis* Caroli *suos* Aaron *adjungens, inter vestes & aromata, & ceteras Orientalium terrarum opes, ingentia illi dona transmisit, cùm ei ante paucos annos eum, quem tunc solum habebat, roganti mitteret elephantem.* Porrò, quod hîc ab Eginhardo scribitur de elephante *ante paucos annos* misso, locum novæ controversiæ facit, utrùm Carolus ex Aaronis munificentia Sepulchrum Dominicum hoc anno sub sua potestate tenere cœperit, an reparatæ salutis octingentesimo septimo, quo *Legatus* Aaronis *Regis Persarum, nomine Abdella, cum Monachis de Jerusalem, qui Legatione Thomæ Patriarchæ fungebantur, quorum nomina fuere Georgius & Felix, ad Imperatorem pervenerunt, munera deferentes, quæ prædictus Rex Imperatori miserat*, ut Annalista Laureshamensis aliique pluribus prosequuntur. In posterioris opinionis confirmationem iidem allegari possunt Annalistæ; navim enim, quâ vehebatur elephas, *portum Veneris*, quod Liguriæ oppidum est, ingressam testantur *anno* DCCCI, *mense Octobri*, seriùs videlicet quàm Vexillum ex Oriente Carolo delatum perhibeant, & Eginhardus jam citatus postquàm scripsit Aaronem ultrò concessisse, *ut sacratissimum Domini ac Salvatoris mundi sepulchrum potestati* Caroli *adscriberetur*, proximè subjungit elephantem eidem Carolo *ante paucos annos* ab Aarone missum fuisse. Stamus tamen à priore opinione, totámque controversiam auctoritate eorumdem Annalistarum dirimimus, rerum gestarum ordine sic observato. Carolus anno Christi septingentesimo nonagesimo-septimo tres Oratores in Orientem direxit, Lanfridum, Sigismundum, atque Isaacum, & per eos elephantem ab Aarone postulavit. Eodem anno Aaron illos Legatos excepit, auditósque remisit in Franciam per Africam cum elephante duobúsque Legatis quos ejusdem itineris socios adjunxit. Anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono, cùm Carolus è Saxonia jam reversus apud Aquisgranum morabatur, *Monachus quidam de Hierosolymis veniens, benedictionem & Reliquias de loco Resurrectionis Dominicæ, quas Patriarcha Regi miserat, detulit.* Rex eundem *Monachum reverti volentem absolvens, Zachariam quendam Presbyterum de Palatio suo cum eodem ire jussit, cui & donaria sua ad illa ve-*

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

neranda loca deferenda commisit. Ad illam certè Legationem referendus est, qui suprà jam allegatus est à nobis hic Eginhardi textus. *Cùm Legati ejus*, nempè Caroli, *quos cum donariis ad sacratissimum Domini ac Salvatoris mundi Sepulchrum locúmque Resurrectionis miserat, ad eum*, id est, ad Aaronem *venissent, & ei Domini sui voluntatem indicassent, non solùm quæ petebantur fieri permisit, sed etiam sacrum illum & salutarem locum, ut illius potestati adscriberetur, concessit.* Mense Decembri, vertente anno Redemptoris octingentesimo, *eâdem die*, quâ Leo Papa de objectis se criminibus jurejurando purgavit, *Zacharias Presbyter, quem Rex Hierosolymam miserat, cum duobus Monachis, quos Patriarcha cum eo ad Regem misit, Romam venit*, ubi tum Carolus degebat. *Ii* Monachi *benedictionis gratiâ Claves Sepulchri Dominici ac loci Calvariæ cum Vexillo detulerunt.* Carolus acclamatus est Imperator *die sacratissimâ Natalis Domini*, Pascha Romæ celebravit pridie Nonas Aprilis, anno Redemptoris octingentesimo primo. *Post Pascha*, VII *Kalend. Maii Româ profectus Spoletum venit. De Spoleto Ravennam venit, & aliquot dies ibi moratus, Papiam perrexit. Ibi nunciatum est ei Legatos Aaron Regis Persarum portum Pisas intrasse. Quibus obviam mittens, inter Vercellas & Eporediam eos sibi fecit præsentari. Hi Isaac Judæum, quem Imperator ante quadriennium ad memoratum Regem Persarum cum Lantfrido & Sigimundo Legatis suis miserat, reversum cum magnis muneribus nunciaverunt, nam Lantfridus & Sigimundus ambo in eodem itinere defuncti sunt. Tum ille misit Erchembaldum Notarium in Liguriam ad classem parandam, quâ elephas, & ea, quæ cum eo afferebantur, subveherentur.* Lege Annalistam Laureshamensem ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-nonum duósque proximè sequentes, & ex præcitatis textibus conclude Carolo priùs elephantem quàm Vexillum ab Aarone missum fuisse, licèt Carolus Vexillum sibi delatum priùs acceperit, quàm elephantem ab Aarone sibi missum norit. Hoc anno, reparatæ Salutis octingentesimo, mense Decembri, cùm Carolus nondum acclamatus esset Imperator, oblatum ei Vexillum Sepulchri Dominici. *Anno* DCCCI, *mense Octobri, Isaac Judæus de Africa cum elephante regressus, portum Veneris intravit, & quia propter nives Alpes trajicere non poterat, in Vercellis hyemavit.* Tandem *anno* DCCCII, *mense Jul.* XIII *Cal. Aug. venit Isaac cum elephante, & ceteris muneribus, quæ à Rege Persarum missa fuerunt, & Aquisgrani omnia Imperatori detulit.* Poëta Saxonicus eodem anno Redemptoris octingentesimo secundo elephantem adductum testatur, captâque inde occasione non indecenter exspatiatur in Aaronis munificentiam, nec Sepulchrum Dominicum Carolinæ ditioni seriùs adscriptum contendit, imò donationem hanc ab Aarone priùs factam, quàm supradictus elephas in Gallia conspiceretur, sic insinuat.

Hoc de longinquis elephas regionibus anno
Primitus adductus; mira spectacula Regno
Francorum dederat Persarum denique Princeps
Hunc Aaron. Idem, fuerat cui subditus, Indis
Exceptis, Oriens totus, curaverat ultrò
Ejus amicitiæ se fœdere jungere firmo.
Ac dignum duxit præ cunctis Regibus ipsum
Temporis illius solum, cui munera larga
Præcipui causâ transmittere vellet honoris.
Nam gemmas, aurum, vestes, & aromata crebrò,
Ac reliquas Orientis opes direxerat illi,
Ascribique locum Sanctum Hierosolymorum
Concessit propria Caroli semper ditioni.

XXVIII. Jacobus *Doublet* in Antiquitatibus [a] San-Dionysianis multa de Carolo Magno fabulosè scripsit, eáque mutuatus est è manuscriptis Codicibus sui Monasterii, quibus usi sunt ab aliquot seculis Auctores, aut potiùs nuga-

[a] Lib. 4. c. 3.

tores, haud pauci. Tot commentorum epitomen accipe, tempus enim in AN. CH.
hujuscemodi figmentis seu commemorandis seu refellendis ægrè insumi- 800.
mus. Joannes Patriarcha Hierosolymitanus à Saracenis è sua Sede pulsus CAROLI
ad Constantinum Imperatorem ejúsque filium Leonem Constantinopolim R. 32.
fugit, conjunctímque cum iisdem Constantino & Leone, quibus novissi- PIPPINI
mam Christianorum in Palæstina calamitatem exposuerat, nuncios ac li- LUDOV.
teras ad Carolum direxit cum hac epigraphe. *Servus Servorum Dei Joannes* RR. 20.
urbis Hierusalem divinâ misericordiâ Episcopus, unáque Orientalium Imperator CAROLI
Constantinus & filius ejus Leo, Regi inclyto Occidentalium triumphatoríque sem- R. 12.
per Augusto. Item. *Constantinus Imperator & Leo filius ejus æquè Imperator & Rex Orientalium, omnium minimus & vix Imperator dici dignus, Karolo Magno Regi Occidentalium famosissimo*. Nuncii quantocyùs Remos pervenerunt, ibíque resederunt aliquandiu Principe Legationis Joanne Episcopo Neapolitano in morbum lapso; deinde inviserunt Monasterium San-Dionysianum agri Parisiensis, ibíque diuturniorem fecerunt moram, donec Carolus Lutetiam sedatis Arvernorum tumultibus rediisset. Epistolis quas deferebant lectis & ab Archiepiscopo Tilpino explicatis, præcepit Carolus, ut omnes, qui militiæ nomen jam dederant, statuto die expediri ad bellum essent, alioquin ipsi eorúmque posteri quot annis per singula familiarum capita quatuor denarios argenteos in mulctam penderent. Nemo defuit. Rex in itineris procinctu prædictum Cœnobium adiit; Sancti Dionysii sociorúmque Martyrum corpora conspectui venerationíque circumstantium curavit exponenda; coronam, quam in capite gerebat, illorum tanquam Patronorum imposuit altari; atque ex eo cepit Auriflambam * cum magna reverentia. His pro recepta consuetudine gestis perrexit in Orientem cum numerosissimis copiis, exemplum imitatus Clodovei Secundi; urbem Hierosolymam, locum Sepulchri Dominici, totámque terram, quam Sanctam cognominant, eripuit Saracenis, atque in Christianorum potestatem asseruit. Rebus adeò feliciter peractis venit Constantinopolim, & à Constantino multas obtinuit Reliquias, quæ spectant ad Dominicam Passionem, & in Basilica Sanctæ Sophiæ custodiebantur. Constantino & Carolo Augustis, Patriarchâ Constantinopolitano, necnon Episcopis, Clericis, ac Proceribus magno numero præsentibus, Joannes Neapolitanus Episcopus sacra illa pignora suscepit Aquisgranum in comitatu Caroli deferenda, detulítque. Locus, in quo posita sunt, quamplurimis resplenduit Miraculis. Carolus eâ re permotus universas gentes Aquisgranum ad cultum prædictis Reliquiis persolvendum invitavit, &, ut frequentior peregrinorum concursus fieret, egit apud Leonem Papam & Episcopos de cogendo apud Aquisgranum Concilio, in quo examinaretur earumdem Reliquiarum Translatio, quæ nuper è Constantinopolitana civitate facta fuerat. Illam Synodum manuscriptus Codex apud eundem Dubletum sic commendat. *Rex Charolus Legatos Regios per totum penè Orbem terrarum destinavit, ut omnes in Idibus mensis Junii Aquisgrani convenirent ad adorandas sacrosanctas Reliquias, quas de Constantinopoli attulerat. Inter illas habebantur de spinis Coronæ Domini octo spinæ cum roboris parte ubi fuerunt infixæ, unus de clavis Domini, & de Cruce ejus unum frustum, sudarium Domini, camisia Beatæ Virginis Mariæ Matris Christi, fascia etiam quæ corpus Domini strinxit & in præsepio ligavit, brachium quoque Sancti senis Simeonis cum multis aliis sacrosanctis Reliquiis. Sanxit autem Summus Pontifex Leo, necnon inclytus Rex Karolus Magnus, tum etiam Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, aliíque Ecclesiasticæ dignitatis quamplures, sanxerunt & confirmaverunt Indictum & Indulgentiam Indicti, ut omnes, qui ad visitandas ac venerandas istas sacrosanctas Reliquias accederent, remedium ac veniam delictorum suorum omnium acciperent, dummodò purè peccata sua primùm confessi fuissent. Hæc sunt verò nomina Prælatorum, prædictus Leo Papa, Turpinus Archiepiscopus Remensis, Johannes Archiepiscopus Lugdunensis, Arnulfus*

* *l'Oriflamme.*

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. R R. 20. CAROLI R. 12.

Archiepiscopus Turonensis, Haimbertus Archiepiscopus Senonensis, Gosbertus Archiepiscopus Bituricensis, Grimoldus Archiepiscopus Rothomagensis, Macharius Belvacensis Episcopus, Justinus Laudunensis, Formondus Leodii, Robertus Suessionensis, Guibertus Sainctionensis, Girbertus Aurelianus, Johannes Abrincensis, Gaufredus Noviomensis, Israel Metensis, Radulfus Cameracensis, Gosbertus Trecarum, Richardus Ambianensis, Tothadus Flandriæ Præsul, Geroinus Papiæ, Eusebius Babyloniæ, Achilles Alexandriæ, Theophilus Antiochiæ, Stephanus Augustæ, Petrus Mediolani, Ursus Ravennæ, Theodorus Pentapolis Lybiæ, Antoninus Placentiæ, Torpes Pisanæ, Desiderius Lingonis, Lichinius Andegavis qui supra corpus cujusdam mortui sudarium Domini posuit & revixit, Philippus Coloniæ, Fortunatus Valentiæ Archidiaconus, Luppicinus ejusdem civitatis Episcopus, Pontianus Arelatensis, Nicolaus Viennæ & Suldanus ejus Archidiaconus, Natius Tholosanæ, Anconius Viridunensis, Macharius Vultrecti & Anconius ejus Archidiaconus, Severinus Pictaviæ, Sergius Cabiloniæ, Raboldus Liquiedonnensis, Ranbaldus Marsiliæ, Rigomerus Meldis Episcopus; necnon Fulradus Abbas Sancti Dionysii in Francia, Florianus Abbas Montis Cassini, Suppicinus Lugdunensis territorii, Petrus Laudunensis pagi, Sergius Remensis pagi, Joannes Cabilonensis territorii, Petrus Nivellæ, Albertus Sancti Quintini de Monte, itémque Abbas Sancti Quintini in Insula, Johannes Carbonellus Liquiedonnensis, omnes Abbates; Spectius Archidiaconus Liquiedonensis, Felix Presbyter Valentia, Piguienius Luniæ Archidiaconus, Rabodus Sancti Prajecti, atque Guido ejusdem Sancti Quintini Decanus. Hi omnes subscripserunt Indicto & Indulgentiæ Indicti, & per unum mensem ac tres dies ad populi utilitatem sacrosanctas Reliquias præscriptas servaverunt extractas. Posteà verò abierunt omnes in suas regiones, Inclytus autem Rex Karolus Magnus eas in memorata Capella decentissimè reposuit, & quandiu vixit continuavit Indictum *. Egressus autem Aquilgrano venit ad Monasterium San-Dionysianum prope Parisios, ibíque, propter felices rerum in Oriente gestarum successus, gratias egit Deo, Beatæ Virgini, Sancto Dionysio sociisque Martyribus, atque ad eorum tumulum Auriflambam reposuit.

* *le Landit.*

XXIX. Auctor non sibi benè constat. Carolum, quandiu bellum contra Saracenos parat geritque, Regem dicit; cùm verò Constantinopoli post devictos Saracenos moratur, Imperatorem vocat; rursúmque Regem appellat, postquàm rediit in Franciam. Nullo utitur Chronologico Charactere, quo tempus expeditionis adeò celebris certissimè connotet. Vagè tantùm & indeterminatè scribit Carolum tam memorabili victoriâ potitum esse, cùm Leonem filium in consortium Imperii jam adscivisset Constantinus Orientis Imperator, & Leo Tertius in Pontificatum Romanum Adriano Papæ successisset, essentque Insulæ Neapolitanæ penes Joannem Episcopum. Sed hæc simul convenire non possunt. Leo factus est Romanus Pontifex exeunte anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto, vitámque clausit anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto. In Episcoporum Neapolitanorum Nomenclatura [a] duo duntaxat occurrunt toto tempore, quo Francos Carolo Magno paruisse constat, Stephanus videlicet & Paulus; quorum ille sedit ab anno Christi septingentesimo sexagesimo-quarto ad septingentesimum nonagesimum-octavum per annos triginta-tres, menses quinque, dies viginti; hic ab anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo ad octingentesimum decimum-octavum per annos viginti, menses quatuor, diésque sexdecim. Tum secuti successivè Tiberius & Joannes, quorum hic Sedem iniit anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo, nec Episcopatum gessit ætate vel Leonis Tertii Papæ, vel Caroli Magni, vel Constantini & Leonis Augustorum. Ab anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo quo Carolus regnare cœpit, ad octingentesimum decimum-quartum quo vivere desiit, jus Constantinopoli complures dixerunt Imperatores. Anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo, quo Pippinus

[a] Ughell. Tom. 6. Ital. Sacr.

pinus Caroli pater obiit, imperabant in Oriente Constantinus Copronymus ejúsque filius Leo Quartus. Decessit Constantinus anno Christi septingentesimo septuagesimo-quinto, mense Septembri, cùm annum Imperii tricesimum-quintum post mortem patris ageret. Leo proximo die Paschæ Indictione decimâ-quartâ sive anno Christi septingentesimo septuagesimo-sexto Constantinum filium Imperii consortem fecit, vitámque cum morte commutavit anno Christi septingentesimo octogesimo, Indictione quartâ jam incboatâ. Tunc Constantinus & ejus mater Irene simul imperare cœperunt, imperarúntque simul ad mensem usque Octobrem Indictionis decimæ-quartæ sive anni post Christum natum septingentesimi nonagesimi. Hæc aliâ occasione [a] probata sunt superiùs ex Theophane. Constantinus solus annos imperavit ferè septem; orbatus est oculis ac vitâ mense Augusto, anno Christi septingentesimo nonagesimo-septimo. Theophanes hanc Constantini cladem duobus consignat Characteribus; unum petit ab Indictione quintâ quâ contigit, ἰνδικτιῶνι ε'. alterum sumit ab Indictione decimâ-quintâ, quâ Constantinus, cùm annum Imperii secundum ageret, innocentium sanguinem effudit mense Augusto, die Sabbati, nam & ipse post quinquennium eodem mense ac die Sabbati, oculis orbatus est à propria matre. Ἐγένετο δὲ ἡ τούτων ποινὴ μηνὶ Αὐγούστῳ, ἡμέρᾳ σαββάτῳ, ἰνδικτιῶνι ιε'. ὥρᾳ θ'. ἀλλ' οὐκ εἰς μακρὰν ἡ θεία δίκη ἀνεξεδίκητον εἴασεν, τὴν ἄδικον ταύτην πρᾶξιν, μετὰ γὰρ πενταετῆ χρόνον τῷ αὐτῷ μηνὶ, καὶ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου τυφλοῦται ὑπὸ τῆς ἰδίας μητρὸς ὁ αὐτὸς Κωνσταντῖνος. Excæcato filio, Irene Imperium denuò assumpsit, tenuítque ad annum usque Redemptoris octingentesimum secundum, quo deportata est in exilium Indictione undecimâ jam incboatâ, ut ad illum annum ex eodem Theophane narrabimus. Nicephorus ejus successor imperavit ad annum usque Redemptoris octingentesimum undecimum. Nicephoro successit Michael, qui purpuram deposuit anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio. Michaeli subrogatus est Leo Quintus, qui diu post Caroli Magni mortem superstes vixit. Hæc Tomo sequenti probabuntur. Ex accurata tot Augustorum enumeratione, qui Constantinopolitanum Imperium eodem gubernarunt tempore, quo Carolus Magnus Francis præfuit, apertè liquet in superiori narratione per Constantinum & Leonem ejus filium intelligendos necessariò Constantinum Copronymum & Leonem Quartum, qui simul jam imperabant anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo cùm Carolus regnare cœpit, nec simul imperare desierunt ante annum Christi septingentesimum septuagesimum-quintum, quo Constantinus Copronymus è vita discessit. Annos illos septem Carolus, ut Annalista Loiselianus aliique testantur, procul Hierosolymâ totos exegit. Anno Christi septingentesimo undeseptuagesimo, quo bellum in Aquitania gessit, Rotomagi Pascha, in villa Duria Natalem Domini celebravit. Anno Christi septingentesimo septuagesimo, Leodii Pascha, Wormatiæ Synodum, Moguntiaci Natalem Domini celebravit. Anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo, apud Heristallium Pascha, Synodum apud Valentianas, apud Attiniacum Natalem Domini celebravit. Anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo, quo bellum Saxonicum suscepit, apud Heristallium Pascha & Natalem Domini celebravit. Anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio, quo profectus est in Italiam contra Longobardos, apud Heristallium Pascha, in suis ad Papiam civitatem castris Natalem Domini celebravit. Anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto, quo Longobardicum bellum confecit, Pascha Romæ, apud Carisiacum Natalem Domini celebravit. Anno Christi septingentesimo septuagesimo-quinto, quo Saxoniam rursum aggressus est, apud Carisiacum Pascha, Synodum

AN. CH. 800.
CAROLI R. 32.
PIPPINI LUDOV. RR. 20.
CAROLI R. 12.

[a] Ad an. 792. n. 14.

AN. CH. 800. Caroli R. 32. Peppini Ludov. RR. 20. Caroli R. 12.

apud Duriam, apud Seleſtadium Natalem Domini celebravit. Deinde multò ſeriùs ſedere cœpit Leo Papa Tertius, Epiſcopatúmque Neapolitanum Joannes iniit anno poſt ejuſdem Leonis Papæ mortem duodecimo. Fruſtrà quis ad Conſtantinum Irenes filium & Leonem ejuſdem Conſtantini filium recurrat. Hic quidem Conſtantinus die ſeptimâ Octobris, Indictione quintâ, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-nono, Leonis Tertii Papæ anno quarto, Caroli Regis anno triceſimo-ſecundo jam inchoato, filium ſuſcepit, & Leonem nominavit teſte Theophane. Τῇ ζʹ. τοῦ Ὀκτωβ. μηνὸς τῆς εʹ. ἰνδικ. ἐτέχθη τῷ Βασιλεῖ υἱὸς, ὃν ἐπωνόμασεν Λέοντα. Sed eundem filium, priuſquàm Imperii conſortem feciſſet, amiſit die primâ Maii, eâdem quintâ Indictione adhuc currente, ut idem Auctor ſubjungit. Καὶ τῇ πρώτῃ τοῦ Μαΐου μηνὸς τέθνηκεν ὁ υἱὸς αὐτοῦ Λέων. Commentitia ſunt igitur, quæ de Carolo in Orientem profecto déque Saracenis ab eo per vim è magna Palæſtinæ parte pulſis commemorantur. Aaron Amiramamolinus non armis Caroli coactus, ſed ejus famâ permotus, ſepulchrum Dominicum & locum Calvariæ per ſpontaneam Vexilli traditionem ſub poteſtate Regum Francorum in perpetuum eſſe voluit. Vexillum illud ſibi delatum Carolus, cùm Romæ degeret, accepit hoc anno, priuſquàm Imperator acclamaretur. Poſteri, cùm Aaronis Donationem aut ignorarent aut diſſimulare vellent, narrationem ſuprà deſcriptam excogitarunt. At Carolus, ut ex prædictis apertiſſimè liquet, nec Hieroſolymam perrexit ut Saracenos inde pelleret, nec Conſtantinopolim adiit ut inde Reliquias Aquiſgranum transferret, eâque obſervatione Indictum & Indulgentia Indicti penitus evaneſcunt. Leo Papa Tertius in Franciam bis venit; ſemel anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-nono, iterum anno Redemptoris octingenteſimo quarto. Aquiſgranum primâ vice non acceſſit. Alterâ vice Remis exceptus eſt à Carolo, quocum Sueſſionem contendit & apud Cariſiacum Natalem Domini celebravit, deinde Aquiſgranum perductus eſt ineunte anno Redemptoris octingenteſimo quinto, & paulò pòſt in Italiam per Bojoariam rediit. Porrò, cùm Leo & Carolus Sueſſione morabantur, à Carolo datum dicitur Diploma, quod Dubletus [a] Antiquitatibus quoque San-Dionyſianis inſeruit, & Lector ſuppoſititium facilè deprehendet multis ex rebus, quas ad annum Redemptoris octingenteſimum quartum exponemus. Imprimis pſeudo-Carolino Diplomati complures ſubſcribunt Antiſtites fictitii, quorum nomina repeɾiuntur etiam in narratione quam examinamus. Alio non opus eſt argumento, ut utrique Chartæ fides abrogetur. Unam illarum, de qua nobis hîc ſermo, pſeudo-Aquiſgranenſem; alteram, de qua poſt quadriennium, pſeudo-Sueſſionicam vocabimus. De ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus, qui teſtes nominantur in Charta pſeudo-Aquiſgranenſi, quid ſentiamus, paucis nunc accipe, ſervato quo ſinguli leguntur ordine.

[a] Lib. 5. c. 6.

XXX. I. *Turpinus Archiepiſcopus Remenſis.* Hic Turpinus ſeu Tilpinus obiit hoc anno, menſe Septembri, ut infrà probaturi ſumus ex Flodoardo in Hiſtoria Remenſi.

II. *Joannes Archiepiſcopus Lugdunenſis.*
III. *Arnulfus Archiepiſcopus Turonenſis.*
{ Toto tempore quo Carolus Francis præfuit, nec Joannes ſedit Lugduni, nec Arnulfus Turonis.

IV. *Haimbertus Archiepiſcopus Senonenſis.* In Charta pſeudo-Sueſſionica ponitur *Ainbertus.* Fortè pſeudo-Diplomatum concinnator exprimere voluit Raimbertum ſeu Rambertum aut Reymbertum, qui Senonenſem Archiepiſcopatum ab anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-quinto ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum primum geſſit, ut ad illum annum fuſiùs exponemus.

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

V. *Gosbertus Archiepiscopus Bituricensis.*
VI. *Grimoldus Archiepiscopus Rothomagensis.*
VII. *Macharius Belvacensis Episcopus.*
VIII. *Justinus* Episcopus *Laudunensis.*
IX. *Formondus* Episcopus *Leodii.*
X. *Robertus* Episcopus *Suessionensis.*
XI. *Guibertus* Episcopus *Sainctionensis.*
XII. *Girbertus* Episcopus *Aurelianus.*
XIII. *Johannes* Episcopus *Abrincensis.*
XIV. *Ganfredus* Episcopus *Noviomensis.*
XV. *Israel* Episcopus *Metensis.*
XVI. *Radulphus* Episcopus *Cameracensis.*
XVII. *Gosbertus* Episcopus *Trecarum.*
XVIII. *Richardus* Episcopus *Ambianensis.*
XIX. *Tothadus Flandriæ Præsul.*
XX. *Geroinus* Episcopus *Papiæ.*

Ætate Caroli Pontificatum non gesserunt, Bituricis Gosbertus, Grimoldus Rotomagi, Macharius Bellovaci, Justinus Lauduni, Formondus Leodii, Robertus Suessione, Guibertus Santonis, Girbertus Aureliæ, Johannes Abriocis, Gaufredus Noviomi, Metis Israel, Radulphus Cameraci, Gosbertus Trecis, Richardus Ambiani, Getoinus Papiæ; nec etiam auditus qui se Flandriæ Præsulem diceret.

XXI. *Eusebius Babyloniæ.*
XXII. *Achilles Alexandriæ.*
XXIII. *Theophilus Antiochiæ.*

De Præsulibus Babylooiæ, Alexandriæ & Aotiochiæ non inquirimus, quia tres hæ civitates extra Franciæ limites erant.

XXIV. *Stephanus* Episcopus *Augustæ.* Nec ullus hujus nominis fuit Augustensis Episcopus ætate Caroli Magni.

XXV. *Petrus* Episcopus *Mediolani.* Petrus Mediolani sedit ab anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio ad octingentesimum quartum.

XXVI. *Ursus* Archiepiscopus *Ravennæ.*
XXVII. *Theodorus* Episcopus *Pentapolis Lybiæ.*

Illorum locorum Præsules, quia extra Francorum fines erant, ad nostrum non pertineot examen.

XXVIII. *Antoninus* Episcopus *Placentiæ.*
XXIX. *Torpes* Episcopus Ecclesiæ *Pisanæ.*
XXX. *Desiderius* Episcopus *Lingonis.*
XXXI. *Lichinius* Episcopus *Andegavis.*
XXXII. *Philippus* Archiepiscopus *Coloniæ.*

Ætate Caroli Magoi, nec Pontificatum gessit Antoninus Placentiæ, nec Torpes Pisis, nec Desiderius Lingonis, nec Lichinius Andegavi, nec Philippus Coloniæ.

XXXIII. *Luppicinus Valentiæ Episcopus.* Lupicinus Episcopatum quidem Valentioum, Pippino, Carolomanno & Carolo Regibus, tenuit, sed obiit ante Pontificatum Leoois Tertii Papæ, oam qui successit Bonitus Concilio Narbonensi subscripsit anno post Christum natum septingentesimo nonagesimo-primo.

XXXIV. *Pontianus* Archiepiscopus *Arelatensis.*
XXXV. *Nicolaus* Archiepiscopus *Viennæ.*
XXXVI. *Natius* Episcopus Ecclesiæ *Tholosanæ.*
XXXVII. *Anconius* Episcopus *Viridunensis.*
XXXVIII. *Macharius* Episcopus *Vultrecti.*
XXXIX. *Severinus* Episcopus *Pictaviæ.*
XL. *Sergius* Episcopus *Cabiloniæ.*
XLI. *Raboldus* Episcopus *Liqniedonnensis.*
XLII. *Ranbaldus* Episcopus *Marsiliæ.*
XLIII. *Rigomerus Meldis Episcopus.*

Ætate Caroli Magni, nec Pontianus Arelate, nec Nicolaus Viennæ, nec Natius Tolosæ, nec Aoconius Virodunt, nec Macharius Ultrajecti, nec Severinus Pictavii, oec Sergius Cabilone, oec Ranbaldus Massiliæ, nec Rigomerus Meldis sedit, oomen autem Episcopi Liquiedonensis seu Laquedooensis extra veteres Franciæ fines in hodierno Regno Neapolitano sub Lancianensi Metropolita etiamnum subsistit.

XLIV. *Fulradus Abbas Sancti Dionysii.* Fulradus regnante Pippino factus est Abbas San-Dionysianus, obiitque anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto, Caroli Regis decimo-sexto, longè antequàm Leo Papa Tertius Hadriano succederet.

XLV. *Florianus Abbas Montis Cassini.* Tunc Abbas Casinensis erat Gisulfus, de quo consule Chronicon illius loci.

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

XLVI. *Suppicinus* Abbas *Lugdunensis territorii.*
XLVII. *Petrus* Abbas *Laudunensis pagi.*
XLVIII. *Sergius* Abbas *Remensis pagi.*
XLIX. *Joannes* Abbas *Cabilonensis territorii.*

Erant plures Abbates in Diœcesibus, Lugdunensi, Laudunensi, Remensi & Cabilonensi.

L. *Petrus* Abbas *Nivella.*
LI. *Albertus* Abbas *Sancti Quintini de Monte.*
LII. *Abbas Sancti Quintini de Insula.*

De tribus his Abbatibus nihil aliunde didicimus.

LIII. *Joannes Carbonellus* Abbas *Liquedonnensis.* De Episcopatu & Monasterio Liquiedonensi seu Liquiedonnensi non inquirimus, quia extra Franciam erant. Ex prædictis autem manifestè liquet omnes ferè Præsules, qui testes in Aquisgranensi Charta nominantur, supposititios esse. Complures ad annum Redemptoris octingentesimum quartum in Charta Suessionensi repetentur, hoc ordine, Turpinus Rhemensis Archiepiscopus, Gosberrus Bituricensis Archipræsul, Severinus Pictavensis Episcopus, Stephanus Lemovicensis Episcopus, Joannes Lugdunensis Archiepiscopus, Aiubertus sive Haimbertus Senonensis Archiepiscopus, Arnulphus Turonensis Archiepiscopus, Ursus Ravennæ Archipræsul, Achilleas sive Achilles Alexandriæ Antistes, Theophilus Antiochenus Pontifex, Petrus Mediolanensis Antistes, Nicolaus Viennensis Archipræsul, Nescius seu Narius Tolosanus Archipræsul, Philippus Coloniæ Archiepiscopus, Pontianus Arelatensis Archiepiscopus, Raimbaldus seu Ranbaldus Maxiliensis seu Massiliensis Episcopus, Geroinus Papiæ Episcopus, Antoninus Placentinus Episcopus, Fulradus Abbas *ter beatissimi Dionysii Areopagita.* De singularum illarum Sedium Præsulibus ad illum locum distinctiùs agemus.

XXXI. In Chronico San-Dionysiano duæ res valdè memorabiles, apud Romam gestæ, sic ad hunc annum perstringuntur. *Ille*, nempe Carolus, *perrexit ad Romam, & pacificavit Romanos & Papam Leonem, & Leo benedixit eum ad Imperatorem.* Actum de priore; posterior est exponenda. Imprimis

[a] In Leone 3. audi Anastasium [a]. *Adveniente die Natali Domini nostri Jesu Christi, in jam dicta Basilica Beati Petri Apostoli, omnes iterum congregati sunt, & tunc venerabilis almificus Pontifex manibus suis propriis pretiosissimâ coronâ coronavit eum. Tunc universi fideles Romani videntes tantam defensionem & dilectionem, quam erga Sanctam Romanam Ecclesiam & ejus Vicarium habuit, unanimiter altisonâ voce, Dei nutu, atque Beati Petri clavigeri Regni calorum exclamaverunt.*

Coronatur Imperator Romanorum, CAROLO PIISSIMO AUGUSTO A DEO CORONATO, MAGNO, PACIFICO IMPERATORI VITA ET VICTORIA. *Ante sacram Confessionem Beati Petri Apostoli, plures Sanctos invocantes, ter dictum est, & ab omnibus constitutus est Imperator Romanorum. Illicò Sanctissimus Antistes & Pontifex unxit oleo sancto Carolum & Excellentissimum filium ejus* Pippinum *Regem in ipso die Natalis Domini nostri Jesu Christi, & Missâ peractâ post celebrationem Missarum obtulit ipse Serenissimus Domnus Imperator mensam argenteam* &c. Audi & Annalistam Loiselianum. *Ipsâ die sacratissimâ Natalis Domini, cùm Rex ad Missam ante Confessionem Beati Petri Apostoli ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti ejus imposuit, & à cuncto Romanorum populo adclamatum est. Karolo Augusto, à Deo coronato, Magno & Pacifico Imperatori Vita & Victoria. Et post laudes ab Apostolico, more antiquorum Principum, adoratus est, atque ablato Patricii nomine Imperator & Augustus appellatus est.* Huic Annalistæ conformes omnino sunt, Tilianus, Bertinianus, Metensis, ac Fuldensis, necnon incertus Auctor, Monachus Egolismensis, Regino, & Ado. Annalista Laureshamensis narrationem paulò aliter sic ordirur. *Ipse* Carolus *cùm die sacratissimâ Natalis Domini ad Missarum solennia Basilicam beati Petri Apostoli fuisset ingressus & coram altari, ubi ad orationem se inclinaverat, assisteret, Leo Papa coronam capiti ejus imposuit*, &c. Attendenda verò præcipuè videtur hæc Eginhardi observatio de Carolo in ejus vita. *Imperatoris*

& Augusti nomen accepit, quod primò in tantùm aversatus est, ut affirmaret se eo die, quamvis præcipua festivitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset. Constantinopolitanis tamen Imperatoribus super hoc indignantibus, magnâ tulit patientiâ, vicitque eorum invidiam magnanimitate, quâ eis procul dubio longè præstantior erat, mittendo ad eos crebras Legationes, & in epistolis fratres eos appellando. Certè, cùm ex Imperatoris & Augusti titulo nec auctæ fuerint Caroli ditiones, nec ei major in populos, quibus anteà præerat, accesserit auctoritas, conciliatum autem sit inde Græcorum odium, quod adversùs posteros adhuc exarsisse suis locis sæpè confirmabimus, facilè nobis persuademus apud Eginhardum in textu proximè citato nihil à vero alienum legi. AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. R R. 20. CAROLI R. 12.

XXXII. Theophanes ait Carolum Imperatorem Romanorum coronatum à Leone beneficiorum acceptorum vicem ei rependente. ὁ δὲ τὸν Κάρουλλον ἀμειβόμενος ἔστεψεν αὐτὸν εἰς βασιλέα Ῥωμαίων. Haud inficiamur cogitasse Romanum Pontificem de referenda Regi gratia, quem ad Ecclesiam maximo periculo turpique infamiâ liberandam ex remotissimis Galliarum finibus venire non piguisset. Non desunt etiam, qui dicant Romanos, quoniam solis Imperatoribus per multa secula paruerant, indignatos esse plurimùm, quòd Carolus, cui tum suberant, Regiâ tantùm dignitate polleret, nec Imperatoris Augustive nomen gereret, ideóque indignabundos clàm egisse cum Leone, ut Carolus coronaretur & salutaretur Imperator coronâ & aliis rebus, quæ necessariæ censebantur latenter præparatis; nec id à vero videtur alienum, maximè cùm in Anastasii textu suprà descripto Carolus *ab omnibus constitutus* dicatur *Imperator Romanorum.* Præterea Carolus uxore Liutgarda nuperrimè mortuâ nuptias ambiebat Irenes Augustæ tunc viduæ, sibíque Leo persuadere potuit Carolum voti compotem faciliùs futurum, si priùs acclamaretur Imperator. Præter illas rationes, quas nemo spernendas duxerit, Imperialis dignitatis in Occidente renovandæ causam hanc Leoni potentissimam semper visam putamus, ut Ecclesia Romana promptissimum adversùs hostes quoscumque, sive infideles, sive hæreticos, sive seditiosos, haberet Defensorem, cujus officium Imperatores Orientis jampridem repudiarant, nec unquam impleturi videbantur amissâ nuper Româ. Præ Christianis autem Principibus, quorum Dynastiæ tunc in Occidente florebant, idoneus maximè dignissimúsque, qui tale munus obeundum ex nova dignitate susciperet, Carolus judicabatur. Optimè meritus erat de Sede Apostolica, cui æquè ac pater Pippinus amplissimas provincias attribuerat. Ecclesiæ Romanæ Defensorem se prædicabat absque Imperatorio titulo, ratus id se potissimùm decere, qui Rex esset Francorum omniúmque Regum potentissimus. Ardentissimo flagrabat zelo fidei, quam victis Saxonibus, Wilsis, Avaris, ac Mauris, per Germaniam, per Pannonias, per Hispaniam latè propagarat. Priscis Romanorum Imperatoribus, quibus Occidens stante Imperii majestate cesserat, spatiosissimâ ditionum amplitudine penè par videbatur, Urbe etiam Româ & Romano Ducatu ante quadriennium auctus.

XXXIII. In dubium non vocamus, quin hæ rationes, cùm totæ in utilitatem ac decus Ecclesiæ Romanæ populique Romani cederent, plurimùm valuerint apud Leonem Papam, quem rei, de qua nunc agimus, *aut solum, aut*, ut verius putamus, *præcipuum & primarium auctorem fuisse* scribit Bellarminus [a]. Ex Imperatoris autem dignitate Carolo collata quid mutationis illatum sit Orbi Christiano, nobis accuratiùs est exponendum adversùs eos, qui, quoniam non satis advertunt quonam in statu res Orientis & Occidentis essent, plùs inde Carolo, quàm par est, vel emolumenti vel honoris attributum fingunt.

[a] De Transl. Imp. l. 2. c. 4.

XXXIV. Irene Augusta præter Orientem nonnullas in Occidente provincias obtinebat, atque in ipsa Italia Ducatum Neapolitanum & quicquid ultra

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12. Cervarum ac Silarum fluvios ad fretum usque Siculum porrigitur. Carolus universam Galliam; in Hispania quicquid à Pyrenæis jugis occurrit ad Rubricatum usque amnem cum Balearibus Insulis; in Italia Romam & Ducatum Romanum, necnon & quicquid Longobardicæ ditionis fuerat, cum adjacentibus Istria & Liburnia, Insulâque Corsica; Rhætiam quoque, Vindeliciam, Noricum, & quicquid Danubium & Alpes interjacet; atque ultra Danubium partem non modicam Pannoniarum & Germaniam non tantùm cis Albim sed etiam ulteriùs ad Oderam usque flumen & ad mare Balticum, in sua tenebat potestate. Carolinæ ditiones intra limites Occidentalis Imperii partim erant, partim non erant; Imperatores enim Occidentis ultra Rhenum & Danubium vix quid unquam possederunt. Status hic rerum erat, nec immutatus fuit acclamato in Imperatorem Carolo. Suas ut anteà ditiones Irene, suas quoque Carolus iisdem circumscriptas finibus retinuit. Ergo ex Imperatoris titulo potestas Caroli non est aucta.

XXXV. Aiunt translatum à Græcis ad Francos Imperium Occidentale, & illâ Translatione jus Carolo confirmatum in provincias Occidentalis Imperii quas jam possidebat, datúmque in ceteras quas nondum acquisierat. Sic enim scribit Bellarminus libro primo de Translatione Imperii, capite quarto. *Anno 801 ineunte, ipso die Natalis Domini, creato in urbe Roma novo Imperatore Carolo Magno Rege Francorum, ac per hoc translato Occidentali Imperio à potestate Græcorum ad Francorum ditionem, iterum Romana Respublica rediit ad eum statum, in quo Constantinus Magnus constituerat, & in quo permanserat à Valentiniano Seniore usque ad Augustulum.* Deinde Antoninum eodem capite sic allegat. *Carolus Magnus primus Francorum Romanum Imperium accepit, conferente sibi illud seu confirmante Leone Papâ.* Statímque textum illum Antonini sic exponit. *In quibus verbis, illud (seu confirmante) ea de causa additum videtur, quia magnam partem provinciarum Imperii Occidentalis jam Carolus tenebat titulo Regis Francorum & Longobardorum: voluit enim Pontifex, non solùm novo Imperatori jus dare ad ea quæ nondum acquisierat, sed etiam confirmare quod acquisierat.* Rursum octavo ejusdem libri capite sic scribit. *Jus ipsum, quod Græcus Imperator in provincias Occidentalis Imperii habebat, necnon titulos, honores, ac dignitates Augustorum, à Leone Pontifice Carolo impertitas asserimus, quâ communicatione factum est, ut Carolus & ea quæ jam bello sibi pepererat, justo titulo ut legitimus Imperator possideret, & jus item haberet ad ea recuperanda quæ Romani Imperatoris antè fuissent.* Denique rem eandem capite decimo-tertio sive ultimo sic repetit. *Id igitur Imperii Translatio effecit, ut Carolus Magnus illa ipsa quæ jam habebat, non tantùm ut Rex aut Patricius, sed ut verus Imperator & Augustus retineret, útque jus haberet ad alias item provincias, quas Occidentalis Imperii fuisse, atque injuriâ ab aliis occupatas esse constaret.*

XXXVI. In hac assertione tria sunt, de quibus non convenimus. Negamus translatum esse Imperium Occidentale; negamus jus Carolo confirmatum esse in provincias Occidentalis Imperii, quas possidebat; negamus & jus eidem Carolo datum in reliquas Occidentalis Imperii provincias, quibus baud dominabatur. Leo Pontifex, cùm Carolo coronam imposuit, nec de transferendo Imperio, nec de jure quopiam vel confirmando vel dando cogitavit. Simpliciter nudéque rem, ut gesta est, ex antiquis ac probatis Auctoribus retulimus. Vox Translationis apud eos non legitur. Irene, cui parebat Occidentalis Imperii pars baud parva, de suo jure quidquam nec remisit nec amisit. Carolus Imperatorio titulo novum sibi jus aut in suas aut in aliorum Dynastarum ditiones datum nusquam putavit. Quapropter rectè Sigonius [a] non Imperium à Græcis ad Francos translatum, sed dignitatis Imperatoriæ titulum in Occidente renovatum sic observat. *Hunc dignitatis Imperatoriæ titulum, cùm in Momyllo Augustulo, ultimo Occidentis Imperatore, ante trecentos fermè annos sub Regnum Gotthorum in Italia defecisset, in*

OCCIDENTALIS IMPERII NULLA TRANSLATIONE FACTA.

[a] Lib. 4. an. 801.

eodem Occidente Pontifex renovavit, ut haberet Ecclesia Romana adversùs infideles, hæreticos, ac seditiosos, tutorem, cujus officium repudiasse jampridem Imperator Orientis videretur. Nec aliam ob rationem apud Bellarminum [a] Leo *Romanum Imperium à Græcis ad Francos* transtulisse dicitur, *quòd* videlicet *jam longo usu didicisset, Græcos aut non posse, aut nolle laboranti Ecclesiæ opem ferre; ac tum maximè id metuendum videretur, cùm, Imperatore Constantino fraude suorum excæcato, fœmina, quod antea nunquam acciderat, Romano Imperio præsideret.*

XXXVII. Nulloque novo jure in Occidentales provincias acquisito vel confirmato.

Quantascunque Carolus provincias intra veteres Occidentalis Imperii fines possidebat, eas partim hæreditariâ sibi successione devolutas, partim legitimo bello partas, aut spontaneâ populorum deditione traditas acceperat, &c, ut Bellarminus capite quarto prædicti libri jam citato loquitur, *tenebat titulo Regis Francorum & Longobardorum;* nec placet, quòd capite decimo-tertio eas habuisse dicitur, *ut Rex aut Patricius*, anno enim Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto, quo simul cum Pippino patre ac fratre Carolomanno Patricius Romanorum dictus est à Stephano Tertio Papa, ne quidem in vicum quidquam juris ex honore Patriciatûs hausit. Consule quæ scripta sunt ad illum annum Tomo superiore. Quas autem Carolus ut Francorum ac Longobardorum Rex provincias in sua potestate tenuit, eas nec ante nec post susceptum Imperatoris titulum partem feudúmve Imperii fassus est.

XXXVIII. Primum patet ex iis quæ de Carolo déque ejus Antecessoribus Francorum Regibus hactenus dicta sunt, quia nec Carolus nec quis alius è Francorum Regibus feudatarium aut vasallum Imperatoris se nominavit aut passus est nominari, Francorum enim Reges superiorem in temporalibus nunquam norunt, atque in hanc sententiam Tomo tertio contra Godefridum Henschenium ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-tertium [b] multa congessimus, quæ consulas si lubet.

XXXIX. Alterum ex eo quoque patet, quòd Carolus Imperator, ejúsque filius Ludovicus ac nepos Lotharius, qui successivè Imperatoriâ dignitate potiti sunt, ubi ditiones suas inter filios diviserunt, eas non partiti sunt in Imperia sed in Regna, & quilibet è fratribus se Regem appellavit, ita tamen ut unus ex eis se Regem simul atque Imperatorem nuncuparet. Id multis exemplis facilè probari potest.

XL. Primò, Carolus Imperator, anno post Christum natum octingentesimo sexto, cùm nullum adhuc è suis filiis consortem Imperii fecisset, inter eos Regnum divisit. Id Auctor Chronici San-Dionysiani sic affirmat. DCCCVI. *Carlus Imp. divisit Regnum suum inter filios suos.* Pluribus sic exponit Annalista Loiselianus. *Conventum habuit* Carolus *Imperator cum Primoribus & Optimatibus Francorum de pace constituenda inter filios suos*, Carolum, Pippinum & Ludovicum, *& divisione Regni facienda in tres partes, ut sciret unusquisque illorum quam partem tueri & regere debuisset, si superstes illi eveniret.* Assentiuntur iisdem penè verbis Annalistæ, Laureshamensis, Tilianus, ac Bertinianus, necnon incertus Author, Monachus Egolismensis, & Ado, itémque clarissimè Fuldensis Annalista, sic. *Partitio Regni Francorum ab Imperatore facta in villa Theodonis inter filios suos, ut sciret unusquisque eorum quam partem tueri & regere debuisset, si pater eum superstitem relinqueret.* Extat [c] hujus partitionis Diploma, in quo Carolus Imperator de filiis suis Regnoque inter eos dividendo sic loquitur. *Non ut confusè atque inordinatè, aut sub totius Regni dominatione, jurgii controversiam eis relinquamus, sed trinâ partitione totum Regni corpus dividentes, quam quisque illorum tueri vel regere debeat portionem, distribuere & designare volumus, eo videlicet modo, ut suâ quisque portione contentus, juxta ordinationem nostram, & fines Regni sui, qua ad alienigenas extenduntur, cum Dei adjutorio nitatur defendere, & pacem atque charitatem cum fratre custodire.* Nullum è filiis Imperatorem vocat, quia

[a] Lib. 1. c. 11.

[b] Nn. 10. & seqq.

[c] Tom. 1. Collect. Hist. Franc.

CH. AN. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

nondum quemquam eorum Imperialis sibi nominis consortem fecit, nec id præstitisse legitur ante annum Redemptoris octingentesimum decimum-tertium, quo *tandem* Ludouicum filium *Imperiali diademate coronavit*, ut Astronomus coætaneus in Gestis ejusdem Ludovici testatur. Nec aliter scribit Annalista Fuldensis. DCCCXIII. *Imperator Hludowicum filium suum coronavit, & sibi consortem Imperii fecit.* Hanc Ludovici coronationem ad eundem annum alii confirmant Annalistæ, Laureshamensis, Loiselianus, Bertinianus, ac Metensis, necnon incertus Auctor, Ado, Regino, Chronographus Moissiacensis, & Monachus Egolismensis.

XLI. Secundò, Carolus Imperator anno post Christum natum octingentesimo decimo-tertio, cùm è tribus filiis, inter quos suas ditiones ante annos septem diviserat, solum Ludovicum in vivis superstitem haberet, aliam Regni sui partitionem iniit inter eundem Ludovicum & Bernardum Pippini ante biennium mortui filium; Bernardo partem dedit quam Pippino ejus patri quondam attribuerat, reliquum Regnum summisit Ludovico quem Imperatorem quoque esse voluit. Tunc Francia duos habuit Reges, quorum alter Imperatoris titulo gaudebat, alter nequaquam. Audi Annalistam Laureshamensem. *Imperator evocatum ad se apud Aquasgrani filium suum Ludovicum Aquitaniæ Regem excipiens, coronam illi imposuit, & Imperialis nominis sibi consortem fecit: Bernhardúmque filium Pipini filii sui Italiæ præfecit, & Regem appellari jussit.* Chronographus Moissiacensis Ludovicum eo anno, quo factus est Imperator, *Regem & Imperatorem* vocat.

XLII. Tertiò, Ludovicus Imperator anno post Christum natum octingentesimo decimo-septimo, ut Annalista Laureshamensis asserit, *filium suum primogenitum Lotharium coronavit, & nominis atque Imperii sui socium sibi constituit.* Et vicesimo-sexto pòst anno, idem Lotharius Imperator ejúsque fratres Ludovicus & Carolus Regnum patris inter se diviserunt. Qua de re sic Annalista Fuldensis. DCCCXLIII. *Descripto Regno à Primoribus, & in tres partes diviso, apud Virdunum Galliæ civitatem tres Reges mense Augusto convenientes, Regnum inter se dispertiunt; & Hludowicus quidem Orientalem partem accepit; Karlus verò Occidentalem tenuit; Hlotharius, qui major natu erat, mediam inter eos sortitus est portionem. Factáque inter se pace, & juramento confirmatâ, singuli ad disponendas tuendásque Regni sui partes revertuntur.* Et Metensis. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXLIII. *Descripto Regno à Primoribus, & in tres* * *partes diviso, apud Viridunum Galliæ civitatem tres Reges mense Augusto convenientes, Regnum inter se dividunt. Et Karolo quidem Occidentalia Regna cesserunt; Ludoico verò Orientalia, scilicet omnis Germania usque Rheni fluenta. Porrò Lotharius, quia major natu erat, & Imperator appellabatur, medius inter utrosque incedens, Regnum sortitus est, quod hactenus ex ejus vocabulo Lotharii nuncupatur, totámque Provinciam, necnon & omnia Regna Italiæ cum ipsâ Romana urbe. Factáque inter se pace, & juramento firmatâ, singuli ad disponendas & tuendas Regni sui partes revertuntur.* Nihil ad mentem nostram magis appositè dici vel excogitari potest. Ludovico Pio Augusto tres supersunt filii, Lotharius, Ludovicus, Carolus; hi Regnum seu ditiones patris inter se dividunt; singuli Reges dicuntur, Imperator verò solus Lotharius, quem pater in consortium Imperii pridem adsciverat.

* inter partes

XLIII. Quartò, in fragmento Historiæ Francicæ, quod à morte Ludovici Pii ad Ludovicum usque Balbum ex manuscripto Codice Bibliothecæ Thuanæ publicatum est [a], *Lotharius Imperator infirmari se conspiciens, Regnum inter filios dividit. Karolo minori Provinciam & partem Burgundiæ; Lothario medio filio sedem suam; Ludovico Imperatori, id est, in consortium Imperii jam vocato, Italiam consignari jubet.* Lotharius Imperator, Ludovici Pii filius, præter Imperatoris titulum, tertiam, ut dictum suprà, paterni Regni partem acceperit, hanc inter filios quoque suos, Ludovicum, Lotharium, & Carolum, *anno Dominicæ Incarnationis* DCCCLV subdivisit. Ad illum enim annum in

[a] Tom. 2. Collect. Hist. Franc.

AN CH. 800.

CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

in Annalibus Metensibus ita commendatur. *Ludovico Italiam tradidit, eúmque Imperatorem appellari fecit. Æquivoco verò suo, id est, Lothario, Regnum quod ex suo nomine vocatur concessit. Karolo autem, qui junior natu erat, Provinciæ Regnum largitus est. Dispositis itaque atque ordinatis Regni negotiis, valedicens suis seculum reliquit.* Ut igitur è tribus Ludovici Pii filiis, Lotharius à patre consors Imperii factus est, & paternum Regnum, quod universam tunc Franciam complectebatur, cum fratribus Ludovico & Carolo divisit, tertiæ duntaxat partis hæres constitutus; sic & è tribus ejusdem Lotharii filiis, Ludovicus, quem pater in consortium Imperii vocavit, paternum Regnum, quod tertiam duntaxat partem totius Franciæ continebat, cum suis quoque fratribus Lothario & Carolo partitus est, avitíque Regni nonam duntaxat partem, seu tertiæ partis partem tertiam, obtinuit, ut Otto Frisingensis Episcopus in suis Chronicis initio libri sexti testatum his verbis reliquit. *Lotharius Imperator tribus filiis suis Regnum, quod eum contigerat, partitur, Ludovico Italiam cum nomine Imperatoris, Lothario Lotharingiam, Carolo Provinciam tradens. Vide ad quantum defectum Romanum Imperium devenit, ut in tres partes Francorum Regno diviso, tertiæ partis tertia pars fuerit.*

XLIV. Quintò, in fragmento Historiæ Francicæ jam citato, *Ludovicus Imperator, post obitum patris* VIII *anno*, id est, anno Redemptoris octingentesimo sexagesimo-tertio, *mortuo fratre suo Carolo minore, & Lugduni sepulto, in Monasterio Sancti Petri, in Ecclesia Sanctæ Mariæ semper Virginis, cum fratre Lothario Regnum fratris mortui partitur. Accepit autem partem Trans-Jurensis Burgundiæ, simul & Provinciam *. Reliquam partem Lotharius Rex sibi retinuit.* Sublato è vivis Carolo Rege, ejúsque Regno inter fratres Ludovicum & Lotharium diviso, Ludovicus, qui, vivente Lothario Augusto patre, nomen Imperatoris gerere cœperat, & tertiam tantùm partem paterni Regni seu nonam aviti tenebat, aviti sextâ seu mediâ paterni deinceps est potitus.

* Provinciarum.

XLV. Ex illis Franciæ divisionibus, quæ diversissimæ sunt, Reges Francorum, modò pauciores, modò plures simul regnasse constat; constat & è tot Regibus, qui simul apud Francos regnabant, unum duntaxat extitisse, qui nomen Imperatoris gereret, nec ex hoc titulo sed ex paternarum ditionum partitione cum fratribus facta jus adeptus esset, quodcumque haberet in provincias, urbes, & oppida, quibus dominabatur. Atque inde colligimus Imperium Occidentis à Græcis ad Francos in coronatione Caroli non fuisse translatum, imò nec renovatum, cùm Carolus ejúsque posteri ne vicum quidem Imperatorio nomine possederint. Suscitatum igitur tantummodo, quod à multis retro seculis extinctum in Occidente fuerat Imperatoris nomen, ut optimè Ludovicus *Maimbourg* Societatis Jesu Presbyter in Historia Iconoclastarum ad hunc annum observavit.

XLVI. QUEMCUMQUE VULT IMPERII CONSORTEM FACERE POTEST ABSQUE CUJUSPIAM CONSULTU VEL PERMISSU.

Carolo, ut ex prædictis quoque patet, assumpto Imperatoris & Augusti nomine, liberum fuit, quemcumque vellet, absque cujuspiam consultu vel permissu consortem Imperii facere. Licentia super illo negotio par ei fuit ac Græcis Imperatoribus, quorum duplicem epocham sæpè distinximus, unam à die quo participes Imperii facti sunt, alteram à die quo soli cœperunt imperare. Eâ usi facultate Carolus ejúsque filius Ludovicus in consortium Imperii pro lubitu vocarunt, ille eundem Ludovicum anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio, hic Lotharium anno post Christum natum octingentesimo decimo-septimo. Ad illos annos consule veteres Annalistas. Unum hîc citabimus Laureshamensem, qui sic habet ad annum DCCCXIII. *Imperator evocatum ad se apud Aquasgrani filium suum Ludovicum Aquitaniæ Regem excipiens, coronam illi imposuit, & Imperialis nominis sibi consortem fecit.* Et ad annum DCCCXVII, sic. *Imperator filium suum primogenitum Lotharium coronavit, & nominis atque Imperii sui socium sibi cons-*

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

ſtituit. Plures Auctores ad illos annos allegabimus, ur opinioni noſtræ potior ſir fides. Alios Imperatores ex genere Carolino ſuis recenſebimus locis, exponemúſque quomodo nomen adepti ſint Imperatorium. Hîc interim, ur innoteſcat, urrùm Carolus Imperaror, quantùm ad ſucceſſoris electionem, jus idem ac Græcotum Imperarores habuerit, ſatis eſſe ducimus, ſi Lectori ponamus ob oculos, quomodò in conſortium Imperatorii nominis à Carolo Ludovicus, Lotharius à Ludovico vocatus ſit.

XLVII. Refragatur Bellarminus [a], de Carolo enim ſic ſcribit. *Cùm teſtamento Imperium filiis diviſiſſet, rem totam à Leone Pontifice confirmari voluit, ut non ſine conſenſu ejus, à quo illud acceperat, Imperium aliis tradere videretur.* Et, ut id probet, teſtes adducit Aimoinum & Adonem cum Annalibus Francorum vetuſtiſſimis. Aimonium, ſic. *Aimoinus lib. 4. de rebus geſtis Francorum, cap. 94. Teſtamentum, inquit, Caroli Leoni Papæ miſſum eſt, ut approbaretur, quod & factum eſt.* Adonem, ſic. *Ado Viennenſis in Chronico, 6 ætate. Imperator, inquit, inter filios ſuos Regna dividit, ut ſciret quiſque, ſi ſuperſtes eſſet, quam partem tueri & regere debuiſſet. Teſtamentum inde factum, & jurejurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, & Leoni Papæ miſſum, ut ſuâ manu ſubſcriberet.* Annales Francorum vetuſtiſſimos, ſic. *Denique Annales Francorum vetuſtiſſimi ſic habent. Hæc omnia literis mandata ſunt, & Leoni Papæ, ut ipſe ſuâ manu ſubſcriberet, per Eginarthum miſſa, quibus Pontifex lectis & aſſenſum præbuit & propriâ manu ſubſcripſit.*

[a] Lib. 1. c. 4. ſect. 1.

XLVIII. At in Carolo, qui, poſt aſſumptum Imperatoris titulum, Rex ſimul eſt & Imperator, Imperium à Regno diſtingui debet. Per Imperium enim intelligitur rantùm Imperialis digniras, quæ Carolo tanquam Imperatori ne unum quidem vicum ſubjicit. Per Regnum verò denotantur omnes ditiones, quæ Carolo ſubjacent ubicumque terrarum ſitæ ſint, cunctas enim Carolus ut Rex, nullam ut Imperator poſſidet. Hac diſtinctione poſitâ, Carolus non Imperium ſed Regnum filiis ſuis diviſit. Hanc partitionem anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, quo conſignatur in Annalibus, integram recitabimus ex Carolino Diplomate, cujus fragmentum à nobis jam deſcriptum ſufficit, ut Regnum Francorum in tres partes pro totidem filiis à Carolo tunc diviſum, & unicuique fratrum tertiam parerni Regni partem attributam ſcias, nullâ Imperii ſive Imperialis tituli factâ mentione. Duplex occurrit ratio, cur illam Chartam de ſola Regni diviſione capiendam cenſeamus. Prima petitur ex ejus verbis, ſic enim loquitur Carolus. *Non ut confusè atque inordinatè, aut ſub totius Regni dominatione, jurgii controverſiam relinquamus, ſed trinâ partitione totum Regni corpus dividentes, quam quiſquis illorum tueri vel regere debeat portionem, diſtribuere & deſignare volumus, eo videlicet modo, ut ſuâ quiſque portione contentus, juxta ordinationem noſtram, & fines Regni ſui, qui ad alienigenas extenduntur, cum Dei adjutorio nitatur defendere, & pacem atque charitatem cum fratre cuſtodire,* &c. *Si Karolus, qui major natu eſt, priuſquàm ceteri fratres diem obierit, pars Regni, quam habebat, dividatur inter Pippinum & Lodewicum.* &c. *Si verò Karolo & Lodewico viventibus, Pippinus debitum humanæ ſortis compleverit, Karolus & Lodewicus dividant inter ſe Regnum quod ille habuit.* &c. *Si ceteris ſuperſtitibus Ludewicus fuerit defunctus, eam partem Burgundiæ, quam Regno ejus adjunximus, cum Provincia & Septimania ſive Gothia uſque ad Hiſpaniam Pippinus accipiat,* &c. *Nullus eorum fratris ſui terminos vel Regni limites invadere præſumat, neque fraudulenter ingredi ad conturbandum Regnum ejus,* &c. *Quilibet homo peccans, & interceſſione indigens, intra Regnum Domini ſui, vel ad loca ſancta vel ad honoratos homines confugiat,* &c. *Quemlibet liberum hominem, qui Dominum ſuum contra voluntatem ejus dimiſerit, & de uno Regno in aliud profectus fuerit, neque ipſe Rex ſuſcipiat, neque* &c. *Homines uniuſcujuſque eorum accipiant beneficia unuſquiſque in Regno Domini ſui, & non in alterius, ne* &c. *Hereditatem autem ſuam habeat unuſquiſque illorum hominum abſque contradic-*

tione, in quocumque Regno hoc eum legitime habere contigerit. &c. *Unusquisque liber homo post mortem Domini sui licentiam habeat se commendandi inter hac tria Regna ad quodcumque voluerit.* &c. *Nullus ex his tribus fratribus suscipiat de Regno alterius à quolibet homine traditionem vel venditionem rerum immobilium*, &c. *Fœminæ potestatem habeant rerum suarum in Regno unde exierunt, quanquam in alio propter mariti societatem habitare debeant.* &c. *De obsidibus, qui propter credentias dati sunt, & à nobis per diversa loca ad custodiendum destinati sunt, volumus, ut ille Rex, in cujus Regno sunt, absque voluntate fratris sui, de cujus Regno sublati sunt, in patriam eos redire non permittat, sed potiùs* &c. *Si quilibet homo de uno Regno hominem de altero Regno de infidelitate contra fratrem Domini sui apud Dominum suum accusaverit*, &c. *Pastores atque Rectores venerabilium locorum habeant potestatem rerum, quæ ad ipsa loca pia pertinent, in quocumque de his tribus Regnis illarum Ecclesiarum possessiones fuerint.* &c. *De filiabus autem nostris, sororibus scilicet prædictorum filiorum nostrorum, jubemus ut post nostrum ab hoc corpore discessum licentiam habeat unaquæque eligendi sub cujus fratris tutela & defensione se conferre velit. Et qualiscumque ex illis Monasticam vitam elegerit, liceat ei honorificè vivere sub defensione fratris sui, in cujus Regno degere voluerit.* &c. Altera ratio sumitur à tempore, quo Carolus Ludovicum filium *Imperiali diademate coronavit*, & *Imperialis nominis sibi consortem fecit.* Hæc anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio gesta testantur Annalistæ, Loiselianus, Laureshamensis, Fuldensis, Bertinianus, ac Metensis, necnon Ado, Regino, Chronographus Moissiacensis, cum incerto Auctore & Monacho Egolismensi in vita Caroli & Astronomo in vita Ludovici. Ergo Carolus in Testamento, quod anno Redemptoris octingentesimo sexto scripsit ac Romam misit, universam Franciam, quâ potiebatur, in tria Regna pro totidem filiis, Carolo, Pippino, & Ludovico, partitus est, nihil autem de Imperio sive de Imperiali dignitate statuit, nullo ex iisdem filiis Imperatore dicto sive in consortium nominis Imperialis adscito. Consulamus jam Auctores, qui secus sentire perhibentur.

XLIX. Primo loco profertur *Aimoinus lib. 4. de rebus gestis Francorum, cap. 94.* citatúrque in hunc modum. *Testamentum Caroli Leoni Papæ missum est, ut approbaretur, quod & factum est.* Rectiùs allegaretur Aimoini Continuator, Aimoinus enim, ut patet ex editione Duschesnianâ [a], & ex Codice Segueriano, quem sæpè laudavimus, Historiam Francorum ad hæc usque tempora non perduxit. Tres editiones Aimoini præter Duchesnianam consuluimus, Ascensianam, Vichelianam, & Drovartianam seu Breulianam, in quibus Aimoino varii Continuatores additi. In Ascensiana, quæ omnium est antiquissima, & anno Christi millesimo quingentesimo decimo-quarto consignatur, post quarti libri caput quadragesimum-primum, in quo genuinus Aimoinus desinit, hæc occurrit notatiuncula. *Huc usque protenditur liber Floriacensis Monasterii Sancti Benedicti super Ligerim. Verisimile autem est sequentia esse alterius Auctoris, nam & mortem & sepulturam Dagoberti repetit, & alia multa inculcat stilo minùs diligenti.* Et *Annonii* sive Aimoini nomen quod in apicibus paginarum anteà ponebatur, deinceps positum non invenitur reliquâ parte libri quarti totóque libro quinto. Quibus observationibus consentit titulus operi sic præfixus. *Annonii Monachi Benedictini diserti & veridici quorumdámque aliorum venerabilium ejusdem professionis Patrum de Regum Procerúmque Francorum origine gestísque clarissimis usque ad Philippum Augustum libri quinque nunc primùm impressi.* Aimoinus ejúsque Continuatores sub ejusdem Aimoini nomine typis Vichelianis editi sunt anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo-septimo cum hoc titulo. *Aimoini Monachi, qui anteà Annonii nomine editus est, Historia Francorum lib. v.* Capiti tamen quadragesimo-primo libri quarti hæc etiam subjicitur adnotatio. *Hactenus liber Floriacensis Monasterii Sancti Benedicti supra Ligerim,*

[a] Tom. 5. Coll. Hist. Franc.

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

Gesta Francorum recitat. Quæ verò sequuntur, non Aimoini, verùm alterius cujusdam Historiographi sunt; nec minùs quidem tantùm, verùm duorum. Nam & abitus sepulturáque Dagoberti Regis & alia pleraque præciso nimiùm rudique stylo repetuntur. Et cùm ad Caroli Martelli Gesta ventum est, politiori magísque Latinâ oratione tum illius tum cæterorum gesta res explicantur. Jacobus Breulius anno Christi millesimo sexcentesimo secundo Aimoinum Floriacensem Monachum Cœnobio Sancti Germani à Pratis perperam attribuit, & absque ulla vel adnotatione post caput quadragesimum-primum libri quarti, vel Aimoini & Continuatorum distinctione, Aimoino totos quinque libros affinxit cum hoc titulo. *Aimoini Monachi inclyti Cœnobii D. Germani à pratis libri quinque de Gestis Francorum.* Cæterùm in editione Ascensiana, capite nonagesimo-quarto libri quarti, nullum est de Caroli testamento verbum, sed capite nonagesimo-secundo ejusdem libri hæc inveniuntur. *Conventum habuit Imperator cum Primoribus & Optimatibus Francorum de pace constituenda & conservanda inter filios suos, & divisione Regni facienda in tres partes, ut sciret unusquisque illorum quam partem tueri & regere debuisset, si superstes illi eveniret. De hac partitione & testamentum factum, & jurejurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, & constitutiones causâ conservandæ pacis factæ: atque hæc omnia literis mandata sunt, & Leoni Papæ, ut his suâ manu subscriberet, per Einhardum missa. Quibus Pontifex lectis & assensum præbuit & propriâ manu subscripsit.* Eadem prorsus reperies in editionibus Vicheliana & Drovartiana, capite nonagesimo-quarto ejusdem libri quarti. Sumpsit hæc Aimoini Continuator ex antiquis Annalibus, qui nobis à Loiseliano Codice Loiseliani dicuntur, & ad annum Redemptoris octingentesimum sextum sic habent. *Conventum habuit Imperator cum Primoribus & Optimatibus Francorum de pace constituenda inter filios suos, & divisione Regni facienda in tres partes, ut sciret unusquisque illorum quam partem tueri & regere debuisset, si superstes illi eveniret. De hac partitione est Testamentum factum, & constitutiones pacis conservandæ causâ factæ. Atque hæc omnia literis mandata sunt, & Leoni Papæ, ut his suâ manu subscriberet, per Einhardum missa. Quibus Pontifex lectis & adsensum præbuit & propriâ manu subscripsit.* Hæc autem narratio, sive in prælaudatis Annalibus, sive in Aimoini Continuatione legitur, non exhibet textum, quem Bellarminus tanquam ex Aimoino vel Aimoini Continuatore recitavit. Prætereà, quod magis est observandum, nullam Imperii sive Imperialis dignitatis mentionem facit, totáque versatur in partitione Regni, quod Carolus inter filios suos, Carolum, Pippinum, & Ludovicum, divisit.

L. Secundo loco profertur *Ado Viennensis in Chronico, 6 ætate*; citatúrque in hunc modum. *Imperator inter filios suos Regna dividit, ut sciret quisque, si superstes esset, quam partem tueri & regere debuisset. Testamentum inde factum, & jurejurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, Leoni Papæ missum, ut suâ manu subscriberet.* Genuinum hunc Adonis fœtum agnoscimus, qui pro nostra certè pugnat sententia. Quapropter eundem non omisimus[a] Adonem, cùm varios recensuimus Auctores, apud quos Carolus pro tribus filiis suis, Carolo, Pippino, & Ludovico, Regnum suum sive universam Franciam in tres partes, id est, in tria Regna dividit, nullo ex prædictis filiis Imperatore dicto sive in dignitatis Imperatoriæ consortium vocato.

[a] Suprà, n. 23.

LI. Tertio loco proferuntur *Annales Francorum vetustissimi*, citantúrque in hunc modum. *Hæc omnia literis mandata sunt, & Leoni Papæ, ut ipse suâ manu subscriberet, per Eginhardum missa, quibus Pontifex lectis & assensum præbuit & propriâ manu subscripsit.* Hæc ad annum Redemptoris octingentesimum sextum, quo Carolus retento penes se unum Imperatoris titulo Regnum suum in tres partes pro totidem filiis divisit, habent Annales antiqui, quos à Laureshamensi Cœnobio Laureshamenses appellare consuevimus. Integrum

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

super eo negotio textum accipe. *Conventum habuit Imperator cum Primoribus & Optimatibus Francorum de pace constituenda & observanda inter filios suos, & divisione Regni facienda in tres partes, ut sciret unusquisque illorum quam partem tueri & regere deberet, si patre mortuo superstitem esse contingeret. De hac partitione est & Testamentum factum, & jurejurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, & constitutiones pacis conservanda causâ facta: atque hac omnia literis mandata sunt, & Leoni Papa, ut ipse suâ manu subscriberet, per Eginhardum missa. Quibus Pontifex lectis & assensum prabuit & propriâ manu subscripsit.* Hunc quoque Annalistam cum Adone recensuimus inter vetustos Auctores, qui meminerunt Testamenti, quo Carolus, nullâ Imperii sive Imperialis nominis factâ mentione, Regnum suum in tria Regna, sive inter filios suos, Carolum, Pippinum, & Ludovicum, partitus est.

Quos igitur Bellarminus in assertionis suæ testes produxit, sententiam nostram non impugnant, Aimoinus, sive Aimoini Continuator, Ado Viennensis, & vetus Annalista Laureshamensis. Imò, quisquis illos Auctores legerit ad annos, quibus Carolus suum primò Regnum in tria Regna filiis suis, Carolo, Pippino & Ludovico divisit, deinde Ludovicum in consortium Imperii vocavit, nobiscum fatebitur liberum ipsi Carolo fuisse, ut, quemcumque vellet, Imperatorii nominis participem faceret. Illis de rebus agemus iterum ad annum Redemptoris octingentesimum sextum, quo Carolus Regnum suum in filios partitus est, & ad octingentesimum decimum-tertium, quo Ludovicum in dignitatis Imperatoriæ consortium adscivit. LII.

Porrò, si renovatus est tantùm titulus Imperatoriæ dignitatis in Occidente, cùm Carolus Imperatoris & Augusti nomen accepit, talis titulus jus ei nec confirmavit in provincias Occidentalis Imperii quas tunc tenebat, nec dedit in ceteras ejusdem Imperii quas nondum acquisierat. Hic enim titulus in Carolo renovatus non eandem ac olim significationem habuit. Olim in Occidente, sive unus aut plures essent Imperatores, & sive hi diviso inter se vel indiviso potirentur Imperio, quisquis Imperator dicebatur, is Imperium regebat ex multis compositum provinciis certisque circumscriptum finibus, intra quos non alio quàm Imperiali nomine supremam exercebat auctoritatem. Carolus verò cùm Imperator coronatus est, ex nova dignitate ne vicum quidem adjecit ditionibus quas ut Rex anteà possidebat, & ex eo quòd auctus esset Imperiali nomine, jus sibi posteà non arrogavit in Principatus aliorum Dynastarum, quibuscum priùs in Occidente regnaverat. Easdem quas anteà provincias in sua tenuit potestate, nec ullum pagum Imperio sive Imperiali summisit addixitve dignitati. Testatum id voluit anno sexto post assumptum Imperatoris nomen, cùm ditiones omnes suas in tria divisit Regna pro totidem filiis, quos heredes constituebat; & anno pòst septimo, cùm Ludovicum Imperii consortem fecit, nec heredem esse voluit ex asse, tertiâ ditionum suarum parte Bernardo nepoti reservatâ, qui dominaretur Italiæ, Réxque vocaretur, Imperator nequaquam. In eandem probationem veniunt aliæ partitiones, quas attigimus suprà. Nam Lotharius Imperator ex paterni Regni divisione cum fratribus facta potitur Italiâ Galliarúmque parte non modicâ; qui verò succedit in dignitatem Imperialem Ludovicus, is ex paternarum quoque ditionum partitione cum fratribus inita nihil extra fines Italiæ possidet. Itaque Francia dividitur in varias partes, quibus singuli Reges pari præsunt auctoritate, licèt is, qui nomen Imperatoris gerit, ceteris ob dignitatem præemineat, quamcumque Regni partem sortiatur, nam modò in una, modò in altera regnat. Atque inde liquet Imperium & Imperiale nomen, ut in Carolo renovata sunt, ab antiqua significatione plurimùm differre; nec eidem Carolo jus in Regnum, quod anteà possidebat, confirmatum esse talibus titulis, quibus is aliquando potitus est solus, qui nonam duntaxat prædicti Regni partem obtinebat. LIII.

AN. CH. 800.
CAROLI R. 32.
PIPPINI
LUDOV. RR. 20.
CAROLI R. 12.

A Bellarmino[a] recitatur Alciati nobilis Jureconsulti textus, qui sic habet. *Carolus Maximi, hac expeditione, apud omnes nationes nomine acquisito, nulli non formidabilis, cùm arma per Germaniam omnem Pannoniásque circumtulisset, & non Italiam tantùm, sed & Illyrici aliquas regiones Græco eripuisset, ut justum aliquem titulum adepto Imperio prætendere posset, Cæsarem se & Rom. Imperatorem à Pontifice populóque Romano designari procuravit.* Hic textus Bellarmino partim placet, partim displicet; placet illa phrasis, *ut justum aliquem titulum adepto Imperio prætendere posset*; displicent hæc verba, *designari procuravit.* Bellarminus Alciatum reprobat, quòd *à Carolo Imperium procuratum* scripserit *non modo sine certo Auctore, sed etiam repugnantibus plerisque veteribus Auctoribus*; approbat verò, quòd censuerit novâ Imperatoris dignitate Carolo collatâ factum esse, *ut* idem Carolus *justum aliquem titulum adepto Imperio prætendere posset.* At quærimus à quo vetere Scriptore posterius hoc effatum acceperit Alciatus. Neutrum in Alciato probamus. A Carolo enim *Imperium procuratum* inficiamur, negamus & *justum aliquem titulum adepto Imperio*, id est, adeptis plerisque provinciis Occidentalis quondam Imperii, ab eodem Carolo ex renovato Imperatoris nomine prætendi posse. Fatemur tamen Alciatum consequenter loqui. Nam si Carolus Rex in provincias, quibus dominabatur, jus sibi deesse, & *justum aliquem* in eas *titulum* ex Imperatoria dignitate prætendi posse censuit, dubium non videtur, quin *Cæsarem se & Romanorum Imperatorem designari* procurarit. Haud ita sibi videtur constare Bellarminus in suis assertionibus, una enim alteri refragatur, quia, si *Carolo nihil tale speranti, vel etiam recusanti, Imperium delatum est*, quis eidem Carolo Regi, *justum aliquem* inde *titulum* cùm in Regnum, quod anteà possidebat, tum in ceteras Occidentalis Imperii provincias datum credat? Carolus, ut Eginhardus in ejus vita jam citata scribit, *Imperatoris & Augusti nomen primò in tantùm aversatus est, ut affirmaret se eo die, quamvis præcipua festivitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset.* Ergo numquam arbitratus est eo nomine jus sibi vel confirmatum in provincias quas anteà tenebat, vel datum in ceteras Occidentalis quondam Imperii Dynastias quas in suam potestatem non redegerat.

LIV.

[a] Cap. 8.

LV. Præter Eginhardum sive Eginarthum, cujus textum proximè repetendum duximus, alios Auctores, qui stant ab eadem sententia, Conradum Abbatem Urspergensem, Joannem Cuspinianum, Joannem Aventinum, & Albertum Krantzium citat Bellarminus capitibus secundo & septimo. Abbas Urspergensis de Carolo sic scribit. *Dum ante Confessionem Beati Petri Apostoli ab oratione surgeret, nihil minùs speranti Leo Papa coronam imposuit, & Imperatorem Romanum pronunciavit.* Joannes Cuspinianus iisdem penè verbis in ejus vita, sic. *Cùm in magno illo Natalis Salvatoris nostri die Templum oraturus ingrederetur, nihil minùs speranti Leo Pontifex coronam capiti suo imposuit, Imperatorémque Romanum pronunciavit.* Joannes Aventinus libro quarto Bojorum, sic. *Cùm octavo Kalendas Januarii, Augustissimo Christianorum festo, Rector Francorum Magnus in Templo Divi Petri ad aram, quò se supplicandi gratiâ inclinarat, consisteret, ejus capiti, dum nihil minùs speraret, Pontifex Maximus diodema Cæsareum imponit.* Et Albertus Krantzius libro secundo Saxoniæ, capite duodevicesimo, sic. *Quum nihil tale Karolus aut cogitaret aut speraret, magisque recusaret alienum invadere Imperatoris honorem, infra Missarum solemnia, dum ante Confessionem Beati Petri Apostoli ab oratione surgeret, Papa ei coronam imposuit, & Imperatorem Romanum pronunciavit.* Nec omittendum hoc loco, quod addit Eginhardus de Constantinopolitanorum Imperatorum indignatione & invidia, qui Carolum ob assumptum Imperatoris & Augusti nomen magno deinceps odio sunt prosecuti. *Constantinopolitanis*, inquit, *Imperatoribus super hoc indignantibus, magnâ tulit patientiâ, vicitque eorum invidiam magnanimitate, quâ eis procul dubio longè præstantior erat,*

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. R R. 20. CAROLI R. 12.

mittendo ad eos crebras Legationes, & in epistolis fratres eos appellando. Atque hæc sufficiant adversùs eos, qui vivente Hadriano Papâ titulum Imperatoris affectatum à Carolo putant, & omnia, quæ necessaria erant ad pompam, jam diu longo studio disposita prædicant.

LVI. Præter privilegia seu jura, de quibus hactenus disputatum, Bellarminus [a] Carolum illud ex Imperatoria quoque dignitate consecutum dicit, *ut nominibus, titulis, honoribus omnibus veterum Cæsarum uteretur, atque eo nomine omnes alios Reges ac Principes, tum ipse tum ejus successores ac posteri anteirent, etiamsi aliquando contingeret, ut essent alii Christiani Reges ipso Cæsare longè potentiores.* Id verissimum patuit in Ludovico Imperatore Caroli pronepote, qui tertiam Franciæ partem cum fratribus suis Lothario & Carolo Regibus divisit, dum patrui Ludovicus & Carolus Reges tertiam singuli partem ejusdem Franciæ possidebant ex partitione cum ejus patre Lothario Imperatore facta. Nam licèt iisdem patruis ætate minor esset & inferior potentiâ, dignitate tamen major ac superior erat, & ab illis Imperator vocabatur. Hoc testatum reliquit in literis ad Basilium Imperatorem Constantinopolitanum. *Ipsi patrui nostri Gloriosi Reges absque invidia Imperatorem nos vocitant, & Imperatorem esse procul dubio fatentur, non profectò ad ætatem, quâ nobis majores sunt, attendentes, sed ad unctionem & sacrationem, quâ per Summi Pontificis manûs impositionem divinitus sumus ad hoc culmen provecti, & ad Romani Principatûs Imperium quo, superno nutu, potimur, aspicientes.*

[a] Cap. 13.

LVII. In Occidente nullus erat Rex aut Dynasta, qui Carolo parem se diceret, erant omnes longè impares potentiâ, fortitudine, felicitate; nec, si victoriarum quas reportarat inflatus numero, gentium quas domuerat elatus multitudine, Majorum suorum quibus præferendus erat exemplo provocatus, titulum Imperatoris affectasset, quempiam non applausorem in toto reperisset Occidente. Perhonorificum tamen ei fuit, cùm nihil tale cogitaret, in celeberrimo Christianorum festo, in antiqua Roma urbe Imperii primaria, in Vaticana Sancti Petri Basilica, cum populi acclamationibus, Imperatorem se Romanorum à Summo Pontifice coronari & inungi. Ludovicus ejus pronepos in literis ad Basilium Orientis Imperatorem proximè citatis haud omisit unctum se Imperatorem à Romano Pontifice.

LVIII. Leo, cùm coronam imposuit Carolo, speravit faciliùs ei nupturam Irenen Augustam, si priùs Imperatorem Romæ coronatum resciret. Id autem quanto Christianæ Reipublicæ foret emolumento, nemo non intelligebat. Irenen expetitam in uxorem à Carolo non negat Bellarminus, Zonaram enim & Cedrenum in eam rem citat capite quarto. Zonaram, sic. *Francorum Dux Carolus, Imperator Romanorum à Papa Leone, ut dictum est, appellatus, missis ad Irenen Legatis, nuptias illius ambiit, cùm nec illa ab eo conjugio abhorreret.* Cedrenum, sic. *Venerunt etiam à Carolo, quem Leo Papa Romæ coronaverat, Legati ad Irenen, eam Carolo in uxorem ambientes.* Zonaras Græcè sic habet. ὁ δὲ τῶν Φράγγων ἀρχηγὸς Κάρουλος βασιλεὺς Ῥωμαίων παρὰ τοῦ πάπα Λέοντος, ὡς εἴρηται, ἀναγορευθεὶς, πρέσβεις ἔπεμψε πρὸς τὴν Εἰρήνην, ζητῶν συζευχθῆναι αὐτῇ κατὰ συμβίωσιν γαμικὴν, καὶ οὐδ' ἐκείνῃ τοῦτο ἀβούλητον ἔδοξε. Cedrenus, sic. Ἔφθασαν δὲ ἀπὸ Καρούλου τοῦ στεφθέντος βασιλέως Ῥώμης, παρὰ* Λέοντος τοῦ πάπα ἀποκρισιάριοι πρὸς τὴν εὐσεβεστάτην Εἰρήνην, αἰτούμενοι ζευχθῆναι αὐτὴν τῷ Καρούλῳ πρὸς γάμον. Hic Auctor rationem proximè subjungit, nempe *ut Oriens cum Occidente uniretur*, καὶ ἑνῶσαι τὰ ἑῷα καὶ τὰ ἑσπέρια. Nihil felicius Orbi Christiano contingere poterat. De Legatis etiam à Carolo ad Irenen missis agit Theophanes, setiùs enim directi sunt, Indictione videlicet decimâ, ἰνδικτιῶνι ι'.

IRENES AUGUSTÆ NUPTIAS EXPETIT.

* ὑπὸ

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

E tribns hisce Græcis Auctoribus duo, nempe Theophanes & Zonaras, Romam in potestate Caroli fuisse scribunt. Theophanes, *Romam in Francorum potestatem cessisse* sic testatur, γενομένης τῆς Ῥώμης ἀπ' ἐκείνου χρόνου ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῶν Φράγγων. Et Zooaras à Bellarmino capite quarto sic allegatur. *Româ prorsus Franci potiti sunt, Carolo à Leone coronato, & Romanorum Imperatore appellato.* Et paulò pòst. *Sub Constantino & Irene, Papa Leo Francos etiam Romam admisit; sic & Italiâ universâ & ipsâ Româ sunt potiti.* Ac Græcè sic habet. ἡ Ῥώμη ὑπὸ τοῖς Φράγγοις ἐγένετο, τοῦ Καρούλου τιμηθέντος παρὰ τοῦ Λέοντος, καὶ βασιλέως Ῥωμαίων ὀνομασθέντος. Et infrà. ἐπὶ δὲ Κωνσταντίνου καὶ Εἰρήνης ὁ πάπας Λέων καὶ εἰς τὴν Ῥώμην αὐτοὺς εἰσεδέξατο, καὶ οὕτω τῆς Ἰταλίας πάσης καὶ τῆς Ῥώμης αὐτοὶ ἐκυρίευσαν.

LIX. PROBATUR URBIS DOMINUS.

Hic Auctor sibi non satis constat. In priore textu sobindicat Romam in Francorum potestatem hoc anno venisse, cùm Carolus à Papa coronatus est Imperator, nec aliter censet Theophanes. In posteriore textu Francos Româ potitos ait *sub Constantino & Irene*, id est, ante quadriennium, ut adversùs Theophanem probavimus, cùm Constantinus & Irene mater in vivis erant, atque Orientis Imperium penes Constantinum, matre privatam tunc vitam agente. Lege quæ dicta sunt ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-sextum, quo Roma & Romanus Ducatus à Græcis ad Francos transierunt.

LX. Mirari certè subit, quomodo fieri potuit, ut spretis tot Auctoribus cùm Græcis tum Latinis, qui Carolum Romæ Dominum agnoverunt, Nicolaus Alemannus in parietinis Lateranensibus aliter censeret, assereretque Romam à Græcorum Imperio venisse in potestatem Gregorii Papæ Secundi, qui Regnum Caroli multis annis antecessit, ac deinceps Romanis Pontificibus semper paruisse. Quatuor argumenta simul congessit, ut opinionem suam stabiliret; primum sumpsit à literis Caroli, secundum à Donatione Ludovici Pii, tertium à dictis Constantini Porphytogennetæ, postremum à versibus antiqui Poetæ. *Credatur*, inquit, *Carolo Magno, qui Romanorum Patriciatum, id est, Urbis Præfecturam, per Legatos à Romano Pontifice petiit, fidémque ei spopondit suam. Credatur Ludovico filio* &c. *Credatur Constantino Porphyrogenneto, qui filium Imperii successorem monet, ne Romam suæ ditionis finibus contineri putet, quæ* διαπράξεται κυρίως παρά τινος τῶν κατὰ χρόνον Πάπα, *ab eo Antistite, qui in Pontificatu per tempus succederet, jure dominii teneretur. Hoc ergo nomine Leo III cùm in numismate tum in emblemate D. N. inscribitur, Carolus verò, quà Cæsar publicè renunciatus. Ad quem planè modum uterque Romæ Pater à Poeta ejus ætatis nuncupatur, & infrà duo lumina vocantur.* Singulas objectiones facili brevíque negotio diluemus.

LXI. Carolus in literis [a], per quas Leoni suam ad Pontificatum promotionem significanti respondit, de suo Patriciatu sic scripsit. *Angilbertum manualem nostræ familiaritatis vestræ dreximus Sanctitati, illíque omnia injunximus, quæ vel nobis voluntaria, vel vobis necessaria esse videbantur, ut ex conlatione mutua conferatis, quicquid ad exaltationem Sanctæ Dei Ecclesiæ, vel ad stabilitatem honoris vestri, vel Patriciatûs nostri firmitatem necessarium intelligeretis. Sicut enim cum beatissimo prædecessore vestræ sanctæ Paternitatis pactum inii, sic cum Beatitudine vestra ejusdem fidei & caritatis inviolabile fœdus statuere desidero. Quatenus Apostolicæ Sanctitatis vestræ, divinâ donante gratiâ, Sanctorum advocatis precibus, me ubique Apostolica benedictio consequatur, & sanctissima Romanæ Ecclesiæ Sedes, Deo donante, nostrâ semper devotione defendatur.* At hæ literæ priùs scriptæ sunt, quam Leo [b] *per Legatos suos Claves Confessionis Sancti Petri, ac Vexillum Romanæ Urbis cum aliis muneribus Regi* Carolo misisset, *cúmque rogasset ut aliquem de suis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per sacramenta firmaret.* Lege

[a] Ap. Alcuin. ep. 84.

[b] Annal. Lauresham. ad an. 796.

Lege quæ dicta sunt ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-sextum [a], quo Carolus prædictas literas scripsit, &c, teste Annalistâ Laureshamensi, Vexillum Urbis Romanæ paulò pòst accepit. Ab illo anno ad annum usque Redemptoris octingentesimum decimum-septimum, quo Ludovicus Pius Apostolicæ Sedi Romanum Ducatum cessit, Franci Româ potiti sunt per annos unum ac viginti; nec quia Roma, cùm Ludovicus Imperator esset, Romano Pontifici paruit, inde colligere est illam sub Caroli potestate numquam fuisse; multóque minùs ex monitis Constantini Porphyrogennetæ qui seculo decimo Imperium tenuit. Sciri verò facilè potest cur à Romanis non Carolus modò sed etiam Leo D. N. dicatur, & à Vate, mortem illorum deflente, Patres Romæ, duóque Lumina nuncupentur. Ex duabus inscriptionibus, quæ Leonis & Caroli simulachris adhærent, integra hæc eodem Alemanno [b] teste suppetit. SCSSIMUS. D. N. LEO. PP. D. N. CARULO. REGI. Factáque est, cùm Leo & Carolus in vivis erant, & Imperatoris atque Augusti nomen nondum assumpserat Carolus. Leo SANCTISSIMUS DOMINUS à Romanis nominatur, quia spirituali potitur jurisdictione; Carolus vocatur DOMINUS ab iisdem Romanis, quia verè Urbis est ac Romanorum Dominus. Aliam causam ne quæras, cur à Poëta Patres Urbis & duo Lumina sic appellantur.

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

[a] Nu. 2. & seqq.

[b] Cap. 7.

O quanto premitur Roma dolore,
Præclaris subitò Patribus orba. &c.
Luge Roma tuum nomen in umbris,
Et defuncta duo Lumina luge.

LXII. Rursum Alemannus capite duodecimo prolixum hunc sermonem init super titulo, DOMINUS NOSTER, ut suadeat Leonem Urbis Dominum fuisse, nequaquam verò Carolum. *Antiquus Romanorum mos est atque adeò proprius, Principes, quorum in ditione legitimâque potestate essent, Dominos nostros nuncupare & inscribere. Post Cæsares vel Gentiles vel Christianos ita Romani venerati sunt Gotthos Reges, Theodoricum, Athalaricum, Theodatum, ac reliquos, quorum adhuc supersunt inscriptiones & nomismata. Eâdem ratione eodémque more Pontifices Maximos Dominos suos nuncupare tum cœpit Senatus Populusque Romanus, cùm Urbe Pontifices suo plenóque jure ac dominatu primùm potiti sunt. Potiti sunt autem cùm à fidei desertore Leone Isaurico Senatus Romanus sacramentum (teste Anastasio [c]) dixit Gregorio II. Quamquam impius Imperator, ut à Pontificis fide Senatum Populúmque Romanum abduceret, classem instruxit, quam ad Ostia Tyberina, priusquàm appelleret, divino nutu, quemadmodum Theophanes narrat, Adriaticum pelagus, Ecclesia Romana velut injuriarum ultor absorbuit. Neque ita tamen sedata procella sunt, quibus civile hoc Imperium Romanarum Pontificum jactatum est per id tempus sub altero Gregorio, Zacharia, & Stephano III qui Francorum auxilium præsidiúmque imploraturus ad Pipinum Regem in Gallias perrexit. Is primùm arma Longobardorum ab Urbe & à reliqua Pontificum ditione avertit, Carolus deinde filius tranquillissimam pacem Adriano I peperit, qui procul ab omnibus turbis Romam, ut decessores inde à Gregorio II Pontifice, plenâ dominatione tenuit. Tenuit Leo quoque III successor integro quadriennio. Tum civium conjurata manus Pontificia dominationis pertæsa, Leoni vim intulit; Carolus verò Magnus, qui tandiu laudabitur, dum memoria Pontificum Romanorum manebit, non modò paratam defectionem coercuit, ac Senatum Populúmque Romanum ad debitam Leoni fidem pellexit induxítque; sed vetus etiam Pontificum in Urbe dominium ita stabilivit, ut ex eo tempore (ante id enim ego quidem hoc nondum observavi) Romani Pontifices tanquam Urbis jam Domini, cùm in titulis, tum in acclamationibus, audire cœperint, Domini nostri. Sanè post illud tempus extat in æde Sancti Marci tessellatum opus Gregorii IV. qui paulò post Leonem III Pontificatum cepit, ibidémque legis hanc epigrapham.*

SCSSIMUS. D. N. GREGORIUS. PP.

[c] In Greg. 2.

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PEPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

LXIII. Narrationem hanc penè totam ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-sextum [a] jam refutavimus. Multis argumentis ostendimus Romam nec à Leone Isauro Græcorum Imperatore ad Gregorium Secundum Papam transiisse, nec in potestate fuisse vel ejusdem Gregorii Secundi vel alicujus è successoribus qui Leonem Tertium antecesserunt. Ex iis, quæ dicta sunt ad illum locum, breviter hoc unum de Adriano repetemus. Adrianus Papa literas Constantino & Irenæ Augustis direxit cum hac inscriptione, δεσπόταις εὐσεβεστάτοις, *Dominis Piissimis*. Leo proximus ejus successor ad Infulas assumptus est exeunte anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto, annúmque in Pontificatu nondum expleverat, cùm Urbs Roma Ducatúsque Romanus excussâ Græcorum dominatione Francicis ditionibus accesserunt. Roma Francis deinceps paruit ad annum usque Redemptoris octingentesimum decimum-septimum, quo venit in dominium Sedis Apostolicæ, ut ad illum annum ex Donatione Ludovici Pii probabimus. Ceterùm post Leonem Tertium Ecclesiæ Romanæ præsederunt hi Pontifices, Stephanus Quintus, Paschalis Primus, Eugenius Secundus, Valentinus, & Gregorius Quartus ab Alemanno laudatus. Ut autem anno primo Leonis Tertii Papæ ab Imperio Græcorum ad Francorum dominationem, sic & anno primo Paschalis Primi Papæ à potestate Francorum ad dominium Sedis Apostolicæ transiit Roma. Proinde non inficiamur Urbis Dominum fuisse Gregorium Quartum, qui post Paschalem Primum sedit intermediis Eugenio Secundo & Valentino, sed, etsi Gregorium Quartum Româ potitum fateamur, negamus idem continuò asserendum esse de Leone Tertio, qui Pontificatum citius gessit, & Carolum Imperatorem Romanorum coronavit atque inunxit.

[a] Nu. 6. & seqq.

LXIV. UNGITUR A LEONE PP. Idem Alemannus, ubi de Caroli coronatione & inunctione sermonem facit, Theophanem ceteris Auctoribus longè anteponit. *Religiones*, inquit, *illas, quibus initiatus est Carolus Imperator, luculentiùs quàm quispiam Latinus Scriptor æqualis memoriæ commendavit Theophanes, qui à Leone Papa Carolum affirmat oleo perunctum à capite usque ad pedes, & ornatum Imperatoriâ veste atque coronâ.* Textus Theophanis talis est. ὁ δὲ τὸν Κάρουλλον ἀμειβόμενος, ἔστεψεν αὐτὸν εἰς βασιλέα Ῥωμαίων ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Πέτρου, χρίσας ἐλαίῳ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἕως ποδῶν, καὶ περιβαλὼν βασιλικὴν ἐσθῆτα καὶ στέφος.

LXV. Leo Papa capiti Caroli coronam imposuit. Id antiqui testantur Annalistæ, Loiselianus, Laureshamensis, Tilianus, Fuldensis, Bertinianus, & Metensis; necnon incertus Auctor, Monachus Egolismensis, Regino, & Ado.

LXVI. Imperatoriæ vestis non meminerunt hi Scriptores; meminit autem Anastasius, at in sua tantùm Historia, in qua Theophanem Latinè reddit, non autem in vita Leonis Tertii Papæ, in qua meorem alterius sequi non cogitur, ideóque in hanc rem cum Theophane non videtur convenire. Nec eidem Theophani favet Eginhardus, ubi de peregrinis vestimentis, quibus semel atque iterum usus est Carolus, ita loquitur. *Peregrina indumenta quamvis pulcherrima respuebat, nec unquam eis indui patiebatur, excepto quòd Romæ semel Adriano Pontifice petente* cùm nec Urbis Dominus nec Imperator esset, *& iterum Leone successore ejus supplicante* utrùm ante vel post assumptum Imperatoris nomen haud liquet, *longâ tunicâ & chlamide actinctus, calceis quoque Romano more formatis, induebatur.*

LXVII. Quod ad unctionem attinet, Alemannus [b] ad textum Theophanis ita ratiocinatur. *Quòd verò ait Carolum tam profusè splendidéque delibutum, Græco ejus ætatis loquendi genere ritum significavit, qui Græcis non eâdem atque Romanis ratione usurpabatur. Illi caput solummodò, Romani suis Imperatoribus etiam brachia, humeros, scapulas, & quidquid sedes virium ac roboris esse videtur, sa-*

[b] Cap. 10.

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

eris oblinire unguentis consueverunt. Nisi fortè uberiorem, quàm hodie sit, Leo ritum olim habuerit, vel Gallorum, ut reor, consuetudine cumulaverit, qui prætereà pectus, & tergum, & manuum volas, & brachiorum suffragines suis Regibus, inde à Clodovæi tempore, deliniunt. Idem Auctor posteà redarguit Claudium Rangolium, qui *Carolum, dum iniret Imperium, sacro perfusum unguento à Leone III, eà ratione negavit* [a], *quòd, ut Gallorum Reges solent, delibutus jam anteà fuisset, quódque de eo nihil Eginhartus, nihil Annalium Francorum Auctor meminerint.* Opponit his objectionibus Anastasium, qui *Theophanis narrationem*, quantùm ad unctionem Caroli, *non modò suâ probavit versione, sed eâ etiam, quam de Pontificibus edidit, Historiâ.* Opponit & Ludovicum Imperatorem ipsius Caroli pronepotem, qui de proavo suo in literis ad Basilium Orientis Imperatorem sic scribit. *Carolus Magnus abavus noster unctione ejusmodi per summum Pontificem delibutus, primus ex gente & genealogia nostra, pietate in eo abundante, & Imperator dictus, & christus Domini factus est.* Hæc una pronepotis assertio satis supérque est, ut Carolum à Leone Papa unctum dicamus. Tota difficultas circa modum versatur. Cærimonias omnes, quæ posterioribus seculis in unctionibus Romanorum Imperatorum & Francorum Regum observatæ sunt, usurpatas haud existimamus in unctione Caroli, quia peragi non potuerunt, nisi paratus ad eas cum idoneis vestibus accesserit, at, Eginhardo teste, consilium Pontificis ignoravit. Nec audiendus hoc loco Chronographus Moissiacensis, qui Carolum à Leone & ab Episcopis Romæ congregatis universóque populo Christiano rogatum priùs, ut quod apud Græcos cessarat Imperaroris nomen assumeret, ita comminiscitur. *Cùm apud Romam moraretur Rex Karolus, muncii delati sunt ad eum, dicentes quòd apud Græcos nomen Imperatoris cessasset, & fæmineum Imperium apud se haberent. Tunc visum est ipsi* * *Apostolico Leoni, & universis sanctis Patribus, qui in ipso Concilio aderant, seu reliquo Christiano populo, ut ipsum Karolum Regem Francorum Imperatorem nominare debuissent, quia ipsam Romam matrem Imperii tenebat, ubi semper Cæsares & Imperatores sedere soliti fuerant, seu reliquas sedes, quas ipse in Italia & Gallia necnon & Germania tenebat. Quia Deus Omnipotens has omnes sedes in potestate ejus concessit, &, ne pagani insultarent Christianis, ideo justum esse videbatur, ut ipse cum Dei adjutorio, & universo populo Christiano petente, ipsum nomen haberet. Quorum petitionem ipse Karolus Rex denegare noluit, sed cum omni humilitate subjectus Deo, & petitioni Sacerdotum & universi Christiani populi, in ipsa Nativitate Domini nostri Jesu Christi, ipsum nomen Imperatoris, cum consecratione Domini Leonis Papæ, suscepit. Extunc autem Imperator & Augustus est appellatus.* In hoc tamen textu laudandus est Auctor, quòd Romam Carolo Regi, priusquàm Imperator vocetur, subjectam testatur, nec ideo vituperandus, quòd insinuat populum Romanum cum Leone conspiratsse, ut Carolus Imperator diceretur.

[a] Ad lib. 1. Regg. c. 9.

* ipso

Cùm Carolus coronatus est Imperator, aderat Romæ Pippinus ejus filius. LXVIII. CUM PIPPINO FILIO. Hic relicto cum exercitu Winigiso Duce Spoletano, qui bellum ad comprimendam Grimoaldi Ducis Beneventani rebellionem susceptum perficeret, in Urbem venerat, illic Natalitia Domini cum patre celebraturus. Unctus est quoque in Regem, ut habet textus Anastasii jam citatus. Anno Christi septingentesimo octogesimo-primo unctus in Regem fuerat ab Adriano Papa, cur autem iterum à Leone sit unctus, hæc ratio potest afferri, quòd Leo sibi persuaserit Romam & Romanum Ducatum in ejus fore potestate, qui vicinæ Longobardiæ Rex à patre jam fuerat renuntiatus.

LXIX. ADORATUR A PP. MORE ANTIQUORUM IMPP.

Apud anriquos Annalistas, Loiselianum, Laureshamensem, Tilianum, Fuldensem, Bertinianum, ac Metensem, necnon apud Reginonem & Adonem, *post laudes*, seu *celebratis laudibus*, id est, finitis acclamarionibus de quibus suprà, Carolus *ab Apostolico, more antiquorum Principum adoratus* di-

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

citur. *Porrò*, apud Alemannum capite decimo, *ille Regum adorandorum mos est, quem Samuel, auctore Deo, primus invexit, & posteris imitandum reliquit. Nam primum Hebræorum Regem constituturus tulit lenticulam olei, & effudit super caput ejus, & deosculatus est eum. Ita planè Leo Carolum Cæsarem, ut ii Auctores autumant, adoravit. Qui enim adorare, idem esse quod deosculari, seu libato osculo salutare, non intelligit, is enimverò Græcæ Latinæque omnis eruditionis rudis sit oportet, quem vel illa inerudita Caroli Magni ætas (ne longiùs abeamus) docere id possit. Siquidem Tarasius Patriarcha* [a] *Constantino & Irenæ Imperatoribus ita* προσκυνεῖν *ex ipsa vocis notatione est interpretatus; ita Albinus Flaccus Anastasii illud de Carolo & Leone, pariter se amplectentes cum lacrymis se osculati sunt, carmine extulit.*

[a] In ep. ad Impp.

Extemplo properans Carolus veneranter adorat,
Pontificem amplectens magnum, & placida oscula libans.

LXX. Ordo Romanus ad benedicendum Imperatorem incipit ab hac Imperatoris promissione. *In Nomine Christi promitto, spondeo, atque polliceor, ego N. Imperator coram Deo & Beato Petro Apostolo, me Protectorem atque Defensorem fore * hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus utilitatibus, in quantùm divino fultus fuero adjutorio, secundùm scire meum ac posse.* Sigonius [b] Carolum hac eâdem jurisjurandi formulâ obstrictum ait à Leone Coronam imposituro, sed cùm nec ab eo testis adducatur, nec quidpiam simile vel apud Anastasium legatur, vel apud aliquem ex antiquis Auctoribus, quos consulere soliti sumus, hoc juramentum negamus præstitum à Carolo, censemúsque cœptum seriùs usurpari. Certè Pontifici non opus erat, ut tale jusjurandum exigeret à Principe, qui non scriptis modò se dicebat, sed & factis se probabat Ecclesiæ Romanæ Protectorem atque Defensorem.

* esse

[b] Lib. 4. ad an. 801.

LXXI. MULTA DONA OFFERT ECCLESIIS. Anastasius institutam de Caroli coronatione narrationem insigni claudit enumeratione quamplurium donorum, quæ novus Imperator multis Ecclesiis obtulit. *Sanctissimus Antistes & Pontifex unxit oleo sancto Carolum & Excellentissimum filium ejus Regem in ipso die Natalis Domini nostri Jesu Christi, & Missâ peractâ post celebrationem Missarum obtulit ipse Serenissimus Dominus Imperator mensam argenteam cum pedibus suis pens. lib.... Sed & in Confessione ejusdem Dei Apostoli obtulit unà cum Præcellentissimo filio suo Rege & filiabus diversa vasa ex auro purissimo in ministerio ipsius mensæ pens. lib....... Sed & Coronam auream cum gemmis majoribus, quæ pendet super altare pens. libras quinquaginta-quinque. Et patenam auream majorem cum gemmis diversis pens. lib. triginta. Et calicem majorem cum gemmis & ansis duabus pens. lib. quinquaginta-octo. Item calicem majorem fundatum cum scyphone pens. libras triginta & septem. Immò & alium calicem majorem fundatum pens. libras triginta & sex. Obtulit & super sacratissimum altare Beati Petri Apostoli, immò & in Basilica Beati Pauli Apostoli mensam argenteam minorem cum pedibus suis pens. lib. quinquaginta-quinque cum diversis vasis argenteis miræ magnitudinis, quæ ad usum ipsius mensæ pertinent. Item in Basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quam Constantinianam vocant, obtulit Crucem cum gemmis hyacinthinis, quam almificus Pontifex in Letania præcedere constituit secundùm petitionem ipsius piissimi Imperatoris. Immò & altare cum columnis argenteis & cyborio. Verùm etiam & Evangelium ex auro mundissimo cum gemmis ornatum pens. lib...... Item & in Basilica Beatæ Dei Genitricis Mariæ ad Præsepe obtulit scyla argentea majora pens. lib.......*

LXXII. Hæc acta sunt hoc anno, die vicesimâ-quintâ Decembris, Indictione nonâ currente. Chronologicas hasce notas sic exhibet Theophanes. τῷ Δεκεμβρίῳ κε΄. ἰνδικτιῶνι ἐνάτῃ. Plerique Latinorum in subsequentem annum coronationem Caroli rejiciunt, quia festum Nativitatis Dominicæ, quo facta est, initium anni constituunt, à nobis tamen non dissident, quoniam à Kalendis Januariis anni principium ducimus. At erroris argui debent cum suis asseclis Annalista Tilianus, & Marianus Scotus,

AN. CH. 800.

CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

quorum ille Carolum vult à Leone coronatum anno Christi secundo post octingentesimum, hic anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono.

LXXIII.

In Adonis Chronico *Carolus Imperator primus ex gente Francorum* dicitur. At in eodem Chronico hæc longè anteà de Anastasio Imperatore Constantinopolitano déque Clodoveo Francorum Rege præmittuntur. *Anastasius codicillos Chlodoveo Regi pro Consulatu misit. Ab ea die & Consul & Augustus est appellatus.* Utriusque textûs quærenda conciliatio. Multi Clodoveo titulum Imperatoris ab Anastasio communicatum negant. Lege quæ Tomo primo dicta sunt ad annum Christi quingentesimum octavum [a], ubi, cùm verba Gregorii Turonensis exponeremus, Imperium per Consulatum designari, & illo anno Clodoveum verè Consulem sive Imperatorem & Augustum appellari cœptum liquidò probavimus. Gemebat Roma sub Theodorico tunc Ostrogothorum Rege Arriano. Quapropter nonnulli Clodoveum non à Romanis sed à Francis Imperatorem appellatum observant. Hac distinctione præmissâ, primum ex Francorum gente Imperatorem vocatum à Romanis Carolum, à Francis Clodoveum asserimus. Nec defuerunt è Clodovei prosapia, qui se dicerent Imperatores in suis numis. Consule Tomum tertium ad annos septimi seculi, duodequadragesimum [b], duodeseptuagesimum [c], & septuagesimum-tertium [d]. Pippinus in jura Meroveadarum successit, & à Mariano Scoto vocatus est Imperator. Clarissimus hic sui temporis Historiographus Julium Cæsarem primum Romanorum Imperatorem agnoscit, deinde Octavianum, Tiberium, Caligulam, Claudium, ac successores recenset ad Leonem usque Quartum, cognomento Isauricum, Romanorum Imperatorem numero septuagesimum-sextum, cujus obitum eodem anno quo mortem Caroli Majoris-domûs & Gregorii Tertii Papæ consignat, anno videlicet Christi septingentesimo quadragesimo-primo, móxque tertium Chronicorum librum à Pippino prænominari Caroli filio sic orditur. *Romanorum 77, Pipinus, filius Caroli, primus Francorum Imperator, regnavit annis viginti-septem*, nempe ad annum usque Christi septingentesimum sexagesimum-octavum, ad quem sic habet. *Pipinus Imperator de Sancto Martino egressus, Parisiis ad Sanctum Dionysium vix perveniens, ibi morbo aquæ intercutis 9 Calend. Octobris obiit, & ibidem sepultus est. Romanorum 78, regnavit annis 46, mensibus quatuor, Carolus Magnus, filius Pipini.* Hæc obiter dicta volumus, ut arguas Bellarminum audacter asserentem, quòd *Imperatorem Romanum fuisse Pipinum nemo scripsit*, útque fatearis, extincto in Occidente Romanorum Imperio, nihil obfuisse, quominùs Francorum Reges ob potentiam, quâ ceteris præpollebant, Imperatores se Romanorum dicerent, quotiescumque vellent, ac præcipuè Carolus Magnus, qui priùs etiam quàm Româ potiretur, Antecessores suos amplitudine terrarum rerúmque gestarum gloriâ longè superavit. Atque hæc una ratio, si ceteræ defuissent, multùm conducere potuit, ut Romani, postquàm Carolo sponte se subdiderunt, ejus quoque capiti Coronam Imperialem cuperent imponi, factique compotes hujus voti faustissimas eruperint in acclamationes, quas retulimus suprà.

REGES FRANCORUM DICTI IMPP.

a Num. 37.
b Num 82.
c Num. 22.
d Num. 23. 33.

LXXIV.

E tribus filiis, quos Carolus educabat in spem hæreditatis erciscundæ, solus Pippinus aderat Romæ, cùm pater Imperii Coronam suscepit. Carolus omnium natu maximus in Austrasia remanserat, Aquitaniæ Regnum feliciter administrabat augebátque Ludovicus natu minimus, de quo sic Astronomus ad hunc annum. *Succedente æstate, Rex Carolus ad eum misit, mandans ut secum in Italiam proficisceretur, sed mutato consilio jussus est domi manere. Rege autem Romam pergente, ibidémque Infulas Imperatorias suscipiente, Rex Ludowicus Tolosam abiit iterum, atque inde in Hispaniam contendit. Cui Barzinnonæ appropinquanti Zaddo Dux ejusdem civitatis tanquam subditus occurrit, nec tamen civitatem dedidit. Quam transgrediens Rex, & Hilerdæ * superveniens, subegit illam atque subvertit. Quâ dirutâ, & ceteris municipiis*

LUDOVICUS ILERDAM EXPUGNAT IN HISPANIA.

* *Lerida*

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12. *vastatis ac incensis, ad Oscam* * *usque processit. Cujus agros segetibus plenos manus militaris secuit, vastavit, incendit, & quacunque extra civitatem sunt reperta, incendio depascente sunt consumpta. Quibus expletis, imminente jam hyeme, ad propria rediit.* Reliquit tamen aliquot copias ad urgendam Barcinonis obsidionem, ut patet ex antiquis Auctoribus quos ad annum sequentem citabimus. Cur autem eo modo se Zatus seu Zaddo gesserit, & Azan Oscæ Præfectus ea non impleverit, quæ anno priori pollicitus fuerat, hæc ratio reddi potest, quòd Alhaca Rex Cordubensis hoc anno, Regni sui quinto jam inchoato, quietè regnare cœperat, Zulemâ cæso in prælio, & Abdallâ altero patruo post varias clades ad pacata consilia converso. Totum hoc negotium Rodericus Toletanus in Arabum Historia [a] sic describit. *Ambo*, id est, Abdalla & Zulema, *nepotem suum, Albacam nomine, bellis indesinentibus impetebant, demùm collatis vexillis ad invicem dimicarunt, & Zulemâ ibi interfecto, Abdalla fugæ opprobrio derelictus Valentiam est reversus. Hoc fuit anno Arabum centesimo octuagesimo-quarto, anno Regni Albacam quinto. Mansit autem Abdalla Valentiæ prælio refrænatus & auxilio destitutus. Nepoti autem per nuntios supplicavit, ut securitatem & victualia indulgeret. Alhacam autem malitiæ jam oblitus concessit ei, ut Valentiæ moraretur, & mille aureos mense quolibet, & per annum quinque millia sibi dabat. Abdalla autem jam pacificus filios suos misit Regi, & Rex eos benignè recipiens, eorum uni sororem suam matrimonio copulavit, & sic terra à præliis conquievit.* Ceterùm annus Arabum centesimus octogesimus-quartus pridie Kalendas Februarii cœptus est hoc anno post Christum natum octingentesimo.

* *Huesca.*

[a] Cap. 21. vel 22.

LXXV. Guillelmus *Marlot* in Remensi Metropoli [b] varias affert opiniones, quæ Tilpini Remensis Archiepiscopi mortem diversos in annos rejiciunt. Illarum nulla nobis placet. Tilpinum hoc anno, Episcopatûs quadragesimo-septimo, mortuum arbitramur, stamus enim à Flodoardo [c], cujus hæc sunt verba de morte Tilpini. *Defunctus est anno sui Episcopatûs* XLVII.

[b] Lib. 3. c. 1.

TILPINI ARCHIEP. REMENS. OBITUS.

[c] Lib. 2. c. 17.

LXXVI. Apud Marlotum *Vincentius Bellovacensis, & Ferrarius in Topographia, nixi auctoritate Epitaphii ab Hincmaro confecti, quo* Tilpinus *dicitur Sedem Remensem annos quadraginta & ampliùs occupasse, putant eum obiisse an. 810. eò quòd Abel ejus prædecessor vitâ concessisse dicatur an. 763.* Hæc opinio non tam Hincmari quàm Flodoardi nititur auctoritate; quia Hincmarus fatetur quidem Tilpinum ultra rotundum numerum annorum quadraginta sedisse, sed quot ultra rotundum illum numerum addendi sint anni, non declarat; Flodoardus autem determinatè Tilpini Pontificatum annis septem & quadraginta circumscribit, nec aliter sentiunt prænominati Scriptores, ab anno enim 763 ad annum 810 numerantur anni septem & quadraginta. Totus illorum error in hoc consistit, quod non Miloni sed Abeli Tilpinum sufficiunt, & ad annum usque Christi septingentesimum sexagesimum-tertium vitam protogant Abelis, qui multò citiùs obiit Pippino nondum Rege. Si Miloni, cujus mors in annum Christi septingentesimum quinquagesimum-tertium incidit, Tilpinum subrogarent ut oportet, nobiscum omnino convenirent, nostræ nihilominùs opinioni plurimùm favent, ubi quem laudamus Flodoardum sequuntur, & Tilpinum Remensi Diœcesi per annos septem & quadraginta præfuisse constanter pronuntiant.

LXXVII. Alii, quos Marlotus irridet, obitum Tilpini post annum Redemptoris octingentesimum decimum rejiciunt, seque gloriantur fultos duabus Chartis à Doubleto publicatis in Antiquitatibus [d] San-Dionysianis. Unam observant datam Suessione, mense Augusto, Leone Tertio Papâ, Carolo Imperatore & annum Regni in Francia quadragesimum-quartum agente, id est, anno Christi 712, malè apud Marlotum 711. Alteram in Monasterio Sancti Dionysii scriptam exhibent *anno Domini nostri Jesu Christi octingentesimo decimo-tertio.* Priori *signum* apponitur *Turpini Rhemensis Archiepiscopi*,

[d] Lib. 3. c. 6.

posteriori *signum Turpini Remensis Archipræsulis*. At utraque commentitia est, ut suis locis ad illos annos ostendemus.

Præterea Marlotus [a] Chartam describit datam *anno Regni Domni Karoli* LXXVIII.
Augusti 46. Imperii autem 13. id est, anno decimo-tertio noni seculi, cùm [a] Lib. 3. c. 3.
Carolus annum in Imperio decimum-tertium adhuc ageret, & quadragesimum-sextum in Regno Franciæ post obitum Pippini patris jam inchoasset. Ibi mentio fit Tilpini Archiepiscopi & Abbatis adhuc superstitis. At supposititia est & hæc Charta, quam suo quoque loco refellemus.

In Annalibus Bertinianis hæc leguntur. *Rex Carolus celebravit Pascha in* LXXIX.
Aquis Palatio, anno Domini DCCLXXXIX. [*Hoc verò anno, ut computatum est, depositio fuit Domni Tilpini Episcopi* III *Non. Septembris.*] *Inde iter permotum partibus Sclavaniæ*, &c. Ex hoc textu novæ datur assertioni locus, & Tilpinus anno Christi septingentesimo undenonagesimo mortuus dicitur. Valido tamen argumento destituitur hæc opinio. Periodum enim, quâ nititur, insititiam esse jam demonstravit Franciscus Duchesnius, illam enim duabus his inclusit notis [ ] quæ suppositionis indicium produnt, idque patet ex ipso narrationis contextu, nam sublatâ periodo, quæ controversiam parit, purus ac genuinus manet Auctoris sensus. *Rex Carolus celebravit Pascha in Aquis Palatio, anno Domini* DCCLXXXIX. *Inde*, id est, Aquisgrano, *iter permotum partibus Sclavaniæ*, &c. Nec aliter scribit Annalista Loiselianus. *Celebravit Natalem Domini in Aquis Palatio, & Pascha similiter. Et immutavit se numerus annorum in* DCCLXXXIX. *Inde iter permotum partibus Sclavaniæ* &c. Addi potest & incertus Auctor in vita Caroli. *Celebravit Natalem Domini in Aquisgrani Palatio, & Pascha similiter. Indéque Rex profectus est in partes Sclavorum*, &c. Et Monachus Egolismensis. *Celebravit Natale & Pascha in Aquis Palatio. Inde iter egit in Sclavaniam*, &c. Hæc particula, *inde*, quam tot Auctores referunt ad Aquisgranum, ubi Rex Pascha celebravit, caret omni relatione, nec explicari potest, si præcedit periodus, in qua Tilpini mors memoratur. Ex Annalibus igitur Bertinianis, quos Franciscus Duchesnius [b] in lucem emisit, validum erui non [b] Tom. 3. Coll Hist. Franc.
potest argumentum, ut Tilpinus anno Christi septingentesimo octogesimo-nono mortuus asseratur.

Denique Marlotus Tilpini mortem anno Christi septingentesimo nona- LXXX.
gesimo-quinto consignat, & istam opinionem Favino velut auctori primario sic attribuit. *Favinus, cui nota fuit Charta restitutionis villæ de Novilliaco, ubi Tilpinus Archiepiscopus dicitur vixisse ann. 23 post datam Novilliacum villam à Carlomanno Rege, censet eum humana reliquisse an. 795. quod inde optimè deducitur, cùm ex Chronicis habeamus Carlomannum fato functum Regni anno 4. mense Decembri, æra Christi 771.* Et paulò pòst. *Favini opinio vero similior est, quam confirmat etiam trium Basilicarum apud Morinos consecratio, quas è Caroli gazis struxit Ingelbertus stupendo apparatu, quibus sacrandis ann. 798 cùm Episcopi provinciæ Rem. & Rotomagensis Archiepiscopus sese præsentes exhibuerint, Tilpinus verò interfuisse non legatur, haud leve argumentum est ante id tempus obiisse. Sic igitur cùm Tilpinus incœperit an. 756, sequitur rexisse per annos circiter quadraginta, ut habet Hincmarus in epitaphio.* In Notitia de villa Novilliaco, cujus lucubrationis author apud Sirmondum Hincmarus, hic occurrit textus. *Anno* IV *Regni sui infirmatus est Carlomannus infirmitate, quâ & mortuus est in Salmunciaco, & ante obitum suum per Præceptum Regiæ suæ auctoritatis, quod habemus, tempore Tilpini Archiepiscopi tradidit villam Novilliacum cum omnibus ad se pertinentibus, pro animæ suæ remedio & loco sepulturæ, ad Ecclesiam Remensem Sanctæ Mariæ, & Basilicam Sancti Remigii, in qua & sepultus est. Post cujus obitum, Carolus, frater ejus, Præcepto, quod habemus, suæ auctoritatis, ipsam traditionem confirmavit. Defuncto Tilpino Archiepiscopo anno* XXIII *postquàm Carlomannus Remensi Ecclesiæ villam Novilliacum tradi-*

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PEPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

dit, tenuit D. Rex Carolus &c. At hic textus opinionem Favini & Marloti non confirmat. Carlomannus paulò ante obitum, anno Regni quarto jam inchoato, id est, anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo, Novilliacum cum rebus ad eam pertinentibus pro animæ suæ remedio & loco sepulturæ tradit, annóque pòst vicesimo-tertio Tilpinus Archiepiscopus vitam cum morte commutat; ergo mors Tilpini non anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto ut Marlotus post Favinum contendit, sed anno Christi septingentesimo nonagesimo-quarto collocari debet. Deinde Marlotus, cùm Tilpini Pontificatum ordirur ab anno Christi septingentesimo quinquagesimo-sexto, eúmque ex Hincmari sententia post *annos circiter quadraginta*, sive *an. 795* mortuum scribit, non parum recedit ab Hincmaro. Hic enim non ait Tilpinum Ecclesiæ Remensi præfuisse per annos circiter quadraginta, sed *quadragenis ampliùs annis*, itaut numerum exhibeat quadragenario superiorem, non autem inferiorem ut sibi persuadet Marlotus, ubi Tilpinum anno sui Pontificatûs tricesimo-nono sublatum dicit ex hac vita. Tilpinus, ut Tomo superiore probavimus, anno Christi septingentesimo quinquagesimo-tertio factus est Archiepiscopus, si post annos unum & quadraginta decessit, obiit anno Christi septingentesimo nonagesimo-quarto, sive anno vicesimo-tertio postquàm Carolomannus Novilliacum pro animæ suæ remedio & loco sepulturæ tradidit, sícque fragmento Notitiæ de Novilliaco villa suprà descripto sua stat in omnibus auctoritas. Tutior tamen nobis videtur Historia Flodoardi, quæ Tilpinum non tantùm ex Hincmari mente *quadragenis ampliùs annis* agnoscit Archiepiscopum, sed etiam determinatè docet defunctum esse *anno sui Episcopatûs* XLVII, id est, hoc anno, Redemptoris octingentesimo. Centulensium autem Basilicarum consecrationi, de qua fusè disseruimus ad annos Christi septingentesimum nonagesimum-octavum & septingentesimum nonagesimum-nonum, ne præsens adesset Tilpinus Archiepiscopus, ætas senilis aut morbus aliáve res impedire potuit, nec ex ejus absentia validum eruitur argumentum, ut mortuus ante id tempus censeatur. Eget etiam emendatione Marlotus, cùm prædictas Basilicas, de quarum dedicatione loquitur, *apud Morinos* collocat. In Notitia enim provinciarum Galliæ, Belgica secunda, cujus Metropolis Remi, Morinos, Ambianos, aliósque populos complectitur. Ambianis contermini sunt Morini, de quibus ita Malbrancus capite primo sui operis. *Ad meridiem stipantur Ambianis partim trans Somonam, partim cis Somonam ad latus accolis.* Centulam autem ad Ambianos semper pertinuisse, atque etiamnum in Ambianensi constat esse Diœcesi.

LXXXI. RES GESTÆ. Gessit igitur Tilpinus Archiepiscopales Infulas annis septem & quadraginta. De tanti viri Pontificatu tam longo pauca admodum occurrunt, eáque fermè omnia in Ecclesiæ Remensis Historia, cujus Auctor Flodoardus, capite decimo-septimo libri secundi commemorantur. Magnam partem, ut occasio poscebat, variis jam locis [a] recitavimus; quæ supersunt, conglobatim hîc accipe. *Res Ecclesiæ diversa per loca direptas tam per se apud Regiam Majestatem, quàm per Actores Ecclesiæ, diversos apud Judices legibus obtinuit, & Ecclesiastico juri restituit, maximéque per quendam Achabbum, qui tam in Francia quàm etiam trans Ligerim pro rebus Ecclesiæ revocandis operosè laboravit, & tam prædia, quàm mancipia multa legibus evindicata Ecclesiæ reformavit. Possessionibúsque vel mancipiis à quibusdam dato pretio coemptis, rem auxisse Præsul iste reperitur Ecclesiæ, nonnullarum quoque jura villarum dispositis ordinasse coloniis. Sed & sacrarum Codicibus Scripturarum, quibus adhuc aliquibus quoque utimur, hanc instruxit Ecclesiam. In Cœnobio denique Sancti Remigii Monachos ordinasse, ac Monasticâ vitâ eos traditur instituisse, cùm Canonicos* SEPULTURA. *priùs idem Cœnobium à tempore Gibehardi Abbatis, qui eandem Congregationem ob amorem Dei, & Sancti Remigii reperitur aggregasse, ad hoc usque tempus habuisse*

[a] An. 753. n. 71. a. 765. nn. 55. 56. a. 771. n. 62. a. 772. n. 36. a. 775. nn. 25. & seqq.

huisse feratur. Præterea multi sub hujus Præsulis Episcopatu res suas ad Ecclesiam, tam Sanctæ Mariæ, quàm Sancto Remigio, contulerunt. Qui Præsul defunctus est anno sui Episcopatûs XLVII. *cujus corpus ad pedes Sancti Remigii tumulatum hujusmodi cernitur habere titulum.* AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

Hoc requiescit humo Tilpinus Præsul honoris,
Vivere cui Christus vita & obire fuit.
Hunc Remi populo Martyr Dionysius almus
Pastorem vigilem misit, & esse Patrem.
Quem pascens quadragenis est amplius annis,
Veste senectutis despoliatus abit.
Quartas cùm Nonas mensis September haberet,
Mortua quando fuit mors sibi vita manet.
Et quoniam locus atque gradus hos junxerat, Hincmar
Huic fecit tumulum, composuit titulum.

Marlotus [a] nonnullas habet observationes, quæ textum hunc Flodoardi plurimùm illustrare possunt. LXXXII.

Imprimis observat, à Tilpino non Ecclesiam modò Cathedralem de qua Flodoardus, sed & Ecclesiam Sancti Remigii sacrarum Codicibus Scripturarum instructam fuisse, additque vetus adhuc extare Pontificale, Tilpini curâ descriptum, raræ antiquitatis, in Remigiana Bibliotheca. LXXXIII.

Deinde non tantùm observat cum Flodoardo Monachos à Tilpino Canonicis seu Clericis apud Sanctum Remigium substitutos fuisse, sed & eundem Tilpinum, quòd Sancti Remigii Basilicam senio detritam à fundamentis instauravit, Monachalis illic ordinis restitutorem, Rectorem atque Abbatem vocat. Super tempore, quo facta hæc mutatio non benè sibi constat, Monachos enim introductos ait *favente imprimis Carolo Magno, anno circiter 766.* Carolus autem ante Carolomanni fratris obitum, sive ante annum Christi septingentesimum septuagesimum-primum Remis haud regnavit. Carolo igitur Monarchiam Francorum jam adepto, Tilpinus (incertum quo anno) Monachos in Cœnobio Sancti Remigii constituit. Utrùm autem primus collocarit, an à Gibehardo quondam eliminatos restituerit, aut anteà restitutos invenerit, in controversia ponit relinquitque Marlotus, auctoritate Flodoardi cùm propter ætatem tum propter loquendi formulam elevatâ. Scribebat Flodoardus decimo seculo, Canonicus erat Remensis, ideóque potiorem sibi fidem conciliat. Ab eo, licèt quid dubitanter referre videatur, haud existimamus temerè recedendum, donec aliunde contrarium innotuerit. De Tilpino Archiepiscopo déque Gibehardo Abbate sic locutus invenitur. *In Cœnobio Sancti Remigii Monachos ordinasse, ac Monasticâ vitâ eos* Tilpinus *traditur instituisse, cùm Canonicos priùs idem Cœnobium à tempore Gibehardi Abbatis, qui eandem Congregationem ob amorem Dei & Sancti Remigii reperitur aggregasse, ad hoc usque tempus habuisse feratur.* De Gibehardo fidenter asseruit, quòd *Congregationem* Canonicorum *ob amorem Dei & Sancti Remigii* aggregavit. Voces verò, *traditur* & *feratur*, quibus usus est, cùm Canonicos in Cœnobio Sancti Remigii ad Pontificatum usque Tilpini permansisse, vel iisdem Canonicis Monachos ab ipso Tilpino substitutos dixit, subterfugio quidem & excusationi dabunt locum, si quam super his rebus dubitationem movere volueris, at Auctori tam probæ notæ ultrò acquiesces, cùm quod opponatur, ex antiquioribus monumentis, post varias indagationes, nihil omnino poteris subodorari. Tempus ignoratur, quo Gibehardus vixit; ex Flodoardi textu censemus eundem Gibehardum congregatis Canonicis primùm Remigiani Monasterii Abbatem extitisse, atque antiquiorem Epiphanio, cujus meminit Gregorius Turonensis [b] ad annum Childeberti Regis decimum-quintum, id est, ad annum Christi quingentesimum nonagesimum. In illo igitur Cœnobio à temporibus Gibehardi Congregatio Canonicorum perstitit LXXXIV.

[a] Lib. 3. cc. 1. & seqq.

[b] Lib. 10. c. 19.

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

usque ad Tilpini Pontificatum, cujus initium in annum Christi septingentesimum quinquagesimum-tertium incidit.

LXXXV. Tertiò Marlotus observat *corpus* Tilpini *ad pedes Sancti Remigii tumulatum esse, non ubi primò Sanctus hic confessor sepulturam habuit, sed ubi tunc erat, post primam Translationem*, de qua sic Flodoardus [a]. *Sepulto in prememorata* Sancti Christophori *Basilica Beatissimi Remigii corpore, cùm multa stupendáque in eadem per Domini gratiam fierent Miracula, dilatata & exaltata est ipsa Ecclesia, factáque crypta post altare, in qua transferretur pignus venerabile, detegunt humo loculum, quo præparatum deponant in antrum, sed ipsum penitus movere non possunt. Superveniente verò nocte, multis accensis luminaribus, circa noctis medium sopor excubantes occupat omnes. Quibus evigilantibus, invenitur transvectus sacro cum thesauro sarcophagus, in præparatum non nisi manibus Angelicis habitaculum deportatus. Tantáque cuncti replentur odoris suavitate, quantam lingua non valet humana propalare. Quæ delectationis amœnitas in eadem, per totam diem illam, sed & in crastina, perseveravit Ecclesia. Hac igitur die Translationis ejus, scilicet Kal. Octob. cum divinis laudibus sumptæ sunt Reliquiæ de capillis ejus, & casulâ, tunicâque ejus, & integrum, licèt exsiccatum, corpus ejusdem rubeo constat brandeo involutum.*

[a] Lib. 1. c. 20.

LXXXVI. Quartò Marlotus observat epitaphium Tilpini, quod ex Flodoardo descripsimus, *parieti juxta majus altare affixum esse, Abbatum curâ, qui ultima instaurationi Basilica, quæ stat adhuc, incubuerunt.*

LXXXVII. Denique observat diem, quo Tilpinus obiit, *diversimodè* legi. Tilpinus enim in Necrologio Remensi & in Codice Igniacensi Kalendis Septembris, in Annalibus Bertinianis tertio Nonas Septembris, in præcitato epitaphio quarto easdem Nonas mortuus dicitur.

LXXXVIII. Pietatem Tilpini, præter ea, quæ superiùs ex Flodoardo commemorata sunt, commendat etiam insignis munificentia, quâ Reliquias Sanctorum Martyrum Timothei & Apollinaris in ditiorem tumulum transtulit. Sic enim idem Auctor [b]. *Eorum*, nempe Martyrum proximè nominatorum, *corpora Domnus Tilpinus Archiepiscopus veteri permovens tumulo, sepulchrum ipsorum decenter argento decoravit & auro.*

[b] Lib. 2. c. 4.

LXXXIX. PSEUDO-HISTORIA. Inter veteres rerum Germanicarum Scriptores, qui prodierunt ex Bibliotheca Justi Reuberi, circumfertur Historia Joannis Turpini Remensis Archiepiscopi *de vita Caroli Magni & Rolandi*, quæ distribuitur in capita duo & triginta, tótque scatet mendis & anachronismis, ut tempus in refutatione consumere piaculum videatur. Flodoardus de Turpino seu Tilpino, de Carolo scripserunt Auctores quamplurimi, cùm Annalistæ, tum Biographi, nullus tamen in tanto numero reperitur, qui Tilpinum cum Carolo Rege bellis interfuisse prodat. Hæc ratio sufficiat, ut libellum, quem Tilpino abjudicamus, homini tribuas otioso, qui post Carolum Calvum, ut quidam jam censuerunt [c], imò post Flodoardum vixit.

[c] Papyr. Masson. l. 6.

XC. Tilpinum in Archiepiscoporum Remensium Catalogo sequitur Wlfarius. Sedente horum Archiepiscoporum alterutro, Carolus *homines de Celto* *, *quoniam Vicedominum Ecclesiæ Remensis in eadem villa necarunt, exterminavit, cadis auctoribus interfectis, & consentientibus per diversas provincias dispersis, atque perpetuo condemnatis exilio, ac de ceteris hujus Episcopii villis eadem restaurari fecit.* Lege Tomo primo ad annum Christi quingentesimum duodecimum [d] divinam ultionem in Celtenses homines, qui Sanctum Remigium per contemptum ob prolixam ætatem *Jubilaeum* vocabant, & ignem in annonam ab eo collectam per insigne flagitium immiserant. Vindicta, quâ tunc mulctati sunt, ad ætatem usque Caroli Magni & ad cædem prædicti Vicedomini Remensis perduravit. *Et aptè quidem*, inquit Flodoardus [e], *vir Dei* Remigius, *quoniam posteros eorum rebelles ac seditiosos fore providit, hujusmodi vindictâ non solùm præsumptores, sed etiam genus ipsorum plecti decrevit.*

* Cernay.

[d] Num. 3.

[e] Lib. 1. c. 17.

AN. CH. 800.
CAROLI R. 32.
PIPPINI LUDOV. R. 20.
CAROLI R. 12.

XCI.

Marlotus post Tilpini mortem, quam anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto consignat, Interpontificium agnoscit ad annum usque Christi octingentesimum secundum vel sequentem, quo Wlfarium ordinatum Archiepiscopum contendit. In hujus opinionis confirmationem Notitiam de villa Novilliaco & Diploma Ludovici Pii citat. In Notitia de villa Novilliaco, quam Sirmondus Historiæ Flodoardi subjecit, hæc leguntur. *Defuncto Tilpino Archiepiscopo anno* XXIII, *postquàm Carlomannus Remensi Ecclesiæ villam Novilliacum tradidit, tennit D. Rex Carolus Remense Episcopium in suo dominatu, & dedit villam Novilliacum in beneficio Anschero Saxoni, qui nonas & decimas ad partem Remensis Ecclesiæ de ipsa villa usque ad mortem persolvit.* Ista in Ludovici Pii Diplomate, quod Historiæ Remensi Flodoardus [a] inseruit. *Pro remedio animæ Domni ac genitoris nostri, atque cæterorum prædecessorum nostrorum, qui eundem* Remensem *Episcopatum contra salutem suam aliquandiu tenuerant, & in suos usus contra Ecclesiasticas Regulas res ac facultates Ecclesiæ ipsius expenderant, & ob hoc minùs quàm debuerat utilitatis sacris locis in eodem Episcopatu constitutis exinde provenerat.*

[a] Lib. 2. c. 19.

XCII.

Remensem Archiepiscoparum post Tilpini mortem annis, ut Marlotus opinatur, vacasse vel septem vel octo non existimamus. Interpontificium negari non potest, sed ultra biennium produci non debet, quia Tilpinus ad hunc usque annum superstes decessit Carolo iter in Italiam jam aggresso, actúmque de successore, postquàm Carolus cis Alpes reversus est. Interim Carolus Anschero, cujus operâ in bellò Saxonico sæpè usus fuerat, Novilliacum villam in beneficio dedit. Notitia de Novilliaco non benè sibi constat. In illa lucubratione, ab anno quarto Carolomanni Regis, qui tunc *tradidit villam Novilliacum ad Ecclesiam Remensem Sanctæ Mariæ & Basilicam Sancti Remigii*, numerantur *anni* XXIII ad obitum usque Tilpini Archiepiscopi, eóque mortuo tenet *Dominus Rex Carolus Remense Episcopium in suo dominatu*, & dat *villam Novilliacum in beneficio Anschero Saxoni*, tamen inferiùs Remensis Ecclesia villam eandem, postquàm Carolomannus illam tradidit, *per annos* XXXVII habuisse dicitur. Hæc inter se non conveniunt. Anni XXIX utrobique testituendi, ut habeatur annus Redemptoris octingentesimus, quo Tilpinus Remensis Archiepiscopus obiit, & Carolus Rex Anschero Saxoni Novilliacum villam in beneficio dedit.

XCIII.
IIDEM ARCHIEPISCOPI REMENSES QUI ABBATES REMIGIANI.

Tilpinus Archiepiscopus, Monachalis Ordinis apud Sanctum Remigium institutor, illius quoque loci Rector & Abbas fuit. Eundem titulum diu retinuerunt Archiepiscopi Remenses, qui simul & Abbates erant & Archiepiscopi. Sed, ne quid detrimenti Monastice caperet, sub se Præpositos habebant, qui curam Regularis disciplinæ gererent. In horum numero primus fuit Erchenraus, qui munus illud obiit cum laude sub Tilpino ejusque successore Wlfario. Lege Marlotum [b] in Abbatum Præpositorúmque Remigianorum Catalogo.

[b] Lib. 3. c. 4.

XCIV.
VULFINUS DIENSIS EP.

Apud Joannem Columbum & Sammarthanos Sanctus Vulfinus hoc anno sedet Deensis Episcopus. Columbus in libro de Gestis Diensium Episcoporum citat Larivierium, Diense Breviarium Sammarthani, addúntque vitam Sancti Marcelli Diensis quondam Episcopi compositam ab eodem Sancto Vulfino. Gessit igitur Deensem Episcopatum Ulfinus seu Vulfinus post Desideratum, antecessitque Remigium de quo sermonem Tomo sequenti faciemus.

XCV.
ELEPHANTUS UCETIENSIS EP.

Apud Sammarthanos hoc eodem anno commendatur Elephantus Ucetiensis Episcopus. Hic in Episcopatum successerat Arimundo, de quo locuti sumus ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-primum.

XCVI.
ROGERIUS CARCASSON. EP.

Apud eosdem Auctores, qui Carcassonensium Comitum Historiam à Guillelmo Besso editam citant, laudatur circa hunc annum Rogerius Carcassonensis Episcopus, qui fidem Orthodoxam in ea civitate restauravit, profligatâ videlicet hæresi, quam Felix Urgellensis Episcopus per Septima-

AN. CH. 800. niam disseminarat. Successit autem Rogerius Scipioni, qui Narbonense Concilium adversus eundem Felicem anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo cum prædictis Episcopis Desiderato Deensi & Arimundo Ucecìensi celebrarat.

XCVII. EPISCOPI LUCENSES, PAPIENSES, ET VOLATERRANI. Jacobus Lucensis Archidiaconus, Joannis Episcopi anno priore mortui frater, Episcopatum hoc anno adipiscitur. Petrus Papiensis Episcopus obit. Alter Petrus Volaterranus Episcopus floret. Sedes autem Papiensis ad annum usque sequentem vacat. Lege Ughellum Tomo primo.

XCVIII. ABBATES ELWACENSES, Apud Bucelinum hoc anno in secunda parte Germaniæ Sacræ, Orbaldus Grimoldo Abbati Elwacensi succedit, & regimen Monasterii gerit annis decem. Situm hoc Cœnobium in Episcopatu Augustano, ut & Ottenburanum, cui Tuto seu Toto præest. Idem Auctor Syllachum Comitem, qui Monasterium Ottenburanum anno Christi septingentesimo sexagesimo-quarto construxit, in Monasteriologia Imperii Germanici laudat, eique tres filios attribuit, Gaucibertum sive Gozbertum, Tutonem, & Tagibertum. Tuto lucis usuram accepit anno Christi septingentesimo tricesimo-septimo; OTTENBURANI, Clericus erat, cùm erectum est Ottenburanum Monasterium; vitâ Monasticâ pòst susceptâ, primus Abbas illius loci factus est anno Christi septingentesimo sexagesimo-nono, præfuitque maxima cum laude per annos duodequinquaginta.

XCIX. ET S. SIGISMUNDI. Jodocus Coccius, capite decimo-sexto Dagoberti Regis, aliquot commemorat Abbates, qui Cellam Sancti Sigismundi rexerunt in Episcopatu Argentoratensi seu Strasburgensi. Catalogum orditur à Sanctis Immerio & Severino, quorum mentionem Tomo quarto fecimus ad annum Christi septingentesimum secundum [a], quo Severinum Immerio successisse diximus. Duorum Abbatum, qui Severinum proximè secuti sunt, observat desiderari nomina. Tum subjungit Arbogastum, eúmque asserit obiisse hoc anno Redemptoris octingentesimo. Dehinc subrogat Nicolaum, qui Carolo Magno & Ludovico Pio supervixerit.

[a] Num. 33.

C. Tomo secundo Alamannicarum Antiquitatum legitur authentica conventio & unanimitas precum hoc anno facta inter Monasteria Sancti Galli & Augiæ sita in Episcopatu Constantiensi ad Rhenum. Annus in publico instrumento sic notatur, *anno ab Incarnatione Domini* DCCC. Notatur & Regnum Caroli, sic, *regnante Domno Karolo.* Ideóque expungendi qui sequuntur Tituli Cæsaris & Augusti, *Serenissimo Casare Augusto.* Textus enim sic habet. *Anno ab Incarnatione Domini* DCCC. *regnante Domno Karolo, Serenissimo Casare Augusto, facta est conventio & unanimitas precum*, &c. Deletisque vocibus, *Serenissimo Casare Augusto*, sic restitui debet. *Anno ab Incarnatione Domini* DCCC. *regnante Domno Karolo, facta est conventio & unanimitas precum, hujus scilicet Sancti Galli & Augiensis Cœnobii, sub Abbatibus videlicet Domna Werdone atque Waltone, qui primitus cum fratribus ex utroque loco in hac communione consentientibus instituerunt, ut quandocumque frater aliquis obierit, & loco vel senioribus ibidem commorantibus adnuntiatum fuerit, eo die Presbyteri tres Missas, & ceteri fratres pro eo Psalterium ac celebrationem Vigiliæ decantent, communisque oblatio ab omnibus fiat. Item in die septimo* XXX *Psalmos: tricesimo autem Presbyteri omnes pro eo unam Missam, & ceteri* L *Psalmos impleant. Ceterùm Vigilias pro defunctis in capite singulorum mensium ex more jugiter celebremus, in quibus Vigiliis omnium simul defunctorum fratrum, qui in nostro consortio coadunati sunt, commemoratio fiat, eóque die commemoretur & nomen nuper defuncti, fiatque oblatio omnium fratrum simul tam pro illo quàm & generaliter pro omnibus. Et post hæc unusquisque Presbyter cantet unam Missam, & ceteri fratres* L *Psalmos. Præter hæc quoque semel in anno sub die* XVII *Kal. Decemb. commemoratio omnium simul fiat pro annuali singulorum videlicet defunctorum memoria, ipsáque die Presbyteri ternas Missas, & ceteri fratres Psalterium decantent, ac celebratio Vigiliæ, communisque oblatio ab omnibus fratribus*

SOCIETAS PRECUM INTER MONASTERIA SAN-GALLENSE ET AUGIENSE.

AN. CH. 800.

fiat. Werdo San-Gallensi Monasterio præerat ab anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto, Augiensi Walto ab anno Christi septingentesimo octogesimo-sexto. Hic administrationem Augiensem annis viginti gessit, ille San-Gallensem annis duobus ac triginta.

ABBATES S. CRUCIS.

CI. Adam Abbas, cùm Sanctæ Crucis Monasterio prope Meldas annis viginti præfuisset, hoc anno decessit. Successit Grimoaldus. Hæc habet Codex manuscriptus, quem citare consuevimus, nec Sammarthani refragantur in Gallia Christiana [a]. Tunc Meldensis Episcopus erat Hildericus sive Hildricus, Bruneri sen Pruneri, cujus mentionem Tomo superiore fecimus, proximus successor.

[a] Tom. 4

HILDERICUS EP. MELDENSIS.

ABBATES GEMMETIC.

CII. In eadem Gallia Christiana & in Neustria Pia commendatur hoc anno Helizagar sive Helisagarus Gemmeticensis Abbas, Adami à nobis suo loco laudati proximus quoque successor. Post eundem Helisagarum Angilbertus & Ansegisus, qui solis noti sunt nominibus, Asceterium Gemmeticense gubernarunt, quamdiu Carolus Magnus in vivis superstes fuit.

DEODATUS CLERICUS MUNIFICUS ERGA MON. SITIVENSE.

CIII. Hoc anno, Caroli Regis tricesimo-secundo, mense Augusto, Deodatus Clericus terras suas, in diversis Morinorum locis, in Sancto, in Ascio, in Fresinnio, in Hildwaldeurte, & in Lonasto sitas, Monasterio Sitivensi transcripsit. Ipsam Donationis Chartam penè integram per partes libro quinto [b] de Morinis inseruit Malbraneus.

[b] Cap. 38.

CIV. Primò, Deodatus Donationem suam sic exponit. *Ego Deodatus Clericus peccator res portionis mea in locis nuncupantibus in Sanctum, & in Ascio super fluvio Widolaci, & in Fresinnio super fluvio Caprinno, & Hilwaldcure, & in Lonasto super fluvio Abbunfontana in pago Taruannense, & Ecclesiam Sancti Martini vestra Ecclesia transfirmo.* Hæ voces, *vendo, trado, transfirmo*, in usu erant, ut contractus rati fixique fierent. Id Malbrancus [c] ad aliam Chartam notat. De situ locorum à Deodaro nominatorum quid idem Auctor sentiat, paucis accipe. Sanctum & Ascium vici sunt ad Paulopolim *, vulgò *Sains* & *Ayx*. Duplex autem est Ascium; unum ad Widolacum, alterum ad Quanriam, illud prope Paulopolim, hoc inter Hedenam * novam & Monstrolium, vulgò *Ayx en Nisart.* Ascium Paulopolense deligimus, quia Sitivenses Ascetæ decimas illic suas etiamnum colligunt. Fresinnium, quia super Caprino flumine collocatur, Hedenense Fresinnium est, Caprinus enim fluvius nomen mutuatur à propinquo nemore, quod hodieque *Canron* nominatur. Hildwaldcurt hodiernus fortè vicus *Onderwic.* Lonastum vulgò *Loon.*

[c] Lib 5. c. 26.

* *Saint Pol.*

* *Hesdin.*

CV. Secundò, Deodatus res suprà memoratas Sitivensi Monasterio transcribit, ut procurandis Ascetarum vestibus inserviant, *ad emendos*, ut ait, *drappos & kamisias ultramarinas, quæ vulgò berniscrist vocitantur.* Hinc apparet illas voces, *draps* & *chemises*, quibus etiamnum utimur, antiquum Gallicismum sapere, uti *berniscrist* Theutonismum. Porrò duo illa idiomata in usu fuerunt apud Gallos ætate Caroli Magni.

CVI. Tertiò, Deodatus paciscitur, ut, quoad vivet, res prædictas per precariam habeat. *Ipsam*, inquit, *rem nec dare, nec vendere, nec commutare, nec naufragare pontificium*, id est, disperdendi potestatem, *non habeam, sed vestro beneficio possideam.*

CVII. Quartò, Deodatus hos Chartæ suæ Characteres apponit. *Actum Sanctis publicè. Datum in mense Augusto die III. anno XXXII Regni Domini nostri Karoli Gloriosissimi Regis.*

ALIÆ PIÆ DONATIONES.

CVIII. Hoc eodem anno, Caroli Regis tricesimo-secundo, mense Septembri, Esurwinus, Hildiradus, & Irminwinus; deinde Folchardus, Gerhardus, Wisil, & Helmberhtus, Luidgero Presbytero & Abbati Werthinensi multa bona tradiderunt, ut apud Henschenium [d] legere est in Commentario prævio vitæ Sancti Luidgeri.

[d] D. 26. Mart.

AN. CH. 800. CAROLI R. 32. PIPPINI LUDOV. RR. 20. CAROLI R. 12.

Esurwinus, Hildiradus, & Irminwinus, sic. *Placuit nobis cohaeredibus & comparticipibus in uno patrimonio, his nominibus, Esurwino, Hildirado, & Irminwino, Liudgero Presbytero postulante, tradere ad Reliquias Sancti Salvatoris, quas ipse Liudgerus semper secum gestat, & in manus ejusdem Presbyteri, aliquam particulam haereditatis nostrae in eleemosynam nostram, quod & fecimus hoc modo. Tradidimus in propria haereditate & dominatione nostra in sylva, quae dicitur Heissi, comprehensionem illam, quam ipse Liudgerus ibi desideravit, & Hildiradus in nostro nomine comprehendit simul cum eo, & consignavit ad Reliquias supradictas Sancti Salvatoris, & in manus ejusdem. Presbyteri simili modo tradidimus & dominationem aliquam in eandem superius adjacentem. Haec comprehen-*

CIX. *sio, quam tradidimus, juxta illas comprehensiones contigua est & cohaerens à summo usque ad finem, quas Heimricus & Hluduwinus ad easdem Reliquias & ipsi Liudgero ante annos aliquot tradiderunt.* &c. *Acta est autem publicè, in ipso loco, qui dicitur ad Diapanbeci, anno* XXXII *Regni Religiosissimi Regis Carli, sub die* XV. *Kal. Octob.* Heimrici Donationem, cujus hic mentio, retulimus ante quadriennium, ut & anno superiore Donationem Hluduwini.

CX. Sequitur Donatio Folchardi & consanguineorum. *Nos cohaeredes & comparticipes & consanguinei, his nominibus, Folchardus, Gerbardus, Wisil, & Heimberhtus, tradidimus agrum haereditarii juris nostri in Withmundi, Liudgero Presbytero & Abbati, ad construendam in eo Ecclesiam in Aquilonali latere agri illius, quem à Wrachario Comite, tradente ipso, Liudgerus suscepit.* &c. *Acta est autem publicè, in loco ipso, qui dicitur Withmundi, anno* XXXII *Regni gloriosissimi Regis Carli, sub die* XIII *Kal. Octob.* Wacharii Donationem laudavimus ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-quartum [a], quo facta est.

[a] Num. 107.

CXI. FINDANUS POST VARIAS PEREGRINATIONES FIT MONACHUS AUGIENSIS.

Hoc anno Findanus *in Rinaugia*, id est in Augia ad Rhenum sive in Augia divite Monachum induit. Id constat ex ejus Actis, quorum initium in epitomen redactum accipe. Findanus genere Scotus, sive Hibernus, civis provinciae Laginensis, collectis sociis acceptâque Episcopi sui licentiâ Gallias adiit. Turonos primùm seu *Martini sedem* petiit, posteà Franciam, Alamanniam Longobardiámque peragravit, ac pedestri demùm itinere Romam pervenit. Inde reversus nobilem virum convenit in Alamannia, quocum quatuor annis in Clericatu permansit, ac singularis abstinentiae specimen edidit. Expleto quadriennio, *senior ejus in Monasterio, quod Rinaugia vocatur, eum monachizari fecit anno Dominicae Incarnationis* DCCC. *aetatis verò suae* LI. Agit de Fintano Bucelinus ad annum Redemptoris octingentesimum quintum in sacra & prophana Rhaetiae Chronologia. Nos sermonem de illo rursum ad eumdem annum faciemus, ostendemúsque Bucelinum à praecitatis Actis multùm dissidere. Sufficiat hoc loco notasse, quòd quem Laginensis provinciae civem constituit Auctor vitae, Bucelinus *Laginiae Principis in Hibernia filium* dicit.

CXII. ECCLESIA NEBIENSIS IN CORSICA REPARATUR. ECCLESIARUM CORSICANARUM VARIAE VICISSITUDINES.

Cathedrales Ecclesiae, quas in Corsica Mauri penitus everterant, instauratae sunt à Francis Insulâ potitis. Nebiensis hoc anno reparata dicitur, ut aliâ occasione per antecessum jam praemisimus [b]. Aetate Caroli Magni, duae duntaxat erant in Corsica civitates Episcopali Sede nobiles, Mariana videlicet & Nebium, nec plures in illa fuerunt Insula quandiu Francis paruit. Paschalis Papa, cujus Pontificatus anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo coepit, Corsicam, ut in Episcopis Aleriensibus & Sagonensibus ab Ughello [c] scriptum reperies, in quinque Dioeceses distribuit, seu conditis seu restauratis Episcopatibus, Adjacensi, Sagonensi, & Aleriensi. Id autem non antè praestitit, quàm factus est Insulae Dominus ex munificentia Ludovici Pii. Porrò Corsica, statim ac in Francorum potestatem venit, attributa est provinciae Romanae, cujus pars fuit ad annum usque Christi millesimum nonagesimum-secundum, quo Urbanus Secundus Papa Pisas Metropolitanâ dignitate decoravit, novaeque Metropoli Corsicanas

[b] Ad. a. 776 n. 41.

[c] Tom. 3. Ital. Sacr.

Diœceses deinceps subesse voluit. Pontificium Diploma recitat Ughellus in Daiberto primo Archiepiscopo Pisano. Quinque tunc Episcopatus erant in Corsica, quos suprà nominavimus. Sextum adjecit Innocentius Secundus anno Christi millesimo centesimo tricesimo-tertio. Literis enim, quas apud eundem Auctorem [a] in Syro primo Archiepiscopo Januensi consulere poteris, Acciensem Ecclesiam Cathedralem fecit; Jannensem, quæ Mediolanensi subjacebat, Metropolitanam constituit, eique tres Episcopatus in Corsica, Marianensem videlicet, Nebiensem, & Acciensem subjecit, tribus aliis, id est, Aleriensi, Sagonensi, & Adjacensi, sub Pisana Metropoli relictis. Talis permansit Ecclesiasticus Corsicæ status ad tempora usque Pii Quarti, qui Pontificatum iniit exeunte anno Christi millesimo quingentesimo undesexagesimo, & Acciensem Episcopatum Marianensi conjunxit. Abhinc quinque duntaxat in Corsica fuerunt suntque etiamnum Diœceses, tres sub Pisano Metropolita, duæ sub Januensi; sub Pisano, Sagonensis, Aleriensis, & Adjacensis; sub Januensi, Marianensis & Nebiensis. Hæc autem adeò diligenter exploramus, ut meliùs ea capias, quæ Tomo sequenti [b] dicturi sumus de Metropolibus, quarum mentionem Carolus Augustus in suo Testamento fecit, & quæ minùs accuratè dicta sunt superiùs ad an. 776 in fine num. 41, vel deletis vel emendatis, Corsicam, ex quo venit in Francorum potestatem, Romanæ provinciæ semper attributam haud credas, *donec ab Innocentio Secundo Papa in Metropolim erecta est Genua*, sed donec ab Urbano Secundo Pisæ, ab Innocentio Secundo Genua in Metropoles erectæ sunt, quibus deinceps subesse non destiterunt Præsules illius Insulæ.

CXIII. Licèt Ughellus in Adjacensium, Aleriensium, & Sagonensium Episcoporum Catalogis, nullum nominet ante tempora Paschalis Papæ, qui Corsicam à Ludovico Pio Augusto sibi traditam in quinque Diœceses distinxit, longè tamen antiquior est Episcopalium Sedium apud Adjacium & Aleriam memoria, ut ex Registro Gregorii Magni liquet. Gregorius scribit [c] *Leoni Episcopo in Corsica*, eique visitationem Aleriensis Ecclesiæ, quæ caret Episcopo, sic injungit. *Quoniam Ecclesiam Aleriensem ante annos plurimos, obeunte ejus Pontifice, omnino destitutam agnovimus, fraternitati tuæ visitationis ejus operam duximus injungendam.* Scribit [d] *Martino Episcopo in Corsica*, eique, ut de Tamitana Ecclesia in Aleriensem transeat, ita præcipit. *Quoniam Ecclesia Tamitana, in qua dudum fuerat honore Sacerdotali tua Fraternitas decorata, ita est delictis facientibus hostili feritate occupata atque diruta, ut illuc ulteriùs spes remeandi nulla remanserit; in Ecclesia Aleriensi, quæ jam diu Pontificis auxilio destituta est, Cardinalem te, secundùm petitionis tuæ modum, hac auctoritate constituimus sine dubio Sacerdotem.* Tamitanus Episcopatus nusquam reflornit, felicior fuit Aleriensis sub eodem Gregorio, qui post quinquennium ex quo Martinum in Aleriensi Ecclesia Cardinalem Episcopum constituerat, scripsisse reperitur [e] *Petro Episcopo Aleriensi de Corsica*, rursúmque post biennium [f] *eidem Petro Episcopo Corsicæ.* Triennio vix exacto questus est iterum, quod eadem Aleria atque etiam Adjacium sine Episcopis essent. *Experientia tua*, inquit [g] in literis ad Bonifacium Defensorem Corsicæ, *non sine culpa est, quòd Aleriam atque Adjacium civitates Corsicæ diu sine Episcopis esse cognoscens, Clerum & populum earum ad eligendum sibi Sacerdotem distuleris commonere.* Paschalis igitur Papa, cùm Corsicam, quæ duas tantùm Sedes Episcopales, Marianensem videlicet ac Nebiensem sub Francis habuerat, in quinque Diœceses separavit, Episcopalem dignitatem Aleriæ & Adjacio restituit, novúmque apud Sagonam Episcopatum erexit.

[a] Tom. 4. Ital. Sacr.

[b] Ad an. 812.

[c] Lib. 1. ep. 76 Ind. 9.

[d] Lib. 1. ep. 77. Ind. 9.

[e] Lib. 5. ep. 92. Ind. 14.

[f] Lib. 7. ep. 2. Ind. 1.

[g] Lib. 9. ep. 74. Ind. 4.

AN.CH. 801.
CAROLI IMP. 1.
PIPPINI LUDOV. RR. 21.
CAROLI R. 13.

ANNUS

CHRISTI		801.		
CAROLI	IMP.	1.		
	REG.	33.	30.	28.
PIPPINI II.	REG.	21.		
LUDOVICI	REG.	21.		
CAROLI	REG.	13.		
INDICTIO		9.		

I. CAROLUS IMP.

CAROLUS, ut Italiam atque universam Christianam rempublicam ordinaret, officio suo convenire ratus, anno Redemptoris octingentesimo primo, quod reliquum hyemis fuit, ei curæ diligenter impendit cum vere proximo atque æstatis parte non modica, & ex ipsa Urbe Roma non discessit ante diem vicesimum-quintum Aprilis, postquàm illic quarto ejusdem mensis die Pascha celebrasset.

II. PLECTIT AUCTORES SEDITIONIS IN PP. COMMOTÆ.

Post paucos dies, ex quo videlicet Imperatoris & Augusti nomen assumpserat, *jussit eos, qui Pontificem anno superiore deposuerant, exhiberi, & habitâ de eis quæstione secundùm Legem Romanorum ut Majestatis rei capite damnati sunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorem intercessit. Nam & vita & membrorum integritas eis concessa est. Ceterùm pro facinoris magnitudine exilio deportati sunt. Hujus facinoris fuere principes Paschalis Nomenclator & Campulus Sacellarius, & multi alii Romanæ urbis habitatores nobiles, qui simul omnes eâdem sententiâ damnati sunt.* Hæc Annalistæ, Loiselianus, Laureshamensis, Tilianus, Fuldensis, Bertinianus, ac Metensis, cum incerto Auctore, Monacho Egolismensi, Reginone, & Adone. Nec omittendus Anastasius, cujus hic est textus in vita Leonis Tertii Papæ. *Postmodùm verò dum deducti fuissent iniquissimi illi malefactores, videlicet Paschalis cum Campulo, & sequaces eorum, in præsentia Piissimi Domni Imperatoris, circumstantibus nobilissimis Francis & Romanis, & omnibus exprobrantibus de malis ipsorum consiliis & operationibus, increpabat Campulus Paschalem dicendo. Malâ horâ faciem tuam vidi, eò quòd tunc me misisti in istud periculum, & ceteri similiter, unus alterum condemnans, manifestabant suos ipsorum reatus. Quos dum tam crudeles & iniquos piissimus Imperator cognovisset, in exilium in partibus Franciæ misit.* Ex hoc Anastasii loco liquet totius seditionis auctorem fuisse Paschalem, à quo seductum se queritur Campulus. Quapropter ad hunc annum, ubi plerique Scriptorum, quos citavimus, Paschalem & Campulum *facinoris principes* constituunt, Ado Paschalem *factionis principem* dicit.

III. BELLUM BENEVENTANUM GERIT PER PIPPINUM FIL.

Pergit Annalista Loiselianus. *Ordinatis deinde Romanæ urbis, & Apostolici, totiúsque Italiæ, non tantùm publicis sed etiam Ecclesiasticis & privatis rebus, nam totâ hyeme non aliud fecit Imperator, missâque iterum in Beneventanos expeditione cum Pipino filio suo, ipse post Pascha,* VII *Kal. Maii Româ profectus Spoletium venit.* Hoc anno Pascha celebratum est pridie Nonas Aprilis. Per tres igitur integras Hebdomadas in Urbe post Pascha mansit Imperator.

IV. Ad illud tempus, quo res Italiæ Carolus Augustus ordinabat, nobilissima referri debet victoria, quam Leo & Carolus ad Ansidoniam urbem

Tusciæ

AN. CH. 801.

CAROLI IMP. I. PIPPINI LUDOV. RR. 21. CAROLI R. 13.

INSIGNI MIRACULO VINCIT HOSTES AD ANSIDONIAM.

Tusciæ de suis hostibus insigni miraculo reportarunt, ut ex eorum patet Diplomate, necnon ex alio quod in ejusdem posteà confirmationem Alexander Papa Quartus emisit. Leo Romanus Pontifex & Carolus Imperator in suo Diplomate sic loquuntur. *Dominus noster Jesus Christus per Angelum suum in visione nobis videri fecit, ut caput prædicti Martyris* Anastasii *ad ejus pugnam, quam nos ad præfatam civitatem* Ansidoniam *habebamus, cum Dei laudibus adveniret; nostris vero inimicis dicebat, ut vincebamus, & nos ita talia fecimus: & nunc auxiliante Deo, & isto præfato Martyre, adveniente ejus capite*, quod ex Monasterio prope Romam ad Aquas Salvias sito delatum est, *terra motus venit super nostris inimicis, & tremor apprehendit eos, & parietes irruerunt, inimici verò nostri in nostris manibus devenerunt, & omnes interfecti fuerunt.* Et Alexander Quartus in suis ad Abbatem fratrésqoe Monasterii Sancti Anastasii, sic. *Omnes possessiones Tusciæ, quas felicis recordationis Leone Papâ Tertio prædecessore nostro, gloriosæ memoriæ Carolus Imperator donavit Ecclesiæ vestræ, & summâ devotione certis finibus terminatis Privilegiis suâ auctoritate firmavit, videlicet civitatem Ansedoniæ cum omnibus Ecclesiis & pertinentiis suis, olim ab infidelibus & iniquis hominibus possessis, sed prætereà à memorato Carolo Imperatore unà cum præfato Leone prædecessore nostro meritis & auxiliis B. Anastasii Martyris, ejusdem capitis ostensione devictam & destructam, propter quam victoriam Ecclesiæ supradicti Martyris præfatas possessiones donavit.* Hæc Donatio facta est ineunte anno Redemptoris octingentesimo quinto, cùm Leo & Carolus in Aquisgranensi Palatio simul essent, ut ad illum annum probabimus ex Ughello, apud quem [a] præcitata Diplomata leguntur in Ostiensium Episcoporum Catalogo [b].

[a] Tom. 1.
[b] In Episc. 11.

V. LITEM COMPONIT INTER EPISCOPOS ARETINUM ET SENENSEM.

Carolus, cùm Romæ morabatur, litem, quæ pro limitibus inter Episcopos Aribertum Aretinum & Andream Senensem vertebatur, ex sententia Leonis Papæ terminandam curavit, & quarto Nonas Martias in suo Diplomate fidem rei gestæ sic fecit [c]. *Dum nos, Domino protegente, Romam, ad limina Sanctorum Principum Apostolorum Petri & Pauli, pro quibusdam causis Sanctæ Dei Ecclesiæ, ac Domini Leonis Papæ pervenissemus, ibique unà cum ipsis Ducibus, Guastaldiis, seu reliquis fidelibus ac Proceribus nostris residentes, pervenit Aribertus Sanctæ Aretinæ * urbis Ecclesiæ venerabilis Episcopus, in præsentia nostra suggerendo ac proclamando super Andream Sanctæ Senensis urbis Ecclesiæ venerabilem Episcopum, dicens quia Diœcesis Ecclesiæ suæ, quam à priscis temporibus prædecessores sui Episcopi, vel ipse tenebat, tempore Adriani quondam Papæ invasisset Rodobertus quondam Sanctæ Senensis * urbis Ecclesiæ Episcopus, & postmodum eam detinuisset Haimo quondam Episcopus supradictæ Senensis Ecclesiæ, & usque nunc eam detineret præfatus Andreas Episcopus antedictæ Senensis Ecclesiæ, id est, Monasterium Sancti Ansani, ubi ipse corpore requiescit, cum reliquis Ecclesiis. Et dum inter eos pro ea re maxima verteretur contentio, rogavimus Sanctissimo ac Reverendissimo Domino & in Christo Patri Leoni Summo Pontifici & Universali Papæ, ut secundùm Canonicam authoritatem eos unà cum suis Sacerdotibus pacificare deberet; sicut & fecit. Unde & judicatum & præceptum authoritatis suæ, supranominato Ariberto Sanctæ Aretinæ urbis * Ecclesiæ Episcopo, quatenus deinceps ad partem Ecclesiæ Parrochiam suam cum omni integritate, sicut ab antiquitus fuit, tenere & possidere debeat. Sed pro integra firmitate petiit Serenitati nostræ memoratus vir venerabilis Aribertus suprascriptæ Sanctæ Aretinæ Ecclesiæ Episcopus, ut ei nos demus, circa ipsam Sanctam Ecclesiam Dei, secundùm quod Dominus noster Leo Summus Pontifex & Venerabilis Papa, cum venerabilibus omnibus ceteris fidelibus Sanctæ Ecclesiæ, justo tramite & æquitatis ordine diffinivit *, & per Præceptum authoritatis suæ confirmavit, plenissimâ deliberatione cedere & confirmare deberemus. Cujus petitionem * pro divino cultu & reverentia ipsius Sanctæ Ecclesiæ denegare nolumus, sed in omnibus ita concessisse vel confirmasse cognoscite *. Præcipientes ergo jubemus, quòd perpetualiter dictam commemoratam Sanctam Dei Ecclesiam jure firmissimo mansuram esse volumus, & inspectâ ipsâ au-*

[c] Ughell. Tom. 1. in Ep. Aretin. 14.
* d'Arezzo.
* de Siene.
* Ecclesiæ urbis
* diffinivimus
* petitionem
* cognoscere præcipientes. Ergo

AN. CH. 801. CAROLI IMP. I. PIPPINI LUDOV. RR. 21. CAROLI R. 13.

theritate vel confirmationis prædicti Domini bonæ memoriæ (insititiæ videntur hæ duæ voces *bonæ memoriæ*, quia Leo superstes in vivis erat) *Patris Leonis Summi Pontificis & Universalis PP. sicut per ipsum declaratum, ita deinceps valere, ut * supranominatus Aribertus Sanctæ Aretinæ Ecclesiæ Episcopus suique in perpetuum successores, qui fuerint Rectores in S. Dei Ecclesia sua, valeant * & Monasteria & Baptisteria, sicut à priscis temporibus, tenere & possidere, juxta Sanctorum Patrum & æquitatis ordinem regere & gubernare. Et ut hæc authoritas firmior habeatur, & per tempora meliùs conservetur, manu propriâ suprà firmavimus, & de annulo nostro sigillari jussimus. Signum Karoli Magni Imperatoris.* Sequitur subscriptio. *Data quarto Nonas Martias, trigesimo-tertio, & trigesimo-quarto anno Imperii nostri. Actum Romæ in Ecclesia Sancti Petri Principis Apostolorum, ubi ipse in corpore requiescit, feliciter.* Corrupti sunt numeri, sed omnibus ut depravatio sic & emendatio patet. Toto Leonis Pontificatu Carolus semel Romam profectus est, ibique mensem Martium eodem Leono Pontifice transegit hoc duntaxat anno, cùm annum Imperii primum, Regni tricesimum-tertium in Francia, vicesimum-septimum in Italia numerabat. Sic igitur restituendi Characteres. *Data quarto Nonas Martias, anno tricesimo-tertio in Francia, vicesimo-septimo in Italia, anno primo Imperii nostri. Actum Romæ* &c. ut suprà.

* deest ut
* deest valeant

VI. Ex præcitato Diplomate colliguntur nomina duorum Senensium Episcoporum, Roberti videlicet & Haimonis, qui desiderantur in Catalogis, & Episcoparum gesserunt Adriano Leonis decessore Romano tunc Pontifice. Quapropter inter Jordanum & Joannem, quorum ille sedebat anno Christi septingentesimo sexagesimo-primo, ac fortè pervenit ad annum usque Christi septingentesimum septuagesimum-quartum quo Franci Longobardiam subegerunt, hic ante annum Christi septingentesimum nonagesimum-secundum haud memoratur, intermedii sub Carolo Rege ponendi sunt Rodobertus & Haimo. Catalogus igitur Senensium Episcoporum, qui mutilus hactenus fuit, per illa tempora sic institui debet.

Jordanus Ep. anno 761, fortè & anno 774.
Rodobertus Ep. temporibus Adriani Papæ.
Haimo Ep. temporibus Adriani Papæ.
Joannes Ep. anno 792.
Andreas Ep. ann. 795. 801.
Peritheus Ep.

VII. Anno Redemptoris octingentesimo Peritheum Andreæ sufficit Ughellus, at eum seriùs Episcopatu donatum testatur Diploma Caroli suprà descriptum. Plura de illo Episcopo déque Monasterio Sancti Anthymi sub Ludovico Pio.

VIII. MONACHOS HIEROSOLYMA SIBI DIRECTOS IN PATRIAM REMITTIT CUM MUNERIBUS.

Carolus mense Aprili, cùm Romæ adhuc esset, duos Monachos, quos à Patriarcha Hierosolymitano directos eodem susceperat die, quo Leo Papa jurejurando se purgavit ab objectis criminibus, in patriam cum muneribus remisit. sic enim ad annum præcedentem scribit Annalista Loiselianus. *Eâdem die Zacharias cum duobus Monachis, uno de monte Oliveti, altero de Sancto Saba, de Oriente reversus Romam venit. Quos Patriarcha Hierosolymitanus cum Zacharia ad Regem misit. Qui benedictionis causâ Claves Sepulchri Dominici, ac loci Calvariæ, Claves etiam civitatis & montis cum Vexillo detulerunt. Quos Rex benignè suscipiens, aliquot dies secum detinuit, & Aprili mense remuneratos absolvit.*

IX. LUSTRAT URBES ITALIÆ.

Imperator Urbe digressus Spoletum accessit. *Ibi dum esset, 11 Kal. Maii, horâ noctis secundâ, terræ motus maximus factus est, quo tota Italia graviter concussa est*, teste Annalistâ Loiseliano, cui ceteri suffragantur. In Annalibus Fuldensibus, hic *terræ motus per totam Italiam tam vehemens* fuisse dicitur, *ut in quibusdam locis urbes ruerent & montes, & tectum Basilicæ Beati Pauli Apostoli Romæ cum trabibus suis magna ex parte decideret.* Atque ob id, inquit Sigonius, *institutum est à Leone, ut præcedentibus tribus As-*

censionem diebus, supplicationes ad diversa Templa haberentur. Quam rem Mamertus Episcopus Viennensis in Ecclesiam primus intulerat, sique pariter ingenti quondam prodigiorum periculo liberaverat. Certè in libro [a] de vitis Romanorum Pontificum, qui nomine Luitprandi Diaconi circumfertur, & Auctorem exeunte nono seculo Monachum Germanum habuisse creditur, Leo Tertius dicitur constituisse, ut tres dies ante Dominicam Ascensionem Litaniæ celebrarentur. AN.CH. 801. CAROLI IMP. I. PIPPINI LUDOV. RR. 21. CAROLI R. 15.

Hoc eodem anno, ut Annalista Laureshamensis & alii proximè subjiciunt, loca quædam circa Rhenum fluvium, & in Gallia & in Germania tremuerunt. Pestilentia propter mollitiem hyberni temporis facta est. Imperator de Spoleto Ravennam venit, & aliquot dies ibi moratus, Papiam perrexit, eique civitati Pastore tunc destitutæ Joannem præficiendum curavit, de quo plura inferiùs. X.

[a] Cap. 98.

XI. Illis diebus, cùm in Italia degebat, Leges edidit, quas Sigonius ait adhuc legi Mutinæ * cum hoc Proœmio. Carolus divino nutu coronatus, Romanum regens Imperium, Serenissimus Augustus, omnibus Comitibus, Gastaldiis, seu cunctis reipublicæ per provinciam Italiæ à nostra mansuetudine præpositis, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCI, Indictione IX, anno Regni nostri in Francia XXXIII, in Italia XVIII (Baronio, XXVIII) Consulatus autem nostri primo. Cùm in Italiam propter utilitatem Sanctæ Dei Ecclesiæ ac provinciarum disponendarum venissemus, multa atque diversa per urbes singulas ante conspectum nostrum quæstiones venerunt tam de Ecclesiasticis, quàm de publicis & privatis rebus per ea, quæ statim recitata ex Romana seu Longobarda Lege competenti sententiâ certamina sunt, quorum judicialis sententia à Legislatoribus aut penitus omissa est, aut à posteris oblivioni tradita. Quocirca nos considerantes utilitatem nostram & populi à Deo nobis concessi, ea, quæ ab Antecessoribus nostris Regibus Italiæ in Edictis Legis Longobardicæ ab ipsis edita prætermissa sunt, juxta rerum & temporum considerationem addere curavimus, solliciti ut necessaria, quæ Legi defuerant, supplerentur, ut in rebus dubiis non quorumlibet arbitrium, sed nostra Legis auctoritas prævaleret.

* Modenæ. LEGEM LONGOBARDICAM AUGET.

Circa annum Christi & Indictionem nulla est controversia. Nullus etiam error irrepsit in numerum, quo anni Caroli Regis in Francia notantur; at irrepsit in numerum, quo anni ejusdem Regis in Italia designantur; loco XVIII Baronius rectè legit annum XXVIII, annus enim Christi DCCCI & Indictio IX cum anno Caroli Regis in Francia XXXIII & in Italia XXVIII coincidunt. Quod attinet ad Consulatum, ea nota fuit Imperii, & quidem annus Christi DCCCI. rectè notatur primus annus Imperii Carolini. Apud Romanos ab antiquis temporibus in monumentis publicis apponebantur Consules, additæ sunt Indictiones posteà, quarum nomen sub Constantino Magno audiri cœpit. Justinianus primus Imperator [b] sanxit anno Christi quingentesimo tricesimo-septimo, ut præter Consules & Indictionem nomen etiam Imperatoris adhiberetur. Paucis pòst annis Consules esse desierunt. Inde est quòd post annum Christi quingentesimum quadragesimum-primum, quo Basilius junior solus absque Collega Consulatum gessit, anni sequentes notantur post Consulatum Basilii, primus, secundus, tertius, & sic deinceps usque ad annum Christi quingentesimum sexagesimum-quartum, qui, post Consulatum Basilii, vicesimus-tertius in Fastis numeratur. Ceterùm cùm Consules penitus esse desinerent, idem Justinianus, novâ Constitutione de [c] Consulibus, unà cum Imperio jugem inhærere Consulatum voluit. Quapropter sequentibus pòst temporibus Imperatores annos Imperii sui per Consulatum, quemadmodum Imperatores prisci per Tribunitiam potestatem, annotarunt. Carolus autem Francorum Rex statim ac Imperator in Occidente fuit acclamatus, Orientalium Imperatorum more Consulem se dixit, & hunc annum Redemptoris octingentesimum primum, qui primus fuit Imperii, primum quoque sui XII.

[b] Novella 47.

[c] Novell. 105.

AN. CH. 801. CAROLI IMP. 1. PIPPINI LUDOV. RR. 21. CAROLI R. 13.

Consulatûs appellavit. Addidit & Indictionis notam, quâ nec ejus Antecessores Reges Francorum, ut sæpè superioribus Tomis inculcavimus, nec ipse, ante assumptum Imperatoriæ dignitatis titulum, uti consueverat. Ideóque singulis deinceps annis cum aliis Characteribus Chronologicis, quos hactenus adhibuimus, Indictionem quoque præfigemus, initio ducto ab Indictione nona, quâ currente nomen Imperatoris gerere cœpit die vicesimâ-quintâ Decembris, sive, ut Theophanes loquitur, τῷ Δεκεμβρίῳ κε΄. ἰνδικτιῶνι ἐννάτῃ.

XIII. Octo Capitula. Apud Joannem Busæum & in ultima Conciliorum Collectione [a], Præfationi suprà recitatæ subjiciuntur octo Capitula; primum *de Chartis donationis faciendis*, secundum *de aribanno*, tertium *de desertoribus*, quartum *de latronibus*, quintum *de mancatione qualibet*, sextum *de Aldionibus publicis ad jus publicum pertinentibus*, septimum *item de latronibus*, octavum *de servis fugatibus*. Octo illa Capitula *Roma* ad Longobardorum Regem adjecta scribit Jacobus Sirmondus Tomo secundo Conciliorum Gallicanorum, cùm agit de Capitulis Caroli Augusti per annos Imperii digestis.

[a] Tom 7.

XIV. Primum Capitulum. *De Chartis donationis faciendis statuimus. Si quis Longobardus statutum humanæ fragilitatis præcogitans, pro salute animæ suæ de rebus suis voluerit judicare, vel Chartam donationis cuilibet facere, non, sicut hactenus fieri solebat, jus sibi vendendi, donandi, commutandi, & per aliam Chartam easdem res alienandi reservet potestatem; sed absolutè faciat unusquisque de rebus suis quod velit, & noscat sibi ex nostra auctoritate penitus interdictum esse, duas de eadem re facere traditiones. Sed postquàm unam de rebus suis traditionem fecerit, aliam de ipsis rebus faciendi nullam habeat potestatem. Ita tamen si usumfructum voluerit habere, per precariam res traditas usque in tempus definitum possidendi sit concessa facultas.* Hoc Capitulum reperitur insertum libro secundo Legis Longobardorum, Titulo decimo-octavo *de ultimis voluntatibus* inscripto, Articulo quarto.

XV. Secundum Capitulum. *De Aribanno. Si quis liber homo, contemptâ jussione nostrâ, ceteris in exercitum pergentibus, domi residere præsumpserit, plenum heribannum, secundùm Legem Francorum, id est, LX sol. sciat se debere componere. Similiter & pro contemptu singulorum Capitulorum, quibus per nostram Regalem auctoritatem bannum promulgavimus, id est, qui pacem Ecclesiarum Dei, & viduarum, & orphanorum, & pupillorum, pauperum ac minùs potentum irruperit, aut raptum intra patriam fecerit, aut alienas domos incenderit, vel cum collecta multitudine vim cuilibet intulerit, LX sol. pœnâ mulctetur.* Hoc Capitulum insertum est libro primo Legis Longobardorum, Titulo decimo-quarto *de exercitalibus, & in his qui in hostem ire contempserint*, Articulo decimo-quarto.

XVI. Tertium Capitulum. *De Desertoribus. Si quis contumax adeò aut superbus extiterit, ut dimisso exercitu absque jussu & licentia Regis domum revertatur, &, quod nos Teudiscâ linguâ dicimus, Heriliz*, id est, exercitûs desertionem, *fecerit, ut ipse sit reus Majestatis, vitæ periculum incurrat, & res ejus fisco nostro socientur.* Hoc Capitulum priori proximè subjungitur in Lege Longobardorum. Portò, *Heriliz* sive *Herisliz* aut *Eriliz*, exercitûs desertionem interpretamur, quia Germanis *here*, ut jam notavimus, est exercitus, & *lassen* idem est ac deserere.

XVII. Quartum Capitulum. *De latronibus. Si quis latronem morte dignum, sibi ad occidendum traditum, servaverit, & vitam indigno concesserit, medium damni, propter quod traditus est, componat, &, si ipse latro rursus in latrociniis comprehensus fuerit, quod priùs debuit, capitali sententiâ persolvat debitum.* Hoc Capitulum habetur in Lege Longobardorum, libro primo, Titulo vicesimo-quinto *de furtis & servis fugacibus*, Articulo sexagesimo-nono.

XVIII. Quintum Capitulum. *De mancatione qualibet. Si quis alterum præsumptione suâ, vel sponte, castraverit, & ei ambos testiculos amputaverit, integrum Widri-*

gildum suum juxta conditionem personæ componat; si virgam absciderit, similiter; AN. CH.
si unum testiculorum, medietatem solvat; de oculis, manibus, ac pedibus, vel de 801.
lingua sancimus, ut, si unum horum abscissum fuerit, medietas Widrigildi; si ambo, integritas, pro facti emendatione componatur. Hoc eodem Capitulo clauditur Titulus, qui *de plagis & compositionibus liberorum hominum* inscribitur in Lege Longobardorum, éstque septimus libri primi. De Widrigildo seu Witgildo dictum Tomo secundo [a].

[a] An. 582. n. 6. & 595 n. 8.

XIX. Sextum Capitulum. *De Aldionibus publicis, ad jus publicum pertinentibus. Aldiones vel Aldia eâ lege vivant in Italia, in servitute Dominorum suorum, quâ fiscalini vel liti vivunt in Francia.* Lege quæ suprà notavimus ad annum Christi septingentesimum octogesimum-primum [b]. Habetur autem hoc Capitulum in Lege Longobardorum, libro tertio, Titulo vicesimo.

[b] Num. 84.

XX. Septimum Capitulum. *De latronibus. Si quis furem vel latronem comprehenderit, & eum indemnem dimiserit, neque illum ad præsentiam Judicis, aut Comitis, vel loci servatoris, qui Missus Comitis est, adduxerit, & de hoc facto sive de hac nequitia posthac in præsentia Judicis convictus fuerit, ipsius damni existimatione, pro qua fur vel latro comprehensus est, componere cogatur.* Hoc Capitulum legitur in Lege Longobardorum, libro primo, Titulo vicesimo-quinto *de furtis & servis fugacibus*, Articulo septuagesimo.

XXI. Octavum Capitulum. *De servis fugacibus. Ubicunque intra Italiam, sive Regis, sive Ecclesiasticus, vel cujuslibet alterius hominis servus fugitivus inventus fuerit, à Domino suo sine ulla annorum præscriptione vindicetur, eâ tamen ratione, si Dominus Francus, sive Alamannus, aut alterius cujuslibet nationis sit: Si vero Longobardus aut Romanus fuerit, eâ Lege servos suos acquirat vel amittat, quæ inter eos antiquitus est constituta.* Hoc Capitulum superiori proximum est in Lege Longobardorum. Ceterùm Longobardus & Romanus in hac Caroli Sanctione distinguuntur, extra fines enim Longobardiæ semper fuit Urbs Roma, nec in Francorum potestatem eodem quo Longobardia titulo venit. Carolus integrâ Longobardiâ post ultimam Desiderii Regis cladem potiri cœpit anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto, serius à Græcis ad eundem Carolum Roma Ducatúsque Romanus anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto transierunt. Illam Romanorum & Longobardorum distinctionem confirmat Carolus in sanctione, quâ præcipit, ut qui litem habent, seu petitor seu possessor, si judicium Episcoporum elegerint, ad eos dirigantur. Varios enim populos, quibus jus dicit, sic enumerat. *Omnes ditioni nostræ, Deo auxiliante, subjecti, tam Romani, quàm Franci, Alamanni, Bajovarii, Saxones, Thuringi, Fresones, Galli, Burgundiones, Britones, Langobardi, Wascones, Beneventani, Gothi, & Hispani, ceterique nobis subjecti omnes, licèt* &c. Ipsam sanctionem reperies integram libro sexto [c] Capitularium. Placet hîc fragmentum exscribere, quod ad Episcoporum honorem ac potestatem spectat. *Quicumque litem habens, sive possessor, sive petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis temporum curriculis, sive cùm negotium peroratur, sive cùm jam cœperit promi sententia, si judicium elegerit sacrosanctæ legis Antistitis, illicò sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim, quæ in judicio captiosa præscriptionis vincula promi non patiuntur, investigat & promit sacrosanctæ Religionis auctoritas. Omnes itaque causæ, quæ vel Prætorio jure, vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ perpetuo stabilitatis jure firmentur. Nec liceat ulteriùs retractari negotium, quod Episcoporum sententiis decisum fuerit. Testimonium etiam ab uno licèt Episcopo perhibitum, omnes Judices indubitanter accipiant. Nec alius audiatur, cùm testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à sacrosancto homine conscientia mentis inlibatæ protulerit.*

[c] Cap. 281.

XXII. Eginhardus in Caroli vita de Legibus ab eo conditis hæc habet. *Post susceptum Imperiale nomen, cùm adverteret multa Legibus populi sui deesse (nam*

Franci duas habent Leges, plurimis in locis valdè diversas) cogitavit quæ deerant addere, & discrepantia unire, prava quoque ac perperam prolata corrigere. Sed in iis nihil aliud ab eo factum est, quàm quòd pauca Capitula & ea imperfecta Legibus addidit. Omnium tamen nationum, quæ sub ejus dominatu erant, jura, quæ scripta non erant, describere ac literis mandari fecit.

XXIII. Legatos Calipharum,

Cùm Carolus Papiæ subsisteret, *ibi nunciatum est ei Legatos Aaron Regis Persarum portum Pisas intrasse. Quibus obviam mittens, inter Vercellas & Eporediam * eos sibi fecit præsentari. Unus eorum erat Persa de Oriente Legatus prædicti Regis (nam duo fuerant) alter Saracenus de Africa Legatus Amirati Abraham, qui in confinio Africæ in Fossato præsidebat. Hi Isaac Judæum, quem Imperator ante quadriennium ad memoratum Regem Persarum cum Lantfrida & Sigimundo Legatis suis miserat, reversum cum magnis muneribus nunciaverunt, nam Lantfridus & Sigimundus ambo in eodem itinere defuncti sunt. Tum ille misit Erchenbaldum Notarium in Liguriam, ad Classem parandam, quâ elephas & ea quæ cum eo afferebantur subveherentur.* Hæc Annalista Lauteshamensis, quocum alii conferri possunt.

* Ivrée.

XXIV. Aaronis in Oriente potentissimi,

Aaronem, quem Eginhardus, incertus Auctor, & Monachus Egolismensis in vita Caroli, necnon Annalistæ, Lauteshamensis, Loiselianus, Tilianus, Fuldensis, Bertinianus, & Metensis, cum Reginone & Adone, Regem Persarum vocant, & Poeta Saxonicus Persarum Principem dicit, illorum Auctorum plerique Calipham sive Arabum Regem innuunt, non enim Regem Persarum tantùm, sed etiam Amiramamolinum appellant, corruptè Annalista Loiselianus *Ammiralmumnunum*, Annalista Tilianus *Amiralmumminum*, Monachus Egolismensis *Ammiralmumminum*, Annalista Bertinianus *Ammiralmunnim*, Annalista Metensis & Regino *Amirmunmilin*, Ado *Amiralinum*. Omarus sive Umarus, cui tertius in Calipharum Catalogo locus tribuitur, obiit exeunte anno Hegiræ vicesimo-tertio, sive anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto; primus Ducem fidelium sive Amiramamolinum se dixit, ditiones suas multùm amplificavit & Persidem subegit. Lege quæ scripta sunt ad annum Christi septingentesimum vicesimum-primum [a], quo Saraceni, cùm Arabiam, Persidem, Armeniam, Mesopotamiam, Syriam, Palæstinam, Cyprum, Rhodum, Ægyptum, Marmaricam, Cyrenaicam, Africam propriè dictam, Mauritaniam, totam fermè Hispaniam, Septimaniam, & nonnullas urbes Aquitaniæ Wisigothis anteà subjectas, in suam potestatem jam redegissent, tot prosperis elâti successibus bellum intulerunt Francis, & Tolosam obsidione frustrà cinxerunt. Lege etiam, quæ sive ad illum annum Tomo quarto, sive ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quintum [b] Tomo quinto scripta sunt de Omari successoribus usque ad Almansorem, qui post Abdallam exeunte anno Hegiræ centesimo tricesimo-sexto, id est, anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto, mense Junio, mortuum regnare cœpit. Numeratur Almansor Arabum Calipha vicesimus-tertius, è genere autem Abbasi seu Calipharum Abbasidarum secundus. Huic filius fuit Mahadis, nepotes Alhadis & Aaron, qui successivè Caliphatu potiti sunt. Vitam clausit Almansor exeunte anno Hegiræ centesimo duodesexagesimo, sive anno Christi septingentesimo septuagesimo-quinto, cùm Regnum tenuisset annos Lunares unum ac viginti, menses undecim, dies tres ac viginti. Mahadis post patrem Arabibus præfuit annos decem mensésque duos cum dimidio, discessit è vivis anno Hegiræ centesimo undeseptuagesimo jam cœpto, id est, anno Christi septingentesimo octogesimo-quinto. Mahadi patri successit Alhadis, hic in Caliphatu præter annum dies transegit duos & quinquaginta, desiitque vivere die Veneris, anno Hegiræ centesimo septuagesimo per dies quatuor & septuaginta jam inchoato, id est, decimo-septimo Kalendas Octobris, anno Christi septingentesimo octogesimo-sexto, qui præditus fuit literâ Dominicali A. Post Alha-

[a] Nu. 6. & seqq.

[b] Nu. 83. & seqq.

AN. CH. 801.

CAROLI IMP. I. PIPPINI LUDOV. RR. 21. CAROLI R. 13.

dem Regnum Aaron frater suscepit, cujus nomen in Historia Saracenica capiti sexto libri secundi sic instar tituli præfigitur ab Elmacino. *Quintus Abbasidarum, & Chalifa vigesimus-sextus, Abugiafar Haron Rasjidus, qui & dictus fuit Abu-Muhammed Haron, filius Mahadis, fil. Abugiafaris Almansoris*, id est, Haron sive Aaron, filius Mahadis, nepos Almansoris. Obiit anno Regni vicesimo-quarto, *die Sabbathi, tertio Giumadæ posterioris*, seu decimo-septimo Kalendas Aprilis, currente tunc literâ Dominicali F, anno Redemptoris octingentesimo decimo, Hegiræ centesimo nonagesimo-quarto. Ex prædictis patet, quis fuerit Aaron, quas ditiones habuerit, cúrque Persarum Rex à Latinis Auctoribus appellatus sit. Si verbis Eginhardi licet uti, Rex ille Persarum, *exceptâ Indiâ, totum penè tenebat Orientem*, tantíque fecit amicitiam Caroli, ut *ei, quem tunc solum habebat, roganti mitteret elephantem*, de quo nobis nunc sermo. Porrò quæcumque de Almansore, déque successoribus, Mahade, Alhade, & Aarone retulimus, apud Georgium Elmacinum scripta reperies libro secundo[a] Historiæ Saracenicæ.

[a] Capp. 4. & seqq.

XXV.

Duos Aaron ad Carolum Legatos direxerat, unus tantùm Pisas * pervenit. Quo casu id factum, non produnt Auctores. Fortè alter obiit in itinere. Feliciorem haud nacti sunt sortem Lantfridus & Sigimundus, quos Carolus ad Aaronem cum Isaaco Judæo miserat, hic enim solus incolumis ex Oriente rediit. In Italiam præter Aaronis Legatum appulit & alter ex Africa directus ab Amirato sive Ammirato Abraham, *qui in confinio Africæ in Fossato præsidebat*, ut Annalistæ, Loiselianus, Laureshamensis, Bertinianus, ac Metensis, cum incerto Auctore, Monacho Egolismensi & Reginone testantur. Qui dicitur *Amiratus* Annalistis, Loiseliano, Laureshamensi, & Bertiniano, necnon incerto Auctori in vita Caroli, is est *Ammiratus* Monacho Egolismensi, Reginoni, & Annalistæ Metensi. Ab Arabico vocabulo *Amir*, quod Regem significat, deducta sunt Græca Αμηρᾶς & Αμηραῖος; Latina, *Amira, Amiras, Amiræus, Amiratus*, & duplicatâ litera *m*, *Ammiras, Ammiræus* & *Ammiratus*. Amiræ sive Ammiræ non eadem est significatio ac Amiræi sive Ammiræi. Differentiam ostendit Sigebertus [b], ubi de Mahomete sic scribit. *Hic in Regno Sarracenorum quatuor Prætores statuit, qui Amiræi vocabantur, ipse verò Ammiras dicebatur.* Iidem igitur Amiræ sive Ammiræ, qui Caliphæ seu Reges Arabum, & his subsunt Amiræi sive Ammiræi. Amiratos verò sive Ammiratos interpretamur Amiras sive Ammiras, id est, Caliphas seu Reges Arabum, & ipsum Abrahamum, quem præcitati Scriptores Amiratum & Ammiratum dicunt, Calipham seu Regem Arabum in Africa fuisse credimus. Anno Christi septingentesimo quinquagesimo-sexto, Hegiræ centesimo undequadragesimo jam incboato Arabes cismarini jugum excusserunt Almansoris, penes quem Caliphatus erat, novúmque cis Gaditanum fretum in Hispania Regnum condiderunt, cujus administrationem Abderramen primus suscepit, ut ad illum annum [c] probavimus. Hoc inductus exemplo dominationi pariter Aaronis Caliphæ se surripuit Idris ejus propinquus, & Africam seu Mauritaniam invasit erecto Principatu, cui Fezza * cognomen fecit, ut Joannes Leo pluribus docet libro tertio Historiæ Africanæ capite vicesimo-tertio, & ex eo paucis in sua Bibliotheca Nicolaus *Vignier* ad annum Redemptoris octingentesimum, atque ex hoc computo colligimus Abrahæ Caliphatum Africanum consecuto nihil antiquius fuisse, quàm ut amicitiam Caroli sibi conciliaret. Nec te moveat, quòd Idris & Abraham suis distinguendi nominibus videantur. Ut enim Aaron sic & Abraham binominis esse potuit. Binominem ostendimus Aaronem, qui promiscuè Haron sive Aaron & Rasjidus appellabatur. Idem judicium esto de novo Africæ Calipha seu Domino, qui promiscuè Idris & Abraham dictus, *in confinio Africæ, in Fossato*, sive in urbe Fezza nuper à se constructa *præsidebat*, latéque per Mauritaniam dominabatur.

* *Pisæ.*

ET ABRAHÆ IN AFRICA REGNANTIS,

[b] Ad an. 630.

[c] Num. 4.

* *Fez.*

AN. CH. 801.

XXVI. Aaronis & Abrahæ Calipharum Legati Carolum adierunt inter Vercellas * & Eporediam, ut observatum suprà. Maximam Imperatori lætitiam utraque peperit Legatio, Dynastarum enim Europæorum potentissimo jucundissimum fuit audire, quantam de se famam in Asia & in Africa concitasset. Apud Aaronem in tanta fuit existimatione, *ut* idem Aaron, teste Eginbardo, *gratiam ejus, omnium, qui in toto Orbe terrarum erant, Regum ac Principum amicitia præponeret, solùmque illum honore ac munificentiâ sibi colendum judicaret.* Abraham Amiratus Africæ, qui nuper ab Aarone defecerat, singularem illam Imperatoris & Aaronis amicitiam molesto prorsus animo ferebat, verebatur enim, ne quem Aaronis amicum nosset, hostem experiretur; eo percussus metu fœdus, quo suam dominationem firmaret, cum gente Francorum pacisci statuit; directæ Legationis hæc causa. Carolus, ut erat prudentissimus, pacem cum utroque coluit. Hoc consilium è re Christiana fuisse res multæ probant. Christiani nullum in Aaronis Regno, nullum in Abrahæ Caliphatu detrimentum patiuntur; Aaronis ob amplissimas ditiones formidolosi potestas imminuitur erecto in Africa novo Abrahæ Principatu; Cordubensi Caliphæ, quocum Carolus bellum gerit, ob Abrahæ viciniam gravior in Hispania terror incutitur. Insignem Aaronis erga Carolum amicitiam atque observantiam egregiè confirmant ea, quæ de sacratissimo Salvatoris nostri sepulchro jam diximus. Et ne fortè nos de Cordubensi Calipha gratis locutos arbitreris, observa dilatatum Francorum Regnum per multas Hispaniæ civitates hac ipsâ æstate, quâ Legatus Abrahæ Amirati Africani Carolo Imperatori præsentatus est. *Ipsâ æstate*, inquiunt ad hunc annum Annalistæ, Loiselianus, Laureshamensis & Bertinianus, *capta est Barcinona civitas in Hispania jam biennio obsessa. Zatus Præfectus ejus & alii complures Saraceni comprehensi.* Ne verò tibi videantur hi Scriptores ab Auctore coætaneo discrepare, qui vitam & actus Ludovici Pii descripsit, & à nobis anno priore citatus est, obsessam biennio Barcinonem sic interpretare, ut per istud biennium non intelligas duos annos integros, sed partem duntaxat hujus anni cum postrema præcedentis.

* Vercell.

AUDIT PROPE VERCELLAS.

XXVII. Imperator auditis Aaronis & Abrahæ Legatis, de quibus suprà, venit Eporediam, ibíque Natalitia Sancti Joannis Baptistæ celebravit. *Celebrato*, inquiunt iidem Annalistæ, *die Natali Sancti Joannis Baptistæ apud Eporeiam*, sive Eporediam, *Alpes transgressus, in Galliam reversus est.* Ante Idus Octobris ad Schaldim pervenit, illis enim Idibus elevationi Sancti Salvii prope Valentianas interfuit. Hoc de Martyre sic ad hunc annum Sigebertus in sua Chronographia. *Sanctus Salvus* seu Salvius *Episcopus veniens ab Aquitania ad fiscum Valentianas*, in multis editionibus corruptè Voluntianas, *à Winigardo filio Genardi Procuratoris ipsius fisci martyrizatur, & super ejus corpore requirendo Carolus Magnus Imperator divinitus tertiò admonitus, corpus quidem inventum honorificè sepelivit, interfectores ejus gravi pœnâ mulctavit, nec tamen per hoc in eos ultio divina cessavit.* Sanctus Salvius Martyrium sexto Kalendas Julii consummavit. Testis ad illum diem Usuardus, sic. *In portu Valencianas, Sancti Salvii Martyris.* Et Martyrologium Romanum, sic. *Apud Valencenas Passio Sanctorum, Salvii Episcopi Engolismensis, & Superii, Martyrum.* Molanus in additionibus ad Usuardum meminit Sancti Salvii, non tantùm ut Martyris, sed etiam ut *Episcopi, qui ab Abbia civitate sua in Gallias cum uno comite ad prædicandum veniens, & in villa illa, quæ dicitur Beveticum, à Winegardo filio Genardi clàm comprehensus, & in capite securi percussus, unà cum supradicto comite Martyrium suscepit.* Hic Auctor, cùm sic scribebat, Salvium existimabat Abbiæ sive Albiæ * civitatis Episcopum in Aquitania prima fuisse, sed errorem in Natalibus [a] Sanctorum Belgii correxit, factâ *in portu Valencianis* celebri memoriâ *Sancti Salvii, Episcopi Angolisinæ civitatis, & Martyris.* Angolisina sive Angolisma vel Engolisma civitas

INTERESST ELEVATIONI S. SALVII EGOLISMENSIS EP. ET MARTYRIS.

* Alby.

[a] D. 26. Jun.

AN. CH. 801. CAROLI Imp. 1. PIPPINI LUDOV. RR. 21. CAROLI R. 13.

civitas est Aquitaniæ secundæ. Nomen Salvii desideratur in Engolismensium Episcoporum Catalogis hactenus editis; at ei locus commodè potest restitui post Landebertum, cujus mentionem ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-primum in Concilio Narbonensi fecimus. *Episcopus Engolismensis Salvius*, inquit Buzelinus [a], *in Belgio divini verbi sementem gnaviter faciebat, ausus ex Aquitania tam remotos laborum ergò locos adire. Exculti hujus operâ Belgæ, qui vicinam aut subjectam Insulæ, Duaco, & Orchiaco, ditionem incolebant, & paulò pòst etiam Condatum, Valentiana, multique circum pagi. Sed ibi fuso tanti Pontificis cruore impii manus homines fœdavere, & quò crimen execrabilius esset, ejus auctor cædis Winegardus Gerardi Procuratoris Regii filius, sacri ornatûs cupidine accensus.* Ex hoc Auctore, necnon ex Molano, Outremanno [b], & Vinchantio [c], simul collatis, narrationem Martyrii descriptam accipe. Salvius in Arvernia natus est, Engolismensem Episcopatum gessit in Aquitania secunda, Valentianas Regium ad Schaldim fiscum adiit, ut reliquias ethnicæ superstitionis in ea regione penitus extirparet. E Valentianis ad propinquum aliquando vicum, cui nomen tunc Brena, se contulit, ibi concionem habuit ad populum, Missarúmque solemnia celebravit in Ecclesia Sancti Martini; quibus ritè peractis ingressus est cum socio domum Genardi fiscalis Procuratoris, à quo fuerat ad epulas invitatus. Supervenit ejusdem quoque Genardi filius, nomine Winegardus, homo levis, lubricus ac superbus. Hic aureum calicem & indumenta pretiosa, quæ beatus vir ob Mysteriorum dignitatem secum ferebat, statim ac conspicatus est, quâ fraude sua faceret, cœpit attendere, compertóque, quòd Episcopus Condatum ad Ecclesiam Deiparæ Virginis profectutus esset, locum ponendis insidiis opportunum ad rivulum Bontionem elegit. Famulis igitur haud paucis stipatus sanctum virum rebus omnibus nudavit, & catenis onustum in custodiam dedit cum discipulo, qui Magistrum non tam pedibus quàm moribus sequebatur. In Castro Brevitico *, quod erat precipuum Genardi domicilium, servati sunt ad proximam noctem. Tunc, ut eos neci traderet, accessit carceris custos Winegarius; at splendorem intuitus, quo facies Salvii coruscabat, ab ausu tam nefario destitit; verùm, minaciter urgente per nuncium Winegardo, alterâ rediit vice, sceleftiórque factus utrique caput abstulit. Corpora beatissimorum Martyrum in armentorum stabulo defossa sunt; beati Salvii, subtus, & comitis ex transverso, in formam Crucis. Sepulturæ locum taurus, quasi dux & custos armenti, à reliquis animalibus & ab immunditia servavit. Visum frequenter hoc ædificium insolitis per noctem luminibus ardere. Retulit Rafuera visum sibi per stabuli rimas taurum cum accensis lampadibus in utroque cornu. Quis exitus tot prodigiorum futurus esset, plebs avidè præstolabatur. Voces è cælo non defuere, per quas Carolus Imperator, qui Româ tum redibat, ter admonitus ut Sanctorum corpora quæreret, iter ad Schaldim convertit, & supradictum stabuli locum refodi præcepit. Inventæ sunt sacræ Martyrum exuviæ, móxque delatæ sunt ad Ecclesiam Sancti Martini, ibíque multis postmodum signis ac miraculis inclaruêre. Passi sunt beatissimi Martyres sexto Kalendas Julii, elevatíque sunt Idibus Octobris hoc eodem anno, nec audiendi sunt qui triennium ab eorum Passione ad Elevationem interponunt. Sancti Salvii comes, cùm nomen ejus ignoraretur, dictus est Superius, quoniam in inventione deprehensus est superiùs jacere. Carolus cædis authores gravi pœnâ mulctavit, &, apud Brenam, Ecclesiæ Sancti Martini contiguam erexit Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quam tertiâ sui fisci parte locupletavit ad alendos sex Canonicos cum Præposito & Thesaurario. Tria prædictorum Martyrum celebrantur festa, Passio sexto Kalendas Julii, Elevatio Idibus Octobris, Translatio septimo Idus Septembris. Haud longo temporis spatio post Elevationem interjecto, apud Carolum quæstæ sunt duæ nobiles puellæ, quòd à fratre suo paternâ spoliaren-

PROPE VALENTIANAS CUM SOCIO NUPER OCCISI.

[a] Lib. 3. Annal. Gallo-Fland.
[b] Lib. 1. c. 7.
[c] Lib. 3. c. 17.
* Beaurage.

AN. CH. 801. CAROLI IMP. 1. PIPPINI LUDOV. RR. 21. CAROLI R. 13.

tur hæreditate. Virum illum, quem sorores accusabant, Imperator ad se vocavit, eique præcepit ut se purgaret facto super Sancti Salvii Reliquias sacramento. Vix autem ille innocentem se mentitus est, cùm perjurii pœnas dedit, mortuus enim in terram corruit. In vico Brevitico stabulum, in quo Martyres primùm jacuêre, mutatum est in Ecclesiam Parœcialem; & alteri vico, cui Brena nomen ad illud usque tempus fuerat, inditum est nomen Sancti Salvii *. Successit in Episcoparum Engolismensem Sidranius, cujus nomen in Episcoporum Caralogis servatum fuit.

* *Saint Sauve.*

XXVIII. AQUISGRANI EDIT PRÆCEPTUM PRO MONAST. GRASSENSI.

Carolus Valentianis profectus est ad Aquisgranense Palatium, ibique, testibus antiquis Annalistis, *Natale Domini celebravit.* Stephanus Baluzius Appendicem Actorum veterum, quam notis ad Concilia Galliæ Narbonensis subjecit, exorsus est ab hoc Diplomate, quod idem Imperator octavo Kalendas Novembris, hoc anno Imperii sui primo, pro Grassensi Monasterio Diœceseos Carcassonensis emisit. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Karolus ejusdem Dei Omnipotentis misericordiâ Imperator Augustus. Si servorum Dei petitionibus aurem nostræ Serenitatis accommodamus, & antecessorum nostrorum morem sequimur, & ob id præsentem vitam faciliùs transigere, & futuram adipisci nullo modo dubitamus. Noverit itaque omnium fidelium Sancta Dei Ecclesia nostrorúmque tam præsentium quàm & futurorum industria, quoniam Songfredus Abbas Monasterii Sanctæ Mariæ de loco, qui dicitur Urbionis, sito in confinio Narbonensi & Carcassonensi, ad nostram accessit Clementiam, deprecans ut super donationes, emptiones, vel alias acquisitiones rerum ad jam dictum locum pertinentium, nostrum firmitatis gratiâ superaddidissemus Preceptum. Præcipientes igitur jubemus, ut omnes villæ, id est, Buxinianus, & Palairacus, Civizianus, & mansiones, & villare, singulariter cum omnibus possessionibus ad præfatum locum in quibuslibet Comitatibus, sicut in eodem loco, justè & rationabiliter per hoc nostrum Præceptum permaneant, & Ecclesia, quæ in villis eorum sunt, in eadem potestate similiter permaneant, & Immunitatem etiam nostram similiter habeant, sicut in nostro veteri Præcepto continetur. Et ut hæc ita justè conserventur, manu nostrâ subter firmavimus, & anulo nostro insigniri jussimus. Signum Karoli Gloriosissimi Imperatoris Augusti. Audactus Notarius ad vicem Gardini recognovit. Datum* VIII *Kal. Novembris, Indictione decimâ, anno* XXXVI *Regni Domni Karoli Imperatoris in Francia, & Imperii ejus primo. Actum Elidione villâ in Dei Nomine feliciter. Amen.* Indictio decima per mensem Novembrem convenit cum anno Caroli Augusti primo, sed hi duo Characteres discrepant ab anno ejusdem Caroli regnantis in Francia XXXVII, cujus loco restituendus est XXXIIII, mutato V in II. Porrò Songfredus sive Infredus Abbas centum præfuit Monachis, erátque superstes anno Redemptoris octingentesimo sexto. Lege Galliam Christianam [a].

[a] Tom. 4.

XXIX. LITERAS ACCIPIT AB ALCUINO REDITUM IN GALLIAM GRATULANTES, AC DENUÒ CUPIENTE NUNCIUM SECULARIBUS OCCUPATIONIBUS REMITTERE.

Alcuinus, qui Turonis febri laborabat, ubi Carolum cis Alpes reversum audivit, felicem ei reditum statim gratulatus est missis per Candidum literis [b] ac munusculis. *Cotidie avidâ cordis intentione suspensis in verba venientium auribus, sollicitus eram quid mihi nunciarent de Domino meo dulcissimo David, quando domum rediret, quando patriam reverteretur. Tandem aliquando, quamvis serò, vox optata concurrentium desiderii mei insonuit auribus. Jam jámque veniet, jam Alpes transivit, quem tanto animi tui fervore, à Albine, adesse optasti.* Et paulò pòst, *Quid tu, inimica, tempore importuno me opprimis, febris, & non permittis me solitâ corporis mei alacritate fungi, ut vel tardè fiat quod citò non valet? Attamen hoc adventûs vestri gratissimo latus nuncio, confestim Candidum nostrum vestra obviam sanctissima dilectiani dirigere studui* &c. In iisdem literis, ut à secularibus occupationibus liber omnino fiat, maximo se desiderio sic testatur anhelare. *Ferè ante hoc quinquennium, seculares occupationes, Deum testor, non ficto corde declinare cogitavi. Sed vestra pia providentia consilio translatus sum in servitium Sancti Martini, fidei Catholicæ & Ecclesiasticæ sanctioni, donante Deo, proficuum. Non recessit tamen de corde prioris*

[b] Ep. 25.

AN. CH. 801. CAROLI IMP. I. PIPPINI LUDOV. RR. 21. CAROLI R. 13.

voluntatis effectus, sicut transacto anno vestra pietati jam prædixi. Hæc omnia vestra consideret bonitas, & piâ promissione disponat, quia, ut prædixi, tota mea mentis intentio ad bonitatis vestræ verissimè respicit consilium. Nec alio se quolibet credit, quia in te tota infirmitatis senectutisque mea consolatio intendit. Inter fratres in Ecclesia Sancti Martini Deo fideliter servientes vivere vel requiescere, Deo miserante, sine ulla dubitatione desidero. Idem Alcuinus, cùm de bello Beneventano rumor spargebatur, posteriores scripsit literas [a], in quibus priorum sic meminit. *Effudi pridem preces supplicationis meæ per Candidum famulum vestrum, quas precor clementi animo vestram suscipere pietatem. Quicquid animus suggessit meus mihi, totum misi in aures ejus, ut conservaret in corde, vestraque veridico ore patesceret pietati.* In posterioribus hisce literis Carolum rogavit, ut attentè perpenderet, quid utilitatis ex bello Beneventano adepturus esset orbis Christianus. *Et hoc*, inquit, *intimo cordis affectu deposco, ut sanctissima sapientia vestra consideratio provideat, quid Deo placeat, vel quid populo proficiat Christiano de expeditione hostili in Beneventana terra, ne majus sibi eveniat damnum de fidelibus tuis. Optimè nosti quomodo divina pro te pugnabat providentia. Patrem fratrémque hujus impiissimi hominis in brevi tulit articulo. Sic etiam, sic faciet, credimus. Si illius sancta voluntas disposuit, ut & iste*, nempe Grimoaldus, *pereat, sine aliquo fidelium damno tuorum eveniat.* Lege quæ dicta sunt ad annum Christi septingentesimum octogesimum-septimum [b] de obitu Arigisi & Romoaldi, quorum ille pater, hic frater fuit Grimoaldi Ducis Beneventani.

[a] Ep. 24.

NECNON SOLICITO DE BENEVENTANI BELLI EXITU.

[b] Nu. 35. & seqq.

XXX. EXILIO DAMNAT ZATUM ET ROSELMUM AUSOS PIPPINO ET LUDOVICO RR RESISTERE.

Annalista Loiselianus & alii, postquàm locuti sunt de bello, quod Ludovicus Aquitaniæ Rex in Hispania gessit, sermonem ad expeditionem Beneventanam, quam Pippinus Italiæ Rex suscepit, ita convertunt. *In Italia, Teate civitas similiter capta & incensa est, ejus Præfectus Roselmus comprehensus est. Castella, quæ ad ipsam civitatem pertinebant, in deditionem accepta sunt.* In vulgatis Annalibus Laureshamensibus *Reate* perperam legitur. Ex Codice Armaniaco restituenda *Teate*, cujus Ecclesiam Cathedralem instauravit sub Ludovico Pio Theodoricus Episcopus. Observant veteres Annalistæ Carolo præsentatos eodem die Zatum & Roselmum, qui Barcinonam in Hispania contra Ludovicum Regem, & Teaten in Italia contra Pippinum Regem conati fuerant propugnare. De utroque sic Annalista Laureshamensis. *Zatus & Roshelmus unâ die ad præsentiam Imperatoris deducti, & exilio damnati sunt.* Et Annalista Fuldensis, sic. *Barcinona civitas in Hispania, & in Italia Teate, capta sunt, Præfectis earum, Zatun videlicet Barcinona & Roselmo Teate comprehensis, Regi pariter præsentatis, & exilio damnatis.* In Gallias jam reversus videtur Imperator, cùm in ejus conspectum rebelles hi duo perducti sunt.

XXXI. ISAAC JUDÆUS IN ITALIAM APPELLIT CUM MUNERIBUS AARONIS CALIPHÆ.

*Ipsius anni mense Octobri Isaac Judæus de Africa cum elephanto regressus, portum * Veneris intravit, & quia propter nives Alpinas trajicere non poterat, in Vercellis habitavit.* Hæc Annalista Laureshamensis, cui ceteri consentiunt. In memoriam revoca, quæ de Legatis Aaronis & Abrahæ jam dicta sunt. Ambo Legati, *unus Persa de Oriente, alter Saracenus de Africa*, ut Annalista Laureshamensis loquitur, *Isaac Judæum*, quem Carolus ad Aaronem *ante quadriennium* miserat, *reversum cum magnis muneribus nunciaverunt.* Si conjecturæ locus est, reversum cum muneribus nunciavit Legatus Aaronis, quia dimissum ex ejusdem Aaronis comitatu sciebat cum muneribus, antequàm ipse iter in Occidentem susciperet obeundæ Legationis ergò; nunciavit & Legatus Abrahæ, quia vidit eum cum iisdem muneribus in Africa; comperto enim, quòd Judæus ille cum donis Aaronis ad Carolum per Africam reverteretur, Abraham prudentissimum iniit consilium, ut illum longo itinere fessum aliquandiu secum retineret, atque interim in Italiam Imperatori dirigeret Legatum, qui de mutua Carolum inter & Aaronem amicitia studiosiùs inquireret, & ne quid ex ea timendum esset Africæ, fœdus cum Imperatore pacisceretur.

* *Porto Venere.*

AN. CH. 801.

XXXII. In Italia Sacra laudaotut ad hunc annum Wiltretradus Pistoriensis [a] Episcopus & Nicolaus Episcopus [b] Salernitanus, nec ad alìud tempus referri debet insignis munificentia, quâ Carolus [c] Sancti Salvatoris Monasterium, quod & ab Ammiato moote nuocupatur Ammiatinum, in Diœcesi Clusina locupletavit, additis etiam Privilegiis, atque imprimis, ut illius loci Monachi, post mortem Abbatis, qui tunc Usualdus fuisse videtur, liberè quem vellent ex eodem eligerent Mooasterio, qui totam Congregatiooem regeret. Clusinæ Diœcesi præerat Arialdus Episcopus, qui vitam ad Principatum usque Ludovici Pii produxit. Lege de Clusiois Episcopis, quæ superiùs ad anoum Christi septiogentesimum septnagesimum-qnartum [d] præmissa suot. Lege & Alcuioi Epistolam [e] *Domini Dei Salvatoris mundi sanctissima Congregationi & pio patri Usualdo* inscriptam, cùm Liutgardis Regina, cujus obitum anoo priore consignavimus, in vivis superstes esset.

[a] Tom. 3. [b] Tom. 7. [c] Tom. 3. EPISCOPI, PISTORIENSES, SALERNIT. CLUSIN. [d] Num. 67. [e] Ep. 79.

XXXIII. ARCHIEP. VIENNENS. Ursio sive Ursus Viennensis Archiepiscopus, de cujus altercatiooe cum Elifanto Arelatensi Metropolitano io Synodo Francofurtaoa sermonem ante septennium fecimus, vitam hoc anno clausit decimo Kaleodas Martii. Dies notatur apud Boscinm. Anous ex subsequentibus Pootificatibus colligitur, quia sederuot, Volferius anoos undecim, Barnardus triginta-sex, obiitque Baroardus anno Redemptoris octingentesimo duodeqninquagesimo. Illam Chronologiam probabimus, cùm ad anonm Redemptoris octingentesimum duodecimum quo Barnardus in Archiepiscopatum successit, tum ad annum octingentesimum duodequioquagesimum quo feliciter in cælum migravit. Hîc tantùm accipe, quæ de Volferio scripta sunt ab Adone ejusdem civitatis Archiepiscopo. *Post Ursum nimiæ simplicitatis Episcopum, Vulferi, quem Vultreiam patrio nomine appellarunt, Bajovarius Viennensem Episcopatum suscepit.* Et paulò pòst. *Rexit Ecclesiam Viennensem Vulferi annis undecim.* Corrigendus igitur io Vieona Sancta & Senatoria Boscius [f], qui Volferio Ursum, Urso Vultraïam sufficit, oec observat ex Adone postponendum Urso Volferium, qui genere Bojoarins fuit, & Vultreïas seu Vultraïas patrio nomine vocabatur. Digoi sunt adhuc apud eundem Auctorem majore vituperio, qui ooo tantùm à Volferio Vultraïam distinguunt, sed eidem etiam Vultraïæ Bajonarium subrogant, trésque diversos Episcopos, Volferium, Vultreïam, & Bajonarium sive Bajovarium constituuot ex hoc Adonis textu jam citato, qui de solo Volferio debet intelligi. *Vulferi, quem Vultreiam patrio nomine appellarunt, Bajovarius Viennensem Episcopatum suscepit.* Rectiùs apud Democharem, Lievræum, Robertum & Sammarthanos, Archiepiscopi Viennenses ex Adoois sententia recensentur hoc ordine, Ursus, Volferius, Barnardus. Ceterùm Ursus Viennæ sepultus est in Ecclesia Saocti Severi *.

[f] Capp. 4. 5.

* *Saint Sever.*

XXXIV. EPISCOPI TARUANN. Theodowinus Taruanoensis Episcopus hoc eodem anno vitam finivit. Successit in Episcopatum Grimbaldus, ita dictus Flodoardo [g], corruptè nonoullis Erimbaldus. Lege Malbrancum Tomo secundo de Morinis [h].

[g] Lib. 2. c. 18. [h] Lib 5 c. 42.

XXXV. FRODO MUNIFICUS ERGA MON. S. BENIGNI. Hoc anno Caroli Imperatoris primo, munificum erga Mooasterinm Sancti Benigni se præbuit Frodo, de cujus liberalitate sic Chronographus illius loci, cùm agit de Hildebranno Abbate. *Hildebrannus accepit curam regiminis. In cujus diebus quidam, Frodo nomine, dedit ad memoratam Ecclesiam Sancti Benigni, terram quandam juris sui, sitam in pago Belnensi, in fine Consimactense, in loco vocato Varnedo. Facta est hac Donatio anno primo Imperii Caroli Magni.*

XXXVI. ABBATES LAUBACENS. Hoc eodem primo Caroli Imperatoris aooo vitam terminavit Anso Laubacensis Abbas, cùm streouè Monasterium temporibus ejusdem Caroli per anoos quatuor ac viginti gubernasset. Successit Hildricus, qui Carolo superstes vixit. Hæc paucis docet Fulcuinus in Gestis [i] Abbatum Lobiensium. *Hic*, nempe Anso, *sub præfato obiit Karlo eo quo idem Imperator factus est*

[i] Cap. 9.

anno. Post quem eamdem Abbatiam usurpavit Hildricus Canonicus sub ipso Imperatore. Et post eum Ramnericus tempore Domni Hludovici Imperatoris. AN. CH. 801.

Primus hic annus Imperii Carolini cum anno Regni tricesimo-tertio componitur. Apud Henschenium, in Commentario prævio vitæ [a] Sancti Ludgeri, quatuor occurrunt Diplomata, quæ data sunt *anno* XXXIII *Regni Religiosissimi Carli;* unum *Kalend Maii*, alterum VI *Nonas Maii*, tertium VIII *Idus Maii*, quartum VII *Kal. Septemb.* Mirum sanè, nullam Imperatoris aut Imperii mentionem fieri, nam quæ posteris annis ex eodem describentur Commentario, si non annum notabunt Imperii, saltem Carolum vocabunt Imperatorem anno nihilominùs Regni numerato à Pippini patris obitu, sic. *Anno* XXXVII *Regni Gloriosissimi Imperatoris Carli.* Item, *anno* XXXIX *Regni Domni Religiosissimi Imperatoris Carli.* Quæ pertinent ad hunc annum, per ordinem accipe, cetera suis locis referemus.

CAROLI IMP. I. PIPPINI LUDOV. RR. 21. CAROLI R. 13.

XXXVII.

[a] D 26 Mart.

VARIÆ DONATIONES PRO MON WERTHINENSI.

XXXVIII. Primum est de Donatione. *Ego Hildiradus pro remedio animæ meæ & pro æterna retributione, tradidi comprehensionem illam, quam ego in propria hereditate comprehendi, à rivulo qui dicitur Burgbeki usque ad illum rivulum qui in Occidentali parte Widubergi decurrit, ad Reliquias Sancti Salvatoris & Sanctæ Mariæ semper Virginis, & cum omni integritate usque in ripam Ruræ, exceptâ illâ particulâ, quam Folcbertus in proximo angulo inter Ruram & Widubergum olim stirpare inchoavit. Hanc ergo denominatam comprehensionem cum tota integritate tradidi in eleemosynam meam, ad Reliquias superiùs dictas, & in potestatem Liudgeri Abbatis.* &c. *Acta autem est publicè, in loco, qui dicitur Diapanbeci, in ripa Rura, ad Reliquias Sancti Salvatoris & Sanctæ Mariæ, anno* XXXIII *Regni Domni nostri Religiosissimi Regis Carli, Kalend. Maii.*

XXXIX. Secundum de Venditione. *Ego Betto tradidi particulam hereditatis meæ Liudgero Abbati, accepto pretio juxta consensum amborum, in pago Nivanheim, in villa quæ dicitur Holtheim, id est, curtile cum adjacentiis suis, uno rodo, & modico prato, & uno jurnali in terra arabili, cum ceteris omnibus, quæ ad ipsum curtile legaliter respiciunt, hoc est, pascuis, perviis, usibus aquarum, dominationémque in sylvas ad supradictam villam pertinentes, cum pastu plenissimo juxta modulum curtilis ipsius.* &c. *Acta in loco, qui dicitur Ad Crucem, anno* XXXIII *Regni Religiosissimi Regis Carli, sub die* VI *Nonas Maii.*

XL. Tertium de Præstaria. *Dum omnibus vicinis suis non habetur incognitum, qualiter Helmbaldus, filius Heribaldi, tradidit ad Reliquias Sancti Salvatoris, & in manus Liudgeri Abbatis in eleemosynam suam, comprehensionem illam, quam ipse Helmbaldus in propria hereditate & in communione proximorum suorum, proprio labore & adjutorio amicorum suorum, legibus comprehendit & stirpavit, id est, in loco qui dicitur Widapa, in villa Salchem. Et posteà postulavit, ut dimidiam ipsam comprehensionem in beneficium accipere deberet diebus vitæ suæ & filii sui sub usu fructifero, id est, de medio solido per singulos annos ad Pascha Domini, ad supradictas Reliquias, quæ in eodem loco ponenda sunt, ad lumina comparanda. Ita & feci ego modicus Abbas Liudgerus, præstiti ei dimidiam comprehensionem illam in ea ratione, ut diebus vitæ suæ & filii sui meliorata fiant res ipsæ, quæ ad eamdem comprehensionem respiciunt, & absque ulla distractione & contradictione post obitum ipsorum ad supradictas Reliquias ipsæ immeliorata revertantur, & in usum servorum Dei, qui easdem Reliquias procurare, Deo largiente, & custodire merentur in posterum. Acta autem est hæc præstaria publicè in loco ipso, qui dicitur Widapa, sub die* VIII *Idus Maii, anno* XXXIII *Gloriosi Regis Carli. Ego Liudgerus Abbas subscripsi. Sig. Gerusalem Presbyteri. Sig. Hardgeri Clerici.* &c.

XLI. Quartum de Donatione. *Ego Hrodulfus, filius quondam Wibaldi, tradidi ad Reliquias Sancti Salvatoris & Sanctæ Mariæ semper Virginis, & in manus Liudgeri Abbatis, particulam hereditatis meæ in pago Pelum, in villa quæ dicitur Englandi, id est, curtile unum, & duodecimam partem in sylvam, quæ dicitur in Bracleg, compascuis & plena dominatione, quæ jure legali ad illud curtile*

AN. CH. 801.
CAROLI IMP. 1.
PIPPINI LUDOV. RR. 21.
CAROLI R. 13.

pertinere compertum est. &c. *Acta est autem publicè in loco, qui dicitur Wigtmundi, ad Ecclesiam Sancti Salvatoris, anno* XXXIII *Regni Domini nostri Religiosissimi Regis Carli*, VII *Kal. Septemb.*

XLII. Godefridus Henschenius, postquàm quatuor hæc retulit Diplomata, quæ, Liudgero Abbate necdum Episcopo, scripta sunt, in dubio relinquit, utrùm Liudgerus exeunte hoc anno an sequenti jam inchoato promotus sit ad Episcopatum. Certior nobis videtur posterior opinio.

XLIII. Major inter Auctores occurrit discrepantia super anno, quo Magnus seu Magno Senonensem Archiepiscoparum iniit. Demochares, quem Tavellus aliíque non pauci sequuntur, initium illius Pontificatûs in annum Redemptoris octingentesimum quartum rejicit. Robertus & Sirmondus Magnonem biennio priùs Archiepiscopum agnoscunt, anno videlicet Caroli Augusti secundo, sive anno Redemptoris octingentesimo secundo. Duchesnius annum Caroli secundum non Imperatoris sed Regis interpretatur, comparátque cum anno Christi septuagesimo supra septingentesimum. Quæ dicta sunt hactenus de Senonensibus Archiepiscopis, opinionem Duchesnii satis refellunt. Magnonem anno Redemptoris octingentesimo secundo sedisse pro certo tenemus, atque ad eundem annum validissimè probabimus. Romæ ordinarum Episcopum plerique scribunt, aliunde quoque constat eum fuisse Juris peritissimum. Duplex hæc observatio persuadet factum hoc anno Senonensem Archiepiscopum, cùm Romæ in Caroli Augusti comitatu versabatur. Ejus igitur decessor Rambertus seu Reymbertus aut Raguibertus, vel Renobertus, quem triennio seriùs obiisse multi volunt ad initium hujus anni vix pervenit, jacet in Monasterio Sancti Petri. De Magni reditu ex Italia & adventu in civitatem Senonensem hæc leguntur in Codice Thuaneo [a]. *Magnus Romæ consecratur. Senonas rediens in Monasterio Divi Petri diversatur, in crastino ab eodem Cœnobio usque ad Templum majus Beati Stephani cum Hymnis & Canticis à populo & Clero deportatur. Qui mos in hodiernum usque diem Senonis observatur.* Sancti Petri Monasterio tunc Abbas præerat Bertemarius seu Berthemarius, cujus obitum anno sequenti consignabimus.

ARCHIEP. SENONENSES.

[a] Cod. 105.

XLIV. Tomo secundo Metropoleos Salisburgensis extat Abbatum Mettensium Catalogus, in quo primus Abbas Utho sive Utto sic commendatur. *B. Utto, constitutus Abbas circa an. Dn. 801.* De primordiis Uthonis & initiis Cœnobii Mettensis actum anno Christi septingentesimo nonagesimo-secundo.

UTHO FIT ABB. METTENSIS.

AN. CH. 802.
CAROLI IMP. 2.
PIPPINI LUDOV. RR. 22.
CAROLI R. 14.

ANNUS

CHRISTI		802.	
CAROLI	IMP.	2.	
	REG.	34.	31. 29.
PIPPINI II.	REG.	22.	
LUDOVICI	REG.	22.	
CAROLI	REG.	14.	
INDICTIO		10.	

L. CAROLUS Augustus cùm Siciliam classe aggredi statuisset, mutatâ pòst sententiâ fœdus ac perpetuam concordiam inire cum Irene Augusta maluit, dimisśóque Leone Spathario, quem illa Constantinopoli dire-

xerat pacis inter Francos ac Græcos confirmandæ gratiâ, suos quoque Legatos Jessen Episcopum Ambianensem & Helingandum Comitem Constantinopolim proficisci jussit, Indictione decimâ, sive anno Christi octingentesimo secundo. Ad hunc enim annum Annalista Laureshamensis aliique sic scribunt. *Irene Imperatrix è Constantinopoli misit Legatum nomine Leonem Spatharium, propter pacem confirmandam inter Francos & Græcos; & Imperator vicissim, propter ipsum, absoluto illo, misit Jesse Episcopum Ambianensem & Helingandum Comitem Constantinopolim, ut pacem cum ea statuerent.* Et Theophanes Legationem Indictione decimâ susceptam tradit, Κάρουλος βουληθεὶς τῇ Σικελίᾳ στόλῳ παρατάξασθαι μετεβλήθη, ζευχθῆναι μᾶλλον Εἰρήνῃ βουληθεὶς, πρέσβεις εἰς τοῦτο πέμψας τῷ ἐπιόντι χρόνῳ ἰνδικτιῶνι ι'. Addit hic Auctor Nuncios simul directos à Leone Papa, & Irenen Augustam à Carolo Augusto expetitam in uxorem, ut ambo Imperia Orientis & Occidentis in unum Principatum coalescerent; spémque maximam fuisse contrahendarum nuptiarum, nisi Constantinopolitanum Imperium civili motu repentè turbatum fuisset, séque consiliis Irenes opposuisset Aëtius, qui cuncta post eam administrabat, & Imperium in fratrem suum transferre meditabatur. Ἔφθασαν δὲ οἱ ἀποσταλέντες παρὰ Καρούλλου Ἀποκρισιάριοι καὶ τοῦ Πάπα Λέοντος πρὸς τὴν Εἰρήνην, αἰτούμενοι ζευχθῆναι αὐτὴν τῷ Καρούλλῳ πρὸς γάμον, καὶ ἑνῶσαι τὰ Ἑῷα καὶ τὰ Ἑσπέρια, ὅπερ κατήνευσεν ἄν, εἰ μὴ ὁ Ἀέτιος [illegible] ὁ πολλάκις ἐκώλυσεν παραδυναστεύων καὶ τὸ κράτος εἰς τὸν ἴδιον ἀδελφὸν σφετεριζόμενος. Etenim quasi Legati Constantinopolim non ad conciliandas nuptias sed ad spectandam tragœdiam advenissent, omnia sub eorum oculis continuò mutata sunt. Pridie Kalendas Novembris cœptâ jam Indictione undecimâ, μηνὶ Ὀκτωβρίῳ λα'. ἰνδικτιῶνι ια'. Nicephorus Patricius & Logotheta generalis ingenti perfidiâ atque ingratitudine tyrannidem arripuit, & ipsam Irenen è solio dejectam in Insulam Lesbum deportavit. Totum illud negotium fusè prosequitur idem Theophanes, quem consule si lubet, hæc ad institutum nostrum sufficiat excerpsisse. Porrò Legati Caroli, acceptis à Nicephoro novo Augusto literis pacis, Constantinopoli recesserunt cum aliis Legatis ipsius Nicephori, Michaele Episcopo, Petro Abbate, & Calisto Candidato, de quorum adventu in Germaniam agemus anno sequenti.

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINS LUDOV. RR. 22. CAROLS R. 14.

LEGATI IN ORIENTEM MITTUNTUR PRO SANCIENDA PACE.

IRENA AUGUSTA DEPONITUR.

NICEPHORUS FIT IMP.

II. Carolus sexto Kalendas Aprilis Pascha celebravit Aquisgrani, quò tandem Isaac Judæus cum elephante & aliis Aaronis Amiræ muneribus decimo-tertio Kalendas Augusti pervenit. Audi Annalistam Laureshamensem. *Celebratum est Pascha Aquisgrani Palatio. Hujus anni mense Jul.* XIII *Cal. Aug. venit Isaac cum elephante & ceteris muneribus, quæ à Rege Persarum missa fuerunt, & Aquisgrani omnia Imperatori detulit. Nomen elephanti erat Abulabaz.* Eadem de re Chronographus Moissiacensis ita scribit. *In ipso anno venerunt Missi ejus*, nempe Caroli, *quos miserat trans mare in Persida, ad Amarmamoli Regem Sarracenorum, propter elephantum bestiam, & ipsum elephantum adduxerunt secum in Francia ad Aquis Sedem.* E tribus Legatis Caroli, solus ex Oriente rediit Isaac. De titulis Aaronis, qui promiscuè Rex Persarum, Rex Sarracenorum, & Amiramamolinus, corruptè Amarmamolus appellatur, nihil hic repetemus. Elephas, quem Carolo misit, propter sui raritatem ingenti spectaculo cùm Italis tum Gallis fuit.

ISAACUS EX ORIENTE REVERSUS OFFERT CAROLO MUNERA AARONIS.

III. In Ducatu Beneventano variâ fortunâ res gestæ sunt. Pippinus bello ad singula oppida circumlato Ortonam & Nuceriam diuturnâ obsidione fatigatas suam in potestatem adduxit, & Winigisum Ducem Spoletanum præsidio imposuit Nuceriæ. Obsessus inde acriter à Grimoaldo Winigisus, cùm adversâ valetudine uteretur, unà cum ipso oppido venit in deditionem, captivus tamen summo honore est habitus. Lege veteres Annalistas,

BELLUM BENEVENTANUM.

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLI R. 14.

imprimis Lauteshamensem, cujus hic est textus. *Orthona civitas in Italia in deditionem est accepta. Nuceria quoque frequenti obsidione fatigata, & ipsa in deditionem venit, præsidiúmque nostrorum in ea est positum. Grimoaldus Beneventanorum Dux in Nuceria Winigisum Comitem Spoleti, qui præsidio præerat, adversâ valetudine fatigatum obsedit, & in deditionem accepit, captúmque honorificè habuit.*

IV. Ortona, Catoni Ortonum, Straboni Ortonium, Orton Ptolemæo, mari adjacet Adriatico, ideóque cognominatur Ortona * ad mare. Quidam illic Episcopalem olim Sedem fuisse suspicantur. Alii, quibus lubenter assentimur, illic anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo Episcopatum à Sixto Quinto erectum contendunt. Adi Ughellum Tomo sexto Italiæ Sacræ.

* *Ortona à mare.*

V. De Nuceriæ situ major est difficultas. In Italia multiplex est Nuceria. Unam intra Pippininæ Donationis fines Tomo superiore laudavimus; alteram apud montem Irpinorum ultra Sarnum fluvium Neapolim inter & Salernum ponunt, tertiam ad Cerbalum amnem collocant inter Beneventum & Sipontum, & hanc usitatiùs Luceriam appellant; alias minores omittimus. Dubium non est quin Annalista Laureshamensis & alii, qui sermonem de bello Beneventano fecerunt, vel Nuceriam ultra Sarnum, vel Nuceriam ad Cerbalum intellexerint. Nos Nuceriam ad Cerbalum interpretamur, atque, ut ita sentiamus, multæ res suadent. Luceriæ * nomen non utrique Nuceriæ tribuitur sed ei tantùm quæ sita est ad Cerbalum. Quam autem vulgatus Annalista Lauteshamensis Nuceriam nominat, Luceriam Codex Armaniacus, aliique dicunt Annalistæ, Fuldensis, Bertinianus, & Metensis, necnon incertus Auctor, Monachus Egolismensis, Ado, Regino, Sigonius, corruptè Lucernam Annalista Loiselianus, quibus adde & Erchempertum [a] in Auctario ad Historiam Pauli Diaconi de Gestis Langobardorum. Ætate Caroli Magni mancus est Lucerinorum Episcoporum Catalogus. Tunc ad provinciam Romanam pertinebat Episcopatus Lucerinus, qui subest hodie Metropolitæ Beneventano.

* *Luceria.*

[a] Cap. 3.

VI. *Imperator æstatis tempore in Arduenna venatibus operam dedit, & misso Saxonum exercitu trans-Albianos Saxones vastabat.* Hæc Annalista Loiselianus & alii.

VII. In Chronico Moissiacensi tria superadduntur, quæ justitiam pietatémque Caroli plurimùm commendant, nec videntur hîc omittenda.

VIII. MISSI PER PROVINCIAS DIRIGUNTUR AD FACIENDAM JUSTITIAM.

Primò, *recordatus Piissimus Karolus Imperator in die sua de pauperibus, qui in universo Imperia ejus erant, & justitias pleniter habere non poterant, noluit de intra Palatio suo pauperiores Vassos suos transmittere ad justitias faciendas, propter munera: sed elegit in Regno suo Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, cum Ducibus, & Comitibus, qui jam opus non habebant super innocentes munera accipere. Et ipsos misit per universum Regnum, ut Ecclesiis, viduis, & orphanis, & pauperibus, & cuncto populo justitiam facerent.*

IX. SYNODUS PRÆCIPIT, UT CLERICI SECUNDUM CANONES, MONACHI SECUNDUM REGULAM S. BENEDICTI VIVANT.

Secundò, Carolus Imperator *mense Octobri congregavit universalem Synodum in Aquis, & ibi fecit Episcopis, Presbyteris, Diaconibus relegi universos Canones, quos sancta Synodus præcepit, & Decreta Pontificum. Et pleniter jussit eos tradi coram omnibus Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus. Similiter in ipsa Synodo congregavit universos Abbates & Monachos, qui ibi aderant, & ipsi inter se Conventum faciebant. Et legerunt Regulam Sancti Patris nostri Benedicti, & eam tradiderunt sapientes in conspectu Abbatum & Monachorum. Et tunc jussio generaliter super omnes Episcopos, Abbates, Presbyteros, Diacones, seu universos Cleros facta: unusquisque in loco suo juxta Constitutionem Sanctorum Patrum, sive in Episcopatibus, seu in Monasteriis, aut per universas sanctas Ecclesias, ut Canonici juxta Canones viverent. Et quicquid in Clero aut in populo, de culpis aut de negligentiis apparuerit, juxta Canonum auctoritatem emendarent. Et quidquid in Monasteriis seu in Monachis contra Regulam Sancti Benedicti factum fuisset,*

fuisset, hoc ipsum juxta ipsam Regulam Sancti Benedicti emendare facerent. Mandavit etiam ut unusquisque Episcopus in omni Regno, id est, Imperio suo, ipse cum Presbyteris suis Officium, sicut psallit Romana Ecclesia; facerent. Nam & Scholas Cantorum in loca congrua constitui præcepit. Similiter & in Monasteriis Regulam Sancti Benedicti servantibus, ut Officium Sancti Benedicti facerent, sicut Regula docet.

X. LEGES JUSSU CAROLI RELEGUNTUR.

Tertiò, *ipse Imperator, interim quòd ipsa Synodus facta est, congregavit Duces, & Comites, & reliquum populum Christianum, cum Legislatoribus, & fecit omnes Leges in suo Regno legere, & tradere unicuique homini Legem suam, & emendare ubicumque necesse fuit, & emendatam Legem scribere, ut Judices per scriptum judicarent, & munera non acciperent, sed omnes homines, pauperes & divites, in Regno suo justitiam haberent.*

XI. MISSIS DOMINICIS CAPITULA DANTUR AD RES ECCLESIASTICAS PERTINENTIA.

Jacobus Sirmondus omnia Capitula, quæ Missis Dominicis hoc anno data sunt, in Metensi Codice reperit, sex tantùm ex iis Tomo secundo Conciliorum Gallicanorum publicanda censuit, omisitque cetera, quia non visa sunt ad res Ecclesiasticas pertinere. Primo prætermisso, secundum, tertium, quartum & quintum edidit, deinde undevicesimum cum vicesimo, nullâ intermediorum à quinto ad decimum-nonum factâ mentione.

XII.

De Episcopis & reliquis Sacerdotibus[a], *si secundùm Canonicam institutionem vivant, & si Canones benè intelligant & adimpleant.*

XIII.

De Abbatibus[b], *utrùm secundùm Regulam, & canonicè vivant, & si Regulam aut Canones benè intelligant.*

XIV.

De Monasteriis virorum[c], *ubi Monachi sunt, si secundùm Regulam vivant, ubi promissa est.*

XV.

De Monasteriis puellarum[d], *utrùm secundùm Regulam an Canonicè vivant, & de claustris earum.*

XVI.

De decimis & nonis[e], *atque castitia Ecclesiarum Dei, ut omnes dare & emendare debeant.* Hujus Capituli prior pars interpretatione non eget, verbis enim clarissimis præcipit, ut omnes solvant decimas & nonas de quibus suprà. Posterior pars obscurior est, quid enim sit *castitia* seu *castitium*, parum feliciter hactenus investigatum. Spelmanno[f] constructum quidpiam intra circuitum Monasterii, vel manufactum videtur. Huic opinioni favet in quinto libro Capitularium Capitulum centesimum duodequinquagesimum adversùs Ecclesiasticarum Immunitatum temeratores, qui non plùs Immunitatis nomine complecti quàm claustra Monasterii contendebant. *Pervenit ad nos, quod quædam Ecclesiæ ac Monasteria nostras ac prædecessorum nostrorum Immunitates habentia, multa præjudicia & infestationes à quibusdam patiantur, & nec per easdem Immunitates ullam defensionis tuitionem habere valeant, propter hoc quod ab eisdem Immunitatum temeratoribus dicatur, non plùs Immunitatis nomine complecti, quàm claustra Monasterii; cetera quoque, quamvis ad easdem Ecclesias vel Monasteria pertineant, extra Immunitatem esse. Propter hoc volumus atque decernimus, ut omnes intelligant non solùm claustra Monasterii vel Ecclesiæ atque castitia Ecclesiarum sub Immunitatis defensione consistere, verùm etiam domus, & villas, & septa villarum, & piscatoria manu facta, & quicquid fossis aut sepibus vel etiam alio clausarum genere præcingitur, eodem Immunitatis nomine contineri. Et quicquid intra hujusmodi munimenta ad jus earundem Ecclesiarum vel Monasteriorum pertinentia à quolibet homine nocendi vel damnum inferendi causâ spontaneâ voluntate committitur, in hoc facto Immunitas fracta judicatur. Quòd verò in agros, & campos, ac sylvas, quæ sine laborationibus sunt, & nullo modo munitione cinguntur, casu, sicut fieri solet, à quibuslibet hominibus aliquod damnum factum fuerit, quamvis idem ager, aut campus, vel sylva, ad Ecclesiam vel Monasterium habens Præceptum Immunitatis, pertineat, non tamen in hoc Immunitas fracta judicanda est. Et ideò non sexcentorum solidorum compositionem, sed secundùm Legem quæ in eodem loco tene-*

[a] Cap. 2.
[b] Cap. 3.
[c] Cap. 4.
[d] Cap. 5.
[e] Cap. 19.
[f] In voce *Castitia*.

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLI R. 14.

tur, is mulctandus est, qui scandalum vel damnum in tali loco fecisse convictus fuerit. Castitiæ igitur seu castitia Ecclesiarum sub Immunitatis tuitione consistunt, præcipitque Carolus, ut reatum emendent, qui talia loca violaverint.

XVII. *Ut diligenter inquirant* [a] *inter Episcopos, Abbates, sive Comites, vel Abbatissas, atque Vassos nostros, qualem concordiam & amicitiam ad invicem habeant per singula ministeria, aut si aliqua discordia inter ipsos esse videtur, & omnem veritatem in eorum sacramento nobis exinde renuntiare non negligant. Insuper totum undecumque necesse fuerit, tam de Justitiis nostris, quàm & pro Justitiis Ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, pupillorum, & ceterorum hominum inquirant & perficiant, & quodcumque ad emendandum invenerint, emendare studeant in quantùm meliùs poterunt; &, quod per se emendare non potuerint, in præsentiam nostram adduci faciant.*

[a] Cap. 10.

XVIII. Huc usque apud Sirmondum Capitula, quæ Carolus Imperator Missis suis hoc anno dedit. Sequuntur Capitula, ad Legem Salicam addita, de quibus anno proximo, Caroli Augusti tertio, differemus.

XIX. Aquisgranensis Concilii, quod hoc anno mense Octobri celebratum est, præter Chronographum Moissiacensem, cujus textum suprà descripsimus, meminit etiam ad hunc eundem annum Auctor Chronici San-Dionysiani, sic. DCCCII *Carlus Imp. ad Aquis Palatium Concilium habuit, ut ei omnes generaliter fidelitatem jurarent, Monachi, Canonici; ita & fecerunt.* Hujus autem juramenti duas formulas ex manuscripto Jacobi Sirmondi Codice publicavit Andreas Duchesnius [b]. Unam, sic. *Sacramentale qualiter promitto Ego, quòd ab isto die in anteà fidelis sum Domno Karolo Piissimo Imperatori, filio Pippini Regis & Berthanæ Reginæ, purâ mente, absque fraude & malo ingenio, de mea parte ad suam partem & ad honorem Regni sui, sicut per drictum debet esse homo Domino suo. Sic me adjuvet Deus, & ista Sanctorum Patrocinia, quæ in hoc loco sunt, quia diebus vitæ meæ per meam voluntatem, in quantùm mihi Deus intellectum dederit, sic adtendam & consentiam.* Alteram, sic. *Sacramentale qualiter repromitto Ego, Domno Karolo Piissimo Imperatori, filio Pippini Regis & Berthanæ, fidelis sum, sicut homo per drictum debet esse Domino suo, ad suum Regnum & ad suum rectum, & illud sacramentum, quod juratum habeo, custodiam, & custodire volo, in quantùm ego scio, & intelligo ab isto die & in anteà. Sic me adjuvet Deus, qui cælum & terram creavit, & ista Sanctorum Patrocinia.*

[b] Tom. 2. Collect. Hist. Franc.

FORMULA JURAMENTI CAROLO PRÆSTITI.

XX. Caroli zelum erga justitiam à Chronographo Moissiacensi non temerè laudatum probant Capitula, quibus varias Leges amplificavit.

XXI. Ad hunc etiam annum ex Metensi Codice Sirmondus [c] Capitulare publicavit Episcoporum, quod Capitula duo ac viginti complectitur, à Presbyteris custodienda atque adimplenda.

[c] Tom. 2. Conc. Gall.

EPISCOPORUM CAPITULARE A PRESBYTERIS CUSTODIENDUM.

I. Ut cuncti Sacerdotes precibus assiduis, pro vita & Imperio Domni Imperatoris, & filiorum ac filiarum salute orent.

II. Ut unusquisque Sacerdos quotidianis assistat orationibus pro Pontifice, cujus gubernatur regimine.

XXII. *III. Ut unusquisque Sacerdos Ecclesiam suam cum omni diligentia ædificet, & Reliquias Sanctorum cum summo studio vigiliarum noctis & divinis officiis conservet.*

XXIII.

XXIV. *IV. Ut omnibus festis & diebus Dominicis unusquisque Sacerdos Evangelium Christi populo prædicet.*

XXV.

XXVI. *V. Ut unusquisque Sacerdos Orationem Dominicam & Symbolum populo sibi commisso curiosè insinuet, ac totius Religionis studium & Christianitatis cultum eorum mentibus ostendat.* Ad hoc Capitulum multùm accedit quod est centesimum tertium in libro quinto Capitularium.

XXVII. *VI. Ut unusquisque Sacerdos cunctos sibi pertinentes erudiat, ut sciant qualiter decimas totius facultatis Ecclesiis divinis debitè offerant.*

VII. Ut & ipsi Sacerdotes populi suscipiant decimas, & nomina eorum, qui- AN. CH.
cumque dederint, scripta habeant, & secundùm auctoritatem canonicam coram tes- 802.
tibus dividant; & ad ornamentum Ecclesiæ primam eligant partem; secundam CAROLI
autem ad usum pauperum vel peregrinorum, per eorum manus misericorditer cum IMP. 2.
omni humilitate dispensent; tertiam verò partem sibimetipsis soli Sacerdotes reser- PIPPINI
vent. Breviùs hoc Capitulum neç adeò distinctè sic habetur libro quinto [a] LUDOV.
Capitularium. *Ut decimæ fideliter Sanctæ Ecclesiæ reddantur, & Presbyteri se-* RR. 22.
cundùm canonicam Regulam fideliter eas dividant.
VIII. Ut omnes Sacerdotes horis competentibus diei & noctis suarum sonent CAROLI
signa Ecclesiarum, & sacrata Deo celebrent officia, & populos erudiant, quomodo R. 14.
aut quibus Deus adorandus est horis. Huc refer Capitulum, quod est centesi- XXVIII.
mum duodeseptuagesimum in libro sexto Capitularium. *Ut Sacerdotes signa* XXIX.
tangant horis canonicis, & illorum officium agant sive diurnale sive nocturnale,
quia scriptum est. [*Sine intermissione orate.*] *Et idcircò non dimittant horas*
canonicas.

[a] Capit. 106.

IX. Ut nullus Sacerdos in domibus, vel in aliis locis, nisi in Ecclesiis dedica- XXX.
tis, celebrare Missas audeat. Hoc Capitulum libro quinto [b] Capitularium sic
memoratur. *Sancitum est, ut nullus Presbyterorum in domibus ab Episcopis non*
consecratis oblationem offerre quoquomodo præsumat.

[b] Capit. 111.

X. Ut à cunctis Sacerdotibus jus & tempus Baptismatis temporibus congruis se- XXXI.
cundùm canonicam institutionem cautissimè observetur. In libro quinto Capitula-
rium, Capitulum centesimum quartum stata Baptismi tempora recenset
Pascha & Pentecosten. *Ut Baptismus non fiat nisi statutis temporibus, id est,*
Paschâ & Pentecoste, nisi infirmitas intercesserit.

XI. Ut omnes Sacerdotes quibuscumque horis omnibus indigentibus Baptismum XXXII.
infirmitatis causâ diligentissimè tribuant. Hanc sanctionem Capitulum ex li-
bro quinto Capitularium proximè descriptum his complectitur verbis, *nisi*
infirmitas intercesserit.

XII. Ut nullus Presbyter sacrum officium, sive Baptismatis sacramentum, aut XXXIII.
aliquid donorum spiritalium, pro aliquo pretia vendere præsumat, ne venden-
tes & ementes in Templo columbas imitentur: ut pro his qui adepti sunt gratiam
divinam non pretia concupiscant terrena, sed solam Regni cælestis gloriam pro-
mereantur accipere. Breviùs in libro quinto Capitularium Capitulum centesi-
mum quintum. *Ut nemo Presbyterorum pro Baptismo pretium accipere præsumat.*
Quòd si fecerit, sciat se canonicâ Regulâ esse damnandum.

XIII. Ut nullus Presbyter à Sede propria Sanctæ Ecclesiæ, sub cujus titulo XXXIV.
ordinatus fuit, ambitionis causâ ad alienam pergat Ecclesiam, sed in eadem devo-
tus usque ad vitæ permaneat exitum. In libro quinto Capitularium, quod est
Capitulum centesimum octavum præcipit, *ut Presbyteri, qui in Titulis conse-*
crantur, secundùm Canones antequàm ordinentur promissionem stabilitatis loci
illius faciant.

XIV. Ut nullus ex Sacerdotum numero ebrietatis vitium nutriat, nec alios co- XXXV.
gat per suam jussionem inebriari.

XV. Ut nullus Sacerdos extranearum mulierum habeat familiaritatem, nec XXXVI.
in sua domo, in qua habitat, ullam mulierem nunquam permittat habitare. In
libro quinto Capitularium consentaneum est Capitulum centesimum no-
num. *Ut Presbyteri secum fœminas licentiam non habeant habitandi, & ut sus-*
piciones effugiant.

XVI. Nulli Sacerdotum liceat fidejussorem esse, neque derelictâ propriâ lege XXXVII.
ad secularia judicia audeat accedere.

XVII. Ut qui possessionem Ecclesiæ vel Parrochiam per XXX annos sine XXXVIII.
alicujus interpellatione tenuerit, jure perpetuo possideat. Si verò inde crebrò re-
petitum fuerit, fiat diligens inquisitio, & si eum, qui repetit, justè quærere
patuerit, adhibitis veracibus & nobilibus testibus quod repetit confirmando vin-
dicet.

AN. CH. 802.

XXXIX. *XVIII. Nemo ex Sacerdotum numero arma pugnantium unquam portet, nec litem contra proximum ullam excitet.* Id est, Presbyter arma non gerat, quibus utuntur qui pugnam ineunt, sive, ut habet Capitulum centesimum duodecimum libri quinti Capitularium, *Presbyteri vel Diaconi sive Subdiaconi arma portare non præsumant.*

XL. *XIX. Ut nullus Presbyterorum edendi aut bibendi causâ ingrediatur tabernas.*

XLI. *XX. Ut nullus Sacerdos quicquam cum juramento juret, sed simpliciter cum puritate & veritate omnia dicat.*

XLII. *XXI. Ut cuncti Sacerdotes omnibus illis confitentibus eorum crimina dignam pœnitentiam cum summa vigilantia ipsis indicent, & omnibus infirmis ante exitum vitæ viaticum & communionem Corporis Christi misericorditer tribuant.*

XLIII. *XXII. Ut secundùm definitionem Sanctorum Patrum, si quis infirmatur, à Sacerdotibus oleo sanctificato cum orationibus diligenter ungatur.*

XLIV. Sequuntur apud Sirmondum Capitula viginti-tria cum hoc titulo, *Capitula excerpta de Canone*, quæ Capitulum centesimum tricesimum-tertium cum quinque subsequentibus in libro primo Capitularium, & Capitulum undecimum cum sexdecim subsequentibus in Appendice prima constituunt, súntque hujuscemodi.

Alia Capitula pro Clericis et Laicis.

1. Ut per singulos annos synodus bis fiat.

2. Qualis ad Sacerdotium vel sacros Ordines, secundùm quod in Canone legimus, venire non potest.

3. Ut nequaquam inter duos Metropolitanos provincia dividatur.

4. Ne in una civitate duo sint Episcopi, & de Vicariis eorum.

5. Quòd non oporteat ordinationes Episcoporum diu differre.

6. De ordinatis Episcopis nec receptis.

7. Quòd non oporteat absolutè quoslibet ordinare.

8. De servo, si nesciente Domino suo fuerit ordinatus.

9. Quòd non liceat Clericum in duabus civitatibus ministrare, nec Abbates plurima Monasteria aut Cellas habere.

10. Ne de uno loco ad alium transeat Episcopus sine decreto Episcoporum, velut Clericus sine jussione Episcopi sui.

11. De peregrinis Episcopis & Clericis.

12. De literis peregrinorum, & Clericis sine literis ambulantibus.

13. Qualis vel pro qualibus culpis quis secundùm Canonicam institutionem degradetur de officio Sacerdotali.

14. De expulso ab Ecclesia, & excommunicato, vel damnato ab officio.

15. De Ordine Ecclesiastico, & Officio Missæ, & Reliquiis Sanctorum, & Oratoriis villaribus.

16. De Altaribus non consecrandis nisi lapideis.

17. De Confirmatione cum Chrismate.

18. De Baptismo.

19. De Pascha & die Dominico, & de reliquis Festivitatibus.

20. De jejuniis, & Quadragesima, vel Lataniis.

21. Ut Festivitates præclaræ non nisi in civitatibus, aut in vicis publicis teneantur.

22. De hoc Officio.

23. Ut omnes fideles communicent, & ad Missas expectent finalem deprecationem.

XLV. Quod apud Sirmondum est Capitulum decimum-quintum, in Appendice prima sic in duo distinguitur. XIX. *De Ordine Ecclesiastico & Officio Missæ.* XX. *De Reliquiis Sanctorum, & Oratoriis villaribus.* Hæc distinctio facit, ut Capitulorum à Sirmondo editorum numerum adæquent Capitula, quæ citantur in margine cùm ex libro primo Capitularium tum ex Appendice prima, Capitulum enim secundum editionis Sirmondanæ in prædictis libro & Appendice Capitularium desideratur.

AN. CH. 802.

Ex ejoſdem Sirmondi manuſcripto Codice publicata ſunt ab Andrea Ducheſnio [a] tria Capitula, quæ Carolus hoc anno, Imperii ſui ſecundo, promulgavit. Malè Ducheſnius in margine notavit annum Chriſti 770, quaſi ſecundus annus Caroli non Imperatoris Caroli ſed Caroli Regis annus ſecundus intelligendus eſſet. In illis enim Capitulis Miſſi per diverſas regiones præter alios inſtituuntur Archiepiſcopi duo, Magnus Senonenſis, & Magenardus Rotomagenſis, quorum neuter Archiepiſcopales Infulas anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo gerebat. XLVI.

[a] Tom. 2. Coll. Hiſt. Franc.

MISSI DOMINICI PER VARIAS REGIONES INSTITUUNTUR.

Primum Capitulum ſic habet. *In primis de Aurelianenſe civitate ad Segonnam quomodo rectum eſt. Deinde ad Trecas cum Tricaſſino toto. Inde ad Lingones, de Lingonis ad Biſſancion villam Burgundiæ. Inde verò ad Auguſtidunum, poſteà ad Ligerem uſque ad Aurelianis, ſunt Miſſi Magnus Archiepiſcopus & Gedefridus Comes.* Hic eſt Magnus Senonenſis Archiepiſcopus, quem anno priori, cùm Romæ in comitatu Caroli degeret, Archiepiſcopalibus Infulis donatum aſſeruimus adversùs eos, qui factum Archiepiſcopum ante annum Redemptoris octingenteſimum quartum negant. Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana [b] literas commendatitias, quæ Magnoni Archiepiſcopo Senonenſi ab Ebtoino Bituricenſi Metropolitano inſcribuntur, & inter veteres formulas libris Marculfi proximè ſubjectas duodecimam in editione Bignoniana, & centeſimam octogeſimam-quintam inter ſolennes in editione Lindenbrogiana conſtituunt, datas ait *anno 2 Imperii, 34 Regni Caroli*, notátque eum eſſe annum *Chriſti 802*. At rectè redarguitur à Sammarthanis, qui genuinam hanc earumdem literarum ſubſcriptionem, ut in prædictis editionibus & in Bibliotheca Patrum legitur, ſic ediderunt. *Actum in anno X Imperii Domni Caroli, & anno* XLIII *Regni ejus.* Id eſt, exeunte anno Redemptoris octingenteſimo decimo; Indictione quartâ quam contextus ipſarum literarum conſtanter adjungit, & anno Carolini Regni quadrageſimo-tertio jam inchoatis. Illas igitur literas in annum Chriſti decimum poſt octingenteſimum rejicimus, nec ullo nos earum præſidio fretos arbitramur, ut Magnonem anno Caroli Imperatoris ſecundo Archiepiſcopum aſſeramus. XLVII.

[b] In Archiep. Senon. 46.

Alterum Capitulum ſic habet. *In Pariſiaco, Melciano* ſeu Meldenſi, *Melidunenſi, Provinenſi, Stampinſi, Carnotenſi, Pinciacenſi, Fardulfus & Stephanus.* Hoc Capitulum ſuperiori non parum lucis affert. Ex eo enim quòd territoria Stampinſe & Meliduenſe complectitur, exponit clariſſimè quid in priori capite ſignificet hæc phraſis, *de Aurelianenſe civitate ad Segonnam quomodo rectum eſt*, id eſt, quà breviſſimum eſt iter ab Aurelianenſi civitate ad Segonnam ſive ad Sequanam, ab urbe videlicet Aurelianenſi ad Lupiæ * confluentes in Sequanam ſupra Meloduoum, itaut Stampæ *, Milliacum * & Meloduoum * ad hoc alterum Capitulum pertineant, in quo Miſſi commendantur Fardulfus & Stephanus. Ut autem in aliis Capitulis è duobus Miſſis unus Eccleſiaſticâ dignitate ſplendet, alter verò laicis annumeratur, ſic & qui nominatur in hoc Capitulo Fardulfus, nobis videtur Abbas San-Dionyſianus Carolo cùm Regi tum Imperatori percharus, qui Monaſterium ab anno Redemptoris ſeptingenteſimo nonageſimo-tertio ad annum Redemptoris octingenteſimum ſextum gubernavit. XLVIII.

* Le Loing.
* Eſtampes.
* Milly.
* Melun.

Ultimum Capitulum ſic habet. *In Cenomanico, Hoxonenſi, Livino, Bajocaſſino, Conſtantino, Abrincatino, Ebrecino, & Madricenſi, & de illa parte Sequana Rodomenſi, Magenardus Epiſcopus & Madelgaudus.* Ut ex primo Capitulo correximus Archiepiſcoporum Senonenſium Catalogos, qui Magnoni Senonenſes Infulas ante annum Redemptoris octingenteſimum quartum delatas inficiabantur, ſic & ex hoc Capitulo corrigimus Archiepiſcoporum Rotomagenſium Indices, qui vel Archiepiſcopi Magenardi mortem anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo conſignant, vel ei ſucceſſorem anno Redemptoris octingenteſimo tribuunt. Franciſcus Pommerayus Ma- XLIX.

AN.CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLI R. 14.

genardûm duabus de rebus commendat, quòd anno Christi feptingentefimo feptuagefimo Miffus cum Madelgaudo conftitutus fit, quódque dedicationi Centulenfium Ecclefiarum anno Redemptoris octingentefimo cum aliis Præfulibus interfuerit. Illa dedicatio peracta Kalendis Januariis anno Christi feptingentefimo nonagefimo-nono. Pommerayum in anno, quo Magenardus cum Madelgaudo Miffus inftitutus eft, decepit Andreas Duchefnius, qui fecundum annum Caroli non Imperatoris fed Regis perperam interpretatus eft, ut obfervatum fuprà. Magenardo Metropolitæ fex fuberant Epifcopi, Bajocenfis, Lexovienfis, Ebroicenfis, Abrincenfis, Conftantienfis, & Sagienfis. Horum Epifcoporum Diœcefes Carolus in fuo Capitulo defignavit per pagos, Hoxonenfem, Livinum, Bajocaffinum, Abrincatinum, Ebrecinum, & Conftantinum. Super pagis *Bajocaffino, Conftantino, Abrincatino, & Ebrecino* nulla difficultas, per eos enim nemo non intelligit Epifcopatus, Bajocenfem, Conftantienfem, Abrincenfem, & Ebroicenfem. Pagi Hoxonenfis & Livinus minùs noti; defignant autem Diœcefes Sagienfem & Lexovienfem. Pagus Oxomenfis *, unde factus Hoxonenfis, Oxomenfi quondam Epifcopo nomen dedit, donec Epifcopalis Sedes Sagium eft tranflata; Litharedum Oxomenfem Epifcopum, qui Concilium Aurelianenfe primum cum aliis Epifcopis anno Christi quingentefimo undecimo celebravit, Tomo primo non femel laudavimus. Pagus Livinus * caput habet Lexovium, ubi Sedes Epifcopalis, ut patet ex accurata Normanniæ per pagos defcriptione, quam Gabriel *du Moulin* Hiftoriæ Normannorum præviam effe voluit. Quod attinet ad pagos Cenomanicum & Madriacenfem, quos Imperator in fuo quoque Capitulo comprehendit, pagus Cenomanicus, cujus caput Cenomanum Epifcopatu nobile, pertinebat ad provinciam Lugdunenfem tertiam, cujus Metropolis civitas Turonorum; pagus autem Madriacenfis Parifino, Carnotenfi, Ebroicenfi, Vilcafino, & Pinciacenfi * conterminus erat, nullâ decorabatur Epifcopali Sede, tribus fubjiciebatur Epifcopis, Ebroicenfi, Carnotenfi, & Parifienfi, erátque partim in provincia Lugdunenfi fecunda, cujus Metropolis Rotomagum, partim in provincia Lugdunenfi quarta cujus Metropolis Senonæ. Lege hoc de pago, quæ fusè dicta funt Tomo quarto ad annum Christi fexcentefimum nonagefimum [a].

* *Le Païs d'Hiefme.*

* *Le Lieuvin.*

* *De Poiſſy.*

[a] Num. 12.

L.

Magenardus, cùm ab Imperatore Carolo Miffus per pagos fuprà nominatos inftitutus eft, annum in Pontificatu tricefimum agebat. Quot annos poftea vixerit, manet incompertum. Succeffit ei Willebertus, de quo tum laico ad annum Christi feptingentefimum nonagefimum-quartum [b] locuti quidem jam fumus, fed multò plura dicemus Tomo fequenti fub Ludovico Pio, quia Miffus ab eo conftitutus eft, ut deceffor à Carolo.

[b] Num. 105.

LI. EORUM OFFICIUM ET POTESTAS.

Quoniam autem tot in Præfules incidimus, qui facti funt Miffi Dominici, cóque Titulo fub Carolo Magno fummoperè commendantur, operæ pretium nobis videtur hic pauca de Mifforum Dominicorum officio ac poteftate delibâte, fingulâque confirmare probationibus ab ejufdem Caroli ævo atque Hiftoria petitis. Si plura cupieris, facilè confules Francifcum *de Roye* Antecefforem Andegavenfem, qui fuper illa materia quatuor libros nuper edidit, quorum primus habet *communia de Miffis Dominicis*, alter eft *de Miffis Dominicis ad Juftitiam*, tertius *de Miffis Dominicis ad difciplinam publicam*, quartus de Miffis *Dominicis ad vectigalia*.

LII.

Miffi Dominici dicebantur, qui miffi à Domino, id eft, à Rege, unde & Miffi Regales apud Gregorium Turonenfem [c]. Provincia feu regio, quæ Miffis Dominicis affignabatur, Miffaticus appellabatur & Miffaticum; aliquando Miffaticum ipfam quoque Legationem & mandata Miffis data fignificabat. Regnum pro Regis arbitrio in plura vel in pauciora Miffatica dividebatur, & unumquodque Miffaticum plures pagos & Comitatus ferè femper continebat, ut ex tribus Capitulis proximè defcriptis liquet. E Ro-

[c] Lib. 5. c. 19.

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLI R. 14.

qui Proceribus alii Clerici erant, alii Laici, ex utroque illo ordine, qui Missi fierent Dominici, sumebantur Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Duces, Comites, aliique Nobiliores Viri. Carolus Augustus, ut Chronographus Moissiacensis ad hunc annum jam citatus testatur, *elegit in Regno suo Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, cum Ducibus & Comitibus, qui jam opus non habebant super innocentes munera accipere. Et ipsos misit per universum Regnum, ut Ecclesiis, viduis, & orphanis, & pauperibus, & cuncto populo justitiam facerent.* Ad unumquemque Missaticum duo, ut plurimùm, Missi destinabantur; unus Clericus, alter Laicus; rarò plures. Exempla non longè repetemus. In Capitulis suprà recitatis duo singulis Missaticis attributi Missi, primo Magnus Senonensis Archiepiscopus & Godefridus Comes, alteri Fardulfus Abbas San-Dionysianus & Stephanus Vir Nobilis, tertio Magenardus Rotomagensis Archiepiscopus & Madelgaudus Laicus.

LIII. Missi Dominici, postquàm suis Missaticis à Rege designati fuerant, ab eo quoque, priusquàm illuc proficiscerentur, accipiebant Capitula, quæ passim admonitiones, commonitoria, instructiones, ordinationes dicuntur. De quibusdam Capitulis, quæ Missis Dominicis hoc eodem anno data sunt, actum suprà. Dabatur & iisdem Missis Tractoria, id est Regiæ literæ, quarum beneficio in locis sui Missatici recipiebantur, accipiebantque stipendium à Ministris Comitum, qui tenebantur illud ab iis exigere qui erant in Missatico. Stipendium illud variis nominibus, conjectus, conjectum, viaticum, honorarium, tributum, contributio, dispensa vocabatur.

LIV. Episcopi Missos Dominicos honoris gradu præcedebant in suis Diœcesibus, potestatem tamen ac auctoritatem eorum in multis rebus agnoscere tenebantur. Inter Capitula, quæ Missis Dominicis hoc anno data jam descripsimus, illud occurrit. *De Episcopis & reliquis Sacerdotibus, si secundùm Canonicam institutionem vivant, & si Canones benè intelligant & adimpleant.* Et ad annum Christi septingentesimum undenonagesimum [a] retulimus aliud Capitulum in quo Carolus ita loquitur. *Missi nostri providere debent, ne fortè aliquis clamor super Episcopum, vel Abbatem, vel Abbatissam, vel Comitem, seu super qualemcumque gradum sit, & nobis renuntiare.* Atque inde obiter observa Missos Dominicos in mandatis habuisse, ut de rebus majoris momenti ad Regem referrent.

[a] Num. 33.

LV. Missi Dominici Comitibus præponebantur. In Lege Longobardorum [b] hæc habetur Caroli sanctio. *Si Comes in suo ministerio justitiam non fecerit, tunc Missus noster de hac causa sonare*, id est, inquirere, *faciat, usquedum justitia ibidem facta fuerint.* Et libro tertio Capitularium [c] extat hoc ejusdem Caroli Capitulum, per quod liquet in uno Missatico plures fuisse Comites, quibus Missi Dominici præerant. *Unusquisque Missorum nostrorum in Placito suo notum faciat Comitibus, qui ad ejus Missaticum pertinent, ut* &c.

[b] Lib. 2. tit. 53. art. 2.

[c] Cap. 87.

LVI. Præcipuum officium Missorum Dominicorum erat in justitia facienda. Mittebantur in provincias, ut & justitiam facerent & ab aliis faciendam curarent. Carolus, ut ex Chronographo Moissiacensi jam citato constat, hoc anno Missos Dominicos direxit *per universum Regnum, ut Ecclesiis, viduis, & orphanis, & pauperibus, & cuncto populo justitiam facerent.* Et Pippinus ejus filius Legi Longobardorum hanc sanctionem adjecit [d]. *Ubicumque Missi nostri, aut Episcopum, aut Comitem, aut Abbatem, vel alium quemlibet, quocunque honore præditum, invenerint, qui justitiam facere noluerit vel prohibuerit, de ipsius rebus vivant, quamdiu in eodem loco justitiam facere debent.*

[d] Lib. 2. tit. 53. art. 21.

LVII. Quibus de rebus Missi Dominici cognoscerent, ostendit ex parte Carolus in Capitulis suprà notatis, quæ Missis suis hoc eodem anno dedit, ut inquirerent *de Episcopis & reliquis Sacerdotibus, de Abbatibus, de Monasteriis* cùm *virorum* tum *puellarum, de decimis & nonis*, de *castitia Ecclesiarum Dei*, & utrum amicitia esset an discordia *inter Episcopos, Abbates, sive Comites,*

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLI R. 14.

& Abbatissas, atque Vassos Regios. E duobus Missis, cùm unus semper esset Clericus, ac sæpissimè Episcopus aut etiam Archiepiscopus, mirum non est eos de Episcopis, Presbyteris, Abbatibus, Monasteriis cùm virorum tum puellarum, déque rebus Ecclesiasticis inquisivisse. Villam Caladium recuperavit Abbas Sancti Victoris Massiliensis, causâ coram Missis Dominicis agitatâ, regnante Carolo, ut ad ejusdem Regis annum duodecimum, Christi septingentesimum octogesimum [a], ex vetere Charta retulimus. Et anno Christi septingentesimo septuagesimo-quinto [b] recitavimus literas, per quas Hadrianus Papa Tilpino Remorum Archiepiscopo præcepit, ut *assumptis* secum *Viomago & Possessore Episcopis, & Missis Gloriosi Caroli Francorum Regis, diligenter* inquireret *de ordinatione* Lulli Metropolitæ Moguntiacensis, *& fidem ac doctrinam illius, atque conversationem, & mores ac vitam* investigaret. Anno quoque Christi septingentesimo undenonagesimo Capitulare descripsimus Aquisgranense, duobus & octoginta compositum Capitulis ad Ecclesiasticas tantùm personas pertinentibus, quorum executioni suam per Missos non defore diligentiam Carolus in ipsa Capitularis ad Episcopos Præfatione sic testatur. *Sciat certissimè Sanctitas vestra nostram vobis cooperari diligentiam. Quapropter & nostros ad vos direximus Missos, qui ex nostri nominis auctoritate unà vobiscum corrigerent quæ corrigenda essent.* Lege & librum tertium Capitularium, qui totus est de Capitulis à Carolo sancitis, habétque non pauca, quæ spectant ad Missorum Dominicorum officium ac potestatem. Hæc impræsentiarum sufficiant, sæpè enim sermo de iisdem Missis recurret, déque illis dicentur multa, quorum probatio non tam facilè à Capitulis Caroli Magni, quàm Ludovici filii nepotúmque Lotharii & alterius Caroli peti potest.

[a] Num. 19.
[b] Nu. 16. & seqq.

LVIII. Tempora, quibus Missi Dominici Legationes suas exercere debent, sic definit Carolus libro tertio [c] Capitularium. *Volumus ut propter justitias, quæ usque modò de parte Comitum remanserunt, quatuor tantùm mensibus in anno Missi nostri legationes suas exerceant; id est, in hyeme, Januario; in verno, Aprili; in æstate, Julio; in autumno, Octobrio. Ceteris verò mensibus unusquisque Comitum Placitum suum habeat, & justitias faciat. Missi autem nostri quater in uno mense, & in quatuor locis habeant Placita sua cum illis Comitibus, quibus congruum fuerit, ut ad eum locum possint convenire.*

[c] Cap. 83.

LIX. Cùm Missi Dominici ad Palatium redierant, Rex eos interrogabat, quid dignum relatu ex provinciis adferrent. *Si quid verò fuerit,* inquit Carolus [d], *unde dubitetur, ad proximum Placitum nostrum, quod cum ipsis Missis habituri sumus, interrogetur.* Ad eas interrogationes ac responsiones nova fiebant Capitula, quæ posteà ferebantur in Missatica.

[d] Lib. 3. c. 12.

LX. MAGNUS ARCHIEP. SENONENSIS NOTAS JURIS COLLIGIT.

Magnus seu Magno Senonensis Archiepiscopus, de cujus Missatico suprà locuti sumus, in maxima fuit apud Carolum existimatione. Notas Juris collegit, illásque eidem Carolo dicavit, ut ipsemet hisce versiculis testatus est.

Hæc Juris cunctâ libens Rex accipe Carle,
Offert devotus quæ tibi Magno tuus.

LXI. ECCLESIAM ÆDIFICAT AD SUAM ET CANONICORUM SEPULTURAM.

Idem Magnus Senonensis Archiepiscopus in Chronico Sancti Petri Vivi sic commendatur. *Ædificavit Ecclesiam in honore Salvatoris super terram Sancti Petri, ubi Canonicorum sepulturam instituens seipsum ibi sepelire fecit. Tempore ejus dedit Karolus Magnus Sancto Stephano villas, & prædia, & ornamenta varia, insuper Reliquias Sanctorum pretiosissimas.* Eadem referunt Monachus Altissiodorensis, Tavellus, aliique recentiores.

LXII. ABBATES S. PETRI VIVI.

In Codice Thuaneo [e] Berthemarus Abbas Sancti Petri Vivi moritur hoc anno. Succedit in regimen Monasterii Frodobertus. Uterque memoratur in ejusdem Cœnobii Chronico, Bertemarius seu Berthemarus sub Ramberto Senonensi Archiepiscopo & Carolo Magno, Frodobertus seu Frodbertus sub Hieremia Senonensi Archiepiscopo & Ludovico Pio Augusto.

[e] Cod. 105.

Distinctius

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLI R. 14.

Distinctius hæc ira connotari possunt. Berthemarus Abbas floruit Ramberto Senonum Archiepiscopo & Carolo Francorum Rege; superstes eidem vixit Ramberto, vitámque clausit hoc anno, Redemptoris octingentesimo secundo, cùm Senonenses Infulæ penes Magnum seu Magnonem Archiepiscopum essent, & Carolus annum Imperii secundum numeraret. Abbas post Berthemarum fuit Frodobertus, superstésque cùm Carolo Augusto cum Magnoni Senonum Archiepiscopo factus obiit Ludovico Pio Imperatore & Hieremiâ Senonensi Metropolitâ. Tomo sequenti recitabimus Diploma, quo Ludovicus Pius ab Archiepiscopo Hieremia rogatus cavit, ne quo deinceps prætextu bona, quæ Senonensibus Monasteriis, Sancti Petri, Sancti Joannis, & Sancti Remigii, concessa fuerant, à quopiam occuparentur. Actum suprà de Abbatibus Sancti Petri. Desiderantur Abbates Sancti Joannis. Post Dodanum, quem Tomo superiore laudavimus, Monasterio Sancti Remigii præfuerunt, Adhebertus Secundus, Badolenus, & Atbertus, solis nominibus in Catalogis noti. *ET S. REMIGII.*

LXIII. *EPISCOPI NIVERNENSES.* In eadem provincia Lugdunensi quarta Galdo memoratur hoc anno Nivernensis Episcopus apud Chenurium & Severtium. Successerat in Episcopatum Evarcio sive Evardo. Consule Indicem Nivernensium Episcoporum editum à Coquillo, illúmque confer cum iis quæ de Nivernensibus Episcopis dicta sunt Tomo superiore.

LXIV. *TRIDENTINI, VERONENSES.* Obierunt hoc anno Amator & Eginus Episcopi, ille Tridentinus, hic Veronensis. Successerunt Hildegarius Amatori, Egino Rotaldus. Utrorumque meminit Vghellus [a]. Hildegarius Sancti Vigilii Tridentini quondam Episcopi ac Martyris altare restauravit, & in eo Reliquias Sanctorum Martyrum honorificè condidit. De Rotaldo Veronensi Episcopo sermonem sæpè facturi sumus.

[a] Tom. 5. Ital. Sacr.

LXV. *SPIRENSES.* Obiit & hoc anno Sigewinus seu Wigewinus Spirensis Episcopus, eique datus est successor Atho sive Otho, qui Pontificatum annis octo gessit, ut Bruschius & Eysengreinius in Catalogo Spirensium Episcoporum testantur.

LXVI. *CAROLUS MUNIFICUS ERGA MONASTERIA DIOECESIS CURIENSIS.* Gabriel Bucelinus, in Chronologia Rhætiæ, Carolum hoc anno magnoperè commendat, quòd erga Curiensem Episcopatum, & Monasteria, Fabariæ, Disertinæ, & Sancti Lucii, munificentissimum se præbuerit, adeò ut alter tot Cœnobiorum fundator à plerisque celebretur. Curiensem Diœcesim regebat Constantinus Episcopus. Fabariæ præerat Eberhardus Abbas. Disertinam gubernabat vel Ogo vel Prunico, nam Carolo Magno sive Rege sive Augusto quinque recensentur Abbates illius loci, Adelbero, Azo, Præstans, Ogo, Prunico, superstes anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo vivebat Adelbero, Azo decessit anno Christi septingentesimo septuagesimo-octavo, Pruniconis obitus in annum Redemptoris octingentesimum decimum-quintum rejicitur, ignorantur autem anni, quibus obierunt Præstans & Ogo, ideóque sciri non potest, utrùm Ogo an Prunico Abbatiales Infulas anno Redemptoris octingentesimo secundo gesserit. Desideratur Catalogus Abbatum, qui Monasterium Sancti Lucii per illam ætatem gubernarunt.

LXVII. *BAUGULFUS ABB. FULDENSIS INJUSTE DEPONITUR.* Ad hunc annum Annalista Fuldensis ita scribit. *Eo anno Baugulfus Abbas Fuldensis Cœnobii, relictâ quam habuit potestate, Ratgarium successorem accepit.* Baugulfus Abbatiale munus exeunte anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono suscepit, coactus dimisit anno pòst vicesimo-tertio sive anno Redemptoris octingentesimo secundo, privatámque deinceps vitam duxit ad annum usque Redemptoris octingentesimum decimum-quintum, quo desiit in vivis esse. Longè diversa, quæ corrigi debent, in vita Rabani sic scripsit Trithemius. *Postea verò quàm Rabanus annum sextum-decimum complevisset ætatis, anno videlicet Dominicæ Nativitatis octingentesimo quarto, Indictione Romanorum duodecimâ, Baugolfus Abbas Fuldensis migravit ad Dominum, anno regiminis sui vicesimo-quinto. Quo non sine opinione Sanctitatis ma-*

AN. CH. 802.

gnæ sepulto, prænominatus Hrabani Mauri præceptor Rathgarius electione fratrum unanimi tertius in Abbatia succedens præfuit.

LXVIII. Utrùm jure an injurià depositus sit Baugolfus, in dubio relinquit Browerus [a], ubi Fuldensium Abbatum Indicem texit. Injurià pulsum existimamus, illius enim memoriam *non sine opinione Sanctitatis magnæ* prædicat Trithemius proximè citatus, & Candidus, qui successorem Ratgarium Monasterio quoque ejectum contumeliosis verbis afficit, eundem Baugolfum laudat, ut apud Browerum libro primo [b] Fuldensium Antiquitatum patet.

[a] Lib. 4 Antiquit. Fuld. [b] Cap. 11.

RATGARIUS SUCCEDIT.

LXIX. Ratgarius sub initium sui regiminis Rabanum, quem singulari præ ceteris affectu propter egregias dotes meritò diligebat, ad Alcuini scholam direxit, ut magis ac magis in dies sub tanto Præceptore proficeret. Hoc quoque loco multas Trithemius fabulas ita congerit. *In diebus illis florebat Albinus, qui & Alcuinus, natione Anglicus, professione Monachus, ordine Levita, dignitate Abbas Monasterii Sancti Martini Turonensis, Caroli Regis Magni quondam Præceptor, in omni varietate Scripturarum doctissimus, qui primus apud Gallos & Italos, Romæ, Parisiis, & Suessionis, Scholis Monachorum publicis prælatus, multa scripsit ad utilitatem communem, & plures in omni scientia auditores educavit doctissimos. Ad hunc venerabilem virum eo tempore in urbe Roma custodem & ministrum Ecclesiæ Lateranensis, Scholis Monachorum publicis præsidentem, Rathgarius Abbas de Fulda misit Hrabanum cum aliis duobus Monachis Haimone & Diedone, quorum prior Episcopus posteà fuit in Halberstat, posterior verò Hattoni in Abbatia Fuldensi fratrum electione successit. Albinus ergo missos ad se Monachos de Fulda sub Magisterii sui ferula suscipiens, omnem circa illos diligentiam adhibuit, & nullis pro salubri eorum institutione laboribus pepercit. Hrabanum tamen, quem ceteris acutiorem ingenio videbat, propensiore studio prosequebatur docendi, & singulari curà sollicitudinis circa illum vigilabat.* Tempus quoque, quo Rabanus Alcuinum adiit, hisce characteribus malè designat. *Cùm Beatus Magnentius*, id est, Rabanus, *octavumdecimum ætatis suæ annum attingeret, qui fuit Dominicæ Nativitatis octingentesimus sextus, & incredibili divinarum Scripturarum teneretur amore.* Nec feliciùs numerum notat annorum, quos Rabanus sub Alcuini disciplina transegit. *Annis sex*, inquit, *continuis apud Albinum Magistrum Hrabanus studiosissimus auditor atque discipulus Romæ permansit, & discendis Scripturis indefessum studium sedulus impendit.* Singulos jam nævos examinemus.

RABANUM TURONOS MITTIT ERUDIENDUM AB ALCUINO.

LXX. Alcuinus, ut suo loco probabimus, obiit anno Redemptoris octingentesimo quarto, unde cum Bollando rectè concludas ad eum venisse Rabanum eodem anno quo Rathgarius administrationem Fuldensis Monasterii suscepit, id est, hoc anno, Redemptoris octingentesimo secundo. Tunc autem Alcuinus Turonis degebat, & Scholis Turonensibus seu Martinianis magna cum laude procul ab Italia & ab urbe Roma præerat.

LXXI. Inter epistolas ipsius Alcuini, quæ primum locum occupat, hoc anno videtur scripta Carolo jam Imperatore. Fragmentum duntaxat de Scholis Turonensibus ex illis literis accipe. *Ego Flaccus vester secundùm exhortationem & voluntatem vestram, aliis per tecta Sancti Martini Sanctarum mella Scripturarum ministrare satago. Alios vetere antiquarum disciplinarum mero inebriare studeo. Alios Grammaticæ subtilitatis enutrire pomis incipiam. Quosdam Stellarum ordine, ceu picto cujuslibet magnæ domûs culmine, inluminare gestio. Plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum Sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad decorem Imperialis Regni vestri erudiam, ne sit vacua Dei Omnipotentis in me gratia, nec vestræ Bonitatis largitio inanis. Sed ex parte desunt mihi servulo vestro exquisitiores eruditionis scholasticæ libelli, quos habui in patria per bonam & devotissimam Magistri mei,* nempe Egberti Eboracensis Archiepiscopi, *industriam, vel etiam mei ipsius qualemcumque sudorem. Ideo hæc vestræ Excellentiæ dico, ut * fortè vestro placeat totius sapientiæ desiderantissimo consilio, ut aliquos ex pueris nostris remittam, qui excipiant inde nobis necessaria quæque, & revehant*

ALCUINUS DOCET TURONIS.

* no

in Franciam flores Brittanniæ, ut non sit tantummodo in Euborica hortus conclusus, AN. CH.
sed in Turonica emissiones Paradisi cum pomorum fructibus, & veniens Auster 802.
perflare hortos Ligeris fluminis, &c.

Nec ad alium annum referenda videtur apologetica Epistola [a], quâ se CAROLI
idem Alcuinus excusat, quòd ad Palatium Caroli tunc Imperatoris sive IMP. 2.
in altissimum secularis potentiæ honorem jam evecti venire non possit. *Ne* PIPPINI
quæso, inquit, *sancta mens Domini mei irascatur tarditati meæ, quòd modò ve-* LUDOV.
nire non valeam. Erit iterum, si Deo placuerit, tempore opportuno. Nec meam RR. 22.
reor devotionem vestræ Excellentiæ in aliquo loco plùs prodesse posse, quàm assi- CAROLI R. 14.
duis apud Sanctum Martinum orationibus, quatenus divina clementia, quæ vos LXXII.
per singulos Magistratus in altissimum secularis potentiæ evexit honorem, eo lon- [a] Ep. 17.
gavâ prosperitate uti concedat, atque ex hujus Sublimitatis dignitate ad apicem
æterni Regni ascendere faciat.

Ex his nemo non intelligit Alcuinum postremis annis vitæ suæ Turonis LXXIII.
moratum esse, ibique hoc anno docuisse, cùm missus est ad eum Rabanus.
Trithemius unam constantémque de Alcuino non amplexus est opinionem,
de illo enim inter alia hæc habet capite vicesimo-sexto libri secundi de
Viris Illustribus Ordinis Benedictini. *Fuit discipulus quondam venerabilis*
Bedæ Presbyteri in Anglia. Post cujus decessum cum tribus sociis Monachis venit
in Galliam, & aliquandiu in Manasterio Fuldensi moratus plures ex Monachis AN FUL-
clarissimos enutrivit discipulos; inter quos habuit præcipuos, Haymonem posteà DÆ?
Episcopum, Isuardum Monachum, & Rabanum Maurum tunc puerum, qui in vi-
rum Magnum posteà excrevit. Tandem provisione Caroli Abbas Sancti Martini
Turonensis effectus, doctrinâ & sanctitate clarus effulsit.

Alcuinus custos & minister Ecclesiæ Lateranensis non fuit, Romæ num- LXXIV.
quam docuit, imò Italiam non adiit ex quo venit in Franciam evocatus à AN ROMÆ?
Carolo. Relictâ Britanniâ in Franciam transfretavit anno Christi septin-
gentesimo nonagesimo-tertio, Synodo Francofurtanæ interfuit anno se-
quenti, &, quia Fulda Francofurto non longè distabat in eodem Archie-
piscopatu Moguntino, Fuldam adire potuit Sancti Bonifacii Martyris se-
pulchro nobilem, sed istius Monasterii Scholæ numquam præfuit, eodém-
que anno quo Concilium Francofordiense celebratum est, Rabanum pue-
rum annorum novem, qui Cœnobio tunc primùm à parentibus offereba-
tur, erudire non potuit. Post biennium, optavit *apud Sanctum Bonifacium*,
id est, in Monasterio Fuldensi, *Monasticam vitam secundùm Regulam Sancti*
Benedicti ducere, sed, ut suo loco notavimus, hanc *licentiam* à Carolo frus-
trà postulavit, imò factus est tunc Abbas Sam-Martinianus.

Trithemius, cùm res ab Alcuino gestas attentiùs perpendisset, Raba- LXXV.
num ab eo non Italia ubi Roma, non in Germania ubi Fulda, sed intra
Galliam eruditum sic asseruit in Chronico Hirsangiensi [b]. *Præceptorem ha-* [b] Ad an. 818.
buerat Rabanus *ex discipulis Bedæ Anglici Monachi Reverendissimum virum Al-*
binum Monachum & Abbatem Monasterii Sancti Martini Turonensis, Magni Ca-
roli Imperatoris quondam didascalum, à quo ipse hauserat in Gallia, quod alios in
Germania postmodum docebat. In hoc autem textu cùm loci nomen deside-
retur, & in vita Rabani jam citata duæ tantùm civitates in Gallia desi-
gnentur, Parisii videlicet & Suessiones, ubi Scholas Alcuinus instituerit,
nondum plenè satisfacit Trithemius, nam Romam quidem excludit cum
Fulda, sed Turonos haud indicat, imò Lutetiam Parisiorum vel Augus-
tam Suessionum insinuat.

Ut Alcuinum asseras docuisse Suessione, duæ res innuere videntur. Anno LXXVI.
Christi septingentesimo octogesimo-septimo Carolus è duobus Ecclesiæ AN SUES-
Romanæ Cantoribus, quos annuente Hadriano Papâ ex Italia secum ad- SIONEI
duxit, *unum in Metis civitate, alterum in Suessionis civitate* manere voluit, ut
in ejus vita testatur Monachus Egolismensis; atque inde quis facilè sibi
persuadebit Suessionem urbem erigendæ Scholæ jam tum percommodam

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLI R. 14.

visam fuisse. Gislam Abbatissam, Caroli Magni sororem, non semel adiit Alcuinus, & Commentarios in Evangelium Sancti Joannis scripsit ab eadem posteà rogatus Gisla, quæ fatebatur eo *exponente* se *aliquid de melliflua Sanctæ Scripturæ cognitione* jam hausisse, præeratque Suessione puellari Monasterio Sanctæ Mariæ, si vulgato Catalogo fides est, in quo proximum post Armentrudem Abbatissam locum tenet. At hæc argumenta nullo negotio diluuntur. Suessionem missus est insignis Cantor, non ut ibi literarum ludus institueretur, sed ut emendarentur Antiphonarii, ceteráque corrigerentur quæ pertinebant ad Cantum Ecclesiasticum. Gisla Caroli soror, Abbatissa fuit, ac Kalensis in agro Parisiensi; Suessionem igitur, ut eam inviseret, non adiit Alcuinus. Denique nec Rabanus Suessionem missus perhibetur, nec Alcuinus à quoquam, si Trithemium excipias, illic docuisse dicitur. De Lutetia non est par ratio. Reperiuntur enim, qui Parisiis & Alcuinum docuisse & Rabanum studuisse contendunt. Utrumque tamen commentitium.

LXXVII. Alcuinus ab anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio, quo venit in Franciam, ad obitum usque, qui post annos undecim contigit, duobus tantùm in locis docuit, in Palatio primùm, deinde Turonis, ut ex ejus epistolis liquet. Queritur epistolâ nonâ se despectum à novissimis Palatinorum Studiorum Magistris, qui spretâ Latinorum opinione, quam in Palatio cum applausu docuit, Ægyptiorum calculos in computandis annis anteponunt. Eos irridet ob temeritatem, pueros per contemptum vocat, seque comparat Entello, qui Dareta fidentem viribus & animis exultantem apud Maronem [a] prosternit. *Ego*, inquit, *tardus, ego mei ipsius immemor, vestrorum forsitan dignè puerorum sustinui flagellum. Entellus senior effœto corpore dudum cæstus deposuit suos, ætate florentibus cedit illos indui. Ideo aliquis illorum seniorem ingenti pugno percussit, itaut caligo obversaretur oculos senioris. Et vix resumptis viribus frigidus circa præcordia recaluit sanguis. Et, ut ad rem veniam, ac ignorantiæ fomentis caput percussi medicari incipiam, ego imperitus, ego ignarus, nesciens Ægyptiacam Scholam in Palatio Davidicæ versari Gloriæ*, id est, in Palatio Caroli, quem Davidem nuncupare solet. *Ego abiens*, è Palatio videlicet seu Comitatu Regio, *Latinos ibi dimisi. Nescio quis subintroduxit Ægyptios. Nec tam indoctus fui Memphiticæ supputationis, quàm benivolus Romanæ consuetudinis. Annum cum nato Christo & crescente luce initiare secundùm Latinos volens, non cum Ægyptiis qui tenebræ interpretantur, & supervenientibus tenebris ordiri, quia scio me olim cum Moyse tenebras Ægyptiorum relinquere, & modò in terra repromissionis, lucis & lætitiæ, cum Jesu Duce nostro libertate honoratum stare, & nullatenus secundùm quòd Dux meus, imò & Dominus noster dixit, iterum ad Ægyptiacas redire tenebras. Unde miror, cur pueri vestri annum legitimum à mense Septembrio incipere velint, & partem transacti decennovennalis sequenti connectere circulo, caudam vertentes in caput, & non magis omnibus Lunæ & Siderum augmentis vel detrimentis explosis ad novum annum & ad caput supervenientis circuli omnino liberè intrare.* Ex hoc textu liquet Alcuinum in Palatio docuisse, & post ejus abitum fuisse in eodem Palatio Magistros, qui posthabitis Latinorum sententiis quas inculcarat, opiniones Ægyptiorum suis Auditoribus explicuerunt. E Palatio Turonos abiit Abbas Martiniani Monasterii factus, ibique Scholam deinceps insignem tenuit, quam ipsemet in aliis ad Carolum literis [b] hoc anno jam citatis egregiè commendavit.

An Lutetiæ?

[a] Lib. 5. Æneid.

[b] Ep. 2.

LXXVIII. Qui volunt Alcuinum Scholæ Parisiensi præfuisse, Palatium, ubi docuit, Regias interpretantur Ædes, quas Carolus Parisiis habitare consueverat. Opinioni suæ satis consultum putant, si Parisios Sede Regni nobiles prædicent, ídque decoris, ex testimonio Gregorii Turonensis, huic civitati tribuant ab ætate Clodovei Magni. Quod enim Palatium simpliciter & sine addito dictum inveniunt, Clodovei successorúmque Regale domici-

lium appellant, nec illud alibi quàm in primaria Francorum urbe collocandum arbitrantur. AN. CH. 802.

Clodoveus, ut Tomo primo ad annum Christi quingentesimum octavum [a] ex Gregorio Turonensi [b] retulimus, *egressus à Toronus Parisius venit, ibíque Cathedram Regni constituit.* Tunc in Australi Parisiorum suburbio, ut ad eundem quoque annum [c] observavimus, vetustum conspiciebatur Palatium, perantiquum Romanorum opus, ubi præter ceteros Julianus Cæsar & Valentinianus Senior Augustus hyemarunt. Hoc Palatium Regiam Clodovei Magni posterorúmque Regum Sedem multis extitisse seculis, atque ætate Caroli Magni adhuc stetisse non inficiamur. At negamus Palatinam Scholam, cujus Magister Alcuinus, in hoc Palatio vel in alio quopiam Parisiis fixam fuisse. Schola hæc erat ambulatoria, noménque sortiebatur à Palatio, id est, à Regia domo, quia Regem, quocumque ibat, Palatini sequebantur Doctores, aut, si bellum ab eo gerebatur, in vicino tutóque loco cum Regina Regiísque liberis subsistebant. Alcuinus inter Caroli Magistros annumeratur; ab Eginhardo, sic. Carolus *artes liberales studiosissimè coluit, earumque doctores plurimum veneratus, magnis afficiebat honoribus. In discenda Grammatica Petrum Pisanum Diaconum senem audivit. In ceteris disciplinis Albinum, cognomento Alcuvinum, item Diaconum, de Brittannia, Saxonici generis hominem, virum undecanque doctissimum, Præceptorem habuit. Apud quem & Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipuè tamen Astronomiæ ediscendæ, plurimum & temporis & laboris impertivit; discebat & artem computandi, & intentione sagaci siderum cursum curiosissimè rimabatur.* De prælaudato Petro, qui Carolum Grammaticam docuit, sic Alcuinus in literis [d] ad eundem Carolum. *Dum ego adolescens Romam perrexi, & aliquantos dies in Papia Regali civitate demorarer, quidam Judæus, Julius nomine, cum Petro Magistro habuit disputationem, & scriptam esse eandem controversiam in eadem civitate audivi. Idem Petrus fuit, qui in Palatio vestro Grammaticam docens claruit.* Petrus & Alcuinus, ut ex præcitatis textibus constat, diversis temporibus in Palatio docuerunt, uterque Caroli Præceptor fuit. Alcuinus, de quo nobis hic sermo, vocatus ab eodem Carolo in Franciam venit anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertiò, Turonensis Abbas anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto constitutus, abhinc Martinianæ præfuit Scholæ, raróque pedem Turonis extulit, ut ad alia quoque Monasteria, quibus præerat, aliquando se conferret, aut urgente necessitate Regium Comitatum adiret. Id autem observandum maximè, quòd in Palatio non ampliùs docuit, ex quo factus est Abbas Sancti Martini. Superest igitur examinandum, an Carolus Rex Parisiis eo degerit tempore, quo discipulum atque auditorem Alcuini se præbuit. Hoc facilè sciri potest, quoniam ab Alcuini adventu in Franciam usque ad ejus profectionem in Turoniam tres duntaxat intercesserunt anni, ad quos itinera Caroli Regis accuratè veteres descripserunt Annalistæ.

CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLI R. 14.

LXXIX.

[a] Num. 18.
[b] Lib. 2. c. 38.
[c] Ad. an. 508. n. 58.
[d] Ep. 15.

LXXX. Anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio, quo Alcuinus ad Carolum è Britannia transfretavit, Carolus cis Rhenum versatus non legitur. In Bojoaria ut anno priore Natalem Domini, sic & isto Paschalem Solemnitatem celebravit. *Rex*, inquit Annalista Laureshamensis, *propter bellum cum Hunis susceptum in Bajoaria sedens, pontem navalem, quo in Danubio ad id bellum uteretur, ædificavit, ibíque Natalem Domini & sanctum Pascha celebravit.* Quas posteà Rex eodem anno regiones adierit, quídve peregerit, idem Auctor proximè sic explicat. DCCXCIII. *Cùm Rex bellum à se inchoatum conficere cuperet, & Pannoniam iterum petere decrevisset, nunciatum est copias, quas Thedericus Comes per Frisiam ducebat, in pago Rhinstri juxta Wisiram fluvium à Saxonibus esse interceptas atque deletas. Cujus rei nuncio accepto, magnitudinem damni dissimulans, iter in Pannoniam intermisit. Et cùm ei persuasum esset à quibusdam, qui sibi compertum esse dicebant, quòd si inter Radiantiam &*

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLI R. 14.

Almonum fluvios ejusmodi fossa duceretur, quæ esset navium capax, posse commodè è Danubio in Rhenum navigari, quòd horum fluviorum alter Danubio, alter Mœno miscetur. Confestim cum omni comitatu suo ad locum venit, ac magnâ hominum multitudine congregatâ totum autumni tempus in eo opere consumpsit. Ducta est fossa inter prædictos fluvios duûm millium passuum longitudine, latitudine CCC *pedum, sed in cassum. Nam propter juges pluvias, & terram quæ palustris erat nimio humore suapte naturâ infectam, opus quod fiebat consistere non potuit. Sed quantùm interdiu terra à fossoribus fuerat egestum, tantùm noctibus humo iterum in locum suum relabente subsidebat. In hoc opere occupato duo valdè displicentia de diversis terrarum partibus allata sunt. Unum erat Saxonum omnimoda defectio; alterum, quòd Saraceni Septimaniam ingressi, prælióque cum illius limitis Custodibus atque Comitibus conserto, multis Francorum interfectis, victores ad sua regressi sunt. Quibus rebus commotus, in Franciam reversus est, celebravítque Natalem Domini apud Sanctum Kilianum in Wirtziburgo juxta Mœnum fluvium.* Hæc Parisiis procul absunt.

LXXXI. Totum penè annum Christi septingentesimum nonagesimum-quartum Rex trans Rhenum egit, vertente autem anno venit Aquisgranum, ibique hyemavit, nec propiùs Parisios versùs accessit. Sic enim idem Annalista. *Rex celebravit Paschalis festi solennitatem super eundem fluvium* Mœnum *in villa Franconofurt, in qua & hyemaverat. Propter condemnationem hæresis Felicianæ æstatis initio, quando & generalem populi sui Conventum habuit, Concilium Episcoporum ex omnibus Regni sui Provinciis in eadem villa congregavit.* Habebat Alcuinum in suo comitatu, &, ut in Canone quinquagesimo-sexto prædicti Concilii legitur, *admonuit, ut Alcuinum ipsa Sancta Synodus in suo consortio sive in orationibus recipere dignaretur, eò quod esset vir in Ecclesiasticis doctrinis eruditus. Omnis namque Synodus secundùm admonitionem Domini Regis consensit, & eum in eorum consortio sive in orationibus receperunt.* Pergit autem Annalista. *Mortua est ibi*, nempe in villa Franconofurt, *Fastrada Regina, & Moguntiaci apud Sanctum Albanum sepulta. Quibus peractis, Rex bipertito exercitu Saxoniam petere statuit, eo videlicet modo, ut ipse cum dimidia parte copiarum ab Australi parte intraret, Karolus verò filius ejus cum alia medietate Rhenum apud Coloniam trajiceret, & in eandem regionem ab Occidente veniret. Quo facto, licèt Saxones in campo, qui Sinotfeldus vocatur, quasi prælium cum Rege commissuri consedissent, ibique adventum ejus opperirentur, amissâ victoria spe, quam sibi paulò antè falsò pollicebantur, ad deditionem omnes conversi sunt, victíque sine prælio Regis victoris potestati se subdiderunt. Dederunt igitur obsides, & jurejurando fidem se Regi velle servare promiserunt. Sic omisso prælio & Saxones domum reversi sunt, & Rex transmisso Rheno in Galliam se recepit. Et cùm Aquasgrani venisset, ibidem hybernis habitis & Natalem Domini & Pascha celebravit.*

LXXXII. Similiter anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto Carolus, postquàm hyemem apud Aquisgranum egit, ibique Pascha celebravit, profectus est adversùs Saxones, magnâque Saxoniæ parte vastatâ, cùm hyems immineret, Aquisgranum rediit, nec cis Mosam visus est, multò minùs Parisios ad Sequanam venit. Audi Annalistam. DCCXCV. *Quanquam Saxones æstate præteritâ & obsides dedissent, & secundùm quòd jussi erant, sacramenta jurassent, Rex tamen illorum perfidia non immemor Conventum generalem trans Rhenum in villa Cuffenstein, quæ super Mœnum contra Moguntiacum urbem sita est, more solenni habuit, atque inde cum exercitu Saxoniam ingressus, penè totam populando peragravit. Cúmque in pagum Bardengau pervenisset, & juxta locum, qui Bardenwig vocatur, positis castris, Sclavorum, quos ad se venire jusserat, expectaret adventum, subitò ei nunciatum est Vitzinum Regem Abotritorum, cùm Albim trajiceret, in dispositas à Saxonibus insidias in ipso flumine incidisse, & ab eis esse interfectum. Quod factum animo Regis ad Saxones citiùs debellandos velut quosdam stimulos addidit, & in odium perfidæ gentis ampliùs excitavit. Terrâ*

igitur magnâ parte vastatâ, & obsidibus, quos dare jusserat, acceptis, in Fran- AN. CH.
ciam reversus est. In hac expeditione, dum castra super Albim haberet, venerunt 802.
ad eum Legati de Pannonia, unus ex primoribus Hunnorum, qui apud suos vocaba- CAROLI
tur Thudun. Is & suum adventum & se Christianum fieri velle promisit. Rex autem Imp. 2.
Aquasgrani veniens, sicut & anno superiore, ibi temporibus suis & Natalem Do- PIPPINI
mini & Pascha celebravit. LUDOV.
Anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto Alcuinus, ut suo loco RR. 22.
probavimus, relicto Regis comitatu Turonos perrexit factus Abbas Basi- CAROLI
licæ Martinianæ. Rex autem, cùm apud Aquisgranum, ubi hyemarat, R. 14.
Pascha celebrasset, *cum exercitu Francorum Saxoniam petiit. Pipinum verò* LXXXIII.
filium suum cum Italicis ac Bajoaricis copiis in Pannoniam ire jussit; & ipse qui-
dem Saxoniâ magna ex parte vastatâ ad hyemandum Aquasgrani Palatium rever-
titur. Hæc idem Annalista, nec Carolum propiùs Parisios versùs deducit,
imò ad eum, cùm apud Aquisgranum hyemaret, Pippinum filium & Theo-
donem Hunnorum Dynastam venisse sic restatur. *Pipinus Hunis trans Ti-*
zam fluvium fugatis, corúmque Regiâ, quæ Ringus, à Langobardis autem Campus
vocatur, ex toto destructâ, direptis penè omnibus Hunnorum opibus ad patrem
Aquisgrani hyberna habentem venit, ac spolia Regni, quæ secum detulit, eidem
præsentavit. Thudun etiam ibidem ad Regem venit, ibique cum omnibus, qui se-
cum venerant, baptizatus ac remuneratus est. Denique res illius anni sic clau-
dit. *Rex, ut dictum est, Aquisgrani in hybernis considens, ibi & Natalem Do-*
mini & Pascha celebravit.
Non opus est in annos sequentes inquirere, quia procul à Palatio Turo- LXXXIV.
nis degebat Alcuinus, ex eodem tamen Annalista constat, Carolum illis
annis in Saxonia bellum gessisse, hyemémque egisse vel Aquisgrani vel
in ipsa Saxonia, nec cis Mosam rediisse ante annum Redemptoris octin-
gentesimum. Illo anno Rex Aquisgrano medio ferè Martio digressus oram
Oceani lustravit, Pascha celebravit in Monasterio Centulensi, varias ur-
bes adiit, Rotomagum, Turonos, Aureliam, Parisios, atque inde Aquis-
granum reversus est, eodémque pòst anno Moguntiam perrexit, habitó-
que generali Francorum Conventu iter in Italiam cum exercitu suscepit.
DCCC. *Redeunte vernâ temperie, medio ferè Martio Rex Aquisgrani digressus,*
littus Oceani Gallici perlustravit, & in ipso mari, ubi tunc piraticam Nordmanni
exercebant, classem instituit, præsidia disposuit, sanctum Pascha apud Sanctum
Richarium celebravit. Inde iterum per littus maris agens, Rotomagum civitatem
venit, ibique Sequanâ amne transmisso Turonos ad Sanctum Martinum orationis
causâ profectus est. Moratus ibi dies aliquot propter adversam Liutgardæ conjugis
valetudinem, quæ ibidem & defuncta & humata est. Obiit autem pridie Non.
Jun. Inde per Aurelianos ac Parisios Aquasgrani reversus est. Et mense Augusto
inchoante Moguntiacum veniens generalem Conventum ibidem habuit, & iter in
Italiam indixit, atque inde profectus cum exercitu Ravennam venit.
Hunc textum nonnulli frustrà proferunt, ut Carolum Parisiis versari so- LXXXV.
litum probent. Annalistæ verba nihil aliud innuunt, quàm Carolum, cùm
Aquisgranum è Turonia rediret, iter Parisiis habuisse. Turonis erat pridie
Nonas Junii, Moguntiacum initio mensis Augusti pervenit. Ivit Turonis
Aureliam, Aureliâ Parisios, Parisiis Aquisgranum, Aquisgrano Moguntia-
cum. Accurata hæc itineris descriptio vix unius alteriúsve hebdomadæ man-
sionem Parisiis admittit. Nec, si Regem diutiùs ibi tunc mansisse fateamur,
inde sequitur eum Parisiis quoque fuisse, quando Alcuinum è Britannia
venientem suscepit, annísque proximè sequentibus quandiu eo usus est
Præceptore in Rhetorica, Dialectica & Astronomia perdiscendis. Toto
illo tempore Rex Parisiis procul abfuit, ídque Annalistæ Laureshamensis
auctoritate, cui ceteri suffragantur, apertissimè suprà demonstratum est.
Alcuinus, ex quo Turonos primùm profectus est, Regem rarò convenit,
apud Parisios numquam; convenit apud Aquisgranum anno Christi septin-

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLI R. 14.

gentesimo nonagesimo-nono, cùm Felicis Urgellensis Episcopi proximus adventus expectabatur, Aquisgranensi enim Conventui, in quo Felix coram Rege, Episcopis, ac Proceribus, suam tandem hæresim seriò damnavit, creditur interfuisse Caroli Regis anno tricesimo-secundo jam inchoato, idque videtur eò probabilius quòd anno postero Pascha cum eodem Rege celebravit in Monasterio Centulensi. Mansionem igitur ferè annuam in Regio fecit comitatu, partim Aquisgrani ubi Rex hyemavit, partim in aliis locis, ad litus Oceani, apud Centulam, Rotomagi, Cenomanni, Turonis ubi Luitgardis anno Redemptoris octingentesimo pridie Nonas Junii vivere desiit. Alcuini colloquiis Regem cum suis liberis per tot menses continuos plurimùm profecisse non inficiamur, sed id vel illo tempore vel alio Parisiis factum constanter negamus.

LXXXVI. Si Cæsari Egassio Bulæo [a] fides est, Alcuinus in Palatinis Scholis non tantùm Carolum, Caroli filios, & alios adolescentes edocuit, sed & ipsius quoque Regis filias Gislam & Recthrudam liberalibus artibus, imò nonnullis etiam Sacræ Scripturæ tractatibus informavit. Quapropter illæ, postquàm Turonos recessit, ab eo Commentarios in Sancti Joannis Evangelium sibi Parisios mitti postularunt, ac ne fortè vel absentiam vel itineris longitudinem causaretur, exemplum protulerunt Beati Hieronymi, qui, cùm in Bethleem degeret, è loco longiùs distante ab urbe Roma, quàm Turonica civitas à Parisiaca distet, sua scripta Matronis Romanis & sacris Virginibus dirigebat. *Minori*, inquiunt, *vadosum ligeris flumen, quàm Tyrrheni maris latitudo, periculo navigatur, & multò faciliùs Chartarum portator tuarum de Turonis Parisiacam civitatem, quàm illius de Bethleem Romam pervenire poterit.* Ad hanc periodum supradictus Auctor sic exclamat. *Hæc qui leget, poterit dubitare, quin Alcuinus Parisiis in Palatio Regio docuerit? & quin ipse de Palatio Parisiensi loquatur? cùm sic ait ad librum.*

[a] Tom. 1.

Perge, Libelle sacer, cunctis præclarior Odis,
Et pete præclari præclara Palatia Regis.

LXXXVII. Bulæus omissâ literarum inscriptione, quas Alcuino Gisla & Recthruda transmiserunt, duo duntaxat ex illis fragmenta recitavit. Unum, sic. *Postquàm, Venerande Magister*, &c. usque ad has voces, *spes perpetuæ beatitudinis*. Alterum, sic. *Memento* &c. usque ad illas voces, *Romam pervenire poterit.* Ipsas literas, ut cum Alcuini operibus ante libros in Evangelium Sancti Joannis editæ sunt, integras accipe. *Venerando Patri, nobis cum summo honore amplectendo, Albino Magistro, humillimæ Christi famulæ, Gisla & Rectruda, perpetuæ beatitudinis salutem. Postquàm, Venerande Magister, aliquid de mellifluæ Sanctæ Scripturæ cognitione, vestrâ sagacitate exponente, hausimus, ardebat nobis, ut fatemur, de die in diem desiderium hujus sacratissimæ lectionis, in qua purificatio est animæ, solatium mortalitatis nostræ, & spes perpetuæ beatitudinis. In qua beatus vir, juxta Psalmistam, cottidianâ seipsum exercet meditatione, intelligens omnibus seculi divitiis hujus esse agnitionem præferendam. Neque aliam esse veram sapientiam, nisi quam * humano generi, secundùm dispensationem divinæ providentiæ, cælestis gratia amministravit. Hoc est manna, quod sine fastidio satiat, sine defectu pascitur. Hæc sunt divinæ segetis grana, quæ Apostolicis fricata manibus, atque per eos fidelium epulis animarum apposita sunt. Sed duo valdè nobis contraria cottidianâ tristitiâ parvitatis nostræ mentem fatigant. Unum, quòd tardiùs hujus optimi studii diligentiam habuimus. Aliud, quòd modò magnam habentibus devotionem, vestra longinquitas desiderio nostro satis obsistit. Sed vestram, charissime Doctor, deprecamur pietatem, ne nos literarum tuarum solatio deseras. Poteris teipsum nobis quærentibus per literarum officia ostendere, ut intelligatur vox tua in arcano cordis nostri desiderio. Nam sicut loquentis lingua in aure audientis, ita scribentis calamus proficit in oculo legentis, & ad interiora cordis pervenit sensus dirigentis, sicut verba insistentis. Quapropter, Beatissime Pater, noli * teipsum nobis negare, irriga salutiferi fontis*

* in edit. quæ

* malè in edit. noluo ipsum

undâ

undâ pectora nostra parvitatis arentia. Scimus in te esse fontem viventis aquæ, quæ Domino dicente saliet in vitam æternam. Nolumus ad te pertineat, quod Salomon ait de his, qui suam solent celare sapientiam. [Thesaurus occultatus, & scientia abscondita, quæ utilitas in utrisque?] Sed magis Domino dicente per Prophetam. [Aperi os tuum, & ego adimplebo illud.] Aperi confidenter os tuum in sacratissimam, Spiritu Sancto inspirante, Beati Joannis Evangelistæ expositionem, & venerabiles Sanctorum Patrum pande nobis sensus. Collige multorum margaritas in spiritalis thesauri cubili, & pasce ex eo pauperes Christi. Noli nos jejunas dimittere, ne deficiamus in via. Habemus siquidem Clarissimi Doctoris Augustini homeliatico sermone explanationes in eundem Evangelistam, sed quibusdam in locis multò obscuriores, majorique circumlocutione decoratas, quàm nostra parvitatis ingeniolum intrare valeat. Sufficit nobis vestræ devotionis de rivulis dulcissimæ aquæ potare, non profundissimis gurgitum fluminibus nostras immittere carinas. Scis enim optimè, parvis parva sufficere, nec ad mensam magnatorum pauperem turbam accedere posse. Nec nostrum est altissima cedrorum cacumina ascendere, sed cum Zachæo pro brevitate staturæ nostræ in sycomoro stare, Jesumque transeuntem cernere, continuisque precibus deplorare, ut nos suis dignas efficiat conviviis, vobiscumque dulcissimum epithalamii paradigma decantare. [Introduxit nos Rex in cellaria sua, exultabimus & lætabimur in eo.] Memento Clarissimum in Sancta Ecclesia Divinæ Scripturæ Doctorem, Batissimum siquidem Hieronymum, nobilium nullatenus sprevisse fœminarum preces, sed plurima nominibus illarum in Propheticas obscuritates dedicasse opuscula, sæpiusque de Bethleem Castello Christi Domini nostri Nativitati consecrato ad Romanas arces epistolaribus hisdem petentibus volare chartulis, nec terrarum longinquitate vel procellosis Adriatici maris fluctibus territum, quominùs sanctarum virginum petitionibus annueret. Minori, vadosum ligeris flumen, quàm Tyrrheni maris latitudo, periculo navigatur, & multò facilius chartarum portator tuarum de Turonis Parisiacam civitatem, quàm illius de Bethleem Romam, pervenire poterit. Noli tuæ devotionis nobis subtrahere scientiam, noli accensam in te lucernam modio supponere, vel torpentis lectuli quiete abscondere, sed præcelso superpone eam candelabro, ut luceat omnibus, qui in Domo Dei sunt. Intra Sanctorum gazophylacia Doctorum profer nobis, veluti Doctissimus Scriba & à Domino laudatus, nova & vetera. Aderit tibi in itinere hujus laboris illius gratia, qui duobus discipulis euntibus in via tertium se socium addidit, illisque sensus aperuit, ut Sanctas intelligerent Scripturas. Quomodo poteris teipsum à culpa taciturnitatis apud eum excusare, qui ait, [omni petenti te da,] maximè dum nullatenus tibi minuetur quod dederis, sed datum magis augetur? Spiritus Paraclitus omni veritatis doctrinâ, & perfectâ charitatis scientiâ vestra impleat pectora, Magister dulcissime.

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI R R. 22. LUDOV. CAROLI R. 14.

Alcuinus annuit postulationi, Sancti Joannis Evangelium septem libris exposuit, quinque priores prædictis Sanctimonialibus Gislæ & Rechtrudæ seu Richtrudæ dicavit, ut ex præfixa patet epistola, cujus hæc est inscriptio. *Nobilissimis in Christianæ Religionis sanctitate, & in sapientiæ studiis devotissimis, Deóque dicatis Virginibus, Gislæ sorori & Richtrudæ filiæ, humilis frater & pater Albinus, perpetuæ beatitudinis salutem.* LXXXVIII.

Ne Gislam & Rechtrudam, de quibus hîc sermo, filias Caroli Magni putemus, multæ res vetant. E Caroli filiabus nulla reperitur, cui nomen Rechtruda seu Richtruda, nec ad ullam hoc nomen propius accedit quàm ad Rotrudem, cujus ortus cum anno Christi septingentesimo septuagesimo-quinto coincidit. Gisla verò, cujus nativitas in annum Christi septingentesimum octogesimum-primum rejicitur, sex annis junior erat Rotrude, nec occurrit ratio cur Rotrudi præponatur in literis ab iis ad Alcuinum vel ad eas ab Alcuino transmissis. Deinde ambæ conqueruntur, quòd *hujus optimi studii*, Sacræ videlicet Scripturæ, diligentiam *tardiùs* habuerunt; id autem de Gisla Caroli Magni filia non potest asseri, qoia duodecim duntaxat annos erat nata, cùm Alcuinus in Franciam venit evo- LXXXIX.

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLI R. 14.

catus à Carolo, quindecim eùm factus eſt Abbas Turonenſis. Prætereà Giſla & Rechtruda duæ ſunt Aleuino Virgines, eæque Deo dicatæ dieuntur. Rottudis autem & Giſla, quæ Catoli Magnl filiæ fuerunt, non erant iu Sanctimonialium Collegio, cùm Alcuiuus Commeutarios in Evangelium Sancti Joannis exarabat. Anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, ſive anno poſt Alcuiui mortem ſecundo, *Conventum habuit Imperator cum Primoribus & Optimatibus Francorum de pace conſtituenda inter filios ſuos, & diviſione Regni facienda in tres partes, ut ſciret unuſquiſque illorum quam partem tueri & regere debuiſſet, ſi ſuperſtes illi eveniret. De hac partitioue eſt Teſtamentum factum, & jurejurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, & conſtitutiones pacis conſervandæ causâ factæ.* Hæc Annaliſtæ, Loiſelianus, Laureshamenſis, aliſque teſtantut. At in illo Teſtameuto, quod Pithœus publicavit, Carolus nullam è ſuis filiabus Monialem agnoſcit, de illis enim ſic ſetibit. *De filiabus autem noſtris, ſororibus ſcilicet prædictorum filiorum noſtrorum, jubemus, ut poſt noſtrum ab hoc corpore diſceſſum licentiam habeat unaquaque eligendi ſub cujus fratris tutela & defenſione ſe conferre velit. Et qualiſcunque ex illis Monaſticam vitam elegerit, liceat ei honorificè vivere ſub defenſione fratris ſui, in cujus Regno degere voluerit. Quæ autem juſtè & rationabiliter à condigno viro ad conjugium quæſita fuerit, & ei conjugalis vita placuerit, non ei denegetur à fratribus ſuis, ſi & viri poſtulantis & fœminæ conſentientis honeſta & rationabilis fuerit voluntas.* Obiit Rotrudis ante patrem, anno Redemptoris octingenteſimo decimo, ut Anualiſtæ, Loiſelianus, Laureshamenſis, Fuldenſis, Bertinianus ae Metenſis ptodunt. Patri ſupervixit Giſla, quam qui Monialem fuiſſe volont, eum ejus amita Giſla Caroli Magni ſorore videntut confuudere. Giſla Caroli Magni ſoror inter Moniales in Cœnobio Kalenſi vixit, & Marſiliæ Abbatiſſæ in adminiſtrationem Monaſterii ſueeeſſit. Regium nonnumquam adibat Comitatum, ideóque Theodulfus, licèt dubius an eſſet cum fratre, de illa quoque locutus eſt in Carmine, quo victotiam adversùs Honnos & eotumdem Hunnorum converſionem ad Chriſtianam fidem Carolo Regi gratulatus eſt. Lege quæ dicta ſunt illo de Carmine ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-ſextum *, quo ptoſligati ſunt à Franeis Hunni.

* No. 123. & ſeqq.

XC. Alcuinus eodem illo anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo uonageſimo-ſexto, factus eſt Abbas Sam-Martinianus, eúmque è Regio Comitatu Turonos contenderet, in itinere Kalam Cœnobium adiit, ibíque cum Giſla Caroli Regis ſorore eolloquium habuit. Ad illud cum Aleuino colloquium alludere videntur Giſla & Rechtruda, cùm ſuas ad eum literas ſic ordiuntur. *Poſtquàm, Venerande Magiſter, aliquid de melliflua Sanctæ Srciptura cognitione, veſtrâ ſagacitate exponente, hauſimus, ardebat nobis, ut fatemur, de die in diem deſiderium hujus ſanctiſſimæ lectionis.* Iſtud vocabulum, *aliquid*, non diuturnam innuit moram, ſed qualem quis agere poteſt viſitatiouis obtentu. Dies igitur aliquot apud Kalam * moratus eſt Alcuinus, eùm Tutonos ptimùm profieiſeeretur. Tunc *aliquid de melliflua Sanctæ Scripturæ cognitione* ſuâ *ſagacitate* expoſuit cùm Abbatiſſæ Kalenſi tum Monialibus in eodem Cœnobio degentibus, unde factum ut illis arſerit *de die in diem deſiderium hujus ſacratiſſimæ lectionis*, quod & poſteà teſtatæ ſunt ſcriptis ad eum literis, petitâque expoſitione *Beati Johannis Evangeliſtæ*, quam libris ſeptem confecit anno proximo, ſive anno poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo nonageſimo-ſeptimo.

* Chelles

XCI. Nòn inficiamur Aleuinum apud Kalam eum Giſla illius loci Abbatiſſa collocutum aliàs quoque fuiſſe, eùm è Cella Sancti Judoci, quæ ſita eſt in Ambianenſi Diœceſi, Tutonos anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-nono rediret, uecnou & eodem pòſt anno eùm Turonis Aquiſgranum proficiſeeretur. Hæc ſuis locis probata ſont. At ex epiſtolis Alcuini & Caroli ſimul collatis palàm fit Aleuinum ſtatim à primo de Sacra Scriptu-

ta colloquio apud Kalam habito rogatum esse, ut Sancti Joannis Evangelium exponeret. Alcuinus hoc Evangelium septem libris explicuit. Quinque dedicavit Gislæ ac Richtrudæ, sic. *Nobilissimis in Christiana Religionis sanctitate & in sapientia studiis devotissimis, Deóque dicatis virginibus, Gislæ sorori & Richtrudæ filiæ, humilis frater & pater Albinus, perpetua beatitudinis salutem;* duos postremos eidem Gislæ & Columbæ, sic, *Charissima in Christo sorori Gislæ, & filiæ Deo vota Columbæ, humilis Levita Alcuinus salutem.* In posteriore epistola dedicatoria testatus est se *totius forsitan Evangelii* seu quatuor Evangelistarum *expositionem* directurum fuisse, si non ex præcepto *Domini Regis* occupatus esset *in emendatione veteris novique Testamenti.* Et *Carolus Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum* in litteris, quas ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-septimum [a] recitavimus, non tantùm emendationem illam utriusque Testamenti jam factam laudavit, sed & adjecit provinciam à se posteà demandatam Paulo Diacono, ut ex dictis Catholicorum Patrum congruentes cuique festivitati per totius anni circulum distinctè lectiones apparet, idque duobus voluminibus ab eodem quoque Paulo confectum asseruit. Hæc autem omnia fieri non potuerunt, priusquàm Carolus Imperator & Augustus acclamaretur, si Kalenses Moniales Alcuinum, ut expositionem Sancti Joannis aggrederetur, haud rogarunt ante annum Christi septingentesimum nonagesimum-nonum, quo Kalam adiit, cùm ad Monasterium Sam-Martinianum è Cella Sancti Judoci reverteretur. Recurrendum igitur ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-sextum, quo primùm Alcuinus Abbatissam Kalensem visitavit, eùm post Itherium factus esset Abbas Sam-Martinianus, & iter ex aula Regia per agrum Parisiensem ageret in Turonicum, ut administrationem prædicti Cœnobii susciperet.

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLI R. 14.

[a] Num. 38.

XCII. Kala, teste Gregorio Turonensi [b], *distat ab urbe Parisiaca quasi centum stadiis*, sitàque est in Diœcesi Parisiensi. Causam aliam ne quæras, cur Gisla & Rechtruda civitatis Parisiacæ suis in literis meminerint, & Alcuino significarint epistolas faciliùs *de Turonis Parisiacam civitatem, quàm de Bethleem Romam*, delatum iri. Vivebant igitur in Kalensi Monasterio Gisla & Rechtruda, illa Abbatissa, hæc Monialis; Gislam sororem, Rechtrudam filiam vocat Alcuinus; Gislæ respectu fratrem, respectu Rechtrudæ patrem se dicit.

[b] Lib. 6. c. 46.

XCIII. Palatii nomine per Exochen Parisiense Palatium apud Alcuinum intelligi non arbitramur, quia Carolus toto tempore, quo regnavit, rarissimè Parisios adiit. Anno Redemptoris octingentesimo tertio, ipsâ hyeme, terræ motum *circa ipsum Palatium & finitimas regiones* factum veteres scribunt Annalistæ, Loiselianus, Lauteshamensis, & Bertinianus. Eadem prorsus habent in vita Caroli Monachus Egolismensis & incertus Auctor. *Ipsum* verò *Palatium* ne Parisiense suspiceris Palatium, Regino & Metensis Annalista prohibent. Uterque enim Aquisgranense Palatium sic interpretatur. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCIII. *terra motus Aquis Palatio factus est.* Et ne Parisios obstinatiùs Regiam tunc Sedem fuisse dicas, id decoris Aquisgrano Chronographus Moissiacensis ad annum Redemptoris octingentesimum quartum tribuit, asserit enim de Carolo, quòd Saxonibus sub jugum missis in Franciam remeavit, *& pervenit ad Aquis Sedem Regiam, ibíque hyemavit, & celebravit Pascha.* Similiter Theganus in Gestis Ludovici Pii de illius Sede sic loquitur, capite decimo-quarto. *Dominus Ludewicus, postquam confirmavit confinia Regni sui illis in partibus, rediit ad Sedem suam Aquis, ibique hyemem transegit.* Capite decimo-nono. *Revertens Dominus Imperator venit Aquisgrani Palatium ad Sedem suam.* Capite vicesimo-secundo. *Imperator celebravit ibidem Natalem Domini, & inde revertens venit ad Sedem suam Aquis.* Et capite tricesimo-septimo. *Venit Dominus Imperator Aquis ad Sedem suam.* Hæc sufficiant exempla, ceteris immorari supervacaneum videtur.

AN. CH. 802. Rabanus igitur Alcuinum nec Romæ, nec Fuldæ, nec Suessione, nec Parisiis, sed Turonis audivit, huc missus à Ratgario Fuldensi Abbate, qui

XCIV. Præfecturam Abbatialem hoc eodem anno post Christum natum octingentesimo secundo suscepit. Mirum sanè repertos è Neotericis, qui condiscipulos Alcuinum & Rabanum in Anglia sub Beda Magistro, simúlque Professores in Academia Parisiensi comminiscerentur. *Anno* DCCCXXXI *Beda Presbyter Anglorum obiit.* Id testatur Annalista Nazarianus. Multò seriùs in lucem editus est Rabanus, cujus obitum post annos centum vigintiquinque sic consignat Annalista Fuldensis. *Anno* DCCCLVI, *mense Februario*, IIII *die mensis, defunctus est Hrabanus Archiepiscopus Mogontiacensis Ecclesiæ.* Biennio, postquàm Rabanus Turonos venit, ad Deum migravit Alcuinus, anno videlicet Redemptoris octingentesimo quarto, nec unquam Lutetiæ docuit. Ergo Rabanus nec Bedæ discipulus fuit, nec Professorem Studii Parisiensis egit cum Alcuino. Bedæ superstes vixit Alcuinus annos tres & septuaginta, Bedam senem puer videre potuit, eo tamen numquam usus est Magistro. Præceptorem nactus est Egbertum Eboracensem Archiepiscopum, quem semper Magistrum suum appellat. Apud

An Bedæ discipulus?

a Lib. 1. c. 3. Willelmum Malmesburiensem [a] in literis ad Eanbaldum, sic. *Laus & gloria Deo, qui dies meos in prosperitate bona conservavit, ut in exaltatione filii mei carissimi gauderem, qui laboraret vice meâ in Ecclesia, ubi ego nutritus & eruditus fueram, & præesset thesauris sapientiæ, in quibus me Magister meus di-*

b Lib. 3. de Gest. Pontif. Angl. *lectus Egbertus Archiepiscopus hæredem reliquit.* Item apud eundem [b] in literis ad Carolum Augustum. *Date mihi exquisitiores eruditionis Scholasticæ libellos, quales in patria habui per bonam & devotissimam Magistri mei Egberti Archiepiscopi industriam.* Aliter de Beda loquitur, hunc ob eruditionem Magistrum vocat, suum verò Magistrum numquam dicit. Ad Carolum epistolâ quintâ sic habet. *Quid de concordia Solaris Lunarisque cursûs per signa Zodiaci lucidius dici poterit, quàm quod talium inquisitor quæstionum Beda Magister in scriptis suis nobis reliquit?* Et infrà. *Quam quæstionem præfatus Magister Beda in quodam Capitulo* &c. Deinde ad Wirenses Fratres epistolâ quadragesimâ-nonâ, sic. *Recogitate nobilissimum nostri temporis Magistrum, Bedam Presbyterum, quale habuit in juventute discendi studium.* Ergo non Bedæ, sed Egberti, qui Bedæ discipulus fuit, discipulis annumerandus est Alcuinus, qui, teste Auctore vitæ, *beati gentis Anglorum Bedæ doctissimi discipulo Hechberto Præsuli meritis Magistro similis traditur.*

XCV. Trithemius aliique non pauci Monachis Alcuinum accensent. Huic opinioni refragatur ipsemet Alcuinus, epistolâ enim duodecentesimâ, quam Eboracensis Ecclesiæ Fratribus inscribit, ubi pueritiam & juveniles annos egerit, ita docet. *Vos fragiles infantiæ meæ annos materno fovistis affectu, & lascivum pueritiæ tempus piâ sustinuistis patientiâ, & paternæ castigationis disciplinis ad perfectam viri edocuistis ætatem, & sacrarum eruditione disciplinarum roborastis.* Nullum hic suscepti Monachatûs vestigium. Auctor vitæ, qui nihil à se scriptum testatur præter ea, *quæ ejus nosse* potuit *narrante fidelissimo Sigulfo discipulo*, ter apertissimis verbis ostendit Alcuinum Monasticæ vitæ numquam addictum fuisse. Primò, postquàm scripsit Alcuinum Carolo significasse *velle se seculum relinquere*, imò ab eodem Carolo postulasse nec obtinuisse *licentiam*, ut *apud Sanctum Bonifacium*, id est, in Cœnobio Fuldensi, *Monasticam vitam secundùm Regulam Sancti Benedicti* duceret, narrationem suam sic absolvit. *Fecit ergo & ipse Albinus, ut Rex sapientissimus rogaverat, non quærens quod sibi foret utile, sed quod multis; ac Turonis diem novissimum præstolatus fuit. Vita denique ejus non Monastica inferior fuit.* Certè si Monachus extitisset Alcuinus, ejus vitam hic Auctor cum Monastica non conferret, sed verè Monasticam diceret ac prædicaret. Secundò, scribit animam Alcuini Levitæ, *ministerio Levitarum cælestium beatum habentium secum protomartyrem Stephanum & Laurentium Archidiaconum, Au-*

An Monachus?

gelorum cum exercitu, ad Christum, quem amavit, quem quæsivit, perductam AN. CH.
esse, nullámque Sancti Benedicti vel cujuspiam Monachi mentionem fa- 802.
cit, quia Diaconum commendat, Monachum minimè. Denique in ipsius CAROLI
vitæ præfatione Alcuinum cum Sancto Benedicto comparat, & ut Mona- IMP. 2.
chis Sanctum Benedictum, sic Alcuinum Canonicis præficit, dum eos, PIPPINI
quos, ne priscorum Patrum virtutem æmulentur, *& avi nimiùm & propria* LUDOV.
gravat valitudo, saltem hortatur, ut *illorum vestigia sequantur, quos secum con-* RR. 20.
vixisse suo in tempore, & evidentibus indiciis Christo placuisse certissimè proba- CAROLI
runt, Benedicti scilicet Monachis, & Alchuini per omnia Canonicis, imitatione R. 14.
digna. Alcuinus igitur Diaconus fuit, Monachus nequaquam.

Porrò, licèt Monachum non induerit, in maxima tamen existimatione XCVI.
propter pietatem & eruditionem semper fuit apud Monachos, præcipuè
Fuldenses, in quorum cœtu vitam claudere statuerat *secundùm Regulam
Sancti Benedicti*, si licentiam à Carolo impetrare potuisset. Ea potissimùm
ratio videtur impulisse Rathgarium Abbatem Fuldensem, ut Rabanum
adolescentem, Monasticam vitam in Fuldensi Monasterio professum, Tu-
ronos mitteret erudiendum in Alcuini schola. *Nam* teste Trithemio in vita
ejusdem Rabani, *eo tempore studium literarum generale, sicut posteà, necdum
in Fuldensi Monasterio vigebat.*

Mansit Alcuinus Turonis ad exitum usque vitæ, nec ex quo pedem illuc XCVII.
intulit, quievit unquam otiosus. Præter varias lucubrationes, de quibus su- MULTA
prà, multa quoque scripsit Ecclesiæ perutilia. Catalogum operum sic Auc- SCRIBIT
tor vitæ texuit. *Postulante Imperatore Karolo scripsit librum de Sancta Trinitate* ECCLESIÆ
utilissimum, necnon de Rhetorica, Dialectica, & Musica. Scripsit ad Gundra- PERUTILIA.
*dam * de animæ ratione. Postulantibus fœminis Gislâ & Richtrude, honestissimè* * In edit. Duchesn. Eulaliam.
*super Evangelium Joannis, partim de suo, partim de Sancto Augustino, mirabile
opus composuit. Scripsit & in IV epistolas Pauli, ad Ephesios scilicet, ad Titum,
ad Philemonem, & ad Hebræos; ad Fredegisum in Psalmos; ad Widonem Co-
mitem Homilias de principalibus vitiis & virtutibus; ad Sigulfum suum Quæs-
tiones in Genesim perutiles. In Proverbiis Salomonis & Ecclesiaste, in Canticisque
Canticorum luculenter sub brevitate ineffabiliter. Sub nominibus Franci & Saxo-
nis de Grammatica cum Interrogatione & Responsione facundissimum libellum com-
posuit. Collegit multis de Patrum operibus Homiliarum duo volumina. Scripsit de
Orthographia. In centesimo quoque octavo-decimo Psalmo stylo usus est aureo. Sunt
& alia multa, quæ quisquis legerit, & diligenter scrutatus fuerit, non modicam
sui ædificationem reperiet, sicut in epistolis ad multos directis. In his ergo & hu-
jusmodi reliquum vitæ suæ ducens tempus, cælestem in terris duxit vitam, præsto-
lans in novissima positus vigilia filii hominis adventum, intraret ut cum eo ad
nuptias.*

In editione Duchesniana, nullus est Alcuini Commentarius in Prover- XCVIII.
bia Salomonis & in quatuor epistolas Beati Pauli; duo desiderantur Homi-
liarum volumina: nihilque occurrit de Orthographia. Quod ad Musicam
attinet, liber extat incompletus de septem artibus, cujus duo tantùm pu-
blicata sunt capitula, de Grammatica videlicet & Rhetorica, cum transi-
tione ad Dialecticam, perierunt cetera, quæ scripta sunt ab Alcuino de
eadem Dialectica, reliquísque quatuor artibus, id est, de Arithmetica, de
Musica, de Geometria, & de Astronomia.

Sunt autem in eadem editione expositiones in septem Psalmos Pœniten- XCIX.
tiales, in Psalmum centesimum decimum-octavum, in Psalmos Gradua-
les; necnon liber de Psalmorum usu cum variis precandi formulis ad res
quotidianas accommodatis. Harum lucubrationum postrèma Fredegiso
discipulo inscripta fuit ab Alcuino, quem Auctor vitæ scripsisse restatur
ad Fredegisum in Psalmos: aliæ enim, id est, expositiones in septem Psal-
mos Pœnitentiales, in Psalmum centesimum decimum-octavum, & in
Psamos Graduales, inscriptæ sunt Arnoni Salisburgiensi Metropolitæ, ut

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLI R. 14.

mox probaturi sumus. Omnes apud Duchesnium carent epistolâ dedicatoriâ, nihilque in editione prædicta reperitur inscriptum Fredegiso præter duodetriginta quæstiones de Trinitate, quibus præfigitur Alcuini epistola cum hoc initio. *Desideratissimo filio Fredegiso Albinus salutem. Placuit prudentia vestra, fili charissime, aliquas proponere mihi ad solvendas de Sanctissima Trinitate quæstiones, quibus* &c.

C. Tomo nono Spicilegii Dacheriani publicata est Alcuini ad Arnonem Episcopum in Psalmorum Pœnitentialium, Psalmi centesimi duodevicesimi, & Psalmorum Gradualium expositionem Præfatio, cujus initium hic tibi damus. *Sanctissimo Patri, & Summo Pontifici, Arnoni Episcopo, humilis Levita Alchoinus salutem. Dum vestram, Venerande Pater, sanctissimam voluntatem Catholicæ fidei fervore fulgentem, & sanctæ caritatis adeo donis abundantem agnovi, ita ut me minimum Divinæ Scripturæ vernaculum de multis Ecclesiasticæ dignitatis consuetudinibus quasi Patrem consulere voluistis, ne fortassis aliquid vestræ prudentiæ incognitum remaneret, quid, à quibus Patribus de qualibet re sancitum esset. Proinde subitò sermo inter nos habitus de pænitentia Psalmis, qui essent, vel qualiter intelligendi, vel usitandi fuissent, inquirebat, quos septem esse ex Venerabilium Patrum discretione mox inventum est; necnon unde Psalmus centesimus decimus-octavus tam celebri laude, vel cur tam perpetuâ consuetudine Canonicis horis decantari solitus sit; aut unde Psalmi Graduum dicerentur, quorum quindecim esse nemini librum.....* * *Psalmorum dubium esse reor. De quibus vestræ sagacissima Sanctitati breves expositiunculas, quasi quoddam enchiridion, id est, manualem librum fieri flagitatis. Quâ petitione Almitatis vestræ, libens annui, arreptisque Sanctorum Patrum tractatibus, qui copiosè de singulis in Psalmorum libro Versibus scrutati sunt, quatenus de his quoque quid dicerent adnotarem, florésque colligerem dulcissimos ad vestræ voluntatis satisfaciendum desiderio.*

* fortè insp. venti

CI. *Primò omnium numerorum eruendas rationes ratum putavi, id est, cur etiam Psalmi Pænitentiales septenario numero consecrati essent; aut quare contesimus decimus-octavus Psalmus viginti-duabus periodis divideretur, quarum singulæ octo haberent Versus; aut quid rationis sit, quindecim esse Psalmos, qui cantico Graduum titulo præsignarentur.*

CII. *Notissimum est in Sancta Scriptura magnam habere perfectionem septenarium in significatione ubique numerum, vel ex eo maximè quòd Sancti Spiritûs dona Prophetali definitione in Christo esse ab Esaia summo Prophetarum prædictum est, ubi idem secretorum Domini conscius ait.* [*Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectûs, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.*] *Ipse quoque Dominus septem nos petitionibus informare voluit. Et in Apocalypsi, Joannes septem candelabra vidisse septémque stellas, ac septem scripsisse se Ecclesiis testatur. Et multa alia sparsim in divinis reperiuntur libris, quæ septenarii numeri perfectionem ostendunt. Unde est illud Salomonis;* [*Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.*] *Quæ longiorem poscunt sermonem, si tamen est nostri temporis quis idoneus universa ejusdem numeri explanare mysteria, qui etiam, in principio creaturarum, ipsius Creatoris requie consecratus est, & nunc ordo seculorum per eumdem numerum decurrere constat. Qui etiam, si in duo dividitur membra majoris portionis habitudinis suæ, id est, in tres & quatuor, mirabile universitatis habet arcanum. Nam in tribus Sancta Trinitas creatrix omnium quæ sunt designatur, & in quatuor scilicet universitas demonstratur creaturarum, seu ob quatuor mundi plagas, sive propter quatuor elementorum originem, aut etiam temporum distributionem, quæ quadrifariè currere noscuntur. Quocirca propter perfectam remissionem peccatorum quam in Baptismo accipiunt, vel etiam in lacrymis confessionis & pænitentiæ Psalmi Pænitentiales septenario numero consecrantur. Sic etiam & Psalmi novissimi in Psalterio in laudem Domini Dei æterni, eâdem perfectionis regulâ septenario numero dedicantur.*

Psalmus centesimus atque octavus-decimus, cui ad probationem animæ, inha- AN. CH.
rendo sacris orationibus Deo, nullus æquiparari posse putatur, juxta alphabetum 802.
Hebraica lingua compositus est, qui, secundùm numerum literarum ejusdem lin- CAROLI
guæ, viginti-duabus periodis constare videtur, quarum quæque octo Versus habet, IMP. 2.
semper secundùm ordinem alphabeti ab eadem incipiente litera, fortassis propter PIPPINI
Evangelicas octo beatitudines, in quibus legalium constat esse perfectio præcepto- LUDOV.
rum, sive propter octavam Circumcisionis diem, quæ in novo homine expoliatio- RR. 22.
nem carnalium designat voluptatum: cujus Psalmi Versus sunt simul aggregati bis CAROLI
LXXXVIII, *quasi per decem legalia præcepta ad octo Evangelicæ perfectionis* R. 14.
beatitudines ascensus patesceret. Unde mihi modò locus esset idoneus disputandi CIII.
de mirabili numerorum congruentia cum salutis nostræ Mysteriis, si alibi oratio
non intenderet.

Similiter & de Psalmis Graduum quindecim pulcherrimus ascensionis ordo de- CIV.
signatur usque ad cœnaculum, in quo Spiritus Sanctus in igneis linguis cum flammatu vehementi super nomina virorum centum viginti venerat. Ergo sunt putare incipies singulos numeros ab uno usque ad quindecim, & omnem summam eorum in unum congregabis cumulum, centum viginti reperies, id est, de ter quinis ter quadragenos nasci; numerum videlicet, in quo Moyses jejunando Legem meruit recipere, vel Helias Propheta soli spiritu exaltatus est, vel etiam ipse Dominus noster Jesus Christus post jejunium quadraginta dierum tentatorem gloriosè vicit malignum.

Cetera, quoniam prolixiora, lubenter omittimus. In fine subjiciuntur CV.
carmina, quorum postrema placet etiam hîc describere, ut meliùs intelligas quanto in honore Arnonem habuit Alcuinus.

Tu Pater alme Deo Christo donante per ævum
Tu valeas, vigeas semper carissime Præsul,
Cùmque tuis cunctis ovibus, per pascua vitæ
Quæ currant sanctos virtutum carpere flores
Te ducente, Pater, Pastor, Patriarcha, Sacerdos.

Arno, quem Alcuinus Patrem, Sacerdotem, Episcopum, Patriarcham, CVI.
& Summum Pontificem appellat, non alius est ab Arnone Salisburgiensi Archiepiscopo Bojoariorum & Carantanorum Metropolita, de quo sæpè locuti sumus loquemúrque. Singularis inter Arnonem & Alcuinum intercedebat amicitia. Testes epistolæ inter Alcuinianas, sexagesima-sexta, septuagesima-octava, & centesima quarta, de quibus actum ad annum Christi
septingentesimum nonagesimum-sextum [a]. [a] Num. 131.

Cedit etiam in Alcuini laudem, quòd hoc eodem anno, quo se summi- CVII.
sit ejus Magisterio Rabanus Moguntiacensis Archiepiscopus futurus, Liud- LIUDGE-
gerus Presbyter & Abbas Werthinensis, quem Eboraci in Anglia quon- RUS FIT
dam docuerat, in Saxonia factus est Episcopus Mimigardevordensis, ut in EP. MIMI-
hujus vita testatur Altfridus ejusdem loci pòst Episcopus. *Per dispositionem,* GARDE-
inquit, *misericordia Dei Saxones conversi sunt ad Dominum, & Rex Carolus vi-* VORDEN-
rum Dei Liudgerum Pastorem in parte Occidentali Saxonum constituit; cujus Pa- SIS.
rochiæ Sedes est principalis Sudergoe, in loco cujus vocabulum est Mimigerneford, ubi Domino ipse honestum construxit Monasterium sub Regula Canonica Christo famulantium. Itaque more solito cum omni aviditate & sollicitudine rudibus Saxonum populis studebat in doctrina prodesse, erutísque Idololatriæ spinis verbum Dei diligenter per loca singula serere, Ecclesias construere, & per eos singulos ordinare Presbyteros, quos verbi Dei cooperatores venerabiles sibi ipse nutriverat. Cupiebat igitur in cœpto Evangelizandi opere multis subvenire gentibus, sed tamen Pontificalem gradum humiliter declinare; idcircò suos frequenter petiit alumnos, ut aliquis ex eis pro eo Episcopalem susciperet Ordinem. Cui cùm Hildibaldus Archiepiscopus persuaderet, ut Episcopus ordinari debuisset, illud Apostolicum ei respondit, dicens. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. At ille, ut erat humilis, & viro Dei amicissimus, cum gemitu dixit, hoc in se minimè fuisse completum. Tandem consensu omnium superatus & magis Dei dispositione coactus ad-

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. R 22. CAROLI R. 14.

quievit, ne plurimorum consilio, imò Dei voluntati pertinaciter inobediens esse videretur. Accepto itaque sacro Ordine Pontificali, cum omni sagacitate & modestia gregi Saxonico sibi credito documenta salutis uberrimè ministravit, quoadusque Domino largiente ad perfectam illos perduceret fidem. Illis etiam quinque pagellis, quos in Fresia ad agnitionem veræ & individuæ Trinitatis de gentilitate perduxerat, eò quòd priùs non haberent Episcopum, simili modo Pontificali præerat regimine, sed & successores ejus utraque loca pro una Parochia posteà semper habuerunt. Dedit quoque ei Rex Carolus in Regno Francorum, in pago Bracbante, in loco, qui Lotusa vocatur, Monasterium Sancti Petri gubernandum cum omnibus adjacentibus suis Ecclesiis & villulis. Tunc adimpletum est somnium, quod ei vir Dei Marchelmus priùs fuerat interpretatus de collectione trium cumulorum, significantium trium gubernacula plebium. Hæc Altfridus, cujus textus per partes explicandus.

CVIII. Hoc anno, cùm Saxones quiescerent, erectus est novus apud Westphalos Episcopatus. Pagus, ubi Sedes Episcopalis, *Sudergoe* vocatus & *Southergawe*; locus verò *Minimigardum*, *Mimigerneford*, *Mimigardeforde*, *Mimegardevord*, *Mimigardefordt*, *Mimingardeforde*, *Mimingrode*, & *Mymyngrode*. *Sudergoe*, quod pagi nomen est, regionem significat vergentem ad Austrum. *Mimigardeforde* seu Mimigardevordis vadum est Mimigardis, vadum enim Germanis est *furt*, Belgis *voord*, Angliś *forde*, sed à cujus Mimigardis nomine nuncupata sit Mimigardevordis, haud patet. Mimigardevordem permeat fluvius, qui sinistram Amisii ripam paulò pòst subit, vulgóque dicitur *A*, quibusdam *Alpha* ratis splendidius à prima Græcorum quàm Latinorum litera nomen duci. Godefridus Henschenius [a] vetere Celtarum ac Teutonum linguâ generatim aquam *A* dictam observat. Hinc plures in Belgio ac præsertim in Frisia & aliis transrhenanis plagis fluvii, cùm proprio nomine careant, *A* vel *Aa* sunt appellati, id est, *Aqua*. Sic & in Morinis *Aa* juxta Audomaropolim fluit, alius in Brabantia Dommelæ ad Sylvam-Ducis miscetur; alibi plures ejusdem rationis & nominis. At unde Mimigardis nomen fluxerit, nos latet. Mimigardevordenses Episcopos appellabimus Liudgerum ejúsque successores, donec à Monasterio Clericorum, quod illic Liudgerus Episcopus construxit, urbi, quæ Mimigardevordis anteà nuncupabatur, indirum Monasterii nomen occurrat, & Monasteriensis indigitetur Episcopus qui priùs Mimigardevordensis.

[a] D. 26. Mart. in Comment. ad vit. S. Ludger. n. 4.

CIX. Liudgerus, ut probat series gestorum, quæ suis non omisimus locis, à multis annis dignum se præbebat Episcopatu, tamen Episcopum se non facilè passus est ordinari, causatus Apostoli dictum, quòd Episcopum oporteat irreprehensibilem esse. Tunc Coloniensis Archiepiscopus erat Hildibaldus, qui cùm Apostoli effatum ex ore Liudgeri audiisset, cum gemitu statim exclamavit, nec illud in se completum fuisse. Singularem in utroque humilitatem mirare, & ex eo quòd Hildibaldus Liudgerum Mimigardevordensem Episcopum consecravit, observa Mimigardevordenses ac Monasterienses Episcopos Coloniensibus subjacuisse Metropolitis ad hæc usque tempora, quibus Metropolitæ Coloniensi Monasteriensis Episcopus etiamnum subest.

CX. Mimigardevordensis Diœcesis Archiepiscopatum Coloniensem & Episcopatus Ultrajectinum Osnaburgensem ac Paderbornensem conterminos habebat. Liudgerus factus Episcopus egregiè partes sui muneris adimplevit. Clericorum seu Canonicorum Monasterium, ut rudes adhuc Saxonum populi promptiùs ac meliùs erudirentur, apud Mimigardevordem erexit. Anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo, cùm ex Italia rediisset, constitutus fuerat Doctor *in gente Fresonum ab Orientali parte fluminis Labeki* seu Lavicæ * *super pagos quinque, quorum hæc sunt vocabula, Hugmerthi, Hunulga, Fivilga, Emilga, Fediritga; & unam Insulam, quæ dicitur Bant.* Abhinc illius regionis populum Episcopo carentem nec ulli attribu-

* Lauwers.

tum

AN. CH. 802. CXI.

tum Diœcesi, quantacumque potuit sedulitate, diligenter erudivit. Ea de causa pars illa Frisiæ ad Mimigardevordensem Diœcesim pertinuit.

Fit etiam Abb. Lutosæ.

Liudgerus Mimigardevordensem Episcopatum adeptus, curam Werthinensis Monasterii non dimisit. Utrumque locum laudabiliter, unum ut Episcopus, alterum ut Abbas rexit; tertium mox adjecit Carolus Imperator, nempe Monasterium Sancti Petri *in pago Bracbante, in loca qui Lotusa vocatur* & Lutosa * inter Athum & Tornacum in Diœcesi Cameracensi. Baldericus [a] ibi collocat *Monasterium Canonicorum in honore Apostolorum Petri & Pauli*, illiúsque conditorem agnoscit Sanctum Amandum Trajectensem quondam Episcopum, qui multa cùm Monachorum tum Clericorum in Belgio Cœnobia construxit, ut Tomis secundo ac tertio probavimus. Ætate Liudgeri, Bracbantum, à quo derivatum pòst Brabantiæ nomen, ea præcipuè regio fuit, quæ nunc Schaldi Sennâque concluditur, & ab Aldenarda, Gandavo, Teneramunda, Bruxellam usque & Hallas altiúsque protenditur, ut observat Bollandus [b] in Commentario de Pippino Landensi. Posteà pars istius Bracbanti cessit in jus Comitum Flandrensium & Hannoniensium, atque inde fit, ut Lotusa, quam Altfridus in Bracbanto posuit, hodiernæ Hannoniæ accenseatur. Gabriel Bucelinus in Monasteriologia [c] Imperii Germanici, ubi Catalogum Werthinensium Abbatum texit, recitat Diploma, quo Carolus Augustus Lothusam fiscum suum *in pago Brabant* ad perficiendum Werthinæ Monasterium & congregandum Cœnobium Liudgero Mimigardevordensi Episcopo concessisse fertur. At in illo Diplomate multa sunt, quæ probari nequeunt. Imprimis Liudgerus, qui superest adhuc in vivis, Episcopus *Beatæ memoriæ* vocatur, de illo enim sic Carolus. *Beatæ memoriæ Liudgerus Mimigernefordensis Episcopus postulavit Celsitudinem nostram.* Deinde Carolus in Lotusa non *Monasterium Sancti Petri* ut Altfridus loquitur, sed res proprias seu fiscum cum omni integritate donat. *Proprias*, inquit, *res nostras, id est, fiscum nostrum, qui vocatur Lothusa in pago Brabant, cum omni integritate in proprietatem donamus.* Idque manifestissimè repugnat Altfrido, qui *tunc adimpletum* dicit *somnium, quod ei*, nempe Liudgero, *vir Dei Marchelmus priùs fuerat interpretatus de collectione trium cumulorum, significantium trium gubernacula plebium.* Illo de somnio egimus ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-octavum [d], nec hanc Marchelmi interpretationem omisimus. *Tres cumuli, quos congregasti, trium sunt gubernacula plebium, quibus adhuc Pastorali te oportet præesse regimine.* Quis autem Liudgerum ut Episcopatui & Abbatiæ sic & fisco præfuisse dicat *Pastorali regimine?* Convenientiùs id asseretur de Monasterio Canonicorum quàm de fisco. Liudgerus igitur apud Lotusam hoc anno non fiscum sed Monasterium Canonicorum adeptus, trium deinceps distinctarum gubernacula plebium gessit; populo videlicet intra Mimigardevordensem Diœcesim constituto præfuit ut Episcopus, Werthinenses verò Monachos, necnon & Canonicos Lotusenses ut Abbas gubernavit. Denique non valet hæc Diplomatis subscriptio. *Data* VI *Kal. Maii, an. Incarnationis Domini* DCCCII. *anno autem Regni ejus* XXXIV. *& in Italia* XXVII. *Imperii verò* II. *Indictione* X. *Actum in Wormatia in Dei Nomine feliciter, Amen.* Per illa tempora publicis instrumentis à Francis non apponebatur annus Incarnationis Dominicæ, & annus ejusdem Incarnationis octingentesimus secundus per mensem Aprilem cum anno quidem Caroli post Pippinum patrem regnantis tricesimo-quarto & Imperium adepti secundo convenit, sed anno regnantis in Italia vicesimo-septimo non illigatur. Editum jam fuerat illud Diploma in Annalibus Circuli Westphalici, quorum Auctor hoc eodem anno Werthinense Monasterium à Liudgero Episcopo penitus absolutum & à Carolo ditatum Castro *in Ludinckausen* scribit, observátque præfectum ab eodem Augusto Saxonibus Ecbertum virum valdè religiosum, qui gentem illam in Christiana fide confirman-

Ecbertus Saxoniæ Præfectus.

* *Leuze entre Ath & Tournay.*

[a] Lib. 2. c. 43.

[b] D. 21. Febr.

[c] Part. 2.

[d] Num. 27.

AN. CH. 802.

dam curaret. Erat huic Ecberto conjux Ida, de qua non semel recurret sermo.

CXII.

a Lib. 3. c. 17.

b Lib. 2. c. 18.

VULFARIUS MISSUS DOMINICUS FIT ARCHIEP. REMENSIS.

* corruptè Otmensi

Vulfarius Remensis Archiepiscopus hoc anno constitutus videtur. Lege Guilelmum Marlorum in Metropoli Remensi [a]. Sedes Archiepiscopalis biennio duntaxat ab obitu Tilpini vacaverat. Officio Missi Dominici per totam Campaniam fungebatur Vulfarius, quando promotus est ad Archiepiscopatum. Id testatur Flodoardus [b], cujus textum eò lubentiùs hîc describemus, quòd multa superiùs asserta de Missis Dominicis egregiè confirmabit. *Tilpinum sequitur Vulfarius, qui ab Imperatore præfato Magno Carolo Missus Dominicus ad recta judicia determinanda fuerat ante Episcopatum constitutus super totam Campaniam. In his quoque pagis, Dolomensi scilicet, Vongensi*, (legendum *in his scilicet pagis, Dolomensi, Vongensi*, jam suspicatus est Marlotus, eâque emendatione Flodoardum egere credimus) *Castricensi, Stadonensi, Catalaunensi, Remensi* *, *Laudunensi, Vadensi, Porciano, Tardonensi, Suessionensi. Sicut & alii quidam sapientes & Deum timentes habebantur Abbates per omnem Galliam & Germaniam à præfato Imperatore delegati, quò diligenter inquirerent, qualiter Episcopi, Abbates, Comites, & Abbatissa, per singulos pagos agerent; qualem concordiam & amicitiam ad invicem tenerent, & ut bonos & idoneos Vicedominos & Advocatos haberent, & undecunque necesse fuisset, tam Regias quàm Ecclesiarum Dei Justitias, viduarum quoque, & orphanorum, sed & ceterorum hominum inquirerent & perficerent, & quodcunque emendandum esset, emendare studerent, in quantum meliùs potuissent; & quod emendare per se nequivissent, in præsentiam Imperatoris adduci facerent, & de his omnibus eidem Principi fideliter renuntiare studerent. Residens igitur præfatus Vir Illustris Vulfarius ad injuncta sibi definienda judicia, cum quibusdam Comitibus in mallis publicis, jam quoque vocatus Episcopus, adhuc etiam antequàm ordinaretur, res quasdam Remensis Ecclesiæ, sed & mancipia nonnulla, vel colonos reimpetrasse, ac legibus per Ecclesiæ Advocatos evindicasse reperitur.* E pagis suprà nominatis ad Remensem Diœcesim sex hi pertinebant, Remensis, Dolomensis, Vongensis, Castricensis, Stadonensis, & Porcianus; ad Suessionensem hi tres, Vadensis, Tardonensis, & Suessionensis. Illam pagorum per suos Episcopatus distributionem observat Marlotus. Missaticum igitur per Diœceses Remensem, Catalaunensem, Laudunensem ac Suessionensem exercuit Vulfarius. Tunc Catalaunensis Episcopus erat Bovo, Laudunensis Sigebaudus, Suessionensis Deodatus. De Bovone recurret sermo. Proximos Sigibaudi & Deodati successores, Ostroldum in Laudunensi Cathedra, Rotardum in Suessionensi, sedisse *anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi octingentesimo decimo-quarto* testatur Flodoardus [c]. Lege quæ scripta sunt hoc Tomo ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-nonum [d] contra vulgatos Laudunensium Episcoporum Indices, & Tomo superiore ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-quintum [e] contra Suessionensium Episcoporum Catalogos hactenus editos.

c Lib. 2. c. 18.

d Num. 7.

e Num. 12.

CXIII.

MULTA BONA ACQUIRIT ECCLESIÆ SUÆ.

Pergit Flodoardus, & Vulfarium Archiepiscopum jam ordinatum sic laudat. *Postquàm Præsul ordinatus est, plura invenitur Ecclesiæ conquisisse, & res, & colonos, tam apud Regiam Majestatem, quàm apud Comites & Judices publicos, nec solùm per Actores Ecclesiæ, sed etiam aliquando per sui præsentiam. Cui valdè credidisse Carolus Imperator Magnus ex eo probatur, quod illustres Saxonum obsides* XV, *quos adduxit de Saxonia, ipsius fidei custodiendos commisit*, ut post biennium dicturi sumus.

CXIV.

ARCHIEPISCOPI BITURICENSES.

David Bituricensis Archiepiscopus, licèt apud Auctorem Patriarchii Bituricensis annos triginta sedisse perhibeatur, ultra novem non sedit, nec hunc prætergressus est, Stephanus enim, qui proximè successit, & Archiepiscopatum annis duntaxat octo tenuit, obiit anno Caroli Augusti decimo sive anno Redemptoris octingentesimo decimo, ut ex literis Ebroini successoris ad Magnonem Archiepiscopum Senonensem suo loco probabimus.

David autem quiescit in Æde Laurentiana, quam à Carolo Magno pro Monialibus Benedictinis erigendam curarat. AN. CH. 802.

CXV. Apud Petrum à Sancto Juliano in Antiquitatibus Matisconensibus [a] occurrunt hæ Caroli jam Imperatoris literæ. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Carolus divinâ Clementiâ Imperator Augustus. Notum sit cunctis Ecclesiæ Sanctæ filiis, præsentibus scilicet & futuris, quia Leduardus venerabilis Episcopus, atque dilectus Archicancellarius noster, nostram adiit Clementiam, ut Canonicis Ecclesiæ Sancti Vincentii, quæ est constructa in civitate Matisconensi, redderemus aliquas res injustè ablatas, pro remedio animæ nostræ, & parentum nostrorum, ut Beatus Vincentius Christi Martyr, apud piissimum Dominum pro nobis sit perpetuus intercessor. Cujus saluberrimam petitionem audientes, eam etiam profuturam cognovimus. Quapropter concessimus jam dicto Sancto Vincentio, agente supradicto Episcopo, villam Ciciaci * cum Ecclesia Sancti Gengulphi, & . . . . . cum Ecclesia Sancti Martini, & mansa * XIIII in usu * fratrum ibi Deo servientium, ut per futura secula illis maneant absque ullo contradictore. Si quis autem (quod fieri non credimus) horum contradictor extiterit, XXX auri libr. culpabilis judicetur. Ut autem hæc veriùs credantur, diligentiùsque observentur, manu propriâ firmamus, & annuli nostri impressione sigillari præcipimus. Signum Domini Karoli Piissimi Imperatoris. Madalbertus Notarius scripsit.* Easdem literas descripsit Severtius. Utrumque exemplar simul contulimus emendavimúsque, neutrum enim carebat nævo. Pares etiam literas recitavit Severtius in Wicardo Leduardi successore. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Karolus divinâ famulante Clementiâ Imperator Augustus. Notum sit omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, quia Wicardus venerabilis Episcopus seu Archicancellarius noster nostram adiit præsentiam cum Canonicis de Ecclesia Sancti Vincentii, quæ est sita in civitate Matisconensi, placuit quòd Canonicos ipsius civitatis consolaremur de quibusdam rebus injustè ablatis, pro remedio animæ nostræ ac parentum nostrorum. Cujus petitionem libenter audivimus & profuturam cognovimus. Quapropter concessimus in villa Ciciaci Ecclesiam Sancti Jamgulfi, &c.* ut suprà.

[a] Lib. 2 Episcopi Matisconenses.

* S. Gengoul de Chissey.

* mansa.

* in usumfructum

CXVI. Ex prioribus literis Leduardum Matisconensem Episcopum, de quo jam locuti sumus, ad Imperium usque Caroli superstitem vixisse, nec ante unum seculum obiisse cognoscimus. Eodem Carolo Augusto præcitati Nomenclatores aliíque Wicardo subrogant Gundulfum, Adalranum, & Hildebaldum, quem Ludovicus Pius Episcopum Matisconensem vocat in literis datis quinto Idus Septembris, anno Imperii primo, sive anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto. Quot annos singuli sederint, haud patet.

CXVII. Hoc anno, qui secundus est Imperii Carolini, mortuus videtur Leduardus. Huic Carolus non ea tantùm, quæ suprà commemoravimus, sed & Cluniacum dedit, tenuem tunc pagum, intra limites Matisconensis Diœcesis constitutum, quo successores ad Hildebaldum usque potiti sunt, ut Tomo sequenti fusius exponemus. Post ipsum autem Leduardum, ut præmisimus, Carolo Imperatore hi sederunt Episcopi Matisconenses;

Wicardus seu Guichardus, nonnullis Richardus;
Gundulphus;
Adalranus, Adalrannus, Adelranus, Alaranus, quibusdam Andelinus.
Hildebaldus, de quo multa sub Ludovico Pio narrabuntur.

CXVIII. Barnardus, cujus mentionem ante quadriennium fecimus, Ambroniacense Monasterium in Diœcesi Lugdunensi condidit; quonam anno, manet incompertum; certè ut post annum Christi septingentesimum nonagesimum-octavum, quia tunc uxorem duxit utroque parente adhuc superstite, sic ante annum Redemptoris octingentesimum quintum quia Monachum tunc induit Cœnobio anteà jam erecto. Guichenonus in Ambro-

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLI R. 14.

AMBRONIANUM MON. CONDITUR.

niacensium Abbatum Catalogo primam originem illius Monasterii tefert ad annum Christi circiter octingentesimum. Æquius nobis visum est in annum Redemptoris octingentesimum secundum rejicere, medio scilicet intervallo ab inito matrimonio ad secessum in Monasterium, quia Barnardus Cœnobium post amissionem parentum erexit, & Monasticæ disciplinæ serius se mancipavit. *Utroque orbatus parente, non mediocris substantiæ unicus hæres, suæque sponte factus, & militiæ exauctoratus, cœpit animo perpendere, qualiter tanta bona sibi hæreditate parta, ex præcepto Evangelico dispensaret, séque ab his, utpote malorum irritamentis, abstraheret, ut tamquam bonus dispensator iniqui mammonæ, Domini voce laudaretur, quòd de re iniqua justitiam sibi compararet. Circumspecto itaque certo loco solitario, procùlque à turbis civilibus remoto, cui nomen erat Ambroniacum* *, *permutatione hæreditatis paternæ, sui juris effecit. Quo in loco Ædem sacram olim Beatæ Virgini parenti dicatam, sed à perfidis gentibus dirutam instauravit.* Hæc leguntur in priore vita, quam Bollandus [a] ex Officiis propriis Ordinis Antoniani descripsit. In posteriore vita, quam idem Biographus à Petro Francisco Chiffletio manuscriptis è Codicibus erutam publicavit, reperiuntur nonnulla, quæ splendidiorem Historiæ lucem sic afferunt. *Cùm pater ejus decessisset, protinus ipse, qui sub militari habitu religiosum gerebat animum, cœpit perquirere qualiter patrimonium ad se devolutum in alimonias pauperum perpetuò posset convertere, non amore filiorum retractus. Consideratâ igitur cujusdam loci aptitudine, cui vocabulum erat Ambroniacus, acquisivit illum ab Abbate Luxoviensi, permutatione hæreditatis paternæ, ubi renovatâ quadam Ecclesiâ, in honore Dei Genitricis olim constructâ, sed à paganis postmodum eversâ, in ipso loco Abbatiam construxit, Abbate & Monachis collocatis ibidem, quam bonis amplissimis sublimavit.* Situm Ambroniacum in Diœcesi Lugdunensi. Nomen primi Abbatis ignoratur. Aliâ occasione Catalogum dedimus Abbatum, qui Luxoviense Monasterium ætate Caroli Magni rexerunt. Ex illa Nomenclatura, quam ad annum Christi septingentesimum octogesimum-quintum [b] consulere poteris, haud obscurè colligimus Luxovienses Infulas penes Dadinum fuisse, quando Barnardus Ambroniacum acquisivit. Ansegisus enim, qui Dadino in regimen Monasterii proximè successit, vivebat anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto, Indictione octavâ, ut observarunt Sammarthani. Per paganos, qui veterem Ecclesiam apud Ambroniacum olim constructam everterunt, Saracenos intellige, de quibus actum prolixè Tomo quarto ad annum Christi septingentesimum tricesimum-secundum [c], quo maximam ut Diœcesi Lugdunensi ubi Ambroniacum, sic & Vesontionensi Diœcesi ubi Luxovium, desolationem intulerunt. Barnardus in Lectionibus, quæ recitantur ex Officiis propriis Ordinis Antoniani, dicitur restituisse Monasterium apud Ambroniacum, *ut illic quondam fuerat.* Ex bis verbis suspicamur ante Saracenorum irruptionem Cellam apud Ambroniacum fuisse, quæ pertinebat ad Monasterium Luxoviense. Nec ad id confirmandum parum conducit hæreditatis paternæ permutatio, quam Barnardus cum Abbate Luxoviensi fecit, ut Ambroniacum ab eo consequeretur.

* Ambronay.

[a] D. 23. Jan.

[b] Num. 22.

[c] Na. 21. & seqq.

CXIX. In Chronologica Pedemontanæ Regionis Historia [d], quam Franciscus Augustinus ab Ecclesia Salutiensis Episcopus edidit, hæc de Sedunensibus Episcopis Adelungo sive Adalongo & Theodolo seu Theodulo leguntur. *800 Adelungus Abbas Sancti Mauritii & Episcopus Sedunensis. 805 S. Theodolus.* Factus est Adalongus Abbas Agaunensis, deinde & Episcopus Sedunensis, atque utrumque munus, Episcopale videlicet & Abbatiale, ad obitum usque gessit. Abbas primùm Sancti Mauritii, posteà Episcopus quoque Sedunensis appellatur, quoniam Alpheo sive Altheo Abbati Agaunensi ad Sedunenses Infulas assumpto & Abbatiale munus abdicanti successit in Abbatialem dignitatem, & Theodulo, qui post Altheum Sedunensis Episcopus fuit, successit etiam in Episcopatum Sedunensem. De Alpheo sive Al-

[d] Cap. 44.

ADALONGUS ABB. AGAUNENSIS.

theo sic idem Auctor in Episcoporum Sedunensium Catalogo. *Alpheus sive Alteus qui fuerat Abbas Sancti Mauritii.* Quibus verbis ostendit Alpheum simul & Episcopali & Abbatiali Titulo numquam gavisum esse. Secus sentiendum de Adalongo, qui, quandiu Alpheus & Theodulus Episcopatum Sedunensem gesserunt, Abbas tantùm fuit Agaunensis, & sublato è vivis Theodulo simul ad obitum usque functus est officio cùm Abbatis Agaunensis, tum Sedunensis Episcopi. Vulgatos Indices Episcoporum Sedunensium ad annum Christi septingentesimum nonagesimum [a] jam correximus, & Theodulum, quem Nomenclatores Adelungo postponere solent, monuimus eidem præponendum Adelungo. Claudius Robertus in Episcoporum Sedunensium Catalogo scribit Theodulum, quem perperam Theodosium vocat donatum esse *Principatu urbis à Carolo Magno.* Annuunt Robetto Sammarthani, eámque Donationem *ex Archivis Ecclesiæ Sedunensis* consignant *anno 802;* deinde addunt Theodulum *obiisse anno 806.* Non occurrit ratio, cur negemus Theodulum hoc anno, Redemptoris octingentesimo secundo in Episcopali Cathedra sedisse; sed eum Sedunensis urbis Principatu donatum inficiamur. Tales enim Donationes ætatem Caroli non sapiunt. Ex prædictis autem satis intelligis, quantùm recedat à recta Chronologia Salutiensis Episcopus, ubi Adelungum Alpheo, Theodulum Adelungo subrogat, illum anno Redemptoris octingentesimo, hunc anno Redemptoris octingentesimo quinto. Quot annos Theodulus Episcopales gesserit Infulas, haud scimus. Agemus de successore sub Ludovico Pio.

AN.CH. 802.
CAROLI IMP. 2.
PIPPINI LUDOV. RR. 22.
CAROLI R. 14.
[a] Num. 20.
THODULDS EP. SEDUNENSIS.

CXX. Apud Gewoldum in Additionibus ad Tertium [b] Tomum Hundii, duæ occurrunt Chartæ, quæ pertinent ad annum secundum Imperii Carolini, totæque spectant ad Monasterium Schlechdorfense, cujus idem Abbas qui Frisingensis Episcopus est Atto.

[b] In Mon. Schlechdorf.

CXXI. Initium prioris ita legitur. *Residentibus Missis Domini Caroli Magni Imperatoris, Arno scilicet Archiepiscopo ipsius unacumque Orendilo Judice in loco publico Frising. ad examinandas cum justitiam multorum advenientium causas, ibique adveniens de præsente Advocatus Attonis Episcopi, nomine Lantfrid, interpellabat alium quendam hominem.* Depravatus est hic textus. At facili negotio corrigi potest ex altera Charta quæ sic incipit. *Cùm residissent Venerabiles Missi Domini Caroli Magni Imperatoris, Arno scilicet Archiepiscopus, Adaluinus Coepiscopus ejus, & Orendil Judex ad examinandas diversorum terras cum lege atque justitiam terminandas in loco Frisingen, mallo publico. Ibique veniens Advocatus Episcopi Attonis, nomine Lantfrid, interpellabat quendam hominem.* Utroque autem textu simul collato, prior ita restituendus videtur. *Residentibus Missis Domini Caroli Magni Imperatoris, Arno scilicet Archiepiscopo, Adaluino Coepiscopo ipsius, unáque Orendilo Judice in loco publico Frisingen, ad examinandas cum justitia multorum advenientium causas. Ibique adveniens de præsente Advocatus Attonis Episcopi, nomine Lantfrid, interpellabat alium quendam hominem.* Diœceses, quas Arno sive Arnus, Adaluinus sive Adaluvinus, & Atto regunt, notissimæ sunt, licèt earum nomina reticeantur in utroque Diplomate. Arno, qui vocatur *Archiepiscopus*, præest Ecclesiæ Metropolitanæ Salisburgiensi, totiúsque Bojoariæ Metropolitanus est Episcopus ab anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo. Adaluinus, qui modò *Coepiscopus ejus*, nempe Arnonis, modò *Episcopus* appellatur, Episcopus est Reginoburgensis in Bojoaria, subéstque Arnoni Metropolitæ Salisburgiensi. Denique Atto Episcopus, qui litem per Advocatum indicit, Episcopus est Frisingensis in eadem Bojoaria; bona, quæ Monasterio Schlechdorfensi collata sunt, repetit à Lantfrido & Reginberto, quia non tantùm Episcopus est Frisingensis sed Abbas etiam Schlechdorfensis, & utroque simul munere Episcopali videlicet & Abbatiali fungitur.

ATTO EP. FRISINGENSIS ET ABBAS SCHLECHDORF. REPETIT RECUPERATQUE BONA MON. SCHLECHDORFENSI OBLATA

CXXII. Præmissis his observationibus, ipsam Chartam seu sententiam adversùs Lantfridum latam accipe. *Residentibus Missis Domini Caroli Magni Impe-*

AN. CH. 802. CAROLI IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLI R. 14.

ratoris, Arno scilicet Archiepiscopo, Adalnino Coepiscopo ipsius, unàque Orendilo Judice in loco publico Frisingen, ad examinandas cum justitia multorum advenientium causas. Ibique adveniens de præsente Advocatus Attonis Episcopi, nomine Lantfrid, interpellabat alium quendam hominem, similiter nuncupatum Lantfridum, filium Irminfridi cujusdam nobilis viri, dicens quòd injustè possidet res Sancti Petri de Monasterio Slechdorf, quas prædictus Irminfrid potestativo jure tradidit ad prædictum Monasterium pro salute animæ suæ, loca nuncupata Starantia cum appendiciis suis in Flurmig, in Pollingen, in Slechdorf, in Houenhaim, in Sindolfisdorff, in Gisingen, in Pasingen, in Gresolfingen, quæ omnia tradidit Irmfrid pater ejus Deo & Sancto Petro ad ipsum jam dictum Monasterium, temporibus Domini Pipini Regis & Tassilanis Ducis, aorum consensu. Tunc ipse Lantfridus præsens astabat, & hoc nequaquam excusare prævalens, quòd ipsi Missi prædictum hoc factum ita esse diligentissimè inquirentes per veraces & fideles homines invenerunt. A LANTFRIDO, *Eâ verò ratione, ut si ipse Irmfrid legitimos hæredes filios procreasset, ipsi filii sui secundùm legem inde haberent portianem, & portio Irminfridi ad ipsum Monasterium stabilis esset. Super hoc autem contentiosè agens ipse supradictus Lantfrid temptabat medietatem ipsius Altaris de Starantia opus suum exquirere. Tunc ipsi Missi unà cum his, qui in ipsa Placito affuerunt pracogitantes stultitiam ejus, ut etiam sine gravi damno evaderet mercedem Sanctæ Dei Ecclesiæ & Domini Imperatoris, rogantes ipsum Venerabilem Attonem Episcopum complacitaverunt, ut licuisset ei sine impositione legitima res prædictæ Sanctæ Ecclesiæ sanâ manu etiam sine compositione Emunitatis Regis & sine debito Regali reddere. Eo verò tempare hoc factum esset, ut numquam ampliùs quidquam repeteret de ipsa jam dicta Ecclesia, nihilque de prædictis rebus sibi ampliùs vindicaret, & hoc ita caram testibus confirmatum & ascriptum est, quorum nomina in libro Tradit. habentur. Actum in Frisingen loco publico, 11 Nau. Aug. anno 11 Imperii Caroli Serenissimi Augusti, Indict. x.* In vulgatis exemplaribus annus Imperii Carolini desideratur, at in margine ponitur *annus 11*, ísque annus secundus Imperii Carolini rectè convenit cum mense Augusto Indictionis decimæ sive anni post Christum natum octingentesimi secundi.

CXXIII. Posterior Charta est de contentione, quæ vertebatur inter Attonem Episcopum Frisingensem & Reginbertum, quia Schlechdorfensi Monasterio præerat idem Atto, & Reginbertus bona retinebat, quæ Keyo patruus ejus eidem Monasterio contulerat. Decretoriam sententiam sic recitat Gewoldus. *Cùm resedissent * Venerabiles Missi Damini Caroli Magni Imperataris, Arno scilicet Archiepiscopus, Adaluinus Coepiscapus ejus, & Orendil Judex, ad examinandas diversarum terras cum lege atque justitia * terminandas in laco Frisingen, mallo publico. Ibique veniens Advocatus Episcapi Attonis, namine Lantfrid, interpellabat quendam hominem Reginbertum filium Statonis eò quòd injustè usurparet sibi res Sanctæ Dei Ecclesiæ ad Sanctum Tertulianum traditas ad Monasterium Slechdorf, quas Keyo patruus prædicti Reginberti ibidem pro redemptione animæ suæ coram testibus tradidit, & ipse Reginbertus præsens astabat, & ipsas in hæreditatem propriam habere cœperat. Tunc præsentes inventi sunt testes, qui testimonium inde proferebant, dicentes se scire atque astare, quòd Keyo ipsas res potestativâ manu pro remedio animæ suæ ad ipsum locum sanctum tradidit, quidquid de propria sua in portionem suam contra fratres suos pertinere debuisset. Tunc prædicti Missi, Arno Archiepiscopus, Adaluinus Episcopus, atque Orindil Judex, ipsos homines, qui hoc testificaverunt, in medium vocaverunt, & per sacramentum fidelitatis, quod Domino Carolo Imperatori, ipso præsente Arno, juraverunt, attestati sunt eas, ut omnimodis absque ulla fraude vel ingenio, itaut veracissimè de ipsa causâ scirent, ita in palàm adnunciaverunt & dixerunt. Scimus quòd tres germani fuerunt, & uno defuncta duo superstites fuerunt, & dividere debuerunt æqualiter inter se hæreditatem defuncti fratris Scato & Poapo, sed antequàm divisio hæc facta esset, mortuus est Poapo relinquens*

* resedissent

* justitiam

ET A KEYONE.

AN. CH. 802. CAROLS IMP. 2. PIPPINI LUDOV. RR. 22. CAROLS R. 14.

*portionem suam filio suo Keyoni *, & ipse Keyo benè valens portionem, quæ ei accedere debuit contra patruum suum, tradidit Deo & Sancto Tertuliano ad Slechdorf. Sed moriente * Keyone retinuit omnia hac Statto, & retinuit filio suo Reginberto. Tunc ipsi Missi cum Orindolo Judice & ceteris veracibus hominibus tractaverunt pro qua causa Reginbertus possidere debuisset portionem nepotis sui Keyonis hæreditariam, quam ipse pro anima sua Deo tradidit & Sanctis ejus. Tunc convictus cum lege & justitia Reginbertus de præsente reddidit Advocato ipsius Episcopi Ellenmodo loca nuncupata, Allingas, Kissingen, & Germariskaurie, ut amplius eas possiderent Præsules loci illius absque ulla contradictione evindicatas jure perpetuo, & ita finita est contentio coram residentibus & astantibus multis, & testes usu Bojoariorum per aures ex utrinsque partibus tracti, ut ampliùs examen firmum esset, nomina testium in libro Tradit. habentur.*

* Keyone.
* molente

CXXIV. Sequuntur Characteres Chrooologici. *Actum & confirmatum est hoc in loco publico, Frisingen, in mallo publico, regnante & imperante Domino Carolo Magno Imperatore* x x x v. *& in Bajoaria secundo, Indict.* x. Dubium non est, quin mendum io hosce Characteres irrepserit cum nomine Bojoariæ, nam secundus anous post exauctoratum Thassilonem Bojoariæ quondam Ducem nec cum anno Caroli Regis in Francia tricesimo-quinto nec cum Indictione decima coincidit. Charta, quam proximè descripsimus, sribus tantùm munira fuit Characteribus, quorum primus ac secundus ab annis Caroli cùm Regis sum Imperatoris, tertius ab Indictione petitus. Expunctis igitur duabus hisce vocibus, *in Bajoaria*, textus ad Indictionis usque notam rectè sic procedis. *Actum & confirmatum est hoc in loco publico Frisingen, in mallo publico, regnante & imperante Domino Carolo Magno Imperatore*, x x x v *& secundo, Indict.* x. Id est, hoc anno post diem octavum ante Kalendas Octobris, Carolo annum Imperii secundum, Regni tricesimum-quintum agente. Sed Indictionis x loco repooi debet Indictio x s jam inchoata, oisi principium à Kalendis Januarii petere velis, ut aliquando factum observavimus. Porrò cùm Keyo, cujus Donatio movendæ liti causam dedit, Reginberti frater patruelis fuerit, nepotem in Charta proximè descripta fratrem patruelem interpretare.

CXXV. DIETERICUS ABB. WELTENBURG. In iisdem Gewoldi ad Hundium Additionibus, Dietericus Abbas Weltenburgensis hoc anoo memoratur.

AN. CH. 803. CAROLS IMP. 3. PIPPINI LUDOV. RR. 23. CAROLI R. 15.

ANNUS

CHRISTI		803.
CAROLI	IMP.	3.
	REG.	35. 32. 30.
PIPPINI	REG.	23.
LUDOVICI	REG.	23.
CAROLI	REG.	15.
INDICTIO		11.

I. JOANNIS GRADENSIS PATRIARCHA CÆDES. INEUNTE anno Redemptoris octingentesimo sertio, præceps ex altissima turri datus est Joannes Gradensis Patriarcha. Quæ res, licèt extra fines Francorum gesta sit, à nobis omittenda non videtur, qnia locum fecit coovocandæ Synodo, quam apud Altioum * Paulinus Patriarcha Foro-Juliensis hoc eodem anno celebravit.

* Altino.

AN. CH. 803. CAROLI IMP. 3. PIPPINI LUDOV. RR. 23. CAROLI R. 15.

Anno superiore, pridie Kalendas Novembris, Indictione undecimâ jam inchoatâ, Nicephorus Orientalis Imperii fasces arripuit, Irene ejectâ solio atque in exilium deportatâ. Tunc administratio Reipublicæ Venetæ penes Joannem Ducem & annuos Tribunos erat. Christophorus homo Græcus, Olivolensis Episcopus, Joanne Duce contendente, ac gratiæ Nicephori Imperatoris in ea re serviente, constitutus est. Id autem cùm iniquo prorsus animo ferrent Tribuni, ne Christophorum consecraret, Joannem Patriarcham Gradensem rogarunt. Hic precibus obsequutus, illum non solùm non consecravit, sed etiam à piorum communione semovit. Quo facto

II. Joannes Dux adeò exarsit irâ, ut, Mauritio filio Duce assumpto, classem Gradum adduxerit, & civitate primo adventu captâ Patriarcham ex celsissima turri præcipitarit. Lege Sigonium libro quarto [a] Historiarum de Regno Italiæ in Carolo Imperatore & Pippino filio Rege.

[a] Ad an. 802.

III. Olivola Insula est, quæ partem hodiernarum Venetiarum constituit; illam videlicet, in qua Sedes primùm Episcopalis fuit, deinde Patriarchalis ad hodiernam usque diem perseverat. Plura de nomine & origine Venetiarum dicemus ad annum Redemptoris octingentesimum decimum, quo Pippinus Rex Venetiam subegit, ejusque Duces in deditionem recepit. Tunc enim qui superfuerunt è Venetorum clade, confugerunt ad Olivolam & Rivoaltum Insulas, novúmque elegerunt Ducem, qui, teste Sigonio [b], *cùm Rivoaltum Duci, Olivolam Episcopo destinasset, prima Ducalis Pratorii, quo loco nunc est, fundamenta jecit, & urbs tota, Rivoaltum & Olivolam continens, pòst nne Venetiarum nomine* fuit *appellata*. Atque inde obiter nota multùm discriminis inter Venetiam & Venetias intercedere; provincia enim nomine Venetiæ, urbs verò provinciæ primaria nomine Venetiarum intelligitur, & Pippinus Rex, ut suo loco dicturi sumus, Venetiam in suam potestatem redegit nomine Venetiarum nondum andito.

[b] Lib 4. ad an. 810.

IV. Porrò, cùm Rivoaltum & Olivola Insulæ ceteris ab impressione hostili securiores ob intercedentem magnum canalem viderentur, nemini mirum debet esse, quòd Tribuni Veneti Christophorum hominem Græcum ad aucupandam Nicephori Augusti gratiam Episcopum artibus Joannis Ducis apud Olivolam collocatum ægro tulerint animo. Qualis autem Venetorum Tribunorum auctoritas esset, ex illorum institutione sic docet Petrus Justinianus libro primo Historiæ Venetæ. *Delata est ad Dominicum Menegarum summa Imperii, virum acrem & præferocem, cui annui Tribuni dati sunt, ne hominis temeritate aliquid detrimenti civitas pateretur. Hic tamen quum in omne facinus prorumperet, excæcatus, depulsúsque, Ducalem administrationem amisit. Mauritius ei successit, magni ingenii vir, & vita integritate clarus, obtinuítque à populo ob rectum sincerúmque in moderanda Republica studium, ut Joannem filium sibi Collegam in Ducatu cooptaret.* Is est Dux Joannes, qui paternis non institit vestigiis, & Gradensem Patriarcham ex alta turri præcipitavit, ut dictum suprà.

V. SYNODUS ALTINENSIS. Audito hoc immani scelere Paulinus Foro-Juliensis Patriarcha Concilium Altini mox celebravit, ut constat ex Synodalibus literis, per quas Carolum visus est ad ultionem provocare. Magnam illius epistolæ partem, quam posteà Conciliorum Collectores suis Collectionibus inseruerunt, ex Codice Bibliothecæ Vaticanæ mendosissimo Baronius, quanto potuit studio, per fragmenta primus ita publicavit [c].

[c] Tom. 9. a. 802. nu. 7. & seqq.

VI. *Catholico, sempérque inclyto Triumphatori, Domno Carolo, divinâ coronante Clementiâ Imperatori, Paulinus minimus omnium servorum servus, concordi parilíque devotione, cum fratribus & cum consacerdotibus nostris, roseo in Christo Jesu cruore, æternas multipliciter supplici concinnamus stylisonâ voce salutes.*

VII. *Et sacris paternorum Canonum valenter incitantibus documentis, & vestris (ut verum resonat) mellitis salubribus irrorantibus syllabis in hac, cui, Deo auctore, licèt indignus indignéque famulatu deservio, Sede, Concilium habitum Altini fuisse,*

sub

sub nomine Regis, tranquillissimis vestræ Serenitatis auribus operæpretium duximus humillimis horum, quamvis incultorum apicum, suppliciter notulis intimare. AN. CH. 803.

De Sacerdotibus autem plagis impositis semiquevivis relictis, vel certè diabolico CAROLI
fervescente furore, per ejus satellites interemptis, non meum, sed vestræ defi-
nitionis erit judicium: in vestra itaque potestatis altitudine, in quodam judiciali IMP. 3.
libello à Sanctis olim Patribus salubriter prælibato legisse me recolo reservatum. Ob PIPPINI
quam igitur causam hæc fecerint, vestris certiùs scio omnino non latuisse neque LUDOV.
latere sacris memoriis. Neminem namque alium arbitrati sunt Sanctam Eccle- RR. 23.
siam de illatis injuriis, tam potentissimè, quàm Regali animadversione ulcisci, CAROLI
vicariam ab eo vicissitudinis expetens curam, ut quemadmodum illa eum & in R. 15.
præsenti seculo & inter bella spiritalibus non cessat coronare triumphis & cælesti VIII.
Regno, divinam implorando Clementiam, participem fieri imprecatur, ita & ille
Principalem adeptus potentiam, & ab inimicis ejus valenter eam defendere, & de
hostibus ejus ultrici invectionis sententiâ non desinat vindicare.

Non igitur dedignetur Benignitatis vestræ Excellentia, sollicitudinis erga eam IX.
pro hoc negocio vigilanter gerere curam, rememorantes per omnia sacri fontis ute-
ro, de quo multò longè feliciùs estis renati, fideíque lactis dulcedine enutriti, quàm
priùs, maternâ benè quamvis vulvâ generati, carnalibus estis uberibus ablactati.
Egrediatur quapropter (si placet) una de hac re, per universam Regni vestri latè
diffusam Monarchiam, Decretalis sententiæ ultio, quam [1] *nulla unquam possit* [1] qua
inimica veritatis & adversatrix justitiæ, quolibet [2] *urgente refragationis instincto,* [2] qualibet
oblivio abolere. Valdè enim hujus sceleris truculenta præstigia, ob incuriam disci-
plinæ, per cunctas mundi [3] *prævaluere partes. Unde vestri est censurâ Magisterii* [3] mundi Ecclesias
resecanda hæc noxialis morbi modis omnibus pestis, & potentissimâ docilíque fundi-
tus manu extirpanda, quatenus sit Sancta Ecclesia, vestris adjuta præsidiis, libera,
ab humano sanguine impolluta, quæ Christi est pretioso sanguine purpurata. Quo-
circa ejusdem retenti feliciter gremio, & in hac vita incolumes, & gloriosi, &
æternâ beatitudine gaudebundi, semper potiamini, & felices, per Jesum Christum
Dominum nostrum, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus in Tri-
nitate perfecta per omnia secula seculorum. Amen.

Altinum, urbs olim Episcopalis excidium ab Hunnis passa quinto secu- X.
lo, cùm Attila vicinas quoque civitates Aquileiam & Concordiam ever-
tit. Inde Sedes Episcopalis ob Longobardorum metum, qui totam circum-
quaque regionem jam occuparant, translata Torcellum anno Christi sex-
centesimo tricesimo-quinto, atque abhinc dictus Episcopus Torcellanus sub
Gradensi primùm Patriarcha, deinde sub Veneto, cui etiamnum subditur.
Ex eo verò, quòd Paulinus Altini Concilium celebravit, liquet illud op-
pidum non ad Episcopatum Torcellanum, qui Patriarchæ Gradensi subja-
cebat, sed ad Concordiensem tum pertinuisse, qui Patriarchæ suberat Aqui-
leiensi.

Interim Venetorum Tribunorum studio Joanni Patriarchæ Gradensi suf- XI.
fectus est Fortunatus ejus propinquus, cui Pallium Leo Papa concessit duo-
decimo Kalendas Aprilis, hoc eodem anno, Indictione undecima. Literas
Romani Pontificis Ughellus [a] in hunc modum recitat. *Leo Episcopus, ser-* [a] Tom. 5. in
vus servorum Dei, Reverendissimo & Sanctissimo Confratri Fortunato Patriarchæ Fortun. Patr.
Gradensis Ecclesiæ. Vita tua tantummodo officium Sacerdotis assumere, si interiori Gradens.
vigilantiâ perpendamus, plùs est oneris quàm honoris; quippe qui propria curare
non sufficit, nisi & salubriter gesserit aliena. Nam ad hoc Pastoralis regiminis cu- LEO PP.
ram aggreditur, ut aliorum in se sollicitudinem piâ provisione suscipiat, & in eo- FORTUNA-
rum sese custodia vigilanter disponat, ut lupus insidians possibilitatem in eo irrum- TO NOVO
pendi non habeat, nec læsionem ovibus inferat. Sic qui animarum curam suscepimus, PATRIAR-
assiduam debemus sollicitudinem gerere, ut callido antiquo humani generis inimico CHÆ GRA-
aditum præcludamus, & totis contra ejus voracitatem viribus obsistamus, ne nos- DENSI MIT-
tra fortè desidia tabidâ, quod absit, quemquam fauce deglutiat, & ejus ad nostram TIT PAL-
non immeritò applicetur pœnam perditio, qui commissos sollicitâ custodire cautelâ LIUM.

AN. CH. 803
CAROLI IMP. 3.
PIPPINI LUDOV. RR. 23.
CAROLI R. 15.

*negligimus. Exhibeamus ergo quod dicimur, & quibus divini dispensatione consilii praesse contigit, prodesse, quantùm possumus, festinemus, ut dum creditor rationem nobiscum positurus advenerit, lucrum nos fecisse reperiat, & suâ, sicut promisit, remuneratione lætificet. Hoc itaque, frater charissime, considera, & locum, quem adeptus es, non ad requiem sed ad laborem te suscepisse cognosce. Adhortationis ope fidelium corda corrobora; infidelium * verò, summo opere converte. Quod ut faciliùs assequi merearis, prædicationem tuam vita commendet, ipsa eis instructio, ipsa magistra sit, ad desiderium æternæ vitæ docente suspirent tuo viventes exemplo & perveniant, temporalia despiciant, & quæ transitoria sunt contemnentes, ad ea, quæ semper durant, quæ nullo fine clauduntur, desideriis anhelent. In his igitur studium adhibe, in hac tota mentis intentione persiste, quatenus dum tuâ prædicatione atque imitatione hæc fuerint consecuti, tantò majora à Deo nostro recipias, quantò congruâ sollicitudine lucrandis eis animabus officii tui exercere operam minimè destitisti. Pallium prætereà juxta antiquam consuetudinem Fraternitati tuæ dedimus, quo ita uti memineris, sicuti prædecessores nostri tuis prædecessoribus concessere, Privilegiorum suorum scilicet integritate servatâ. Fidem autem Fraternitatis * tuæ, quamvis in epistola tua, quam direxisti, subtiliter debuisses exponere, verumtamen lætamur in Domino, quia eam rectam esse, & solemni Synodali confessione didicimus. Oramus autem Omnipotentem Dominum, ut suâ te munitione circumtegat, & Sacerdotii susceptum officium operibus implere concedat. Scriptum per manum Benedicti Notarii & Scriniarii S. R. E. in mense Martio, Indict. 11. bene valete. Datum 12. Kal. April. per manum Eustachii Primicerii Sanctæ Sedis Apostolicæ, imperante nostro Domino Carolo Piissimo Augusto, à Deo coronato, Magno, & Pacifico Imperatore, anno tertio, Ind. 11.*

* in fidelium

* Fraternitati

XII. In his literis nonnulla sunt observanda. Fortunatus statim ac Gradensis Patriarcha factus est, Romano Pontifici direxit epistolam, quâ suam ei promotionem ad Patriarchatum significavit. Eâdem debuit epistolâ fidem suam exponere, ídque Papa non dissimulavit ab illo prætermissum contra rationem officii veterémque consuetudinem, dedit tamen Pallium, quia fidem illius rectam novit *solemni Synodali confessione*. Qua de Synodo loquatur Leo, non patet, at eò tota quæstio redigitur, ut aut cœtus intelligatur Episcoporum ac Presbyterorum qui simul ad eligendum Patriarcham convenerunt, aut Altinense Concilium, in quo sub idem tempus actum de tumultu Gradensi, seu de cæde Joannis Patriarchæ, & subrogatione Fortunati, qui certè Paulino ceterísque Patribus ignotus dici non potest, erat enim patriâ Tergestinus.

XIII. CAROLI AUG. NOMEN SUIS APPONIT LITERIS.

Illis observationibus hanc præsertim subnectendam ducimus. Leo Romanus Pontifex suas literas more decessorum duobus munit Characteribus Chronologicis, anno videlicet Imperatoris & Indictione. Sed hac intercedente differentiâ, quòd antecessores annum notabant Imperatoris Constantinopolitani, cui Roma tunc parebat, Leo verò, quoniam Roma Carolo Augusto subjicitur, ipsius Caroli Imperatoris annum apponit. Sanè prævalidum hoc est argumentum, ut Romam à potestate Græcorum in ditionem Francorum transiisse fatearis, & Carolo jus atque imperium in ipsam Urbem ac Romanos idem fuisse quod anteà Græcis Imperatoribus.

XIV. FORTUNATUS IN FRANCIAM CONFUGIT.

Fortunatus Gradensis Patriarcha, cùm à Joanne & Maurizio Venetorum Ducibus plurimùm sibi timeret, *accito*, inquit Sigonius, *Obelerio Metamaucensi Tribuno, consilium Franciam adeundi cepit, ut Carolum adversùs Duces incenderet, res Nicephori majore, quàm par erat, studio complectentes. Quo excepto consilio, Duces subitò classem Gradum iterum promoverunt, ac Fortunatum & Obelerium inde excedere coegerunt. Ii cùm se Tarvisium contulissent, Obelerius à Venetis exulibus Dux est declaratus. Fortunatus in Franciam, ut constituerat, properavit.* Idibus Augustis à Carolo rescriptum elicuit, quod describemus infrà, servato enim ordine res, quas ante illas Idus idem Carolus gessit, priùs exponi debent.

AN. CH. 803. CAROLI IMP. 3. PIPPINI LUDOV. RR. 23. CAROLI R. 15.

XV. SYNODUS AQUISGRANENSIS.

Carolus *hyemavit* Aquisgrani. Id Monachus Egolismensis in illius vita testatur. *Hac hyeme*, inquit Annalista Laureshamensis, *circa ipsum Palatium & finitimas regiones terra motus factus, & pestilitas subsecuta est.* Pascha celebratum est decimo-sexto Kalendas Maii. *Imperator*, ut Annalista Metensis addit, *post Pascha ab Aquis profectus ad Magonciam venit.* Aquisgrano Moguntiacum statim post Pascha non abiit, Idibus enim Junii morabatur adhuc in Aquisgranensi Palatio, ut ex Diplomate mox citando liquet. Ibi Synodus habita, cujus mentionem facit Labbeus [a] ex hac notatiuncula, quæ legitur in manuscripto Codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ. *Hoc fuit datum ad Aquis in tertio anno Imperii Domni Caroli Augusti, quando Synodus ibi magna fuit.* Sirmondus in Codice Metensi Capitula Caroli Augusti per annos Imperii digesta reperit, & anno ejusdem Imperii Carolini tertio præfixit hanc notam. *Anno* III. *Aquisgrani. Capitula qua in Lege Salica addi jussit. Item. De Lege Ripuariense, & alia diversa.* De singulis hîc agendum.

[a] Tom. 7. Conc.

XVI. ADDITAMENTUM AD LEGEM SALICAM.

Capitulorum, quæ Carolus Legi Salicæ hoc anno addi jussit, apud Fridericum Lindenbrogium hic est Titulus. *Incipiunt Capitula, qua ad Legem Salicam Domnus Augustus Karolus anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi* DCCCIII, *Imperii verò anno* III, *proponendo addere jussit.* Sequuntur Capitula viginti & unum, quorum pars libro primo Capitularium, pars altera libro tertio inserta est.

XVII.

I. Qui Subdiaconum occiderit, CCC *solidos componat; qui Diaconum*, CCCC. *qui Presbyterum*, DC. *qui Episcopum*, DCCC. *qui Monachum*, CCCC *solidos culpabilis judicetur.* Eadem quoque Caroli sanctio legitur libro primo Legis Longobardicæ, Titulo nono, Articulo vicesimo-septimo, & libro Capitularium tertio, Capitulo vicesimo-quinto *de homicidiis Clericorum.*

XVIII.

II. Si quis in emunitate damnum aliquod fecerit, DC *solidos componat. Si autem homo furtum aut homicidium fecerit, vel quodlibet crimen foris committens infra emunitatem fugerit, mandet Comes illi Episcopo, vel Abbati, vel Vicedomino, vel quicunque locum Episcopi vel Abbatis tenuerit, ut reddat ei reum. Si ille contradixerit, & eum reddere noluerit, in prima contradictione* XV *sol. culpabilis judicetur. Si ad secundam inquisitionem eum reddere noluerit*, XXX *sol. culpabilis judicetur. Si nec ad tertiam inquisitionem consentire voluerit, quidquid reus damni fecerit, totum ille, qui eum infra emunitatem retinet, nec reddere vult, solvere cogat. Et ipse Comes veniens licentiam habeat ipsum hominem infra emunitatem quærendi, ubicunque eum invenire potuerit. Si autem statim in prima inquisitione Comiti responsum fuerit, quòd reus infra emunitatem quidem fuisset, sed fugâ lapsus sit, statim juret, quòd ipse eum ad justitiam cujuslibet diffaciendam fugere non fecisset, & sit ei in hoc satisfactum. Si autem intranti in ipsam emunitatem Comiti collectâ manu quilibet resistere tentaverit, Comes hoc ad Regem vel ad Principem deferat, ibíque judicetur: ut sicut ille, qui in emunitate damnum fecit*, DC *solid. componere debuit, ita qui Comiti collectâ manu resistere præsumpsit*, DC *sol. culpabilis judicetur.* Lege librum tertium Capitularium, Capitulo vicesimo-sexto *de immunitate.*

XIX.

III. Si quis ad Ecclesiam confugium fecerit, in atrio ipsius Ecclesiæ pacem habeat, nec sit necessitas Ecclesiam ingredi, & nullus eum inde per vim abstrahere præsumat: sed liceat ei confiteri quid fecit, & inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publicum perducatur. Lege librum primum Capitularium, Capitulo centesimo quadragesimo *de confugio ad Ecclesiam.*

XX.

IV. Si quis hominem in judicio injustè contra alium altercantem adjuvare per malum ingenium præsumpserit, atque inde coram Judicibus vel Comite increpatus fuerit, & negare non potuerit, XV *sol. culp. jud.* Hoc Capitulum libro tertio [b] Capitularium insertum reperitur.

[b] Cap. 27.

XXI.

V. Si quis de libertate sua fuerit interpellatus, & timens ne in servitium cadat, aliquem de propinquis suis, per quem se in servitium casurum timet, occide-

AN. CH. *rit, id est, patrem, matrem, patruelem, avunculum, vel quamlibet hujusmodi*
803. *propinquitatis personam, ipse qui hoc perpetravit moriatur, agnatio ejus & consan-*
CAROLI *guinitas in servitium cadat: & si negaverit se illum occidisse, ad novem vomeres*
IMP. 3. *ignitos judicio Dei examinandus accedat.* Lege quæ dicta sunt ad annum
PIPPINI Christi septingentesimum octogesimum-primum [a], ubi de judiciali exami-
LUDOV. ne per ignitos vomeres egimus, & eandem Caroli Sanctionem descripsimus
RR. 23. ex libro primo Legis Longobardieæ, Titulo decimo [b] *de parricidiis.* Lege &
CAROLI Capitulum tertium Appendicis secundæ libro quarto Capitularium subjectæ.
R. 15. *VI. Qui res suas pro anima sua ad casam Dei tradere voluerit, domi tradi-*
a Num. 30. *tionem faciat coram testibus legitimis; & quæ hactenus in hoste facta sunt tradi-*
b Art 5 *tiones, de quibus nulla est quæstio, stabiles permaneant. Si verò aliquis alii res*
XXII. *suas tradiderit, & in hostem profectus fuerit, & ille, cui res traditæ sunt, inte-*
rim mortuus fuerit, qui res suas tradidit, cùm reversus fuerit, adhibitis testibus, coram quibus traditio facta est, res suas recipiat. Si autem & ipse mortuus fuerit, hæredes ejus legitimi res traditas recipiant. Hoc Capitulum insertum est libro primo Capitularium, éstque centesimum quadragesimum-primum *de his qui ad casam Dei res suas tradere voluerunt.*

XXIII. *VII. Si quis per Chartam ingenuitatis à Domino suo legitimè libertatem est consecutus, liber permaneat. Si verò aliquis eum injustè inservire tentaverit, & ille Chartam ingenuitatis suæ ostenderit, & adversarium se inservire velle comprobaverit, ille, qui hoc tentavit, mulctam, quæ in Charta descripta est, solvere cogatur. Si verò Charta non paruerit, sed etiam ab illo, qui eum inservire voluerit, diffacta est, Weregeldum ejus componat, duas partes illi quem inservire voluerit, tertiam Regi; & ille iterum per Præceptum Regis libertatem suam conquirat.* In libro tertio Capitularium, huic Capitulo simillimum est duodetricesimum *de homine qui per Chartam libertatem consequutus est.*

XXIV. *VIII. Liber, qui se loco wadii in alterius potestatem commiserit, ibique constitutus damnum aliquod cuilibet fecerit; qui cum in locum wadii suscepit, aut damnum solvat, aut hominem in mallo perductum dimittat, perdens simul debitum, propter quod eum in wadio suscepit, & qui damnum fecit, dimissus juxta qualitatem Regi cogatur emendare. Si verò liberam fœminam habuerit, usquedum pignus extiterit, & filios habuerit, liberi permaneant.* In Capitularibus hoc Capitulum idem est cum undetricesimo libri tertii, quod inscribitur *de libero homine, qui se loco wadii tradidit.*

XXV. *IX. Omnia debita, quæ ad partem Regis solvi debent, solidis XII denariorum solvantur, exceptâ fredâ quæ in Lege Salica conscripta est. Illa eisdem solidis, quibus cæteræ compositiones solvi debent, componatur.* Hoc quoque Capitulum
c Cap. 30. *de debitis Regalibus, qualiter solvi debeant,* occurrit in libro tertio [c] Capitularium.

XXVI. *X. Si quis causam judicatam repetere in mallo præsumpserit, ibique testibus convictus fuerit, aut XV sol. componat, aut XV ictus ab iis Scabinis, qui causam priùs judicaverunt, accipiat.* Hoc Capitulum *de eo, qui causam judicatam repetere præsumit,* est tricesimum-primum in eodem tertio libro Capitularium.

XXVII. *XI. Optimus quisque in pago vel civitate in testimonium assumatur, & cui is, contra quem testimoniare debet, nullum crimen possit indicere.* In iisdem Capitularibus hoc Capitulum est tricesimum-secundum libri tertii, *de eo qui in testimonium assumitur, qualiter esse debeat.*

XXVIII. *XII. Ut nec colonus, nec fiscalinus, possit alicubi foras mixtos traditiones facere.* In Capitularibus hoc Capitulum *de colonis & de fiscalinis* est tricesimum-sextum libri tertii, paulóque breviùs sic habetur. *Ut nec colonus, nec fiscalinus possint alicubi traditiones facere.*

XXIX. *XIII. Ut nullus præsumat hominem ad judicium mittere, nisi judicatum fiat.*
d Cap. 37. Hoc Capitulum *de homine in judicium non mittendo sine causa,* libro tertio [d] Capitularium sic legitur. *Ut nullus præsumat hominem in judicium mittere sine causa, nisi judicatum fiat.*

XIV. Ut liber homo, qui in Monasterio regulariter comam deposuit, & res AN. CH.
suas ibidem delegavit, promissionem factam secundùm Regulam firmiter teneat. Le- 803.
ge in Capitularibus Capitulum centesimum quadragesimum-tertium libri XXX.
primi, *de conversione liberi hominis.*

XV. Ut nullus ebrius causam suam possit conquirere in mallo, nec testimonium XXXI.
dicere. Nec placitum Comes habeat, nisi jejunus. In Capitularibus hoc Capitu-
lum est duodequadragesimum libri tertii.

XVI. Ut nemini liceat alium cogere ad bibendum ampliùs, nisi quantum suffi- XXXII.
ciat. Lege in Capitularibus Capitulum centesimum quadragesimum-quar-
tum libri primi, *de non cogendo bibere.*

XVII. Ut nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærit, aut XXXIII.
si alteri quærere debeat, exceptis Scabinis VII *qui ad omnia placita præesse de-*
bent. Lege in Capitularibus Capitulum quadragesimum libri tertii, *de illis*
qui ad placitum banniri seu citati debeant.

XVIII. Theloneus aut census non exigatur à quolibet, ubi nec aquam navi- XXXIV.
gio, aut pontem transeundum non est. In Capitularibus Capitulum quinquage-
simum-quartum libri tertii sic habet. *Ut nullus cogatur ire ad fluvium tran-*
seundum propter theloneï causam, quando ille in alio loco compendiosiùs illud flu-
men transire potest. Similiter & in plano campo, ubi nec pons, nec trajectus est,
ibi omnimodis præcipimus, ut theloneum non exigatur.

XIX. Et hoc nobis præcipiendum est, ut quicumque in dono Regio caballos de- XXXV.
tulerint, in unumquemque suum nomen habeant scriptum. Similiter & in vesti-
menta Abbatissarum.

XX. Et hoc nobis præcipiendum est, ut ubicumque inveniuntur Vicarii aliquid XXXVI.
mali consentientes vel facientes, ipsos ejicere, & meliores ponere.

XXI. Ut Comites, vel Vicarii eorum, Legem sciant, ut ante eos quis nemi- XXXVII.
nem judicare possit, nec ipsam Legem mutare.

Apud Sirmondum sequuntur alia quinque Capitula hoc eodem anno XXXVIII.
Caroli Augusti tertio pro diversis rebus data. ALIA

Primum est, *de Ecclesiis emendandis*, & in Appendice prima [a] sic habetur. CAPITULA.
*De Ecclesiis emendandis, ut ubi in uno loco plures sunt *, quàm necesse est*, des-* XXXIX.
truantur quæ necessaria non sunt, & alia construantur. [a] Cap. 28. * Sirmond. *fuerint*,

Secundum duas in partes dividitur. Prima est de ordinatione Presbyte- * Sirmond. *sit*,
rorum. *Ut Presbyteri non ordinentur priusquàm examinentur.* Altera est de
excommunicatione. *Ut excommunicatio passim, & sine causa non fiat.* Hoc XL.
Capitulum legitur libro primo [b] Capitularium, ibique prior ejus pars est [b] Cap. 142.
simillima, sed posterior in plurali numero sic effertur. *Ut excommunicatio-*
nes passim, & sine causa non fiant.

Tertium est *de sacramento*, sic. *Omne sacramentum in Ecclesia, aut supra* XLI.
Reliquias juretur: & quod in Ecclesia jurandum est, vel cum VI *electis, vel, si*
XII *esse debent, quales potuerit invenire, & sic juret. Sic illum Deus adjuvet,*
& illi Sancti, quorum istæ Reliquiæ sunt, ut veritatem dicat. Hoc Capitulum
legitur libro sexto Capitularium, ibique primam partem Capituli noni su-
pra ducentesimum cum aliqua constituit differentia in textu, sic. *Omne sacra-*
mentum in Ecclesia, & super Reliquias juretur. Magis placet hæc editio. Caro-
lus enim duplex sacramentum seu juramentum, unum in Ecclesia facien-
dum, alterum supra Reliquias, quæ vel in castris vel alibi extra Ecclesiam
tangantur, præstandum haud distinguit, sed omne sacramentum in Eccle-
sia super Reliquias Sanctorum fieri præcipit, & ad illud *quod in Ecclesia ju-*
randum est, referuntur hæ voces, *illi Sancti, quorum istæ Reliquiæ sunt.*

Quartum adversùs eos, *qui ad usus illicitos sanctum Chrisma dant vel accipiunt,* XLII.
sic statuit. *De Clericis & laicis, qui Chrisma ad aliquam nimietatem dant & ac-*
cipiunt: si quis Presbyter aut Diaconus dare aut accipere præsumpserit, gradum amit-
tat: ceteri Clerici & Nonnanes, disciplinam corporalem & carnis custodiam susti-
neant: laici, qui acceperint, aut alicui dederint, manum perdant.

AN. CH. 803.

XLIII. Quintum *de Oratoriis consecratis* inscribitur. *Ut qui Oratorium consecratum habet, vel habere voluerit, per consilium Episcopi de suis propriis rebus ibidem largiatur; & propterea illi vici Canonici non sint neglecti.*

XLIV. Imperator, cùm adhuc Aquisgrani moraretur, Idibus Junii Præceptum pro Monasterio Acutiano sic emisit. *Karolus Serenissimus Augustus à Deo coronatus, Magnus, & Pacificus, Imperator, Romanum gubernans Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum. Si ea quæ à Deum timentibus hominibus locis Sanctorum ob amorem Domini, & opportunitatem servorum Dei, condonata esse noscuntur, nostris confirmaverimus Edictis, non solùm Regiam exercemus consuetudinem, sed etiam hoc nobis procul dubio ad mercedis augmentum seu stabilitatem Imperii nostri in Dei Nomine pertinere confidimus. Quapropter notum sit omnibus. Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Castaldiis, Vicariis, Centenariis, Actionariis *, vel reliquis fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis Benedictus Religiosus Abbas Monasterii Sanctæ Dei Genetricis sempérque Virginis Mariæ, quod situm est in territorio Sabinensi, loco qui dicitur Acutianus, Mansuetudini nostræ suggessit, petens ut res ipsius Monasterii, quæ à longo tempore ad ipsum sanctum locum per diversorum hominum Donationes, videlicet Regum, Reginarum, Ducum, Pontificum, Comitum, Castaldiorum, vel collationes populi, cessiones, venditiones, comparationes, commutationésque pervenerunt, de quibus ipsa Casa Dei moderno tempore, id est, ab anno Imperii nostri* III, *investitum habere, vel quieto ordine possidere videtur, per Præceptum Regiæ auctoritatis nostræ, pro mercedis nostræ augmento, ad eundem sanctum locum pleniùs cedere & confirmare juberemus. Cujus petitioni annuentes, ad mercedis nostræ augmentum pro reverentia ipsius sancti loci, vel propter deprecationem memorati viri Benedicti Abbatis ita concessimus, & confirmari jussimus. Præcipientes ergo jubemus, quòd perpetualiter circa memoratum sanctum locum mansurum esse volumus, ut nullus quislibet de fidelibus nostris memorato viro venerabili Benedicto Abbati, aut successoribus suis in perpetuum, de jam dictis rebus, quas præfata Casa Dei moderno tempore, id est, ab anno* III *Imperii nostri, justè & rationabiliter quieto ordine possidere cernitur, aut inantè Domino largiente legitimo ordine acquirere potuerit, inquietare nec condemnare, nec aliquid exinde injustè abstrahere aut imminuere quoquo tempore præsumat. Sed per hoc nostræ Serenitatis atque confirmationis Præceptum, nostris futurísque temporibus ad ipsam Sanctam Dei Ecclesiam proficiat in augmentis, quatenus omni tempore, absque cujuslibet illicita contrarietate ipsas res superiùs comprehensas Rectores ipsius Monasterii tenere & possidere debeant, ita ut meliùs delectet prædicto venerabili viro Benedicto Abbati, atque ejusdem Ecclesiæ Congregationi in perpetuum pro nobis, & pro Imperii nostri stabilitate, seu pro filiis ac filiabus nostris, vel pro cuncto populo nobis à Deo datu attentiùs jugiter Divinam exorare clementiam. Et, ut hæc Auctoritas firmior habeatur, & per tempora diligentiùs observetur, juxta consuetudinem Imperialem subscribere, & de annulo nostro jussimus sigillare. Datum Idibus Junii, anno* III, *Christo propitio, Imperii nostri, &* XXXV *Regni nostri in Francia, atque* XXIX *in Italia, Indictione* XI. *Actum Aquis nostro Palatio publico, in Dei Nomine feliciter. Amen.* In editione Duchesniana [a] bis ponitur annus *ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi* DCCCIII. Sed à nobis omissus est hic Character, quia ex margine translatus in textum videtur.

Præceptum pro Mon. Acutiano.

* edit. Altionariis.

[a] Tom. 3. Coll. Hist. Franc.

XLV. Indictio undecima per mensem Junium anno Redemptoris octingentesimo tertio illigatur, & hic annus Incarnationis Dominicæ cum anno Caroli Imperatoris tertio necnon ejusdem Regis in Francia tricesimo-quinto componitur, an etiam cum anno ejusdem Regis in Italia vicesimo-nono conveniat, in controversiam vocari potest. Omnes enim consentiunt de Carolo, quòd anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo, mense Septembri, regnare post patrem cœpit; & anno Redemptoris octingentesimo, mense Decembri, coronatus est Imperator. Consentiunt etiam, quòd anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto Desiderium Longobardorum

Regem captivum abduxit. Mensis autem, quo Regem se Longobardorum nuncupare cœpit, haud ita compertus. AN. CH. 803.

Carolus Aquisgrano Moguntiacum profectus est, *ibique*, ut Metensis Annalista prosequitur, *solito more, Conventum Francorum habuit. Winigisus quoque à Grimoaldo redditus est.* Winigisus Dux erat Spoletanus, anno priore captus fuerat à Grimoaldo Duce Beneventano; quandiu detentus ab illo fuit, habitus est honorificè, videtúrque redditus Pippino Regi, pactis priùs induciis, abhinc enim per novem annos in Historiis altum de Beneventano bello silentium. XLVI. INDUCIÆ BENEVENTANÆ.

Imperator Moguntiâ perrexit ad Salam fluvium, ibique Missos suos, Jessæum videlicet Ambianensem Episcopum & Helingaldum Comitem Constantinopoli reversos suscepit cum Legatis, quos Nicephorus novus Orientis Imperator direxerat. *Missi Imperatoris*, ait idem Annalista Metensis, *à Constantinopoli regressi sunt, & venerunt cum eis Legati Nicefori Imperatoris, qui tunc Rempublicam regebat, quorum hæc sunt nomina, Michael Episcopus, Petrus Abbas, Calistus & Candidatus. Qui venerunt ad Imperatorem in Germania super fluvium Sala, in loco qui dicitur Salz, & pactum faciendæ pacis in Christo susceperunt. Inde dimissi cum Epistola Imperatoris Romam venerunt, inde Constantinopolim regressi sunt.* His de rebus cum Annalista Metensi ceteri conveniunt. At in nominibus propriis nonnihil est discrepantiæ, deinde vocabulum *Christo* pro *scripto* irrepsit, & Calistus Candidatus in duos, id est, in Calistum & Candidatum distinctus est. Audi Annalistam Laureshamensem. *Legati Imperatoris de Constantinopoli reversi sunt, & venerunt cum eis Legati Nicephori Imperatoris, qui tunc Rempublicam regebat (nam Irenen post adventum Legationis Francica deposuerant) quorum nomina fuerunt, Michael Episcopus, Petrus Abbas, Calistus Candidatus. Qui venerunt ad Imperatorem in Germania super fluvium Salam in loco qui dicitur Sels, & pactum faciendæ pacis in scripto susceperunt, & inde dimissi cum Epistola Imperatoris Romam regressi atque Constantinopolim reversi sunt.* XLVII. REDITUS LEGATORUM EX ORIENTE.

Carolus post Oratorum reditum ex Oriente, cùm Irenæ Augustæ, cujus nuptias expetierat, ereptos Imperii fasces, omnémque recuperandi solii spem ablatam audivisset, Mathalgardem seu Madelgardam duxit. Idibus Junii, quando Præceptum pro Monasterio Acuriano emisit, expers adhuc erat conjugii, idque ipsemet non obscurè docet, Abbati enim & Sodalibus Acnianis seipsum cum liberis suis utriusque sexûs ac cuncto populo commendavit, nec ullam mentionem fecit uxoris, quam certè, si tunc habuisset, haud erat omissurus. *Meliùs*, inquit, *delectet prædicto Venerabili viro Benedicto Abbati, atque ejusdem Ecclesiæ Congregationi in perpetuum pro nobis, & pro Imperii nostri stabilitate, seu pro filiis ac filiabus nostris, vel pro cuncto populo nobis à Deo dato, attentiùs jugiter Divinam exorare clementiam.* XLVIII. CAROLUS UXOREM DUCIT MATHALGARDEM.

Eginhardus de quatuor uxoribus, quæ post Luitgardis obitum Carolo successivè nupserunt, ita scribit. *Post cujus*, nempe Luitgardis Reginæ, *mortem, quatuor habuit concubinas, Mathalgardim scilicet, quæ peperit ei filiam nomine Rothildim; Gersuindam Saxonici generis, de qua ei filia nomine Adeldrudis nata est; & Reginam, quæ ei Drogonem & Hugonem genuit; & Adelluidam, ex qua Thedericum procreavit.* En scopulus ad quem pereunt Neotericì, naufragiúmque patiuntur, qui Drogonem, Hugonem & Theodericum filios Caroli nothos dicunt. Non advertunt quo sensu quatuor istæ mulieres vocantur concubinæ, non intelligunt eas legitimo conjugii nexu sociatas fuisse. Sed expendamus ipsamet Eginhardi verba. Post Luitgardis mortem Carolus *quatuor habuit concubinas*. Igitur non antè culpandus, nec plurium mulierum conjunctione simul delectatus est, quandiu vixerunt priores uxores, Himiltrudis, Hildegardis, Fastrada, & Luitgardis. Hoc, quod quidem necessariò farendum est, æmuli si semel admiserint, videant jam quo jure postremam duntaxat Caroli vitam carpunt, atque imprimis XLIX.

AN. CH. 803. CAROLI IMP. 3. PIPPINI LUDOV. RR. 23. CAROLI R. 15.

observent Eginhardum dixisse tantùm, quòd post Luitgardis mortem Carolus quatuor habuit concubinas, non autem quòd eas simul habuit. Sanè Carolus ab anno Redemptoris octingentesimo, quo Luitgardem amisit, ad annum usque Redemptoris octingentesimum decimum-quartum, quo ipse decessit, potuit successivè legitimóque conjugio sibi copulare quatuor uxores, & ex illis suscipere quinque liberos, quos ei natos ex quatuor concubinis post Luitgardis mortem tradit Eginhardus suprà citatus.

L. Chronologiam sic instituimus. Anno Redemptoris octingentesimo Carolus Luitgardem Reginam amisit pridie Nonas Junii; sub exitum ejusdem anni, cùm Romæ versaretur, octavo Kalendas Januarii coronatus est Imperator. Anno Redemptoris octingentesimo primo de Irena Augusta in uxorem ducenda cogitavit. Anno Redemptoris octingentesimo secundo Legatos cum Nunciis Apostolicis, quos Leo quoque Papa direxit, Constantinopolim misit, & Irenen expetivit in conjugem, ut ambo Imperia Orientis & Occidentis in unum Principatum denuò coalescerent. Anno Redemptoris octingentesimo tertio Mathalgardem uxorem sibi sociavit. Anno Redemptoris octingentesimo quarto Rothildem filiam ex Mathalgarde suscepit, ejusdémque Mathalgardis obitum deflevit. Anno Redemptoris octingentesimo quinto Gersuindam duxit. Anno Redemptoris octingentesimo sexto familiam suam vidit auctam Adeltrude filiâ tum natâ, imminutámque Gersuindâ uxore post partum mortuâ; sub finem autem ejusdem anni Reginam in conjugem accepit. Anno Redemptoris octingentesimo septimo Drogonem, anno postero Hugonem, ex Regina filios habuit. Anno Redemptoris octingentesimo nono post Reginæ mortem matrimonium cum Adelluida contraxit. Anno Redemptoris octingentesimo decimo ut lætitiam ob ortum Thederici filii, sic & dolorem testatus est ob mortem Adelluidæ conjugis paulò pòst defunctæ. Reliquam vitam duxit expers conjugii, sæpè morbo colluctatus, testis est enim Eginhardus, *quòd antequàm decederet, per quatuor annos crebrò febribus corripiebatur.*

LI. Quæ dicta sunt ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-tertium [a] de voce ac significatione concubinæ, non opus est hîc repetere; locum illum adi. Matrimonium, quod Carolus iniit cum Himiltrude, Stephanus Quartus [b] Papa conjugium legitimum vocat, Deique voluntate ac consilio contractum asserit, tamen Eginhardus Pippinum, qui natus est ex illo legitimo conjugio, natum dicit *ex concubina*. Cur hic Auctor ita loquatur, haud alia quærenda ratio, quàm quòd calamo manum admovit eodem Pippino propter rebellionem in Monasterium jam retruso, atque ercifcundæ paternæ hæreditatis spe casso. Simili quoque modo concubinas appellavit ultimas Caroli uxores, quia filios earum, Drogonem, Hugonem, & Thedericum, Ludovicus frater *tonsurari* jussit, quod quidem Theganus [c] actum scribit *ad discordiam mitigandam*, unde colligas Ludovicum timuisse, ne tres illi fratres, quos Eginhardus ex concubinis ortos ait, in partem paternarum ditionum venire vellent tamquam ex legitimis conjugiis nati. Quisquis nothos eos fuisse contendit, indicat sibi non valdè familiarem esse lectionem Auctorum, qui per illa tempora floruerunt, nothos enim hi non statuunt ex concubinatu, sed ex stupro ex pellicatu ex adulterio, quia stuprum pellicatus & adulterium illicitæ sunt copulæ, concubinatus nequaquam in ea significatione quâ concubinam & concubinatum usurpant. Plerique Neotericorum ab Eginhardo multùm recedunt, cùm Caroli filios, de quibus hîc agimus, ætate grandiores supponunt, quàm textus Eginhardi patiatur; id autem præstant, ut eos ex adulterio pellicatúque natos ostendant, quando matrimonium Caroli constabat cum una ex uxoribus, quas ei legitimè nuptas non diffitentur, at errori suo patrocinium frustrà quærunt ab Eginhardo suprà descripto, cujus verba nullam sortiuntur difficultatem super ætate liberorum, quos Carolus ex

[a] Num. 12.
[b] Cod. Car. ep. 45.
[c] Cap. 24.

ex Mathalgarde, ex Gersuinda, ex Regina, & ex Adelluida suscepit. Tomo proximo scripta variorum Auctorum occurrent non pauca, quæ conformia videbuntur Eginhardo, nec à nostris calculis abhorrebunt.

LII. Fortunato Gradensi Patriarchæ præceptum Immunitatis concedit.

Ad Carolum Imperatorem, cùm ad Salam fluvium in Regio Palatio resideret, accessit etiam Fortunatus Gradensis Patriarcha, de quo sic Metensis Annalista. *Venit quoque Fortunatus Patriarcha de Græcis, afferens secum inter cetera dona duas portas eburneas, mirifico opere sculptas.*

LIII.

Hunc Fortunatum, Patriarcham Gradensem, quem Metensis Annalista Patriarcham *de Græcis* dixit, Richerius in Chronico Senoniensi [a] perperam interpretatus est Patriarcham Hierosolymitanum, multâque, quibus fidem habere non possumus nisi graviore muniantur auctoritate, sic enarravit. *Tempore Caroli Magni, vir quidam Venerabilis, Fortunatus nomine, Patriarcha Hierosolymitanus, corpus S. Joseph sepultoris Domini, paganos, qui tunc terram Sanctam vastabant, fugiens apportavit, & ad Medianum Monasterium deveniens, ibidem cum ipsis suis Reliquiis se collocavit, qui posteà ipsius Monasterii Abbas est ordinatus. Sed postmodum ipsum Sancti corpus per insolentiam Canonicorum, qui illum locum possederunt, à quibusdam Monachis peregrinis noctu furatum asportatum est, & ita illud Monasterium tali est thesauro viduatum.* Hierosolymitani Patriarchæ Legatos cum muneribus ad Carolum Magnum non semèl direxerunt, Joannes anno Redemptoris octingentesimo, Thomas septimo pòst anno, ut Annalistæ, Loiselianus, Laureshamensis, aliique testantur. At ipsummet Hierosolymitanum Patriarcham in Franciam venisse nemo prodit, nec illis temporibus occurrit Hierosolymitanus Patriarcha, cui nomen inditum sit Fortunati. Corruit igitur Richerii narratio.

[a] Lib. 2. c. 6.

LIV.

Idibus Augustis, Fortunatus, cùm in Regio comitatu ad Salam esset, hoc rescriptum elicuit. *Carolus Serenissimus Augustus à Deo coronatus, Magnus, & Pacificus Imperator Rom. gubernans Imperium, & per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum. Maximum Regni nostri in hoc agere credimus munimentum *, si petitionibus Sacerdotum vel servorum Dei, quæ nostris auribus fuerint prolata, libenter annuamus, & eas in Dei Nomine ad effectum perducamus. Igitur notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus & futuris, qualiter vir Venerabilis Fortunatus Gradensis Patriarcha, Sedis Sancti Marci Evangelistæ & Sancti Hermagoræ * Episcopus Serenitati nostræ petiit, ut tale beneficium circa dictam memoratam Sanctam Ecclesiam ex nostra indulgentia concedere & confirmare debeamus, quatenus sub immunitatis nomine tam ipse quàm Sacerdotes & reliqui, necnon servi, coloni, qui in terris suis commanent, in Istria, Romandiola, seu in Longobardia, vel ubique quieto tramite vivere & residere debeant. Cujus petitionem, ejus servitio & meritis compellentibus, denegare noluimus, sed pro mercedis nostræ augmento in Dei Nomine ita concessisse & in omnibus confirmasse cognoscite, tam Episcopia, & Xenodochia, Ecclesias Baptismales. Præcipientes ergo jubemus, ut in vicis, vel villis, seu rebus, vel quibuslibet possessionibus undecunque præsenti tempore memoratus Patriarcha justè & rationabiliter vestitus esse dignoscitur, nullus Judex publicus injustè ad causas audiendum, vel freda exigendum, nec mansiones seu paratas faciendum, nec ullas redibitiones injustas requirendum, se ingerere aut exactare præsumat. Sed dum prædictus Fortunatus Patriarcha advixerit, sub Immunitatis nomine, tam ipse, quàm ejus Sacerdotes *, & coloni, ac servi, qui super terras suas commanent, vel reliqui homines sic valeant ex nostra indulgentia quieto tramite vivere ac residere. Ita ut meliùs eis delectetur pro nobis, vel pro stabilitate Regni nostri jugiter Domini misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas firmiter habeatur, vel per tempora meliùs conservetur, manu propriâ subter firmavimus, & de annulo nostro sigillari jussimus. Signum Caroli Gloriosissimi Imperatoris. Hodingus ad vicem .... Dat. Id. Aug. in sacro Palatio nostro, anno tertio, Christo propitio, Imperii nostri.*

* Immunitatum

* Hermagoræ

* successores.

AN. CH. 803. CAROLI IMP. 3. PIPPINI LUDOV. RR. 23. CAROLI R. 35.

Sigonius hoc legerat Diploma, quod in Epitomen ita redegit. *Concedit Carolus Imperator Augustus Fortunato Patriarcha Gradi, ut ipse, Sacerdotes, servi, & coloni ejus, in terra sua, in Istria, Romaniola, & Longobardia, & ubicunque, quietè degant, jubétque ut in possessionibus, quibus ritè investitus est, nullus Judex publicus injustè ad causas audiendas, freda exigenda, mansiones aut paratas faciendas, injustas redhibitiones inquirendas exactare audeat. Datum Idibus Augusti.* Sed annum Imperatoris Caroli tertium, quocum hic annus Redemptoris octingentesimus tertius convenit, consultò reticuit, quia idem Diploma in annum sequentem rejecit. Nos illud integrum descripsimus, ut ab Ughello [a] publicatum est in Fortunato Gradensi Patriarcha.

L V. In hoc Caroli Præcepto Fortunatus *Sedis Sancti Marci Evangelistæ & Sancti Hermagoræ Episcopus* iden nuncupatur, quòd sexto sæculo, cùm ob

[a] Tom. 5. Ital. Sacr.

LVI. adventantium Longobardorum metum Paulus seu Paulinus Aquileiensis Patriarcha Gradum commigrasset, Gradus Aquileia nova dicta est, & Helias, qui prædicto Paulino proximè post Probinum successit, ex Aquileiensi Patriarcha factus est Patriarcha Gradi seu novæ Aquileiæ, Patriarchali Sede Gradum translatâ, habitâque factæ tunc hujusmodi translationis ratione deinceps Patriarchæ Gradenses, quotquot post Heliam sederunt, successores se dixerunt antiquissimorum Aquileiensium Antistitum, ac proinde Sanctorum Marci & Hermagoræ, nam Beatus Evangelista Marcus, ut Dandulus Venetiarum Dux in suo Chronico scribit, Ecclesiam Aquileiensem fundavit, ejúsque regimen Hermagoræ discipulo suo postea commisit.

LVII. Carolus, quod Fortunato Patriarchæ Gradensi Præceptum Immunitatis concedit, non extendit ad omnes suas ditiones, quæ vastissimæ sunt, sed ad provincias Grado vicinas restringit, ad Istriam videlicet, ad Longobardiam, & ad Romandiolam. Longobardiâ potitur & Istriâ; Longobardiam ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto, Istriam ab anno Christi septingentesimo undenonagesimo possidet. Ex Bonfinio [b] per Romandiolam Exarchatum Ravennatem intellige, cujus Dominus Leo Papa, Protector ac Defensor Carolus Augustus. Romani Pontifices Exarchatum à temporibus Stephani Tertii Papæ sub sua tenuerunt potestate; Carolus, priusquàm Imperator acclamaretur, Ecclesiæ Romanæ ditionísque Pontificiæ Defensorem se scripsit ac præstitit.

[b] Dec. 1. l. 9.

LVIII. In eodem Præcepto Carolus annum Imperii sui tertium apponit pro Charactere Chronologico, & in ipso Diplomatis contextu misericordiam Domini non pro Imperii sui sed pro Regni sui stabilitate cupit exorari. Cur non utrobique mentionem Imperii faciat, hæc ratio reddi potest. Imperii nomen perhonorificum, ditio nulla, ne vicus quidem. Ideircò Carolus, ut tempus consignet quo Præceptum emittit, annum notat Imperii sui, sed ubi de suis agit ditionibus, eas non Imperii sed Regni vocabulo repræsentat.

LIX. IT IN BOJOARIAM. E Palatio, quod Salæ fluvio adsidebat, Carolus in Bojoariam profectus est. Quid ibi gesserit, Annalista Metensis proximè sic subjungit. *Imperator autem Bajoariam profectus, venationem bubalorum ceterarúmque ferarum per saltum Hircanum exercuit. Inde verò ad Regenesburch veniens, dispositis his, quæ utilia videbantur esse, adventum exercitus de Pannonia redeuntis præstolabatur. Quibus reversis, obviam illis ad Regenesburch venit. Ibi etiam cum illis Zodan Princeps Pannonia veniens, Imperatori se tradidit. Multi quoque Sclavi & Hunni in eodem Conventu fuerunt, & se cum omnibus, quæ possidebant, Imperatoris Dominio subdiderunt. Constitutísque omnibus utilitatibus, quæ in illis partibus necessaria * erant, per Alemanniam & per Warmatiam hyemis tempore ad Aquis Palatium venit, ibique Natalem Domini celebravit.* Hæc brevissimè sic complectitur Annalista Laureshamensis. *Imperator autem in Bojoariam profectus, dispositis Pannoniarum causis, Decembri mense Aquesgrani reversus est, ibique*

* necessaria

Natalem Domini celebravit. Fusiutes hoc loco nnn sunt Annalistæ Loiselianus & Bertinianus, necnon Reginn, Monachus Egolismensis & incertus Auctor in vita Caroli. AN. CH. 803.

LX. Imperator, cùm nullum hnc annn bellnm getete statuisset, Alcuinum per literas ad Palatium vocavit. Alcuinns speravetat nptaverátque faciem adhuc Caroli vel semel intueri, sed itineris arripiendi spe ptotsus excidit ob ingravescentem infirmitatem, &c, ut sibi diem novissimum in Basilica Sam-Martiniana præstolari liceret, ita postulavit. [a] *Ut meam liceat apud Sanctum Martinum cotidie instantiam agere, supplex suppliciter, humilis humiliter, devotus devotè obsecro, quia valdè infirmatus corpore, nil aliud itineris vel laboris perficere valeo. Omnis igitur corporis mei, ut verè fateor, dignitas & fortitudo recessit, abiit, & cotidie fugiet, nec in hoc seculo revertetur. Speravi atque optavi, me, transactis diebus, vestra adhuc vel semel Beatitudinis faciem videre. Sed ingravescente infirmi corporis debilitate *, omnimodis hoc idem fieri non possse probatum habeo. Quapropter deprecor vestra invicta Bonitatis misericordiam, ut nullatenus mens sancta, voluntas benigna, qua in vobis est, meæ irascatur infirmitati, sed piâ compassione fessum concedat requiescere, orationibúsque pro vobis instere, & pravenire faciem aterni Judicis in confessione & lachrymis, ut si quoquo modo, Deo Jesu miserante, metuendas antiqui hostis accusationes evadere valeam, & aliquem Sanctorum habere adjutorem merear, mecum stantem, pro meáque intercedentem fragilitate, ne tradar in manus inimicorum meorum.* Ex his autem literis aliisque, quas Alcuinus postremis annis vitæ scripsit ad Carolum, eo tantùm cnnsilio, ut ex ejusdem Imperatoris licentia quietè in Cœnnbio Sam-Martiniann ad obitum nsque tesidete posset, apertissimè liquet ad anteriora tempora teferendum jure nobis videri, quod Auctor vitæ ttadit de petita facultate Mnnastices *apud Sanctum Bonifatium* amplectendæ, ducendæque vitæ *secundùm Regulam sancti Benedicti.*

ALCUINUM AD REGIUM COMITATUM INVITAT.

[a] Ep. 19.

* debilitate.

LXI. Qund ad Pannonicarum rerum dispositinnem attinet, Carnlus vastitati Pannoniarum consuluit, ad hunc enim annum sic à Brunnero [b] laudatur. *In Boicam rediit, ut quando nuperis bellis Hunnorum res attrita, magnáque Pannonia pars cultore nudata fuerat, pulcherrimæ fertilissimaque provincia caveretur, ne in solitudinem abiret; quo tempore in agrum vacuum colonias ductas vicinarum gentium, Boiorum maximè, credere non abnuerim.* Addit Adlzreitterus missas à Carnln leges, quibus uterentur deinceps Pannonii. *Novas*, inquit, *è Boica colonias deduxit in Pannoniam, misitque leges, quibus in publicis privatisque causis coloni uterentur.* Multò plnta scribit Inchofer, quotum partem probamus alterâ ptorsns rejectâ. Quæ de Sicambria seu vetere Buda mœnibns nudata, déque Chaba Hungarorum Rege à Francis in carcerem conjecto, necnon de victricibus Caroli signis per omnem provinciam circumlatis enarrantur, à nobis hic omittuntur ratis nihil hoc anno per vim tentatum in Pannonia, quia belli tunc in ea regione moti nullum superest apud antiquos Auctores mnnumentum, imò teste Chronographo Moissiacensi Carolus hoc anno *sine hoste fuit.* Cætera non displicent. Eversa Martis & Herculis Templa; in extrema Sicambriæ parte sub monte cnnstructa beatissimæ Virginis Basilica, quam finitimi undique populi, donec à Turcis prohibiti, magno concursu frequentarunt; Albæ nomen impositnm urbibus non paucis tanquam dicatis Dei Genitrici, quæ propter intemeratam Virginitatem alba seu candida & immacnlata meritò nnncupatur; constituti Sacerdotes & sacrorum Præfecti, qui convocato de more popnln Christianam legem traderent, abolitâque veteri superstitione veram Religionem amplificarent; genti datus Chaganus Christianns, in Baptismo dictus Theodorus; tota denique regio non tam Caroln quàm Christo acquisita.

[b] Lib. 6 n. 4.

ORDINAT RES PANNONIÆ.

LXII. Mense Octobri Carolus adiit Salisbnrgum, & Arnoni Salisburgiensi Pontifici concessionem à Pippinn filin quondam factam confirmavit, id est, erudiendorum Hunnorum curam, quam anno Christi septingentesimo

AN. CH. 803.

Curam erudiendorum Hunnorum Arnoni Metropolitæ Salisburgensi jam demandatam confirmat.

nonagesimo-sexto Pippinus post debellatam illam gentem eidem Arnoni commiserat *usque ad præsentiam genitoris sui Caroli*. Simul autem Pippini concessionem & Caroli confirmationem subjectas vitæ Sancti Rudperti reperies apud Anonymum editum à Canisio [a]. De Pippini concessione actum suo loco [b]. De Caroli confirmatione sic idem Auctor. *Anno Domini octingentesimo tertio Carolus Imperator Bojoariam intravit, & in mense Octobrio in Saltzburg venit, & præfatam concessionem filii sui iterans potestativè multis astantibus fidelibus suis affirmavit, & in ævum inconvulsam fieri concessit.* Deinde Arnonis Archiepiscopi zelum in promovenda per Karinthiam & Pannoniam Religione sic laudat. *Simili modo etiam Arno Episcopus, successor Virgilii, Sedis Juvavensis deinceps curam gessit pastoralem, undique ordinans Presbyteros, & mittens in Sclaviniam, in partes videlicet Karinthianas atque inferioris Pannoniæ illis Ducibus atque Comitibus, sicut pridem Virgilius fecit, quorum unus Ingo vocabatur, multùm charus populis & amabilis propter suam prudentiam. Cui tam obediens fuit omnis populus, ut si cuique vel charta sine literis ab illo directa fuit, nullus ausus est suum negligere præceptum. Quod etiam mirabiliter fecit. Vere servos credentes secum vocavit ad mensam, & eos qui eis dominabantur infideles, foris quasi canes sedere fecit, ponendo ante illos panem & carnem, & fusca vasa cum vino, ut sic sumerent victus. Servis autem stanpis deauratis propinare jussit. Tunc interrogantes primi deforis dixerunt. Cur facis nobis sic? At ille, non estis digni, non ablutis corporibus cum sacro fonte renatis communicare, sed foris domum ut canes sumere victus. Hoc facto fide sanctâ instructi, certatim cucurrerunt baptizari, & sic deinceps Religio Christiana succrescit.*

[a] Tom. 6. ant. Lect.
[b] Ad an. 796 n. 111.

LXIII.

Præceptum emittit pro Ecclesia Comensi.

Imperator mense Novembri, cùm adhuc in Bojoaria degeret, hoc emisit Præceptum [c] pro Ecclesia Comensi datum Reginoburgi. *Carolus Serenissimus Augustus, à Deo ordinatus, Magnus, Pacificus Imperator, Romanorum gubernans Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum. Notum sit omnium fidelium Magnitudini, præsentium scilicet & futurorum, quia dilectissimus filius noster Pipinus Rex Longobardorum, ad petitionem viri venerabilis Petri Episcopi Sanctæ Comensium urbis Ecclesiæ Serenitati nostræ petiit, ut omnes Ecclesias vel res ad ipsum sanctum locum pertinentes, quocunque nunc * ordine justè & rationabiliter possidere videtur, per nostrum auctoritatis Præceptum inibi confirmare deberemus, & specialiter theloneum de Meanto & Gegis cum ipso loco, & Berinzonam plebem, Comitatum, districtum, & ipsum portum, & Comitatum Clavennæ Clericis Comanis in Canonicalem usum plenissimâ deliberatione donare & confirmare deberemus. Cujus petitionem denegare noluimus, scilicet pro æterna remuneratione sic in omnibus concessisse vel confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, quòd perpetualiter circa memoratum sanctum locum mansurum esse volumus, ut nullus quislibet de fidelibus nostris memorato Petro Episcopo aut successoribus suis de suprascriptis Ecclesiis, vel rebus inibi justè & rationabiliter pertinentibus inquietare, aut calumniam generare, nec aliquid contra rationis ordinem crescere aut minuere, neque de suprascriptis rebus quaque auferre quoque tempore præsumat. Scilicet per nostrum Serenitatis atque confirmationis Præceptum ad ipsum sanctum locum eleemosyna nostra, simúlque Pipini Gloriosi Regis & filii nostri, perpetualiter perficiant in augmentis æternis. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & diuturnis temporibus meliùs conservetur, manu propriâ subtus firmavimus, & de annulo nostro sigillari jussimus. Signum Caroli Serenissimi ac Piissimi Imperatoris. Datum quinto-decimo Kalend. Decembris, anno tertio Christo propitio Imperii nostri, & trigesimo-sexto Regni nostri in Francia, Ind. undecimâ. Actum Reguntiburg * Palatio publico in Dei nomine feliciter Amen.* Annus tertius Imperii Carolini per mensem Novembrem anno Regni in Francia tricesimo-sexto jam inchoato illigatur. Uterque Character cum anno Redemptoris octingentesimo tertio componitur. Quæri potest an etiam cum eodem anno per mensem Novembrem conveniat Indictio undecima. Si principium Indictionis à Kalendis Septembribus pe-

[c] Tom 5. Ital. Sacr. in Ep. Comensi 29

* nunc tempore cum ordine

* Ratisbonne.

titur, duodecima reponi debet Indictio; undecima verò servari, si Kalendæ Januariæ Indictionem aperiunt. In Chartis autem plurimis, quæ pro diversis rebus à Carolo Augusto ejúsque successoribus editæ sunt, initium Indictionis à Kalendis Januarii desumitur. Præceptum igitur, quod suprà descripsimus, emissum est decimo-quinto Kalendas Decembris anno Redemptoris octingentesimo tertio. Annus hic *Incarnationis Dominicæ* DCCCIII non omissus est ab Ughello, sed in margine positus primùm videtur explicationis aut commentarioli loco, deinde in ipsum Diploma translatus ab exscriptore: nondum enim ætate Caroli Magni mos erat receptus, ut publicis instrumentis annus Incarnationis Dominicæ apponeretur. AN. CH. 803. CAROLI IMP. 3. PIPPINI LUDOV. RR. 23. CAROLI R. 15.

LXIV. Reginoburgi, cùm Carolus ibi morabatur, habita Synodus, cujus mentio fit in libro septimo Capitularium mox citando. Philippus Labbeus [a] hanc Synodum refert ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-nonum. Huic opinioni favere videtur Legatio, quam apud Romanum Pontificem anno priori Arno Salisburgiensis Antistes obierat. Carolus enim per Arnonem Archiepiscopum, quem Romam idcircò direxit, Papam consuluit super causis, de quibus actum pòst in Concilio Reginoburgensi, ut ex Capitulo, quod infrà recitaturi sumus, apertè liquet. At utroque illo anno Carolus à Bojoaria procul abfuit, semélque deinceps illuc profectus legitur, anno videlicet Redemptoris octingentesimo tertio, quo Concilium Reginoburgi celebratum dicimus. In hac Synodo tres Sanctiones adversùs Chorepiscopos editæ; prima, ut Chorepiscopi de ministerio Episcopali nihil præsumerent; altera, ut in posterum Chorepiscopi non fierent; tertia, ut, quæ gesta fuerant à Chorepiscopis, haberentur irrita.

[a] Tom. 7. Concil.

SYNODUS REGINOBURG. DE CHOREPISCOPIS.

LXV. Libro septimo Capitularium, Carolus de sanctionibus illis ita disserit Capitulo centesimo octogesimo-septimo. *Omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris notum esse volumus, quia non parva quæstio de Chorepiscoporum superstitione ad nos non semel aut bis vel ter venerit, sed sæpissimè nostris auribus molestiam intulerit. Ipsa enim quæstio non solùm inter Clericos, sed etiam inter laicos crebriùs ventilabatur. Dicebant ergo Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, à regularibus Episcopis ordinati, non eos esse Presbyteros, vel Diaconos, aut Subdiaconos, qui à Chorepiscopis videbantur quasi sacrati; nec Sacerdotale eos debere peragere officium, nisi forent à canonicè ordinatis Episcopis consummati. Sumentes quoque de canonica auctoritate Sanctionem, affirmabant à Chorepiscopis ordinatos, vulneratum potiùs quàm Episcopaliter sanctificatum per illam manûs impositionem habere caput. Ubi autem vulnus infixum est, medicina est adhibenda, quâ possit recipere sanitatem. Similiter & laici dicebant, quòd talium Ministrorum vel Sacerdotum, id est, qui à Chorepiscopis erant quasi ordinati, officia audire nollent, nec eorum infantes majores vel minores, aut familiam eorum per manûs impositionem consignari vel confirmari usquam vellent, ne magis vulnus quàm benedictionem acciperent. Quod jurgium cùm enucleatiùs discutere voluissemus, placuit nobis ex hoc Apostolicam Sedem consulere, jubente Canonicâ auctoritate atque dicente. Si majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, ut Sancta Synodus statuit & beata consuetudo exigit, incunctanter referatur. Quapropter Arnonem Archiepiscopum ad Leonem Apostolicum misimus, ut inter cetera quæ ferebat, etiam eum & hoc interrogaret, ut quicquid super his definiendum esset Apostolicâ auctoritate, à nostris Episcopis regulariter sopiretur. Qui nobis verbis & scriptis ab eo renuntians hæc non esse necesse iterare vel definire, quia sæpissimè à suis prædecessoribus & à multis Sanctis Episcopis atque Synodalibus Sanctionibus eos esse prohibitos atque damnatos; & ideo non esse necesse ventilare sed definita tenere. Dixit enim nullum fore Presbyterum, vel Diaconum, aut Subdiaconum ab eis ordinatum, nec Ecclesiam ab eis dedicatam, nec virginem consecratam, nec quemquam confirmatum, neque quicquam, quod de Episcopali ministerio præsumpsere, esse peractum. Sed quicquid ex his ab eis illicitè erat præsumptum, omnia à canonicè ordinatis Episcopis debere ritè peragere & in meliorem*

AN. CH. 803. CAROLI IMP. 3. PIPPINI LUDOV. RR. 23. CAROLI R. 15.

statum reformare, quia quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum. Prædictos autem Chorepiscopos præcepit damnare & in exilio detrudi. Ista verò omnes maximè Regni nobis à Deo commissi Episcopi cum eodem Arnone, permittente præfato Apostolico, mitiùs tractantes, jam dictos villanos Episcopos inter Presbyteros statuerunt, ita ut ampliùs nihil de Episcopali Ministerio præsumerent, nec ipsi deinceps à quoquam fierent, qui gradus sui periculum vitare vellet. Decretum namque est in illa Synodo, quam Reginisbrue pro eadem vel pro aliis causis Apostolicâ auctoritate præfato prætexto habuimus, nihil ex prædictis à quoquam eorum agere, nec facere volentibus consentire; sed quicquid ab eis Episcopaliter præsumptum est, à canonicè ordinatis Episcopis peragi debere, nec ullum usquam de Episcopali Ministerio à Chorepiscopis aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod aliquis horum accipere potuisset, quoniam quod non habuit quis eorum, dare non potuit. Nam Episcopi non erant, quia nec ad quandam civitatis Episcopalem Sedem titulati erant, nec canonicè à tribus Episcopis ordinati. Ideò de Episcopali Ministerio nihil agere potuerunt, & idcirco non ostenditur gestum quod præfixi agere putaverunt, quia quod non habuerunt, nullatenus dare potuerunt. Idea namque nulla causa permittit, ut videatur iteratum, quod de causis memoratis à canonicè ordinatis Episcopis cognoscitur reguloriter peractum. Unde & cùm sæpè quæstio de malò accepta honore nascatur, quis ambigat nequaquam esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum? Scimus enim, sicut & in antiquis Patrum legimus Decretis, posse verâ ac justâ legitimi Episcopi benedictione auferri omne vitium, quod à vitiosò fuerat injectum. Arno Salisburgiensis Archiepiscopus, qui Missum Dominicum anno superiore agebat in Bojoaria, ut Chartæ [a] pro Attone Episcopo Frisingensi & Abbate Schlechdorfensi scriptæ suísque locis à nobis recitatæ testantur, ineunte hoc anno Romam ad Leonem Papam directus est, rediítque ad Caroli comitatum, priusquàm Synodus Reginoburgensis cogeretur. Arnonis ac Leonis Chronologia necessariò sic instituenda.

[a] Ad an. 802. nu. 120. & seqq.

LXVI. Tres prædictas Sanctiones Carolus in iisdem Capitularibus repetit. Unam libro VII, Capitulo CCCXXIII, sic. *Placuit, sicut Leonis Papæ, & omnium Episcoporum nostrorum, atque reliquorum fidelium generali & Synodali consultu decrevimus, ut nullus Chorepiscopus per manûs impositionem Spiritum Sanctum tradere, aut Sacerdotes, vel Levitas, aut Subdiaconos sacrare, vel virgines velare, aut sanctum Chrisma conficere, vel Ecclesias aut Altaria sacrare, aut benedictionem in publica Missa populis tribuere præsumat: quæ omnia summis Pontificibus, id est, Cathedralibus Episcopis debentur, & non Chorepiscopis, vel Presbyteris, quorum formam juxta Sanctorum Canonum Decreta Chorepiscopi gerunt. Si autem ii aliquid ex his agere tentaverint, irrita erunt quæ ab iis geruntur, & ipsi omni Ecclesiastico honore funditus priventur.* Item Capitulo ducentesimo octogesimo-quarto libri sexti, quod consulere poteris. Alteram Capitulo centesimo decimo-nono ejusdem libri sexti, sic. *Placuit ne Chorepiscopi à quibusdam deinceps fiant. Quoniam hactenus à nescientibus Sanctorum Patrum & maximè Apostolicorum Decreta, suísque quietibus ac delectationibus inhærentibus, facti sunt. Idcircò & olim persæpe, & nostro à Sancta Apostolica Sede tempore sunt prohibiti, & ne deinceps à quoquam tam ordinante quam ordinari cupiente talis præsumptio assumatur, à cunctis nostri Regni Episcopis est in Synodo canonicè prohibitum.* Tertiam Capitulo trecentesimo vicesimo-quarto libri septimi, sic. *Ve hi, qui à Chorepiscopis Presbyteri, vel Diaconi, vel Subdiaconi sunt ordinati, nullatenus in Presbyteratûs, aut Diaconatûs, vel Subdiaconatûs officio ministrare præsumant. Similiter homines, qui imperitis videntur ab eis esse confirmati, vel Virgines seu Ecclesiæ sacratæ, aut Chrisma confectum, sive Altaria dedicata, pro confirmatis, vel sacratis aut dedicatis minimè habeantur, quia quæ illi non habuerunt, dare non potuerunt: quoniam ex his eis quicquam agere non licet, quæ omnia Summis Pontificibus debentur, & non Chorepiscopis, qui nec Summi Pontifices vel Episcopi fuerunt, nec deinceps usquam fieri possunt. Nullum enim*

ex LXX *ex his aliquid unquam fecisse legimus vel scimus, ad quorum exemplum & formam Presbyteros vel Chorepiscopos, antequam ipsi Chorepiscopi prohibiti essent, fuisse agnovimus. Hæc verò omnia à Cathedralibus Episcopis, qui à comprovincialibus Episcopis, aut præsentiâ aut judicio Metropolitani, consecrati esse noscuntur, agenda sunt, & non à Presbyteris vel Chorepiscopis, qui ambo unius formæ esse videntur. Quæ si ab eis aut propter imperitiam aut propter præsumptionem acta, ut prædictum est, ab imperitis esse putantur, à Cathedralibus tamen Episcopis reformanda vel peragenda sunt, quia quæ illi in his agere cogitarunt, imperfecta remanserunt, &, ut jam prælibatum est, quod illi non habuerunt, dare non potuerunt. Episcopi namque non fuerunt, quia nec à tribus Episcopis, nec ad aliquam Episcopalem Cathedram ordinati fuerunt, & ideo ex his nihil agere potuerunt. Et ne alicui talis ordinatio vel confirmatio aut consecratio, reiteratio esse videatur, attendat illud quod scriptum est; quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum.* AN. CH. 803. CAROLI IMP. 3. PIPPINI LUDOV. RR. 23. CAROLI R. 15.

De Chorepiscoporum origine, officiis, & duratione, pauca, quæ sufficiant ad nostrum iostitutum, placet hic investigare. Si plura cupieris, coosulere poteris Exercitationem de Chorepiscopis inscriptam insertámque tertiæ parti Commentarii, quem de sacris Ecclesiæ Ordinationibus secundùm antiquos & recentiores Latinos, Græcos, & Syros edidit Joaones Morinus nostræ Congregationis eruditissimus Presbyter. LXVII.

Antiquissima Chorepiscoporum memoria, quæ superest hodie, petitur ex Coociliis Ancyrano & Neocæsariensi, quæ Nicænum primum aliquot annis antecesserunt. Ancyranæ Synodi Caooo decimus-tertius docet *Chorepiscopis non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare*, Χωρεπισκόποις μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους ἢ διακόνους χειροτονεῖν. Hæc sanctio vetustiorem prædictis Conciliis institutionem osteodit Chorepiscoporum, quorum ambitio jam coercetur illâ prohibitiooe, ne Presbyteros & Diaconos ordinare præsumant. Seriùs institui cœperunt in Occideote Chorepiscopi. Nullum horum occurrit vestigium ante Concilium Reiense, quod Theodosio Augusto decimùm septimùm & Festo Viro Clarissimo Consulibus, sive anno Christi quadringentesimo tricesimo-nono celebratum est. Epistolam enim, quæ de Chorepiscopis nomine Damasi Papæ ante annos quinquaginta-quinque mortui circumfertur, explodendam multis argumentis jam docuit prælaudatus Joaones Morinus [a]. Occasionem autem iostituendi Chorepiscopos ex multiplicatione & dilatatione prædicatioois Evangelicæ sumpserunt Episcopi. Cùm enim hi nec in oppidis nec in pagis vicisve, sed in solis duntaxat civitatibus instituerentur, lapsu temporis, ubi multitudo fidelium ex urbibus io oppida pagósque sese diffudit, Episcopalia muneta per tot loca vix exercere potuerunt. Quapropter visum est in præcipuis oppidis seu pagis creare Vicarios Episcoporum sive Chorepiscopos, qui propter Diœcesis commodum noonullis Episcopalibus prærogativis gauderent. LXVIII.

[a] Part. 3. Exerc. 4. c. 2. n. 3.

Sanctus Isidorus Hispaleosis Episcopus, qui libros duos de Ecclesiasticis Officiis sub aonum Christi sexcentesimum vicesimum edidit, Officia Chorepiscoporum capite sexto posterioris libri sic complexus est. *Chorepiscopi, id est, Vicarii Episcoporum, juxta quod Canones ipsi testantur, instituti sunt ad exemplum* LXX *seniorum, tanquam Sacerdotes propter solicitudinem pauperum. Hi in vicis & villis instituti gubernant sibi commissas Ecclesias, habentes licentiam constituere Lectores, Subdiaconos, Exorcistas. Presbyteros autem & Diaconos ordinare non audeant præter conscientiam Episcopi, in cujus regione præesse noscuntur. Hi autem à solo Episcopo civitatis, cui adjacent, ordinantur.* Alludit hic Auctor ad Canones, Ancyraoum decimum-tertium, Neocæsareensem decimum-quartum, & Antiochenum decimum. Canonis Ancyrani duæ sunt partes; prior ad Chorepiscopos, posterior ad urbis Presbyreros spectat; priorem partem, quæ prohibet, ne Chorepiscopi Presbyteros aut Diaconos ordinent, descripsimus suprà. Canon Neocæsareensis talis est. Οἱ δ' LXIX.

AN. CH. 803. CAROLI IMP. 3 PIPPINI LUDOV. RR. 23. CAROLI R. 15.

χωρεπίσκοποι, εἰσὶ μὲν εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα, ὡς δὲ συλλειτουργοὶ, διὰ τὴν σπουδὴν εἰς τοὺς πτωχοὺς, προσφέρουσι τιμώμενοι. *Chorepiscopi autem sunt quidem in figura septuaginta: ut autem comministri, propter studium in pauperes, offerunt honorati.* Lege quod ex libro septimo Capitularium proximè recitavimus [a] Capitulum trecentesimum vicesimum-quartum, in quo Chorepiscopi dicuntur ad exemplum & formam LXX fuisse. Canon Antiochenus sic habet. Τοὺς ἐν ταῖς κώμαις, ἢ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους, εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ εἰδέναι τὰ ἑαυτῶν μέτρα, καὶ διοικεῖν τὰς ὑποκειμένας αὐτοῖς ἐκκλησίας, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι φροντίδι καὶ κηδεμονίᾳ, καθιστᾶν δὲ ἀναγνώστας, καὶ ὑποδιακόνους, καὶ ἐφορκιστὰς, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι προαγωγῇ. μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον χειροτονεῖν τολμᾶν δίχα τοῦ ἐν τῇ πόλει ἐπισκόπου, ᾗ ὑπόκειται αὐτός τε καὶ ἡ χώρα. Εἰ δὲ τολμήσειέ τις παραβῆναι τὰ ὁρισθέντα, καθαιρεῖσθαι αὐτὸν καὶ ἧς μετέχει τιμῆς. Χωρεπίσκοπον δὲ γίνεσθαι ὑπὸ τοῦ τῆς πόλεως ᾗ ὑπόκειται ἐπισκόπου. *Ii, qui sunt in vicis vel pagis, qui dicuntur Chorepiscopi, etiamsi Episcopi ordinationem manuúmve impositionem acceperint, visum est, ut suum modum sciant, & sibi subjectas Ecclesias administrent, earúmque curâ & solicitudine gerendâ contenti sint: constituant autem Lectores, Subdiaconos, & Exorcistas, & eorum promotionem sufficere existiment; nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant absque urbis Episcopo, cui subjicitur ipse & regio. Si quis autem ea, quæ definita sunt, transgredi audeat, ipse quoque deponatur ab eo honore quem habet. Fiat autem Chorepiscopus ab Episcopo civitatis cui subjicitur.* Hic Canon, qui totus ad Ecclesiasticam disciplinam pertinet, nihil de Chorepiscopis statuit, quod ex aliis Synodis probari non possit, licèt ex eo desumptus sit Concilio, in quo Sanctus Athanasius factione quorumdam Arrianorum depositus fuit anno Christi trecentesimo quadragesimo-primo. Recentiores de Chorepiscopis tres hodie leguntur epistolæ sub nominibus totidem Romanorum Pontificum; prima dicitur esse Sancti Damasi, qui Pontificatum anno Christi trecentesimo sexagesimo-septimo suscepit; altera Sancti Leonis, cui Romanæ Infulæ anno Christi quadringentesimo quadragesimo delatæ; tertia Joannis Tertii, qui sedere cœpit anno Christi quingentesimo quinquagesimo-nono. Sunt autem omnes supposititiæ. De prima jam locuti sumus. Alteram abundè refutarunt Joannes *Morin* & Paschasius *Quesnel*, Presbyteri nostræ Congregationis, ille Exercitatione [b] quartâ partis tertiæ de Sacris Ordinationibus, hic undecimâ Dissertatione in opera Sancti Leonis. Tertia, quam Binius, Labbeus, aliíque jam repudiarunt, *pluribus argumentis, quàm præcedentes, spuria probatur, & ipsius νοθεία vix contradicitur*, ut observat Morinus noster loco proximè citato. Quænam igitur Officia Chorepiscopi vel exercuerint legitimè, vel ambitiosè præsumpserint obire, non aliunde meliùs intelligere potes, quàm ex Synodis, ex Isidoro, & ex libris Capitularium superiùs allegatis.

[a] Num. 66.

[b] Cap. 1. n. 6.

LXX. Quod ad durationem eorumdem Chorepiscoporum attinet; licèt Reginoburgense Concilium, de quo nunc agimus, hoc anno vetuerit, ne Chorepiscopi deinceps fierent, hi multò seriùs extincti sunt, ut ex Tomo sequenti, fortè & ex altero patebit.

LXXI. PRÆCEPTUM PRO ECCLESIA OSNABURG. Imperator, ut dictum suprà, *Decembri mense* reversus est Aquisgranum. Ibi decimo-quatto Kalendas Januarii, pro Ecclesia Osnaburgensi, cui Wiho præerat Episcopus, hoc emisit Præceptum. *In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Karolus Serenissimus Augustus à Deo coronatus, Magnus, Pacificus Imperator, Romanum gubernans Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Langobardorum. Quicquid enim locis sanctorum venerabilium ob amorem Domini nostri Jesu Christi & reverentiam Sanctorum cedimus vel condonamus,*

AN.CH. 803. CAROLI IMP. 3. PIPPINI LUDOV. RR. 23. CAROLI R. 15.

namus, hoc ad mercedis augmentum vel stabilitatem Regni nostri in Dei Nomine pertinere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus, præsentibus scilicet & futuris, qualiter donamus ad Basilicam Sancti Petri Principis Apostolorum & Sanctorum Martyrum Crispini & Crispiniani, quam nos construximus in loco Osnabrugki, & corpora illorum illuc transtulimus, ubi praest vir venerabilis Wiho Episcopus, omne Regale vel seculare judicium super suos servos & liddones & liberos malman & mundman & omnes utrinsque sexûs homines eidem Ecclesiæ pertinentes, quos modò possidet, vel deinceps acquisierit, & perpetuam de Regia potestate confirmamus absolutionem, itaut nullus Judex publicus, Dux, Comes, vel Vicecomes, vel Sculdetus, sive Missi Dominici per tempora discurrentes, loca illius Episcopatûs ad placita habenda vel freda exigenda & parafreda aut aliquem de præscriptis eidem Ecclesiæ pertinentem ad sua placita bannire vel ad mortem usquam terrarum dyudicare, vel aliquo modo ullo unquam tempore aggravare audeant. Sed liceat præfato Episcopo suisque successoribus & suo Advocato res prædicta Ecclesiæ cum omnibus sibi pertinentibus quieto ordine possidere, ordinare atque disponere. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, ac diuturnis temporibus melius conservetur, manu propriâ subter eam roborare decrevimus, & de anulo nostro sigillare jussimus. Signum Caroli Piissimi ac Serenissimi Imperatoris .... ad vicem Radoni. Data XIIII *Kl. Jan. anno* III, *Christo propitio, Imperii nostri, &* XXXVI *Regni nostri in Francia, atque* XXX *in Italia, Indictione* XI. *Actum Aquis Palatio publico in Dei Nomine feliciter, Amen.* Ad diem decimum-nonum Decembris cum anno Redemptoris octingentesimo tertio conveniunt, annus Caroli Augusti tertius, annus Caroli Regis in Francia post Pippini patris obitum tricesimus-sextus, annus Caroli Regis in Italia post subactam Longobardiam tricesimus, necnon Indictio undecima si principium Indictionis à Kalendis Januarii petatur ut observatum suprà. Porrò Carolinum hoc Præceptum ex Osnaburgensis Ecclesiæ autographo descriptum in calce Monumentorum Paderbornensium reperies.

LXXII. ALIUD PRÆCEPTUM PRO ECCLESIA OSNABURGENSI SUPPOSITITIUM OSTENDITUR.

Ibidem ex eodem Tabulario publicatum est aliud pro eadem Ecclesia Osnaburgensi Præceptum, quod pari non pollet auctoritate, licèt Carolus illud his muniisse Characteribus perhibeatur. *Data* XIII *Kl. Jan. anno* IIII *Christo propitio Imperii nostri, &* XXXVII *Regni nostri in Francia, atque* XXXI *in Italia. Actum Aquisgrani Palatio.* Omnes hi Characteres Chronologici designant annum reparatæ salutis octingentesimum quartum. Illo enim anno, die vicesimâ Decembris, Carolus annum Imperii sui quartum, Regni in Francia tricesimum-septimum, in Italia seu Longobardia tricesimum-primum numerabat. Ad eundem quoque annum Redemptoris octingentesimum quartum, quo Carolus bello tandem Saxonico finem, subactâ totâ gente, feliciter imposuit, novus spectat Titulus, quo Carolus in eodem Præcepto priores auget, Saxonum se Dominatorem sic appellando. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Karolus Imperator Augustus, Romanum gubernans Imperium, & qui Rex Francorum & Longobardorum, necnon modò Dominator & Saxonum. Notum sit omnibus*, &c. At huic Chronologiæ repugnat locus, ubi Præceptum fertur emissum. Anno enim Christi octingentesimo quarto, die vicesimâ Decembris, Imperator Aquisgrano procul aberat. Id apertissimè liquet ex serie rerum illo anno gestarum. Audi Annalistam Loiselianum [a]. *Imperator super Albiam fluvium sedebat in loco, qui dicitur Hodunsteti, & missâ ad Godofredum* Danorum Regem *Legatione pro perfugis reddendis, mense Septembri Coloniam venit. Dimissóque exercitu, primò Aquasgrani, deinde Arduennam petit, & venationibus indulgens Aquasgrani reversus est. Medio Novembrio adlatum est ei, Leonem Papam Natalem Domini cum eo celebrare velle, ubicunque hoc contingere potuisset. Quem statim, misso ad Sanctum Mauricium Carlo filio suo, honorificè suscipere jussit. Ipse obviam illi Remorum civitatem profectus est, ibique susceptum, primò Carisiacum villam, ubi Natalem Domini celebravit, inde Aquasgrani perduxit.* Aliâ non

[a] Ad. a. 804.

AN. CH. 803.
CAROLI IMP. 3.
PIPPINI LUDOV. RR. 23.
CAROLI R. 15.

opus est probatione, quis enim intra quatriduum, quod à die vicesimo Decembris ad Natalem Domini superest, Carolum credat Aquisgrano Remos ut ibi Leonem Papam ex Italia venientem susciperet, ac Remis Carisiacum ivisse cum eodem Pontifice, ut simul apud Carisiacum Natalitia Domini celebrarent? Quid si hæc addamus ex Annalista Metensi? *Inde*, id est, Remis, *pariter proficiscentes pervenerunt ad Suessionis civitatem, in qua Carolus dimisso Papâ, ad colloquium germanæ suæ Gislæ, quæ in his diebus agrotabat, ad Calam Monasterium pervenit, fruitusque ejus colloquio, ad Carisiacum villam Leonem Papam, quem apud Sanctum Medardum dereliquerat, sibi obviam venire fecit.* Hermannus Stangefolus difficultatem agnovit, &, ut eâ se expediret, Præceptum Aquisgrani non decimo-tertio sed tertio Kalendas Januarii datum asseruit anno quarto Imperii Carolini, sicque recurrit ad annum Redemptoris octingentesimum tertium, cujus dies tertius ante Kalendas Januarii componitur cum anno Imperii Carolini quarto, qui cœptus est octavo easdem Kalendas. In hujus igitur Auctoris opinione Carolus hoc anno, mense Decembri, pro Ecclesia Osnaburgensi duo emisit Præcepta; unum decimo-quarto Kalendas Januarias, anno Imperii sui tertio nondum finito; alterum tertio easdem Kalendas, anno Imperii sui quarto jam inchoato; utrumque Aquisgrani. De priore jam convenimus. De posteriore restat difficultas, quia Stangefolus notam quidem diei mutat, sed Caroli Regis annum retinet *37 in Francia* (librarii vitio 17) *atque 31 in Italia.* Per mensem autem Decembrem, nec annus Caroli Regis in Francia tricesimus-septimus, nec annus ejusdem Regis in Italia tricesimus-primus cum anno Redemptoris octingentesimo tertio convenit, uterque verò cum octingentesimo quarto componitur. Ut simul omnes Chronologici Characteres rectè compararentur, restituendus erat annus Caroli regnantis in Francia tricesimus-sextus, & in Italia tricesimus. At, si cunctis conspirantibus numeris annus post Christum natum octingentesimus tertius confirmaretur, aliunde nasceretur difficultas ex novo Caroli Titulo, Carolus enim Saxonum Dominatorem se dicere non potuit ante annum Redemptoris octingentesimum quartum, quo tandem post diuturnum bellum gentem Saxonicam Francicæ ditioni penitus subjecit. E duobus annis, qui veniunt in controversiam, ut prædictus Caroli Titulus eligendum suadet annum Redemptoris octingentesimum quartum, sic & nomen Wihonis Episcopi, qui vitam eodem anno Redemptoris octingentesimo quarto terminavit, octingentesimum tertium ostendit præferendum. Utrobique angustiæ. Atque ut id tibi clarius fiat, ipsum Præceptum, cujus posteriorem duntaxat partem ab his vocibus, *ea de causa statuimus*, ad hunc annum descripsit Stangefolus, integrum accipe cum variis lectionibus in margine positis ex Krantzio, qui Præceptum illud in sua Metropoli [a] primus evulgavit. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Karolus* [1] *Imperator Augustus, Romanum gubernans Imperium, qui* [2] *& Rex Francorum & Langobardorum* [3], *necnon modo* [4] *Dominator & Saxonum. Notum sit omnibus Sanctæ Dei* [5] *Ecclesiæ fidelibus, nostrisque, præsentibus scilicet* [6] *& futuris, qualiter* [7] *nos ob nostræ mercedis augmentum, Wihoni Osnabrukgensi* [8] *Episcopo, suæque Ecclesiæ, quam nos primam* [9] *omnium in Saxonia in honore Sancti Petri Principis Apostolorum & Sanctorum Martyrum Chrispini & Chrispiniani construximus, quoddam nemus vel forestum infra hæc loca situm, Farnevinkil* [10], *Rutanstein, Angeri, Osning, Sinedi, Bergashovid, Drevensineri, Etanarfeld, Dumeri, collaudatione illius regionis potentum, cum omni integritate, in porcis* [11] *videlicet sylvaticis, atque cervis, avibus, & piscibus, omníque venatione, quæ sub banno usuali ad forestum deputatur, ad similitudinem foresti nostri Aquisgranum* [12] *pertinentis, in sylva Osningi, in perpetuum proprietatis usum donavimus, eâ videlicet ratione, quòd si quisquam hoc idem nemus nostro banno munitum, sine prædictæ Sedis Episcopi licentia, studio venandi vel sylvam exstirpandi*

a Lib. 1. c. 2.
1 Carolus
2 Imperium. Dominus & Rex
3 Longobardorum.
4 deest, modò
5 deest, Dei
6 deest, scilicet
7 quòd
8 Episcopo Osnaburgensi
9 primam in omni Saxonia in honore
10 Farnewinckel. Rustenstein. Angara. Osningsenethe. Dersthovo. Egersterfelde. innumerâ collaudatione
11 porcis sylvestribus. cervis
12 Aquisgranum pertinentes.

AN. CH. 803.

vel[13] *aliquod hujusmodi negotium peragendi, unquam intrare præsumpserit, sciat se tam divina quàm &*[14] *Regia ultionis vindictam incursurum, necnon pro delicto sexaginta solidos nostri ponderis, quos nobis pro banno violato deberi statuimus, redditurum. Insuper verò eidem Episcopo suísque*[15] *successoribus perpetuam concedimus libertatem, & ab omni Regali*[16] *servitio confirmamus absolutionem; nisi fortè contingat ut Imperator Romanorum vel*[17] *Rex Græcorum conjugalia fœdera inter filios eorum contrahere disponant; tunc Ecclesiæ illius Episcopus omni sumptu à Rege vel Imperatore adhibito laborem simul & honorem illius Legationis assumat*[18]*; & hoc*[19] *ea de causa statuimus, quia*[20] *in eodem loco Græcas & Latinas Scholas in perpetuum manere ordinavimus, & nunquam Clericos utriusque linguæ gnaros*[21] *ibidem deesse in Dei misericordia confidimus. Et ut hæc auctoritas*[22] *firmior habeatur, ac*[23] *diuturnis temporibus meliùs conservetur, manu propriâ subter eam roborare decrevimus, & de anulo nostro sigillare jussimus*[24]*. Signum Caroli Piissimi Imperatoris. Amalbertus ad vicem Ercanbaldi recognovi. Data* XIII *Kl. Jan. anno* IIII *Christo propitio Imperii nostri, &*[25] XXXVII *Regni nostri in Francia, atque* XXXI *in Italia. Actum Aquisgrani Palatio*[26]*, in Dei Nomine feliciter, Amen.*

[13] *vel aliud agendi, unquam introierit, sciat* [14] *deest, &* [15] *ejúsque* [16] *Regali imperio absolutionem* [17] *&* [18] *assumet;* [19] *deest, hoc* [20] *quòd* [21] *gnaros deesse confidimus* [22] *auctoritas* [23] *&* [24] *jussimus. Datum* XIII *Cal. Janu.* [25] *deest, &* [26] *in Palatio.*

Quas præmisimus observationes, hoc Præceptum, si non commentitium, saltem depravatum ostendunt. Characteres enim Chronologici, no- LXXIII.
vúsque Titulus quo Carolus Dominatorem Saxonum se dicit, annum Redemptoris octingentesimum quartum designant; at repugnat locus ubi Præceptum fertur emissum, repugnat & nomen Wihonis Episcopi cui Meingerus illo anno in Osnaburgensem Episcopatum successit. Inter notas Chronologicas Indictio desideratur. Hæc omissio suspicionem falsitatis haud levem involvit, quia peculiaris Imperatoribus mos fuit, ut Indictionem & suis Diplomatibus apponerent, & publicis instrumentis, quæ per totum Imperium fiebant, apponendam curarent. Ipsemet quoque Carolus, cùm nomen Imperatoris assumpsit, Indictione cœpit uti, nec probabile fit illum ab hoc abstinuisse Charactere, cùm annum in Imperio quartum numerabat. Suspectus etiam qui Constantinopolitano Imperatori tribuitur hic Titulus, *Rex Græcorum*. Nicephorus, qui tunc Orientis Imperium obtinebat, ab Eginhardo & ab antiquis Annalistis Imperator vocatus invenitur. Carolum & Nicephorum ad hunc annum Annalistæ, Loiselianus, Laureshamensis, aliique, sic appellant. *Legati Imperatoris*, nempe Caroli, *de Constantinopoli reversi sunt, & venerunt cum eis Legati Nicephori Imperatoris.* Et Eginhardus in vita Caroli de eodem Nicephoro illiúsque successoribus ita scribit. *Imperatores etiam Constantinopolitani, Nicephorus, Michael, & Leo, ultrò amicitiam & societatem ejus*, id est, Caroli Imperatoris, *expetentes, complures ad eum misêre Legatos.* Quin & inferiùs observat Carolum solitum Constantinopolitanos Imperatores in suis epistolis fratres nuncupare. *Constantinopolitanis*, inquit, *Imperatoribus super hoc*, quòd scilicet Imperatoris & Augusti nomen accepisset, *indignantibus, magnâ tulit patientiâ, vicitque eorum invidiam magnanimitate, quâ eis procul dubio longè præstantior erat, mittendo ad eos crebras Legationes, & in epistolis fratres appellando.* Alcuinianarum epistolarum libro [a] insertæ sunt literæ Caroli Imperatoris ad Nicephorum Orientis Imperatorem, quas Carolus ita claudit. *Legatos nostros præparavimus ad tuam amabilem fraternitatem dirigendos.*

[a] Ep. III.

Præter has rationes certè non spernendas occurrunt aliæ, quæ Diploma LXXIV.
quoque suppositititium ostendunt. Imprimis summa Privilegii non placet. Osnaburgensis Episcopus *perpetuam* adipiscitur *libertatem*, & *ab omni Regali servitio*, sive *imperio* ut Krantzius legit, penitus absolvitur, excepto, quòd si *fortè* contingat *ut Imperator Romanorum vel* * *Rex Græcorum conjugalia fœdera inter filios eorum contrahere disponant, omni sumptu à Rege vel Imperatore adhibito laborem simul & honorem Legationis* assumere tenetur. In hac concessione *vel* bis legitur; semel sic, *Imperator Romanorum vel Rex Græcorum*;

* Krantz. &

AN. CH. 803. CAROLI IMP. 3. PIPPINI LUDOV. RR. 23. CAROLI R. 15.

iterum sic, *à Rege vel Imperatore.* Primo loco à Krantzio reponitur, *&*, quia *vel* ibi non ponitur disjunctivè sed conjunctivè, sensus enim est, Osnaburgensem Episcopum Legationem obiturum ex officio, si fortè contingat, *ut Imperator Romanorum & Rex Græcorum conjugalia fœdera inter filios eorum contrahere disponant.* In altero loco, *vel*, à Krantzio servatur sumitúrque disjunctivè, sensus enim est Osnaburgensem Episcopum sumptus obeundæ Legationi necessarios accepturum aut à Rege aut ab Imperatore. Per Imperatorem designantur Carolus & quicumque post eum futuri sunt Imperatores Romanorum. Quinam verò per Regem significentur, haud ita patet. Ex ipso quidem contextu Nicephorus Imperator Constantinopolitanus ejúsque successores intelligendi videntur, agitur enim de sumptibus Osnaborgensi Episcopo pro suscipienda Legatione subministrandis, *si fortè contingat, ut Imperator Romanorum & Rex Græcorum*, id est, Imperator Constantinopolitanus, *conjugalia fœdera inter filios eorum contrahere disponant.* At sive Imperatoris Romanorum filius filiam ducturus sit Imperatoris Constantinopolitani, sive Imperatoris Romanorum filia filio Imperatoris Constantinopolitani nuptura sit, Osnaburgensis Episcopus, si Constantinopolim Legationis causâ proficiscatur, an sumptus sibi necessarios ab Imperatore Constantinopolitano petiturus est accepturúsve? nequaquam sanè, sed ab Imperatore Romanorum, quia ministrari solent à Dynasta qui Legatum mittit, non autem ab eo qui directum suscipit. Osnaburgensis igitur Episcopus in casu suprà posito laborem simul & honorem Legationis assumet omni sumptu adhibito *à Rege vel Imperatore*, id est, à Caroli successore, sive Rex appelletur sive Imperator. Atque inde colligimus Diplomatis Auctorem Carolo longè recentiorem extitisse, cùm stirps Carolidarum extincta trans Rhenum esset, & Imperii Romani regimen ad Germanos jam transiisset. Deinceps enim & ante & post institutum Electorale Collegium non electus est in Comitiis Germanicis Imperator, sed Rex in Imperatorem posteà promovendus. Quin & electio Regis in duplici fuit differentia; nam qui superstite Imperatore Rex electus est, is non statim post electionem suam sed post Imperatoris obitum administrationem Imperii suscepit; qui verò vacante Imperio Rex electus est, is ab electionis die cœpit Imperium gubernare; neuter autem nomen Imperatoris assumpsit, antequàm Imperii coronam à Romano Pontifice vel ab ejus Vicario accepisset. Hæc praxis ad seculum usque decimum-sextum mansit inconvulsa. Sæpè nobis agendum erit illis de rebus. Impræsentiarum pauca prælibasse sufficiat, ut Regem Romanorum ab Imperatore distinguas, & Carolo Magno abjudices Diploma multò recentius, in quo Episcopus Osnaburgensis, ut Legatione fungatur, *à Rege vel Imperatore* sumptum omnem accepturus dicitur.

LXXV. Ut Osnaburgensis Episcopus ad Legationem apud Græcorum Imperatorem obeundam idoneus fiat, Carolus vult apud Osnaburgum *Græcas & Latinas Scholas in perpetuum manere*, confiditque *nunquam Clericos utriusque linguæ gnaros ibidem deesse.* Krantzius vocem *ibidem* sustulit. Auctoris tamen hic sensus innotescit, florentibus Osnaburgi Scholis cùm Latinis tum Græcis, *nunquam Clericos utriusque linguæ gnaros ibidem* defuturos, è quorum videlicet gremio assumatur Episcopus, qui Legatione susceptâ Græcè cum Græcis in Oriente loqui possit. Hæc quoque ratio ætatem Caroli Magni non sapit. Multi enim in Osnaburgensi Cathedra sederunt Episcopi, qui procul ab Osnaburgensibus Scholis fuerunt enutriti. Non ideo tamen Scholas à Carolo cùm Latinas tum Græcas Osnaburgi negamus institutas. At id Privilegii nec Osnaburgo peculiare, nec ob causam, quam memorant, concessum putamus. Ut Osnaburgi, sic & in aliis plerisque locis erectæ Græcarum literarum Scholæ. Non deerant è Francis, qui Græcam linguam callerent. Ipsemet Carolus operam huic ediscendæ navavit, ut in illius vita testatur Eginhardus.

AN. CH. 803. LXXVI.

Ex prædictis, ut arbitramur, nemo non intelliget commentitium esse Diploma, quod à Carolo Magno pro Ecclesia Osnaburgensi, tertio Kalendas Januarias, anno Imperii quarto, datum circumfertur, & à nobis suprà descriptum est duarum simul editionum collatione factâ.

LXXVII. EPISCOPI STRASBURGENSES.

Jacobus Wimphelingius Remigium seu Remedium Strasburgensem Episcopum hoc anno, decimo-tertio Kalendas Aprilis mortuum, atque in puellari Aschaugiæ Monasterio, quod erexerat, tumulatum scribit [a]. Hic Auctor aliique [b] Pontificatum Remigii circumscriptum volunt annorum viginti spatio, quia vitam Heddonis ad annum usque Christi septingentesimum septuagesimum-tertium prorogant, eique proximè sufficiunt Aulidulfum, cui decem annos in Episcopatu tribuunt. Nos Aulidulfum Hettoni præposuimus, ipsúmque Hettonem, qui factus est Episcopus anno Christi septingentesimo tricesimo-quarto, superstitem in vivis probavimus ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-quintum, quo Decretis Attiniacensis Placiti subscripsit; utrùm ad annum usque Christi septingentesimum septuagesimum-tertium pervenerit, haud liquet. Lege quæ de utroque scripta sunt Tomis quarto & quinto. Remigius post Adelricum Abbas Sancti Gregorii in Valle factus est Pippino jam Rege, deinde Chorepiscopus Strasburgensis ante annum Christi septingentesimum sexagesimum-secundum, denique Strasburgensis Episcopus post annum Christi septingentesimum sexagesimum-quintum, obiitque hoc anno post Christum natum octingentesimo tertio. Utrùm Gregoriani Munasterii regimen, cùm Chorepiscopus cœpit esse superstite Heddone Episcopo, an seriùs post ipsius Heddonis mortem dimiserit, ex Abbatum Gregorianorum Nomenclatura colligere non possumus, quia perperam Heddoni locum post Adelricum tribuit. Tomo quarto [c] Heddonem ex illorum Abbatum Catalogo sustulimus. Index igitur sub Pippino & Carolo Magno certis determinatísque Characteribus fulciri nequit, potest autem, quantùm ad Abbatum ordinem, sic emendari.

ABBATES GREGORIANI.

- Adelricus Abbas moritur regnante Pippino.
- Remigius fit Abbas regnante Pippino, Chorepiscopus Strasburgensis ante annum 762. Strasburgensis Episcopus post annum 765. tunc autem munus Abbatiale dimittit.
- Restuvinus fit Abbas post annum 765, Remigio Episcopo Strasburgensi tunc facto.
- Urolphus Abbas.
- Recho Abbas; post Remigii mortem fit Episcopus Strasburgensis anno 803, abdicátque regimen Monasterii Gregoriani.
- Gotefridus fit Abbas anno 803, Rechone tunc ad Infulas Strasburgenses assumpto.

LXXVIII. EBERSHEIMIENSES.

Ebersheimiensis Chronologiæ par est ratio. Catalogus Ebersheimiensium Abbatum certis determinatísque Characteribus firmari non potest. Columbus Abbas, de quo locuti sumus Tomo superiore, pervenit ad tempora Pippini Regis. Benedictus Columbi successor ab eodem Pippino Rege Præceptum Immunitatis accepit. Sequuntur apud Bucelinum in altera parte Monasteriologiæ, Isenhardus sive Isenbardus, & Deipoldus, quorum ille notus est solo nomine, hic verò literas Immunitatis à Carolo Magno bis impetravit, ut ad annum Redemptoris octingentesimum decimum denuò repetemus.

LXXIX. FLAVINIACENSES.

Alduinus Flaviniacensis Abbas hoc anno, sui regiminis septimo, Caroli Regis tricesimo-quinto vitam clausit. In administrationem Monasterii successit Apollinaris. De utroque sic Hugo Flaviniacensis. *Alduinus septimo anno obiit, & sic* XXXV *anno Imperii* seu Regni *Caroli Domnus Apollinaris ordinatur Abbas.* Idem Apollinaris fuit Abbas Reomaensis. Sic enim prosequitur idem Auctor. *Hic etiam Abbatiam Divionensem & Reomaensem rexit,*

[a] Cap. 25.
[b] Strasch. Guilliman. Bucelin.
[c] Ad an. 710. n. 9.

AN. CH. 803. CAROLI IMP. 3. PIPPINI LUDOV. RR. 23. CAROLI R. 15.

REOMAENSES. *& Ecclesias easdem possessionibus auxit, Sanctorum Reliquiis honestavit, praecipuè tamen Flaviniacensem provexit & auxit. Obiit pridie Kalendas Aprilis anno duodecimo Imperii Ludovici*, id est, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto. Monasterium igitur Flaviniacense gubernavit annis duobus ac viginti. Quot annos administrarit Reomaense, non liquet. Breviorem illi Praefecturam apud Reomaum quàm apud Flaviniacum tribuendam putamus, exeunte enim anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto, cùm Leo Tertius Papa Pontificatum suscepit, florebat Heirardus Abbas Reomaensis, eidémque Heirardo subrogatus est primùm Cammundus, cujus Gesta perierunt, deinde Apollinaris, de quo loquimur. Petrus Roverius in Historia Reomaensi [a], cùm sermonem de Apollinare facit, eum conjicit *Clericum potiùs fuisse quàm Monachum, quòd Flavigniacensibus simul & Reomaensibus praeesset. Facilius enim multò est ad ista Magni Caroli tempora reperire exempla Clericorum, qui plura simul obtinerent Monasteria quàm Monachorum. Monachis quippe id voluit Carolus interdictum Capitularibus suis, Clericis non item. Nam quod quis suspicetur Apollinarem laicum fuisse, frustrà sit. Tametsi enim post Caroli Magni tempora pravus mos invaluit, ut laici plurium simul Monasteriorum Rectores constituerentur à Regibus, id tamen ad Ludovici demùm tempora inductum videtur.* Non placet Hugo Flaviniacensis suprà citatus, ubi Apollinarem non tantùm Flaviniacensem & Reomaensem sed etiam *Divionensem* seu San-Benignianum Abbatem dicit. Roverius Apollinarem ut Flaviniacensi Monasterio sic & Reomaensi praefuisse testatur, at nullam

[a] In Abb. 28.

BENIGNIANI. Divionensis seu San-Benigniani Coenobii mentionem facit. Inter Abbates San-Benignianos sub Carolo Augusto locus Apollinari non conceditur in illius loci Chronico. Hildebrannus Abbas est *anno primo Imperii Caroli Magni Regis*, id est, anno Redemptoris octingentesimo primo, ut ad illum annum observavimus. De ejusdem Hildebranni obitu déque successore Herlegaudo Chronographus San-Benignianus haec proximè subjungit. *Peractis aliquot annis, Hildebrannus in Pastorali cura defunctus est. Cui successit Herlegaudus Abbas.* Et inferiùs ex Ludouici Pii Diplomate probat eumdem Herlegaudum Abbatem Carolo Magno superstitem vixisse.

LXXX. CONDATESCENSES. Apud Sammarthanos Berthardus Condarescensis Abbas hoc anno commendatur, postero Anselmus ejus successor. Ea nos ratio movet, ut Berthardum hoc anno, regiminis undecimo mortuum, eique subrogatum censeamus Anselmum, de quo sermo non tantùm sub Carolo Magno sed etiam sub Ludovico Pio recurret.

LXXXI. FABARIENSES. Hoc eodem anno apud Bucelinum in Chronologia Rhaetiae sacra & prophana, *Spectatissima sanctitatis & summorum vir meritorum B. Eberhardus Fabariae Abbas, mortalibus exemptus, caelo inseritur 25 Aprilis. Cui vir non minore sanctitatis opinione celeber B. Wernherus à fratribus substituitur.*

LXXXII. NONANTULANI. Apud Henschenium in Appendice ad primum Tomum mensis Martii, publicata est vita S. Anselmi, qui Fanani & Nonantulae conditor ac primus Abbas in Dioecesi Mutinensi fuit, ut ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum [b] jam notavimus. Felix illius ad Deum transitus his Characteribus consignatur. *Regnante Domino & Maximo Carolo Imperatore, hic in Italia anno trigesimo Regni sui, ipsiúsque magnifici Anselmi quinquagesimo, imminente ejus die mortis, divina misericordia eum ad sideream vocare voluit mansionem. In lecto stratus sui residens, inter manus fratrum Monachorum ex hoc seculo migravit ad caelos v Nonas Martii, sexta feriae die, in qua mundi Redemptor hominem fecerat, ipsúmque redemerat.* Initium Regni Carolini per Italiam ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto post mensem Martium petitur. Ideóque Wion in Ligno vitae, Ughellus in Abbatum Nonantulanorum Catalogo, Bucelinus in Menologio Benedictino, aliíque Sanctum Anselmum ex hac vita discessisse volunt anno Redemptoris octingentesimo quarto. Sed his egregiè refragatur Henschenius [c] habitâ ratione

[b] Num. 48.

[c] D. 3. Mart.

sextæ feriæ, quæ per annum reparatæ Salutis octingentesimum quartum cum die quinto ante Nonas Martii componi nequit, annus enim ille bissextilis post intercalationem bisexti præditus fuit literâ Dominicali F, quæ quinto Nonas Martias in Kalendario præfigitur. Hic Auctor reponendum monet annum Redemptoris octingentesimum tertium, cujus litera Dominicalis fuit A, & dies quintus ante Nonas Martias in sextam feriam incidit. Stamus ab hac sententia, cui tricesimus quoque annus Caroli regnantis in Italia facilè potest aptari, si primus Caroli numeratur qui fuit Christi septingentesimus septuagesimus-quartus, secundus verò qui fuit Christi septingentesimus septuagesimus-quintus initio à Kalendis Januarii ducto, & sic de ceteris. Wion vult Anselmum Abbatem obiisse *anno Christi* DCCCIV, *die Veneris Sancto*; Bucelinus *A. C. 804, ipso die Parasceves sacro*. Sed quis unquam Pascha tertio Nonas Martii celebravit aut celebratum dixit? Anno Redemptoris octingentesimo tertio Pascha celebratum est decimo-sexto Kalendas Aprilis, diésque Cinerum cum ipsis Kalendis Martii coincidit, obitúsque Sancti Anselmi cum proxima sexta feria. AN. CH. 803. CAROLI IMP. 3. PIPPINI LUDOV. RR. 23. CAROLI R. 15.

Fananum ab urbe Mutina versùs Meridiem viginti millibus passuum aut paulò ampliùs distat, Nonantula verò Bononiam versùs ab eadem Mutina septem circiter millibus passuum dissita est. Utrique loco præsidebat Anselmus cum Abbatis titulo. Si Wioni fides habetur, *pater fuit* MCXLIV *Monachorum, exceptis parvulis*, quos Bucelinus tirones seu novitios interpretatur. Si creditur Ricobaldo, quem Baronius [a] laudat, *ducentis Monachis præfuit*. Probabilior hæc opinio. Successit in administrationem Nonantulani Monasterii Petrus Abbas. *Hic*, teste Ughello, *fecit totam conscribi Abbatiam, & universum redditum, & ordinavit quantùm in eleemosyna pauperum, in susceptione hospitum, in ornamentis Ecclesiarum, in necessitatibus fratrum in unoquoque loco oporteret*. De Fanano Cœnobio nihil peculiare legimus. LXXXIII.

[a] Ad an. 752. n. 15.

Apud Sanderum in Auctario ad Tomum primum Flandriæ Illustratæ, Radbertus hoc anno munificum se præbet erga Blandiniense Monasterium, eíque dat *res suas in Fursitio cum mansionibus*, Scorano Abbate in vivis adhuc superstite. LXXXIV. RADBERTUS MUNIFICUS ERGA MON. BLANDINIENSE.

ANNUS

CHRISTI		804.
CAROLI	IMP.	4.
	REG.	36. 33. 31.
PIPPINI II.	REG.	24.
LUDOVICI	REG.	24.
CAROLI	REG.	16.
INDICTIO		12.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

I. ANnus quartus noni seculi luctuosus Italiæ fuit obitu Paulini Patriarchæ Foro-Juliensis, & Petri Mediolanensis Archiepiscopi, quorum insignia certamina pro tuenda fide Catholica non omisimus. Obierunt Paulinus tertio Idus Januarii, Petrus septimo Idus Maii.

II. Super anno, quo Paulinus feliciter migravit, duæ circumferuntur opiniones. Una est Annalistæ Fuldensis, apud quem ad annum Re-

AN. CH. 804.

PAULINI PATRIARCHÆ FORO-JULIENSIS OBITUS;

demptoris octingentesimum secundum hæc leguntur. *Paulinus Patriarcha Foro-Juliensis obiit.* Altera est Ferrarii, qui vitam Sancti Paulini concinnavit ex monumentis Foro-Juliensibns, ejúsque mortem *an. sal.* DCCCIV consignavit. Prior Baronio multisque placoit. Imus in posteriorum, serie rerum gestarum accuratiùs examinatâ, Paulious enim Altinense Concilinm ante annum Redemptoris octingentesimnm tertium celebrare non potuit, habitâ ratione tumultuum, quibus anteà Constantinopolis & Gradus agitatæ. Ferdioandus Ughellus [a], quamvis à Baronio non recedar, Urbanum, quem Paulino proximè sufficit, Patriarcham non agnoscit ante annum reparatæ Salutis octiogentesimum quartum.

[a] Tom. 5. Ital. Sacr. in Patriarch. Aquilejens.

III. Controvertitur & dies obitûs. Moritur Paulinns apnd Labbeum [b] *die 2 Januarii*, apud Ferrarium [c] 5 II *Non. Jan.* apud Bollandum [d] 5 5 I *Id. Januarii.* Citat hic Auctor varia Martyrologia, quæ Labbeo & Ferrario præferri debent. Ex hac nota II, quæ diversos numeros, secundum videlicet & undecimum, pto receptis variarum gentium characteribus significar, processit error Labbei, Paulinns enim animam Creatori non secundâ sed undecimâ die Jaouarii reddidit. Et Ferrarius Iduum loco Nonas perperam scripsit, ex hac enim vita Paulinus non tertio Nonas Januarii seu die tertio Januarii, sed tertio Idus Januarii seu die undecimo Januarii discessit.

[b] In Differt. de Script. Eccles.
[c] In Catal. SS. Ital.
[d] D. II. Jan.

IV. SEPULTURA; Sepultos fuit Paolinus apnd Forum Julii, in majori Basilica, ubi Concilium anno Christi sepringentesimo nonagesimo-qninto celebrarat. Ejus epitaphium ex Alcuino [e] sic refertur.

Hîc Paulinus ovans toto requiescit in ævo,
Hócque cubile pater dignus dignetur habere,
Invidus hoc Templum numquam pertranseat hostis,
Ne caros animis subitò disjungat amicos,
Quos Christi caritas caros conjunxit amicos.

[e] Poem. 213.

V. Hos Verlus exaratos ab Alcuino credimus, Paulino in vivis superstite, sed mendam in primum irrepsisse, ibique non *requiescit* sed *requiescat* legendum suspicamur, quia sequitur in altero modus pariter optativus, *dignetur.* Quos amicos in Christi charitate conjunctos nec in sepultura sejungendos postremi laudant Versus, ii nobis non alii videntur à Paulino & Alcuioo, quos sæpè pro Christi causa conjunctis animis & armis pugnasse, simúlque de pravis dogmatibus triumphasse comperimus. Versuum igitur suprà descriptorum is est sensus. Utinam Paulinus hîc, id est, io Ecclesia Martiniana requiescat, ibíque sepulturam accipere dignetur, ut in eadem tumulatus Basilica cum Alcuioo resurrectiooem expectet. Aliter res cessit. Paulinus, ot dictum suprà, conditus fuit in primaria Foro-Juliensis Patriarchatûs Ecclesia, Turonis verò mortuns est Alcuinus hoc eodem anno in die festo Pentecostes, & in Æde Martianiana, cui præsidebat cum Abbatis titulo, sepultus est à Josepho Turonensi Metropolita, ut sequenti Tomo probaturi sumus.

VI. SCRIPTA. Pro vatiis occasionibus actum de Scripris Sancti Paulini Foro-Juliensis Patrjarchæ. Laudatus ad annos Christi septingentesimnm nonagesimum-tertium & septingentesimum nooagesimum-quartum libellus de Sanctissima Trinitate, adversùs Elipandum Toletanum & Felicem Urgellitanum Aotistites, dictus sacrosyllabus, quem Elias Philyras seu Joannes Tillius evulgavit, alii non semel in Bibliothecis veterum Patrum, in Collectionibus Conciliorum, & post Alcuini opera, recudendum curarunt. Ad annnm quoque Christi septingentesimum nonagesimum-octavum laudati tres contra Felicem Urgellitanum Episcopum libri, quos Andreas Dnchesnius ex Puteana Bibliotheca primus in lucem protulit unà cum epistola ad Carolum Magnnm & Regula Fidei metro exarata. Restituti sunt autem Alcuino libri septem adversùs eundem Felicem, qui malè sub Paulini nomine non semel in Bibliotheca veterum Patrum cusi reperiuntur. At aliunde discimus

AN. CH. 864.

discimus Hymnos à prælaudato Paulino compositos fuisse, sic enim scribit Walafridus in libro [a] de rebus Ecclesiasticis. *Traditur Paulinum Foro-Juliensem Patriarcham, sæpiùs & maximè in privatis Missis, circa immolationem Sacramentorum, Hymnos, vel ab aliis, vel à se compositos, celebrasse. Ego verò crediderim tantum tantaque scientia virum, hoc, nec sine auctoritate, nec sine rationis ponderatione fecisse.*

[a] Cap. 25.

VII. PETRI METROPOLITÆ MEDIOLANENSIS OBITUS.

Petrus Archiepiscopus, *cùm Mediolanensem Ecclesiam annos 20 administrasset, prosperam adeptus famam probitatis ac munificentiæ, hanc mortalitatem cum æternitate commutavit circa annum 804. 9 mensis Maii, sepultúsque est apud Basilicam Ambrosianam prope suos Monachos, qui illum etiam nunc, ut munificentissimum Patronum, venerantur & colunt.* Hæc Ughellus [b]. Utrùm Petrus Archiepiscopus Benedicto Abbati Ambrosiano, an Benedictus Abbas Ambrosianus Petro Mediolanensi Archiepiscopo superstes vixerit, haud liquet. Extat apud eundem Auctorem [c] Charta data *mense Januario, anno Dominorum Caroli & Pipini Regum in Italia trigesimo-secundo & vigesimo-quinto*, id est, anno Redemptoris octingentesimo sexto. Ex illo scripto constat Archiepiscopales Infulas penes Odelpertum, munus Abbatiale penes Arigausum tunc fuisse. Petro successerat Odelpertus, Arigausus Benedicto.

[b] Tom. 4. Ital. Sacr. in Archiep. Medional. 51.

[c] In Archiep. Mediol. 52.

ELOGIUM;

Petrus constituto Mediolanensis Ecclesiæ patrimonio, fundatóque Monasterio, quod tantis opibus & ipsius Ambrosii nomine dignum esset, non minori sollicitudine contendit, ut populi quoque constitueret mores, & si quid in Religionem irrepserat vitii, tolleret ac sanaret. Atque tantum fuit ejus odium adversus prava dogmata, ut à Carolo Magno Malleus hæreticorum appellaretur. Hoc elogium texuit Ripamontius [d], nec ad alios videtur hæreticos respexisse, quàm ad Elipandum & Felicem Episcopos, quorum pravam doctrinam Petrus in Synodo Francofurtana scriptis confutavit, ut ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-quartum probavimus.

[d] Dec. 1. l. 9.

SCRIPTA.

Ejusdem Petri, ait Ughellus, *extat epistola ad Carolum Magnum de Translatione corporis Sancti Augustini, cùm è Sardinia Papiam fuit delatum.* Præterea idem Archiepiscopus *laudes Magni Gregorii celebravit, ejusdémque restituit monumenta, quæ per summum dedecus fuerant dissipata, salutarésque aliquot sermones composuit.* Hic Auctor Diplomata non pauca publicavit, ut Carolum, cùm Petrus Archiepiscopatum gerebat, erga Mediolanensem Ecclesiam munificum probaret. At illud laudare non possumus, per quod Petrus *politico Mediolanensi Principatu munificentiâ planè Regiâ donatus* fertur. Talia enim ab Imperatoribus Privilegia concedi nondum consueverant, multísque mendis hæc scatet subscriptio. *Dat. Dertona Kal. Maii anni Incarn. D. N. Jesu Christi* DCCCX. *Indict. 3. Imperii autem nostri anno* IX. *Regnorum verò nostrorum* XXXXII. Annus quidem Regni Carolini quadragesimus-secundus & Indictio tertia per mensem Maium cum anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo decimo conveniunt, sed nec annus Incarnationis Dominicæ publicis instrumentis apponebatur ætate Caroli Magni, nec annus Imperii Carolini nonus anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo decimo potest illigari, nec Derthonam aliámve Italiæ civitatem adiit Carolus vel anno Imperii sui nono quocum annus Incarnationis Dominicæ octingentesimus nonus componitur, vel anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo decimo quocum annus à suscepto Imperatoris nomine decimus per mensem Maium comparatur.

VIII. EPISCOPI OSNABURG.

Obiit & hoc anno Wiho seu Witho primus Osnabrugensis Episcopus, qui Sanctus etiam à Cratepolio & Bucelino prædicatur. Mengardo seu Meingero, qui diligentissimum fidei præconem se præbuerat, delatæ sunt Episcopales Infulæ.

IX.

Hoc eodem anno, ut Metensis Annalista testatur, *Imperator Aquis hyemavit, & ab Aquis proficiscens venit ad Palatium, quod dicitur Niumagum, ibíque veris tempore manens, Pascha etiam ibidem celebravit* pridie Kalendas Aprilis.

AN. CH. 804.

CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

SAXONES FRANCIS SE SUMMITTUNT FIUNTQUE CHRISTIANI.

Incipientique æstatis tempore ad Aquis Palatium revertens, exercitum in Saxoniam misit. Transitóque Rhena generalem Conventum Francorum habuit juxta Lippia fontem. Sumptáque inde itinere per Saxoniam profectus est, cùm priùs Ludovico filio Aquitaniæ Regi præcepisset, ut ipse cum copiis, tanquam in eadem regione hyematurus, se subsequeretur. Audiendus ea de re coætaneus Auctor in ejusdem Ludovici vita. *Redeunte porrò tempore æstivo, Imperator Gloriosissimus Carolus Saxoniam petiit, mandans filio* Ludovico, *ut & ipse, tanquam in eadem terra hyematurus, se subsequeretur. Quod ipse agere festinans, ad Neusciam venit, Rhenum ibidem transiit, & patri concurrere accelerabat. Sed antequàm ad eum veniret, nuntio obviavit paterno in loco, cujus vocabulum est Ostfaloa, cum mandatis ne plùs in ambulando fatigaretur, quin potiùs loco sibi opportuno castra metaretur, & se redeuntem ibidem operiretur. Tota enim gente subactâ Saxonum victor Carolus Imperator jam redibat.*

X. Hoc igitur anno finis tandem impositus bello Saxonico, *quod*, ut idem Anonymus subjungit, *triginta-trium annorum tempus occupavit*, sive, ut Eginhardus loquitur, *anno tricesimo-tertio finitum est*. Inchoatum enim fuerat anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo, ut ad illum annum ex antiquissimis Annalistis probavimus. Quapropter mirari subit, cur Poëta Saxonicus, qui sub eodem anno Christi septingentesimo septuagesimo-secundo & Indictione nonâ principium belli collocat, finem contignet anno Redemptoris octingentesimo tertio, Indictione decimâ, licèt illud annis durasse tribus ac triginta fateatur, & Eginhardi sive Einhardi librum de vita Caroli citet.

XI.

Nobilis hic annus longi certamina belli
Tandem Saxones inter Francósque peracti
Firmo perpetuæ conclusit fœdere pacis.
Augustus pius ad sedem Saltz nomine dictam
Venerat: huc omni Saxonum nobilitate
Collectâ, simul has pacis leges inierunt,
Ut toto penitus cultu rituque relicto
Gentili, quem dæmonicâ priùs arte colebant
Decepti, post hæc fidei se subdere vellent
Catholicæ, Christóque Deo servire per ævum.
At verò censum Francorum Regibus ullum
Solvere nec penitus deberent atque tributum,
Cunctorum pariter statuit sententia concors.
Sed tantùm decimas divinâ Lege statutas
Offerrent, ac Præsulibus parere studerent,
Ipsorúmque simul Clero, qui dogmata sacra,
Quíque fidem Domino placitam vitámque doceret.
Tum sub Judicibus, quos Rex imponeret ipsis,
Legatísque suis, permissi legibus uti
Saxones patriis, & libertatis honore.
Hoc sunt postremò sociati fœdere Francis,
Ut gens & populus fieret concorditer unus,
Ac semper Regi parens æqualiter uni.
Si tamen hoc dubium cuiquam fortasse videtur;
De vita scriptum Caroli legat ipse libellum,
Quem Francos inter clarus veráxque relator
A summo prudens Einhardus nomine scripsit.
Hac igitur pacis sub conditione fideles
Se Carolo, natísque suis, stirpíque nepotum
Ipsius, juraverunt per secla futuros.
Quos per ter denos & tres tam duriter annos
Linquere protracti penitus conamina belli

Plus Regis pietas & munificentia fecit,
Quàm terror. Nam se quisquis commiserat ejus
Egregia fidei, ritus spernendo profanos,
Hunc opibus ditans ornabat honoribus amplis.
Copia pauperibus Saxonibus agnita primùm
Tunc fuerat rerum, quas Gallia fert opulenta,
Prædia præstiterat cum Rex compluribus illic,
Ex quibus acciperent pretiosa tegmina vestis,
Argenti cumulos, dulcisque fluenta Lyæi.
His ubi primores donis illexerat, omnes
Subjectos sibimet reliquos obtriverat armis.
Et multis experta modis innotuit ejus
Tam dulcis pietas, quàm formidabilis ira,
Præfatum statuere fide servare perenni
Fœdus, & ulteriùs non id mutasse probantur.

Imperator anno priori fuerat *sine hoste*, perrexerátque tantùm ad Salam usque fluvium, & ad locum, cui nomen Saltus, vulgò *Sels & Saltz.* At hoc anno bellum Trans-Albianis Saxonibus intulit. Sic enim scribit Annalista Loiselianus. DCCCIV. *Imperator Aquisgrani hyemavit. Æstate autem in Saxoniam ducto exercitu, omnes qui trans Albiam & in Wimuodi habitabant Saxones cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam, & pagos Trans-Albianos Abodritis dedit.* Eadem prorsus alii commemorant Annalistæ, Laureshamensis, Fuldensis, Bertinianus, ac Tilianus, necnon Regino cum Monacho Egolismensi & incerto Auctore in vita Caroli. Chronographus Moissiacensis addit nonnulla, quæ non videntur hic omittenda. *Anno* DCCCIV. *Æstatis tempore Karolus Imperator movit exercitum magnum Francorum, & perrexit in Saxonia, & abiit ultra Alaram ad locum, qui vocatur Oldonastach. Et venit ad eum ibi Rex Abotritorum nomine Fhersesuc, & detulit ei munera multa. Et deinde misit Imperator scaras suas in Wimodia, & in Hostingabi, & in Rosogavi, ut illam gentem foras patriam transduceret. Necnon & illos Saxones, qui ultra Albiam erant, transduxit foras, & divisit eos in Regnum suum ubi voluit.* Apud Annalistam Metensem Imperator ad Vahalim in Palatio Noviomagensi Pascha celebrat, deinde redit Aquisgranum, atque inde in Saxoniam sic proficiscitur. *Incipiente æstatis tempore ad Aquis Palatium revertens, exercitum in Saxoniam misit. Transitóque Rheno generalem Conventum Francorum habuit juxta Lippia fontem. Sumptóque inde itinere, per Saxoniam profectus, castra metatus est in loco qui dicitur Boldonstat. In quibus castris etiam Sclavorum Principes adfuerunt. Quorum causis discussis, & secundùm arbitrium dispositis, Regem illis Trasiconem constituit. Missisque inde exercitibus suis per diversas partes Saxonia, tam perfidos illos, quos ultra Albiam transierat, quàm illos, qui in Wigmoti manebant, & frequentibus maleficiis populum Saxonum à via veritatis averterant, cum mulieribus & infantibus Deo auxiliante sapientissimâ dispositione de Saxonia per diversas vias dirigens, funditus exterminavit, & per Gallias ceterásque regiones Regni sui sine ulla læsione exercitûs sui dispersit.* Auctor Chronici San-Dionysiani nonnullos è Saxonibus Caroli jussu neci traditos ait, idque de illis intelligendum, qui ceteris vel promptiores ad concitandam rebellionem vel addictiores ethnicæ superstitioni fuerunt. *Carlus Imp. cum liberis suis & Francis Saxoniam ingressus est, & aliquos jussit interficere, & aliquos per totum suum Regnum dispergere.* XII.

Johannes Isacius Pontanus, cùm Gelricam Historiam scriberet, asseruit [a] Saxones cum uxoribus & liberis à Carolo transportatos in eas regiones, *qua Gelria, Brabantia, Flandria, Hollandiaque vocabulis nunc insigniuntur.* At nullum allegat Auctorem, & apud antiquos Scriptores Carolus per omnes Regni sui regiones Trans-Albianos Saxones dispergit, eorúmque pagos Abodritis attribuit. Abodriti sive Obodriti Sclavorum populi, de quibus XIII.

[a] Lib. 4.

AN. CH. suprà non semel, pluribus parebant Dynastis, seu Præfectis, qui promis-
804. cuè Reges ac Duces appellantur. De illis intelligendi textus, quos proxi-
CAROLI mè citavimus, cùm ex Moissiacensi Chronographo, ubi *Rex Abotritorum*
IMP. 4. *nomine Thersosuc* ad Imperatorem venisse dicitur, tum ex Annalista Me-
PIPPINI tensi, ubi Carolus *causis* Sclavorum Principum *discussis*, *& secundùm arbi-*
LUDOV. *trium dispositis*, *Regem illis Trasiconem constituit.* Illustres etiam Saxones ad-
RR. 24. duxit è Saxonia, quos Vulfarii Remensis Metropolitæ fidei custodiendos,
CAROLI teste Flodoardo [a], commisit. Tam prospero rerum Saxonicarum eventui
R. 16. superstes aliquantùm fuisse videtur Ecbertus vir admodum religiosus, quem
[a] Lib. 2. c. 18. ante biennium regendæ Saxoniæ præfecerat Carolus, ne Saxones in præstita fide susceptâque Religione Christianâ, quod sæpiùs acciderat, iterum fluctuarent aut omnino deficerent. Ida Ecberti uxor, piissima fœmina, *quæ divinitus ab Angelo monita, in Hervelde prope Horestat ad Lippiam fluvium Ecclesiam ad honorem Dei Genitricis opere polito construxit*, ibi ante ac post obitum mariti sui sanctissimam vitam duxit, ut Stangefolus in Annalibus Circuli
[b] Ad an. 802. Westphalici testatur [b].

XIV. CAROLUS EDIT CAPITULARE. Locus, ubi pax inita, *Saltz* appellatur à Poëta Saxonico jam citato. Ibidem Carolus Imperator edidit Capitulare, quod octo in Capitula distinctum Jacobus Sirmondus è veteri Codice Metensi publicavit ad annum quartum Imperii Carolini, nec alium habet annum manuscriptus Codex Palatinus Bibliothecæ Vaticanæ, in quo de Caroli Capitularibus, ut Labbeus in ultima Conciliorum Collectione observavit, hæc inter alia notantur. *Hoc fuit datum ad Aquis in tertiò anno Imperii Domini Caroli Augusti, quando Synodus ibi magna fuit. In quarto ad Saltz.*

XV. Primum Capitulum est de ordinatione Ecclesiarum. *Ut Ecclesiæ Dei benè constructæ & restauratæ fiant, & Episcopi, unusquisque infra suam Parrochiam exinde bonam habeat providentiam, tam de officio & luminariis, quámque & de reliqua instauratione.*

XVI. Secundum Capitulum est de decimis & donationibus Ecclesiarum. *De decimis, ubi antiquitus fuerunt Ecclesiæ Baptismales, & devotio facta fuit, juxta quod Episcopus ipsius Parrochiæ ordinaverit, omnimodis fiant donatæ: &, si donatione Regum, aut ceterorum Deum timentium hominum, ad Episcopia seu Monasteria aliquæ res delegatæ sunt, & ex ipsis rebus antiquitus ad ipsas Ecclesias priores decimæ datæ fuerint, ipsa antiqua donatio vel devotio firma & stabilis omnino permaneat. Tamen, ut suprà diximus, decimas de ipsis rebus qui eas possidere videtur persolvat.*

XVII. Tertium Capitulum non patitur, ut propter novas Ecclesias antiquiores Ecclesiæ suas decimas perdant. *Quicumque voluerit in sua proprietate Ecclesiam ædificare, unà cum consensu & voluntate Episcopi, in cujus Parrochia fuerit, licentiam habeat. Verumtamen omnino providendum est, ut alia Ecclesia antiquiores propter hanc occasionem nullatenus suam justitiam aut decimam perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvantur.*

XVIII. Quartum Capitulum est de ordinandis Presbyteris. *Ut unusquisque Episcopus in sua Parrochia secundùm Canonicam institutionem Presbyteros ordinarè faciat.*

XIX. Quintum Capitulum est de ingressu in Monasteria puellarum. *Ut nullus in Monasterio puellarum vel ancillarum Dei intrare præsumat, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Subdiaconus, vel Clericus, aut laicus, nisi tantùm Presbyter ad Missam celebrandam tempore opportuno ingrediatur, solâ necessitate Monasterii secundùm Canonicam institutionem, & juxta quod Episcopus ipsius Parrochiæ ibidem ordinaverit. Presbyter autem Missâ celebratâ statim exeat.*

XX. Sextum Capitulum præcipit in puellarum Monasteriis eas tantùm infantes nutriri, quæ in illis perseveraturæ sunt. *Quicumque filiam suam, aut neptem, aut parentem, Deo Omnipotenti offerre voluerit, licentiam habeat. Sin autem, domi infantes suas nutriat, & non aliam infra Monasteria mittere nutriendi*

AN. CH. 804.
CAROLI IMP. 4.
PIPPINI LUDOV. RR. 24.
CAROLI R. 16.

causâ præsumat, nisi quæ in ipso loco firmiter in Dei servitio perseverare voluerit, vel secundùm instituta Sanctorum Patrum, seu Canonicam auctoritatem. Hoc Capitulum eget interpretatione, ne nonnullis refragari videatur observationibus, quas Tomo primo [a] fecimus ad caput undesexagesimum Regulæ Benedictinæ. Puellas, quæ à parentibus offeruntur, ab aliis, quæ propriâ voluntate Monasterium expetunt, Synodus Aurelianensis Quinta sic distinguit Canone decimo-nono. *Puellæ seu propriâ voluntate Monasterium expetunt, seu à parentibus offeruntur.* Petrus Blesensis in literis [b] ad Pictaviensem Archidiaconum, qui neptem suam Adelitiam invitam ad Monasticen compellebat, docet vocabulo parentum, neminem intelligendum esse præter patrem & matrem. Post allatam enim rationem ætatis legitimæ atque adultæ, quæ liberam animi sui facultatem Adelitiæ tribuebat, constantissimè negat eam post patris mortem in alienam potestatem recidisse. *Nec astringit*, inquit, *ipsam paterna devotio, quia non est in sacris patris, sed quasi emancipata per patris mortem, & in alienam potestatem non recidens liberam animi sui adepta est facultatem.* Inde quæstioni locus, quomodo non tantùm *quicumque filiam suam*, sed etiam *quicumque aut neptem, aut parentem* seu consanguineam, *Deo Omnipotenti offerre voluerit, licentiam habeat.* Alia certè ratio filiæ, alia neptis & consanguineæ. Parentes propriâ suâ devotione permoti filiam suam infra legitimam ætatem Deo offerre possunt. Ut autem à patruo vel avunculo neptis, aut à consanguineo consanguinea infra legitimam ætatem offeratur, id non pendet à sola patrui sive avunculi vel consanguinei voluntate, requiritur enim ipsius neptis aut consanguineæ consensus, & quemadmodum neptis aut consanguinea infra legitimam ætatem posita seipsam offerre Deo non potest absque consensu patrui sive avunculi vel consanguinei, sic & eandem neptem absque illius consensu patruus sive avunculus, aut consanguineam absque illius consensu consanguineus offerre Deo non potest. Hac distinctione filiam inter ac neptem seu consanguineam positâ, facilis est interpretatio Capituli. Quicumque filiam suam infra legitimam ætatem offerre Deo voluerit, licentiam habeat; si verò filiam illam in Monasterium mittere nutriendi tantùm causâ voluerit, licentiam non habeat. Similiter quicumque neptem suam studio Monastices infra dies ætatis legitimæ jam accensam atque in Cœnobio perseveraturam offerre Deo voluerit, licentiam habeat; si verò neptem illam in Monasterium mittere nutriendi tantùm causâ voluerit, licentiam non habeat. Denique quicumque parentem suam seu consanguineam, quæ Monialibus ante legitimam ætatem adscribi cupit, in Monasterio perseveraturam offerre Deo voluerit, licentiam habeat; si verò parentem illam seu consanguineam in Cœnobium mittere nutriendi tantùm causâ voluerit, licentiam non habeat. In puellaribus enim Monasteriis eæ tantùm infantes nutriri debent, quæ in illis locis perseveraturæ sunt.

XXI.

Septimum Capitulum vetat ne pueri in Monasteriis puellarum nutriantur. *Omnino prohibemus, ut nullus masculum, filium, aut nepotem, vel parentem suum* sive consanguineum, *in Monasterio puellarum ad nutriendum commendare præsumat, nec quisquam ullum suscipere audeat.*

XXII.

Octavum Capitulum prohibet ne arma in puellarum Monasteriis deponantur. *Ut nullus ex Clericali ordine, Sacerdotes videlicet, aut alii Clerici, neque laicus, bruneas, aut arma infra Monasteria puellarum commendare præsumant, nec quisquam recipere audeat, excepto si in eleemosyna datum fuerit.*

XXIII. ADMONITIONEM AD PRESBYTEROS,

Illa Capitula sequitur hæc Imperatoris ad Presbyteros admonitio duodecim comprehensa capitibus. *Admonere vos cupio, fratres & filioli mei, ut ista pauca Capitula, quæ hinc scripta sunt, intentiùs audiatis.*

I. In primis, ut Sacerdos Dei de divina Scriptura doctus sit & fidem Trinitatis rectè credat, & alios doceat, & suum officium benè possit implere.

II. Ut totum Psalmum memoriter teneat.

[a] Ad an. 544. n. 74.
[b] Ep. 54.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

III. Ut Signaculum & Baptisterium memoriter teneat.

IV. Ut de Canonibus doctus sit, & suum Pœnitentiale benè sciat.

V. Ut cantum & compotum sciat.

VI. Ut nullus Sacerdos fœminas secum habitare permittat, exceptâ matre, sorore, vel amitâ.

VII. Ut Presbyteri in tabernis bibere non præsumant.

VIII. Ut nullus avaritiam sectetur: non sit superbus, non ebriosus, non vinolentus, nec somnolentus.

IX. Ut nullus præsumat in Cœna Domini jejunium solvere.

X. Ut nullus baptizare præsumat, nisi in Pascha & Pentecoste, excepto infirmo.

XI. Ut nullus Presbyter, nec Diaconus, nec Clericus, Chrisma alicui dare præsumat pro aliqua necessitate; qui si hoc fecerit, degradetur.

XII. Ut nullus Presbyter ad Synodum contemnat venire. Quòd si aliter facere præsumpserit, coactus veniat, & secundùm Canones judicetur.

XXIV. Capitulationem de partibus Saxoniæ,

Ad hoc quoque tempus, quo Saxones abjecto dæmonum cultu, relictisque patriis cæremoniis Christianæ Religionis sacramenta susceperunt, adunatique Francis in unum cum eis populum coaluerunt, referenda Caroli Magni Capitulatio, quæ *de partibus Saxoniæ* inscribitur cum hoc titulo, *hæc de partibus Saxoniæ constituta sunt*, atque apud Lucam Holstenium, à quo parte secundâ Collectionis veterum Ecclesiæ Romanæ monumentorum publicata est, in tria & triginta dividitur Capitula, quibus instar Præfationis id præponitur. *Primùm de majoribus Capitulis hoc placuit omnibus, ut Ecclesiæ Christi, quæ modò construuntur in Saxonia, & Deo sacrata sunt, non minorem habeant honorem, sed majorem & excellentiorem, quàm vana habuissent idolorum.* Sequuntur Capitula, in quibus severiorem quàm in præcedentibus animadversionem deprehendes, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi securiùs in Saxonia viverent.

XXV. *I. Si quis confugium fecerit in Ecclesiam, nullus eum de Ecclesia per violentiam expellere præsumat, sed pacem habeat usque dum ad placitum præsentetur; & propter honorem Dei, Sanctorúmque Ecclesiæ ipsius reverentiam, concedatur ei vita & omnia membra. Emendet autem causam, in quantùm potuerit, & ei fuerit judicatum, & sic ducatur ad præsentiam Domini Regis, & ipse eum mittat, ubi Clementiæ ipsius placuerit.*

XXVI. *II. Si quis Ecclesiam per violentiam intraverit, & in ea per vim vel furtum aliquid abstulerit, vel ipsam Ecclesiam igne cremaverit, morte moriatur.*

XXVII. *III. Si quis sanctum Quadragesimale jejunium pro despectu Christianitatis contempserit, & carnem comederit, morte moriatur. Sed tamen consideretur à Sacerdote, ne fortè causâ necessitatis hoc cuilibet* (in exemplaribus *civilibet* vitiosè legitur) *proveniat, ut carnem comedat.*

XXVIII. *IV. Si quis Episcopum, aut Presbyterum, sive Diaconum interfecerit, similiter capite punietur.*

XXIX. *V. Si quis à diabolo deceptus crediderit, secundùm morem paganorum, virum aliquem aut fœminam strigam esse, & homines comedere, & propter hoc ipsam incenderit, vel carnem ejus ad comedendum dederit, vel ipsam comederit, capitis sententiâ punietur.*

XXX. *VI. Si quis corpus defuncti hominis, secundùm ritum paganorum, flammâ consumi fecerit, & ossa ejus ad cinerem redegerit, capite punietur.*

XXXI. *VII. Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit, & ad Baptismum venire contempserit, paganúsque permanere voluerit, morte moriatur.*

XXXII. *VIII. Si quis hominem diabolo sacrificaverit, & in hostiam, more paganorum, dæmonibus obtulerit, morte moriatur.*

XXXIII. *IX. Si quis cum paganis consilium adversùs Christianos inierit, vel cum aliis in adversitate Christianorum perdurare voluerit, morte moriatur: & quicumque*

hoc idem fraude contra Regem vel gentem Christianorum consenserit, morte mo- AN. CH.
riatur.

X. Si quis Domino Regi infidelis apparuerit, capitali sententiâ punietur. 804.

XI. Si quis filiam Domini sui rapuerit, morte moriatur. XXXIV.

XII. Si quis dominum suum vel dominam suam interfecerit, simili modo pu- XXXV.
nietur. XXXVI.

XIII. Si quis verò pro his mortalibus criminibus latenter commissis aliquis XXXVII.
sponte ad Sacerdotem confugerit, & confessione datâ agere pœnitentiam voluerit,
testimonium Sacerdotis de morte excuset.

XIV. De minoribus capitulis consenserunt omnes, ad unamquamque Ecclesiam XXXVIII.
curtem & duos mansos terræ pagenses ad Ecclesiam recurrentes condonent; & inter
centum viginti homines nobiles & ingenuos, similiter & litos, servum & ancil-
lam eidem Ecclesiæ tribuant.

XV. Et hoc, Christo propitio, placuit, ut undecunque census aliquid ad fiscum XXXIX.
pervenerit, sive in fredo *, sive in qualicunque banno, & in omni redhibitione * fido. * redibutione
ad Regem pertinens, decima pars Ecclesiis & Sacerdotibus reddatur.

XVI. Similiter secundùm Dei mandatum præcipimus, ut omnes decimam par- XL.
tem substantiæ & laboris sui Ecclesiis & Sacerdotibus donent, tam nobiles quàm
ingenui, similiter & liti; juxta quod Deus unicuique dederit Christiano, partem
Deo reddant.

XVII. Ut in Dominicis diebus Conventus & Placita publica non faciant, XLI.
nisi fortè pro magna necessitate, aut hostilitate cogente; sed omnes ad Ecclesiam
recurrant ad audiendum verbum Dei; & orationibus vel justis operibus vacent;
similiter & in festivitatibus præclaris Deo & Ecclesiæ Conventui deserviant, &
secularia Placita dimittant.

XVIII. Similiter placuit his decretis inserere, quòd omnes infantes infra an- XLII.
num baptizentur. Et hoc statuimus, ut si quis infantem intra circulum anni ad
Baptismum offerre contempserit, sine consilio vel licentia Sacerdotis, si de nobili
genere fuerit, CXX sol. fisco componat; si ingenuus, LX. si litus, XXX.

XIX. Si quis prohibitum vel illicitum conjugium sibi sortitus fuerit, si nobi- XLIII.
lis, sol. LX. si ingenuus, XXX. si litus, XV.

XX. Si quis ad fontes, aut arbores, vel lucos, votum fecerit, aut aliquid XLIV.
more gentilium obtulerit, & ad honorem dæmonum comederit, si nobilis fuerit,
sol. LX. si ingenuus, XXX. si litus, XV. Si verò non habuerint, unde præsentia-
liter persolvant, ad Ecclesiæ servitium donentur, usquedum ipsi solidi solvantur.

XXI. Jubemus, ut corpora Christianorum Saxonum ad cœmiteria Ecclesiæ de- XLV.
ferantur, & non ad tumulos paganorum.

XXII. Divinos & sortilegos Ecclesiis & Sacerdotibus dare constituimus, sup- XLVI.
ple puniendos.

XXIII. De latronibus & malefactoribus, qui de uno Comitatu ad alium con- XLVII.
fugium fecerint, si quis eos receperit in sua potestate, & VII noctibus secum de-
tinuerit, nisi ad præsentandum, nostrum bannum solvat. Similiter si Comes eum
absconderit, & ad justitiam faciendam præsentare noluerit, & ad hoc excusare non
potest, honorem suum perdat.

XXIV. De pignore, ut nullatenus alterum aliquis pignorare præsumat; & qui XLVIII.
hoc fecerit, bannum persolvat.

XXV. Ut nulli hominum contradicere viam ad nosveniendo pro justitia reclaman- XLIX.
di aliquis præsumat: & si aliquis hoc facere conaverit, nostrum bannum persolvat.

XXVI. Si quis homo fidejussorem invenire non potuerit, res illius in forbanno L.
mittantur, usquedum fidejussorem præsentet. Si verò super bannum in domum
suam intrare præsumpserit, aut solid. X. aut unum bovem pro emendatione ipsius
banni componat, & insuper unde debitor existis persolvat. Si verò fidejussor diem
statutum non observaverit, tunc ipse tantùm damni incurrat, quantùm manus sua
fidejussoris extitit. Ille autem, qui debitor fidejussori extitit, duplum restituat pro
eo, quòd fidejussorem in damnum cadere permisit.

AN. CH. 804. LI. XXVII. *De præmiis & muneribus. Ut munera super innocentem nullus accipiat: & si quis hoc facere præsumpserit, nostrum bannum solvat. Et si, quod absit, fortè Comes hoc fecerit, honorem suum perdat.*

LII. XXVIII. *Ut universi Comites pacem & concordiam ad invicem habere studeant. Et, si fortè inter eos aliqua discordia aut conturbium ortum fuerit, ut nostrum solatium vel perfectum pro hoc non demittant.* Legendum suspicamur, *profectum pro hoc non dimittant.*

LIII. XXIX. *Si quis Comitem interfecerit, vel de ejus morte consilium dederit, hæreditas illius ad partem Regis eveniat, & in jus ejus redigatur.*

LIV. XXX. *Dedimus potestatem Comitibus bannum mittere infra suo ministerio de faida vel majoribus causis in solid.* LX. *De minoribus verò causis Comitis bannum in solid.* XII *constituimus.*

LV. XXXI. *Si cuilibet homini sacramentum debet, aframeat illum ad Ecclesiam sacramento ad diem statutum: &, si jurare contempserit, fidem faciat, & solid.* XV *componat, qui inactivus apparuit, & deinceps causam pleniter emendare faciat.* In hoc Capitulo vox *aframeat* videtur corrupta, cujus loco repone *arramiat*, aut *arramet*.

LVI. XXXII. *De perjuris secundùm Legem Saxonum fit.* Vetus illa Lex Saxonum non extat. Extat alia recentior, quæ promulgata est Saxonibus in Francorum potestatem penitus redactis, nec ullam de perjuris sanctione habet, ut patebit infrà.

LVII. XXXIII. *Interdiximus, ut omnes Saxones generaliter Conventus publicos nec faciant, nisi fortè Missus noster de verbo nostro eos congregare fecerit. Sed unusquisque Comes in suo ministerio Placita & justitias faciat, & hoc à Sacerdotibus consideretur, ne aliter faciat.*

LVIII. In hac Capitulatione nulla mentio fit Imperatoris, fit autem Regis in quatuor Capitulis, primo, nono, decimo & undetricesimo. Cave ne eandem Capitulationem idcircò credas priùs editam, quàm Carolus Imperator dici cœpit. Imperium & Imperator nomina sunt honoris, non ditionis. Memento ne vicum quidem attributum Imperio, & Carolum ob Imperatoriam Dignitatem ne minimo prorsus auctum dominio. Atque inde concludе Saxoniam non Imperio sed Franciæ accessisse, Legésque Saxonibus esse præscriptas à Carolo tanquam Rege Francorum non tanquam Imperatore. Clariùs id demonstrabunt variæ Francici Regni divisiones, de quibus agemus suis locis. Nam sæpè Saxonia non cadet in sortem illius Regis, qui nomen Imperatoris conjunctim geret, simúlque & Imperator & Francorum Rex appellabitur. In exemplum dabuntur, Lotharius Imperator, Ludovicus Imperator ipsius Lotharii filius, & Carolus Imperator ejusdem Lotharii frater, his enim tribus Imperatoribus nihil omnino juris in Saxoniam provinciásque Trans-Rhenanas cessit. Ergo ex eo quòd in prædicta Capitulatione quater mentio fit Regis, argumentum non potes eruere, quo probes eam editam esse Carolo Imperatore nondum acclamato.

LIX. Lex Saxonum, quam duodeviginti Capitulis distributam Codex antiquarum Legum repræsentat, quater quoque meminit Regni Regísque Francorum, Capitulis videlicet, tertio, decimo-quarto, decimo-sexto, & decimo-septimo. Nullo munitur Charactere Chronologico. Capitulationi suprà descriptæ propter materiam videtur conjungenda, fortasè nec multùm temporis inter utriusque promulgationem intercessit.

LX. ET LEGEM SAXONUM. Primi Capituli, quod *de vulneribus* sen de compositione vulnerum inscribitur, tredecim sunt sanctiones. Prima. *De ictu Nobilis, solid.* XXX. *vel, si negat, tertiâ manu juret.* Secunda. *Livor & tumor, sol.* LX. *vel sextâ manu juret.* Tertia. *Si sanguinat, sol.* CCXX. *vel cum* XII *juret.* Quarta. *Si os paruerit, sol.* CLXXX. *vel cum* XII *juret.* Quinta. *Si os fregerit, vel wlitevan fecerit corpus, vel coxam vel brachium perforaverit, sol.* CCXL *culpabilis judicetur,*

AN.CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

judicetur, vel cum XII *juret.* Sexta. *Si gladio vestem seu scutum alterius inciderit, sol.* XXXVI *componat, vel tertiâ manu juret.* Septima. *Si per capillos alium comprehenderit, sol.* CXX *componat, vel cum* XII *manu juret.* Octava. *Quicumque gladio stricto super alium cucurrerit, & retentus ab alio fuerit,* XII *sol. componat, vel in manu lite sui vel in armata juret.* Nona. *Si quis alium de ponte, vel navi, vel ripa, in flumen impinxerit, & ille evaserit, sol.* XXXVI *componat, vel tertiâ manu juret.* Decima. *Si comprehenderit, & ita in aquam projecerit, sol.* CXX *componat, vel cum* XII *juret.* Undecima. *Qui oculum unum excusserit, sol.* DCCXX *componat: qui ambos, sol.* ICCCCXL. *Similiter de una aure vel ambabus, si surdus efficitur. Similiter de naso, si abscissus fuerit, sol.* DCCXX *componat. Similiter de manibus & de pedibus. Testiculos, si unus abscissus fuerit,* DCCXX *sol. si ambo,* ICCCCXL *sol. componat.* Duodecima. *Si auricula, vel oculus, vel nasus, vel manus, vel pes, ita percussa manca loco remanserint, vel pependerint, medietatem supradicta compositionis exsolvat. Si movere ipsum membrum possit, quartam partem componat.* Ultima. *Pollex totus abscissus,* CCXL *solid. componatur: si dimidius,* CLXX *componatur. Si minimus totus,* CCXL *sol. componatur. Si unum digiti membrum,* LXXX. *si duo membra,* CLX. *si totum, ut suprà. Si index,* CLXXXI *& per singula membra, tertia pars totius mulcta componatur. Medius & medicus, uterque sol.* CXX. *componatur, & membra eorum, ut de ceteris dictum est. Pollex pedis, medietate pollicis manûs componatur. Tres articuli medii, medietate compositionis medii & medici digitorum componantur. Minimus articulus medietate unius de tribus articulis componatur.*

Secundi Capituli, quod *de occisionibus* inscribitur, novem sunt sanctiones. Prima. *Qui Nobilem occiderit,* ICCCCXL *sol. componat. Ruoda quod dicitur apud Saxones,* CXII *sol. & interpremium,* CXX *sol.* Id est, componat IDCLXXII sol. nempe ICCCCXL exsolvat pro compositione nobilis interfecti, deinde CXII pro Ruoda seu pro Cruce, & CXX pro interpremio, sive ut Lindenbrogius legit, pro interpretio, quod pretii seu compositionis augmentum arbitramur. *Ruod* vetere linguâ Saxonicâ Crucem significat apud Lindenbrogium, nec ulla commodior aut facilior occurrit interpretatio, quàm si præter ceteram mulctam interfector Cruci quoque Dominicæ in Ecclesia erectæ solidos CXII pendere cogatur veniæ redimendæ gratiâ. Et ex illa Ruodæ seu Crucis mentione colliges Legem Saxonum, de qua loquimur, editam esse Carolo jam Imperatore belloque Saxonico penitus confecto. Secunda sanctio. *Quicquid de superioribus factis,* id est, de vulneribus superiore Capitulo comprehensis, *in fœminam committitur, si virgo fuerit, dupliciter componatur; si jam enixa, simpliciter componatur.* Tertia. *Litus occisus* CXX *sol componatur. Mulcta verò vulnerum ejus per omnia duodecimâ parte minor quàm nobilis hominis solvatur, aut solido majori: vel, si negaverit, suâ manu* XII *juret. Si in turba vel seditione fuerit occisus, componatur ab eo, cui mors imputatur, vel sacramento* XII *hominum negetur.* Quarta. *Si servus à nobili occisus,* XXXVI *sol. componatur, vel tribus juratoribus negetur: si à liberto vel lito, pleno sacramento negetur,* id est, sacramento, quod duodenario juratorum numero plenum seu completum redditur. Quinta. *Litus si per jussum vel consilium domini sui hominem occiderit, ut putà nobilem, dominus compositionem persolvat, vel faidam portet. Si autem absque conscientia domini fecerit, dimittatur à domino, & vindicetur in illo & aliis septem de consanguineis ejus ad propinquos occisi; & dominus liti se in hoc conscium non esse, cum* XII *juret.* Sexta. *Si mordrum* seu murdrum * *totum quis fecerit, componatur primà in simplo juxta conditionem suam. Cujus mulcta pars tertia à proximis ejus, qui facinus perpetravit, componenda est: duæ verò partes ab illo, & insuper octies ab ea componatur. Et ille ac filii ejus soli sint faidosi.* Lege Lindenbrogium in voce *mordrido.* Septima. *Si Nobilis Nobilem extra solum vendiderit, & reducere non potuerit, componat eum ac si occidisset:* LXI.

* *Meurtre.*

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

si verò reduxerit eum, emendet ei juxta quod placitare potuerit. Si autem ille suâ sponte reversus fuerit, medietatem weregelas ejus componat. De muliere similiter. Octava. *Qui in Ecclesia hominem occiderit, vel aliquid furaverit, vel eam effregerit, vel sciens perjuraverit, si infra patriam fuerit factum, capite puniatur: sin autem infra patriam non fuerit, in qualicunque loco fuerit, secundùm illorum Legem. Et qui nesciens perjuraverit, manum suam redimat auctor sacramenti.* Nona. *Qui homini ad Ecclesiam vel de Ecclesia pergenti die festo, id est, Dominicâ Pascha, Pentecoste, Natali Domini, Sanctæ Mariæ, Sancti Joannis Baptistæ, Sancti Petri, Sancti Martini, insidias posuerit, cúmque occiderit, morte puniatur, si infra patriam fuerit. Sin autem in qualicunque loco, secundùm illorum Legem. So non occiderit, tamen insidias fecerit, bannum solvat de reliquis.*

LXII. Tertii Capituli, quod *de conjuratione & læsa dominatione* inscribitur, quinque sunt sanctiones. Prima. *Qui in Regnum, vel in Regem Francorum, vel in filios ejus de morte consiliatus fuerit, capite puniatur.* Secunda. *Qui dominum suum occiderit, capite puniatur.* Tertia. *Qui filium domini sui occiderit, vel filiam, aut uxorem, aut matrem stupraverit, juxta voluntatem domini occidatur.* Quarta. *Qui hominem propter faidam in proprio domo occiderit, capite puniatur.* Quinta. *Capitis damnatus nusquam habeat pacem; si in Ecclesia confugerit, reddatur.*

LXIII. Quarti Capituli, quod *de furtis* inscribitur, septem sunt sanctiones. Prima. *Qui caballum furaverit, capite puniatur.* Secunda. *Qui alvearium apum infra sepem alterius furaverit, capite puniatur: si extra sepem furatum, novies componendum est.* Tertia. *Qui nocte domum alterius effodiens vel effringens intraverit, & duorum solidarum pretium abstulerit, capite puniatur: si ibi occisus fuerit, non solvatur.* Quarta. *Qui infra screonam* seu screunam, id est, infra cameram, *aliquid furaverit, capite puniatur.* Quinta. *Qui bovem quadrimum, qui duos solidos valet, nocte furto abstulerit, capite puniatur.* Sexta. *Qui in re qualicunque, vel interdiu vel noctu, trium solidorum pretium furto abstulerit, capite puniatur.* Septima. *Quidquid vel in uno denario, minus tribus solidis, quislibet furto abstulerit, novies componat quod abstulerit, & pro fredo, si nobilis fuerit, XII. si liber, VI comp. De hac re quod superius dictum est de furto, qui infra patriam furaverit aliquid, unde mori debeat, si foris patria hoc fecerit, non moriatur, sed secundùm illorum legem, ubi factum fuerit, componat.*

LXIV. Quinti Capituli, quod *de vi & incendiis* inscribitur, tres sunt sanctiones. Prima. *Qui homini in hoste vel de hoste ad Palatium, vel de Palatio pergenti malum aliquod fecerit, componat in triplo.* Secunda. *Qui domum alterius vel noctu vel interdiu suo tantum consilio volens incenderit, capite puniatur.* Tertia. *Qui alteri dolosè per sacramentum res proprias tollere vult, duobus aut tribus de eadem provincia idoneis testibus vincatur; &, si plures fuerint, melius est.*

LXV. Sexti Capituli, quod *de hæredibus & viduis* inscribitur, sex sunt sanctiones. Prima. *Pater aut mater defuncti filio non filiæ hæreditatem relinquant.* Secunda. *Qui mortuus viduam reliquerit, tutelam ejus filius, quem ex alia uxore habuit, accipiat: si is fortè defuerit, qui frater est defuncti: si frater non fuerit, proximus paterni generis vel ejus consanguineus.* Tertia. *Qui viduam ducere velit, offerat tutori pretium emptionis ejus, consentientibus ad hoc propinquis ejus. Si tutor abnuerit, convertat se ad proximos ejus, & eorum consensu accipiat illam, paratam habens pecuniam, ut tutori ejus, si fortè aliquid dicere velit, dare possit, hoc est, sol. CCC.* Quarta. *Qui defunctus non filios, sed filias reliquerit, ad eas omnis hæreditas pertineat, tutela verò earum fratri vel proximo paterni generis deputetur.* Quinta. *Si vidua filiam habens nupserit, filiumque genuerit, tutela filiæ ad filium quem tunc genuerat pertineat: si autem filium habens nupserit, filiámque genuerit, tutela filiæ non ad filium priùs genitum, sed ad fratrem patris vel ad proximum ejus pertineat.* Sexta. *Qui si ium aut filiam*

habuerit, & filius uxore ductâ filium genuerit, & mortuus fuerit, hæreditas patris ad filium filii, id est, ad nepotem, non ad filiam pertinet. AN. CH. 804.

Septimum Capitulum est *de dote*, sic: *Dotis ratio duplex est. Ostfalai & Angrarii volunt, si fœmina filios genuerit, habeat dotem, quam in nuptiis accepit, quamdiu vivit, filiisque dimittat. Si verò filii matre superstite moriantur, ipsáque post obierit, dotem proximi ejus in hæreditatem accipiant. Si autem filios non habuerit, sicque diem obierit, dos ad dantem, si vivit, revertatur: si defunctus est, ad proximos hæredes ejus. Apud Vestfalaos postquàm mulier filios genuerit, ad dies suos dotem possideat: post decessum ejus, dos ad dantem, vel, si deest, ad proximos hæredes ejus revertatur.* CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. R 24. CAROLI R 16. LXVI.

Octavum Capitulum est *de acquisitis*, sic. *De eo, quod vir & mulier simul conquisierint, mulier mediam portionem accipiat, hoc apud Vestfalaos: apud Ostfalaos & Angrarios nihil accipiat, sed contenta sit dote suâ.* LXVII.

Nonum Capitulum est *de raptu mulierum*, sic. *Qui fœminam ab alio desponsatam rapuerit, CCC patri puellæ, CCC sponso componat, & insuper CCC sol. emat eam; & si cum matre euntem in via rapuerit, etiam & matri CCC sol. componat.* LXVIII.

Decimi Capituli, quod *de delictis servorum* inscribitur, quatuor sunt sanctiones. Prima. *Quidquid servus aut litus jubente domino perpetraverit, dominus emendet.* Secunda. *Si servus scelus quodlibet nesciente domino commiserit, ut putà homicidium, furtum, dominus ejus pro illo juxta qualitatem facti mulctam componat.* Tertia. *Si servus perpetrato facinore fugerit, ita ut à domino ulteriùs inveniri non possit, nihil solvat. Si domino factum servi imputetur, quasi consentiret, suâ XII manu jurando se purificet.* Quarta. *Si servus iterum à domino receptus fuerit, mulctam pro illo componat.* LXIX.

Undecimi Capituli, quod *de damno casu inlato* inscribitur, tres sunt sanctiones. Prima. *Si arbor ab alio præcisa casu quemlibet oppresserit, componatur mulcta pleno weregeldo, à quo arbor præcisa est.* Secunda. *Si arbor accensa ceciderit, hominémque oppresserit, à mane usque ad mane, vel à vespera usque ad vesperam, ex quo ignis accensus est, si infra hoc tempus hominem oppresserit, ab eo, qui incendit arborem, componatur: si post, nihil solvatur.* Tertia. *Qui laqueum fossámve ad feras capiendas fecerit, & hac damnum cuilibet fecerint, qui eas fecit mulctam solvat.* LXX.

Duodecimum Capitulum inscribitur *de animali quod damnum dat*, tribúsque constat sanctionibus. Primâ, sic. *Si animal quodlibet damnum cuilibet intulerit, ab eo, cujus esse constiterit, componatur, exceptâ faidâ.* Secundâ, sic. *Si fossa vel laqueus ad feras capiendas præparata damnum quodlibet fecerint, à quo parata sunt componatur.* Tertiâ, sic. *Si ferrum manu elapsum hominem percusserit, ab eo, cujus manum fugerat, componatur, exceptâ faidâ.* LXXI.

Decimum-tertium Capitulum *de eo qui animal læserit* sic habet. *Qui in fossam, vel sudem acutam, vel alienam sepem, pecus quodlibet agitaverit, ibíque confixum vel cadens perierit, mulctam componat.* LXXII.

Decimi-quarti Capituli, quod *de traditionibus* inscribitur, duæ sunt sanctiones. Una, sic. *Traditiones & venditiones omnes legitimæ, stabiles permaneant.* Altera, sic. *Nulli liceat traditionem hæreditatis suæ facere, prater ad Ecclesiam vel Regi: nec hæredem suum exhæredem faciat, nisi fortè famis necessitate coactus, ut ab illo, qui hoc acceperit, sustentetur. Mancipia liceat illi dare ac vendere.* LXXIII.

Decimum-quintum Capitulum *de terra aliena invasa* sic habet. *Qui terram suam occupatam ab altero dixerit, adhibitis idoneis testibus probet eam suam fuisse: si occupator contradixerit, campo*, id est, duello, *dijudicetur. Si occupator sibi recrediderit, reddat hoc quod occupavit, non ampliùs.* LXXIV.

Decimum-sextum Capitulum *de exulibus* sic habet. *Liber homo, qui sub tutela nobilis cujuslibet erat, qui jam in exilium missus est, si hæreditatem suam necessitate coactus vendere voluerit, offerat eam primùm proximo suo: si ille eam* LXXV.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

emere noluerit, offerat tutori ſuo, vel ei, qui tunc à Rege ſuper ipſas res conſtitutus eſt: ſi nec ille voluerit, vendat eam cuicunque voluerit.

LXXVI. Decimum-ſeptimum Capitulum eſt *de conjugio*. In editione Lindenbrogiana Legi Saxonum præponuntur tituli Capitulorum duodeviginti, & in illo Indice Capitulum hoc decimum-ſeptimum inſcribitur *de conjugio*, nec alteri Capitulo titulus ſeu *de conjugiis* ſeu *de conjugio* præfigitur. In ipſo tamen Legis contextu Capitulo quinto, quod eſt *de vi & incendiis*, ſubjicitur Capitulum ſextum *de conjugiis*, deinde ſeptimum *de hæredibus & viduis*, atque iterum ſeptimum *de dote*. Manifeſtus irrepſit error. Capitulum quintum juxta prædictum Indicem haberi debet *de vi & incendiis*, ſextum *de hæredibus & viduis*, ſeptimum *de dote*. Vulgatum verò Capitulum ſextum, quod unicam *de conjugiis* ſanctionem complectitur, coadunari debet decimo-ſeptimo, quod unicâ quoque ſanctione *de conjugio* conſtat. Capituli igitur decimi-ſeptimi duæ *de conjugio* ſanctiones ſunto. Prior, ſic. *Uxorem ducturus* CCC *ſolidos det parentibus ejus: ſi autem ſine voluntate parentum, puellâ tantum conſentiente, ducta fuerit, bis trecentos ſolidos parentibus ejus componat. Si verò nec parentes nec puella conſenſerunt, id eſt, ſi per vim rapta eſt, parentibus ejus trecentos ſolidos, puellæ* CCXL *componat, eámque parentibus reſtituat.* Poſterior, ſic. *Lito Regis liceat uxorem emere ubicunque voluerit, ſed non liceat ullam fœminam vendere.*

LXXVII. Duodevigeſimum Capitulum eſt *de ſolidis* ſic. *Solidus eſt duplex, unus habet duos tremiſſes, qui eſt bos anniculus* XII *menſium, vel ovis cum agno: alter ſolidus tres tremiſſes, id eſt bos* XVI *menſium. Majori ſolido aliæ compoſitiones, minori homicidia componuntur. Weſtfalaiorum & Angrariorum & Oſtfalaiorum ſolidus eſt, ſecalis ſceffila* XXX; *ordei*, XL: *avena*, LX. Sceffila, menſuræ genus eſt. *Apud utroſque duo ſi de mallis ſol. quadrimis*, locus hic corruptus, nec facilè poteſt emendari; cetera clariora ſunt; *bos, duo ſolidi: duo boves quibus arari poteſt, quinque ſol. bos bonus, tres ſolidi. Vacca cum vitulo, ſolidi duo & ſemis.*

LXXVIII. Aſtronomus, qui vitam & actus Ludovici Pii conſcripſit, quomodo hic patri ſuo è Saxonia redeunti occurrerit, ab eóque dimiſſus in Aquitaniam ad hyberna reverſus ſit, ſic exponit. *Totâ gente ſubactâ Saxonum, victor Carolus Imperator jam redibat. Cui cùm filius occurriſſet, multo eum amplexatu deoſculans, plurimâ illum gratiarum actione & laude extulit, utilitatémque obſequelæ illius ſæpè iterando, felicem ſe tali filio prædicavit. Finito tandem diutino atque cruentiſſimo Saxonico bello, quod, ut ferunt, triginta-trium annorum tempus occupavit, Ludovicus Rex à patre dimiſſus, in Regnum proprium ad hyberna ſeſe cum ſuis collegit.* Ex hoc Auctore liquet Ludovicum in Saxoniam cum patre non iviſſe. Procul etiam à patre remanſit in Italia Pippinus. Ergo cùm *Carlus Imperator* hoc anno *cum liberis ſuis* Saxoniam ingreſſus dicitur, in Chronico San-Dionyſiano per liberos intelligendi tantùm Carolus ejus filius filiæque quas idem Imperator ex Himiltrude, ex Hildegarde, & ex Faſtrada ſuſceperat. Fuit etiam in caſtris Imperatoris Mathalgardis ejus uxor, quæ Rothildem filiam hoc eodem anno peperit, & immaturâ poſt partum morte rapta eſt.

LUDOVICUM REG. IN AQUITANIAM REMITTIT BELLO SAXONICO TANDEM CONFECTO.

LXXIX. HISTORIAM belli Saxonici, quod annis tribus ac triginta geſtum eſt, & ut initium huic Tomo fecit, ſic & finem imponit, magnificè claudet Eginhardus, quem audire juvat in vita Caroli ſic egregiè diſſerentem. *Nullum* bellum *neque prolixius, neque atrocius, Francorúmque populo laborioſius ſuſceptum eſt, quia Saxones, ſicut omnes ferè Germaniam incolentes nationes, & naturâ feroces, & cultui dæmonum dediti, noſtraque religioni contrarii, neque divina neque humana jura vel polluere, vel tranſgredi, inhoneſtum arbitrabantur. Suberant & cauſæ, quæ quotidie pacem conturbare poterant, termini videlicet Francorum, & illorum penè ubique in plano contigui, præter pauca loca, in qui-*

AN. CH. 804.
Caroli Imp. 4.
Pippini Ludov. RR. 24.
Caroli R. 16.

bus vel ſylvæ majores, vel montium juga interjecta, utrorumque agros certo limite diſterminant, in quibus cædes & rapinæ & incendia viciſſim fieri non ceſſabant. Quibus adeò Franci ſunt irritati, ut nan jam viciſſitudinem reddere, ſed apertum contra eos bellum ſuſcipere dignum judicarent. Suſceptum eſt ergo adversùs eos bellum, quod magnâ utrinque animoſitate, tamen majori Saxonum quàm Francorum damno, per continuos triginta-tres annos gerebatur. Poterat ſiquidem citiùs finiri, ſi Saxonum hoc perfidia pateretur. Difficile dictu eſt, quoties ſuperati ac ſupplices Regi ſe dediderunt; imperata facturos polliciti ſunt; obſides, qui imperabantur, abſque dilatione dederunt; legatos, qui mittebantur, ſuſceperunt, Aliquoties ita domiti & emolliti, ut etiam cultum dæmonum dimittere, & Chriſtianæ Religioni ſe ſubdere velle promitterent. Sed ſicut ad hæc facienda aliquoties proni, ſic ad eadem pervertenda ſemper fuere præcipites, ut ſatis non ſit æſtimare, ad utrum horum faciliores veriùs dici poſſint. Quippe cùm poſt inchoatum cum eis bellum, vix annus unus exactus ſit, quo non ab eis hujuſcemodi facta ſit permutatio. Sed magnanimitas Regis, ac perpetua tam in adverſis quàm proſperis mentis conſtantia, nullâ eorum mutabilitate vel vinci poterat, vel ab his, quæ agere cœperat, defatigari. Nam numquam eos hujuſcemodi aliquid perpetrantes impunè ferre paſſus eſt, quin aut ipſe per ſe ducto, aut per Comites ſuos miſſo exercitu, perfidiam ulciſceretur, & dignam ab eis pœnam exigeret, uſquedùm omnibus qui reſiſtere ſolebant profligatis, & in ſuam poteſtatem redoctis, decem hominum millia ex his, qui utraſque ripas Albis fluminis incolebant, cum uxoribus & parvulis ſublatos tranſtulit, & huc atque illuc per Galliam & Germaniam multimodâ diviſione diſtribuit, eâque canditione à Rege propoſitâ & ab illis ſuſceptâ, tractum per tot annos bellum conſtat eſſe finitum, ut abjecto dæmonum cultu, & relictis patriis ceremoniis, Chriſtianæ fidei atque Religionis ſacramenta ſuſciperent, & Francis adunati, unus cum eis populus efficerentur. Hac bellum licet per multum temporis ſpatium traheretur, ipſe non ampliùs cum hoſte quàm bis acie conflixit, ſemel juxta montem qui Oſueggi dicitur, in loco Theotmelli nominato, & iterum apud Haſam fluvium, & hac uno menſe, paucis quoque interpoſitis diebus, anno Redemptoris, ut ſuprà notavimus, ſeptingenteſimo octogeſimo tertio. *His duobus præliis hoſtes adeò profligati ac devicti ſunt, ut ulteriùs Regem neque provocare, neque venienti reſiſtere, niſi aliquâ loci munitione defenſi, auderent. Plures tamen eo bello tam ex nobilitate Francorum, quàm Saxonum, & functi ſummis honoribus viri, conſumpti ſunt, tandémque anno triceſimo-tertio finitum eſt. Cùm interim tot ac tanta in diverſis terrarum partibus bella contra Francos & exorta ſint, & ſolertiâ Regis adminiſtrata, ut meritò intuentibus in dubium venire poſſit, utrùm in eo aut laborum patientiam, aut felicitatem potiùs mirari conveniat. Nam biennio,* quod incompletum interpretari neceſſe eſt, *ante Italicum hoc bellum ſumpſit exordium, & cùm ſine intermiſſione gereretur, nihil tamen ex his quæ alicubi erant gerenda, dimiſſum, aut ullâ in parte ab æquè operoſo certamine ceſſatum eſt. Nam Rex omnium, qui ſuâ ætate gentibus dominabantur, & prudentiâ maximus, & animi magnitudine præſtantiſſimus, nihil in his, quæ vel ſuſcipienda erant, vel exequenda, aut propter laborem detrectavit, aut propter periculum exhorruit.*

FINIS.

[illegible]

INDEX
RERUM ET VERBORUM,
IN QUO

A, Annum; N, Numerum seu Sectionem denotat.

A

INDEX PRIOR

B

Clementianus

D

E

F

 RRRrr

K

L

N

O

P

Q

R

T

V

Z

INDEX
EPISCOPATUUM ET MONASTERIORUM,
IN QUO

E. Episcopatum; M. Metropolitanum; Mon. Monasterium denotat.

EPISCOPATUS
SUB CAROLINGIS REGIBUS,
ab an. 752 quo Pippinus regnare cœpit, ad an. 804 quo Carolus Magnus finem Saxonico bello feliciter imposuit.

UT superioribus Tomis, quandiu Meroveadæ regnarunt, Indicem Episcoporum à condita Francorum Monarchia texuimus ad annum usque Christi septingentesimum quinquagesimum-secundum, quo Pippinus, auctor Carolinæ familiæ, Regnum suscepit, ita, quandiu Carolidæ Regno potientur, Episcoporum Nomenclaturam ab eodem anno Christi septingentesimo quinquagesimo-secundo repetemus. Cùm Pippinus in Regem elevatus est, septemdecim erant in Francia Metropoles, quas ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-secundum Tomo quinto recensuimus. Regnante eodem Pippino, accessit duodevicesima, Narbo videlicet in Septimania. Deinde sub Carolo Metropolitana dignitas Coloniæ reddita est, & Patavio Salisburgum translata, necnon Francicis ditionibus adjunctæ tres in Italia Metropoles, Roma, Mediolanum, & Forum-Julii, sicque Carolus, quando de Saxonibus triumphavit, in sua dominatione duas ac viginti Metropolitanas civitates habebat; octodecim, in Galliis; in Italia, tres; unam, in Bojoaria; quarum hæc sunt nomina, Moguntia, Colonia, Treviri, Remi, Lugdunum, Rotomagus, Turones, Senonæ, Vesontio, Bituriges, Burdigala, Elusa, Narbo, Aquæ Sextiæ, Vienna, Arelatum, Ebredunum, Darantasia, Roma, Mediolanum, Forum-Julii, Salisburgum. Provinciam quidem Romanam numquam tenuit integram, sed Foro-Juliensem totâ Istriâ, Moguntinam & Coloniensem multis per Saxoniam Episcopatibus auxit, partem quoque Ravennatis in suam redegit potestatem, nec passus est accessiones imminui, quæ Narbonensi per Hispaniam, Bojoaricæ per Carantaniam & Longobardiam sub patre Pippino sunt adjectæ. Præmissis his observationibus, Indicem Episcopatuum accipe ordine alphabetico cum Episcopis quorum nomina reperire potuimus.

A

ABRINCENSIS E. *d'Avranches*, sub M. Rotomagensi.

ACHERUNTINUS E. *d'Acerentia*, sub M. Romano.

SUBACTIS Longobardis, Acheruntia Carolo Francorum Regi parere cœpit, a. 774.

* Nomen ignoratur Episcopi, qui sedebat a. 774 obiitque, a. 776.

Leo fit Ep. a. 776. obit, a. 799.

ÆMONIENSIS E. *d'Æmonia*, hodie *Citta nova*, sub M. Foro-Juliensi.

Æmonia civitas Istriæ, ut à Græcis ad

Elvetus fit Ep. a. 775.

Aripertus Ep. a. 795. a. 801. vivit superstes Carolo Magno.

ARVERNUS E. *d'Auvergne*,
sub M. Bituricensi.

Stephanus Ep. a. 752. a. 761.

Avitus Ep. a. 778.

Fridigisus Ep. obit Ludovico Pio Imp.

ASCULANUS E. *d'Ascoli*,
sub M. Romano.

Asculum extincto Longobardorum Regno Francis parere cœpit, a. 774.

Anderis Ep. regnante Carolo Magno.

Tupeolphus Ep. a. 799.

ASSISIENSIS E. *d'Assise*,
sub M. Romano.

Assisium extincto Longobardorum Regno venit in Francorum potestatem, a. 774. eodémque a. ex liberalitate Caroli R. datum est Sedi Apostolicæ, sed effectum hæc Donatio non est sortita. Mancus est autem Assisiensium Episcoporum Catalogus toto octavo seculo.

ASTENSIS E. *d'Ast*,
sub M. Mediolanensi.

Asta, victis Longobardis, in Francorum potestatem venit, a. 774.

ATINENSIS E. *d'Atino*,
sub M. Romano.

Atinum extincto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit, a. 774.

ATREBATENSIS E. *d'Arras*,
sub M. Remensi.

Guntfridus Ep. Attrebatensis & Cameracensis, a. 752.

Albericus Ep. Attrebatensis & Cameracensis, a. 763. obit, a. 790.

Hildoardus sive Hildnertus fit Ep. Attrebatensis & Cameracensis, a. 790. De illo Tomo sequenti.

AVENIONENSIS E. *d'Avignon*,
sub M. Arelatensi.

* Avenio laborat interpontificio, a. 752.

Alfonsus post interpontificium fit Ep. a. 760. obit, a. 765.

Josephus fit Ep. a. 765. obit, a. 794.

Humbertus fit Ep. a. 794. vivit superstes Carolo Magno.

AUGUSTANUS E. *d'Ausbourg*,
sub M. Moguntino.

Marcomannus Ep. a. 752. obit, a. 779.

Symbertus fit Ep. a. 779. sedet ann. 30.

AUGUSTENSIS E. *d'Aouste*,
sub M. Darantasiensi.

Lupus Ep. a. 752. a. 757.

AUGUSTODUNENSIS E. *d'Autun*,
sub M. Lugdunensi.

Gayronius Ep. a. 752. obit, a. 755.

Hiddo fit Ep. a. 755. superstes, a. 765.

Reginaldus Ep. } De tribus his Episco-
Martinus Ep. } pis actum Tomo 5. ad
Aldericus Ep. } an. 747. n. 35.

AURELIANENSIS E. *d'Orleans*,
sub M. Senonensi.

Bertinus Ep. a. 752.

Adalinus Ep. a. 766.

Nadatimus Ep. a. 770.

Deothimus Ep. a. 776.

Guibertus Ep.

Theodulphus Ep. a. 786. De illo iterum Tomo sequenti.

AUSCIENSIS E. *d'Aux*,
sub M. Elusano.

Teuronius Ep. obit eo, quo Pippinus Rex elevatur, a. 752.

Lupus fit Ep. a. 752. obit, a. 760.

Averius sive Anerius fit Ep. a. 760. obit, a. 767.

Ernaldus sive Armaldus vel Brinaldus fit Ep. a. 767. obit, a. 782.

Aster sive Aster fit Episc. a. 782. obit, a. 786.

Asuarius fit Ep. a. 786. obit, a. 794.

Ravelius sive Revelius fit Ep. a. 794. sedet ann. 15.

AUSONENSIS E. *d'Ausona*,
sub M. Narbonensi.

Ausona urbs Hispaniæ Tarraconensis venit in potestatem Francorum, a. 755. regnante Pippino. Ausonensis Episcopatus provinciæ Narbonensi tunc attribuitur, variásque sortes experitur sub Pippino, Carolomanno, & Carolo, RR.

ANTISSIODORENSIS E. *d'Auxerre*,
sub M. Senonensi.

Hainmarus Ep. a. 752. abdicat Episcopatum, a. 763.

Theodrannus fit Ep. a 763. obit, a. 772.

Maurinus fit Ep. a. 772. obit, a. 800.

Aaron fit Ep. a. 800. De illo iterum Tomo sequenti.

B

BAJOCENSIS E. *de Bayeux*,
sub M. Rotomagensi.

Leodeningus Ep. a. 765.

BALNEOREGIENSIS E. *de Bagnarea*,
sub M. Romano.

Balneum-Regium, exactis Longobardorum Regibus, in Francorum potestatem venit, a. 774. deinde in potestatem Romani Pontificis, a. 787. ex liberalitate Caroli Francorum Regis. Mancus est autem per illud tempus Balneoregiensium Episcoporum Catalogus.

BARCINONENSIS E. *de Barcelonne*,
sub M. Narbonensi.

Barcino venit in potestatem Francorum, a. 755. Barcinonensis Episcopatus provinciæ Narbonensi attribuitur regnante tum Pippino, varias experitur sortes sub eodem Pippino ejúsque filiis Carolomanno & Carolo.

Se...... Ep. a. 791.

BASILEENSIS E. *de Basle*,
sub M. Vesootionensi.

Walanus Ep. a. 752. obit, a. 760.
Baldebertus fit Ep. a. 760.
Heico Ep. a. 777.
Waldo Ep. a. 792.

BALLICENSIS E. *de Bellay*,
sob M. Vesontionensi.

Agislus Ep. a. 752. obit, a. 755.
Hippolytus fit Ep. a. 755. abdicat Episcopatum, a. 757.
Eulogius fit Ep. a. 757.
Adorepertus sive Adeonpertus Ep.
Ermunbertus Ep.
Rodogerrus Ep.
Rithfredus Ep.

· BELLOVACENSIS E. *de Beauvais*,
sub M. Remensi.

Deodatus Ep. a. 752.
Aodreas Ep.
Aodingus Ep.
Adalmanus Ep. a. 799.

* BELLUNENSIS E. *de Bellune*,
sub M. Foro-Juliensi.

Belluuum, subacto Longobardorom Regno, veoit io Fraocorum potestatem, a. 774.
Aytoldus Ep. a. 781.

BENARNENSIS E. *de Bearn*,
sub M. Elusano.

BENEVENTANUS E. *de Benevent*,
sub M. Romano.

Beoeventum & Sipontum, extiocto Longobardorum Regoo, Francis parere cœperunt, a. 774.
David Ep. Beneventanus ac Sipoutinus, a. 774. De illo iterum Tomo sequenti.

BERGOMENSIS E. *de Bergame*,
sub M. Mediolanensi.

Bergomum, extincto Longobardorum Regoo, Francis parere cœpit, a. 774.
Aginus Ep. a. 774. De illo iterum, Tomo sequeoti.

BIGORRITANUS E. *de Bigorre*,
sub M. Elusano.

BIRABURGENSIS E. *de Buraburg*,
sub M. Moguotioo.

Witta Ep. a. 752. obit, a. 787.
Mengottus fit Ep. a. 787. obit, a. circiter 795. & Episcopatus Birburgensis unitur Padibornensi.

BITERRENSIS E. *de Beziers*,
sob M. Narbouensi.

Biterræ in Fraocorum potestatem veneruot, a. 755. Pippino Rege.
Vulfegarius Ep. a. 791.

BITURICENSIS E. M. *de Bourges*.
in Aquitania I.

Bertellannus seu Berlannus Ep. M. a. 752. obit, a. 763.
Landrarius seu Landarius fit Ep. M. a. 763. obit, a. 767.
Ermenarius sive Herminardus fit Ep. M. a. 767. obit, a. 774.
Deodatus fit Ep. M. a. 774. obit, a. 783.
Ermembertus fit Episc. M. a. 783. obit, a. 788.
Segoleons fit Ep. M. a. 788. obit, a. 793.
David fit Ep. M. a. 793. obit, a. 802.
Stephanos fit Ep. M. a. 802. De illo iterom Tomo seqoenti.

BLERANUS seu BLEDANENSIS E. *de Bieda*,
sub M. Romano.

Blera seu Bledum in Ducatu Romano domioationem Græcorum excussit, séque Francis spoote dedidit, a. 796.

BREMENSIS E. *de Bremen*,
sob M. Coloniensi.

Willehadus fit primus Ep. Bremensis, a. 787. obit, a. 789.
Willericus fit Ep. a. 789. De illo iterum Tomo sequenti.

BRIOCENSIS E. *de S. Brieu*,
sub M. Toronensi.

BRIXIENSIS E. *de Bresse*,
sub M. Mediolanensi.

Brixia subactis Loogobardis in Francorum potestatem venit, a. 774.
Theodaldus Ep. a. 774.
Vitalis Ep. a. 781.
Benedictus Ep.
Ansoaldus sive Aotoaldus Ep.
Cunipertus Ep.
Amfridos sive Amphridus aut Amphrigios Episc. de quo ad a. 805 Tomo sequenti.

BURDIGALENSIS E. M. *de Bordeaux*,
in Aquitania II.

C

CABELLIONENSIS E. *de Cavaillon*.
sub M. Arelatensi.

Crammelinus Ep. omissus sub exitum septimi seculi, stirpe Meroveadatum ooodum extinctâ.
Lupus Ep. a. 791.

CABILONENSIS E. *de Chalon sur Saone*,
sob M. Logdunensi.

Huebertus Ep. a. 779.

CADURCENSIS E. *de Cahors*,
sub M. Bituricensi.

Ambrosius Ep. regnaote Pippino.

CÆRENSIS E. *de Cerveterre*,
sob M. Romano.

Cære in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796.

CALATINUS E. *de Cajazzo*,
sub M. Romano.

Calaria, everso Longobardorum Regno, Francicis ditionibus accessit, a. 774.
Gisulphus Ep. a. 776.

CAMERACENSIS E. *de Cambray*, sub M. Remensi.

Vide Episcopos Atrebatenses.

CAMERINENSIS E. *de Camerino*, sub M. Romano.

Camerinum, everso Longobardorum Regno, Francis parere cœpit, a. 774.

CAPUANUS E. *de Capouë*, sob M. Romano.

Capua, extincto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit, a. 774. deinde Romano Pontifici, a. 787. ex liberalitate Caroli Magni. Mancus est autem per illud tempus Capuanorum Episcoporum Catalogus.

CARANTANUS E. *de Carinthie*, sub M. Laureacensi seu Pataviensi, deinde sub Salisburgensi.

Carantanorum seu Sclavorum Regnum Francicis ditionibus accessit, a. 757. regnante tum Pippino.

Modestus fit Ep. Carantanorum, a. 768. obit, a. circiter 770. tunc Episcopus Salisburgensis curam Carantanorum suscipit.

Theodoricus fit Ep. Carantanorum, a. 798. sub M. Salisburgensi.

CARCASSONENSIS E. *de Carcassonne*, sub M. Narbonensi.

Carcasso in Francorum potestatem venit, a. 755. pulsis è Septimania Saracenis.

Hiscipio Ep. a. 791.

Rogerius Ep. a. 800.

CARNOTENSIS E. *de Chartres*, sub M. Senonensi.

Berthegrannus Ep. a. 752. obit, a. 754.

Haynius fit Ep. a. 754. obit, a. 762.

Hado fit Ep. a. 762. obit, a. 773.

Flavius fit Ep. a. 773. obit, a. 788.

Godosaldus fit Ep. a. 788. sedet ann. 19.

CARPENTORACTENSIS E. *de Carpentras*, sub M. Arelatensi.

Hotifredus Ep. a. 752.

Agapitus Ep. a. 770.

Amatus Ep. a. 789. obit, a. 791.

Antonius fit Ep. a. 791.

CATALAUNENSIS E. *de Chaalons sur Marne*, sub M. Remensi.

Bladaldus Ep. a. 752.

Scaricus Ep. a. 761.

Racatius seu Ricoarius Episcopus obit, a. 770.

Willebaldus seu Gilloboldus fit Ep. a. 770. obit, a. 784.

Bovo seu Bono fit Episc. a. 784. obit, a. 804.

CENETENSIS E. *de Ceneda*, sub M. Foro-Juliensi.

Ceneta Francis a. 774 parere cœpit post eversum Longobardorum Regnum.

CENOMANNENSIS E. *du Mans*, sub M. Turonensi.

* Cenomannum laborat interpontificio, a. 752.

Gosllenus seu Gaucilenus fit Ep. a 753 post interpontificium decennale; deponitur, a. 755.

Herlemnodus fit Ep. a. 755. abdicat Episcopatum, a. 764.

Gosllenus recuperat Episcopatum, a. 764. utitur operâ quatuor successivè Chorepiscoporum, Suffredi, Desiderati, Berthodi, & Meroli, obitque, a. 772.

Hodigus sive Odigus vel Hodingus fit Ep. a. 772. obit, a. 774.

Merolus fit Ep. a. 774. obit, a. 784.

Josephus fit Ep. a. 784. obit, a. 793.

Franco fit Ep. a. 793. vivit superstes Carolo Magno.

CENTUMCELLICUS seu CENTUMCELLENSIS E. sub M. Romano.

Centumcellæ, hodie *Civitavecchia*, in Ducatu Romano dominationem Græcorum excusserunt, séque Francis sponte dediderunt, a. 796.

CLUSINUS E. *de Chiusi*. sub M. Romano.

Clusium post eversum Longobardorum Regnum Francis parere cœpit, a. 774.

Arcadius Ep. fortè pervenit ad a. 774.

Arialdus Ep. a. 801. De illo iterum Tomo sequenti.

COLONIENSIS E. *de Cologne*, sub M. Moguntino, deinde E. M. per Germaniam II.

Hildegarius Ep. a. 752. obit, a. 753.

Hildebertus fit Ep. a. 753. obit, a. 761.

Bertholinus fit Ep. a. 761. obit, a. 771.

Ricolphus fit Ep. a. 771. est Ep. M. a. 777. obit, a. 793.

Hildebaldus fit Ep. M. a. 793. De illo iterum Tomo sequenti.

COMENSIS E. *de Come*, sub M. Foro-Juliensi.

Comum Francis parere cœpit, a. 774. extinctâ Longobardorum dominatione in Italia.

Adelengus Ep. a. 774. obit, a. 776.

Petrus fit Ep. a. 776. obit Ludovico Pio jam Imperatore.

CONCORDIENSIS E. *de Concordia*, sub M. Foro-Juliensi.

Concordia Francis parere cœpit, a. 774. extinctâ Longobardorum dominatione in Italia.

CONSORANENSIS E. *de Coserans*, sub M. Elusano.

Francolinus Ep. a. 791.

CONSTANTIENSIS E. *de Coutance*, sub M. Rotomagensi.

Leo Ep. a. 752.

Agulo Ep. regnante Carolo Magno.

CONSTANTIENSIS E. *de Constance*, sub M. Moguntino.

Sidonius Ep. a. 752. obit, a. 759.

Joannes fit Ep. a. 759. obit, a. 781.

Egino fit Ep. a. 781. De illo rursum Tomo sequenti.

CONVENENSIS E. *de Cominge*, sub M. Elusano.

Abraham Ep. a. 791.

CORENTINOPOLITANUS E. *de Kempercorentin*, sub M. Turonensi.

CREMONENSIS E. *de Crémone*, sub M. Mediolanensi.

Extincto Longobardorum Regno Cremona Francis parere cœpit, a. 774.

* Cremona laborat interpontificio, a. 774.

Stephanus post interpontificium triennе fit Ep. a. 776. sedet ann. 40.

CURIENSIS E. *de Coire*, sub M. Moguntino.

Baldebertus Ep. a. 752, obit, a. 754.

Paschalis fit Ep. a. 754. obit, a. 756.

Victor fit Ep. a. 756. obit, a. 758.

Tello fit Ep. a. 758. obit, a. 766.

Vigilius fit Ep. a. 766. obit, a. 768.

Ursicinus fit Ep. a. 768. obit, a. 772.

Tello II. fit Ep. a. 772. obit, a. 784.

Constantinus seu Constantius fit Ep. a. 784. sedet ann. 29.

D

DARANTASIENSIS E. M. *de Tarant. se*, in provincia Alpium Grajarum & Penninarum.

Bunimundus Ep. M. a. 752.

Erusino sive Ermino fit Ep. M. Pippino R. superstite.

Possessor Ep. M. regnante Carolo Magno.

Eodebertus seu Rudoabertus Ep. M. vivit superstes Carolo Magno.

DIENSIS E. *de Die*, sub M. Arelatensi.

Aramandus Ep. a. 776. a. 788.

Desideratus Ep. a. 789. a. 791.

Ulfinus Ep. a. 800. vivit superstes Carolo Magno.

DERTHONENSIS E. *de Tortone*, sub M. Mediolanensi.

Derthona, victis Longobardis, Carolo Francorum Regi parere cœpit, a. 774.

Flavianus Ep. a. 774. obit, a. 786.

Hieronymus fit Ep. a. 786. obit, a. 793.

Desiderius fit Ep. a. 793. obit, a. 799.

Robertus fit Ep. a. 799. sedet ann. 9.

DINIENSIS E. *de Digne*, sub M. Ebredunensi.

Raganbaldus fit Ep. a. 791.

DOLENSIS E. *de Dol*, sub M. Turonensi.

E

EBREDUNENSIS E. M. *d'Ambrun*, per provinciam Alpium Maritimarum.

Waldebertus Ep. M. a. 789.

EBROICENSIS E. *d'Evreux*, sub M. Rotomagensi.

Maurinus Ep. a. 765.

Gervoldus fit Episc. Carolo jam Rege & Bertradâ Reginâ ejus matre superstite, dimittit Episcopatum, a. 788.

Gerbodus fit Ep. a. 788. deponitur, a. 794.

ECOLISMENSIS E. *d'Angoulesme*, sub M. Burdigalensi.

Guillermus Ep. a. 752.

Frodebertus Ep. regnante Pippino.

Landebertus Ep. a. 791.

Salvius Ep Martyr, a. 801.

Sidranius fit Ep. a. 801.

ELUSANUS E. M. *d'Eause*, in Novempopulania.

EPOREDIENSIS E. *d'Yvrée*, sub M. Mediolanensi.

Eporediæ, extincto Longobardorum Regno, venerunt in Francorum potestatem, a. 774.

Bessus Ep. a. 774.

ERPHESFORDIENSIS E. *d'Erfort*, sub M. Moguntino.

Adelarius Ep. a. 752. Martyr, a. 755. Tunc extinctus Episcopatus Erphesfordiensis unitúsque Moguntino.

EYSTETTENSIS E. *d'Aichstat*, sub M. Moguntino.

Willibaldus Ep. a. 752. obiit, a. 787.

Gerochus fit Ep. a. 787. sedet ann. 20.

F

FALERITANUS E. *de Falere*, sub M. Romano.

Faleria in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796.

FELTRENSIS E. *de Feltro*, sub M. Foro-Juliensi.

Feltrum seu Feltria post extinctum Longobardorum Regnum Carolo Francorum R. parere cœpit, a. 774.

Endrigettus Ep. a. 774. obit, a. 781.

FERENTINAS E. *de Ferentino*, sub M. Romano.

Ferentinum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796.

FERENTINUS E. *de Ferento*, sub M Romano.

Ferenti Castrum seu Ferentia vel Ferentium, extincto Longobardorum Regno, in Francorum potestatem transiit, a. 774. Romano Pontifici cessit ex liberalitate Caroli Magni, a. 787 Illo tempora mutilus est Episcoporum Catalogus.

Faesulanus E. *de Fiesoli*,
sub M. Romano.

Fesulae, extincto Longobardorum Regno, in Francorum potestatem venerunt, a. 774.

Firmanus E. *de Ferme*,
sub M. Romano.

Firmum, extincto Longobardorum Regno, Francis parere coepit, a. 774.
Gualterus Ep. a. 774.

Florentinus E. *de Florence*,
sub M. Romano.

Florentia, subactis Longobardis, venit in Francorum potestatem, a. 774.
Thomas Ep. a. 774. a. 790.

Foro-Juliensis E. M. *de Friul*,
in provincia Foro-Juliensi.

Forum-Julii, exactis Longobardis, Carolo Francorum Regi parere coepit, a. 774.
Siginaldus seu Signaldus Ep. M. vel Patriarcha Foro-Juliensis, a. 774. obit, a. 776.
Paulinus fit Patriarcha, a. 776. obit, a. 804.
Urbanus fit Patriarcha, a. 804.

Foro-Juliensis E. *de Frejus*,
sub M. Aquensi.

Jacobus Ep.
Bartholomaeus Ep.
Berengarius Ep.
Romanus Ep.
} Seculis octavo & nono, deprehenduntur hi quatuor Episcopi Foro-Julienses, suis tantùm nominibus noti.

Frisingensis E. *de Frisingen*.
sub M. Pataviensi,
deinde sub M. Salisburgensi.

Erimbertus Ep. a. 752. obit, a. 767.
Josephus fit Ep. a. 767. obit, a. 770.
Aribo, qui Cyrinus & Haeres vocatur, fit Ep. a. 770. obit, a. 783.
Atto fit Ep. a. 783. De illo iterum Tomo sequenti.

Frusinonensis E. *de Frusilone*,
sub M. Romano.

Frusino in Ducatu Romano dominationem Graecorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796.

Fulginatensis E. *de Foligno*,
sub M. Romano.

Fulginium seu Fulcinum, extincto Longobardorum Regno, venit in potestatem Francorum, a. 774. eodémque anno ex liberalitate Caroli R. datum est Sedi Apostolicae, sed effectum haec Donatio non est sortita. Mancus est autem Fulginatensium Episcoporum Catalogus ab a. 760. ad a. 830.

Furconiensis E. *de Fortone*,
sub M. Romano.

Furconium, exactis Longobardis, in Francorum potestatem venit, a. 774.

G

Gabalitanus E. *de Javouls*,
sub M. Bituricensi.

Gallesianus E. *de Galese*,
sub M. Romano.

Gallesia seu Gallesium in Ducatu Romano dominationem Graecorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a 796.

Genavensis E. *de Genève*,
sub M. Viennensi.

Reneubertus Ep. a. 752.
Lutherius Ep. obit, a. 764.
Postbertus fit Ep. a. 764. obit, a. 780.
Walternus fit Ep. a. 780. sedet ann. 36.

Gerundensis E. *de Girone*,
sub M. Narbonensi.

Gerunda venit in potestatem Francorum, a. 755. Gerundensis Episcopatus provinciae Narbonensi attribuitur regnante tum Pippino, sed varias expertus fortes sub eodem Rege ejúsque filiis Carolomanno & Carolo.
Adaulfus Ep. a. 785. cùm Gerunda redit ad imperium Caroli; a. 791. cùm celebratur Narbonense Concilium.
Walerius Ep.
Nistedus Episc. De illo iterum Tomo sequenti.

Glannatensis E. *de Glandéves*,
sub M. Ebredunensi.

Gratianopolitanus E. *de Grenoble*,
sub M. Viennensi.

Corbus Ep. a. 752.
Leopardus seu Leopertus Ep.
Ardentius sive Ardincus Ep.
Odolardus Ep. a. 789.
Radolfus sive Adoldus Episc. De illo iterum Tomo sequenti.

H

Helenensis E. *d'Elne*,
sub M. Narbonensi.

Pulsis è Septimania Saracenis, Helena in Francorum potestatem venit, a. 755. regnante Pippino.
Winedarius, Weneduriua, wenedarius Ep. a. 791.
Romanus Ep.

Hortanus E. *d'Orti*,
sub M. Romano.

Horta sive Hortanum in Ducatu Romano dominationem Graecorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796.

I

Janoensis E. *de Génes*,
sub M. Mediolanensi.

Janua post exactos Longobardos in Francorum potestatem venit, a. 774.
Dionysius Ep. a. 798.

INTERAMNIS E. *de Terni*,
sob M. Romano.

Interamna, deleto Longobardorum Regoo, venit in potestatem Francorum, a. 774. eodémque anno ex liberalitate Caroli R. Apostolicæ Sedi data est, sed effectum hæc Donatio non est sortita. Tunc autem laborabat illa civitas interpontificio, laboravítque quandiu sob potestate Francorum fuit.

JUSTINOPOLITANUS E. *de Justinople*,
vulgò *Capo d'Istria*,
sub M. Foro-Juliensi.

Justinopolis, ut à Græcis ad Francos, sic à Gradensi Patriarchatu ad Foro-Juliensem transiit, a. 789.

Joannes ordinatus est Ep. a. 756. Utrùm ad a. 789. pervenerit, haud liquet. De proximis successoribus, nihil occurrit.

L

LABICANENSIS E.
sub M. Romano.

Labicum seu Lavicum, unde dicta via Lavicana, hodie plerisque *de Valmontone*, in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796.

LACTORENSIS E. *de Lectoure*,
sub M. Elusano.

LAUDENSIS E. *de Lodi*,
sub M. Mediolanensi.

Laus Pompeia seu Lauda Pompeia venit in Francorum potestatem post exactos Longobardos, a. 774.

LAUDUNENSIS E. *de Laon*,
sub M. Remensi.

Genebaudus Ep. a. 752. superstes? a. 765.
Bernico seu Bernito Ep.
Wanilo I. Ep.
Wanilo II. Ep.
Eybo, Erlo, Cilo, Cyolo Ep.
Banifridus, Ranifridus, Rainifridus Ep.
Garifidus, Garifidus, Garfridus, Gerfridus, Gnifridus, Gaufridus Ep. a. 798. a. 799.
Sigebaudus seu Sigebodus Ep. a. 802.

LAURIACENSIS E. M.
de Laurich seu *Lorich* hodie *Lorch*,
in Bojoaria.

Vide Episcopos Patavienses.

LAUSANNENSIS E. *de Lausanne*,
sob M. Vesontionensi.

Waldricus Ep. a. 774.

LEMOVICENSIS E. *de Limoges*,
sub M. Bituricensi.

Ebulus Ep. a. 752.
*
*
Asclepius Episcopus a. 793. obit ante ann. 802.

Remigibertus fit Episc. ante an. 802. vivit superstes Carolo Magno.

LEODIENSIS E. *de Liége*,
sob M. Moguntino,
deinde sub Coloniensi.

Fulcarius Ep. sub M. Moguntino, a. 752. obit, a. 760.
Folericus fit Ep. sub M. Moguntino, a. 760. obit, a. 768.
Agilfridus fit Episcopus sub M. Moguntino, a. 768. obit sub M. Coloniensi, a. 784.
Gerbaldus fit Ep. sub M. Coloniensi, a. 784. De illo iterum Tomo sequenti.

LEONENSIS E. *de Leon*,
sob M. Turonensi.

Guyomarkus Ep. a. 752. obit, a. 783.
Leonorius fit Ep. a. 784. sedet ann. 29.

LEXOBIENSIS E. *de Lexobie*,
sob M. Turonensi.

Govarranus Episcopus, fortè superstes a. 752. Sunt qui dicunt illum sedisse ann. 70.
* Interpontificium.

LEXOVIENSIS E. *de Lisieux*,
sub M. Rotomagensi.

LINGONENSIS E. *de Langres*,
sob M. Lugdunensi.

Chedroaldus Ep. a. 752.
Herulfus Ep. a. 769. dimittit Episcopatum, a. 775.
Arvulfus fit Ep. a. 775. dimittit Episcopatum, a. 780.
Waldricus fit Ep. a. 780. vivit, a. 783.
Betto, Beto, Berto, Bicto, Becho Ep. a. 791.

LUCENSIS E. *de Luques*,
sub M. Romano.

Luca, exactis Longobardis, in Francorum potestatem venit, a. 774.
Joannes fit Ep. a. 781. obit, a. 800.
Jacobus fit Ep. a. 800. sedet ann. 16.

LUCERINUS E. *de Lucera*,
sub M. Romano.

Luceria, exactis Longobardis, in Francorum potestatem venit a. 774.

LUGDUNENSIS E. M. *de Lyon*,
in provincia Lugdunensi I.

* Lugdunum laborat interpontificio, a. 752.
Madalbertus seu Maldabertus fit E. M. a. 754. post interpontificium aliquot annorum.
Addo Ep. M. a. 769. obit, a. 798.
Ilduinus Addoni sufficitur, a. 798. sed Archiepiscopum se non patitur ordinari.
Leidradus Ilduino subrogatur, a. 798. ordinatur, a. 799. vivit superstes Carolo Magno.

LUNENSIS E. *de Luni*,
sub M. Romano.

Luna, deleto Longobardorum Regno, venit in potestatem Francorum, a. 774.

LUTEVENSIS

LUTAVANSSA E. *de Lodève*,
sub M. Narbonensi.

Pulsis è Septimania Saracenis, Luteva in Francorum potestatem radit, a. 755. regnante tum Pippino.

Michael fit Ep. postremis temporibus Pippini R.

Nebridius Ep.

M

MAGALONENSIS E. *de Maguelonne*,
sub M. Narbonensi.

Pulsis è Septimania Saracenis, Magalona in Francorum potestatem venit, a. 755. regnante tum Pippino.

Joannes Ep. a. 791.

Ricuinus Ep.

MARIANANSIS E. *de Marana*,
sub M. Romano.

Mariana in Corsica, pulsis Mauris, Carolo Francorum Regi patere cœpit temporibus Hadriani PP. I. attributáque est provinciæ Romanæ.

MARSICANUS E. *de Celano*,
sub M. Romano.

Celanum Marsorum caput in Francorum potestatem venit, a. 774. post exactos ex Italia Reges Longobardorum.

MARTURANENSIS E. *de Marturane*,
sub M. Romano.

Marturanum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796.

MASSILIENSIS E. *de Marseille*,
sub M. Arelatensi.

Honoratus Ep. regnante Pippino, obit, a. 767.

Mauroutus fit Ep. a. 767. De illo rursum Tomo sequenti.

MATISCONENSIS E. *de Mascon*,
sub M. Lugdunensi.

Domnolus Ep. a. 752.

Leduardus Episc. a. 789. obit a. circ. 802.

Wicardus seu Guichardus fit Ep. a. circiter 802.

MAURIENNENSIS E. *de Maurienne*,
sub M. Darantasiensi.

Witgarius Ep. obit, a. 770.

Walchunus fit Ep. a. 770. vivit, a. 789.

Felinasius Ep.

MEDIOLANENSIS E. M. *de Milan*,
in provincia Mediolanensi.

Mediolanum, deleto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit, a. 774.

Thomas Ep. M. a. 774. obit, a. 783.

Petrus fit Ep. M. a. 783. obit, a. 804.

Odelpertus fit Ep. M. a. 804.

MELDENSIS E. *de Meaux*,
sub M. Senonensi.

Romanus Ep. a. 752.

Wlfrannus Ep. a. 756. obit a. circiter 770.

Brunerus seu Prunerus fit Ep. a. circ. 770.

Hildricus sive Hildericus Ep. a. 800. De illo iterum Tomo sequenti.

MATENSIS E. *de Mets*,
sub M. Trevirensi.

Chrodegangus Ep. a. 752. obit, a. 766.

* Interpontificium bienne.

Angelramnus fit Ep. a. 768. obit, a. 791.

* Interpontificium annorum 27.

MIMIGARDEVORDENSIS E.
de Mimigerode,
sub M. Coloniensi.

Ludgerus fit primus Ep. Mimigardevordensis subjicitúrque M. Coloniensi a. 802. De illo iterum Tomo sequenti.

MINDENSIS E. *de Minden*,
sub M. Coloniensi.

Herimbertus fit primus Ep. Mindensis subjicitúrque M. Coloniensi, a. 786. De illo iterum Tomo sequenti.

MOGUNTIACENSIS E. M. *de Mayence*.
in utraque Germania,
deinde in sola Germania I.

Bonifacius, Ep. M. utriusque Germaniæ, dimittit Archiepiscopatum a. 752. Pippino jam Rege.

Lullus fit Ep. M. utriusque Germaniæ, a. 752. Metropolitanâ dignitate Ecclesiæ Coloniensi ante a. 777. restitutâ manet Ep. M. Garmaniæ I. obit, a. 787

Riculfus fit Ep. M. Germaniæ I. a. 787. De illo iterum Tomo sequenti.

MUTINENSIS E. *de Modène*,
sub M. Ravennate.

Mutina, post exactos Longobardorum Reges, Francis parere cœpit a. 774.

Geminianus Ep. a. 774. a. 782.

Geiso Ep. De illo iterum Tomo sequenti

N

NAMNETENSIS E. *de Nantes*,
sub M. Turonensi.

Deomarus Ep. a. 752. a. 757.

Odilardus Ep. vivit ad a. usque 804.

N[illegible] E. M. *de Narbonne*,
in provincia Narbonensi I.

Pulsis è Septimania Saracenis, Narbo in Francorum potestatem venit a. 755. regnante tum Pippino.

Nimbrisius Ep. M. Pippino Rege.

Daniel Ep. M. a. 769. a. 791.

Nefridius Ep. M. a. 798. a. 800.

NEBIENSIS E. *de Nebbio*,
sub M. Romano.

Nebium in Corsica, pulsis Mauris, Carolo Francorum R. parere cœpit temporibus Hadriani PP. I. attributúmque est provinciæ Romanæ.

NEMAUSENSIS E. *de Nismes*,
sub M. Narbonensi.

Pulsis è Septimania Saracenis, Nemausus

in Francorum potestatem venit, a. 755. regnante tum Pippino.

Witeringus Ep. a. 791.

Christianus Ep.

NEOBURGENSIS E. *de Neubourg*, sub M. Laureacensi seu Pataviensi.

Manno fit primus Ep. Neoburgensis regnante tum Pippino, sedet a. 771. Post ejus mortem extinguitur Neoburgensis Episcopatus; pars attribuitur Diœcesi Augustanæ, altera pars Eystettensi.

NEPESINUS E. *de Nepi*, sub M. Romano.

Nepet in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796.

NICAENSIS E. *de Nice*, sub M. Ebredunensi.

Syagrius seu Siacrius fit Ep. a. 777. obit, a. 787.

Johannes fit Ep. a. 787. sedet, a. 791.

NIVERNENSIS E. *de Nevers*, sub M. Senonensi.

Ridelenus Ep. a. 752.

Valdo seu Gaido Ep. a. 757.

Evarcius Ep.

Galdo Ep. a. 802.

NOVARIENSIS E. *de Novare*, sub M. Mediolanensi.

Novaria post exactos Longobardorum Reges Francis parere cœpit, a. 774.

Benedictus Ep. a. 774.

Petrus Ep.

Sicardus Ep.

NOVIOMENSIS E. *de Noyon*, sub M. Remensi.

Elisæus Ep. Noviomensis ac Tornacensis, a. 752. sedet, a. 754.

Adalfridus Episc. Noviomensis ac Tornacensis, a. 756. superstes, a. 765.

Dido seu Dodo Ep. Noviomensis ac Tornacensis, a. 770.

Gilbertus Ep. Noviomensis ac Tornacensis obit, a. 782.

Pleon fit Ep. Noviomensis ac Tornacensis, a. 782. sedet, a. 799.

O

OLORONENSIS E. *d'Oleron*, sub M. Elusano.

OSNABRUGENSIS E. *d'Osnabrug*, sub M. Coloniensi.

Wiho seu Witho fit primus Ep. Osnaburgensis sub M. Coloniensi, a. 788. obit, a. 804.

Mengardus seu Meingerus fit Episcopus, a. 804.

OSTIENSIS E. *d'Ostie*, sub M. Romano.

Ostia in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, & Francis sponte se dedidit, a. 796.

Petrus Ep. Ostiensis, a. 796. De illo iterum Tomo sequenti.

OTRICULENSIS E. *d'Ocricoli*, sub M. Romano.

Otriculum sive Ocricolum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796.

P

PADERBORNENSIS E. *de Paderborn*, sub M. Moguntino.

Hadumarus fit primus Ep. Paderbornensis sub M. Mognotino, a. 795. De illo iterum Tomo sequenti.

PAPIENSIS E. *de Pavie*, sub M. Romano.

Papia Francis deditionem fecit a. 774.

Theodorus Ep. a. 774. obit, a. 778.

Augustinus fit Episc. a. 778. obit eodem anno.

Petrus fit Ep. a. 778. obit, a. 783.

Hieronymus fit Ep. a. 783. obit, a. 792.

Ubaldus fit Ep. a. 792. obit, a. 795.

Petrus II. fit Ep. a. 795. obit, a. 800.

Joannes fit Ep. a. 800. sedet ann. 13.

PARENTINUS E. *de Parenzo*, sub M. Foro-Juliensi.

Parentium, ut à Græcis ad Francos, sic à Gradensi Patriarchatu ad Foro-Juliensem transiit, a 789.

Dominicus Ep. a. 789.

Antonius Ep.

PARISIENSIS E. *de Paris*. sub M. Senonensi.

Ragnecaptus Ep. a. 752.

Deodefridus Ep. a. 757.

Erchanradus, Erchenradus, Erkanradus Ep. regnante Carolo.

Ermanfredus Ep.

PARMENSIS E. *de Parme*. sub M. Ravennate.

Parma, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit, a. 774.

Hieronymus Ep. a. 775.

PATAVIENSIS E. *de Passau*, Metropolitanus Bojoariæ, deinde Episcopus sub M. Salisburgensi.

Sidonius Ep. Pataviensis ac Laureacensis & M. Bojoariæ, a. 752. obit, a. 756.

Anthelmus fit Ep. M. a. 756. obit, a. 765.

Wiscarius seu Wisericus fit Ep. M. a. 765. obit, a. 774.

Waldericus fit Ep. M. a. 774. obit, a. 798. Post ejus mortem Metropolitana Bojoariæ dignitas Salisburgensi Sedi restituitur.

Hatto fit Ep. a. 798. Ds illo iterum Tomo sequenti.

PATAVINUS E. *de Padouë*,
sub M. Foro-Juliensi.

Patavium, extincto Longobardorum Regno, in Francorum potestatem venit, a. 774.
Joseph Ep. a. 774. obit, a. 786.
Bodo fit Ep. a. 786. obit, a. 799.
Luitardus fit Episcopus, a. 799. sedet ann. 15.

PANNENSIS E. *de Penna*,
sub M. Romano.

Penna, extincto Longobardorum Regno; in Francorum potestatem venit, a. 774.

PERUSINUS E. *de Perouse*,
sub M. Romano.

Perusia, extincto Longobardorum Regno, in Francorum potestatem venit, a. 774.
Epiphanius Episcopus, fortè superstes, a. 774.

PETINENSIS E. *de Padina*,
sub M. Foro-Juliensi.

Petinum, ut à Græcis ad Francos sic à Patriarchatu Gradensi ad Foro-Juliensem transiit a. 789.

PETROCORICENSIS E. *de Perigueux*,
sub M. Burdigalensi.

Bertrandus Ep. a. 767. a. 778.

PICTAVIENSIS E. *de Poitiers*,
sub M. Burdigalensi.

Godo Ep. a. 752. a. 756.
Magnibertus Ep. a. 762.
Bertaldus Ep.
Benedictus Ep. a. 778.
Joannes Ep.
Bertrandus Ep. a. 789.
Sigibrannus Ep.

PISANUS E. *de Pise*,
sub M. Romano.

Pisæ, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœperunt a. 774.
Joannes Ep. a. 804.

PISTORIENSIS E. *de Pistoye*,
sub M. Romano.

Pistorium, extincto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit a. 774.
Wiltretradus Ep. a. 801.

PLACENTINUS E. *de Plaisance*,
sub M. Ravennate.

Placentia, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit, a. 774.
Desiderius Ep. a. 774. obit, a. 775.
Maurus fit Ep. a. 775. obit, a. 780.

POLENSIS E. *de Pola*,
sub M. Foro-Juliensi.

Pola, ut à Græcis ad Francos, sic à Patriarchatu Gradensi ad Foro-Juliensem transiit a. 789.

POLIMARTIENSIS E. *de Bomarzo*,
sub M. Romano.

Polimartium seu Polymartium in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796.

POPULONIENSIS E. *de Populonia*,
sub M. Romano.

Populonia, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit a. 774.
Ancautus Ep. fortè superstes a. 774.
* Anno 787, Carolus Francorum Rex Populoniam Romano Pontifici perpetuò possidendam cessit.

PORTUENSIS E. *de Porto*,
sub M. Romano.

Portus in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796.
Joannes Ep. Carolo Magno synchronus.

PRÆNESTINUS E. *de Palestrine*,
sub M Romano.

Prenesta in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796.

PRIVERNAS E. *de Piperno*,
sub M. Romano.

Privernum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796.

R

REATINUS E. *de Rieti*,
sub M. Romano.

Reate, deleto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit a. 774.

REDONENSIS E. *de Rennes*,
sub M. Turonensi.

Stephanus Ep. a. 751. obit, a. 762.
Aurismundus fit Ep. a. 765. De illo rursum Tomo sequenti.

REGIENSIS E. *de Regge*,
sub M. Ravennate.

Regium Lepidi, post exactos Longobardorum Reges, Francis parere cœpit, a. 774.
Apollinaris Ep. a. 774. obit, a. 789.
Adelmus fit Ep. a. 789. De illo rursum Tomo sequenti.

REGINOBURGENSIS E. *de Ratisbonne*,
sub M. Pataviensi,
deinde sub Salisburgensi.

Garibaldus Ep. a. 752. obit, a. 761.
Sympertus fit Ep. a. 761. obit, a. 791.
Adalwinus fit Ep. a. 791. sedet ann. 26.

REIENSIS E. *de Riez*,
sub M. Aquensi.

Anthimius Ep. synchronus Pippino Regi.
Riculphus Episc. synchronus Carolo Magno.

REMENSIS E. M. *de Reims*,

Milo Ep. M. cùm Remensis tum Trevirensis a. 752. obit, a. 753.

Tilpinius fit Ep. M. Remensis, a. 755. obit, a. 800.

* Interpontificium bienne.

Vulfarius fit Ep. M. Remensis, a. 802. De illo iterum Tomo sequenti.

ROMANUS E. M. *de Rome*, in provincia Romana.

Roma cum Romano Ducatu dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796.

Leo III Romanus Pontifex, a. 796. vivit superstes Carolo Magno.

ROTOMAGENSIS E. M. *de Rouën*, in provincia Lugdunensi II.

Raginfridus Ep. M. a. 752. deponitur, a. 755.

Remigius fit Episcopus M. a. 755. obit, a. 771.

Magenardus seu Mainardus fit Ep. M. a. 772. sedet, a. 802.

RUSSELLENSIS E. *de Roselle*, sub M. Romano.

Russella, deleto Longobardorum in Italia Regno, venit in Francorum potestatem, a. 774. iisque paruit ad annum usque 787. At mancus est per illud tempus Russellensium Episcoporum Catalogus.

RUTENENSIS E. *de Rodez*, sub M. Bituricensi.

S

SABINENSIS E. *de Sabine*, sub M. Romano.

Mallianum, ubi Sedes Episcopalis, in Francorum potestatem venit, a. 774. deleto Longobardorum Regno, deinde transiit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Caroli Magni, a. 781. Mancus est per illa tempora Sabinensium Episcoporum Catalogus.

SABIONENSIS E. *de Siben*, sub M. Patavienſi, deinde sub Salisburgiensi.

Sabionensis Episcopatus, qui prius pars erat Regni Longobardici, sub Patriarcha Foro-Juliensi, Francicis ditionibus accessit, & Archiepiscopo Pataviensi Metropolitæ Bojoariæ subditus fuit regnante tum Pippino, deinde a. 798 Salisburgiensi subditus fuit Metropolitanâ dignitate Salisburgo redditâ.

Alim sive Alimus vel Almus Ep. regnantibus Pippino & Carolo.

Heinricus Ep.

SAGIENSIS E. *de Seez*, sub M. Rotomagensi.

Lotharius Ep. a. 752. a. 756.

Godegrandus fit Episcopus, a. 756. obit, a. 770.

Ragimfridus fit Ep. a. 770.

SALERNITANUS E. *de Salerne*, sub M. Romano.

Salernum, deleto Longobardorum Regno, venit in Francorum potestatem, a. 774.

Rodopertus Ep. a. 774. a. 787.

Nicolaus Ep. a. 801.

SALISBURGIENSIS E. *de Saltzbourg*, sub M. Pataviensi, deinde Metropolitanus Bojoariæ.

Joannes Ep. a. 752. obit, a. 759.

* Interpontificium.

Virgilius ordinatur Ep. a. 766. obit, a. 780.

Bertricus fit Ep. a. 780. obit, a. 785.

Arno fit Ep. a. 785. Metropolitanus Bojoariæ, a. 798. vivit superstes Carolo Magno.

SANICIENSIS E. *de Senez*, sub M. Ebreduensi.

SANTONENSIS E. *de Saintes*, sub M. Burdigalensi.

SAVONENSIS E. *de Savone*, sub M. Mediolanensi.

Savona, deleto Longobardorum Regno, venit in Francorum potestatem, a. 774.

SEDUNENSIS E. *de Sion*, sub M. Darantasiensi.

Wilicarius Ep. a. 766.

Abolorgus Ep. a. 768. obit a. circiter 788.

Alsbeus fit Ep. a. circiter 788.

Theodulus Ep. a. 802.

SEGESTARICENSIS E. *de Sisteron*, sub M. Aquensi.

Bonus Ep. a. 752. sedet ann. 55.

SENENSIS E. *de Siene*, sub M. Romano.

Senæ, deleto Longobardorum in Italiâ Regno, parere Francis cœperunt a. 774.

Jordanus Ep. a. 761. fortè & a. 774.

Rodobertus Ep.

Joannes Ep. a. 792.

Andreas Ep. a. 795. a. 801.

Petisbeus Ep.

SENONENSIS E. M. *de Sens*, in provincia Lugdunensi IV.

Ardobertus Ep. M. a. 752.

Auripertus Ep M.

Arnulfus Ep. M. obit, a. 761.

Merulfus fit Ep. M. a. 761. obit, a. 762.

Lupus fit Ep. M. a. 762. obit, a. 766.

Wilicarius fit Ep. M. a. 766. sedet a. 767.

Gotescalcus Ep. M.

Petrus Ep. M. obit, a. 787.

Wilebaldus fit Ep. M. a. 787. obit, a. 792.

Berardus seu Beonradus fit Ep. M. a. 792. obit, a. 795.

Rambertus seu Raimbertus vel Raguibertus fit Ep. M. a. 795. obit, a. 801.

Magno seu Magnus fit Ep. a. 801. vivit superstes Carolo Magno.

SETINUS E. *de Sezze*, sub M. Romano.

Setia in Ducatu Romano dominationem

Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796.

SIGNINUS E. *de Segni*, sub M. Romano.

Sigoia in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796.

SILVANACTENSIS E. *de Senlis*, sub M. Remensi.

Vulfredus Ep. a. 752. obit, a. 753.
Antalfridus fit Ep. a. 753. obit, a. 763.
Bertolinus fit Ep. a. 763. obit, a. 771.
Odonius fit Ep. a. 771. obit, a. 779.
Adelbertus fit Ep. a. 779. obit, a. 789.
Reginaldus fit Ep. a. 789. sedet ann. 18.

SIPONTINOS E. *de Siponte*, sub M. Romano.

Vide Episcopos Beneventanos. Iidem enim olim Episcopi Sipontini qui Beneventani.

SORANUS E. *de Sora*, sub M. Romano.

Sora, extinctâ Longobardorum in Italia Regno, venit in Francorum potestatem a. 774. deinde in potestatem Romani Pontificis a. 787. ex liberalitate Caroli Magni. Mancus est per illud tempus Soranorum Episcopatum Catalogus.

SPIRENSIS E. *de Spire*, sub M. Moguntino.

Basilius Ep. a. 752. obit, a. 775.
Sigenninus seu Sigewinus fit Ep. a. 775. obit, a. 802.
Atho sive Otho fit Ep. a. 802. sedet ann. 8.

SPOLETANUS E. *de Spolete*, sub M. Romano.

Spoletum, extincto Longobardorum Regno, venit in Francorum potestatem, a. 774. eodémque anno ex liberalitate Caroli datum est Sedi Apostolicæ, sed effectum hæc Donatio non est sortita. Mancus est autem Spoletanorum Episcoporum Catalogus ab a. 680 ad postrema usque Caroli Magni tempora.

STRASBURGENSIS E. *de Strasbourg*, sub M. Moguntino.

Heddus Ep. a. 752. superstes, a. 765.
Remedius fit Chorepiscopus sute a. 762. Heddoni succedit in Episcopatum post a. 765. sedet, a. 778. obit, a. 803.
Recho fit Ep. a. 803.

SUANENSIS E. *de Suana*, sub M. Romano.

Suana, deleto Longobardorum in Italia Regno, venit in Francorum potestatem a. 774.
P. Ep. a. 774. fortè & a. 787, quo Carolus Francorum Rex Suanam Romano Pontifici possidendam cessit.

SUESSANUS E. *de Suessa*, sub M. Romano.

Suessa, deleto Longobardorum Regno, venit in Francorum potestatem a. 774.

SUESSIONENSIS E. *de Soissons*, sub M. Remensi.

Hubertus Ep. a. 752.
* Ep. a. 756.
Hildegodus sive Hildigungus Ep. a. 765.
Madalbertus Ep. a. 787.
Deodatus Ep. a. 802. De illo iterum Tomo sequenti.

SUTRINOS E. *de Sutri*, sub M. Romano.

Sutrium in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796.

SYLVÆ CANDIDÆ E. *de la Forest Blanche*, sub M. Romano.

Sylva Candida in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796.

T

TAROANNENSIS E. *de Terouenne*, sub M. Remensi.

Ætherius Ep. a. 752.
Radwaldus Ep. a. 766.
Athalfus Ep.
Wigbertus Ep.
Theodowinus Ep. a. 799. obit, a. 801.
Grimbaldus, corruptè Erimbertus fit Ep. a. 801. vivit superstes Carolo Magno.

TARVISINUS E. *de Trevigi*, sub M. Foro-Juliensi.

Tarvisium, extincto in Italia Longobardorum Regno, Francis parere cœpit a. 774.
Fortunatus Ep. a. 780. a. 799.

TARRACINENSIS E. *de Terracine*, sub M. Romano.

Tarracina in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796.

TAURINENSIS E. *de Turin*, sub M. Mediolanensi.

Taurinum, extincto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit a. 774.

TEATINOS E. *de Teti*, seu *de Chieti*, sub M. Romano.

Teate, deleto Longobardorum in Italia Regno, venit in Francorum potestatem a. 774.

TERGESTINUS E. *de Trieste*, sub M. Foro-Juliensi.

Tergestum, ut à Græcis ad Francos, sic à Patriarchato Gradensi ad Foro-Juliensem transiit, a. 789.

THEANENSIS E. *de Teano*, sub M. Romano.

Theanum, deleto Longobardorum in Italia Regno, venit in Francorum potestatem, a. 774. deinde in potestatem Ro-

UCECIENSIS E. *d'Usez*, sub M. Narbonensi.

Uceeia redit in potestatem Francorum, a. 755. regnante Pippino, manetque sub M. Narbonensi.

Sigibertus fit Ep. a. 763.

Atimundus Ep. a. 791.

Elephantus Ep. a. 800.

VELITRENSIS E. *de Velletri*, sub M Romano.

Velitræ in Ducatu Romano dominationem Græcorum excusserunt, seque Francis sponte dediderunt, a. 796.

VENAFRANUS E. *de Venafro*, sub M. Romano.

Venafrum, deleto Longobardorum Regno, venit in Francorum potestatem, a. 774.

VENETENSIS E. *de Vannes*, sub M. Turonensi.

Justokus Ep. a. 752. obit, a. 756.

Jacutus fit Ep. a. 756. obit, a. 759.

Calgoous fit Ep. a. 759. obit a. 766.

Luchcoardus fit Ep. a. 766. obit, a. 783.

Bilius fit Ep. a. 783. obit, a. 790.

Cunadanus sive Enadanus fit Ep. a. 790. obit, a. 794.

Blinliverus fit Ep. a. 794. obit, a. 796.

Aurifcandus fit Ep. a. 796. obit, a. 799.

Ago fit Ep. a. 799.

VERCELLENSIS E. *de Verceil*, sub M. Mediolanensi.

Vercellæ, deleto Longobardorum in Italia Regno, venerunt in Francorum potestatem, a. 774.

Arbio Ep. a. 774. obit regnante Carolo Magno.

Chrisantus fit Ep. regnante Carolo Magno, obit eodem Carolo superstite.

VERDENSIS E. *de Verden*, sub M. Moguntino.

Swibertus in Saxonia constituitur Ep. a. 786. sedet ann. 21. partim in loco *Kenende*, vel in civitate Bardevicensi, partim Verdæ, quò sedes Episcopalis e priore loco translata.

VERONENSIS E. *de Verone*, sub M. Foro-Joliensi.

Verona, deleto Longobardorum in Italia Regno, venit in Francorum potestatem, a. 774.

Anno Ep. a. 774. obit a. circiter 780.

Lotherius fit Ep. a. circiter 780.

Aldo Ep. a. 790.

Eginus Ep. a. 795. obit, a. 802.

Rotaldus fit Ep. a. 802. De illo iterum Tomo sequenti.

VERULANUS E. *de Veroli*, sub M. Romano.

Verulæ in Ducatu Romano dominationem Græcorum excusserunt, seque Francis sponte dediderunt, a. 796.

VESONTIONENSIS E. M. *de Besançon*, in provincia Lugdunensi V.

Herveus Ep. M. a. 752. a. 756.

Hartfeus Ep. M. a. 765.

Gedeon Ep. M. a. 790.

VICENTINUS E. *de Vicence*, sub M. Foro-Juliensi.

Vicentia, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit, a. 774.

VICO-JULIENSIS E. *d'Ayre*, sub M. Elusano.

Asinarius Ep. a. 791.

VIENNENSIS E. M. *de Vienne*, in provincia Viennensi prima.

Proculus fit Ep. M. a. 754 Wilicario antecessore Aganonum à multis annis profecto, obit, a. 767.

Bertericus fit Ep. M. a. 767.

Ursio Ep. M. a. 794. obit, a. 801.

Vulferius fit Ep. M. a. 801. sedet ann. 11.

VENCIENSIS E. *de Vance*, sub M. Ebreduneensi.

VIRODUNENSIS E. *de Verdun*, sub M. Trevirensi.

* Virodunum laborat interpontificio a 752.

Madelveus, post interpontificium aliquot annorum, fit Ep. a. 753. obit, a 776.

* Interpontificium annorum 12.

Petrus Episcopatum init, a. 788. De illo iterum Tomo sequenti.

VIVARIENSIS E. *de Viviers*, sub M. Arelatensi.

ULTRAJECTINUS E. *d'Utrech*, sub M. Moguntino, deinde sub Coloniensi.

Dadanus Ep. obit a. 752. Pippino jam Rege.

Bonifacius, abdicato Archiepiscopatu Moguntino, fit Ep. Ultrajectinus, a. 752. obit, a. 755.

Gregorius post S. Bonifacii Martyrium suscipit regimen Ecclesiæ Ultrajectinæ, a. 755. manet tamen in Presbyteri gradu, obitque, a. 776.

Albricus Presbyter suscipit regimen Ecclesiæ Ultrajectinæ, a. 776. ordinatur Ep. à Metropolita Coloniensi, a. 777. obit, a. 784.

Theodardus fit Ep. a. 784. obit, a. 790.

Harmokarus sive Etwacherus fit Ep. a. 790. sedet ann. 17.

VOLATERRANUS E. *de Volterra*, sub M. Romano.

Volaterræ, deleto Longobardorum in Italia Regno, venerunt in Francorum potestatem, a. 774.

Petrus Ep. a. 800. vivit superstes Carolo Magno.

VORMACIENSIS E. *de Worms*, sub M. Moguntino.

Wernharius Ep. a. 752. obit, a. 766.

Foleuvicus fit Ep. a. 766.

MONASTERIA

SUB CAROLINGIS REGIBUS, ab an. 752 quo Pippinus regnare cœpit, ad ann. 804 quo Carolus Magnus finem Saxonico bello feliciter imposuit

E MONASTERIIS, quorum mentionem sub Meroveadis Regibus fecimus, pleraque, priusquàm Pippinus in Regem elevaretur, æquata sunt solo, vel, si steterunt ad irruptiones usque Nortmannorum, sic ab Aquilonaribus hisce populis vastata sunt, ut rerum illic aliquot antè seculis gestarum memoria penitùs interierit. Nonnulla quoque eesserunt in alios usus, & Monachorum Monialiúmve sedes esse desierunt. Quapropter ea tantùm in hoc Indice notabimus, quæ vel erecta sunt Pippino jam Rege, vel, si vetustiora comprobantur, aut Francicis ditionibus sub eodem Pippino vel ejus filiis accessetunt, aut extinctâ Meroveadatum stirpe nomen suum ac decus in Francia conservarunt. Et ut horum antiquitatem meliùs recordari possis, uniuscujusque situm, originem, & conditores breviter è superioribus Tomis repetemus.

A

S. AGATHÆ

S. AGATHÆ Mon. *Sainte Agathe*, Romæ.

S. Agathæ Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 55. Conditum à S. Gregorio PP. II.

AGAUNUM, Mon. in E. Octodorensi seu Sedunensi.

Agaunum, Mon. in E. Octodorensi, Tomo 1. a. 536. nn. 147 & *seqq.* Conditur, a. 515 stante Burgundionum Regno. Hodie nomen gerit Sancti Mauricii, *Saint Maurice*, in E. Sedunensi.

Aurastus Abb. a. 752. a. 753.

Wilicarius Abb. a. 765.

Benedictus Abb. a. 768.

Altheus Abb. a. 786. fit Ep. Sedunensis, a. circiter 788.

Adelungus fit Abb. a. circiter 788. De illo iterum Tomo sequenti.

S. AGNETIS Mon. *Sainte Agnés*, prope Romam.

S. Agnetis Mon. extra Urbem prope portam Numentanam, Tomo 6. a. 796. n. 56.

S. ALBINI Mon. *Saint Aubin*, in E. Andegavensi.

S. Albini Mon. in E. Andegavensi, Tomo 3. a. 554. n. 32.

Gontarus Abb. a. 769.

ALMANISCÆ, Mon. *Almenesches*, in E. Sagiensi.

Almanifcæ, Mon. puellare in E. Sagiensi, Tomo 5. a. 746. n. 46.

Nanthildis Abbatissa, a. 752. superstes, a. 770.

ALTAICHIUM INFERIUS, Mon. *Nider-Altaich*, in Diœcesi Paraviensi.

Altaichium Inferius, Mon. in Diœcesi Paraviensi, Tomo 5. a. 741. n. 53. Conditur ab Odilone Duce seu Præfecto Bojoariæ.

Eberswindus Abb. a. 752. a. 765.

Wolfbertus Abb. a. 771. a. 789.

Urolphus Abb.

ALTAICHIUM SUPERIUS, Mon. *Ober-Altaich*, in E. Reginoburgensi.

Altaichium Superius, Mon. in E. Reginoburgensi, Tomo 5. a. 739. n. 43. Conditur ab Odilone Duce seu Præfecto Bojoariæ.

Ernestus primus Abb. a. 739. a. 752. superstes, a. 771.

ALTONIS Mon. *Alten-Munster*, in E. Augustano, deinde in Frisingensi.

Altonis Mon. Tomo 4 a. 718. n. 18. à Sancto Altone inchoatur in Diœcesi Augustana, sed Bojoariâ quatuor in Episcopatus postea divisâ Frisingensi attribuitur.

Alto conditor ac primus Abb. obit regnante Pippino, a. circiter 755.

Marinus fit Abb. a. circiter 755.

Echo Abb. sub a. 780.

Gebzo Abb incertum quo loco ponendus.

AMBRONIACUM Mon. *Ambronay*, in Archiep. Lugdunensi.

Ambroniacum Mon. Tomo 6. a. 802. n. 118. Conditum in E. M. Lugdunensi à S. Bernardo adhuc laico.

* a. 802. nomen primi Abbatis ignoratur.

S. AMBROSII Mon. *S. Ambroise*, in Archiep. Mediolanensi.

S. Ambrosii Mon. in Archiep. Mediolanensi, Tomo 6. a. 784. n. 26. Conditum à Petro Archiep. Mediolanensi.

Benedictus primus Abb. a. 784. a. 789.

Arigausus Abb.

AMERBACHIUM, Mon. *Amerbach*, in E. Wirceburgensi.

Amerbachium, Mon. in E. Wirceburgensi, Tomo 5. a. 758. n. 47.

S. ANASTASII Martyris Mon. prope Romam.

S. Anastasii, seu S. Vincentii, vel SS. Vincentii & Anastasii Mon. extra Urbem ad Aquas Salvias sive ad Tres fontes, Tomo 6. a. 796. n. 57.

S. ANDREÆ Mon. Romæ.

S. Andreæ Mon. in Urbe, in Clivo Scauri, Tomo 6. a. 796. n. 58.

S. ANDREÆ Mon. Romæ.

S. Andreæ Mon. in Urbe juxta Basilicam Apostolorum, Tomo 6. a. 796. n. 59.

S. ANDREÆ Apostoli Mon. Romæ.

S. Andreæ Apostoli Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 60. Instauratum à S. Gregorio PP. II.

SS. ANDREÆ & BARTHOLOMÆI Mon. Romæ.

SS. Andreæ & Bartholomæi Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 61. Conditum ab Honorio PP.

S. ANIANI Mon. *S. Agnan*, in E. Aurelianensi.

S. Aniani Mon. Aureliæ, Tomo 3. a. 654. nn. 22. 24. dictum anteà Mon. S. Petri, conditum à Dierpero Ep. Aurelianensi, medio quarto seculo.

Fulco Abb. superstes post a. 774.

Theodulfus Abbas & Ep. Aurelianensis, a. 786. De illo iterum Tomo sequenti.

ANIANUM, Mon. *Aniane*, in E. Magalonensi.

Anianum, Mon. in E. Magalonensi, Tomo 6. a. 797. n. 30. Conditum à S. Benedicto primo illius loci Abbate.

Benedictus conditor ac primus Abb. a. 797. vivit superstes Carolo Magno.

ANISOLA Mon. *Anille*, in E. Cenomannensi.

Anisola, Mon. Tomo 1. a. 532. n. 11. ad

Landfridus Abbas a. 752. obit regnante Carolo Magno.

C

S. CÆSARII Mon. Romæ.

S. Cæsarii Mon. Romæ prope Basilicam S. Pauli, Tomo 6. a. 796. n. 62. Instauratum à S. Gregorio PP. II.

CAMPIDONA, Mon. *Kempten*, in E. Augustano.

Campidona, Mon. in E. Augustano, Tomo 2. a. 628. n. 14.

Andegarius fit Abb. Hildegarde tum Reginâ, obit, a. 796.

Agapitus fit Abb. a. 796. De illo iterum Tomo sequenti.

S. CARAUNI Mon. *S. Cheron*, in E. Carnotensi.

S. Carauni Mon in E. Carnotensi, Tomo 4. a. 685 n. 26. Conditum regnante Clotario III.

Dodo Abb. a. 752. obit, a. 772.

Odo fit Abb. a. 772. obit, a. 788.

Matthæus fit Abb. a. 788. obit, a. 799.

Dionysius fit Abb. a. 799. De illo rursum Tomo sequenti.

CARROFUM, Mon. *Charoux*, in E. Pictaviensi.

Carrofum, Mon. in E. Pictaviensi, Tomo 6. a. 789. nn. 223. *& seqq.* Conditur à Rotgerio Comite Lemovicensi & ab Eufrasia ejus uxore.

Dominicus primus Abb. a. 789.

David Abb. Carolo nondum Imperatore.

Justus Abb.

CASINENSE Mon. *Mont Cassin*, in Diœcesi Casinensi.

Mons Casinus Diœcesi Casinensi nomen fecit sub M. Romano. Hæc Diœcesis, modò habuit Episcopum, modò Abbatem qui ordinariam Episcopalem jurisdictionem exerceret. Lege Ughellum in Append. ad Tom. I. Ital. Sacr. Mons autem Casinus cum reliqua Longobardia venit in Francorum potestatem a. 774. Monasterii conditor ac primus Abb. fuit S. Benedictus stante Ostrogothorum Regno.

Poto Abb. a. 774. obit, a. 777.

Theodemar fit Abb. a. 777. obit, a. 796.

Gisulfus fit Abb. a. 796. vivit superstes Carolo Magno.

S. CASSIANI Mon. prope Romam.

S. Cassiani Mon. extra murum Urbis, Tomo 6. a. 796. n. 63.

CATZIA, Mon. *Caczes*, in E. Curiensi.

Catzia, Mon. puellarum in E. Curiensi, Tomo 5. a. 758. n. 46. a. 760. n. 11. à Paschale Episcopo Curiensi inchoatum, à Victore ejus successore absolutum.

Vespula prima Abbatissa, filia Paschalis ex legitimo toro & soror Victoris, a. 760.

CELLA MONACHORUM, Mon. hodie *Ettenheim - Munster*, in E. Argentoratensi seu Strasburgensi.

Cella Monachorum, Mon. in E. Argentoratensi, Tomo 4. a. 687. n. 10 Conditum à Vicgerno Ep. Argentoratensi, hodie ob oppido *Ettenheim* vocatur *Ettenheim - Munster*.

Hildolfus Abb. a. 762. obit regnante Carolo Magno.

Lirtholdus Abb. / Reginoldus Abb. { Incertum quo tempore hi præfuerint.

CENTULA, Mon. in E. Ambianensi.

Centula, Mon. in E. Ambianensi, Tomo 3. a. 650. n. 6. Conditur à S. Richario, ejus nomen hodie gerit, *S. Riquier*.

Gnitmarus Abb. a. 752. a. 765. vivit superstes Pippino R.

Aldricus Abb.

Symphorianus Abb. a. 796. obit, a. 798.

Angilbertus fit Abb. a. 798. De illo iterum Tomo sequenti.

CHIEMENSE Mon. *Chiemsée*, in Diœcesi Salisburgiensi.

Chiemense Mon. in Diœcesi Salisburgiensi, Tom. 5. a. 771. n. 40. conditum à Thassilone Duce Bojoariæ, dedicatur a. 783.

CHIEMENSE Mon. *Frauenwerd*, in Diœcesi Salisburgiensi.

Chiemense Mon. puellarum in Diœcesi Salisburgiensi, Tomo 6. a. 783 n. 25. Conditum à Thassilone Duce Bojoariæ.

CHREMBSANSE Mon. *Krembs- Munster*, in Diœcesi Pataviensi.

Chrembsense Mon. in Diœcesi Pataviensi, Tomo 6. a. 777. n. 28. Conditum à Thassilone Duce Bojoariæ.

S. CHRYSOGONI Mon. Romæ.

S. Chrysogoni Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 64. Conditum à S. Gregorio PP. III.

CINGLENSE Mon. in E. Capuano.

Cinglense Mon. puellarum in E. Capuano, Tomo 6. a. 774. n. 89. Conditum stante Longobardorum Regno.

S. CLODOALDI Mon. *S. Clou*, in E. Parisiensi.

S. Clodoaldi Mon. in E. Parisiensi, Tomo 5. a. 765. n. 23.

Joannes Abb. a. 765.

S. COLUMBÆ Mon. *Sainte Colombe*, in Archiep Senonensi.

S. Columbæ Mon. prope Senonas perantiquum, Tomo 5. a. 752. n. 137.

Widradus Abb. a. 752. a. 765.

Herulfus sive Hariolphus conditor ac primus Abb. a. 764. obiit a. circiter 780.
Viebertus fit Abb. a. circ. 780. obit, a. 792.
Grimoldus fit Abb. a. 792. obit, a. 800.
Otbaldus sive Othaldus fit Abb. a. 800. præest ann. 10.

S. EMMERAMMI Mon. in E. Reginoburgensi.

S. Emmerammi Mon. Ratisbonæ ad Danubium, Tomo 4. a. 697. n. 14. Conditum à Theodone IV. Duce Bojoariæ.
Alaboldus obit a. 752. Pippino jam Rege, & Bojoariâ plures in Diœceses ab a. 739 separatâ, atque Monasterio S. Emmerammi Diœcesi Reginoburgensi attributo.
Babo fit Abb. a. 752. obit, a. 778.
Sigismundus fit Abb. a. 778. obit, a. 798.
Richpaldus fit Abb. a. 798. De illo iterum Tomo sequenti.

EPTERNACUM, Mon. *Eternac*, in Archiep. Trevirensi.

Epternacum, Mon. in E. M. Trevirensi, Tomo 4. a. 698. nn. 5, 6. Conditum à S. Irmina Abbatissa Horreensi, Dagoberti II. R. filia.
Albertus Abb. a. 752. obit, a. 770.
Beonradus, Berardus, Leonardus, fit Abb. a. 770 deinde etiam Archiep. Senonensis, a. 792. obit, a. 795.
Aldo fit Abb. a. 795. vivit superstes Carolo Magno.

S. ERASMI Mon. Romæ.

S. Erasmi Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 69. Conditum ab Adeodato PP. in Cœlio monte.

S. EUGENIÆ Mon. prope Romam.

S. Eugeniæ Mon. extra murum Urbis, Tomo 6. a. 796. n. 70.

S. EUGENII Mon. in E. Senensi.

S. Eugenii Mon. de Iliceto in E. Senensi, Tomo 6. a. 774. n. 61. Conditum à Wanfredo temporibus Liutprandi R. Longobardorum.

S. EUPHEMIÆ Mon. in E. Spoletano.

S. Euphemiæ Mon. in E. Spoletano, Tomo 6. a. 774. n. 15.

SS. EUPHEMIÆ & ARCHANGELI Mon. Romæ.

SS. Euphemiæ & Archangeli Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 71.

EYKA, Mon. *Eyke*, in E. Leodiensi.

Eyka, Mon. puellare in E. Leodiensi, Tomo 5. a. 742. n. 50. Conditum à parentibus SS. Herlindis & Reinilæ, Adalhardo & Grinuara.
Reinila Abbatissa, a. 752. pervenit ad ætatem decrepitam.

F

FABARIA, Mon. *Pfeffers*, in E. Curiensi.

Fabaria, Mon. in E. Curiensi, Tomo 5. a. 745. n. 118.
Lupicinus Abb. a. 752. obit, a. 761.
Vincentius fit Abb. a. 761.
Athalbertus Abb. a. 765. obit, a. 772.
Martianus fit Abb. a. 772. obit, a. 780.
Bertrantius fit Abb. a. 780. obit, a. 785.
Crispio fit Abb. a. 785. obit, a. 787.
Cymbertus fit Abb. a. 787. obit, a. 789.
Richardus fit Abb. a. 789. obit, a. 795.
Bruninus seu Breuningus fit Abb. a. 795. obit, a. 799.
Eberhardus fit Abb. a. 799. obit, a. 803.
Weruherus fit Abb. a. 803. De illo iterum Tomo sequenti.

FANANUM, Mon. in E. Mutinensi.

Fananum, Mon. in E. Mutinensi, Tomo 6. a. 774. n. 48. Conditum à S. Anselmo Duce foro-Juliensi, regnante tum in Longobardia Aistulpho R.
Anselmus conditor ac primus Abb. obit a. 803.

FAOCAS, Mon. *Fussen*, in E. Augustano.

Faucense Mon. in E. Augustano, Tomo 2. a. 629. n. 10.
Bertholdus Abb. a. 752.
Wilhelmus Abb.

FERRARIÆ, Mon. *Ferrières*, in Archiep. Senonensi.

Ferrariæ, Mon. in E. M. Senonensi, Tomo 4. a. 715. n. 40. Conditum regnante Dagoberto I.
Gervasius Abb. a. 752.
Garmundus Abb.
Ogerius Abb.
Constantius Abb. obit, a. 794.
Alcuinus fit Abb. a. 794. De illo rursum Tomo sequenti.

FLAVINIACUM, Mon. *Flavigny*, in E. Augustodunensi.

Flaviniacum, Mon. in E. Augustodunensi, Tomo 4. a. 722. n. 55. Conditum à Widerado.
Gayronius Ep. Augustodunensis & Abb. Flaviniacensis, a. 752. obit, a. 755.
Manasses fit Abb. a. 755. obit, a. 787.
Adalbertus fit Abb. a. 787. obit, a. 792.
Zacho fit Abb. a. 792. obit, a. 796.
Aldninus fit Abb. a. 796. obit, a. 803.
Apollinaris fit Abb. a. 803. De illo rursum Tomo sequenti.

FLORIACUM, Mon. *Fleury*, in E. Aurelianensi.

Floriacum, Mon. in E. Aurelianensi, Tomo 5. a. 656. n. 32. Conditum à Leodebodo Abb. S. Aniani ad muros Aurelianenses.

S. LAURENTII

INDEX POSTERIOR

S. MICHAELIS Mon.
in E. Strasburgensi.

S. Michaelis Mon. in E. Strasburgensi, Tomo 4. a. 721. n. 78. Conditum ab Adalberto Duce Alamanniæ, fratre S. Odiliæ.

Tubanus Abb. a. 752. obit regnante Pippino.
Thomas fit Abb. regnante Pippino, obit regnante Carolo.
Stephanus fit Abb. regnante Carolo.
{ De tribus illis Abbatibus actum Tomo 5. a. 752. n. 84.

S. MICHAELIS Mon.
in E. Vercellensi.

S. Michaelis Mon. in E. Vercellensi, Tom. 6 a. 774. n. 46. Fundatum à Gauderio, temporibus Ariperti R. Longobardorum.

S. MICHAELIS Mon. *S. Mihel,*
in E. Virodunensi.

S. Michaelis Mon. ad Mosam in E. Virodunensi, Tomo 4. a. 709. n. 4. Conditum à Wolfando Comite sub Childeberto III R.

* Abb. a. 752.

Hermangardus fit Abb. regnante Pippino, obit regnante Carolo.

Smaragdus fit Abb. regnante Carolo. De illo iterum Tomo sequenti.

MILIZA, Mon.
in E. Eystettensi.

Milize, Mon. puellare in E. Eystettensi, Tomo 6. a. 784. n. 1. Conditum ab Einhilde prima Abbatissa.

Einhildis fundatrix ac prima Abbatissa, a. 784.

MONASTERIOLUM, Mon. *Monstereul,*
in E. Sagiensi.

Monasteriolum, Mon. puellare in E. Sagiensi, Tomo 5. a. 746. n. 45.

Opportuna Abbatissa, a. 752. obit, a. 771.

MURBACHIUM, Mon. *Mourbach,*
in E Argentoratensi,
deinde in Basileensi.

Mùrbachium, Mon. in E. Argentoratensi, Tomo 4. a. 731. nn. 18. *& seqq* Conditum in alodio Eberhardi Comitis à S. Pyrminio primo Abbate. Diœcesi Basileensi recèns erectæ attribuitur, a. 748.

Baldobertus Abb. a. 752. obit, a. 762.

Haribertus fit Abb. a. 762. obit, a. 774.

Amicho fit Abb. a. 774.

S. MUSTIOLÆ Mon.
in E. Clusino.

S. Mustiolæ Mon. in E. Clusino, Tomo 6. a. 774. n. 67. Conditum à Gregorio & Arisebnto civibus Clusinis, Liutprando Longobardorum tunc Rege.

N

NEOSTADIUM, Mon. *Neustat,*
in E. Wirceburgensi.

Neostadium, Mon. in E. Wirceburgensi, *Tomus VI.* Tomo 5. a. 769. n. 19. Tomo 6 a. 776. n. 20. Conditum post a. 769. à Megingaudo Wirceburgensi anteà Episcopo.

Megingaudus conditor ac primus Abb. regnante jam Carolo, vivit a. 774.

Waltricus Abb. regnante Carolo Magno.

NIGELLA ABSCONDITA, Mon.
Nelle la Réposte,
in E. Trecensi.

Nigella Abscondita, Mon. in E Trecensi, Tomo 1. a. 503. n. 3. Conditur pro viris & fœminis ex liberalitate Clodovei R. & Clotildis Reginæ.

Geraus Abb. a. 752. a. 765.

NONANTULA, Mon.
in E. Mutinensi.

Nonantula, Mon. in E. Mutinensi, Tomo 6. a. 774. n. 48. Conditum à S. Anselmo Duce Foro-Juliensi, regnante tunc in Longobardia Aistulpho.

Anselmus conditor ac primus Abb. obit, a. 803.

Petrus fit Abb. a. 803. præest ann. 17.

NOVALISIUM, Mon. *Novaleze,*
in E. Maurienensi,
deinde in Taurinensi.

Novalisium, Mon. à Longobardis aliàs dirutum in E. Maurienensi; instauratur Tomo 5. a. 756. n. 19. Diœcesi Taurinensi post exactos Longobardorum Reges attribuitur, Tomo 6. a. 774. n. 45.

Godonus post instaurationem fit primus Abb. a. 756.

Asinarius Abb. a. 765. obit regnante Pippino.

Wigarius Ep. Maurienensis, fit etiam Abb. regnante Pippino, obit, a. 770.

Josephus fit Abb. a. 770. vivit a. 773.

Guillelmus Abb.

Girardus Abb.

Abbo Abb. a. 789.

Frodoinus Abb.

O

OCHNOFURTUM, Mon. *Ochsenfurt,*
in E. Wirceburgensi.

Ochnofurtum, Mon. puellare in E. Wirceburgensi, Tomo 5. a. 749. n. 39.

Tecla prima Abbatissa vivit a. 752. obit regnante Pippino.

OTTENBURANUM Mon.
in E. Augustano.

Ottenburanum Mon. in E. Augustano, Tomo 6. a. 800. n. 99. Conditum à Syllacho Comite a. 764.

Tuto, Syllachi conditoris filius, fit primus Abb. a. 769. præest ann. 48.

P

PALATIOLUM, Mon.
in E. Populoniensi.

Palatiolum, Mon. in E. Populoniensi,

S

S. SABÆ Mon.
Romæ.

S. Sabæ Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 86.

S. SALVATORIS Mon.
in E. Clusino.

S. Salvatoris Mon. ab Ammiato monte Ammiaticum quoque dictum in E. Clusino, Tomo 6. a. 774. n. 67. Conditum à Rachisio R. Longobardorum.

Usualdus Abb. a. 801.

S. SALVATORIS Mon.
Lemovicis.

S. Salvatoris Mon. Lemovicis, Tomo 5. a. 752. n. 156: nomen postea S. Martialis accepit.

S. SALVATORIS de ILICETO Mon.
in E. Senensi.

S. Salvatoris Mon. de Iliceto in E. Senensi, Tomo 6. a. 774. n. 61.

SARCHINIUM, Mon. *Sercin*,
in E. Trajectensi seu Leodiensi.

Sarchinium, Mon. in E. Trajectensi, Tomo 3. a. 664. n. 1. Constructum à S. Trudone Presbytero.

Reytraimus Abb. a. 752. } Actum de illis
Hardebenus Abb. } Abbatibus To-
Columbanus Abb. } mo 5. a. 745. n.
Ingelrammus Abb. } 105.

SARDAS, Mon.
Romæ.

Mon. *de Sardas* in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 87.

SCHLECHDORFUM, Mon. *Schlechdorff*,
in E. Frisingensi.

Schlechdorfum, Mon. in E. Frisingensi, Tomo 5. a. 742. n. 28. Conditum ab Illustribus Comitibus ac fratribus, Landfrido, Waldramo, & Elilando.

Aribo Abb. fit Ep. Frisingensis, a. 770. obiit, a. 783.

Atto fit Ep. Frisingensis & Abb. Schlecdorfensis, a. 783. De illo iterum Tomo sequenti.

SENONIÆ, Mon. *Senone*,
in E. Tullensi.

Senoniense Mon in E. Tullensi, Tomo 3. a. 661. n. 5. Conditum à S. Gandelberto, qui Senonensem Archiepiscopatum prius gesserat.

Stephanus Abb. a. 752. superstes, a. 768.

Angelramnus fit Episcopus Metensis a. 768. deinde & Abb. Senoniensis; obit, a. 791.

Norgandus fit Abb. Senoniensis, Angelramno adhuc superstite.

S. SERGII Mon *S Serge*,
in E. Andegavensi.

S. Sergii Mon. prope muros Andegavensis, Tomo 3. a. 654. n. 32. Conditum à Clodoveo II R. sedente Andegavi Magnobodo Ep.

Witboldus fit Abb. a. 788.

S. SERGII Mon.
Romæ.

S. Sergii Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 89.

S. SEVERI Mon. *S. Severe*,
in E. Agathensi.

S. Severi Mon. in E. Agathensi, Tomo 5. a. 755. n. 102. Francicis ditionibus accessit cum reliqua Septimania sub Pippino R.

S. SIGISMUNDI CELLA, Mon.
in E. Argentoratensi,
deinde in Basileensi.

S. Sigismundi Cella, Mon. in E. Argentoratensi, Tomo 3. a. 675. n. 29. Conditur à Dagoberto II. R. Basileensi Diœcesi recens erectæ attribuitur, a. 748. n. 110.

Severinus fit Abb. a. 702.

*

*

Arbogastus Abb. obit, a. 800.

Nicolaus fit Abb. a. 800.

S. SILVESTRI Mon.
Romæ.

S. Silvestri Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 90.

S. SILVESTRI & S. MARIÆ Mon.
in E. Firmano.

S. Silvestri & S. Mariæ Mon. in E. Firmano, Tomo 6. a. 774. n. 71.

SITIVENSE Mon. *Sitiu*,
in E. Taruannensi.

Sitivense Mon. in E. Taruannensi, Tomo 3. a. 648. nn. 30. *& seqq.* Conditum ab Adroaldo Neophyto.

Nantharius Abb. a. 752. obit, a. 754.

Dadbertus seu Dalbertus fit Abb. a. 754. obit, a. 766.

Hardradus fit Abb. a. 766. obit, a. 795.

Odlandus fit Abb. a. 795. De illo rursum Tomo sequenti.

SOLEMNIACUM, Mon. *Solegnac*,
in E. Lemovicensi.

Solemniacum, Mon. in E. Lemovicensi, Tomo 2. a. 631. nn. 19. *& seqq.* Erectum à S. Eligio nondum Ep.

Ebulo sive Ebulus Ep. Lemovicensis & Abb. Solemniacensis, a. 752.

Geraldus Abb. } Actum conglobatim
Aymericus Abb. } de illis Abbatibus To-
Ductramnus Abb. } mo 5. a. 761. n. 11.

S. SOPHIÆ Mon.
Beneventi.

S. Sophiæ Mon. puellare Beneventi, Tomo 6. a. 774. n. 95. Conditum à Gisulfo & Arichisio Ducibus Beneventanis

Gorimberga, Arichisii Ducis Beneventani soror, Abbatissa, a. 774.

Madelveus Abb. a. 752. fit etiam Ep. Viroduneosis, a. 753. obit, a. 776.

Fremedo fit Abb. a. 776. vivit, a. 782.

S. VIVIANÆ Mon.
Romæ.

S. Vivianæ Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 96.

ULMETUM Mon.
in E. Cameracensi.

Ulmetum Moo. Clericorum in E. Cameracensi, Tomo 5. a. 756. n. 37. Conditum à S. Rumoldo.

Romoldus præest Monasterio à se condito ex munificentia Odonis Comitis. Martyrio coronatur, a. 775.

Libertus Odonis Comitis filius Mooasterio præficitur à Rumoldo.

UTICUM, Moo. *Ouche*,
in E. Lexoviensi.

Uticum, Mon. io E. Lexoviensi, Tomo 2. a. 572. n. 9. Conditum à S. Ebrulfo, cujus oomen hodie gerit, *Saint Evroul*,

Ragingarius Abb. a. 765.

S. WALFRIDI Mon.
in E. Lucensi.

S. Walfridi Mon. puellare in E. Lucensi, Tomo 6. a. 774. nn. 55. 63. Cooditum à S. walfrido temporibus Aistulfi R. Longobardorum.

WEISSENBURGUM, Mon.
Weissembourg,
in E. Nemetensi, seo Spirensi.

Weissenburgum, Moo. in E. Nemetensi, Tomo 3. a. 642. o. 67. Cooditum à Dagoberto I. R.

Charialdus Abb. a. 752.

Folcuvicus Abb. deiode Ep. wormaciensis, a. 766.

Ebrenbrechtus fit Abb. a. 766. deinde Ep. wormaciensis.

Berohaius Abb. deinde Ep. wormaciensis, a. 798.

Haistulphus fit Abb. a. 798. De illo rursum Tomo sequenti.

WELTENBURGUM, Mon
Weltenburg,
in Diœcesi Salisburgiensi.

Weltenburgom, Mon. in Diœcesi Salisburgiensi, Tomo 2. a. 590. o. 8 Erectum à Thassilone Duce Bojoariæ, regnaote Childeberto II.

Adalwartus Abb. a. 752.

Reginhardus Abb. a. 760.

Wigmandus Abb. a. 777.

Dedalricus Abb. a. 789.

Eroestus Abb. a. 796.

Dietericus Abb. a. 802.

WERTHINA, Mon. *Werden*,
in Archiep. Coloniensi.

werthina, Mon. io Archiep. Coloniensi, Tomo 6. a. 796. nn. 153. & *seqq.* Conditur à S. Luidgero tunc Presbytero.

Luidgerus Presbyter ac conditor fit primus Abb. a. 796. fit etiam primus Ep. Mimigardevordeosis, a. 802. De illo iterum Tomo sequenti.

WESSOBRUNNA, Moo.
Wessesbrunnen,
in E. Frisingensi.

Mon. inter Amparam & Lycum fluvios io E. Frisingensi, Tomo 5. a. 742. n. 31. a. 753. n. 74. sub Childerico III. R. tenue, sub Pippino R. plurimùm inclarere cœpit assumpto wessobrunoæ nomine. Conditum est cum aliis septem ab Illustribus Comitibus ac fratribus, Landfrido, Waldramo & Elilando.

Ilsnogus fit primus Abb. a. 758. obit, a. 799.

Adelmarus fit Abb. a. 799. præest ann. 32.

Z

S. ZENONIS Mon. *S. Zenon*,
in E. Veronensi.

S. Zenonis Mon. in E. Veronensi, Tomo 6. a. 774. o. 101. Conditum florente Longobardorum Regno.

FINIS.

PAGINA 27. *lin.* 25. Frodoinum, *leg.* Josephum. *p.* 50. *lin.* 45. Hic Berniconi, *leg.* Hic, si vulgatis Catalogis fides est, Bernicoai. *p.* 58. *lin.* 39. Suanam, Balneum-Regium, *leg.* Suanam, Ferentium, Tuscanellam, Balneum-Regium. *ibid. lin.* 44. Beneventum & Saleroum, *leg.* Beneventum, Luceriam & Selernum. *p.* 63. *lin.* 23. *post* Teatinorum *adde* Ferentinorum, Tuscanellensium ac Lucerinorum. *p.* 69. *lin.* 39 Equilium & Ceprulæ, *leg.* Equilium, Olivola & Caprulæ. *p.* 126. *lin.* 19. donec eb Innoceotio Secundo Papa io Metropolim erecta est Genua, cui deinceps, *leg.* dooec Pisæ & Geoua in Metropoles erectæ sunt, quibus deinceps, *p.* 138. *lin.* 28. quondam præfueret, *leg.* jam præerat. *p.* 287. *lin.* 22. Senonensi *leg.* Senoniensi. *p.* 567. *lin.* 21. Levinum, *leg.* Lavicum. *p.* 623. *lin.* 14. quacum, *leg.* quocum.

PARISIIS,
IN TYPOGRAPHIA REGIA,
CURANTE
SEBASTIANO MABRE-CRAMOISY,
ejuſdem Typographiæ Directore.

M. DC. LXXVI.